



ALEXANDRINI
DE SANITATE
TVENDA










216. Parto etc
pag. 605 e seg.



IVLII ALEXANDRINI, CAESAREI MEDICI PRIMARII,

SALVBRIVM SIVE DE SANITATE TVENDA, LIBRI TRIGINTATRES.

AD MAXIMILIANVM II. INVICTISS. ROMAN. IMPERATOREM AVGVSTVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Geruinum Calenium, & hæredes Quentelios.
Anno Domini M. D. LXXV.

Cum gratia & priuilegio Imperiali.



SACRATISSIMO, ATQVE INVICTISSIMO ROM. IMPERATORI AVGVSTO, MAXIMILIANO SECVNDO, ETC.

IVLIVS ALEXANDRINVS MEDICVS SVVS S. D.



MAGNA habenda est ab omnibus muneris semper sui, quibuscũque munus aut officium denique aliquod delegatum est, in vtranque partem consideratio, SACROSANCTE IMPERATOR, vt & quæ, cuiusmodíve officij sui partes sint, summa assiduè cura cogitent secum, & plurimũ perpetuò in eo pensi habeant, pensum vt suũ rectè semper atque ex ordine absolutum perficiant, quod partium suarum esse cognouerint. Idque, si traducere ista ad artificia velimus, valiturũ in artibus quoque multis sit, paruis æquè ac magnis, vt artificum omnium actiones atque opera meritò probata commendentur, aut damnata his de causis repudientur. Quanquam in artificio, si quod eiusmodi est, vt nõ magnopere ad officij rationem spectet vllam, vt quidem artes nonnullæ sunt, ex vilioribus præsertim, si quid admissum est, aut ab arte discessum, id vnum scilicet: vtique peccatum id artis erit, parum instructi in eo artificis culpa, aut inscitiæ sæpe vnius confessione tuendum; nunquam ad animi malitiam, aut improbitatem tendet. At in artibus, quibus prudentia ferè maior inest, ac necessariò penè coniunctam secum bonitatem & probitatem habent, officijque ideo non minùs curam semper, quàm artificij, gerere sui quandam debent, (cuiusmodi inprimis nostra est) nisi artificij rationibus annexæ officij quoque fuerint, vt, seu faciendum aliquid, seu agendum sit, in actionibus artibusque omnibus melioribus cum efficientia decentia quoque coniungatur, cunctaque rectè & cum decoro, probeque ac benè, atque ex officio fiant, seruetúrque in omnibus honestum, & turpitudo fugiatur: nihil vnquam ritè rectèque factum exeat, quod factum fuerit, nomenque statim officij, atque artificij vnà sui amittat, neque ex re, neque ex argumento eiusmodi, & reprehensionem mereatur ab omnibus, & seuerè à multis castigetur. Hinc pessima nomina audimus semper emansorum, erronum, loci præsidijque sui desertorum in militia, in agendis causis præuaricatorum, in alijs alia: quæ nemo sanè bonus admittat ad aures libenter suas, & vindicata velit, ac defensa cupiat, purgetque omnino, si falsò impingantur: vera autem excuset, aut admissa deprecetur, & veniam precetur.

Tanta esse apud omnes debet officij perpetuò modis omnibus retinendi sui consideratio.

Hæc assiduè mecum cogitanti, Sacrosancte Imperator, (Iterum enim iam sacrosanctum appello, cuius quidem sacrosancta semper in terris potestas sit, eadem & summa.) qui professione Medicus essem, & in sanitatis tuæ præsidio iam diu constitutus, supra quidem quàm ingenij aut eruditionis meæ mediocritas, vel infra mediocritatem potiùs conditio exposceret, aut mereretur, multo, sed constitutus tamen: visum fuit, quo magis hoc impositum humeris meis onus vires meas excederet, eo annitendum mihi semper in eo fore magis ac magis, vt maiore quadam diligentia ac studio muneris, ministerijque mei partes omnes tuerer, &, quod desiderari in me de artificij rationibus non parum fortasse posset, id officij sedulitate, accurataque, ac fideli semper opera pensatum resarciretur à me. Quod & præstitisse arbitror: laborâsse quidem vt præstarem scio, ac conscius mihi optimè sum.

Atque futurum fortasse satis alicui videri possit hoc in negotio, si quis, quàm fieri ab eo potest diligenter, officio suo fungatur; & fidelitatem quidem exhibeat in omnibus absque vlla exceptione illæsam, atque inculpatam omnem; studium verò & diligentiam, ad exequendum munus suum, & operæ ministerijque sui assiduitatem, quam valeat, quamque vires ferre eius posse, & operis necessitas exigere videbuntur, ad agendum afferat; in omnibus autem cura ac studio omni præsens contendat, ne quid vsquam, quod partium suarum habeatur, desiderari meritò possit, nihil intereà quid vlteriùs in eo fiat solicitus. Verùm haud ita se res habet. Ea nanque est rerum harum dignitas, & cum dignitate necessitas plerunque, vt non modò, quum intersumus, & in præsenti, suscipienda nobis cura sit omnium: verùm etiam aliò discedentes, & absfuturos, retrò subinde respicere cogat, muneris sui non oblitos, cuius vbique, atque omni tempore, ratio apud omnes constare aliqua debeat, præsertim si cui commissa conseruandæ summorum Principum sanitatis cura sit. Etenim, quanuis per se maximæ semper considerationis, & ingentis cuiusdam, atque anxiæ sæpenumero solicitudinis opera medica habeatur, seu reuocare, siue verò retinere etiam sanitatem propositum fuerit; vt, vel si in vilissimo id fiat, &, quod dici prouerbio solet, in Care tantùm periculum sit, nunquam tamen in corio versari nos putemus, qui quidem homini medicinam faciamus viuo: addita tamen fortè personæ dignitas, anxietatem, studium, solicitudinem hanc auget, quo maior, magis. vt, si propterea, quòd cum Regulorum fortè aliquo negotium hoc sit, studio omni ac diligentia agendum sibi in eo esse censeat aliquis, tanto quidem magis cum Regibus, & Imperatoribus, quorum in excelso posita dignitas, ac summo in fastigio longè lateque præfulgens Maiestas, nihil admittere inconsiderati videtur, latitantis, imperspectique nihil: splendescens quippe ipsa

ipsa semper, ac splendore suo, quem latissimè fundens spargit, omnia omni ex parte illustrans & detegens. Atque iccirco conditionis huiusce Medicus aduigilandum sibi semper necessariò existimet, noctesque ac dies prospiciendum, necubi officium suum claudicet, aut opus titubet, quod sartum tectum præstare debet: absensque iuxtà ac præsens cogitet, quomodo partes muneris sui omnes perficere, & numeros implere queat, omni vt tempore ac loco, cuius incolumitatem retinendam suscepit, illius prodesse saluti studeat. vsque adeò medicum sæpe officium vacillat, nisi diligentia hac sustentetur, ac non modò impræsentiarum prospectum præfectus sanitati Medicus curet, præsensque vt satisfaciat, verùm etiam vt in posterum atque absens consulat.

Me quidem, officium meum hac quoque ex parte animo voluentem, ac diligenter pensitantem non semel, idipsum perpulit, vt, quemadmodum hactenus, quocunque tempore interfui, inque aulico comitatu vixi, qua potui semper diligentia, ne quid desiderari à me magnöpere in ministerio meo exhibendo posset, curaui; itidem absens, atque omni tempore, adeoque post cineres etiam meos, si qua hac in parte iuuare possem ratione, curarem: ac, sicuti præsentis temporis operæ meæ medicæ, Dominis Patronisq; meis, vniuersisque alijs, summis, infimis, alacriter præstitæ, non prorsus extinctam, aut intermortuam esse memoriam confido; ita in futurum etiam tale aliquid extaret, quo omnibus ijsdem, si non aliud, at consultum certè de his inprimis cupiuisse videri τὸ ἐμὸν μέρος possem. Non enim is sum, qui præreptam alijs partem suam officij velim, quos scio in eodem mecum curriculo contendentes, longeque me præstantiores, nauosque, & industrios magis, ingenij acumine, quo pollent, multo anteuertere tarditatem meam posse. Verùm, si ego quoque aliquid de meo in idem confero, quod ad summam qualitercunque tandem faciat, ferendus certè sim. Qui quidem id, ne officio, quod præstare vbique debeo, meo desim, potissimùm facio: ac, nisi faciam, non habiturus facilè sim, in quo æquè operam reponam meam, & quo maximè argumento debeo animi significationem mei exhibeam, præsertim hoc tempore, hacque ætate mea, in qua, quoniam missionem ex Aula, annis his debitam, certè multo etiam antè plerisque alijs concessam, expectabam, operæ meæ ceu vicarium substitutum relinquerem, ex quo tanquam præsenti peti, quod muneris quoque priùs mei erat, vel non multo certè secus, posset.

Huiusce generis tale aliquid inter studiorum meorum labores disquirens, si sese mihi offerret, quod præstare quæ narraui cuncta posset, obtulit se SALVBRIVM, siue DE SANITATE TVENDA opus, conceptum à me multo antea atque inchoatum; sæpiùs autem, ingruentibus negotijs alijs, vitæque aulicæ occupationum interuentu, omissum; rursusque deinde per interualla resumptum, ac succisiuis verissimè horis redintegratum, quasique interpolatum crebrò, atque his demùm die-

bus per otium à me in rusticatione ad vmbilicum ductum: alijs quidem quoque per partes tentatum illud quasdam membratim priùs, frustillatimque, nunquam tamen hactenus in lucem quod prodierit absolutum, partibusque sui omnibus, membrisque ac artubus integrum tanquam corpus vnum visendum, coloribusque suis ac lineamentis effictum, formatumque, ornatuque ad hæc, & vestitu non indecoro quodam spectabile quod esset. Sed neque nostrum hoc tamen eiusmodi prorsus est, quanuis, vt esset, contenderim non parum. Neque tam id arroganter à me dictum existimari velim, vt esse iactem, quod esse non scio: imò rectiùs, quod verè non esse scio, sed conatum me fuisse, quod ad hanc vsque diem (quod sciam) de nostris nemo, id verò erat quod intelligi de me volebam vnum.

Nec sanè aliud quæsitum à me ex hoc, neque ob aliud quicquam in eo elaboratum, quàm, quum (quod antea quoque præfatus sum) quales quantæque essent officij mei partes diligenter mecum expenderem, cui nunquam propè satis esse factum queat, quam per viginti annos duobus maximis ac sanctissimis Imperatoribus medicam operam exhibui inculpatam, vt spero, donec per ætatem mihi meam licuit, nunc quoque, postquàm laboribus tot subeundis ampliùs impar migrare ex Aula cogor, eandem aliquo tandem pacto vt exhiberem, absensque hoc demum pacto vt præsens quoquo modo essem, perpetuò quasi in officio manens. Quod quidem nulla alia meliùs me ratione consequi posse vidi, quàm si de meo aliquid, quod simul & muneris me mei non immemorem fuisse testaretur, simul vsus secum omnino nonnihil afferret, discedens relinquerem. Idque ea potissimùm ex parte si deligeretur, præstabile fore videbam, quæ potior semper habita Tuendæ Sanitati dicata fuit, si cui hominum conditioni alteri, aut ordini, aut instituto, principibus omnium maximè, atque inprimis viris conueniens, quorum salus, sanitasque defensa, multorum sæpe secum millium aliorum coniunctam sanitatem, salutemque defensam eodem modo habeat.

Meus igitur hic partus qualiscunque, (meum enim iure appellare posse videor, quem primus ego ex toto formatum, staturaque sua ac corporatura conspiciendum integra proposuerim) id præstet inprimis opto, Dominis, Patronisque Imperatoribus Augustis, & Imperatorum filijs Cæsaribus, parentis sui, absentis mei viui mortuique memoriam aliquando vt renouet, viceque mea fungatur, si quando diuertere in ista libuerit, aut vacauerit ad præcepta inde salubria accipienda. Hoc si assequutus fuerit, satisfactum voto meo esse putabo, & desiderium omne expletum.

Neque tamen non & illud optauero, quod sequi ex hoc plerunque atque oriri solet, ac sequuturum atque exoriturum hîc quoque non despero: vt, quemadmodum in alterius sæpe gratiam confecti operis alicuius

cuius

cuius redundare in multos vtilitas non rarò, nec parua quidem, consueuit; ita hîc vel maximè, (quoniam quidem omnium maximè à summis, maximisque Principibus deceat, rebusque eorum omnibus, beneficentiæ, & commoditatum, vsuumque creberrimè multorũ in multos vbertim veluti effluentes riuos quosdam transfundi) reliquorũ genus omne hominum, modò non imperitorum prorsus, ac barbarorum, beneficium aliquod accipiat, ac decerptos ad sanitatis suæ tutelam fructus nõ exiguos sępenumero reportet, quos sacratissimi nominis tui dicaturæ acceptos referat omnes, inuictissime Imperator. Atque id alioqui eiusmodi est, fructus vt sibi quisque inde carpere, quos volet, quumque volet, ex illibato valeat: aditúsque nihilominùs alijs etiam intereà ad eadem pateat integra semper capienda, magno quidem studiorum semper omnium commodo atque vsu, magnos sæpe fructus liberaliter elargientium vniuersis, qui modò petere inde non grauentur, & sedulò colligentibus vbique, atq; assiduè suppeditantium; præcipua verò nostræ huius, quam hoc tempore tractauimus, Salutaris Artis commoditate, ac beneficio, partis Medicinæ totius potissimæ, in cuius videmus viridaria, longè quàm in alterius Curatoriæ, (si cum his conferantur) senticeta potiùs quædam, promptiùs ac libentiùs nũc & olim ingressos non solùm Medicos, sed etiã Medicinæ studiosos plurimos, qui φιλιατροὶ quidam sunt, & dicuntur, saluberrimam sibi ad vitæ totius curriculum frugem demetere solitos, suauissimosque, ad producendos diu simul ac salutariter annos, domum suam ac maturissimos reportare fructus consuêsse, eosdem & alibiles & duraturos.

ΕΙΣ ΤΑΣ ΤΟΥ ΕΥΔΟΞΟΤΑΤΟΥ ἰατροῦ τε, καὶ φιλοσόφου Ἰουλίου Ἀλεξανδρινοῦ περὶ τῶν ὑγιεινῶν βίβλους, Πέτρου Χορτοναίου.

Πρόσθεν Ἀλεξανδρινὸς Ἰούλιος εὖχος ἰατρῶν,
 καὶ παιηοσύνης ὄλβον ὑπερφιλέων,
ὅσσα βίβλαις σποράδην ποθ᾽ ὁ Κῶος, ἠδὲ Γαληνός
 γράψεν, ἐσαθροίζων εἰς ἓν ἐφηρμόσατο.
χ᾽ ὥστε σοφὸς πλάστης τεχνίτης τ᾽ ἔξοχος ἄλλων
 ἐκ γενεῆς, ἁπαλῶν ἀρξάμενος τ᾽ ὀνύχων
ἔπλασεν αὐτοτελῆ, καὶ (ὅπερ θέμις) ἐσθλὸν ἰατρόν
 εἴδει τὴν ὕλην μοῦνος ὑποστορέσας,
αὐτὸς ὅπως τέχνῃ πανυπείροχος, ἠδ᾽ ἅμα θαῤῥῶν
 ἄλκαρ ἐνὶ καιρῷ τοῖς χατέουσι φέρῃ.
(καὶ γὰρ ἐπιχθόνιος λέγεται θεὸς ἐνθάδ᾽ ἰατρός
 ἐῤῥώστοις εἶναι, καὶ νοσέουσι πλέον)
πολλὰ δ᾽ ἑῷ προσθεὶς ἔτι κόσμια πλάσματι καλῷ
 τεῦξεν ἀρίζαλον πᾶσιν ἀριστονόοις.
ἀλλ᾽ ἄρα νῦν γλυκερῆς ὑγιείης δόγματα κείνῳ
 λείπει, ἅτε κλᾶρον, γνωσόονῖε γέρας.
ὄισιν ἀπημοσύνην διατήροι αὐτὸς ἄνουσος
 (καδδύναμιν) πάντων μέχρι τέλους ἰδίην,
καὶ τάχα που λείψει τὰ διδάγματα, πῶς κεν ἐλάσσῃ
 αὐτῷ ἐπερχομένην τὴν νόσον, ἠδ᾽ ἑτέροις,
τοὔνεκ᾽ ἀναγνοίη τάδε βιβλία πᾶστις ἀκριβῶς
 παιδόθεν ἁγνοτέρων γευσάμενος λιβάδων,
ὥσπερ Ἀριστοτέλης, Θεόφραστος, ὁμοῦ τε Γαληνός
 ἔβλυσεν, ἠδὲ Πλάτων, καὶ πάρος Ἱπποκράτης.
ἐξ αὐτῶν γὰρ ὄνειαρ ἀεὶ, καὶ τέρψιν ἄροιτο,
 καὶ ταῦθ᾽ ἱμείρων ἐσθλὸς ἰατρὸς ἔμεν.
ἴσως οὐ τέρψει τάδε πάντας, ὅσοιπερ ἀφύσσειν
 εἰώθασιν ὕδωρ πίδακος ἐκ θολεροῦ,
(τόσσον ἔθος δύναται, φύσιν ὅτι γε, καὶ νόον ἐσθλόν
 πολλάκι συγκατάγει πρὸς τὰ χερειότερα)
τέρψει δ᾽ ἀγχινόους, τέρψει γλαφυρούς τε, σοφούς τε
 φαιδροτάτοις χαρίτων νάμασι λουσαμένους,
(παυροτέρους περ) ἐπεὶ μούνοις τούτοισιν ἀρέσκειν
 βούλετ᾽ ἀνὴρ νόστερος, πιερίσιν τε φίλος.
οἶδα σαφῶς μὲν ἐγὼν, ὅτι μῶμοι πολλοὶ ἔσονται,
 πολλοὶ ἀπαίδευτοι, σύν τε ματαιολέχναι,
οἱ διασυρέμεναι καλὸν πόνον ἀνδρὸς ἀρίστου
 πειρήσοντ᾽ ἀδίκως, πᾶσι τ᾽ ἀειδομένου,
αὐτὰρ ἐτητυμίη θήσει μὶν ἄνασσα πρόφαντον,
 ὥσπερ ἐν ἀκροπόλει δαλὸν ἀειφλεγέα,
οἱ δ᾽ αὖ ἐλαττόμενοι φθονερὴν κατὰ πάνθ᾽ ὑπ᾽ ἐκείνου
 τήξονται σφετέρην οὐτιδανοὶ κραδίην.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN SEQVENTES IVLII ALEXANDRINI SALVBRIVM LIBROS.

Numeri ſuis locis reſtituendi: 70, 165, 242, 310, 773, 776.

A



casiæ

D

G

glan-

K

L

M

N

sanguinis

tinca-

INDICIS FINIS.

ERRATA quædam animaduersa, quo sequitur modo, corrigenda.


PAGINA 1 a. LIN. 37. iam vtilioribus, 2 b. 44. Eryximachum 3 a. 33. accersamus ipsi, 7 b. 36. diciq;, res 8 a. 53. ἐξ ἀρχῆς 10 b. 56. Hierophili 11 b. 51. procliues ad 12 b. 32. tantùm 63 b. 12 οὕτω καὶ 68 b. vatiorumque, quum 71 a. 29. ἀναγωγὴ 125 b. 15. δέξια 144 b. 59. nanq; cessans 158 a. 33. ctum, alterum 192 a. 58. Hiuca 205 a. 27. ἐψησιο 234 b. 24. eruditionis Medici 241 b. 29. Eolosyncrasia 251 a. 57. Torminali (& eodem modo pag. seq.) 296 a. 1. acrimonia desit 301 a. 33. CAPVT IX. (& ita cõsequenter) 311 b. 37. CAP. III. 348 a. 11. sanguificari 12. dam, 358 b. 18. contemnẽda 395 a. 15. satis elaboratarum 497 a. 48. harúmque 517 b. 57. affectu eo 526 a. 9. eneruat 600 a. 58. cuscutæ (siue cassuthæ 615 a. 24. vincatur 685 a. 5. illud 774 b. 54. conciliatus somnus 791 a. 40. & Institorum

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER PRIMVS,

Qui procemij cuiusdam vice est.

Medicinæ in vniuersum necessitas, ac nobilitas.

CAPVT I.



Nimaduertere licet, authores, quicúq; se olim ad scribendum aliqua de re contulere, eos inprimis plurimùm semper posteris fructus attulisse, ac futuris post se seculis optimè consuluisse, qui in eo diligenter elaborauerunt, vt ex præclaris artibus fructuosissimas quasque aut inuentas à se, aut excultas, posteritatis memoriæ, literis commendatas transmitterent. Quod posteri beneficium agnoscentes, maximoque ac continuo vsu edocti, rerumque inprimis vtilium commoditate inuitati, spretis plerunque alijs, hasce aut vnas, aut omnium maximè conseruandas sibi esse duxerunt. Hæ siquidem omnium primùm inuentæ, eædem nunc, tot, post earum inuentionem, interiectis hominū ætatibus, postremæ quoq; omnium reliquæ factæ sunt nobis: humana semper consuetudine sic se natura sua comparante, vt, quemadmodū res vsui sibi futuras maximo, ante alias diligentissimè inuestigatas inquirit, cæteras aūt omnes, in quibus dignitas interdum quanuis maxima, at minor tamen inesse semper vsus appareat, non nisi per otium summum & quietem, repertis iā, vtilioribus quęrit: sic artes hasce, fructuosas inquam, pereuntibus sæpe intereà multis alijs, vt posteriùs exortis, ita priùs quoque sæpe intercidentibus, quarum iacturam non perinde magni faciat, constantissimè ad extremum vsque retineat. Itaque desitas videmus artes plurimas, aut nō admodum certè, vt anteà, excultas, remanentibus intereà nobis, quæ assidua iam omnium diligētia versatæ, ac quotidiano vsu tritæ splendescant. Ex earum genere vel inprimis Medicinam esse, quis est qui non videat? vt quam præcipuus omnium (quod in confesso esse apud omnes debet) ducendæ salubriter, aut ab ingruentibus, iamque sæpius obsidentibus eā morbis, liberandæ vitæ nostræ vsus (sine quo mutila ea prorsus ac manca futura sit, & ab actionibus omnibus, in quibus maximè versans subsistit, cessare necessariò cogatur) inuenerit, inuentam diligenter excoluerit, donec sumpto à natalibus suis (quos diuinos nacta est) per singulas propè ętates incremento, eò felicissimorum semper ingeniorum cultu deducta peruenisse videri potest, vt nulla iam generi humano nec fructuosior, nec bonorū nostrorū omnium tutelæ accommodatior, nec necessaria magis, (conferantur licèt diligēter omnes) inueniri queat. Et quomodo, quæso, non perquam ea necessaria nobis existimanda fuerit, sine qua, morborum omnium profligatrice, vita humana, inter horum semper discrimina constituta, futura vita non sit? commoda autem, quum nec animi, nec corporis, sed neque fortunæ bonorum rectam satis vnquam ducere rationem vllam, nisi huius beneficio queamus, siquidem, quanuis ea corporis bonum propè vnum intueatur, sic tamen connexa hæc inter se habet, vt ad corporis vitium vacillaturus animus quoque vnà plerunq; sit, nisi ipsa succurrat: nec fortunas augere aut tueri cōmodè tuas, nisi integra sanitate fruare, possis. Iam hoc idem fructuosam eam facit, nec sanè minus illud, quòd quæcunq; tandē munia obimus, siue publici, siue priuati quid agimus, fructum amissura suū actio omnis sit, cassaque ea, ac manca futura, nisi incolumitatis alacritas quædam, qua cuncta hæc veluti condiantur, accesserit. Quo sanè minùs mirari debemus, si, tam vtilis semper futura mortalibus nobis, eadē dijs ipsis, quorum in tutela positi viuimus, curæ semper fuerit, nimirum per quos cælitus primùm ad nos demissa, deinde per eosdem, quum iam periclitari videretur, veluti renouata atque instaurata viguerit, siquidem diuini aliquid inesse somnijs credendum nobis sit, verumq; illud existimabimus Homeri καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν, Galeniq; pater clarissimis qbusdā numinis medici per somnum monitis instructus, author fuerit filio conferendi se ad medicinam capessendam, excolendamq; totum, quo propè authore quicquid habemus hodieque artis, erectum etiam nunc stat. At-

que hoc ferè tempore, tot iam pugnantissimis inter se sectis in diuersa distracta, & aduersis factionibus acta Medicinæ studia præcipitia ferebantur, pessum dubio procul itura prorsus, nisi numinis, quod dixi, fauore delegata Galeno prouincia hęc, noxisq; ab eo omnibus repurgata, imminētiq; ita ruinæ erepta, ab eodē hoc deinde constabilita, huiusq; ipsius structura, quæ nūc quoq; vigens perstet, ad nos vsque per tot iam ætates sustentata, peruenisset. Iisdē authoribus factū, Dijs dico, hominibusq; fauentibus adepti sumus, vt post Galenum, sed à Galeno tamē authore, nitescere incipiens Medicinæ facies, formæ ea decus suæ accipere, & ingenuā probitatem, verēdamque vnà maiestatē ostendere cœperit, primumq; Thessalos illos, pestes ac noxas artis, λώβια τῆσ τέχνησ, latè fugatas abiecerit, deinde de seruorū quoq; se manibus eximens, in quos priùs nōdum satis culta incidere plerunq; solebat, iam se liberalibus tantùm ingenijs vtendā prębeat, atq; à seruitijs deducta, quorum iam consortium aspernetur, ad ingenuos se prorsus, nostra hac tempestate cōtulerit, vt cū dignitate ab his passim iā apud omnes in honore habita, tractetur.

Artis Medicæ diuisio, alteriusq; partis, quæ sanitatem tuetur, commendatio.

CAPVT II.

Hvius tam præclaræ cælestiumq; nobis prouidentia concessæ, ita ac deinde conseruatæ quoq; artis duæ potissimùm semper habitæ sunt partes: Quæ sanitatem præsentē tuetur: &, Quæ absentem reuocat. Quanuis autem posterioris huius videri alicui fortasse possit maior esse vsus, (quòd bonorū, quibus caremus, desiderio inprimis semper teneamur, sicuti eadem præsentia propè interdum fastidimus, certè nimis plerunq; securi negligimus) tamē cōfessione omnium, quum non dignitate minùs quàm natura, ac tēpore potior semper nō immeritò existimata per se ac sola sine offensione vlla spectata, sanitas fuerit, ita quoq; qua præsentis inoffensæq; sanitatis bono tutò fruimur, medicinæ pars præclarior habenda, ideoq; primò sumenda docendaq; iure ac tractāda nobis sit. Nemo aūt ambigat, opinor, artificū omniū, quicunq; finē aliquem propositū sibi habēt, quanto laudandi magis sint, qui huius ipsius possessionem nacti tueri sciūt, quàm qui, vt adipiscātur, laborant: quantoq; eodē propè exēplo cōmendari magis soleat ab eruditis, qui pacis, quā qui belli artibus claruēre Duces: siquidem hic illū, nō ille hūc, pro meta habet, quò tēdat status, pacisq; causa suscipiūtur potiùs bella, nō ē diuerso: vti iā idē in nostra quoque inspicere possimus, in qua morbos depellimus, vt incolumibus nobis viuere liceat, nō dissimiliter atq; quū generationē substantiæ causam esse dicimus, nō substantiā generatiōis: quorū alterū sanitati similius, alterū ægritudini est: finitior enim hæc, infinitior illa: hæc tanquā Terminus quidā, illa ad Terminū: & quū vtraq; magis ac minus suscipiat, quæ infinitudinis cuiusdam ratio est, alterā tamen, sanitas nimirū, finitudini ꝓpior, Terminis suis circūscripta, clauditur longè quàm ægritudo adstrictioribus, immò verò Terminus ipsa est: ac, queādmodū acutū, & graue: velox, & tardū (quorū infinita multitudo quædam sit) adhibita Symphonia finit: sic propè (quod diuinus quādoq; cēsuit author Plato) calidū, & frigidū: humidū, & siccū: innumerabilia quę esse possint sanitatis accedēs natura in vnū cōnexa sistit, horūq; omnium malitiā, & ex legem quandā violentiā ipsa adhibita, veluti materiā forma, lege, & ordine certo coercet, vt meritò (quoniā quidem naturā in omnibus sic nos rectè ducētem sequuti, possidendi potiùs summi corporei boni, q̄ deperditi indipiscēdi desiderio teneri debemus) sanitatis ideò bonum hoc tuendum nobis priùs ac potiùs, possidendūq; semper sit, eadē quidē arte, ac minore tamē opera, quàm vt maiore semper cū negotio vitęq; humanę discrimine amissum restituere conemur, pręsertim in ea arte, quę finē possidere suū valeat, antè q̄ ipsa faciat, sicut administrādæ reip. qui præest, huic nihil prius esse debet, q̄ vt statum reip. quē accepit, optimū cōseruet, potiùs quàm conturbatū trāquillet: ita sanè nos, quum sanitatis nacti bonū, & cognitū id amplectimur, nil mirū, si naturali quodā diu semper in eo persistēdi, tutoq; fruēdi eius desiderio tenemur, iuxtaq; Eryximachū Platonis, iustissimi amoris illius legē, quo cuncta inter se corporis concinunt, minimeq; discordia legitimū cōmendandūq; rerū, quas appetūt, desideriū sequūtur, custoditā seruabimus potiùs, quàm absentē hanc ipsam reuocemus, vt expulso deteriore illo, ac vesano amore, cuius vi incitati nocentissimarū sæpe rerū desiderio afficiūtur ęgroti, meliorē tandē hunc introducamus: immò malū cū negotio semper abigamus, quū tueri bonū faciliùs possimus. Sanè ex Iurecōsultis nō magnoperè cōmendamus eos, qui nullas alias quàm puniēdi, castigādiq;, & in sontes omni supplicij genere animaduertēdi, leges statuūt, nihil interim instruunt, aut ne peccetur, cauent: quod grauissimus author Plato semper facit, vt optimè in-

struamur, atq; educemur primũ: rectamq; ita viã ingressi, ne quò aberrantes deflectamus, nihilq; hac ratione à nobis aut minimùm certè peccetur: multusq;, ac plurimus in eo est, vnde vox illa: δικαιότερον γὰρ τῶν ἀγαθῶν περὶ μᾶλλον, ἢ τῶν κακῶν ἰσχύειν λόγον. ita postremo demũ loco, quũ iã aliter non potest, pœnas ac supplicia tractat. Idẽ faciendũ nobis fuerit authoritatẽ viri tãti sequutis, vt potiorẽ eã Medicinę partẽ ducamus, diligẽterq; tractemus, atq; etiã excolamus, quæ sanitati tuẽdæ dicata est, qua sanitatẽ bonũ corporis tantũ intactũ custodiamus, & ne in morbos tanquã in errata, castigationę tũ demũ, atq; emẽdatione digna incurrẽdũ nobis sit, ꝓuideamus. Ergo maximus semper, atq; inprimis cõmodus acceptusq; habẽdus partis huiusce vsus sit, quæ sanitatẽ præsentẽ tuetur: ac, ne periculũ vllũ adeamus, pręstat, lõgeq; id summotũ repellit. Alterius verò, quæ iam in discrimine ipso cõstitutos periculo eximit, vt ingens sæpe vrgeat necessitas quædã, at minùs cõmodũ optatũq; officiũ existimabimus, quod malè affectis, q̃ quod benè habẽtibus exhibetur: vnde sanè non absq; ratione fiat, vt medici munus hygijni, cuius nimirũ præceptis incolumes cõseruamur, libẽti semper animo admittamus oẽs, iucundeq; atq; hilarè seu quæsitũ, siue verò oblatũ excipiamus, quũ curãtis sępenumero operã ecõtrario auersemur insigniter fastiditã, ac necessariò ꝗdem plerũq; accersamus, ipsi quoniã aliter nõ possumus: si quis verò eam non vocatus præstare nobis velit, iam tũc procul reiectã etiã abhorremus. Quod quanq̃ redũdare in artẽ ipsam artificémve minimè omniũ debeat vitiũ, cuius nulla prorsus insideat arti, artifici ve culpa, sed alius totũ sit, nimirũ eius, cuius cõmissũ culpa est, vt curãtis opera indigeret: tamẽ, quia alterius in aduersa tantũmodo valetudine auxilio egemus: alterius, quũ prosperè agimus: sic ferè fit, vt cuius potissimùm ope seruãdi sumus, malè tantũ habentes, ob id ipsum, (ꝙ hoc eo solùm tẽpore cõtingat) eius nõ perinde sanè gratũ, aut cõmodum, aut optandũ officiũ experiamur, temporisque ita ferè incõmoditatem, in necessariũ tunc medentis vsum exosum sæpe nobis, transferamus: tutorem autem conseruatoremq; sanitatis, nullo nõ tempore, non loco, minimeq; omnium fastiditum, lubenti semper animo, ac propè obuij excipiamus.

Eodem tamen tendunt omnia ad sanitatem: quanquam altera præsentem retinet, absentem altera reuocat pars. Idq; commodissimè ac securitate maxima præstare semper Rationalis Medicus potest: Empiricus & Methodicus non peræquè.

CAPVT III.



Eq; tamẽ sic diducta intelligere oportet officia hęc, vt non eiusdem habenda esse vtraq; artificis censeamus, quoniã quidem ab ijsdẽ profecta initijs ars eadem, viamq; semper eandẽ, ac rationẽ pergere insistens, vnicũ perpetuò habeat, in quẽ veluti oculorũ aciẽ dirigat, sanitatis scopũ: cui sicuti ibi offensę iã succurrat, ita hîc illæsam tueatur, bonũq; hoc ita corporis summũ omni semper ratione custodiendũ sibi esse proponat, bonũ inquã melioris semper notæ habitũ, quod tã sui ipsius, quàm insequentiũ necessariò cõmodorũ ratione expetendũ nobis semꝑ sit, præsensq; amplexemur, & defensum velimus: absentis aũt ingenti semper desiderio teneamur, ac deperditũ libẽter recuperemus. Hocq; rationalis tamẽ inprimis Medicus facilè pręstiterit, vt idem semꝑ, ac nullatenus diuersus vtrũq; obeat. Qui rerũ quascunq; tandẽ tractet, omnium quoad eius fieri potest, naturã inspectã, causarumq; hoc pacto inuestigator factus, versare se in quamcũq; tandẽ velit partẽ, ac occurrentibus rebus quibuscunq;, quippe quas tãquam de facie sua agnoscat, artis facilè suæ accõmodare rationẽ possit. nã siue propositũ semper habeat medicus finẽ suũ, quẽ sequatur, sanitatẽ nimirum ipsam, siue Medicinã statuamus scientiã esse salubriũ, insalubriũ, & neutrorũ: idẽ semper artifex, qui quidem ratione nitatur, inspectã finis sui, rerũq; ad finẽ ꝑtinentiũ omniũ, naturã, causasq; horũ tenens eãdẽ perpetuo viã, cùm quæ finẽ suũ seruant, custodire, tũ verò, quæ destruunt, euitare poterit: ac si salubrium meminerit se esse artificẽ, profectò vel ex professo causas quoq; salubres vniuersas nõ nesciat necessum est, nõ facientes minùs quàm cõseruantes, quàm etiã corrigẽtes, reficiẽtes, præcauẽtes, & huiusmodi, ꝓpterea quòd, qui cũ ratione aliquid scit, eundẽ hunc eadẽ ratione similia dissimilia eiusdẽ generis omnia, ac quicquid tandem, quocunq; tẽpore occurrat, facilè cognosse verisimile fit: sicuti (diuerso quãuis in exẽplo) reip. gerẽdæ alicuius authores, eos tantũmodo qui ratione niterẽtur, rerumq; à se tractandarũ naturã diligenter inspectã tenerẽt, feliciter demũ resp. suas temporibus omnib. administrâsse scimus, pacisq; ęquè ac belli artib. claros, vtriusq; tẽporis cõditionis diligẽter munia expleuisse. At idẽ facilè sperare ab Empirico aut Methodico aliquo nõ licebit. Quorũ vterq; res tantũ eas, quibus alter cõmunitates suas illas, alter experientiã adhibet, sciat: si quid aũt sese noui rebus insinuet, ad nouitatem statim caliget, nec nisi nouas ille cõmunitates ad rem

afferat, nouaq; is experiatur, promoturus neuter quicquã sit, præsertim verò empiricus, q singillatim trahere cũcta ad experiẽtiã nititur, quorundãq; sæpenumerò morborũ curationẽ de artis suæ, quã ꝓfitetur, conditione nõ iniuria tenere se arbitratur, ignoratis intereà omnibus alijs, ocularius, verbi gratia, medicus aliquis: aut à parte corporis aliqua actionisve quã gerit, materieve qua vtitur diuersitate, nomen sumẽs, (cuiusmodi nõnullos appellamus auricularios, qui curandarũ auriũ ratione calleãt: chirurgũ, à manuũ functione: medicamẽtariũ, ab horũ ipsorũ medicamentorũ vsu) esse seorsum, separatimq; horũ vnusquisq; apud empiricos probè instructus in parte sua illa, quam tractat, particulari potest, optimus vt inter hos quidẽ ocularius medicus aliquis sit, & habeatur, qui hoc vnũ, nihil prætereà aliorũ sciat: vulnerarius ipse medicus (quẽ sic, ab affectu, quẽ tractat, vocamus) siquidẽ vsu tantùm edoctus, atq; experientiã sequutus id faciat, hoc vno rectè cõtentus, nihil aliorũ sataget: Ratione aũt quicũq; partẽ hanc assequutus fuerit, vt exercere rectè possit, idẽ sanè is reliqua quoq; medicinæ, eodẽ his adhibito modulo, tractabit, nimirũ rationẽ rebus suis agẽdis qui adhibet. idẽ haud sanè facilè præstare hoc poterit, si ex parte solũ rei, circa quã actionẽ suã molitur, naturã, non aũt vniuersam ratione inuestigatã, ratione quæsitã obtineat. insinuat enim sese ratio in hæc, huiusque beneficio qui vlcera cum ratione curat, idẽ, quoniã hoc ipsum nisi ꝓspecta, cognitaq; corporũ natura assequi rectè nõ valet, facilè rationẽ eandẽ illã corporeæq; naturæ totius nostræ cognitionẽ transferre ad alia omnia, quæcũq; tandẽ accidere his possint, aut soleant, facilè poterit: quod empiricus exhibere de suo, vt dixi, nõ valeat, vt qui de artis suæ modulo, seorsum ab alijs, morborum solũ hũc, illũmve ꝑfectè tractet, absq; quod reliquorum quicquã sciat, ac tãto sanè magis idem, Empiricus dico, curatricem partẽ quæ paulo magis aliò ferri videtur, quàm quæ sanitati tuẽdæ dicata est, adipisci se posse sperabit, atq; alterã hãc interim nescire se fatebitur, nã Methodicus, ad speciẽ quidẽ apparere rationalis, diuersisq; ꝓptereà rebus cõmunia sua adaptare queat, verũ idẽ is, quoniã rationis tantùm idolum quoddã sequitur, falsaq; semper ea vtitur, ne applicare quidẽ rectè vnq̃ cõmunitates suas nimiùm fusas illas, aut diuersis inter se quadãtenus morborũ generib⁹ poterit, aut cõmodè satis eodẽ, siquidẽ insistere ꝓfessionis suæ vestigijs velit, ambas incluserit medicæ artis suæ partes, eã dico quæ ægros curat: &, quæ sanos cõseruat. Vni igitur, ratione semꝑ vera nitẽtes medici (qui quidẽ rationaliũ nomine meritò ideo insigniendi sint, elegãtesq; ꝓptereà ab Aristotele appellentur, & à Platone alterũ medicorũ genus statuãtur, reddẽdæ semꝑ rerũ rationi idoneum, celebreq;, ac clarũ, quòd verã semper hãc nõ distorta sequãtur) soli demũ, dico, esse videbũtur ij, qui inuestigatis ita rerũ, quas versant, causis, earũq; vt dicebã, natura perspecta, rectoq; ad hæc vsi rationis instrumẽto, nõ immeritò cùm cõmensuratũ quod rectè visum fuerit seruare, tũ vna eademq; ratione, distortũ, & in deteriora ꝓlapsum, in viã reuocare, suæq; illud naturæ, quæ ꝓspecta illis sit, restituere, cæteris omnibus alijs meliùs, posse videbũtur. Quis verò Empiricus quæso, aut Methodicus, quoties noua se nobis morborũ facies aliqua, nõ antea visa, ostenderit, poterit aut nouerit, modò intra suos se professionis suæ limites cõtineat, de artis suæ supellectili quicq̃ cõmodè satis rerũ nouitati illi adaptare? non aũt temere inuenias artẽ, in qua, q̃ in Medicina, ꝓpter fluxã admodũ atq; instabilẽ corporum, quæ tractat, materiã, nã cæterarum propè stabilia, constitutaq; magis subiecta sunt, tã variare sæpe contingat. Ad seculorum, ætatũ, locorũ, regionũ, situũ, syderũ, aëris, & quid nõ quæso huiusmodi, diuersitatẽ immutãtur corpora: nouiq; propemodũ interdũ emergunt morbi, sæpissimè aũt diuersissimorũ inter se morborũ inusitatæ quædam mixturæ derepentè existunt, quas veluti de facie agnoscere neutiquàm alius quàm Dogmaticus Rationalisq; Medicus rectè quidẽ poterit, quẽ, quoniã exploratã compertãq; habet rerũ omniũ quas tractat naturã, ratione iã antea inuestigatã, nihil sanè horum latere queat. Atq; hoc demum vnũ est, quod Architectonicẽ Medicinã illã facit, atq; adeo erigit, minimè operariã aut manuprecio, alicui addictam. Quin operarũ potiùs sub se omnium Imperatricẽ, gubernatricẽque, propè dixerim nõ inter factiuas, quæ ποιητικαὶ sint, reponẽdam, sed ex actiuis, quæ πρακτικαὶ, habendam, primasq; eas inter numerandã, in quo quidem Architectoriam quoq; ipsam ex parte superat, aliarum artium multarum, in quibus quanuis operi tantùm præsit faciendo Architectus, nullisq; is se operibus immisceat, at operas habet semper, vt ita dicam, manuarias, vnde manuum laborioso quodam opere, ac propè defatigatione, opus tandem existat aliquod materiale, quod tractari cerniq; possit. Sic ædificator domum ad architecti iussa, nauicularius nauim fabricauerit, statuarius statuam: at nostra hæc operis vtetur, quæ, non quidem prorsus sine corpore, sed maiore tamẽ semper mentis acie opus effectum suum reddant, propè, si cum alijs multis conferatur, immateriale. Etenim queãdmodum Dux, victoriam: ciuilis, iustitiam: sic Medicus sanita-

ſanitatem ſibi faciendam proponit, multarum quidem ſæpe operarū, at non mechanicarum tamen, neq; magnoperè materijs vllis addictarum adhæreſcentiúmve, ſed quaſi alijs demandantium, atq; internunciarum potiùs vſu. Nos igitur quoq; quoniam viam hanc iam diu ingreſſi profitemur, rectiſſimam omniū eſſe perſuaſi, non diducamus ſanè, ipſi naturæ inſpectores facti, quæ natura minimè diſiuncta inuicem eſſe voluit, corporisq́ue bonum maximum, quod ſanitas eſt, vnum propoſitum nobis ſemper habeamus, quod ijdem nos, eodemq́; ſemper vſi artificio, aut vitiatum emendemus, aut illæſum, quantum nobis per artem hanc liceat, conſeruemus: Non aūt ſanitatis nobis (quoniā hanc nūc potiſſimū deſumpſimus partē, quam tractemus) tutelā ꝓponamus culpatæ, ſed exactæ perfectæq́; illius primò, quantum poſſumus, quam ipſam, & actionū ſemper itidē inculpata facultas ſequatur, nec natiuæ cuiuſdā pulchritudinis decor abſit, quumq́; ſummum hoc nobis propoſuerimus, quò tendamus, tum aut perueniemus eò, ſi licuerit, aut ſi paulo deteriore quadam conditione ſubſiſtendum inferiùs fuerit, omnium tamen habebitur interim à nobis ratio, duntaxat eorum, qui ſanitatis etiamnum lato quodam campo continentur, quos nihil euidentiùs, quàm euidens actionum conſuetarum læſio, interſtinguat, manifeſtum morboſorum iam corporum indicium.

Perpaucorum ſcriptura iuuari hactenus potuiſſe, qui cuſtodiendæ ſanitatis præcepta tradenda aggrediatur, propè depoſita, neglecta certè plurimùm, & contempta à ſcriptoribus.

CAPVT IIII.

SCripsêre de hac aliqui quidem ſeculis omnibus, veruntamen ſi cū alterius partis ſcriptoribus conferantur, perquàm futuri pauci ſint ad hoſce, ij qui ſanitatis nobis hactenus conſeruandæ præcepta tradidêre, propè vt altera illa ingenijs omnibus, omniumq́; ſemper literis exculta maximè nituerit, ſicuti altera hæc neglectui interdū ꝓpè habita, ac ferè depoſita videri quādoq; alicui poſſit, peſſimo quidē exēplo, ſed iā alijs quoq; plerūq; in rebus vſitato, ſic ſæpe humana imbecillitate ad malū procliui, vti, quēadmodū armorū potiùs tractandorū ſæpe, quàm quietis eſſe magiſtri malumus, belliq́; ꝙ pacis artes libentiùs ſequimur: ſic non inuiti plerūq; aduerſus morbos remediorū multitudine tanꝙ armorū noſtrorū vſu quodam pugnamus, potiùs quàm iucūdiſſimā ſanitatis quietē, quaſi altiſſimā pacē, facientes nos quidē etiā tum aliquid, at paucioribus tamē ſemper ad hoc inſtrumentis vſi, tueamur, quum tamen in altero, ſicut ſæpe iam dictum eſt, plus ſemper cùm dignitatis, tum verò etiam vſus repoſitum ſit. Neq; tamen intereà non & (ſi quis iſta ſequatur) materiæ ſatis habiturus ſit, quæ benè tractata ſplendeſcat, & nō pauciora, quàm altera, nacta ſit, in quibus exercere ſe queat ſanitati tuēdæ præfectus, corpora. Etenim dēptis inſalubribus, vt nūc quæ vocamus, iamq́; ægrotant, reliqua ſubiecta huic ſunt omnia, neutra, ſana, duplicisq́;, quæ reſtabāt, ſignificati inſalubria, vt & ſimpliciter, plurimumq́; ſana conſeruet, & inſalubria, atq; ab exacta illa temperie lapſa, ſed quorū nondum tamē euidenter præterq́; naturam ſuā læſa actio appareat, ad tēperamentum melius reuocet, quum liceat, fouendæ ſenectuti præſit, quæ Gerocomice eſt, ac morbo ſeſe reficientes iuuet, atq; etiam ne in hoſce incurrant, præcaueat: tum verò multa præterea alia tractanda ſibi ſumere iure meritoq́ue poſſit, ſcitu lectuq́ue non iniucunda.

Artificis, artisq́; ſanitati retinendæ dicatæ, nomina.

CAPVT V.



ARtificem huiuſmodi, Hygijnum & Phylacticū ſanè appellare poſſumus, vt cui ſanitatis tuendæ demandata prouincia ſit, ſed cū cura, & diligentia quadā. Eſt enim, Phylacticus, ſi veteres ac receptos, qui propriè voce hac vſi ſunt, authores cōſulimus, qui prouidè, cauteq́; & circūſpectè agit, quaſiq́ue excubias agēs, & in ſtatione quadā manēs, lōgè lateq́; ꝓſpicit, ne quid per dolū & inſidias fiat: cuiuſmodi inprimis quoq; eſſe deceat, legitimū ſanitatis cuſtodē, obſeruatorē nimirum rerū, quæcunq; corpora noſtra immutare poſſūt, maximū, cū ſuſpicione ſemper, ne quid eorum improuiſum corporibus nocumētū adferat: Latinè fortaſſe reddere nō poſſumus, tā quidē ſignificanter, niſi circunſpectū cuſtodē, vel diligentē, cautumq́; ſanitatis conſeruatorem vocemus. ſit igitur Phylacticus is, arsq́; eius phylactice, ac præcepta artis phylactica, eadē tamen, & quidē vſitatiùs iā Hygijna nomines, & artificē hygijnum, ſicuti artis partē hanc ὑγιεινὸν μέρος, quibus Eraſiſtratus primùm vſus fuerit nominibus, vt ars artifexq́; is ὑγιεινοῦ voce ſignificarentur, quod quanquam partis vniuerſæ membrū quoddam ſit, vt quum partis ſanitati tuendæ dicatæ, quæ phylactice, & hygijne ſit, aliud eſſe dicimus ἀναληπτικόν, aliud ὑγιεινόν, εὐεκτικὸν aliud, rurſusq́; aliud προφυλακτικόν, vſur-

pare nihilominùs nomen sibi interim possit, quo tota pars hæc significetur, quo ꝓpè modo vniuersam artem medicã ἰατρικὴν nominantes, rursus duas illius partes quũ facimus, alteram illud ipsum esse dicimus hygijnum, quo sanitatẽ conseruemus: alterã ἰατρικὸν, quo amissam recuperemus, parte ita tantũmodo vniuersæ artis nomine significata, neq; tamen illud pro imperio à nobis accipiatur hoc loco velim, vt omnino cogamur res ita nominibus his indicare, quas dixi, quandoquidẽ (modò de rerũ inter se diuersitate constet) quo cuique res quasq; libeat nomine appellásse licitũ semper id fuerit. Veruntamen vt hoc vnicuiq; liceat, illud de rebus his scribenti magis adhuc licere arbitramur, veteribus, atq; vsitatis, receptisq́; ad hæc iã nominibus vti, præsertim si qua rem ipsam significanter magis notare videri possint, vt φυλακτικὸν illud, vt ὑγιεινόν. Nam quòd γυμναστικὸν id quãdoque à Platone nuncupetur, quanuis cùm, quòd proprium id ac peculiare sanis sit, tũ verò quòd maximo peritoq; rectorę, qui rectè peragendæ exercitationi præsit, indigeat, ita partem Medicinæ eã ex hac particula totã vocásse videri possit Plato: longè tamen verisimilius fuerit, quũ nullam is interdũ, interdũ verò obscurã quandã victus rationis, qua potissimùm hygijnũ nitatur, rationẽ ducendã esse existimârit, tanquam vno hoc, nempe exercendi rectè se modo, tota sanitas contineretur, appellatã fuisse ab Authore hoc alterã hanc Medicinę partẽ, Gymnasticen, quã tamen rectã semper intelligamus, non aũt illaudatã illã, totiesq; iam omnisi rectè sentientiũ consensu explosam, Athletarũ. Nos igitur, hoc quidem tempore, quoniã partem tantummodo esse quandã artis sanitatis tutricis, eam quæ exercitationẽ tractet, probatum receptumq́; iam esse credimus, sanè cùm significantiùs, tum vsitatiùs, tum etiam cõmuniùs ὑγιεινὴν vocemus medicinæ partẽ, qua corpora pręter ea, quæ manifesta actionũ suarũ offensione ægrotant, in vniuersum omnia contineantur, benè habita quæ sint, καθ' ἕξιν, κατὰ σχέσιν item quæ habeant, atq; ita in medio alioqui sita neutrarum esse partium videantur, suaq; interim tantũ occupans ars hæc, quæ ex morbo reficiũtur, quæq; iam iam lapsura in morbum, nisi caueatur, sint corpora, tractanda sibi sumet: tum verò de aquis, de locis, de aere, differet, alimentorũ maximã sibi habendã semper rationem esse ducet. Verũ nulla fuerit de nominibus altercatio, si ita apud nos statuamus, artem esse humani corporis quæ curam habeat. Hanc, si placet, ἰατρικὴν Græci vocent, nos Medicinã: cuius duæ potissimùm sint partes, altera quæ summum corporis bonum sanitatem præsentem tueatur: altera quæ amissam eam reuocet. Hanc siue φυλακτικὴν Gręci, siue γυμναστικὴν, siue meliùs ὑγιεινὴν, siue quocunque tandem nomine libet, vocent, modò res constet, nos salubrem, aut salutarem vocabimus: illam artis totius de nomine ἰατρικὴν Græci, nos curatricem, ab actione quam præstat, sicuti φυλακτικὴν tutatricem ex argumẽto, eodemq́; modo eandem hanc ὑγιεινὴν, nimirum salubrem, salutarémve, à materia corporibusq́; circa quę versatur, morbosam alteram eadem hac de causa, qua in præsens omissa, reliquam tractandam sumamus, partiamurq́; illam, verùm si priùs ita diffinierimus.

Salutaris artis diffinitio, partiumq́; diuisio, & nomina.

CAPVT VI.

HYgijne, ars est medica, sanitatis humanæ cũ ratione conseruatrix: vel, ars vitiorum, in corpore humano sensim, minutimque factorum, resartrix. Nobis enim bestiarum, aliúsve rei vllius, sanitas tuenda commissa non est, & quam humanam tuemur, ratione semper tuendam habemus, recta, nõ falsa, vt Methodici: aut vsu tantùm quodam, vt Empirici: assequimur autem hoc ipsum, fluores, noxasq́;, quæcunq; corporibus necessariò occurrunt, omnes, antequàm manifestum detrimentum fiat, cohibendo, simulq́; vsui nobis, inter hæc, futura administrando, sensimq́; id semper, ac paulatim (quoniam parua, minutaq; noxa minutim itidem, atq; etiam minutatim, paulatim scilicet refici postulet) faciendo. Intelligimus autem minutias hasce non vt puncto contineantur, sed quas, insigni ac manifesta actionum læsione ab affectu morboso circunscriptas, alibi maiores, minores alibi animaduertamus. Vnde statim artis huiusce partium diuersitas exoritur. Etenim qui primùm ex morbo se reficiunt veluti in confinio positi quum ambigant, quoniam sicuti & ij, qui ne statim ægrotent, periclitantur, vt imbecilliores iam sint, læsa tamen euidenter eorum actio non est, hisce à morbis ideo segregatis refectrix quædam præcautrixque pars assignatur, quæ per maiora agitur, quàm quæ magis intra sanitatis campum constitutis, debetur, quorum καθ' ἕξιν, sicuti superiorum κατὰ σχέσιν, sanitas est, qua qui minùs culpata fruuntur, καθ' ἕξιν dico qui obtinent, hoc est, habitudine quadam iam firmatam sanitatem qui possident, quum minùs propterea occurrentibus causis obnoxij sint, sic minoribus adhuc semper particulis additio in his, & detractio fit, omnium autem

id mini-

id minimùm vſu veniet in corporibus benè habita quę ſint, εὐεκτικὰ vocam⁹, vt multis magniſq; horum ipſorũ ſtatũ cõſeruare neceſſe habeamus. Atque ita potiſſimæ numerabuntur artis huiuſce Hygijnes, ſiue ſalubris, partes ἀναληπτικὴ, ſiue refectrix: προφυλακτικὴ, ſiue pręcautrix: ὑγιεινὴ, ſiue ſalubris: de nomine quidē totius dicta, illius tamen pars quum ſit, qua ſanitatem ex habitu, latiſſimis quibuſdā limitib⁹ cõtentā, cuſtodimus: & ad vltimum εὐεκτικὴ, bonæ ſcilicet iam corporis noſtri conſtitutioni, atque habitudini dicata. Quam planè alijs omnibus magis ſequi rerũ diſtinctionē præſtat, cùm ꝙ quum artem verſemus nunc ex facientibus quæ ſit, probanda ideo nobis magis quoque fuerit rerum diuerſitas ea ab actionum ipſarũ diuerſitate deducta, tum verò quia ad hanc propè normā, ſubiecta, in quę nos exerceamus, materia, nēpe corpora ipſa non minùs diſtincta nobis ita repręſententur, benè habita, ſana, & neutra, quæ καθ' ἕξιν, quę κατὰ σχέσιν, hoc eſt, quæ firma, quæ infirma ſanitate prædita ſunt, melioréve huius, aut deteriore conditione vtũtur. Nam quæ de remediorum materia trahitur diuiſio, quo minùs artificij ipſius naturā attingunt illa, eo ſanè minùs quoq; potiori, quæ tradi initio debeat, reiquе eſſentiā diſtinguat, diuiſioni accõmodanda fuerit: poſteriùs aũt ſumi eadē non incommodè queat, vt exiſtimemus, dicamuſque, actiones eas conſeruandæ diuerſimodè ſanitatis aſſequi nos nõ poſſe, niſi aut ijs, quę aſſumuntur, aut quæ fiunt, aut quæ euacuãtur, aut quæ extrinſecus occurrũt, vtamur, de quibus omnibus poſteriùs.

Præter inſalubria vt nunc, hoc eſt, ægrota iam corpora, quibus altera Medicinæ pars debetur, Curatrix, plurimùm quoq; & ſemper inſalubria excipi videri poſſe, quibus ſalutaris artis adminiculum non niſi ægrè abhibeatur.

CAPVT VII.

NVnc corporum diductionē faciemus, quæ ſub artem hanc cadũt, ac ſingula ſingulis partibus accommodabimus ſuis quæq;, id cõuenienter fiet, ſi priùs exemerimus, quæ alterius partis habentur: ea ſunt inſalubria vt nũc, vocata, hoc eſt, ipſa quæ in præſentia ægrotant corpora: nam reliqua omnia ſalubris artis præceptis, ac legibus parere docebimus, ſana, neutra, & inſalubria, quæ quidem ſimpliciter ita dicantur, atq; etiam vt plurimùm, modò, quo tractantur tempore, ægra non ſint, hoc eſt, modò actionibus conſuetis ſibi ſolitiſq;, euidenter offenſa non appareant. Quanquam ſi rectè conſideremus, & hæc ipſa, quæ inſalubria ita appellantur, corpora, ſimpliciter nimirum & vt plurimùm, in totum propè eximi arti huiuſmodi ſalubri debere videātur. quum enim ea eſſe ſtatuamus hæc, quæ partim ab ortu ipſo ſimplices ac primas partes vel omnes, vel quaſdam, vel maximè principales omnium, intemperatiſſimas ſortita fuerint, aut etiā eodem modo inſtrumentarijs partibus omnibus, aliquibúsve, aut maximè principalibus, prędita incommenſuratiſſimis ſint, ſiquidē ſemper talia habeātur, aut ſi à tāta quidē illa malitia recedant, vt perpetuò eiuſmodi non ſint, ſed plurimùm tantùm, necdum tamen medium occupent in deterius extremũ procliuia, veriſimillimum ſit, eiuſmodi cõditionis corpora, aut ſtatim orta occaſura, aut nõ multum certè temporis aduerſus tot vndiq; occurſantes neceſſariò rerũ multarũ iniurias duratura, quin interempta quamprimùm cõcidant, neq; tamen, ſi qua tādem ſubſiſtere temporis intercapedine ſua illa inſalubri prorſus ſalubritate incolumia queant, profici quicquā interim in illis ſalubris artis præceptorum vſu poſſit, quippè quæ tam non procul à veriſſimi morbi ipſius cõditione conſtituta, huius ipſius legibus tractari propemodùm poſtulent, nempe hactenus tātùm ſalubria, cętera morboſiſſima quum ſint, ꝙ quãuis à natura intemperiem, atq; incommenſurationem maximam nacta ſint, verè tamen ægrotare nunquàm dicantur, nimirum natiuum ſibi quãtunuis inſigne, at natiuum tamen vitium obtinentia: quandoquidem, niſi præter naturam omnino, cui accidit, id contingat, morbus eſſe diuq;, res vnquam omnino nulla queat. Nam ne ſenes quidem ipſos rectè interpretãdo ægrotare dicemus, quos nihilominùs tā eſſe plerũq; imbecillibus functionibus videmus, vt in alijs idipſum ſi contingeret, pro morboſo affectu haberi iure, meritoq; poſſet: verùm quoniam naturale omnibus hiſce hoc eſſe animaduertimus, vt, quanuis maximè culpata, ſua tamen ſibique propria ac qualicunque tandem ſenili illa ſanitate fruantur, ſic hos nõ omnino extra latiſſimos ſanitatis cãpos eliminamus, quos intra tamē ea conditione contineantur, vt propiùs morbum cenſendi ſemper ſint, quàm corpora, cuiuſcunq; tādem ſortis neutra, quæ in medio ſanorum ſimpliciter, atq; vt nũc inſalubriũ corporũ ſita cõſtituuntur, his aũt (inſalubria intelligo ſimpliciter dicta) proximis ſemper lapſus ſit, ac perquā facilis, præterita etiā neutralitate, in ægritudinem: neque enim neceſſarium eſſe exiſtimo, vt quiſque corripiendus morbo fuerit, ſic eum neutrius priùs affectus conditionē ſubire ſemper oportere. Corpora nanq; ſalubria, ſanaq; ſimpliciter & vt nũc, ſic vocata, (horum verò omnium cogniti-

onem, quę qualiaq; sint, manifestam legentibus esse debere hoc loco pono, mox apertiùs explicaturus) valde verisimile sit, quoties incursura morbos fuerint, vt priꝰ quodammodò offensionē aliquā, tædiumq; ac displicentiā sentiāt, & veluti morbis ipsis priùs, q̄ verè affecta dici possint, tentētur, quasiq; δυσχερεσοῦντα fiant: at insalubria prioris significati duo, quæ videlicet semper eiusmodi, aut certè plurimùm habentur, non fuerit necesse: proximè enim hæc insalubribus vt nunc, hoc est, ægrotantibus iam, sita, ac tanquam in cōfinio posita, non facilè aliā nisi morbi ipsius sedē habēt, quò in deterius acta transiliant, ac si quid tandē morbis corripienda, neutrius status illius necessariò experientur, perquam id exigui tēporis fuerit, notisq; suis obscurū valde, occultatumq;. Hæc sunt corpora aut citò post ortū occumbentiū, aut nō diu necessariò vitā ducētium, perquam aūt rarenter ad iustā senectutē peruenientiū, perpetuò aūt valetudinariorū, aut querulorū, quęq; etiā diuturno aliquo affectu correpta, vitā miserè trahāt, ἀκροσφαλῆ ꝓrsus in morbos, & ne ab Aesculapio quidē ipso ad sanitatē iustā deducēda, aut diutiùs in vita cōseruāda, Platoni quoq; ipsi aliquando nō ignorata, Herodici exēplo pædotribæ, qui corpus nactus insalubre, ac valetudine semper tentata, negotiū sibi perpetuò in tota vita exhibuerit ipse, quū nec morbū, qui necessariò illū ad mortem vsq; comitaretur propellere à se posset, & medicinā sibi ipsi per totū vitæ decursum faciens, miserrimè ita affectus viueret, imò μακρὸν τὸν θάνατον αὐτῷ ποιήσας, inqt Plato, & ἀποκναιόμενος & δυσθανατῶν, hoc est, in cruciatu assiduo viuēs degeret: ac Plato quidē nimis hac in re ꝓgressus, ꝓpositoq; suo instituēdæ cœlestis cuiusdā reip. seruiens, multos arti medicę subtrahit, quos nos curandos susciperemus. at verè δυσθανατοῦντας, omiumq; pessimè à natura affectos, plurimùm scilicet, aut semper insalubres, ne Galenus quidē ipse admisisse videri possit, quos in partē aliquā salubris artis reciperet. Nam, quū sanitati tuēdæ dicatæ artis commoditates enumeraret: Quomodò, inquit, magna atq; admiranda non habeātur artis huiusce opera illa, senescentes, ad multū temporis sensibus suis illęsos, ac perpetuò incolumes, à morbo, à dolore liberos, integrosque seruâsse? εἴγε μὴν, ait, μὴ παντάπασιν ἐξ ἀρχῆς νοσώδης εἴη τετυχηκὼς σῶμα. i. nisi verò qs morbosū omino, & insalubre ab initio nactus fuerit corpus, tanq̄ in quo expectare vsus artis huiusce tantos haud liceat, ideoq; ne tentandū quidē quicquam in eo sit. Et paulo pòst de his loquens, qui spōte sua sese, ac culpa, artisq; salubris contemptu, ac neglectu, in perpetuos coniecerūt cruciatus aliquos: ἄμεινον γὰρ ὅστις μὴ παντάπασιν εἴη μαλακὸς ἑλέσθαι δὴ μυριάκις τεθνάναι, πρὶν τιοῦτον ὑπομεῖναι βίον. i. satius enim foret, nisi quis effœminato prorsus animo sit, infinities mortem experiri, q̄ vitam huiuscemodi ferre. Quibus planè verbis docemur, cùm insalubria prorsus corpora, hoc est, νοσώδη natura, q̄ nulla alia sint, quàm insalubria semper, aut plurimùm, quę dicimus, salubris artis præceptis nō valde cōtineri: tū verò, quosdā esse tam malè affecta valetudine, vt meritò, quoniā nullū iā omnino ab arte vlla ꝓstari his auxiliū possit, præoptāda his mors ipsa sit. Est igitur reperire huiusmodi corpora, quibus non tam quidem, quàm melioris conditionis alijs, neutris s. omibus simpliciterq;, ac nunc sanis, scripta salubris ars ipsa videri possit, non secus ac curatrix Medicinæ pars faciat, quæ, quum ægrotorū genus ome cognitū, perspectūq; habeat, illud tamē inprimis considerandū sibi esse ꝓponat, in quibusnā ex his finem suū inuehendæ sanitatis assequi valeat: ne, si absq; vllo discrimine omnes sibi ęquè curādos sumat, deinde quū multi sint, vbi introduci omnino sanitas nequeat, rerū successu destituta, aut ignorantiæ, aut malitię crimine cōuicta damnetur: sic nostra hæc, quā nunc tractamus, præter insalubria vt nunc, reliqua sub se habet, quorū saltē cognitionē omium teneat, corpora, interim tamē secū prudēs deputabit semper, quorū rectè moliri tutelā, aut secus, possit: quūq; nonnullorū tam esse insigne, ingenitumq; atq; innatū prorsus vitium secū ipsa cōsiderauerit, nulla vt omnino arte euelli emēdarive valeat, denegatā his ipsis operā alijs impartietur omnibus, in quibus rectè, atq; artificiosè officiū suū exercere se posse confidat. Itaq; amplum quendā sanitatis totius campum circunscriptum nobis statuemus, extra quē corporibus tātummodo, morbo iam aliquo correptis, repositis, reliqua eo concludamus omnia, si nihilominùs, vt in cōfinio posita hæc non magno interstitio discriminetur corpora insalubria quęcūq; semper, plurimū, vt nūc, nihilq; inter prio re duo, postremumq; hoc tertiū, q̄ actionū læsio præternaturalis quędā, interfit aliud. Quas enim functiones insigniter, si cū alijs cōferantur, læsas obtinēt priora duo illa, à natura tātùm læsas offensasq; obtinēt, tertium aūt omnino præter naturā suam, mirum vt prorsus non iniuria videri debeat, quosdā eadem fecisse corpora salubria vt nunc, cum simpliciter insalubribus, tā longo inter se interuallo dissita, vt quorum in medio (sicuti paulo pòst docebimus) corpora neutra omnia statuātur, alios autem posteriora hæc exclusisse, quasi nulla forēt: quum & manifestò subesse visantur, &intereà notas habeant, quibus à salubribus vt nunc distinguantur, euidentes satis.

Distri-

Distributio corporũ subiecta arti huic materiæ omniũ: saluberrimi illius primùm, quod simpliciter sanum dicitur, tum plurimùm, & nunc sani, neutrorum, & duplicis significati insalubrium.

CAPVT VIII.



Vę vt manifestiùs patefiãt omnia, locemus primò in summo sanitatis vniuersæ campo, tanquam in arce, simpliciter, semperq; sanum corpus, id erit partibus omnibus sui similaribus, dissimilaribus ad amussim factum, cõpositumq;, vt nec in his ad intemperiem vllã vergat, & in illis, non tam partium suarum (quibus dissimilares cõstant) numeris omnibus absolutum reperiatur, quàm etiam magnitudine earundem iusta cõstet positumq;, ac conformationẽ côuenietissimam retineat, propè Polycletee statuæ illius instar, quam artifex ille sic ad archetypum cõmensurationis mathematicæ effinxisse dicitur, vt seruata partiũ ꝓportione omni, membrorumq; inter se libratione, per omnia, ęqua, ne Momo quidem ipsi repręhendẽdi ansam reliquerit, extrinsecus tantùm tamen videlicet hoc adhibens, quod naturam videmus intrinsecus, penitissimeq; moliri, vt nõ solùm iustã vel minimarum particularum omnium (quas instrumentarias appellamus) structurã, compositionemque in omnibus seruet: verùm etiam sic se in simpliciores illas, similaresq; totam insinuet, vt nihil prorsus earum intactum relinquat, quod non temperatura æqua sibi conuenientiq; constet. Hoc corpus tam iusto præditũ temperamẽto, sicq; (veluti ad libellam) partium suarum, inter se, omnium exactũ, omni vt ex parte inuicem sibi illæ, cõmensuq; respondere iustissimo sicuti videantur, ita etiã reipsa veraq; respõdeant: rarò aut (meliùs dixerim) nũquam inuenias: repertumq; fortè semel, ratione tamen colligis manifesta perstare id in suo statu (quin aduersantium rerum tot occursu de eo quãprimùm decidat) haud diutiùs posse. Decet autẽ nos, qui quidem sensus inprimis vi nitamur, optimã status huiusmodi cõditionem ad sensum quoq; non autem ad rationẽ solùm exigere, optimumq; existimare, qui optimis sensuũ nostrorum (quoscunq; adhibere ad rem hanc æstimanda solemus) iudicio, notis, signisq; repræsentetur, etiam si inita (si fortè metiri hoc possemus) partium ratione responsurum harmonicæ illi amussi non sit. Eodẽ exẽplo ratio dictat, cogitq; nos fateri, nulla omnino corpora, si nihil aliud, at perpetuis fluoribus obnoxia, rerum omniũ (exactè si intelligam⁹) occupare mediũ prorsus posse: aut si occupent, momẽto prorsus id temporis fieri, ac propè, quàm per transennã minùs, quum scilicet, præter alia omnia exacta exquisitaq; quę habere illa oporteat, ętatum etiam omnium in medio, siquidem eiusmodi esse debebunt, cõstituta fuerint, vbi summũ quendã vigorem, angustamq; huius ipsius ætatis veluti aciẽ perstringẽtia momẽto tãtùm tẽporis minimo minus iam in deterius abierint. At nos illa quærimus, quibus Salubris artis præcepta non frustra scribãtur, quæq; esse omnino aliqua oporteat, nec tam inuentu rara sint, nec quæ insectilem propè tantummodo quandã, ætatumq;, ac reliquarum rerum omnium mediam lineam exiguo admodum temporis spatio occupent, sed quæ cõtinuo vitæ totius suę decursu, ꝓprio, eoq; optimo, ętati vnicuiq;, temperamento, structura optima constare nobis videantur: vt & in lucẽ statim edita talia esse appareãt, & infantiam, & pueritiam, & adolescentiam, & iuuentutem, & cõsistentem ætatem, & senium primum, ingrauescẽsq;, atq; omniũ vltimum, optima omnia, quãtum quidem spectari à nobis, cognosciq; possint, nacta, aliorũ ceu regula quędam statuantur, iuuenum iuuenis, puerorum puer, idemq; in reliquis seruetur, vt æqualium semper suorum norma sint. atq; is optimus ac perpetuus quidã fuerit corporũ status sic à nobis visus, existimatusq;, longè intereà valere ijs dicto, qui rationes adferre conantur, aliter omnino, quàm nobis videatur, sese rem habere, multaq; esse, quę huiusmodi appareant: ac talia tamen re vera nõ sint, quasi perpetua passibilitate illa rebus medicis inuecta, quod nos quidem quoq; quum quadãtenus concesserimus, propositum tamẽ hoc prementes rem intereà nostram agemus arti nostræ huic tradendæ, exercendæq; vtiliter. Altera est cõditio eorũ, qui, paulùm prolapsi aut in similarib⁹, aut in instrumẽtarijs partib⁹, deflectunt ab hac, cuiusmodi videmus plurimos notas quasdã, nõ vsq; quaq; optimè affecti corpusculi, ꝑ se ferentes, atq; intereà tñ morbosis causis sæpissimè resistẽtes, quæ pro sanis, quę vt plurimùm talia sunt corpora, habebimus: sicuti pro sanis vt nunc, ea, quę quãuis tantũ bonitatis nondũ assequuta sint, fortiter nihilominùs munia sua semper obeunt, ac paulo tamẽ crebriùs morbificis causis succũbunt. Atq; hæc ferè sit sanorũ, siue salubriũ, (res enim eadẽ duobus his nominib⁹ significatur) meta: Quib⁹ ex aduersa parte posita locãtur insalubria, in extremo quidẽ, partis huiusce, vt nũc sic dicta, quorũ eo quidẽ tẽpore deterrima habeatur conditio, vtpotẽ morbo iam correptorũ, ab his mediũ versus insalubria semper locentur, quę maximè omniũ imbecilles functiones suas edãt, verùm naturali sibi, & ingenito vitio, (hoc enim distãt) tum

quæ

quę vtpote partibus omnibus, aut maximè principalib⁹ pessimè affecta, minimè omnium occurrentibus morborum causis cōtrà stent: si qua verò eiusmodi sunt, vt nec tātum innati vitij habeāt, & ideo paululum magis morborum superare causas valeant, vt plurimùm talia habenda ea fuerint. Et quoniā inter duo hæc extrema satis esse interstitij apparet, quorū alterū optimè, aut certè benè satis à natura cōstitutorū morbosisq; propterea causis validè, semperque aut plurimùm repugnantium erat: alterū è diuerso pessimè naturaliter affectum, creberrimeq;, ac minimas quasq; morborū causas non ferentiū, quæ tamen intra sanitatis etiamnum campum, quoniam quidē naturale hoc illis sit, contēta intelligantur, totū illud quicquid erit interualli occupabunt neutra quæ dicimus, cùm quæ vtriusq;, tū quę neutrius, tū verò quę modò huius, modò illius cōditionis aliquid participāt. Etenim, quū benè hęc, sicuti illa malè, à natura, ab ortuq; facta, compositaq; sint, idque in omnibus, aut principibus corporis totius partibus: quæcūq; sic affecta fuerint corpora, vt partium quasdā, maximè verò principaliū, benè à natura attemperatas, cōstructasq; obtineant, quasdā verò malè, aut id etiā in vna eademq; parte contingat, vt diuersimodè benè nimirum, maleq; varia, aut temperamenti, aut structuræ ratione, pars aliqua naturæ vtriusq; particeps sit, eā statim subibunt conditionem, vt neutra dici meritò possint, nempe vtriusq; iam sortis participia facta. Nā altero modo neutra dicentur quasi inficiando, q̄ neutrarum partium quum sint, alterutrius tamen fiant, & aut à sanitate lapsa sua in morbū abeūt, aut recessu ab hoc facto ad sanitatem redeunt. Quę duo neutrorū significata sic accipiēda sunt, vt eodē tēpore talia sint dicanturq;. Tertium enim quod reliquū est, temporis tantùm varietate distinguitur eorū, qui in iuuenta fortè, aut pueritia valetudinarij quū essent, insequentibus deinde ætatibus facti firmiores sunt, aut è diuerso, salubres priùs, posteà insalubribus adnumerari potuére, priorū scilicet significationū duob⁹, quod semper subintelligendum fuit, in his quę hactenus de neutrorū corporum conditionibus, dicta à nobis sunt: quum enim sanitatis latitudine cōtineantur hæc, eadē ratione ab insalubrib⁹ tertij significati excludantur necesse est. Atq; is demùm fuerit sanitatis vniuersę latissimus cāpus ille, quo salubria contineantur corpora triplicia, semper, plurimū, vt nūc: itemq; insalubria, sed duplicia tātùm, semper, & vt plurimū: rursusq; neutrorū triplex ratio, quarum si vnaquæque, sicuti salubris & insalubris, in semper talia, plurimùm, & vt nūc, diuidatur, nouem fiēt neutrorū corporū omniū conditiones, additisq; his salubriū tribus, insalubriū duobus, quatuordecim in totū erūt, contentorū sanitatis campo, corporū status, euidentibus inter se satis (vt docuimus) signis spatijsq; distincti: nec, vt aliqui existimâsse videntur, aut salubres vt nunc cum simpliciter insalubribus, aut hi cū insalubribus vt nunc, cōfundētur, quorum alteri sanitatis qua fruuntur, bonitate ac malitia insigni satis, vt docuimus: alteri manifesta actionū suarū læsione distincti cognoscātur. Nec quenquā hoc loc perterrefaciat, ꝙ insalubris vocē ita ad sanitatis significatum transferamus: insalubria nanq; priora duo illa, sic appellata, salubrium respectu: (quibuscum si conferantur, insalubria sint) eadem, ꝙ naturam suam nōdum egressa sanitate sua qualicūq; illa fruūtur, ad eum plane modum deputari inter sana queāt: quapropter ne moueamur vocibus, vt significata meliùs sequamur, & rerū essentias aucupemur feliciùs. Estq; hæc genericacorporū inter se diuisio per differētias, ęquè sibi vbiq; oppositas, diducta, Salubriū dico, neutrorum, & insalubrium. quorum licèt alibi plures, pauciores alibi generū species numerentur, (vt quum salubriū, neutrorumq; omniū, semperq;, & vt plurimū insalubriū benè numerabiles species quędā sint: insalubriū aūt vt nūc, hoc est, morbo iam correptorū, innumeræ propè habeantur) id nihil sanè retulerit. fit enim æquè ac in alijs, ita hîc quoq;: animalis nanq; bipedis nō alati vnica est species homo: quū intereà quadrupedis, aut pluripedis infinitæ propè recenseri queant, & alioqui sanitatis ipsi⁹, vt corporei boni, quod esse semper simplicius reperitur, cùm genera ipsa, tum horum ipsorū generum species pauciores esse nō iniuria debeant, q̄ ægritudinis, mali scilicet. Etenim rei cuiuscūq; animaduertimus bonitatem paucioribus semper, pluribus verò vitiū notari discriminibus solere, nimirum rerū, sicuti alterius natura sua quadā simplicis, ita alterius multiplicis.

Diuisio corporum alia, & partitio: tum officiorum distributio, parti vnicuiq; accommoda.

CAPVT IX.

VErùm quoniā hæc non tam fortasse anxiè, ac scrupulosè Medicis, q̄ Medicinę studiosis omnibus (qui φιλιατροὶ quidā sint) scribi dilucidiùs debēt: agè sanè superiorem rerū diuisionem, quę videri Herophyli subtilissimi illi⁹ possit, cuius de arteriarum pulsibus opus, nimiā propter sui subtilitatē (si Plinio credimus) desertū est, in aliam deducamus, rebus fortasse, quas nūc præ manibus tractandas habemus, accōmodam magis, ex Galeni tamen

men interim Thrasybulo petitā, tum qua functionum nostrarum, quas ex salubris artis huius præceptis præstare debemus, admoneamur. Etenim ratione nitens medicus ὑγιεινὸς salubris scilicet, nec cuiquam morbo iam correptorū curationi vacans, reliquos habebit omnes, quos aut in optimo, laudatissimoque statu suo conseruet, aut ab hoc ipso lapsos corrigat. hoc porrò multiplex est, sicuti illud simplex: nam vel ex toto principibusque maximè partibus omnibus plus minúsve: aut ex parte tātùm lapsos corriget, hocq; ipsum faciet multimodè, pro diuersa nimirum ac multimoda, corporum, quæ tractaturus sit, conditione. Et optimi quidē status homines qui εὐεκτούντων, hoc est bene habitorum quorundam est, optimè conseruatos tuebitur, paululum declinantes autem ab hoc, nempe non optima quidem illa, ac simpliciter tali, sed laudata tamen & καθ' ἕξιν quadam sanitate præditos, salubres plurimùm & vt nunc quos paulo antea dicebamus, partesq; vel omnes, vel principes maximè bonitatis eiusdem obtinētes, partim seruare eiusmodi poterit: partim, quum vacauerit, in melius emendare. Id autem maiore sibi semper cum diligentia efficiendum curabit, in his, qui salubritatem potiorē iam illam egressi, quum nondū ægrotare dici possint, (vtpote nondum actionibus sibi naturalibus manifestò oblæsi) culpata tamen inprimis sanitate quadam sunt. quorum alios, qui culpatissima ea sint, in toto aut cunctis certè principalibus partibus, siue eodem, siue diuerso quodam malitiæ inter se genere, prauè idq; insigniter affectos semper, fortasse ne aggrediendos quidem sibi putabit, vt ad metam illam rectam deducat, quoties perficere se id haud posse viderit, (qs enim vel Aesculapius tantum in contrarium à iusta sanitate discessum, vt nulla prorsus via reduci in viam possint, tamq; malè semper affectos, vt ad iustam senectutem nunquam perueniant, aut perpetuò morbosi, valetudinarijq; ac sontici quidam perueniant, corrigendos sibi sumat) itaq; hosce (quanquam bona eorum pars morte se plerunq; rebus omnibus subtrahūt) tanquam causarios milites, iamque exauthoratos minimeque, militiæ suæ sacramentis, adstrictos, missos faciet, homines culpatissima sanitate, ac maximè κατὰ σχέσιν, potissimùm videlicet, ac præter communem naturam affecta. nam senes, quanquam malè inprimis, at naturaliter tamen ita se habentes, ætatisq; tantummodo vitio laborātes, non reijciet gerocomice salubris artis pars: sic quidem reliquos etiam omnes assumet, quibus diligenter consulat, nimirum qui affectam & ipsi quidem, at nō vsque adeo culpatam, vitiosamq;, nullatenus fieri melior vt possit sanitatē obtinēt, aliosq; simul, qui neq; huius, neque illius partis, & in medio potiùs constituti quū sint, in morbum decidunt, aut ab eo se recolligūt: aut vtriusq; participes facti, bonas malasque immixtas, non, vt salubres & insalubres, bonas malásve per se, seorsum vtrique, in toto scilicet principalibúsve partibus vniuersis constitutiones retinent, aut, quod tertium erat neutri significatum, modò huius, modò illius, diuersis temporibus, conditionis fiunt, vt modò inter salubres, modò inter insalubres (sanitatis nihilominus latitudine contenti) numerari possint, idq; bifariam, vt aut in toto, aut ex parte aliqua tales sint, qui licèt (quo tempore in salubres sunt, dicunturq;) in toto aut principibus maximè partibus tales sint, qa tamen non, vt simpliciter insalubres semper plurimūve, eiusmodi existūt, meliore quoq;, quàm illi conditione habebuntur, vt propterea consuli his semper meliùs etiam possit, simillimè ac, si, quod ad animæ nostræ affectiones attinet, (vt exemplo aliquo res peragatur, notescet enim meliùs) Quoniam, sicuti Stoici animum sibi finxerūt perturbationibus omnibus imperuium, atq; impenetrabilem: sic nos corpus nō possumus impatibile, nisi adamātinum fecerimus, illos sumam⁹, qui vsq; adeo in philosophia profecerunt, animique compositionem in habitum induerūt, vt affectionibus, quantunuis multoties valideq; ingruētibus resistant, eorū quos εὐεκτοῦντας esse dicebamus, instar, & pro sanis simpliciter semperque corporib⁹ ducebamus, alios reperies, quosdam, qui si nō bonam illam, perfectamque, animi habitudinem, at habitudinē tamen retinent virtutum quandam, vtputa, ciuilium, quas vocant, his nostros assimilabimus salubres plurimū, & nunc, quoniam vtrorumq; habitudo est tantū quædā, non etiam bona habitudo, ἕξις nimirū, nō εὐεξία. Atq; vtriq; nō semper, sed plurimùm alij, alij nunc, quemadmodū illi affectionibus, ita nostri hi resistere morbis possūt. Ab his erūt, quos vocare μετρίους possimus, nempe mediocres quosdam, medioq; sese, hoc in negotio, gerētes modo, vt aut primùm per aliquod tempus, faciles ac prodiues ad subeundas animi affectiones fuerint: tū deinde immutati cōstantes magis fiant: aut econtrario, constantes primùm, in immodestos deinceps, & iracundos euadant, idque in vtraq; ratione cōtingat, aut toto vitæ tempore, aut plurimùm, aut nūc, quod vnum ex tribus erat neutrius corporis significatū. Rursus quosdam tentari mœroribus videmus, & tristitia, vt, nisi reuocentur, incursuri sint, sicuti alios sese inde recolligere,

atq;

atque animum reſumere, ad neutrorũ corporum (quæ decidentia, & conualeſcentia vocamus) modum. Nõnulli item reperiuntur iraſci faciles, modeſti aũt & temperantes, vel ediuersò intẽperantes, voluptuoſiq́; at ingenio miti placidoq́; quos corpora referãt, quæ quoniã conditionẽ vtranq; participant, neutra habentur, addendum autem omnibus ſemper, vt id aut plurimùm, aut nunc fiat. Sequuntur perditiſſimi ſic affecti natura, vt & voluptatibus cũctis indulgeant perpetuò, animoque ſemper obſequantur ſuo, iracundiaq́; perciti ſemper quadã videantur, vt inſalubri ſemper corpore qui ſunt, aut, ſi paulo minùs improbandæ ſortis fuerint, plurimùm id illis tantùm à natura contingat. Nam qui in mœrore iam poſiti degunt, interuenientibus cauſis aliquibus, animoque ita præter ſolitum anguntur, aut non conſueti anteà ita facere, genio nimis indulgẽt, luxu propè diffluentes, hos nõ iniuria cum morbo iam aliquo aliqua de cauſa correptis deputabimus. Hac rerum ſimilitudine illuſtrari poſſe credo rem alioqui paulo magis intricatam, lucemq́; illi addi. Hoſce igitur omnes (vt propoſitum iterum vrgeamus) officio ſuo delegatos credet ſalubris ars, quos (neque enim ineptum hoc loco fuerit veluti in ſummam quandam redigere prædicta) vel integra prorſus, optimaque ſanitate cõſeruet εὐεκτοῦντας, ac benè habitos: vel ab hac quidem declinantes, at nondum illaudata tamen ea & adhuc καθ' ἕξιν conſtantes, plurimùm, aut nunc ſalubres, vt viſum fuerit melius, ſeruet iam, aut corrigat. Eſtque horum omnium æqua partium, aut omnium, aut potiſſimarum bonitate conſtans ſanitas, ſicuti aliorũ æqua quidem partium eodem pacto omniũ potiſſimarumve, ſed malitia inſignique vitio affecta ſanitas, iamq; κατὰ σχέσιν, periculoſa videlicet & obnoxia, iniurijsq́; opportuna, qui partim, vtpote communem iam vulgatumq́; humanæ conſtitutionis modulum excedentes, reijciantur ab arte ſemper. tales, ſi fuerint, etiam Aeſculapio ipſi negotium exhibituri. partim verò admitti, vt ſenes, poſſint, quorũ etſi eadem propè ſit, &, vt illa, in morbos prona cõditio, at ætati tamen eorum, quum non inconueniat, minimeq́; naturæ repugnet ſtatus is, iccirco ſentire artis vſum eiusq́; admittere adminicula, non iniuria poſſint. Sunt & κατὰ σχέσιν, id eſt, affecta valetudine neutri, quos trifariam diſtinximus, omnes, qui ſalubris artis præceptis pareant, quorum his, qui incurſuri morbum, niſi caueatur, ſint, peculiariter delegata precautrix ars ſit προφυλακτική: alijs verò, qui ex morbis ſe reficiunt, alia refectrix quædam ἀναληπτική: alijs, qui inæquali partium bonitate aut vitio donati ſunt, correctix, ſed per partes tantùm, quemadmodum æqualiter in toto, aut potiſſimis partibus affectos eadem ſed per totum emendat ἐπανορθωτική. Neutrorum reliquos modò harum, modò illarum partium factos, ſic modò hæc, modò illa ſalubris artis pars fouebit, vt pro temporis, conditionísve, qua præditos eos inuenerit, conſeruet, aut corrigat. Atque ita cùm corporum, diſtincti omniũ, quæ ſub artem hãc cadere, aut etiam eximi ab ea debeant, ſtatus, tum verò diducta quoque in hæc ipſa artis officia apparebunt. Corpus εὐεκτοῦν benè habitum, ſalubre perpetuò, corpus καθ' ἕξιν laudatæ ſatis ſanitatis, vt plurimùm: paulo infra hoc vt nunc ſalubre, ſed καθ' ἕξιν tamen adhuc: corpora ſequuntur κατὰ σχέσιν cuncta, malè iam affectæ ſanitatis, ac ſi fortè ordo is magis placet, quoniã melioris, quàm inſalubria cuncta conditionis hęc habenda eſſe exiſtimo. primùm neutra decidẽtiæ quæ vocant, ſeu morbo tentatorum: contraque à morbo ſe recolligentium: alia, tum vtriusque, tum modò huius, modò illius ſtatus participia: omnia autem ſemper, plurimũ vel vt nunc talia: poſtremò in ſalubria ſemper, aut plurimũ tantummodo: omnia in vniuerſum quatuordecim, ſalubrium tria, neutrorum nouem, inſalubrium duo. Rurſus quorum primùm κατὰ εὐεξίαν tanùtm ſit, inſequentia duo καθ' ἕξιν, reliqua omnia κατὰ σχέσιν. Officium autem artis conſtitutione optima præditos conſeruãs ſemper φυλακτικόν. idem in quibuſdam καθ' ἕξιν ſe habentibus, præſtans, quorum retinendum temperamentum fuerit. Nam horum alijs dicatum ſit ἐπανορθωτικὸν potius, paulo minus laudatam eorum conſtitutionem emendans, idemque hoc, his quoq; ſeſe exhibens, qui κατὰ σχέσιν non æqua omnium aut potiſſimarum partium bonitate conſtant, vt horum omnium vitia emendet, quantum poteſt. Morbo tẽtatis προφυλακτικὸν præcauens ſcilicet: conualeſcentibus ἀναληπτικὸν, id eſt reficiens, delegatum. Modò ſanis, modò valetudinarijs, pro temporis diuerſitate, modò conſeruans, modò emẽdans accommodum. quibus ipſis, ſi quo tempore inſalubritatis participes ſunt, ex parte ſolùm quadam ita ſint, conſuli faciliùs poſſit: ſin in toto ita ſe habeant, difficiliùs quidem hoc ipſum aſſequamur, at longè tamen faciliùs, quàm ſi in his id moliremur, quos ſimpliciter inſalubres ſtatuimus, perpetuò ſcilicet ſemper tales. Quorum fortaſſe (ſicuti ſæpe iam diximus) ſalubris ars ne tutelam quidem, aut emendationem lubens ſuſcipiet.

Positis corporibus, protinus fluores poni interitus tandem nostri causam. Nec quenquam omnino his eximi, ne laudatißimæ quidem conditionis aliquem, vt necessarius hac quoque ex parte, salutaris artis vsus ostendatur.

CAPVT X.

ILlud autem inprimis scire, meminisseque oportet, nullum esse omnino, quantumlibet optima cōstitutione corpus, quod non, vt primùm editum in lucem est, atque adeo intra matris ipsius quoque Bulgam (quod dici solet) fluoribus semper quibusdam obnoxium sit, vnde prima statim Salubris artis necessitas quædam existat. Nam, vt primùm agere in nos calor incepit (quod & in vteri adhuc sinu cōtentis fit) cœlitus nobis instillatus, vt illo siue primitus, siue maioris alterius opificis velut instrumēto quodam formaremur, formatique sustentaremur, sic perq̃ necesse fuit, vti hoc eodem, quo perpetuo tanquam leni ac benigno ad extremū vsq; alimur, fouemurque, tanquam calore tamen nunquam feriante, cùm in primo nostri ortu, firmandis ita solidandisq; membris, quasique de humidiore seminis menstruiq; sanguinis materia educendis (quod non nisi exiccando contingit) exiccamur ipsi, tum verò hæc nos ad supremum vsq; diē contracta, hoc pacto comitaretur semper noxa, donec tandem absumpta materia omni, dum, quo vlteriùs calor is innatus alatur, foueaturque, nō habet, prorsus in sicco destitutos relinquat, quæ senectus ipsa est, mortis iam vicinę prænuncia, & anteambulo, vndè πέμπηλοι dicti & ἀλίβαντες senes, ex argumento, ob humoris vacuitatem. Sequitur altera (nam prior compositarum rerum omnium est) easdem has innati caloris actiōes necessaria noxa, qua sicuti in alijs quoq; experimur, vbi caloris vis aliqua humidæ rei ingruens, exhalatam eam paulatim difflat, ita corporum etiam nostrorū substantia dissoluta, fluores assiduos præter paulo antè dictos, euaporata faciat: qui nisi resarciantur, cōtinuò, atq; intra breue temporis curriculum, tota dissipata periclitetur. Atque hîc demum artis adminiculo alicuius egemus: Nam quanuis naturæ scita ea, ac decreta auferre in totū, nulla prorsus arte valeamus, quin exiccati tandem soluamur, multique prætereà naturæ rectè in his agentis ductum sequuti, ac sponte sua edocti, sarciendæ dissipationi huic, satis sibi bona ex parte futuri ipsi sint, nemo tamen ambigat, & naturæ necessitatē eam arte adhibita meliùs sarciri posse, & maximā mortalium partem longè aliter se habere, quàm vt ipsi sibi esse satis hoc in negotio possint, vt nisi rerum animaduersione certa, præceptisq; aliquibus, aut etiam vitæ ipsi suæ obseruatione nitātur, in noxas, offensasque subinde incurrant, & hos ipsos, quos esse sibi pro regula, minimeque omnium extra, conseruandæ rectè incolumitatis suæ, qua prædıti optima sunt, cancellos ferri par erat, plerunque animaduertimus, nescire tamen rerum, quæ huc pertinent, ignorātia, modum seruare, omnibus autem (vt necessarios artis huiusce his in rebus vsus alios omittamus) cuiuscunque tandem constitutionis, conditionísve, bonæ malæve, quocunque tempore, quacunque ætate, quocunque vitæ instituto, necessariò habendam semper esse scimus, Excrementorum rationem, quæ sicuti maximè necessariò ingesti alimenti concoctionem, inque corpus omne distributionem insequūtur, (quoniam fieri omnino haud potuit, vt in deperditæ de corpore nostro substantiæ locum alia eadem prorsus, ac sine vlla penitus particulæ decisione, tota abiret) sic nisi diducendis, educendisque eis, meatibusque, per quos transire illa oporteat, expediendis, deligendisque ciborum generibus, quæ hæc ipsa nō morentur, ars aliqua præsit, nullum me hercle quantunuis optimi, inculpatissimique status corpus, tam statum ac solenne futurum sit, etiam si naturæ suæ dictata sequatur, vt non subinde aut nimia excrementorum redundantia, aut viscíditate, aut crassitie retentorū, vel ediuerso contraria huic, prauaque aliqua qualitate alia, nimis citatorum infestatum tentetur, quod vitium, non quātitate minùs ciborum manifestioribúsve qualitatibus illis, in quib⁹ optimus corporis status, si naturæ suæ legibus ac iussis obtemperet, non perinde aberraturus fortasse sit, quàm horum ipsorum, cæterarumque rerum omnium eodem pertinētium intempestiuo vsu, inuersoque ordine contingere soleat: quæ quoniam non nisi rerum harum artifici cognita, compertaque esse possunt, sæpissimè falli in his necessum sit cuiuscunque tandem sortis, ac conditionis homines: quis enim vel optimè à natura institutus, ac sibi interim quoque vni seruiens, vt multa horum per se assequatur, aut cœli salubritatem, sibiq; accommodā temperiem, aut exercendi se opportunitatem, modumque, aut rectum ciborum ordinem opportunumque vsum, & eiusmodi multa, captare, nisi artis præceptis vsus, possit? quib⁹ (nisi in tēpore admoneamur) omnibus, sicuti dicebam, cùm in multa incidere

incōmoda alia, tum verò vitio aliquo, potissimùm in excrementorum (vt ita dicam) œconomia, facto, de incolumitatis nostrę statu, quamprimū deijci oporteat: sic rursus fit, vti artis huius nō necessariæ minùs, quàm salubris, per vitam omnem viuēdiq; instituta cuncta ducendum ad extremum vsque vitæ, opus appareat, quo ortus nostri conditionem necessariò insequentes noxas, qua parte possumus, repellamus: aut, qua non possumus, minuamus: factas verò, quantum nobis per artem hanc licet, emendemus.

Ἀνακεφαλαίωσις dictorum hactenus, & dicendorum posthac digestio.

CAPVT XI.



Actenus artem, quæ qualisve esset, ostendimus: diduximus partes eiusdem: officia monstrauimus: corporum conditionem omnem, ac statum, quæcunque cadere sub artem hanc possunt, aut inde ex parte aliqua eximi, tanquam subiectam materiam, circa quam versetur, & in qua se exerceat ars ipsa, posuimus. Apertumq́ue non semel retro, ni fallor, fecimus, quanta tantùm non quocunque tempore, ac loco ingruat rebus nostris, operis huius commoditas, vsus, necessitas: Nunc reliqua omnia exequemur: Proponemus primò nocumētorum omnium corporibus incumbentium extrà, intrà, rationem omnem, ac modum, generaq́ue ac differentias: dicetur horum necessitas, paulo quàm antea fusiùs: simul diligenter, sed breuiter tamen, examinabimus num tolli in totum necessitas hæc possit, sic vt, (quod nonnulli tam recentiorum iam, quàm veterum polliceri visi sunt) vindicare nos, aliquo tandem pacto à mortis necessitate valeamus, atque immortalitati cuidam asserere, an vana potiùs hæc sit, & de nihilo prorsus pollicitatio, tum quæ super his dici, examinariq́ue solent, alia quædam: Proxima erit disputatio vniuersæ materiæ salubris ad sanitatem, generis cuiuscunque, tuendam, instrumentariæ, in qua de aere, locis, de exercitationibus, de ciborū ac potus ratione, affectib9 animi, breuiter, omnibus quæcunque ad res has facere videbuntur, differetur. Eaq́ue separatim seorsumq́; & in vniuersum primò tradentur cuncta, quandoquidem docendarum, tradendarumq́ue rerum is, sicuti communis, iam receptusq́ue, ita commodissimus, & ad docendum, & ad discendum habitus semper modus fuerit: tū deinde vltimo loco vniuersalia hęc, tanquā applicabimus particularibus magis, vt, quoad eius fieri potest, ars, cuius actio circa singularia semper, & indiuidua sit, per ætatum, regionum, temperaturarum, studiorum, & huiusmodi diuersitatem, ab vniuersalibus, ad particularia magis deducta, trāsferatur. Nam, quēadmodum, quicunque partem curatricem rectè sibi tractandā sumpserūt, in eo priùs elaborasse videntur, vt ex altera parte morborum genera, quæq́ue ad rem hanc attinent, alia: ex altera medicamentorum supellectilem & Therapeutices, propè dixerim, vtensilia quasi κατὰ γένη distincta locarent, quæ deinde vtraque ipsi propiùs ad curandi functionem accedentes, in vnum copulata, priuatim particulariterq́;, ac rei cuique propriè, ad tractationem κατὰ τόπους necterent, sic decere nos opinor, generatim priùs tradita, particularibus postremò casibus accommodare, vt quid cuique his in rebus, ætati, regioni, temperamento, reliquisq́ue, id genus, conueniat, sciamus. Quod quum perfectum à nobis fuerit, simul etiam opus, quod Dei Opt. Max. auspicio inchoatum à nobis esse confidimus, eiusdem ope absolutum totum confecerimus. atque hæc hactenus hunc in modum exarata, prooemij tātùm cuiusdam loco accipi velim.

IVLII



IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER SECVNDVS.

Falsa est generis humani querela de tam caduco corpore, sed animæ tamen suæ conuenienti domicilio.

CAPVT I.



RVrsus igitur, velut ab initio repetentes, paulo altiùs originis nostræ primordia inuestigata consideremus: fortasse nanque nõ iam vnica esse videri poterit, mortalitatis nostræ, si recta demum principia illius teneamus, necessitas: simul illud in hęc paulisper digressi, assequemur, vt non tantopere dolendum esse nobis sciamus, quãtopere immeritò subinde querimur, de humanę naturę, quam isti appellãt miseram, sed summa tamẽ deorum prouidentia, ac munere cœlitus nobis concessa cõditione, dummodò illud vnum semper meminerimus, nos homines esse, ea lege ac fato natos, vt huius naturæ sorte, nostra scilicet (sicuti par est) contenti, expleamus illam: expletam eò vnde accepimus, renunciemus. nisi verò, quemadmodùm si, quum animabus nostris mentem tanquam caput indiderit summus ille rerũ omniũ opifex, ac conditor Deus, quanquam infimæ inter has conditionis cuiusdam, at mentẽ tamen intelligendi vi illa cœlesti præditam, de eo queramur, quòd supremam nobis hãc (angelicam puta) non elargius sit: ita, eodemq; omninno pacto accusemus eum, quòd nos nõ ferreos, aut adamantinos potiùs quosdã corpore fecerit, præsertim quum videamus nos ab animantibus multis durabilitate, robore, velocitate, aduersusq; extrinsecus ingruentia omnia tutela ac defensione (quę corporum vniuersæ dotes quædã habentur) facilè superari. At vtraq; querimonia non sanè stultitiæ minùs in se, q̃ ignorantiæ, & quidem vtriusq; plurimùm continet, q̃ nimis insipienter, immutabili quadam necessitate à seculorum omniũ initio constitutum rerum ordinem inuertere conetur ipsa. Nos enim animæ semel humanę creatæ sumus, nobisq; ea in vniuerso cõditio tributa, is cõcessus, destinatusq; à summo illo rerum omnium ac principiorum omniũ principio, gradus, (sicuti multis inferior, ita plurimis alijs superior) quo, tanquam in confinio supremorum, infimorumq; cũctorum, posito, summa imis (mirabili quodam nexu) iuncta copularẽtur: atq; eæ veluti inter vtrunq; ambigẽtes modò attollere sese ad superiora (quò etiã naturam suam sequutæ sponte sua ferrẽtur) possent: modò voluntate quadã, quæ ijsdẽ ab imo velut appensa iaceret, animandiq; inferiora hæc studio, quo tenentur, lapsæ, ad deteriora decidere cogerentur: eędẽ, positis terrenis exuuijs omnibus, inquantùm cõcessum his hæc in re sit, altissimè sese sustollentes, supra cœlos omnes caput exererent, maximoq; ac iucundissimo spectaculo, diuinitatis amore accensæ fruerentur, sociæ propè Deorũ circunuolitando, partesq; simul mundi huiusce gubernando factæ, atq; hactenus corporis semper instrumẽto, incorrupto, purissimo sydereo, materia prorsus omni nisi ætherea illa carẽti, vsæ, donec paulatim succisis alis, aut terrenæ alicuius primò labeculæ desiderio grauatis, inferiùs demersæ spectent, quo tẽpore fato iam addictæ, perq; cœlorum globos omnes sub lunarẽ huc deuolutæ, cœlestiq;, atq; ætherio corpore vectæ, sese alterius iã naturæ, non quibuscunq; quidem, sed accõmodis sibi, aptisq;, ac conueniẽtibus corporibus insinuẽt. Hæc eò spectant omnia, (ne quis fortè nos temere huc ꝓgressos putet) vt sciamus de maximorũ philosophorum sententia delapsas in hæc ab altissimo animas, induere sese in corpus, sibi quamque concinnum solere, quod ad inhabitandum acceptum, tantisper gubernẽt, incolæ siue hospites potiùs regionis huius factæ, dum dissoluto, quod cõpositum acceperant, aliò statim liberioris iam conditionis effectę auolent. Compositum dico corpus, fragile, variabile, ex pugnãtibus inter se semper cõflatum, Deorum quorundam minorũ, si Platonis Timęo credimus, opus, q̃ sumptis mutuò ab Vniuerso ignis, aeris, aquæ, terræ particulis, vnde corpora hæc conflarẽt, easdẽ post diuturnam quandam vsuram, præstituto naturæ humanæ tẽpore redderẽt. Hic rursus Vniuersi ordo ille, ac adamantino clauo fixa lex, tolli haudquaquam potest. Etenim si decisis semper à corporea sublunaris mundi huius materia portionibus, quãtumuis minimis, nihil eò vnquam restitutũ rediret, haud dubiũ esse potest, absumptum tandem iri omnia, inq;

nihilum prorsus abituram mundi compagem hanc. Nũc, quum, quod ad tempus accepimus, tẽpore itẽ suo reddamus, dumq; ex hac parte corrumpimur, insequẽti semper generationi alicui materiã præbeamus, & perstat rerũ ordo integer, inconcussusq; totus, nec nos magnoperè certè, nisi iniurij esse velimus, queri possumus, si accepta tãdẽ aliquando naturę referre cogamur, quę in hoc illa semel elargita nobis fuerat, vt iterum ad se venientia, denuo in multorum aliorum vsum, rerũ vicissitudine quadam, elargiẽda reciperet, atq; ita, vt rerum series omnis hoc tãdem pacto subsistat, quod totũ, vniuersaleq; est, priuati, particularisq; partem sui ad sese tandem veniens rapiet, trahetq;: litiq; & discordiæ exemptum ita elemẽtum vnumquodq;, alieno de loco in propriũ migrat: totumq;, cuius pars antea fuerat, amicè repetit: ibi tanquam in natiua sede mansurum, donec in alterius proximi simplicioris elementi generationem cedat: aut in discordem rursus cõpositi alicuius connexum elementis alijs, clauis quibusdã, concretionibusq; inter se, mixturisq; minimis, sensumq; prorsus nostrum effugiente glutino copulandũ trahatur, vnde compages existat firmior omnino quædã, at non indissolubilis tamẽ partiũ, quæ rupto glutino hoc dissolutionẽ tandem quærant, ad sua quæq; rediture. Hæc est illa mortalitatis nostræ, (qua quidẽ parte mortalis sum9) quę ratione nulla vitari vnquam queat, necessitas, concretionisq; huius, & cõmixtionis nostræ, atq; in vnũ conflatæ structuræ (sicuti reliquarũ quoq; cõpositarum rerum omnium) quocunq; tãdem pacto dissolutio: proprijq; loci, vnde peregrina aliquandiu abierant, elementorũ, vt mutuò nobis accõmodatorum, ita temporibus suis iure reddẽdorum repetitio. At enim dicẽt, qui de natura ita queruntur, firmior nobis, ac durabilior cõcedi potuit rerũ earum, quibus constamus, tum quæ magis extrinsecus aduenietibus vndiq; incõmodis tot ac tantis repugnaret, miscella. Nõ potuit, nisi alij statim fieremus, humanumq; hoc temperamentũ exueremus, & aut elephãti, aut corui, aut cornices, aut quicqd tandẽ animantium, alio quàm nos tẽperamento prędítũ, vitę ideo quoq; suæ annos ꝑductiores sortitum est. Hęc nõ potuêre nobis, aut nõ debuêre potiùs ab opifice eo, qui summã semper in omnibus, rerũ omniũ, rationẽ maximeq; exquisitã sequatur, tẽperamẽta donari, protrahendæ diutiùs, quàm concessum nobis in hac naturæ nostræ tẽperatura sit, vitę. ac simul animã eam vt sortiremur, quã sortiti sumus, quæ, nisi temperiẽ hanc nacta, nempe humanã, subsistere minimè possit. Quapropter aut optandũ nobis erit, nõ esse homines, vt aliud quippiã simus, phœnix putà, quo per tot annorum spatia rationis omnis expertes viuamus, perpetuò, nihil aliud, quàm auis: aut forte nos nostra contentos, vitæ huius nostræ, quod tamen longum satis sit, curriculum, ratione duce, ratione imperante, transigere, atq; intereà elementorum, membrorumq; cõnexionem eam, quam natura nobis cõcessit, ad supremum vsq; custoditam seruare oportet.

Superiore virtute quadam contineri corpora, ne dilabantur, eadem & formatrice nostri semper, & conseruatrice.

CAPVT II.



Tenim Elementa, quo tempore nexibus his, ac nodis cõiuncta tenẽtur, dilapsura fortasse citiùs etiamnum in diuersa fuerint, vtpotè corpus constituentia fluxũ inprimis ac fragile, de quo assiduè, tanq̃ reciproco quodam æstu, effluant, rursusq; in id influant alia quędam, ἐπίῤῥυτον videlicet, & ἀπόῤῥυτον factum, nisi superiore quadã virtute, ac facultate rerum harũ omniũ prouida gubernarentur. Quomodò enim vires vnquam vllæ præstare hoc poterũt, vt cõnexionem diutiùs seruẽt, quæ, quocunq; tandẽ pacto iustam cõpositionis mensurã paulo exuperent, destructuræ statim cõpagem vniuersam sint? Calore certè nimio absumi corpora tantùm nõ quotidie videmus, frigore extingui, siccitate arefieri, humore dissolui. At quæ nos cõseruat, regitq; vis, quęcunq; tandẽ ea dicenda, habendaq; sit, non solùm concordia hæc, inquantum potest, facit, & in vnum vincit: verùm etiã noxia expellit, familiaria admittit, detinet in rem suam expulsis superuacaneis omnibus: vertit tam artificiosè primò formatos nos, in humanã speciem, effingit intus, extrà, particulis sese omnibus indens, ne quid prorsus, materia vndiquaq; om̃i elaborata, nobis desit, quod facturum ad rectè exacteq; cõstruendã corpusculi huius nostri fabricam structurámve esset, non, vt Polycletus aliquis, qui extrinsecus tantùm lineamenta quædam, integra partiũ inter se cũctarum proportione admiranda, fecerit, ad intima artificij vim suã illam adigere nõ potuerit. Hæc verò non rudia & informia atque inchoata solummodo relinquit intus quoq; opera, sed omnia quacunq; tãdem parte ad vnguẽ absq; absoluit, ac, nisi materia paulo magis aliquando contumax repugnet, perfectissima reddit: maximè autem omnium verisimile sit, vt eadem vis diuina quidem, sed corporibus sese iam immiscens, inq; il-

lis opera sua exercens, nostri primò formatrix tã diligens, huc deuoluta, nostri quoq; semper in posterũ curam gerat. Quò enim, quæso, abiens illa, extemplo nos sic destitutos deserit? aut, si quod, post ortũ nostrũ, opus huius appareat, cuius esse tandem dicemus opus? nónne vnius illius, cuius antè animatum quoq; corpus nostrũ? Tota hæc corporeæ machinæ structura opus sit, atqui si nõ aliud, illud certè pro argumento sit, multo enim pòst quàm hauserint primùm lucem hanc, partibusque sui reliquis omnibus formati iam sunt, dentire pueros videmus: & in extremo senio constitutis quibusdam suboriri genuinos, quod esse, nisi formatricis facultatis, opus nõ possit. non enim animæ nostræ, quæ, quanquam tunc adsit eadẽ, tamen quum abesset olim, lõgè quidem maiora effecta opera generis huiusce spectarem⁹. Quòd si ante animę insinuationẽ in corpora nostræ, id quod inprimis spectãtes admiramur, partes quasq; effingendi informandiq; artificiũ eiusmodi inest, eiusdemq;, reliquis quoq; ætatibus post introductionem, aduentumq; animæ specimen quoddam animaduertimus, par est authorem operis faciamus eum, qui iam primùm omniũ nobis in hoc pollere visus sit, atq; ita formatrici totũ hoc virtuti dubio procul tribuamus, quam naturã appellamus. Eadem nouit contraria inter se, quę conflandis corporibus adhibet, ea inuicem concordiæ lege conciliare, vt discordia licèt copulis tamen quibusdã, sensum prorsus nostrũ fallentibus, inter se adstricta diutissimè vinciantur. Atq; hæc communis quoque iam orbis prætereà totius ab huius ipsius anima efflata in lapides, in fossilia, in plantas, in animalia cõspiratio, & consensus, fortasse illa ipsa Stoicorũ sit continens rerum omniũ causa, qua ingentis primùm, atq; immensi animalis huius, Mundi, cùm in vnũ, tum inter se sibiq; rursus particulatim conspirent, cõsentiantq; partes quæcunq;, ac membra contineantur, tum verò etiã propiùs corpuscula hæc nostra, singillatim sua quæq; anima, cũ cõmuniore vnà illa, immò à cõmunioris huius sede decisa, priuatim particulatimq; magis cõtenta gubernentur. Neq; enim incõuenire omnino arbitramur, (Platonis aliquatenus Scholã sequuti) vtroq; modo in cõmune, & priuatim ita cõsultũ vt nobis esse existimemus, quum præsertim aliarum quoq; sectarum Authores habeamus, & illos quidẽ eminentissimos, qui in plerisq; alijs repugnare assueti, hac tamen in re non omnino diuersum quid prodiderint. Peripateticæ certè familiæ inter coryphæos habitus Arabs Auenroes in opere exacto, excusso, elaborato, quod de orbis substãtia cõposuit, eò veritatis ductu, seu tractu potiùs quodam coactus, descendisse visus est, vt cõmunem orbiũ motũ alium statueret, priuatũ aliũ: etiam allato in mediũ exemplo, quo Platonicorum summi, qui de rebus his scribunt, vtantur, quoties vel in reip. administratione principatúve aliquo, vel in artificiorũ multitudine quadã, cùm ibi priuatim magistratus quisq; officium suum exequitur, vnaq; in cõmune ab omnibus consulitur, atq; in vnũ sese conuertunt tandẽ omnia, tũ hîc etiã artifices multi particulatim quidẽ illi artis suæ quisq; opera exercent, interim tamen à superiore artifice aliquo regũtur, vnde iussa reliqui omnes pro dignitate capiant. Nõ desint exẽpla, si quis inquirere paulo diligentiùs velit, etiã in artibus his, quæ, quãquam primò diuersæ esse inter se, atq; aliò spectare omnes videri possint, eodẽ tamen semper tendũt, maiorisq; ac tanq̃ imperantis iussis officiosè subseruiunt, vt ad eundẽ propè modum non minùs quàm particularis, q̃ anima nostra est, statui forma vniuersalis alia in nobis debeat formatrix, tutrixq; semper nostri, nostrarumque vnà partiũ cõtentrix, siue De⁹ illa, vt diximus, aliquis, siue mundi totius anima, siue intellectus, seu potiùs, vt nonnulli censuẽre, mundi totius imago habẽda sit, qua videlicet tam variè in varijs opus suum exercente, intelligibilis mundi illius, repositiq; in mente diuina archetypi, atq; exemplaris rerum omniũ imagines hîc nobis, & exempla, hac quoq; in parte reluceant, quod esse nisi intelligentis potentiæ opus haud facilè queat, quum artificij tantum inesse operibus eius vniuersis videamus, vt nõ immeritò Platonicorum eximij diuinorum esse vltimã tradãt, quæ materiæ sic se immisceat, vt eius tamen interim pars non fiat, totamq; sese illi indens totã excolat, partesq; in om̃es versans tractet, & expertissimi artificis more, qui ędificandę domui ordinibus suis cũcta digerit, sedibusq; quæq; suis aptata locat, atq; adeò, vt grauia interdum adminiculo artificioso aliquo vsus ad artis vsum sursum acta attollat: sic ipsa Rectrix materiæ, dominatrixq; facta, selectam eam ad opus suum faciẽdum politã om̃em reddit, & ex semine, cui se, menstruoq; vnà sanguini toti indit, inuenta ibi materię diuersitate, ipsa vna perpetuò atq; eadẽ persistens, ex alia ossa, ex alia neruos, venas & arterias, ex alia alias, aliasq; ex alia, atq; alia, aptè semper & concinnè constituit, informatq; partes, quas ad supremũ vitę (quatenus illi per materiam hanc licet) informatas, suaq; vnitate custoditas seruet. Hactenus progressos fuisse philosophando liceat. Nam si superiores adhuc hac quærere conseruationis nostræ causas velimus,

& Astrologicas periodos perscrutari, duodecimq́; Domorũ vires, sydérumq́; imagines numerosas, quarũ plerunq; in inferioribus his rebus effectus quidam spectẽtur, tum verò altiùs etiamnũ euecti supremum rerum cunctarũ causam Deorumq́; omniũ Deum, ac parẽtem consideremus, de cuius mente omniformi eadem atq; vniformi, tanquam de sole radij emicantes, qui pro suscipientum rerum diuersitate, alibi perspicuitatem, colores alibi tam varios producunt, ita de formarum omnium fonte illo, inferioribus omnibus, pro diuerso excipientis illas materiȩ gremio, diuersimodè cõmunicatæ, infundantur formæ, atq; interim transfusæ ab originis suæ vnitate in eodem seruentur, iam longè nimis à proposito nostro recesserimus. At quo nunc peruenimus, ad effigiatricẽ nostri effictricemq́; virtutẽ, res iam nostras propiùs tractantem, corpusq́; nostrum informantem, idemq́; vnà custodiẽtem, eo non omnino extra præfixæ nobis materiæ scopum euagati, sic ferente nos disputatione hac delati sumus. Sistẽdus igitur nobis pes est in eo, in quo primùm corporum (quorum nunc salubritatem tractamus) regendorum, cõseruandorumq́; proxime principia inesse videmus, quoquo modo tractatiõi huic nostræ, quam primò intẽdimus, affinia: quanuis, quum ostẽderimus, nihil eorum omnium, quæ suprà attulimus, inesse nobis, nisi temperamento suo sibiq́; proprio nitatur, iam reprehẽsioni omni obuiàm iuerimus, nullus enim tractatũ rerum hoc in opere, quæcunq; tandem temperamẽti rationem aliqua ex parte attingant, meritò accuset, quæ ipsa quoq; tamen delicatior aliquis, simul ad ea properans, quæ magis in re ipsa posita esse videãtur, fastidita trãsilire sanè potest, seq́; statim, omissis his, ad iustioris operis initiũ paulo pòst exordiendi cõferre, præsertim q̃ hoc loco de Philosophorũ tãtũmodo quorundã sentẽtia attulerimus.

Congruere materiam oportere, in quam forma quæq; introducatur, ità non cuiq; animæ competere corpus quodque, proinde nec temperamentum.

CAPVT III.

QVòd si ea nobis datur in his venia, vt quæ, quanuis in re prorsus posita non sint, non omnino tamen extra rem om̃em ferũtur, aliq̃n tractem⁹, nõ penitus absurdũ videri cuipiã possit, corporũ nostrorũ constitutionẽ omnẽ diligenter secũ cõsiderãti, quȩ formas quas diximus excipiat, & exceptas cõseruet, vicissimq́; ab his conseruetur: quonã tandẽ pacto oĩa ista fiãt, inquisisse. Etsi nãq; sanitatẽ ipsam tuẽti satis fortassis futurũ sit, principia sedulò quȩsita tenuisse sanitatis, vt quã cætera omnia cõmoda insequantur, vitaq́; inprimis ipsa, animæ nostræ opus: præstat tamen affinitate quadã rerũ ductos, etiam priora his quædã, nec sanè potiora minùs alijs, intereà inseruisse, per quæ explicatior ac facilior ad interiorẽ artis rationẽ tendẽti, apertæq́; vnà multò plus cognitionis secum afferens, via quæda ostẽdatur. Quomodo enim, quæso, nõ operæ precium aliquod factũrũ se credat, qui paulo etiam ab instituto suo discedens, dũ de sanitate sermonẽ instituit, comitantia vnà quædã, aut etiam præcedentia, breuiter tractet, vt non solùm sanitatẽ, sed etiam vitæ vsuram qua fruimur, quo pacto nobis, aut quib⁹ interuenientibus, insitã obtineamus, nõ omnino ignoremus. Tam enim informatrix, institutrixq́; nostri animæ vis cõmunior illa intimè ac latissimè in materiam vniuersam dispersa, q̃ particulariter, ac priuatim corpus suũ vnaquæq; informãs anima, ac gubernans, nõ cuiuis facilè tẽperamento sese addet. ac prioris quidẽ sicuti cõmunior, & vniuersalis magis, atq; in multò plura diffusa vis est quȩdã, sic illi subijci vniuersalem magis materiã videmus. Quicq̃d enim vbiq; instrumentarijs, corporis cuiusq; partibus inesse artificij spectatur, totũ id naturæ facultatisq́; huius opus dicendũ est: particularis autem magis anima, cuiusmodi quoq; nostra est, etiã particularem magis nõ immeritò tẽperamẽtum exegerit, cui aptè adhærens insideãt, tum in quod ex parte sese indẽs vniuersum, semperq́; sub extremũ vsq; regens, gubernet, ac volũtate quadã sua in id delapsa, imò verò propri, cõuenientisq́; sibi tẽperamenti affinitate inuitata atq; allecta, tractaq́;, idipsum, quod inhabitandũ sibi delegit ad tẽpus, regat corpus, vitamq́; illi de suo largiatur præsens, secũq́; semper vnà abiens auferat, prorsus quidẽ, quod ad partes hasce, seu munia potiùs attinet vegetãdi, sustẽtãdi, nutriẽdiq́; corporis, & huiusmodi, om̃i ex parte tota rectrix, dominatrixq́; eiusdẽ illi⁹ facta, nec vnq̃ officio suo vacans, & si vacet, noxã statim ac detrimẽtum manifestò illatura, aliq̃n t̃n ipsa quoq; partibus sui aliquibus, atq; etiã interdum quȩ paulo altiùs sese corporeæ labi eximẽtes attollũt, corporis imperiũ sensura. Quapropter partib⁹ his ac facultatibus, quas diuersas obtinet, quũ alijs tẽperamẽto corporeo addicta magis sit, alijs minùs, in om̃ibus t̃n cõueniens sibi congruũq́; deligere solet, quod ingrediatur, corp⁹, atq; om̃ino aptũ natũ domiciliũ, id quod cõueniẽter rebus munijsq́; & functionib⁹ suis inhabitatura sit: fuerit aũt eiusmodi, si cùm æqua similariũ, simpliciorũq́; partiũ attẽperatione, tũ verò idonea dissimilariũ pauloq́; magis cõposito-

poſitorũ inſtrumẽtorũ ratione, ac ſtructu-
ra cõſtiterit. itaq; non antè ingreditur, q̃ à
ſuperiore illa, communiq́; magis, animę vi,
quã eſſe rerũ diuinarũ infimã, atq; in noſtra
hęc iã inclinãtem, diximus, formatũ effigia-
tũq́;, atq; effictũ eo pacto corpus ſit, vt in-
greſſa, optione ſua, inſtrumẽto eo, toto il-
lo, quo peregrinatura ſit, tẽpore vti queat.
Ergo cõcinnũ ſemꝑ ſibi optãs deligit, neq;
enim temere credẽdũ eſt, obuiã illã ſibi, qua
lẽcũq; tandẽ, ac cuiuſmodicũq; ingredi ma-
teriam poſſe aut velle. Nã nec de ſole q̃dem
lumẽ ipſum videmus foras emicãs aeri ſeſe
qualitercũq; affecto inſinuare, nõ. n. nubilũ
ꝓrſus aut denſiſſima caligine aliqua obdu-
ctum poteſt, & nebulas fortaſſe aliquas ali-
quãdo diſperſim varijs quibuſdã coloribus
infecerit, at aerẽ purũ tantũmodo, ac ſyn-
cerũ, naturęq́; ſuæ tẽperamẽto cõſtans na-
ctũ, momento quodã totũ amplexũ ambit,
corporiq́; illi incorporeũ ipſum in parti-
culas vndiq; oẽs inſinuatũ, vniuerſum for-
ma ſua correptũ, abſumptũq; illuſtre, lumi
noſumq́; ſtatim præſens reddit: idẽ abſens
eodẽ momẽto tenebras inducit, infuſcatũ-
q́ue, quaſiq́; vita ſua deſtitutũ, ſed naturæ
tamen ſuæ relinquit, vti iã omnia hoc loco
reſpõdere ſibi inuicẽ videãtur. nec omnino
diſſimiliter, anima noſtra corpore omni
vacãs, corpora tamẽ præſens vita omni ex-
pleat, eadẽ abſens priuet naturę itidem ſuæ
relicta, intantum poteſt materiæ vniuſcui-
uſq; aptitudo, aut ſecus, vt extrinſecus ac-
cedentes formas idoneè in ſe admittat, aut
cõtrà ineptior facta reijciat. ſtuppã ipſam
(rude fortaſſe ſit exẽplum hoc) verũtamen
cũ hãc, tũ lucernarũ ac candelarũ elychnia
experimur, benè excipiẽdæ flãmæ præpara-
ta, nẽpe humore omni exiccato, ꝓximè eã
quidẽ ſemꝑ accedentẽ, ſed nulla ſæpe etiam
in medio viſa flãma, velut tranſilientẽ exci-
pere: ſplẽdoresq́; gemmarũ tã diuerſos cœ-
leſtiũ ſpecimina quædã nũ exiſtimabimus
in quãcunq;, abſq; vllo diſcrimine, materiã
imbibitũ iri? ac nõ potiùs, vt quæq; accom-
moda ſuſcipiendis his fuerit, ſic illos in ſuã
quemq; delapſos, illuſtrare? concinnè igi-
tur ad eundẽ modũ factũ, fabricatũq́; cor-
pus ſit oportet, cui deinde illapſa inſideat
anima, ſiquidẽ eo aptè ſemꝑ, atq; ad res ſu-
as accõmodè vſura pro inſtrumẽto quodã
ſit. Ergò os homini ſublime datum eſt, vt
Poeta ille canit, non tam quo ſpectaremus
cœlũ, quũ id, niſi ſuſpectantes facere haud
facilè queamus, quàm vt, hac corporis ſta-
tura, erecta nimirũ, primùm, tũ deindè his
manibus, his pedibus, hoc pectore, breui-
ter, huius totius in hunc modũ effictæ cor-
poraturę actionibus, muneribusq́; omni-
bus, quæ diuerſa in vita obimus, exercẽdis,
vſus, cõmoditasq́; ꝑpetuò eſſet: ꝓfectò ſa-
piẽtis animę inhabitãtis, hoſpitæq́; ſignum
corpꝰ huiuſmodi, hoc vtiq; nos vel manus
vna abũdè doceat, quãtus inſit artifex, cui
tã partibus ſui omnibus aptè ſtructũ, para-
tũq́; egregiè inſtrumẽtũ ſit, quo reliqua cõ-
parari inſtrumẽta omnia, fingi, refingi, ca-
pi res, ꝓijci, teneri attrectari, diuina huma-
naq́; opera ficta reprę ſentari cũcta poſsũt,
vſibus deniq; vniuerſis, quoſcũq; humanæ
conditionis ſtatus is expoſceret, inſeruire-
tur. Dente lupus, cornu taurus petit, vndè,
niſi intùs mõſtratũ: quẽadmodũ animi fe-
ritatem ex hoc, ita ſapientiã ex alio cogno-
ſcamus, & vt officinas ingreſſi artificum, de
inſtrumentorũ plerũq; ſupellectili conie-
cturã facimus, cuiuſmodi nobis expectan-
dus in eo ſit artifex, ſic nos corporis huma-
ni inſpectione, tã artificioſa, veluti mino-
ris cuiuſdã mundi, maioris alterius omnia
referẽtis, nobiſcũ ſtatim deputemus, haberi
hoc, niſi diuini omnino animi inſtrumẽtũ
haud poſſe. ꝙ ſi ita eſt, fabricãq́; videre li-
cet tã exactã, nónne eadẽ ratione ꝑſuaſi cre-
demus, exacto quoq; inprimis præditũ eſſe
tẽperamento debere, quod occupaturus ſit
animus, huiuſmodi corpus? credemus cer-
tè, ne, ſi terreſtre nimis, aqueúmve dederi-
mus, aut apprehenſa tenaciter ab humido,
terreſtri parte omni, perq́; id totũ diffuſa,
cõpreſſis ita nimiùm vijs, meatibusq́; omni-
bus, foſſile indè potiùs corpus aliquod fa-
ciamus, aut nõ tam validè arctatis his, aqua-
tile: ſin aerium, aut igneũ totũ, iam aut dæ-
monũ, aut eorũ quæ volatu fidũt, alicui cõ-
ueniens potiùs tribuamus. Decuit igitur
domicilium, quod excepturũ cœleſtẽ hũc,
rerumq́; omniũ medium, quo ſumma infi-
mis, vt diximus, necterentur, hoſpitem, eſ-
ſet, ipſum quoq; rerum ex quibus conflan-
dum erat omnium medium, ſic fabricari, vt
mole quidem nullum prorſus abnueret
Elementorum exuperans, at interim ignis
tamen cuiuſdam, ac mitis, placidiſſimique
caloris vis dominaretur, quo cuncta ab ini-
tio, ad ſupremum vſque vitæ diem, recta
naturæ opera gubernarentur. Huic luci-
diſſimo, puriſſimoque, ac cœleſtium iam
propè affini, ſeu ſpiritui, ſeu calori, con-
nato nobis certè, omnibusque, vel minimis
corporis particulis penitus inſito, nec con-
tento potiùs ab eis, quàm continenti eas,
tanq̃ quo deinde inſtrumento vtatur, me-
dioq́; eo corporibus cõciliata immortalis,
mortalia regat, ſeſe æthereo alio corpore
deuecta inſinuat anima, geminoq́; hoc me-
dio, corporeo primũ, ſed cœleſti, & incor-
ruptibili, tũ deinde alteri corruptibili q̃dẽ
illi, ſed tẽperatiſſimo, cœleſtisq́; illius inſtar
tenuiſſimo, trãsfuſa, ꝓximè tñ ſemꝑ adhę-
ret, vt ignẽ ſępe videmus ꝑ intermediũ aerẽ
transfuſũ calefactis à ſe corporib. inhęrere.

Verùm hæc, quanuis corporum, quę tractamus, naturam, conditionemq; notent, necessariò nobis non ignorandam, videri tamen alicui fortasse possint nimis in diuersum abeuntia.

Constituendis corporibus nostris, qua ratione Elementorum necessaria compositio quatuor.

CAPVT IIII.

Redeamus ergo ad corporũ compositionẽ, cuius causæ vicinitate quadam rerũ ducti, in ista excurrimus, vt, quoniã non prorsus vita sua defuncta tractabamus, quomodo, aut quam tandẽ, cuiúsve modi compositionem inhabitaret, ostenderemus, non animantis omnis, sed nostra hæc demum vita, nõ temerè materiæ cuiuis applicãda: omnino nanq;, quũ figuratũ esse oporteret corpus nostrum, multisq; ac varijs instrumentis præditũ, nimirũ animã nactũ, multimodis functionibus edendis aptã, erectaq; ad hæc, cuiusmodi videmus, statura exigeretur, nulla aũt cõmodè satis iniri ratio posset, quomodo cuncta hæc fierẽt, nisi veluti tibicine aliquo fulcirentur corpora, quo cõstituta sustentarentur, id scilicet in nobis terrea pars addita præstitit, vt cõstituta subsistant. Tum, ne humore nimio fluxa labãtur, aut igne diffluãt, frigido etiã aliquo coercita esse oportuit. Rursus verò, terreũ id siquidem rude nimis, & informe esset, & quale in metallis, humidi quidẽ additione emollitũ, at minimè tamen in id elaboratũ, vt superata terrenæ molis crassitie, ac pondere, vias ac meatus in partes omnes peruios admittat, iã nec augumentũ, nec alimoniæ vsum vllũ sentiremus. Et poterat quidẽ terrestris siccitas paulo magis vinci, subtilisq; ita reddi, vt humiditate aerea formabilis, suscipiendæ vegetatrici plantarum facultati commoda fieret: at nondum, cui se sentiendi vis illa indere posset, temperamentũ hoc erat, nec nisi victis prorsus terrestribus partibus, sicq; in omnem partem ab humido superante tractis, vt benè emollitæ formari & effingi valeant, intusque æquè, ac foris temperationis maxima, perq; omnia mixtione elaboratæ, in omnem figuram figuræque lineam, ac superficiem sequaces sint, id vnquam eueniet. Hoc demum est animantis corpus ipsum, sentiendi vim admittentis, sensuque iam præditi, partesque spumeo, aereoque spiritu, ac calore diffusas, nec minùs frigore alias adstrictas obtinens, omnes autem eo temperamento, constitutioneq; ea donatas, vt & temperationis mixtione formæ suæ non aduersarentur, & figura, constitutioneque obeundis exercendisq; muneribus omnibus, quæcunq; formæ illius natura imperitauerit, aptæ natæ futuræ essent. Atque hactenus humidi, terreique elementi, qua diximus ratione commixti, videri necessitas in corporibus animantium potest: Ignei autem, & aerei inde, quòd, quum sentiendi vis omnis, atq; etiam viuẽdi actus ipse, spiritu omnino quodam peragatur, & si non simplicioris fortasse illius aeris aliquid, at aereum tamen quiddam inesse omnino corporibus oporteat, nec illud cuiuscunque modi, sed tenue inprimis, ac nobile, nec minùs perspicuum & illustre: vt & tenuitate totas vndiq; permeare particulas posset, & mobilitate perpetuum illum, ac nunquam cessantẽ, cordi, arterijsque, quo vita inprimis sustentatur, motum afferre: claritate verò sensiles species omnes, cuiuscunq; tandem rationis ad hunc, perq; hunc spiritum delatę, minimè infuscatæ illustrarentur. itaq; & subesse in toto corpore spiritus hosce videmus, qui aerem omnino referant, & ipsius quoq; alioqui aeris substantiam momento quocunque temporis, inspiratione assidua trahimus, idemq; sensum nostrum effugientes plerunque cutis meatus ingressus, sese in partes corporis vniuersus diffundit: iam, quod aeris, idem quoq; nostrum temperamentum est, nempe calidum, & humidum, idq; moderatè: cuius demum attemperatæ ita qualitatis beneficio, cùm nulla omnino est in toto corpore particula, quæ non viuifico spiritu fota semper perstet, tum verò humo paulo altiùs sustolluntur corpora nostra, profectò, plantarum instar, terræ perpetuò, nisi aereis spiritibus hisce paulo inde solutiora ferrentur, hæsura. Accedit caloris ignei quidem cuiusdam, at placidioris illius mitisque portio, quo vi sua, facultateque in corporibus superante, multa, & præclara edita spectentur in animantibus, ac potissima opera. Vnde nanque iam primùm omnium, inter ortus statim nostri primordia partium seminis diductio, harumque multarum exiccatio: tot autem, tamque diuersorum meatuum, ac canalium protensio, cauitatumq; formatio, nisi ab igne? cuius nimirum vi singula, cunctaque protensa extendantur, separata diducantur,147 sicciora facta formentur? aut vnde informatrix virtus habuisset, in quo viuifica opera sua exerceret, nisi anteà ab hoc ipso calore ignis mitiore, multis circunscriptis priùs, recisisque superuacaneis, ad hoc, partibus, sanguis eò tandem deduceretur, vt minimo minus in partiũ proximarum alimoniam cessurus, earumq; iam iam substantiam aucturus maximè ita, ꝓpinqua mate-

materia fieret formādarum facilè partium, in quarum proximè abiturus naturam fuerat semen iam factum, prorsus vt ex hoc ipso potentia non admodum longinqua membrorum omnium formas continente, corporis nostri totius educi, effingiq; ꝓmptè fabrica, ab informatricis facultatis artificio queat, paratā iam, redundantiq; parte omni expurgatam, perq; omnia sequacem materiam hanc ingeniti ignis huius dono adeptæ, cuius eiusdem penitus opus est, ꝙ nutrimur, quòd sustentamur, & in tanta subinde cōtinua exhalatione deperdendæ, substantiæ nostræ dissipatione, renouati tamē semper alimenti vsum sentimus. Qui nisi primū calor, ignis in morē ingestū vētriculo cibū amplexus cōcoqueret: tū deinde excremētitiarū partiū omniū separatione facta, cōiectisq; in vnū eiusdē rationis particulis, sicuti diuersarū abiectis, (quod nō alterius quàm ignis, opus officiumq; habendum sit) distributionē per corpus sanguinis iam nutrituri moliretur: viasq; oēs ad hoc idem, quo penetrabilior fiat, expediret, segne, otiosumq; quamprimùm, & ignauum, collapsurūq; corpus nostrū fuerit. Nunc igneus ille quidem, sed mitior tamē, quod diximus, calor, nec torpere quicꝗ nostri finit, subinde nos excitans, liberaq; omnia impulsu, quocūq; fertur, suo, & explicata reddit, peruiusq; factus, ac peruia ipse cūcta faciēs, grauiorisq; quicquid est molis cū spiritu vnà ferēs agēsq;, animæ instrumentū nostræ, vitæ quoq; nos semper, donec perstat, viuidos, vegetosque factos reddit. Hæc sunt ignei in nobis elementi facta, hæc argumenta: siue ille radiorum solis repercussu circa terrena hæc facto, siue superiorum orbium circunuolutione protrusus, siue etiam motu prouocatus, ad corporum compositionē, mixtionemq; hanc accedat.

Manent aßiduè in corporibus elementa, horumq; semper ceu specimina quædam, donec dissolutione facta ad sua quæq; migrent, tum eorum connexio, & temperamenti nostri congruentia.

CAPVT V.



NEq; verò existimet aliquis, non, vel à prima statim origine, vsq; quò spiritū vltimum ducimus, inesse semper nobis hęc, ex quibus cōponimur, idq; actu nō potestate solū, tametsi eorū inter se vires in cōposito, mixtione ea velut retusę infringantur, vt omniū tamen interim specimina nobis quædā, quocūq; loco, quacūq; ætate, quocūq; tēpore, certa repręsentētur, semē primū ipsum fluidū licèt, at nō vsq; eò tamē fluxū visitur, vt nō aqueus in eo humor terrenę portionis mixtura totum alioqui dilapsurum coerceatur. semen porrò non erit semen, nisi spumeum, ἀφροδίσιον videlicet, quòd ab aereo spiritu incluso fiat. Rursus quomodo reddētur partes idoneæ ad formas mēbrorum, quæ cōpacta esse, atq; adstricta oporteat: aut quî fiet, vti tot viæ aperiantur, meatusq; manifesti æquè occultique, per quos vniuersa sibi inuicem corporis fabrica conspiret, ꝓtendantur, nisi ignea vis insit, quæ ista omnia opportunè effecta reddat? Et alterum quidē præstare fortasse terra ipsa possit, vt exiccet: alterum, vt aperiat, explicet, permeet, foueat, congreget, separet, & huiusmodi, nō possit, simul nec ad cōcoctionis, attractionisve, aut impulsionis vllius munera cōmodè vnquam accesserit. Hinc iam illa necessitas mortalitatis nostræ, vt quo fouemur, sustentamur, alimur per se: eodem ex accidenti quodā, ad extremū cōfecti periclitemur: idemq; ferè nobis vitæ, ac mortis causam afferat. sed de hoc pòst paulo. Nunc in prima nostri origine inesse diximus quatuor illa, quæ perpetuò deinde in formato iam fœtu, in edito iam in lucem puello, in adulto, in viro, in sene, vsq; insint, donec soluta aliquo pacto harmonica compositione, qua sola gaudebat anima, cuiq; insistere vni soleat: ipsa primùm euolans cum vehiculo vnà suo æthereo illo abeat, secumq; simul partes statim igneas trahat, aut potiùs abeuntem illam insequātur extemplo eæ, tum deinde, quod exhalatu proximum est, aereum quod inerat, locum suum euaporans petat, aqueumq; absumatur, absumptisq; alijs cinis tantū, puluisq; reliquus fiat terræ, id quidem in particula quoq; corporis aliqua inspicere licet mortificata, aut putrefactione aliqua corrupta, quoties in his abscedente natiuo calore spirituq;, morti primùm statim tradi membra cōspicimus, tum humorē omnem inibi consumi, quoad in puluerem redigantur, cinerea facta tota, atq; ita à composito in locum suum quæq; redeunt, vnde priùs in compositum venerant, pugnātia, ibiq; pugnatura inter se semper quidem, at legibus tamen harmonicis quibusdam paritura, quibus veluti diuersarum inter se vocum concentu contraria ipsa, consensu tamen mutuo iuncta, contineantur, donec, quemadmodum ab amicitia priùs in discordem hanc litem delata fuerant, sic rursus à lite tandem in amicitiam, iuxta Empedoclem, rapta ferantur: quæ si amica semper perstarent, suis quæque locis, in quibus natura sua quiescere solent, nec

nec ad mixtorum corporũ compositionẽ, extra ea, alioq; tralata ferrentur: iam nulla haberetur rerũ harũ inferiorũ generatio: cõpositio, coniunctioq; nulla. Nunc sicuti vniuersi huius mundi partes amicitia sua, suis quæq; proprijsq; locis simpliciores cõstant, lite inde distractæ dissipantur: ita è diuerso fit, vt, quæcunq; ex his conflantur, horum ipsorum componentiũ amica quadam sibi lite constituta maneant, eademq; eorundem sibi rursus inimica amicitia pereant, iamq; composita esse desinant: discordia enim hæc inuicem mutuoq; inter se altercãtia, quanquã diu harmonica quadam specie præside, tanquam in diuersarũ contrariarumq; naturarum populo, ciuili administratore recta, atq; in vnum copulata maneant, victis tamen tandem copulis, ruptaq; illa, nõ indissolubilibus omnino nodis sarta priùs gratia, aliò tãdem suapte natura tracta facessant necesse est. Ecce iã oratione ipsa incurrimus in necessitatẽ omnium maximè primam corruptionis nostræ, qua composita omnia, cõponentibus partibus ipsis quo ad componendum peruenerant, inde rursus discessione facta, & ad sua redeuntibus, omnium maximè necessariò dissoluantur, quod in compositione omni vsu veniat, alibi quanuis seriùs, citiùs alibi. Quò enim tandem, quæso, contrariorum diuturna pugna tendat, nisi vti cõtrariorum alterum victum tandem cedat? idq; quum contingit, iam harmonia illa, qua aliàs dissidentes inter se res vnà continebãtur, tota perierit. Sic calidum & frigidum contraria, quum in idem mutuò sese tangentia conuenerint, agant inuicem, patianturq; perquàm necessariũ fuerit, donec sese mutuò quoq; conficiant, aut alteri victoria cedat. Eadẽ humidi, sicciq; ratio, modus idem. Iam quũ duobus ex his innatum, insitumq; sit, vt à medio: duobus aũt alijs, vt ad medium moueantur: qui tam excogitari irresolubilis nodus poterit, vt eo perpetuò ista vincta maneant? Inuentus nihilominùs est à natura, quo si non æternitati, at diuturnitati tamen alicui humani corporis consultum esset, quãcunq; tandem elargiri illi potuit rerum omnium opifex natura, primũ, vt perfectæ cuiusdã mixtionis beneficio, ad minimas omnium particulas deductæ elementorum portiones, quæ cõponendæ rei congruerent, mutuis inter se quasi nexibus quibusdam, cõpræhensę tenerentur. At hoc fieri nequaquam possit, nisi penetratio priùs partium tanta cõtingat, vt minima quæq; harũ momenta attingere, attingiq; tota inuicẽ queant: rursus, neq; hoc, nisi attenuatę partes benè elaborẽtur, quasiq; eliquatæ cõmisceri per totum vaporis meatis in morẽ possint: miscet igitur istas, quũ in vnũ cõuenêre, & vi sua omnibus sese inserẽs, cõferruminatas reddit calor, grauia ille quidẽ sursum etiã acta attollens, sed quæ tamẽ ab occursante frigido reprimãtur, ne plus iusto euaporata abeãt. Vnde sua mẽbro cuiq; cõstet figura, diuini illius, quẽ rebus semper his informandis adesse diximus, opificis inprimis opera: orbibusq; vnà cœlestibus, quod intelligendũ semꝑ sit, variè nobis circũuolutis, vires suas cœlitus inde ad nos missas in generationẽ horũ cõferẽtibus. Atq; hæc fuerit mixtionis ratio ꝑfectę, qua corpora nostra cohęreant, quandiu quidẽ ferre potest rerum cõueniẽter corpori humano miscibilium seruata diligẽter ꝓportio: omnino nãq;, quoniã in eo anima editura erat functiones, quales aliarũ nulla sentiẽdi etiã vi longè superiores, omniũ certè maximè ad vsus hosce attẽperatã esse oportuit cõpositionẽ eã, qua, ꝓximè ęqualitate sua ad cœleste temperamentũ accedẽte, ritè cœlestis ipse animus niteretur, quæ peragi, perficiq; omnia, nisi insigni corporis mollitudine haud potuêre. Id aũt humidũ semꝑ additũ effectũ reddiderit, vt mollia sint, quod quatenus licuit, corporibus nostris adiũctum, apta quidẽ tẽperamento suo facit, at minùs tamen durabilia reddit, quàm plãtas, quàm metalla, quàm animalia quoq; nonnulla, in quibus exuperãte semꝑ terrenę partis duritie, lẽtaq; magis crassitie, durabilitas quidẽ lõgè maior, ac cũ hac temperamentũ quoq; inest functionibus edẽdis nobilioribꝰ, quales nostræ sunt, minimè cõueniens. Neq; tamẽ, quãuis humore hoc, quo mẽbra omnia intimè perfunderentur, muneribus nostris obeundis cõgruè emolliri opus fuerat corpus, vsque eò fluxi humoris additamẽto emollitũ est, vt liquore nimio fluidum citò, tanquã eliquescẽs dilaberetur, sed tenax is lẽtusq;, quoad eius fieri hac in re potuit, additus est, quo veluti glutino ꝑ omnia diffuso, profusoq;, partes corporis vniuersę cõtinuæ, cõtiguęq; vincirẽtur, viteq; suę, humoris huiusce pręsentia seruarentur. Hoc est humidũ illud penitissimè à prima origine partibus omnibus adactũ, infixũq; radicitùs, quo ne ossa quidẽ ipsa, & si quid est in corpore siccũ, naturaliter penitus destituantur. Hæc siquidẽ, si quid illis tale præter naturã accidat, vt sphacelum sentiant, continuò humido eo absumpto exarescere puluerata videmus. Itaq; contemperatione humoris huius in particulas omnes diffusi, cùm ad id, quod propriè vt sit necesse est, tum conuenienti sibi durationi habile redditur corpus humanum: at, nisi magna quędã eius subinde instaurãdi, ne videlicet exhalatu cõsumptus euanescat, cura ac ratio haberetur, & tẽperamẽtũ quãprimũ humanum

manũ corruptũ deperdatur, vnaq́; dissipata, statim vita recedat necesse est, quod quomodò fiat, vt humidi huiusce deperditioni occurratur, & continua id alimenti suppeditatione perstet, dicamus.

Quid primitiuum humidum, quid innatus calor sit, huiusq́; effectus.

CAP. VI.

Illud tamen priùs admonendi sumus hoc loco, natiuum hunc humorẽ, ac primigeniũ, quem primitus, radicitusq́; inesse semini diximus, illum esse eundem censendum, qui nos semper, quo ad extremũ vsq; spiritum trahimus, comitatur: neq; alium iam ab eo, qui de quatuor rerum illarũ miscella compositione resiliat. Sicuti nec innatum sanè calidum aliud nobiscum statuimus, quàm quod semini itidem cum humido vnà inest à primordio nostri, ignei quidem elementi portio, at sic rerum aliarum interuentu, mixturaq́; attemperatum, vt dum elementaris ignis euidenter vbique opera edit, eiusdem generis in vnum adducendo res, alterius, diducendo, partesq́; inuicem diuersas sequestrando, humiditates absumendo, & huiusmodi, proximè tamen illud intereà æqualitate quadam sua (quod sępe iam diximus) ad cœlestem illũ calorem accedẽs, partes easdẽ semper foueat, fotasq́; vitali assiduè spiritu suo irriget: immò nihil aliud, quàm spiritus ipse habẽdus sit ille, quo assiduè fouemur, alimurq́;, instrumentũq́; ita effectũ cõtemperatione hac habile, illud esse meruerit, quo anima omniũ primò, potissimoq́; edẽdis in corpore, peragendisq́; operibus suis vteretur. Nã si non eiusmodi est caloris, cuiusmodi eũ esse diximus, quod esse aliud caloris hoc vnquam genus quiuerit, nisi fortè de cœlesti, ęthereoq́; corpore particula semper aliqua decisa, cœlitusq́; in cõpagẽ hac nostrã delapsa, calorem quoq; nobis illũ cœlestem instillet. Quod neutiq̃ fieri posse, secũ rectè reputãs deputabit, quicunq; philosophia magistra edoctus sciuerit, cœlũ, quod cõtinuum sit, vnũq́; numero, in pluribꝰ numero æquè, ac specie differentibus corporibus, esse rursus vnũ numero, haud quaquam particulatim decisum posse. Porrò aũt elemẽta specie inuicẽ distare, ac numero, cœlũq́; ab his materia quoq;, proximoq́; etiã genere diuersum esse, notissimum est. Vt aũt nõ magnopere verisimile sit dictis de causis cœlestis corporis portiunculã aliquã cœlo detractã in hęc migrantẽ descendere, sic ꝓbari haud ita sanè difficulter cuiuis nõ ineptè prorsus philosophãti possit, eo plerũq; tẽperamẽto coire inter se corpora hęc, primũ attenuata, tũ factis minimis, tenuissimisq́;, omniũ maximè particulis, mutuò sese per totũ, vndique amplectẽtia, cõpactaq́; in vnũ & imbibita, vt mirabili hoc, & harmonico quodã inuicẽ cõsensu concinẽtia, nõ quidẽ animã ex se editã prodant ipsa, sed suscipiẽdæ de cœlo cũ vehiculo vnà suo animæ æthereo illo ac cœlesti aptissima mixturæq́; ita contẽperatæ beneficio habilia euadant, atq; ita sicubi magni Authores tale nobis omnino inesse, quiddã, quod cœlũ proportione referat, testentur, in eã accipiendũ partẽ fuerit, vt de particulari potiùs, priuatoq́; animæ cuiusq; corpore æthereo intelligendũ sit: quod vt fieri queat, nõ incõuenit, potiùs quàm de cõtinuo vbiq; cęlo detrahamus quicquã nobis inhæsurũ, quod, quàm incõueniat, diximus. Simul cõcedimus cœlũ terræ hoc pacto, iuxta prouerbiũ, non misceri quidẽ, at vires tamen, virtutesq́; cœlorũ, inde ex cursibus eorũ, ac reuolutionibꝰ missas, illabi. Hinc illud sequi arbitramur, quòd caloris huius elementaris, nõ tamen vt simpliciter elemẽti, ignisq́;, prorsus edãtur in corporibus opera, quippè mixtione iam aliorum infracti: tum quẽ cœlestis, sydereaq́; omnino qualitas regat, gubernetque: postremò, quo anima, vt instrumento tantùm quodam vtatur, proq́; arbitrio demum suo, ad quodcũq; velit, opus dirigat. Scimus aũt ignis opera alia spectari, quum passim à nemine coercitus, materiam absumens depopulatur, atq; quum, artificij alicuius ratione, ac consilio rectus, perficiundo operi adhibetur, hoc est, quũ Vulcano Mineruã explendo ritè artificio coniungimus, vt nõ dissimiliter ingenitus nobis insitusq́; calor placidus, mitisq́; hac ratione factus, quum & coniungat, & separet, & conficiat, quæ ignis omnia opera habeantur: idem quoad potest, fotu alituq́; suo in vita nos semper custoditos conseruet: At interim, quoniam humido illum aliquo sustentari, sine quo neutiquam esse possit is calor, indeque nutriri necesse erat, idipsum, cui primò inhæserat, primitus etiam, ac radicitus inditum, imbibitumq́; solidioribus partibus humidum absumpturus totũ, breui fuerat vi sua, nisi subinde noua semper affusione suppeditaretur, quod depasceret, inde iam ingesti alimenti necessitas, vnde sanguis primùm generetur: tum venarum oscula egressi huius pars, ceu ros quidam, nutriendis mox membris adspersa, ijsdemque eadem etiam affixa vnaq́; facta: postremò etiã assimilata, substantia tandẽ vna fiat: id quod nihil aliud, quàm nutritio ipsa sit: cætera autem, quæcunq; hanc pręcedũt cũcta, ꝓ materię operi huic

huic aptæ ita futuræ præparatione habenda sunt, cuius assidua subministratione primitiuum, primigeniumq́; humidũ, sustentatum alitur. Quod, quanquam ne caloris, cuius opem vnà, & iniuriam, vt diximus, sentiat, resolutioni apertè nimis pateret, factum viscidum, oleaceumque sit, vitæque in eo, quo nimirum plus, minúsve repertum tale fuerit, breuitas, longitudoq́; consistens versetur, tamen in longo hoc satis vitæ nostræ decursu, quem alij breuem statuant, singulis temporis momentis ingruens, in id incumbensq́; natiuus calor noster victum tandem, atque exhalatum recedere, è vita cogit, cuius hîc cõmodè, vt suprà diximus, paulo magis aperienda est ratio.

Inanis penitus captata immortalitatis ratio in conditione humana, & in non certa præstitutaq́; vitæ nostræ periodo, certus salutaris artis vsus.

CAPVT VII.



Imul illud, quod olim qui pollicerentur, nõ defuère, manifestum hac vna ratione fiet, num fluxa ista & fragilia, instaurari ita queant, semperq́; recenti affusione quadã vsque eò renouari, vt nusquam nunquamque deficiente humido, cui necessariò insideat calor, in quo vita, consuli hoc pacto corpusculi huius nostri immortalitati possit. Ad quod credendum adductos fuisse existimo, (non enim hodie extant, quæ legi de his possint) quòd viderent assumpto cibo refici corpus, viresque collapsas resumi, & in animi defectu, tantùm non abeuntem iam animam reuocari, tum deduci ad temperamentum corporum intemperaturas tam multas, & in morbis periclitatos, exangues, emaciatosque corpus, sæpissimè cum viribus resumere, tanto magis existimantes fieri posse, vt, qui exactum à natura, rerumque omnium, vnde conflatur, contrariarum in medio temperamentum tenacique, nec facilè admodum dissolubili humido, tanquã glutino compactum fortius sit, si prætereà certa quædam & idonea viuendi per omnia ratio, curaque accesserit, ac nusquam ab artis præsidio hoc ipsum spondentis recesserit, is tot concurrentibus in vnum causis, quæ effectum id reddere valeant, periturus nũquam sit, fortasse autem, quoniã ex Aegyptijs syderearum reuolutionum peritis quosdam fuisse constat rei tantæ expromissores, ad hoc cælestes illas figuras suas arcesserint, quæ nascenti faueant, planetarumque inter se concursus, necessarios esse dixerint, qui editum in lucem benignis semper aspectibus prosequantur, & δωτῆρες ἐάων facti, benè fortunatum, nunquamque intermoriturum faciant. Et quoniam regiones, locaque esse audiunt, in quibus nũquam morbis vllis tentata, longissimè protrahatur vita, etiam eodem hac vitæ conditione præditos homines relegaturi mihi videntur, vt ex macrobijs, athanasios quosdam reddant. Quod se facturos eo faciliùs credent, quum sciant nostra hac tempestate puellam, tum verò (si veterum Annales consulamus) anteactis temporibus nonnullos quoque, vllo prorsus absque cibo, ad multum, multumque temporis perdurasse, vti eodem argumento sperent in uento corpore propè indissolubili, nihilque aut parum omnino exhalabili, tum quod natiuo humore tenaci, concretoque, & benè prorsus compacto constet, neque facillimè innati caloris depastioni cedat, qui ipse calor vtpotè mitissimus, placidissimusque, nec sanè alimoniæ multum expostulet, & quod accepit, confectum optimè excermentisque quasi vacans, totum conuertere in alendarum partium substantiam valeat, sic attemperaturum, vt mollitudinis suæ commensuratione quadam vniuersam in se recipere, particulisq́; sibi vndique omnibus per totum infusam, intrusamque alimoniam tenaciter retinere possint: atque ita, quum plus propè semper, quàm amissum fuerat, substantiæ propriæ recuperetur, sperent inquam fieri neutiquã posse, vt tale corpus, tot in vnũ coeuntibus ad immortalitatem faciendam conditionibus, pereat vnquam, accedente præsertim artis semper in id intentæ beneficio, à cuius nunquam illi recedendum obseruatione sit. Quæ cuncta simul eò fortassè, singulaque valeant, vt conuenientes in idem cõmoditates durandi eæ cum alijs multis diuturniora corpora quædam reddant, perpetuò durabilia, vt reddant, valitura non sint, furori profectò simile fuit, rem tam constanter asseruisse, quamlibet argumenta his quoque, quę retulimus, etiamnum Achillea magis cõuincerent, cuius tot iam labentibus seculis, quorũ quidem ad aures nostras memoria peruenerit, nusquam locorũ, nusquamq́; gentium spectatum exemplum vllum vnquam fuerit, vt id, quod rationibus contingere posse arguebatur, experientia aliquo tandem pacto comprobatum videremus, nisi nobis Enoch fortè & Heliam huc ex patribus nostris illos allegarint, quibus solis patuerit ad paradisum delicijs omnibus refertum locum, & immortalitatis humanæ vindicem, extraque mundi inferioris limites, proxime cœlos attingentẽ, temperie rerum omnium

omnium mira spiritusq; vitalis plenũ, aditus, quò nec contrarietatis aura, nec ventorum prælia, nec afflatus noxius vllus perueniat, pura, pacata, syncera, immortalia, incorruptibiliaq;, minimè tẽporanea omnia inhabitare dicatur. Nec nos sanè repugnamus, veruntamen, si verissimè prouerbio dicitur, non omnibus licere Corinthum nauigare, Laidis meretriculæ habendæ causa, longè mehercle adhuc minùs, nobis, qui quidẽ protoplasti nostri culpa exclusi inde in reatu adhuc sumus, accedere eò licebit immortalitatis possidẽdæ, captandæq; causa, tãtisper dũ mortales nos mortalitate hac induti, necdum exoluta prorsus noxa, quæ à primis illis parẽtibus in posteros deriuata est, conditionẽ eam subimus, vt vel inter nascendũ, atq; adeò intra matris ipsius aluũ, deincepsque, dũ in vita manemus, morti semper obnoxij, tandem aliquando naturæ cedere cogamur. At nos hoc loco huius ipsius naturæ leges tractamus, communis magis humanę, quã non solùm ęternitati minimè asseruisse, sed nec à certa quadã annorũ periodo, temere vindicare liceat, nisi verò fabulosa sequemur, ac ter cẽtenos Nestori annos cõcedamus, fabulosisq; demus locũ, vt gẽtibus quibusdã, centenos, trecenos, quadringenósve annos vitam ꝑducere, alijs ducenos cõcessum à natura esse credamus, fabulosissima, vt diximus, omnia, mẽdacijq; plena, nugis, fictisq; in altissimo otio, rerũ miraculis, terentium tẽpus, hominũ inuenta. Quorũ omniũ detecta falsitas peragrato, nostra hac tẽpestate, orbe vniuerso, totoq; ambito Oceano, & altera mũdi plaga, videlicet ἀντιχθόνω nobis nauigationibus nostris vndiquaq; patente: aditis Hyperboreis: oriente & occidente permenso: neq; tamen inter tot alia prodita nobis rerũ inibi nouarũ exempla, tali adhuc quopiã comperto de hominum longæuitate, scilicet hodie, (quod dictum cũ bona venia vetustatis sit) veteribus multis paulo videri possumus continentiores veritatis, nec tam prodigi θαυμασίων ἀκουσμάτων, vt admirabili quadam rerum historia detinere lectorẽ, ficta pro veris referendo, velimus, nimirũ nec ipsi nos, nisi propè iuratis, exploratæq; fidei, ac visa, cõpertaq; tantùm referentibus, aures faciles præbemus. Quo quidẽ maior semper in his mentiendi cãpus, eo semper minùs. Nam vt ea omittamus, quę lõginquè allata, ac supra testimonij etiã cuiuscũq; fidẽ relata, credulitatẽ nostrã vincunt, quoties inter nosipsos, dum mutuò conferimus sermones, modò ingruentis iam senectæ timore, iuuentæ nobis annos affingimus blandientes, decurtata ætate, modò gloriæ nobis ducentes, communem multorum vitæ cursum euasisse, miraculo vt alijs sit, hoc ipsum ementimur annorum additamento multorum. Nec desunt historiæ, paulo superiorum ætatum, quæ plusquàm Nestoreos nobis quosdam reddiderint, siquidem inuentum fuisse aiunt, qui quadringentesimum vitæ suæ annum impleuerit, mendacium ingens struentes, nisi verò nos ad lunares, aut alterius alicuius generis annos reuocant, aut nisi recenti primùm cœlo natos hos velint, quo tempore, nouæ adhuc originis semina sentiente, & adolescente mundo, atque aliter se, quàm nunc, circunuoluentibus cœlestibus tunc orbibus, par est non solùm longissimam, verùm etiam morbis, noxisq; omnibus illęsam transegisse vitam mortales. At vt hæc omnia concedantur, senescente nunc iam mundo, vt his quidem authoribus videtur, atq; in contrarium labente, & circumagente se cœlo, naturæque humanę conditionem hanc inferente mortalitatis quam quotidie sentimus, quæ stultitia sit, immortalitatem captare velle, aut plures, quàm superne concessum nobis, & ineuitabili fatorum serie tributum sit, annos sibi assumere. Galenus licèt scriptum semel reliquerit, quòd genitum omne interiturum quoq; sit, id nec demonstrabili, nec necessaria sequela niti: at idem nos non semel edocuit author, quanuis nos interdũ fugiat ratio, ab his tamen, quæ quotidie experimur, quæq; visa nobis sæpe, & comperta tenemus, nũquam desciscẽdũ esse: sed & is rationẽ tandem attulit interitus nostri certã, firmã, demonstratã, vt, quòd demonstrationem ad id ostendendũ, nullam esse scripserit, à vetustioribus nullam editã esse intelligamus, quam ipse demum repertam protulerit. Atque hanc, si nullam omnino haberemus, recedendum tamen nobis non esset, ab eo, quod obuersari nobis semper ante oculos, fierique, ac contingere in dies & in horas videmus. Quapropter cõmuni huic legi, qua tenemur omnes, & à qua immunis hactenus repertus est nemo, eximẽdi priuilegio vllo non sumus, ac (nisi omnino ineptè queruli esse velimus) cõtenti esse debemus eo vitæ curriculo, quod, in hoc animæ nostræ functionibus conuenienti temperamento, hac structura, quàm longum potuit, cœlitus Deorumq; munere à natura donatũ fuit. Quod alij aliud statuunt, plures ad ter circumactum Saturni orbem extendãt, qui nonagesimus annus est, certa quædam vitæ nostræ periodos: at non sic tamen, vt vltra, citraque non & sæpe subsistere, progrediq; humana vita queat. Nam & sæpissimè, antequàm ad metam eam perueniatur, casu aliquo coacta, aut erroribus impulsa, quasiq; nullo nẽdi pro-

ducendiq; artificio, decurtata abrũpuntur fila, aliquando aũt contingere poteſt, vt vlteriùs etiã protrahatur ſtamen doćta nentis manu dućtum. Non enim, vt certæ quædam periodi in his atq; huiuſmodi omnibus ſtatuantur, ſic præſtitutæ tamẽ habentur, vt nõ ſubinde ob materiæ inconſtantiã (ob quã nihil omnino perpetuũ ſtatui in inferioribus his poteſt) variẽt: cauſæq; præterea ſæpenumerò accedunt multæ, ac principia, quorũ omniũ interuentu naturalis alioqui ordo tolli, & aut breuiora, aut longiora conſtituto à natura tẽpore, ſpatia fieri conſueuerint: atque ita, quemadmodum, quũ in vniuerſum propè nouem menſibus peragi partus hominis ſoleat, interdum tamen celeriùs, ſeriùs aliâs contingere videmus, vt in lucem edatur. Idem in humanæ vitę curriculo ſpectetur, vt & anteuertant ſæpe, & interdum retardentur fata quibuſdam omnino de cauſis, hisque longè hîc, quàm alijs in rebus, pluribus, ꝗ plura hîc ſemper, quibus alterutrum accidere poſſit, occurrant. nam vt cędes, & tam plerunque inexpectatas mortes, vt naufragia, vt quæſitum ſæpenumerò per multa lethũ, quod vitare poteramus, omittam: illud, plurimos ſibi crapula ſcientes volentesque, quoſdam eadem, ſimili ve, atque alios alia de cauſa, neſcientes in fatum tamen ὑπὲρ μόρον incurriſſe, quaſique ſibi mortem conſciſſe, quum viuere diutiùs potuiſſent, notiſſimũ eſt. Rurſus huius vnius, quã nũc inſiſtimus, artis beneficio, vitæq;, ac rerum, quæ ad vitam pertinent, omnium moderatione recta, quoſdam omnino referre poſſumus, qui, quàm naturæ ſuæ conſtitutio tuliſſe vnquam videri potuerit, vltériùs annos tamen ſuos protulerint. Neq; enim eius nos hæreſeos decreta vnquam ſequuti ſumus, aut nunc ſequimur, quæ vſque eò fato nos addictos ſtatuat, vti curſum omnino peragere certũ, ſtatutumq; quendam neceſſum habeamus, quem citra, vltràve ſubſiſtere pacto vllo non liceat. Et vt corpora noſtra cœleſtibus corporibus omnino viliora, longęque quàm illa inferioris notæ ac conditionis ſint, quod fatendum nobis eſt, inde quoq; penitus regi, ac ſingulis, fortaſſe quoq;, temporum momentis, vim, dominiũq; ſentire cõcedemus: at Rectricẽ noſtri mentẽ, rectricẽ rationẽ, potẽtiãq;, qua homines ſumus, dicimurq;, cœleſtẽ, incorpoream, immortalem illam, quũ nobiliſſimis licèt corporibus quibuſuis cœleſtibusq; ipſis dignitate, conditione, natura ſuperiorẽ ſtatuamus, etiam imperio illorũ minimè ſubdi contendemus: eamque, quę ſeſe ſupra corporeã hanc molem exertam ſuſtulerit, recteq; bijugo vtroque frenato, nec laxamenti illis quicquam tribuens, vni rationi dirigendas habenas commiſerit, animam dominaturã corpori, minimeq; illius imperio obtemperaturam eſſe, vnde nec fato cogendam, calcandámve credemus, verumque tandem hoc pacto ſapientis dictum illud fatebimur, quo pronunciatum ſit, Sapientes aſtris aliquando dominaturos, hoc eſt, nihil aliud quàm victoriam exercituros in fatum, quod ipſum nihil habendum aliud ſit, quàm quędã corporearum cauſarũ neceſſitas ſupernè rebus noſtris, ex corporum cœleſtium ſerie, ingruens, à qua corporũ materia ſi ſeipſum, in quantum poteſt, liberum exemerit animus, vnà illatæ quoque inde neceſſitati ſubtrahet ſeſe, ſolutusque ſimul, & munia ſua in corpore obiens eidem imperitabit, atque vt (de qua in hæc ſcribendi diuerticula deflexímus) in viam redeamus, & vitæ ſuæ corporeæ veluti pomœria proferre, & molis eiuſdem lapſus, erroresque, vnde feſtina ſæpe aliâs mors ingrueret, corrigere vnius artificioſę rationis adminiculo multos poterit. Quam quoniam hoc tempore inſiſtimus, priùs admonendi fuimus, non fruſtra quæſitam eſſe hanc artem mortalitatis noſtræ ſartricem quandam, ac correctricem, non autem immortalitatis vindicem, tollendaque de medio ea primò fuit opinio, quam ſi veram eſſe fateremur, ex neceſſitate, quam ineuitabiliter rebus inuehit, præfixaque earum, & ſtabilia omnino momenta quædam conſtituit, iam inanis ac ſuperuacaneus futurus nobis erat tradendæ huius erat labor. Nunc, quũ neq; tantum in nobis eſſe fiduciæ debeat, vt immortalitatis ſpe vana alamur, caloris enim, ſicut antea docuimus, vis nos eò adigit, vt exiccati tandem abſumamur: neque rurſus diffidentiæ tantum, vt non confidere poſſimus, ratione nos, modoque vſos, vitę noſtræ ſuppetias aliquas laturos eſſe: hoc quidem loco, aut nuſquam alibi, ſalubris artis vtilitas appareat, exiſtatque, neceſſe eſt, qua ſimul morborum incommodis omnibus, antequàm illis tentemur, occurramus, tentatique euadamus, ſimul inſiti nobis caloris moderatione arte hac adhibita, vitam ad multum temporis, quoad eius fieri commodè poſſit, traducamus. Atq; hæc, quoniam φιλιατροῖσ maximè, vt initio quoq; dictũ eſt, ſcribuntur, ſic nec ſcrupuloſis, neq; anxijs admodum argumentis tradẽda, quaſiq; filo quodam orationis craſſiuſculo texenda meritò fuiſſe vidẽtur, retruſa etiam per ſe non ſanè magnopere quæ ſint.

Humidi primigenij deperditio à natura nobis inſito calore, quî fiat, eiuſdemq; item inſtauratio qualis, tum quædam huc ſpectantia.

CAPV VIII.

Etenim

Etenim ingenitus nobis calor huiusmodi, atque à natura insitus, quo superiùs dictis de causis carere haud poteramus, quique nos à prima nostri origine per ætates, ad consistendi vsque ætatem, omnes, maximo semper vsu aliquo adiutos traducat, idem posteà, ex accidenti licèt, perimit tandem, tamen informamur, procreamur, parimur calore : calore alimur, calore augemur, calore viuimus : eodem mollia antea membra, ac propè cerea, paulatim, sensimque exiccata producuntur, ac solidata firmantur. hactenus nihil, nisi beneficum sentimus. Hinc verò iam fouet idem ille nos quidem quoque calor, at exiccandi facultate, qua priùs vtiliter operatus fuerat, eadē, ob humidi radicitus nobis inhærentis consumptionem, quam assiduè, non in id quidem principaliter agens, sed operibus quę necessariò edit, consequenter molitur, exitium nobis tādem affert, vt, si, quo tempore incrementum corporaturę nostræ iustum suscepimus, & ad summū consistendi vigorem peruenimus, ratione aliqua licêret vim desiccandi illā, vel in totū auferre, vel bona certè ex parte remittere, perstantibus nihilominùs ducendæ vitæ necessarijs natiui caloris operibus cunctis alijs, iam hac demum ratione immortalitatis speciem omnino aliquam assequuturi fuerimus. Nunc, quum nulla commoda hactenus inueniri vnquam potuerit ratio, quo hoc tādem ipsum pacto fiat, desistamus ab immortalitatis opinione vanissima illa, &, quod proximum est, quodque artis, quam nunc tractamus, auxilio præstare possumus, studium nostrum omne ad longè, ac salubriter traducendos vitæ huius nostræ annos conferamus. Cæterùm hoc loco illud non ignorandum, natiuum calorem nostrum primigenium humidum depasci non solum, sed defluentem vnà à corde calorem adiumento rei huic esse, quin rectiùs, potiusque ex gemino hoc calore, vnum factum, quem naturalem innatum, insitum, natiuum, primigenium appellare possimus, eum esse, qui cùm nos, vt diximus, muneribus semper suis foueat, alatque, tum verò primarium humidum, cui alioqui tanquam sedi suæ inhærescit, paulatim absumat : sic autem absumit, quasi pabulum, absque quo subsistere apud nos quidem ignis vllus haud vnquam queat, vt alatur igitur, non vt absumat, posteriusq; ideo tantùm, non autem primaria, sicuti paulo antè dictum est, ratione, id facit. alitur semper quidem inde, nempe humido, cui aliunde perpetuò, extrinsecus scilicet, suggeratur, sufficiaturque ex cibo, potuq; deperditi pars, ne, alimento deficiente, calor aliò se ad primigenium illud humidum depascendum conuertat. Quod tamen quotidie necessariò fiat, vt portiuncula inde assiduè calore absumpta aliqua dematur, sensumque id tamen intereà nostrum (vt in plerisque alijs contingere videmus) effugiat. Quo tempore solidiores ipsæ corporis partes, ab ortu, humoris satis nactæ, simul parum omnino quid in eo iacturæ facient, simul, quod factum est iacturæ, id minimo minus totum in humiditatem natiuam sui facilè ingesti cibi potusque affusione, atque appositione quadam receptum, instauratumque resument, donec siccescentibus illis, indies magis, magisque nec receptio itidem, vt priùs, appositioque, & quædam tanquam insinuatio facilis euadat, & ob id inclinante iam se ætate, detecta quotidie plus plusque appareat solidiorum membrorum exiccatio, ingenitæque tandem humiditatis illius, quæ partibus potissimùm his insideat, internecina amissio. quod quoties ex toto factum fuerit, nulla vt humoris huius remaneat in corpore guttula, micáve, iam humore hoc destitutus calor, sine quo subsistere nusquā cernitur, exhalatus tandem pereat necesse est, vt lucernarum ellychnia videmus, primò paulo maiore, ab oleo, interuallo accēsa, statim ardentia consumi, depascente nimirum igne facilè, quicquid inibi inest in ellychnij substantia humoris, donec proximè ad oleum accedens flamma, præterq; ellychnij alimentum, alteri quoque, quod ex oleo capiat, occurrens, subsistit ibi demum, attractione alimenti assiduè noua in partes, quas ignis tamen occupet, & quum subinde quasi refecta recreetur ellychnij substantia, longè perdurare diutiùs videmus eadem parte sistentem se flammam, alacrem primò vigentemque, ac suppeditatæ materiæ copia diuitem, ob quam parci, cui primò inhæserat, ellychnij humori queat, ne tam citò absumptus deperdatur, atque is, fieri nequit, vt in quantunuis vbere alimento non aliquam tamen vim depascentis continuè ignis experiatur, quoad tandem exarescens prorsus, igneaque vi extinctus, ignem simul perimens extinguat ipse, veluti receptaculo iam suo carentē. Quod quidem eò tantummodo valere exemplum volumus, (nam cætera dissimile esse scimus) vt argumento sit, continua ea humoris consumptione, cui ex toto resisti nullatenus posset, quin aliqua perpetuò iactura illius fiat, necessariò tandem extinctum iri nos, mortisque nostræ intrinsecam nobis, primamque, ac necessariam conna-

tamque habendam eam esse causam. Nam tametsi nutricatione fieri quotidie experiamur, vt pars parti annexa, additaq; omnino assimiletur, quin etiam plerunque ex alimoniæ copia incrementum sumere adauctæ partes soleant, vnde primigenio humori adijci aliquid posse videatur: nihilo tamen seciùs, quod intereà caloris vi attenuatum, difflatumque est humoris, deque membrorum, & solidarum partium substantia decedit, sicciora omnia indies magis magisque, etiam si additamentis alijs eadem accrescant, reddit: neque enim, quod in deperditi locum, quamlibet sese totum indens superuenit, sic se intimè eo addere vnquã poterit, vt quale priùs fuerat, omni penitus ex parte, euadat, totumq; expleat. Instauratur ergo omnino humidũ, verùm instauratio illa, quum non vnius prorsus eiusdemque rei sit, hęcque ipsa, quum peragitur actio, mutuis illis, quę necessariò semper tali in re contingunt, actionum, reactionumque, inter se viribus, velut conflictatio quædam fiat, hanc quoq; ob rem paulatim, sensimque decisus humor, tandem ex toto accisus, & in nihilũ redactus, deficiat necesse est, atque ita solidiores corporis partes humore suo destitutæ, quo priùs in vnum consentientes copulabantur, exarescentes defluunt, ac destructa iam animæ sede, temperaturæ amissione, qua qua vna nitebatur, vlteriùs subsistere in corpore illam non permittunt, immò detinere auolantem iam nequeũt viuam illam morticinæ ipsæ. Quæ quum ita sint, vnica erit ratio, viaque protrahendæ diutiùs vitæ, quum idem omnino seruâsse, quod radicitus intimeque nobis ab origine inhæserat, humidum haud sanè liceat, vt saltem, quod proximum est & κατὰ τὸν δεύτερον, vt Græci aiunt, πλοῦν, prouideamus, caueamusque, ne ante tempus humoris huiusce, cui insistere vitalis, natiuusque calor soleat, vsu priuemur. Quod vtique assequemur, si, vitatis semper, inquantum nobis liceat, omnibus, quæ exiccare credũtur, causis, quum, quò alioqui spõte nostra tendimus, siccationis nimiæ prohibitione, senectam tardatam remorabimur, tum verò, quod ex substantia nostra (quoniam id fieri aliter haud potest) recedens perit, ex alterius substantiæ additione propriæ nobis ac conuenientis, quæq; abire tota propè in exhalatam antea queat, resarcire curabimus. perinde ferè, ac quum generosi vini alicuius subinde vasculo paulum detrahimus, aut aliàs deplemus, nisi generosum itidem infundatur, quũ replere volumus, primùm quidẽ, facilè vincente paucum id totumq; in se conuertẽte priore, lateat diuersitas, at nõ multo pòst, siquidẽ continuè id facere pergamus, sensim, minutatimq; impurati ita vini alienus apparebit sapor, &, vt generosum tamẽ generoso, aut eiusdem etiam generis, vt Creticum Cretico, & Phalernum Phalerno addamus, fieri tamẽ neutiquàm poterit, quin tandem (quanquam longius omnino in eo, ne factũ videri possit, trahatur tempus) assidua mixtione ea, quasiq; agendi inter se, & repatiendi continua quadã pugna & dimicatione, simul minus semper, minusq; victi eo pacto prioris vini, substãtiæ, apparebit, simul, quod reliquum factum fuerit, peregrinum, & extraneum quid resipiet: sic propemodum, quũ plurimum calidæ, humidæq; substantiæ initio obtineamus, qui natiuus calor noster est, eaq; in dies, inq, horas, continua quadã euaporatione depleatur, noui subinde alimenti ingestione, restituitur illa quidem, qua potest: at, quum continuum sui detrimentum necessariò sentiat, quod quidẽ initio sese occultat, at postremò detectum apparet, minùs tamen sentiet, minusq; apparebit, si, quod in exhalatæ substantiæ locum suggerimus, id diligenter semper curârimus totum vt ex maximè affini, non aliena, non extraria substantia sit, quo nimirum totum quoq; propè faciliùs recipi, amplexariq; à priore possit, gaudent enim similia similibus. hinc planè nata alimentorum varietas, hinc eorundẽ horum diuersus diuersis sapor, odorque, vt animal quodque pro temperaturæ diuersitate, non solùm diuersis, sibiq; proprijs vesceretur, alereturque, sed etiam, gustu antea, atque olfactu, conuenientia sibi ac similia deprehenderet, & contraria ac dissimilia (insitum quippe sibi hoc à natura obtinens) quoad vitam suam transegerit, semper auersetur.

Primigenij humidi incrementum, num cum corporum incremento vnum sit, eiusq; per ætates diuersitas.

CAPV IX.



Vincitur argumentis his, & exemplis, non esse recipiẽdam opinionem eorum, qui dicunt, sic instaurari humidum id, de quo toties iam diximus, posse, vti nõ solùm, quod antea fuerat, euadat, verùm etiam incrementũ auctione suscipiat, maiusq; substantia sua tota fiat, atq; in infantili puerilią; ætate, perq; totũ adolescendi tẽpus, augumentũ semper magis magisq; sumẽdo in consistẽdi annis sistat se, ac tum demum inde, primulũq; in deterius paulatim labens siccescat. Nos verò ab his ipsis, qui ita contendunt,

tendunt, quæremus, quanam ratione pa-ctóve fiat, vt, cuius antea rei, tantum aberat, vt iactura vlla, aut decrementum esset, vt etiam augescere illis videretur, eius tunc, illo scilicet, quo dicunt primùm tempore solùm, nullius prorsus accedente causæ, quæ hoc facere possit, nouitate, decrescere incipiat substantia. Nego, vllam illos inuenire posse iustam satis, ad persuadendum nobis hoc, rationem. Etenim si insitus nobis, ab origine ipsa, calor, qui humido huic, tanquam subiecto, sedique suæ inhæret, caloris semper opera edat necesse est, nulla (quantum ego videre possum) commoda reperiri ratio poterit, quamobrem id non tam ab initio, quàm posteriori tempore, fiat: aut dicant nobis, quæso, vnde ex semine, menstruoque sanguine informãdi corporis primò quidem ducantur lineamenta quædam, protractæque obducantur membranæ illæ, quibus obuolutus integitur fœtus, tũ deinde minùs, minusq; fluxa semper visantur membra, cæteraque omnia peragantur, quę peragi nequaquam posse, nisi calorifica, exiccandiq; vis aliqua adsit, manifestius esse debet, quàm vt probari postulet. Quòd si desiccantur hoc pacto illa à calore, humor, quem primò insidens occupat calor, caloris huiusce vim non sentiet ipse? vt siccior statim factus, ex parte (quanquã id minima sensumque prorsus effugiente) esse iam, quod antea fuerat, desinat, atq; à natura sua paululum immutetur, qui huic additur ex alimenti facultate priori conciliatus, humor? aut, si prius nullatenus siccescens, integrum, inuiolatumq; perstat humidum id, cur posterius statim hoc tunc demum primùm perpetitur? vnde noua hæc ingruens in illud de improuiso noxa? quum contrà potiùs fieri debuisset, vt, quo tempore maximè vigens florensq; perstat, eiusq; summè adaucta, vt isti volunt, substantia, humiditate, ideoq; & succo maiore constat, longè tunc quoq; plùs siccantibus meritò causis resisteret, ac propterea minùs quoq; tum omnino siccari inciperet. Atenim dicũt, ex tam paruo plerunq; plantarum semine ingentem oriri arborẽ, & quotã esse humanum semẽ corporaturæ totius, quũ ad incremẽtũ iustũ peruenerit, portiunculã videmus: vt ex hoc arguãt, vna quoq; semper succrescere humidũ id necesũ esse, quo innatus calor sustẽtari in tãta mole possit. Deinde aiunt, siquidẽ verè dictũ est, Ex ijsdẽ nobis cõstare generationẽ, & nutricationẽ: porrò aũt ex sanguine, semineque, re vtraque humida spirituosaque, ꝓcreamur, inde igitur quoq; alamur oportet. atq, si hęc vera sunt, quæcunq; iustã sui magnitudinẽ accepêre corpora, magna multaq; in his apponatur nutriẽdis mẽbris quantitas, necesse est, rerũ earũ, quæ si semẽ, sanguinéque, vnde ortũ duximus, referũt, meritò natiui quoq; humoris illius plus, ad maiorẽ corporis molẽ nutriendã, secũ trahent. Quę nos quidẽ vera esse omnia fatemur: cõcedimusque, maiorẽ semper requiri, vnde alãtur corpora, humidi portionẽ in maioribus: etiã illud donamus, incrementũ sumentibus corporibus, siue plantarũ, siue animalium, simul humidũ id, vnde priùs constabant, necessariò succrescere: non enim aliter fieri posse credimus, quin operatus in nobis semper, absq; vlla prorsus intermissione, naturalis calor, cõfectóq; alimẽto, atq; inde inutili & excrementitio quoq; reiecto, potissimã addat humoris ita elaborati partem membris, vnde primarius primigeniusq; humor augescat omnino, moleq; cõstet, quàm priùs, maiore quadã: verũtamẽ intereà paulatim siccescẽs, natiuã humiditatẽ suã, quã initio obtinuerat, sensim exuet. quod minimè incõuenire arbitrandũ est, vt maior rei alicui accedat quantitas, cuius interim ex parte qualitas decedat, præsertim, si, quod extrinsecus additũ priori insinuatũ additur, totũ tamẽ, vtpote aduentitiũ, nõ ꝓrsus omnique ex parte abire in illud potest. quũ enim hæc, hoc casu, miscendo maximè fiant, vt elaboratus repurgati iã vndiq; alimẽti succus primario succo addatur, vicissimq; in eo vincãt semper & vincãtur miscẽdorum inter se partes, vtrinq; quadãtenus iactura fit eorũ, quæ, quantũ licuit, mutuò se, tota sui substãtia, agẽdo patiẽdoq; receperunt. Ignẽ aquamq; maiores fieri, at faciẽ tamen priorẽ mutare aspicimus. ac de aqua fortasse non perinde exemplũ valeat: ignẽ verò, ex alimento (vt nõ dissimile prorsus id huic nostro sit) qui in immensum aliquando auctus crescat, eundẽ diuersissimorũ sæpe colorũ, plus quoq; minusq; emittere sæpe flãmæ videmus, quod nõ contingeret, nisi alimenti, quod primò ignis arripuerit, diuersitate. Ad eundẽ, aut nõ dissimilẽ certè, modũ existimemus nobiscũ, innatũ nobis insitũq; à prima nostri origine humorẽ, calorẽq; adauctũ dici, atq; in maiore corporũ quantitate maiorẽ, sicuti in minore minorem reperiri: atq; interim tamẽ naturæ suæ aliquid amittere posse, ea ꝑpetuò cõditione, dici vt nihilominùs innatus, insitus, ingenitusq; humor, calorq; debeat. Nã si id nõ esset, iã fatendũ omnino nobis erit, decrepitæ ętatis hominẽ, in quo haud dubiè primigeniũ illud humidũ indies magis ac magis exarescat, huius ipsius nihil ꝓrsus retinere, cuius tamen in corpore viuo pars aliqua semꝑ nõ esse nõ queat. Etenim si, vbi primũ siccescere incipit humor is, perit statim, nomẽq; cum re amittit, vt vlteriùs, nec

dicendus, nec habẽdus natiuus, insitusque nobis humor sit: iã per hos ipsos, qui siccescentẽ iam tũ statim primigeniũ habendũ humorẽ esse negant, lõgè magis inclinãte ætate peribit, nec ex eo quicquam tunc habebimus. Sin ne ipsi quidẽ hoc cõtendẽtes volẽt, quòd absurdum nimis intellectu, dictuq; sit: &, quanuis inter ipsa quoque nostri primordia, quũ primũ formamur, fingimurque, originis is initiũ nostræ humor siccari iam tũ cœperit, à nemine tamen Medicorum nõ natiuus esse creditur, diciturque: illud statim cõcedant nobis necesse est, vniuscuiusq; ætatis, donec vita supersit, habendũ dicendũq; humidũ natiuum aliquod, à primordio licèt id nostri quamprimũ, humoris semper sui alicuius deperditione, in posterũ ad extremũ vsq; siccescendo tendat, ætatibus suis conuenienter vnũquodq; semper, plus minus siccis, humidisq; plus, minus siccũ, humidũq, ipsum alimenti quoq; ex hoc rationẽ corporibus suis congruã conseruaturũ. Quãuis, si tentanda exacta omnino locutio sit, quã ἀκριβολογίαν vocant, nõ illud omnino primigeniũ, quod semini sanguiniq; mẽstruo, coeuntibus primò inter se, inhæserat, habendũ hoc sit, quod insequentiũ ætatũ fuerit, vt quod illo natiuæ omnino humiditatis minus semper minusq; obtineat, at humidũ tamen etiãnum vsq; eò restet, natiuum vt dici queat, atq; etiã primigeniũ, quoniam idẽ illud omnino sit, quo, sicuti inter initia, ita nunc quoq;, paulo licèt sicciore facto, perpetuò tamẽ ad supremã vsq; vitæ nostræ diẽ foueamur: at non sic tamen, vt (quod illi, quos contra in ista excurrimus, credebant) quo magis moles incrementum sumat corporea, ad cuius augumentũ pro rata semꝑ parte natiui quoq; vnà humoris huiusce increscat quantitas, sic illius ipsius toto eo temporis tractu assiduè humiditas etiã adaugeatur, quũ potiùs continuè post formationẽ, atq; adeò in ipsa formatione nostri, in siccitatẽ semꝑ labãtur mẽbra, natiuusq; vnà in his humor paulatim ita semper siccatus absumatur, quæ prima, certaq;, & ineuitabilis addita fuit nascentibus nobis mortalitatis nostræ origo. Quã, quum nulli, vt effugeret, prorsus concessum vnquam fuerit, nec sanè concessum iri in posterum credamus: quod proximum est, rationem quæramus, modumque, quibus incumbens semper nobis siccitatis hæc causa, si non in totum tolli (nam id si quo tãdem assequi pacto possemus, iam inuenta nobis esset vitalitatis cuiusdã perpetuò captandæ ratio) at mitigari, ne tam efficax in hæc sit, queat, vnde trahere tempus vitæ productius nostræ liceat. Ferè autem hoc ipsum, quoniam ex ijsdem vtrunque principijs pendet, aliud statim insequitur, artis eiusdem adminiculo, commodum, vt intactum, intentatumque morbis, neque molestijs vllis, quæ plurime ægrotos manent, obnoxium, & obeundis ita functionibus semper nostris liberum vitæ cursum trãsigamus. Quo maius quæri ab arte vlla corporibus humanis bonum, aut præstari vnquam possit nullum, siquidem ea demum est vita, quam corporis salubritate fruens traducas, in cæteris mortis facies quædam visenda omnibus apparet.

Causa item mortalitatis alia, tum morborum etiam quorundam: quæq; cadere sub artem, quæ minimè poßint, & dicendorum series.

CAPVT X.

PRoximam afferſit interitus nostri causam, fluores, quibus singulis temporum momentis difflatum corpus in vacuum recedat, vsque eò, vt, nisi in exhalatæ semper substantiæ locum noua subinde ingesta succederet, periturum quamprimùm fuerit corpus animatum quodcunque vita sua destitutum. Nunc quum, quantum illi assiduè deperit, tantum continuò additione noua resarcitur, subsistere ratione ea refectum potest. Et quanquam priorem insequi posterior hæc causa soleat, (videri nanque possit natiuus calor non immeritò, vt siccitatis, ita transpiratæ ipsius exhalationis author) attamen per se quoque subesse posteriorem hanc in non paucis videmus, in quibus, quum nullus, aut minimus insit calor, minui nihilominùs tempore, aut etiam plerunque momento, corpoream illorum molem animaduertas: quod quidem contingere, nisi euaporata substantiæ parte, nequeat, idque in alijs licèt plus, in alijs verò minus, in omnibus tamen, aut sensu apertum est, aut ratione colligitur, quæ vel solidissimas, densissimasque, ac maximè compactas res, Aurum & Adamantem, dissipari tandem fluxionibus his posse conuincat. Atque eæ artificio ambæ tractari possunt causæ, quoniam, naturales quum sint, naturæ ordinem insequuntur quendam, cuius modum, rationemque, & causas paulo diligenti inuestigatione conquisitas, tenere omnes possimus, ac proinde artem in his statuere, concessum nobis sit, vt in reliquis, quorum non vsque eò occultentur causæ, vt deducere rem ad artem non liceat, quam nihil aliud, quàm rectam quandam faciendarum nobis rerum rationem esse dicant. Hæc porrò, nisi

nisi cognitis causis, constare nobis satis haud vnquam poterit, vt, quę illarum tantummodo cognitione nitatur, ratio. Geminas hasce, quæ intrinsecus nobis imminēt, artisq́; , vt dixi, tractari ratione queāt, causas alia insequitur, vnde multo maxima morborum generis propè cuiuscunq; origo pēdet, ideoq́; multo maximè ac diligenter tractanda veniat, nimirū ab excrementis, quæ necessariò, quæcunq; cibi potusq́; nomine sumimus, comitātur, ducta. Eorū autem, quæ extrinsecus nobis occurrunt, quædam necessariam omnino habent aut calefaciendi, aut refrigerandi, aut siccandi, aut humectum faciendi, causam: vt aer, quem nō solùm inspirando momentis singulis temporū trahimus, verùm etiam constituti in eo assiduè versamur, totaque hac nostra corporis mole circundati, ambitiq́;, illius semper vsum, noxámve aliquā sentimus, vnde ambientis nomen alia non habēt, neq; enim necessariò aut vulneraturis nos rebus, aut vllam aliam impressionem in nos facturis, aut vnde luxētur, infringantúrve partes corporis nostri aliquę, casibús ve alijs, quorū fortuitus, improuisusq́; accessus sit, occurrimus: vnde sanè ne in his quidem cōsistere artificij alicuius ratio valeat. quomodo nanq; temerarias res, & inconstantia sua, quò ferantur, incertas, ad stabilem rationis ductum, quo recto nitimur, reducemus? Simul, quoniam, quanuis improuisò nobis hæc accidere soleant, vt prouideri multo antè non possint, cuncta tamen in aperto omnibus sunt, atq; vnico, eoq́; minimè quidē abstrusæ rationis, præcepto comprehensa, nimirum vitandi hæc ipsa, reconditam secum consideratione afferunt nullam, hac quoq; ipsa de causa sub artem cadere minimè debebunt. Etenim artis ratio, paulo magis latentibus, cōmuniq́; hominum exemptis sensui rebus, adhiberi rectè solita est, vt nec aeris quidem ipsius, cuius vi, accedente tempore, atq; edacitate res tandem absumptæ pereunt durabilissimæ quæq; natura, sic in vniuersum & simpliciter accepta futura artis sit, ac tum demum tantùm, quum paulo à vulgi cogitatiōe semotius, quomodo obesse nobis, aut prodesse qualitatibus suis possit, in illius naturam ingressi inquirimus. Sicuti sanè nec ꝓ magno Medico habebimus, imò nec magnopere pro medico, aut qui hygijni artificis insigniēdus nomine sit, cui id vnū notum fuerit, quo pacto lurconum, gulosorūq́; nimis manifesta ingluuies animaduersa castigetur, aut qui vitam se productorum polliceatur eorum, quos aperti nimis vitæ errores coarguant, id enim præstare vel de media plebe aliquis possit, vt admonitor tantùm factus enormiter peccantem in communem, atque vsitatam saltem viam quandam reducat: ibi demum intra consueta hæc, omnibusq́ue in aperto posita, quod artis sit, latet. à qua sanè conditione quum longè absit, causarum, quas tam esse propalam diximus, consideratio, extra artificij omnis rationem positas relegemus: amplexemurq́ue eas, quarū quia in abdito ratio sita est, vt rectè sciantur eæ, inquiri considerariq́ue diligentiùs postulant: atque ita demum cognosci, cognitæq́; ac partibus sui omnibus excussæ, varijsq́ue varię corporibus diuersimodè aptatę, maximam artificij constituere rationem, possunt. Quæ planè diuersitas cogit nos, post disputationem de his modò habitam, rerum priùs, quæ huc pertinere videntur, omnium discrimina notâsse, seorsumq́ue exposuisse, vt, quæ, quibusq́ue applicari commodè deinde res debeant, sciamus. Et quoniam, sic ducente rerum natura, rationē nitentis artificis prius esse officium videtur, vt Subiectum, circa quod finem suum molitur, benè cognitū habeat, ac tum demum instrumēta, quibus id assequatur, inquirat: materiamq́ue circa quam, priusquàm qua actiones suas exercere possit, teneat: ita nobis quoq; hoc loco faciendum erit, vt diligenter priùs corporum, quorum sanitatis tutelam molimur, naturis, ætatibus, tēperamentis, & eiusmodi omnibus notata discrimina veluti sub oculos ponamus, quo deinde faciliùs rerum quoque hoc ipsum nobis præstatium syluam, supellectilemq́ue illam vniuersam, differentijs itidem suis distinctam, accommodare in tempore, diuersis, quæ egere ea videantur, corporibus valeamus: in quo non immeritò artium cunctarū tanquam summa caputq́ue inesse existimatum semper est à clarissimis Authoribus. Siquidē nulla sit omnino habenda ars, rationis ductum sequens, quæ non hac via, hoc modo, vestigijsq́ue his progressa, ad finem suum contendat.

Suis quæque locis distribuisse Naturam inhabitantium corpora accommodè satis: & quæ extremarum Mundi plagarum ratio, quæ media, aut proximarum huic.

CAPVT XI.



Hominis natura, si cū alijs animalibus conferatur, temperatissima omnium est. Naturam quū dicimus, Temperamētum hoc loco intelligim⁹. Meritò autem hoc, sum-

miq́ue Opificis prouidẽtia factum, vt nobiliſſimum omnium futurum corpus, & cui cætera paritura animalia cũcta eſſent, id, quoniam in quamcunque partem exuperãs exceſſus vitioſus futurus omnis erat, velut in medio conſtitutum, eiuſmodi haberetur, vt in id ſpectare, cuius gratia facta creataq; eſſent, reliqua omnia poſſent, ipſumq́ue ideo, tanquam amuſſis quædam ac regula eſſet, cuius reſpectu exceſſus oẽs, qualitatumq; diuerſarum exuperantes facultates notaremus. Neque tamen animantium ſolùm, verùm etiam mũdanarum rerum omnium, quæcunque quidem inferiorem hunc mundum ſortitæ, ex Elementis, proportionibus quæque ſuis inuicem mixtis componũtur, medium occupauit, vt reliqua omnia ad hoc corpora, ipſaque adeò Elementa, calida dici, frigidáve, humida, aut ſicca debeant: quanquam hæc (Elementa dico) exuperantiæ potiùs ſuæ, qua ſummum qualitatis vnius alicuius obtinentia, talia eſſe dicuntur, rectiùs nomine ſignentur. Atq; hæc quum ita ſint, non quoduis tamen humanum corpus conditione ea præditum eſt, vt in medio rerum mundanarum omnium poſitum dici poſſit. Ipſum nanque fortaſſe humanum corpus, ſic in commune acceptum, omnium reliquorum medium obtinuerit: at ipſum ſui ipſius, hoc eſt, ſpeciei ſuæ, mediũ, non quodlibet, verùm id tantùm, quod eas corporis dotes à natura ſortitũ fuerit, vt non ſolùm æqua Elementorum quatuor, vnde initio conflatum eſt, mixtione conſtet, ſic, vt nec calidum dici, nec frigidum, nec humidum, nec ſiccũ plus iuſto queat: verùm etiã corporatura in eo, partiumq́ue omnium inter ſe compoſitio ſeruata æquabiliter menſuræ proportione reſpondeat. Ac fortaſſe in votis tantummodo habendum ſit, vt tale nobis corpus viſendum contingat, cæterùm locorum nuſquam, aut gentium reperiatur. Et ſicuti nec Platonis vnquam Rempublicam vidimus, quam ille ſibi de ſuo finxit, optimã quidem illam, ſed nunquam conſpectam, ſubſiſtentem nuſquam: nec Homeri Achillem, tam numeris ſuis omnibus heroicum: nec Oratorem, ad inſtar illius, quem de rebus his ſcribentes inſtituunt, factum: equosq́ue inſpicere multos licet pictos, aut ex ære ductos, quibus ſua cuique conſtet omni ex parte abſolutiſſima effigies, viuos non licet: ita Hominem, ſic ad vnguem à natura factũ, nihil vt illi omnino deſit, punctumq; omne hac in re auferat, fingere nobis ſolũ poſſimus: cui verò exactę vndiquaque temperaturæ, exquiſitæq́ue prorſus ſtructuræ omnia adſint, nullus vnquam fuerit, futurúsve ſit. Et notis quidem ſignisq́ue ſuis repræſentari oculis corpus tale poteſt, quale exactũ omnino eſſe cenſeamus: cogitanti autẽ, diligenterq́ue ſecum cuncta reputanti, fieri minimè poſſe videbitur, vt veluti pũctum rerum omnium in exceſſu poſitarum medium corpus vnquam vllũ occupet, ἀκριβολογοῦντι dico iſta, exactiſſimaq́ue ea diligentia excuſſa diſputanti, à qua nihilominùs abſtinendum nobis ſit res eas tractantibus, quarum ſemper cognitionem ſenſuum inprimis vi nixi aſſequimur: ne, ſi (quãuis id in aliquibus facere poſſimus, vt ratione quædam aſſequamur, ſenſibus ſeſe alioqui noſtris ſubtrahentia) hoc nihilominùs, vbi operæpretium futurum nullum ſit, faciamus, aut artiũ earum, quas tractamus, vſu deſtituamur, aut Dogmata incurramus à communi hominũ ſenſu longiſſimè abhorrentia: vt in noſtra hac, quanuis certiſſimè ſciamus, idq́ue clarum facere rationibus poſſimus, nullum reperiri omnino poſſe corpus, quod in rerum omnium æquilibrio poſitum conſtituatur, ſicq́ue vndique attemperatum dici poſſit, vt in nullum penitus exceſſum vergat, itaq; partibus inter ſe ſuis comparatum ſit, vt de proportionibus ſuis nuſquam exeat, quoniam hoc materia ea, ex qua cõflamur, non ferat, rudis plerunq; ac rebellis, nunquam autem vſque eò artifici parens, vt totam ſe omni ex parte, nihil prorſus ſubterfugiẽs, expoliendam præbeat, iam enim inferior hæc materia non eſſet, & ad cæleſtem potiùs quandam accederet, nimis tamen diligentem huiuſmodi excuſſionem non ſequimur, vſum omĩno, vt dixi, artis in hoc noſtræ, ſi id facere pergamus, amiſſuri: & quod ſignis, notisq́ue ſuis offeretur æquale nobis corpus, quanuis ſciamus nõ prorſus eiuſmodi eſſe, pro eiuſmodi tamen habebimus. Similiter, atq; attemperatæ æquiſſimis calidæ frigidæq́ue portionibus aquæ ſi pauxillum quid alterutrius additum inijciatur, temperamento iam æquabiliſſimo ſuo illo, quod paulo antè tenebat, non conſtare certò ſcimus, at temperatam nihilo ſeciùs, æqualiter ſenſum noſtrum ferientem cẽſemus, donec pluſculũ additum, iam non ſolùm ratiocinantibus nobis, ſed etiã ſenſu experientibus, inęqualitatis non obſcura aliqua tãdem ſeſe nota offerat. Ad hanc regulam ſi exigatur, optima cõſtitutione præditum dicere corpus poſſumus, quod, ſi non exactiſſima illa, atque vndiquaque inculpata, at quæ nobis tamen inſpicientibus videri iuſtiſſima poſſit, menſura, temperamentoq; conſtet. Atque hoc tamen ipſum tam affabrè factum, attemperatumq́ue corpus, non vbique locorum temere reperias. Sed eſſe oportebit, quod in rerum cunctarum medio reponendum

fuerit

fuerit corpus, primùm non quoduis, aut quouis in loco genitum: deinde non ætate quauis: tum ita alitũ educatumque, vt per studia, vitæque institutionem assiduè ductum, vitatis causis omnibus ad excessum nullum deflectat, perpetuumque temperaturæ, constitutionisq; suæ tenorem ad extremum vsque seruet. Non ergò quæremus corporum conditionem hanc apud Scythas, neque enim rigidum illud cœlum largiri hoc possit: neque rursus ex Aethiopia petemus, quoniã absumpto humore exucca nimis corpora longiùs etiamnum à temperamẽto abesse, igneo quodam calore sicca videntur: in medio sita sit oportet plaga, quæ temperamentum hoc ferat, vti qui constare ita debebit, nõ solùm natales suos sortiatur his in locis, vbi adseruari in natura sua possit: verùm etiam ortus sui causas habeat temperatas, parentum dico semen, quod nisi in tẽperata regione haud temere temperatum inuenias, & vteri gestationis tempus totum, quo, nisi gestãtis accesserit cura, qua intra mediocritatis terminos cõtenta seruentur, quæcunque ad victus rationem pertinẽt omnia, facilè sensurus excessus alicuius vitiũ inde fit contentus vterofœtus. Etenim, si quotidie videm⁹ (quod mirandum omnino sit) in grauidarum appetentijs varijs, quam Picam vocant, desideratarum rerum suboriri in fœtibus specimina quædam, tanto quidem magis molitura esse manifestiorũ qualitatũ ibi vestigia credemus, tum quarum euidẽtes causas passim teneamus, vbi quidem impressa occultiorũ effectorum manifestò hic quoque inspicere signa liceat. Verùm hæc ad eam fortasse tractationis partẽ magis pertineant, qua Salubris artis præcepta traduntur: Nunc, quod aggressi semel sumus, exequamur, corporum, quibus applicari ars debeat, distributionem persequentes, inter quæ conditione constitutioneq; optima præditum, quum non vbique locorum reperiri posse ostenderemus, etiam quibus locis reperiretur diximus: at nõ passim tamẽ ibi eiusmodi semper futura esse corpora credimus, vt temperatissima sint, quandò neque in regionibus ipsis qualitatis alicuius nimietate excedentibus, excessibus semper illis respondere natiua locorũ corpora solita sint, vt in calida semper calidũ, in frigida frigidum, sicuti humidũ in humida, siccum in sicca inuenturos nos semper necessariò corpus quodcunq; regione existimemus: contrà enim euenire sæpe potest, vt in calida frigidum, calidumq; in frigida, idemque in alijs, contrariũ vt in contraria reperiri corpus regione queat. Nam inter Germanos calido videre est temperamento præditos quosdam, & inter Aegyptios Mauritanosque pinguissimos nonnullos tamen, quod signi sit, frigiditatem omnino subesse temperamenti. Quòd si ita est, vt in diuersis inuenire diuersa regionibus corpora liceat, etiam inuenire attemperata poterimus. Etenim si, quod minùs fieri posse videatur, calidum fert corpus regio, frigida quæ sit, temperatũ quoque, quod faciliùs euenire potest, tulerit: quanto quidem distare minùs ab extremis medium solet, quàm extremorum inter se vtrunque, vt eadem ratione extremorum semper alterutrum faciliùs medium ferre, quàm pugnantissimum sibi alterum possit. Quod in non nimis tamen exuperantibus qualitate aliqua regionibus contingere posse existimabimus. Nam nec Aethiopas frigidos vllos, nec Lappones, aut Septentrionales Scythas calidos, inuenire vllos facilè, nisi verò secundariò, atque ex accidenti, possis: vt & illi calidi, intrò nimirum pulso ab ambiente frigido, calore: hi verò frigidi, foras eodem hoc ab extrinseco calore alio euocato, sint, videlicet vt ex dimidio tantùm calidi, frigidique foris intusque censeantur Aethiopes, atque id genus hominum, feruida illa æstuosaque plaga contentum, foris quippe calidi, intus frigidi: è diuerso Hyperboreo Septẽtrioni subiecti intrinseca omnia calida retinent, extrinseca frigida: at nos, quæ omni ex parte talia essent, corpora intelligebamus. Quorum vt in temperata, aut ea, quęcunque ab hac non longè abest, regione reperiri cuiusmodicunque propè generis conditiones possint: nemini tamen esse dubium debet, maiorem semper temperatorum in temperata, sicuti calidorum in calida, frigidorum in frigida regione, corporum numerum quærentibus occursurum, idque signis semper suis cognoscendorum. Videre est in hac, quam nos inhabitamus plaga, ab exacta cœli temperie, quæ medium sortita sit locum, in Septẽtriones iam satis vergente, vtpote quæ per Pontum ferè ducitur, temperatissimæ tamen conditionis corpora quædam, signis dico, notisque, tam intrinsecus, quàm extrinsecus petendis, suis comperta. at idem in ea, quæ aut per Borysthenẽ, aut per Riphæos agitur, plaga reperisse non facile sit. Etenim, quemadmodum, vel de Aristotelis ipsius sententia, nunquam natura contrariæ rationis corpus loco commiserit conseruandum, opposito sese ad id modo habenti, vt vel ex cera constans in calido custodiendum adseruandumque esse putet, vel ex sale, aut nitro compositum in humido: quòd ex calido & sicco conflata corpora diluere facile humor soleat, ex molli autem, vt cera, substantia quæcũq;

constant, calore liquescant: ita meritò nec calidissimo cœlo frigida ex toto, nec frigidissimo calida subiecerit vnquam. Et, quãquam certior semper spectari obseruati ita in rebus his à natura moduli ratio in elementis possit, quæ animãtibus semper suis omnia, singulaq; ornata distinxit ipsa, corporumq; structuram, mixtionemque locis semper, quę inhabitatura, cõmodeq; in his victura essent, idoneã fabricauit: ac terrestre animal homo, quibuscunque in locis futurus esset, ideo terrenum quoque semper corpus obtineat: animaduerti tamẽ ad eandem hanc rationem differentiæ possunt insignes quædam, vt, quoniam, nauigationibus nouis patrum ferè memoria inchoatis, nostra autem propè iam absolutis, orbe terrarum vniuerso permẽso, cunctas illius inhabitari partes deprehensum est, vbique locorũ diuersissima hominum genera suis quæque locis à natura adaptata reperiãtur, & in benè frigida regione, cœlique statu tali inhabitãtium, omni exparte, corpora respõdeant, idemq; in contraria huic, reliquisque deinceps duabus, humida scilicet ac sicca, qualitatibus obseruetur. Aethiopas videmus mole habituq; corporis totius exucco, calidoque, quod cincinnatũ tortumq; inprimis, tanquam ab ignis vi aliqua, capillitium notet. eosdem, quanquam nõ perinde fortasse natiuo calore multo, qui calore humoreq; plurimo constet, at acri tamẽ, igneoq; interiùs quoque prȩditos esse, valdè verisimile est. Cõtrà Lappones quos vocãt, ac supremo mũdi vertici suppositæ partis incolas populos, signa exhibere conspicimus nõ obscura, extimas, intimasq; corporis partes occupantis frigiditatis, torpentes propè sensibus omnibus, ac vix communis quosdam sensus specimen retinentes: videmus iam torpidas cordis, cerebriq; facultates propè omnes, retusamq; nimis vniuersis, mentis, rationisque aciem, vnde illis apud Germanos nomẽ. Iam si ab vtroq; extremarũ partium latere, discessu ad medium facto, recesseris, paulatim imminui signa, ac sensim magis semper, magisque recedere notabis: primumq; signa ea minutatim aboleri, quæ intrinsecus petuntur, remanere autem extrinseca manifestò, vt à frigiditate ad medium procedentibus apparituræ foris notæ quædam frigiditatis sint non obscuræ, intus verò caloris obscuræ quædam primò detegantur, tum paulo procedentibus etiã manifestiores appareant. Sic videmus Germanos, bonam partem, flauos, ac cute candida, intereà iracundia concitos ferri: neq; enim, sicuti sub extremo axe, tãtum apud Germanos, prȩsertim superiores, frigoris, vt corporũ id particulas omnes permeans, seseq; altiùs indens, afficere per totum vniuersa possit, quin potiùs ambiẽtis frigiditas ea, non vsq; adeò magna, valdeq; intenta, intrò tãtùm pulso calore, nõ aũt victo, maiore que ita illoa, tq; in vnum compulsione, validiore etiam facto, reddere eadem ratione calidiora quoq; viscera omnia potest, donec tẽperatior intermediæ aut propè mediũ sitæ regionis calor, placida quadã in corpora insinuatione partibus omnibus infusus, æquum vbique temperamentum reddat, rursusq; abitione à medio in contrarium calidum facta, remanentibus semper extrinsecis quibusdam caliditatis signis, interiora, euocato ab ambiente nos aere foras calore, veluti hoc ipso depauperata frigescant, atque ad extremum huius ipsius redundantis plus iusto caloris nimietate, omni facilè ex parte non intus minùs quàm foris incalescant aduentitio potiùs quodam quàm natiuo calore corpora. Ergò vndequaq; exactè attemperata in temperatissima fuerint regione corpora, plurimaq;, sicuti paucula in non multũ quoque ab hac ipsa distantibus, maior tamen semper non immeritò eorum vbique reperietur corporum pars, quæ plagæ suæ temperamentũ subsequantur, calida calidum, frigida frigidum, sicuti humidum quoq; humida, & siccum sicca: par autẽ sit ab extremis, vtpotè efficacissimis, affici magis atque ex toto corpora, medio autem quodam, sicuti diximus, ex medijs locis modo, & ob efficacem vehementemq; extremorũ, extremisque proximorum locorum actionem, temperamento ibi per totum laudato prædita inueniri non posse corpora: in his verò, quæ proximè magis ad temperatam accedunt, quãquam raro, posse tamen: quòd cœli intemperies ea siue ad frigidũ, siue ad calidum vergens, extremis tamen illis semp remissior, & infractior, vinci causarum quarundam aliarum accessione possit, vt benè temperati corporis nuper natus puellus existat, parẽtum verò inprimis semine adiutus aliquis: initaque tempore ad id apto, vt introduci commodè temperies queat, cõceptione: si in calidiore plaga, placidæ prætereà hyemis tẽperamento foueatur in vtero fœtus, in frigidiore idẽ superuenientis æstatis beneficio assequatur, vterũq; ad hæc gerentis cõposita idoneaq; victus ratio accedat, & huiusmodi alijs iuuetur, quæ, sicuti vincere non nimis excedentem ambientis qualitatem possunt, vt temperamentum fœtui addant, ita nõ immeritò vinci ab eiusdem exuperante nimis qualitate, ne hîc eundem quem ibi producere facilè effectũ queant, consueuerunt: ità fiet, vt in nõ admodum exquisitè attemperata regione, satis tamẽ exquisitè

site tēperati expectari ortus hominis possit, in nimiùm à temperamento excedente non possit.

De medij omnium temperamenti corpore, de Nationis cuiusq;, & ætatis medijs: quomodo mutato temperamento ijdem, quomodo dici rursus diuersi poßint: Quæ exisse temperamentum humanum verisimile sit, & de ingressu in alienum.

CAPVT XII.



Vagati paulo licentiùs sumus, redeamus in viam, & id quod propositum nobis primò erat, conficiamus, corporũ distributionem. Quorum quod attemperatissimum esset, in attemperata itidem regione, crebrò satis inueniri posse concessimus, at idem nonnunquam tamen vel in paulo ab hac recedente natura subsistere, idque signis, notisque suis euidenter satis manifestum solere, monstrauimus. Verùm hoc ipsum, quod corporum humanorum omniũ statui medium potest corpus, in alia, quàm quæ temperata sit, regione positum, regionis intereà illius medium non fuerit. vt enim optimè omniũ attemperatum, quod alibi quoque produci corpus posse docuimus, suæ tamen, nimirum optimè omnium attemperatæ, regionis proprium, corporumque inibi in excessum, aliquo tandem pacto, aliquem declinantium, rectè meritoque constitui medium debet: ita existimandum nobis fuerit, reliquas quoque regiones omnes propria sibi sortitas esse corpora, suum quamque, quod, cùm temperamento suo, inhabitatis à se locis conuenienti, respondeat, tum verò reliquorum, quæcunque plagæ illi subiacent, intermedium corporum occupet, vt nō Scythæ minùs, quàm Aethiopes, non Germani, quàm Aegyptij, habituri hoc pacto mediũ suæ gentis sint, à quo statim quodcunque in alterum latus vergens declinat corpus, vel, si ad commune omnium medium accesserit, aliam quàm temperatam regionem inhabitans, medio tamen suo collatum, lapsum iam ab habitationis suæ medietate intelligi debeat. Verùm omissis hoc loco his, temperatissimum omnium corpus in medio cunctorum statuamus, quod & generationis suæ causas temperatissimas omnes habuerit, & natales eosdem sortitum sit, ac nũc quoq; temperatissimis omnibus vtatur, necunde à temperie sua labens decidat, cibo, potu, cœlo, reliquis omnibus. Attemperantia hæc, atq; æqualitas, geometrica inprimis proportione quũ constet, eadem tamen & arithmeticam obtinet. Nam, quũ corporis humani vsus, atq; necessitas, temperamētum eiusmodi, quod medium omniũ esset, maximè exigeret, (nō enim aliter subsistere, ad res rectè suas obeundas, humana species poterat) in eandem hanc, quę geometrica sit, vnà statim incurrit arithmetica quoq; æqualitas. siquidē in eo, de quo nunc disputamus, corpore, Elemēta quatuor ea inesse debere ratione existimādum nobis est, quæ proportione sua non tam quātitatem horum referat, quàm vires ostēdat, quod satis omnino ad æqualitatem hanc statuendam futurum sit. Atq; æqualitatem hanc ipsam quanuis ætatum deinceps omniũ curriculo æquale temperatumq; cœlum, quatenus quidem illarum ipsarum ætatum ratio admittit, largiatur, æquam tamen illam temperamenti prorsus iusti portionem nō nisi in consistenti ætatis suæ vigore adipiscetur homo, idque, si penitus exquisitè rem ipsam, vt habet, tractemus, summum hũc ipsum vigorem tantũmodo nactus habebit, rectè vt dici temperatissimus possit, illiq; tum demum primùm hoc cōtinget, quum per conuenientia oĩa progressus, ad summũ ætatis, tanquam apicem venerit, vbi momēto tantùm temporis subsistat, ac veluti in nouaculæ cuiusdam acie cōstitutus, atq; quò vlteriùs in melius tendat non habēs, rursus præceps (quoniam quidem nũquam feriatur natura) in decliue ætatis suæ lapsus feratur. Ad huncq; modum, si rerum rationē quandam sequamur, solũ verissimũ fortasse futurũ sit, summam hanc & inculpatam prorsus temperiem, nullaq; penitus ex parte reprehendendā constitutionē, perq̄ exiguo breuissimi cuiusdā tēporis momēto, pũctoq;, nempe in fluxo nimis summi ætatis totius medię vigoris transitu, duraturā, ac, veluti in rerum suarum culmine quodā positam, inde citò lapsuram. At nos, quanquam hoc defendi posse exacta disputandi ratione quadam sciamus, sensum tamē in arte, quę non minimùm hoc ipso nitatur, sequuti, donec labentis iā ab exactissimæ huius constitutionis cōditione nobis signa nō repręsententur apertiora quædā, optimè exquisitissimeq; habitum, constitutumq; corpus esse, affirmabimus, ætatisq; vigorem statuemus non fluxũ illũ, ac momentaneũ nimis, sed in quo validæ etiamnum euidēter satis subsistere vires videãtur, cæteræq; vnà nōdum occultentur optimè attēperati cōstitutique corporis notæ, atque ita habituri simus longi satis temporis moram, in qua bonitatis suæ statum conseruare, suæque vnà conditioni respondentes edere functiones, queat eiusmodi corporis constitutio. Eadem cogit nos prorsus ratio, hanc ipsam laudatissimæ constitutionis bonitatem

tem in fœmineo ſexu non quærere, quòd is, quantumuis mediam per omnia cœli temperiem nactus, euidentibus ſemper tamen conſtitutionis optimæ indicijs deſtituatur. Et eſſe quidem ſub temperatiſſimo cœlonata, educataque, reliquarũ, quæ vbicunque tandem reperiantur, fœminarum omnium optimè in omnibus conſtituta mulier poteſt, at eadem temperatiſſimo alioqui viro collata, quum frigidior procul dubio cenſeatur, etiam ſigna hoc ipſum indicantia referet, quibus lapſum à temperie ſumma illa temperamentum ſuum prodat. Quo propè modo ætates quoque reliquæ omnes medium habebũt, quò referantur, iuxta quidem ſe temperatiſſimum, vt inter pueros, adoleſcentes, iuuenes, conſiſtentis ætatis viros, ſenes, decrepitos etiam ipſos, omnium tamẽ in medio repoſitus aliquis ſit, quem temperamento, vt ea ætate, optimo, laudatiſſimoque præditum dicere poſſis. Ad eũdem modũ, nationes cunctæ, id quidem de cœlo ſuo quæque ſortitæ, tanquam regulam nactæ fuerint vnum aliquem generis ſui attemperatiſſimum, cuius reſpectu, dici reliqui notariq; exceſſus alicuius nominibus poſſint, calidi, frigidi, humidi, ſicci, Germanus temperatus, Scytha temperatus, Aethiops, Aegyptius, Arabs, Apher, temperati, atque à temperie hac labentes reliqui, ſed qui tamen vniuerſi rurſus, propriæ nationi ſuæ temperiei latitudine, ac ceu campo quodam latiſſimo contineantur, quem extra quiſquis progreſſus aliquo tandem pacto temperamento ſuo fuerit, iam dici de nationis ſuę temperamenti ratione vlteriùs nequeat, ſicuti in ætatibus quoque ipſis, vbi neque Senex Adoleſcentis, puerive temperamento præditus inuenietur vllus, neque è diuerſo Senis, puer Adoleſcénſve, aut ſi inueniatur tandem, iam ſenilem habitum quendam induerit, non ampliùs Adoleſcens, vt quos Philippus ex affectu, quem ἐκ νόσου γῆρας vocant, ante tempus, ſenes factos notabat. ſic fit, vti non tam ætates, quàm regiones, ſiue nationes ipſæ, quàm etiam reliqua propè omnia, limitibus quęque ſuis contineantur certis quibuſdam, quos ſi quo pacto tranſiliãt, exuto natiuo temperamento ſuo, aliud quàm primùm diuerſi, alteriuſque generis temperamẽtum incurrant. ſic ſæpe videmus Aethiopas, Indóſve etiamnum pueros in ſeruitutẽ abſtractos, relicto plerunque patrio ſolo, & alieno paulatim aſſuetos, commodè ſatis vitam produxiſſe, ſed mutato tẽperamento, neque enim fieri aliter poteſt, quanuis cutis adhuc nigra, & intortum capillitium remaneant. quo ferè modo in ætatum mutationibus fieri ſolet, vt quicunque priùs ætate ſua conſiſtenti, caliditatis, ſiccitatisque ratione, pilorũ multitudine, per corpus ſpectabantur, ijdem iam in ſeniũ vergentes, frigidioresq; facti, eodem ſpectentur modo. Itaq; meritò addubitari poſſit, num dicendus habendusque Aethiops ille ſit, Indúsve, qui immutato Aethiopis, Indive temperamento vitam degat, quoniam quidem naturam temperamẽtum facere affirment medici. Sed enim, quemadmodum eundem vnum aliquem, Dionem puta, aut Socratẽ, mutatis per ætates omnes temperamentis, deque calido, & humido, ad extremum in frigidum, & ſiccum collapſum, atque alium prorſus factum, (quid enim ſimile, quod ad hoc attinet, adoleſcẽti eidem, & ſeni) pro eodẽ tamen habemus: ſic, ac longè quidem magis (quando nõ tam diuerſi oculis noſtris offeruntur, exuſtæq; cutis color, inflexique capilli perſtant, quibus potiſſimũ ſignis nationes eas agnoſcimus) mutato licèt temperamento Aethiopas tamen adhuc, & Indos vocabimus. Poſſunt nihilominus, vt hoc quoque diſputationi huic addatur, atque etiam incidere aliquando ſolent caſus, vt vſque eò, temperatura alicuius, in contrarium, quàm naturæ ſuæ cõueniat, acta feratur, vti iam propriam ex hoc immutare, atque aliam omnino facere naturã cogatur: ſicuti quũ intantum variaſſe quoſdam temperamentum natiuum ſuum videmus, vt ex macilentis obeſiſſimi, ex imbecillibus fortiſſimi, ex admodum ægrè concoquentibus priùs, iam validiſſima cibaria qui conficere poſſent, euaſerint: quo facto, indiuidui, quod priùs fuerat, meritò aliã iam factam naturam eſſe credat aliquis. Rurſus viſos aliquando aliquos eſſe ſcimus effigie tantùm humana, atque ea tamen non prorſus non degeneri, ſed aliqua tandem corporis in parte beſtiam referente, qui muſcas, qui araneos, qui ſorices murésve, nuper autem, vt audio, qui pannoſas etiam veſtes deuoratas conficeret: quos omnes, quis eſt qui cum humana deputare ſpecie audeat? ac non potiùs fractis cancellis de humanę naturæ campo exiſſe putet? atque id in deterius, infraque conditionem humanam, illud ſupra, quaſique hanc ipſam ſuperans, vincenſque hominum genus, eorum, qui vulgo exempti, imò extra communem generis noſtri aleam poſiti, aut Dijs accepti miracula natura quadam ſua ducti edidêre, aut vitato prorſus hominum cõſortio, ſponte ſua, nullo coacti infortunio, aut affecti iniuria, ſed potioris cuiuſdã quàm ſimpliciter humanæ, ſuæq; ſibi tantùm naturæ ductum ſequuti, abdicarunt ſe volentes prorſus ab omni ciuili communitate: vitamque degerunt, priuati ſui inſtituti

tuti propriam, ſupra homines, aut etiam
in rerum contemplatione poſiti, munda-
nis negotijs omnibus nuncium remiſere,
quo commodiùs, in altiſſimo quodam ſe-
çeſſu, diuinarum, humanarumque rerum
inueſtigationi vacarent. Hoſce non nos
ſolùm alij, beatos vocare plerunque ſole-
mus, ſed Ariſtotelis quoque ipſius, Philo-
ſophi tanti teſtimonio cenſentur, ita ſic
aliquãdo inquientis, καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν,
καὶ οὐ διὰ τύχην, ἤτοι φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ
ἄνθρωπος. Hominem ingreſſum id vitæ in-
ſtitutum, vt ciuium reliquorum commer-
cio, omnino, ac communione çareat, non
hominem deputans, ſed aut nihili, aut ſu-
pra humanæ ſortis conditionem. Quos ve-
rò nos diximus, quicunque immeritò ni-
hil æſtimauerit, ipſe meritiſſimò nihili exi-
ſtimandus, habendusque ſit. fit ergo, vt ſu-
pra nos poſiti viuant. eoſdem hoſce ali-
quãdo extra ſe delatos ſpiritu ferri ad ſub-
limia experimur, relicta prorſus viuifican-
di corpuſculi cura inferioris notę faculta-
tibus, ſui, & altiſſima petentes, elatosq́;, &
in ſublimi tãtum euagatos, minimam tum
fouendi corporis curam gerere, &, quod
de neſcio quo tradidit antiquitas, cuius fe-
runt pro arbitratu prodire animam foras,
rurſusque, quum vellet, in corpus reuerti
ſolitam: ſic ij, ſuperata conditione huma-
na omni, ac fortiter calcatis terrenis rebus,
haud mirum, ſi hominem penitus quan-
doque exuunt, ſeſeq́; vſque adeò ſorti no-
ſtræ eximunt, vt, quod ope humana nulla
perfici queat, opus ipſi ſæpè perfecerint.
Quid? commune hominum habendum eſ-
ſe dicemus temperamentum, eorum, à qui-
bus ſerpentes refugere notum eſt? vt Mar-
ſi, vt Pſelli ſunt, quorum intuitu faſcina-
ri multa ſoleant, atq; etiam quoſdam inte-
rimi, duplicem, vt aiunt, oculorum pupil-
lam geſtantium: qui nunquam riſerint?
qui eodem ſemper vultu ſpectati fuerunt,
vt Socratem ferunt: qui vaticinando vſq;
adeò polluerunt? vt Sybillæ, vt prophetæ:
quorum contactu partes quædam corpo-
ris noſtri ſanarentur ægrotę? ſuſcitarentur
quoque quidam demortui iam, vt Pyrrhi
Regis dexterioris pedis pollex, quo lienoſi
tacti ſanabantur: vt prophetæ corpus in
cadauer incumbentis illius, parteſque qui-
busque ſuas per totum, manibusq́; manus,
atque oribus ora applicantis, oriſque fotu
ſui inſtillantis ſtatim vitam, vt innumera
propè huiuſmodi, ſi referre non pigeat.
Magni ſunt authores, quibus fidem abro-
gâſſe piaculum propè ſit, habere Hiſpani-
am genus hominum, addunt etiam no-
men, Salutatores vocant, geſtare dicuntur
in parte corporis aliqua natiuam, ab origi-
ne, notam, ceu ſemifractæ rotæ, quale ferè
diuæ Catharinæ appingi ſolet inſigne,
omnibus his ea innata inſitaque à natura
eſſe vis dicitur, vt à cane rabido demorſos
perſanent, verine, an nothi, generis ſint,
(ſunt nanque qui ſe familiæ huic inſerant
ſubdititij) ignis experimento coarguun-
tur, quem qui adulterini non fuerint illæ-
ſi ferant. Horum, atq; huiuſmodi quidem
omnium longè ab humana excedere natu-
ram temperamentumque perquàm neceſ-
ſum fuerit. Etenim ſi illud in confeſſo eſ-
ſe apud Medicos omnes debet, quod rece-
ptiſſimum iam eſt: Actionem nimirum,
facultatemque in corpore quamcunque,
temperamenti ſemper rationem ſequi, vbi
diuerſas ab humanis, atque in aliud omni-
no, ſiue melius, ſiue verò id deterius fuerit,
tendentes viderimus, actiones haſce, iam
alias vnà quoque atque diuerſas, quæ hoc
ipſum faciant, temperaturas eſſe fatẽdum
nobis erit. Quod eouſque apud Platonicæ
familiæ ſectatores quoſdam valuit, vt nõ
veriti fuerint ex his nonnulli, genera inter
ſe hominum quædam, genteſque, ſpecie
quoque ipſa differre affirmâſſe. Quid enim
ſimile eſſe poſſe ſub ipſo mũdi vertice na-
to Lapponi, & Troglodytæ Aethiopi,
Functionibus, facultatibusque ſuis, quas
diuerſæ diuerſas edant, ſi diſtinguendæ
potiſſimùm ſint animæ, diuerſiſſimarum
gentium contrarij inter ſe mores atque in-
ſtituta, quæ alibi ducta de rationali animæ
parte videri prorſus poſſint, alibi iræ tan-
tùm cupiditatumque ſpecimen exhibeant,
nónne eam meritò creare in his varietatẽ
valeant, quæ ſpeciei varietatem quandam
inſequatur? Verùm nos non vſque eò pro-
gredi audeamus, vt ſtatuere hac de cauſa
tot hominum diuerſas inter ſe ſpecies veli-
mus, fidem tantùm hinc opinioni noſtræ
arrogauimus, qua commune humanæ ſpe-
ciei temperamentum aliquem in vtranque
partem egredi poſſe credimus, in tantum,
dici vt ampliùs haberique homo, quod ad
temperamentum attinet, non debeat. Ani-
maduertique id non hac tantùm in re, de
qua præſens inſtituta eſt diſputatio, po-
teſt, verùm idem in reliqua etiam facilè de-
riuatum notatur. Eſt quædã ætatis infan-
tilis temperatura propria, eſt pueritiæ, eſt
adoleſcentiæ, eſt iuuentutis, ætatumque
reliquarum omnium, in quibus infiniti re-
periantur, qui plus licèt minúsve alij alijs,
omnes tamẽ intra ætatis quiſque ſuæ tem-
peramentum contenti, participes eius fi-
ant, intereà tamen non nemo etiam ſit, qui
in ipſis adhuc ætatis, quæcunque tandem
ea ſit, iuſtæ annis conſtitutus, huius ipſi-
us temperamentum exeat. Exemplum ſu-
mamus ab adoleſcentia, cuius etiamnum
multum humoris ac caloris retinere debeat

temperamentum. latissimus est campus, intra quem cancellis suis coercitum contineatur id. Situs in medio fuerit temperatissimus omnium, qui inueniri vsquam possint, adolescens, calore & humore ætati huic peræquè constans, circa hunc innumerij alij sunt plus minus eo, de humore hoc, caloreque participantes, quidam nihilominùs intra adolescentiæ etiamnũ annos (quam sanè nunc ita quartodecimo, ac vigesimoquinto ætatis anno circunscribamus) æquum ætati huic temperamẽtum non retinuerit: fieri nanque potest, vt aut ingressus adolescentiæ annos, puerili ætati conuenientem potiùs humiditatem seruet adhuc, aut nondũ egressus alius anteuertat tamen iuuẽtæ temperamentũ, exiccato ante tempus debito adolescentiæ humore. Sic, quum inchoare primùm senectus quinquagesimo anno debeat, multos videmus ante id tempus benè senes factos, quos certè cum cõsistentis ætatis viris non deputabimus. Quemadmodum enim hyemem, autumnúmve, aut anni tẽpus quoduis, nõ facit ingressus hoc illúdve signum sol, Arcturive, aut Pleiadum ortus, aut occasus, nisi proprium quoque vnà statim inde cuique temperamentum accedat: ita nec præscriptus in vniuersum ætatibus annorum numerus, rectè ætates ipsas fecerit, nisi temperamento quæque suo cõstet. Verùm quòd calida & sicca esse eo anni tempore constitutio debeat, vt in alijs alia, sic æstatem appellamus, quæ nisi fuerit, alterius quoque de nomine immutatam à natura sua rem appellâsse meritò licebit. sic iuueni, intra iuuentæ annos, qui senilem, aut alterius ætatis habitum temperamentumque induerit, rectiùs semper illarum quoque ipsarum nomina accommodabimus opinor: vsque adeò temperamentum semper fuerit, quod in his naturam prorsus rei egressum efficiat, vt eã ex argumento aliter quoque nominemus, idque, quum exactam quandam loquendi formulam sequi voluerimus. nam aliâs Aethiopas quoque, sicuti diximus, ipsos qui à natiuo tẽperamento suo recesserunt, Aethiopas tamen vocamus: & quosdam effigie tantùm humana, cæterum inter bestias potiùs numerandos, homines dicimus, quum veriùs monstrum hominis eorum quisque dicendus, habendusque sit. Nam quòd, (sicuti antea quoque dictum fuit) per ætatum omnium, quæ tam diuerso plerunque inter se temperamento constant, decursum, suo quemque semper nomine appellemus, indiuidij nomen illud est, non ætatum, quod eidem perpetuò, postquam ita vocari ab ortu suo cœptus est, donec spiritum ducat, conueniat: quinimò, etiam qui è viuis excesserint, suo semper quemque nomine appellâsse mos est. Quamobrem illud hoc loco cõmodè statuamus oportet, hîc quoque, sicuti in omnibus alijs, rem semper potiùs spectandam esse, quàm nomina, ac, quum primùm temperamenti sui limites, qui naturam, quam intra se statuunt, latitudine quanuis amplissima, ambitu tamen certo quodam suo continent, excesserit quispiam, iam tum hunc re vera naturam quoque vnà illam exijsse putemus: vt si temperamentũ hominis exierit iustum, ac conueniens, non homo, si Adolescentis, non Adolescens, si Germani, non Germanus habendus sit, eodem modo de reliquis statuendum. Sunt enim lati satis rerum harum omnium campi, ac veluti loca quædam inhabitanda eiusdem rationis temperamento præditis omnibus cõcessa, alia quidem alijs capaciora, sed finibus tamen suis quoq;, sicuti diximus, circunscripta, quos extra ratio quamprimùm modusque temperamenti illius amittatur: intra autem contentorum infinitus propè numerus quidam sit, alius alio ad summam temperamenti illius formulam accedens magis: cæterùm in medio omniũ situs collocabitur, cui exactissima cõtingit rerum, naturæ illi destinatarum, temperies. quę si non ponderibus, mensurisque, aut rerum, ex quibus cõponitur, portionibus æquis, aut rata prorsus libratione constet, at ex ęquo tamen, bonoque naturæ, quam constituit, futura sit, iustitiæ temperamẽtum vocant: qua vnumquodque, quod cuiq; functionibus peragendis suis, aut naturæ conseruandæ debetur, id demũ sortitum temperamentum fuerit. Quod quoniam diuina omnino prouidentia omnium dubio procul iustissima fiat, vt cuique demũ tribuatur, quod iustum, æquumque sit, iccirco æquissimè factam rerum distributionem hanc, iusti tanquam elargitionẽ temperamenti quandam, nõ immeritò appellâsse videri possunt.

Temperamentorum diuersorum explicatio dilucidior omnium naturarum, ætatum, priuatorũ cuiuscunque, quæ indiuidui temperamenta sunt duplicia, deq; his multa.

CAPVT XIII.



Ntelligendum, accipiendumque id meliùs hoc pacto fuerit, simul, quę paulo antè de his retulimus, clariùs ita patebunt: Latissimũ omnium, capacissimumque constituamus, humanæ speciei, (de hac enim nunc agimus) cãpum, qui re quidem vera

vni-

Vniuersi, nostri scilicet huius, & oppositi nobis ἀντιχθόνος, sed per parallelos eosdem acti, tam citra quàm extra Aequatorem, quamq; sub Aequatore ipso, orbis sit, cuius planè, rerumque ibi omnium occupârit homo mediū. Nos autem, quoniam cætera omnia exclusa hinc volumus, quę nihilominùs orbe eodem contineantur, mente nobis contractiorem orbem quendam fingimus, eundem tamē adhuc amplissimum, humani tantùm generis capacem, in medio attemperatissimus omnium sit, vel attemperatissimi potiùs quidam, formaque corporis exactissima illa, membris sibi inuicem proportione vbiq; æqua, optimè respondentibus, vt corporaturæ caput hac, illa pedes, alia manus, alia pectus proportione, frons, nasus, partes corporis totius singulæ, semisse, quadrante, triente, vncia respondeant, Polycleteæ nimirum statuæ illius instar, rerum harum omnium amussi. Veruntamen in hac, atque huiusmodi, extrinsecus tantùm seruatam partium veluti librationem hanc videas, cultamque tantummodo extimam quādam rerum superficiem: interiùs si inspiciantur, rudia cuncta, omnique prorsus artificio carētia spectentur: noster autem, quem nos spectandū proponimus, vtpote naturæ nusquam feriantis opus, intrinsecus peræquè, ac foris, imò magis, quoniam maius artificium exigunt, quæ intus functionibus potissimis destinata latent, per totum totus elaboratus, perfecteque partium suarū omnium magnitudine, numero, situ, cōformatione, temperamento, vnitate instructus fuerit, tanquam Platonis potiùs Charmides ille, tam eleganti corpore animoq; viuificus. Hunc, qui tamen non esse vnicus potest, sed plures quidā eodem statu præditi, circunspectant omnes à medio cuncti plùs, minùs, alius alio lapsi, propiùs, ij adstantes, longiùs illi summoti, vniuersi tamen finibus prorsus ijsdem contenti, quos egressi, iam non homines ampliùs futuri, vt diximus, sint. Fingamus iterum contractiores hoc ipso orbes alios plures, amplioris ipsius orbis circuitu inclusos cunctos, seu potiùs esse verè dicamus παραλλήλοις lineas æqualis inter se spatij distantia in longum ꝓtractas, quę Climata, de Gręcis quidem sumpto, sed vsu iam apud Latinos quoque recepto vocabulo, dicuntur: nos regiones etiam & segmenta plagasque appellare possumus, per quas distributi homines, sicuti diuersum quique cœlum spectant, ita ex cœli eiusdem hocque ipsum insequuta ambientis nos aeris diuersitate, proprio quodam sibi, & ab alijs diuerso temperamento donentur, sed in quarum tamen rursus regionum longè, lateque patenti campo, alius medio regionis illius temperamento præditus sit, intemperato alij. Et, quod superiùs quoque diximus, esse medio temperamento plures, quanquam longè, quàm intemperati, paucio-res, possunt. Sed nos tam hîc, quàm ibi, quàm etiam in huiusmodi omnibus, quæ posteriùs dicentur, Temperamentum intelligimus medium, vnum quidem illud, sed quod cadere tamen in plures queat: intemperaturas autem multas, (octo scilicet numero) quæ rursus veluti disseminatæ in infinitos propè sint. Intra hos circulos alij sunt ætatum circuli constituti, pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis, consistentiæ, senij, decrepitudinis, quorum quidem singuli sitos in temperamenti medio, quod ætati illi conueniat: quosdam omnino itidem obtinent, rursusque hos ipsos excedentes multos. vt enim ex pueris attemperatissimi, ita senex, iuuenis, ætatumq; aliarum de nomine nūcupati alij omnes, temperati intemperatique numerabuntur, eo tantùm discrimine, quòd ætatis consistentis qui medium occupauerint, ijdem non solùm reliquarum ætatum omnium, sed etiam rerum cunctarum medij fuerint: at ętatum aliarum medij huic collati iam medium omnes excesserint, quo quidem magis ab eius temperamēto abeunt. Restat indiuidij Temperamentū, hoc est, proprium, priuatumque vniuscuiusque, quod videlicet ab ortu suo quisque nactus per ætatum omnium decursum ferat, cuius itidem necessariò in medio sit, quum primùm consistentis ætatis suæ in medio fuerit, reliqua autem ad hoc tempora excesserint semper qualitate aliqua, sed quæ perpetuò tamen indiuidui huiusce naturæ propria habenda sit. Atque ijdem tamen hi, quod ad temperamentum hoc attinet priuatum peculiareque, cum alterius alicuius temperamenti hominibus rectè conferentur, pro ætatum, locorum, cōsuetudinum, atque huiusmodi omnium conditione semper diuersa, priuati ac peculiaris temperamenti cuiusdam tantùm habendi. Sub hoc hominum tandem quicunq; cadit, sed separatim seiunctimque ab alijs, (nomen quippe indicat, indiuiduū nanq; est, numero scilicet vnum) vnicum, nemini vni communicabile, siue ad extremum vsque vitæ perstet in eo quis, ætatum solùm ratione immutatus, siue verò (quod fieri posteà posse docebimus) tēperamentum quoque natiuum suum variet. Iam, quum de temperamento indiuidij hoc loquimur, Temperamentū intelligimus manifestiorum qualitatum illarum, vsitatissimo dicendi, intelligendiq; modo, de quo rectè tractari, rectaque institui agendi,

circa hæc, ratio in Salubri arte debeat, possitque. Nam peculiaris altera illa indiuiduorum quorũdam ratio, seu proprietas potiùs quædam, naturæ aliquorum insita, sub artem nõ ceciderit, qua videmus quosdam eandem cum plerisque alijs temperamenti rationem nactos, quam quidem signis cognôsse suis, notisque proprijs indicatam tenere liceat, peculiariter tamen priuatimque quædam omnino non admittere, quæ alij, eodem qui esse temperamento videri queant, facilè admissa recipiant, Indiuidualem proprietatem vulgus Medicorum vocat, qua tantopere quidam à casei assumptione abhorreant, vt vel cibis alijs occultatum, manifestò statim sentiãt, vomitu, nauseaque insurgente ad, ceu noxiæ maximè rei, expulsionem ventriculo: alij non nisi cibarijs, in friatum, instrumentoq; coquinario, quod ex argumento τυροκνίστην appellant, intertritum, admittant: alij vinum respuunt maximè, acetum non respuunt, vuas voracissimè ingurgitant, ijdem Creticum, ac generosiora, & benè dulcia potare sæpe possunt vina, deterioris notæ non possunt: alijs potus aquæ subuersionum insignem facit stomachi: quibusdam maximè afficitur ventriculus ex solo pomorum esu: nonnullis hordeum sumptum nocet, ventriculo quanuis non sanè frigido præditis: quosdam scio, quibus cancrorum vsus aduersissimus quum esset, piscium genus omne reliquum innoxium experiebantur: iam carnes, suillam alij, alij bubulam, veruecum tantummodo quidam, natura sua nõ admittunt, admissas ægerrimè conficiunt: & sunt tamen ex his, qui gallinaceos pullos egregiè fastidiant: quẽdam scimus hac tempestate rarenter admodum panem alium nunquam in cibum sumpsisse, rem tam naturæ humanæ cõuenientem, & ad aptissimè alendum idoneam: prorsus vt non paucos reperias, qui indicibili quadam de causa, sed naturæ solùm proprietate insita, hoc, illúdve abhorrentes fugitent, cætera propè omnia facilè admittant. tanta est naturæ in vnoquoque indiuiduum insequens diuersitas, vsque adeò, vt, si progredi vlteriùs in his libeat, quosdam repertos fuisse legamus, qui araneis victitârint: & ex pessimo Aconiti genere, quod Napellũ vocet Auicennas, alimentum suum cepisse aliquando puellam, historiæ sunt. Sique ad medicamentorum vsum accedamus, alios inueniemus, qui Rhabarbarum ne odorari quidem valeant, Aloen interim diu ore cõtentam mandent: quibusdam soluitur aluus odore tãtummodo percepto medicamenti, quod si ab alijs hauriatur, vix idem præstet: atque ex eodem epoto purgante pharmaco, eiusdem ætatis, temperamenti, conditionis, quæ quidẽ manifestò notari possit, cuiuscunque homines, alios vigesies solutos aluo vidimus, alios commota vix aluo substitisse statim: multaque huiusmodi, quorum à quamlibet perspicaci, solertique ingenio reddi rectè ratio conueniens satis nulla prorsus queat. Nam si reddi posset, etiam signa rei huiusce apparere, seseque sensibus nostris offerre deberẽt, quibus, antequàm periculum de his fieret, prẹuideri aliquid in his à nobis posset, vt hanc inesse huic proprietatem, aliam alij: hunc facillimè perpurgari, illum cõtrà difficulter: pronunciare tutò liceret nobis. Nunc, quum nihil tale præstare in rebus his possimus, quæ sola nobis experientia constent, in causam hæc, huiusmodique omnia, referamus, oportet, priuatam, peculiaremq; ei, cui inesse reperitur, latentem, occultamque nobis, nisi eatenus tantùm, vt temperamento omnino niti priuatam eam rationem certò sciremus, temperamenti autem modum ac formulam, tum quæ commixtarum rerum inter se proportio, rataque perpensio temperamentum id efficeret, id verò esse, quod nos ignoremus. Vt enim rei huiusce in corpore, abditam nobis, positamque in obscuro, causam, aut temperamentum esse, aut temperamentum statim insequi, contendere possimus: ita nobis mixturam tamen illam scire haud fas erit, vtpote cuius nulla nobis manifesta satis sese exhibeant signa, vt quidem de se exhibent calidioris, frigidioris, humidioris, siccioris notæ temperaturæ, quacunq; eæ in corporis parte fuerint. Atque hoc fortasse cogat aliquem, sic secum primore tantùm cõsideratione cogitantem, fateri, ne temperamentum quidem existimandum esse, quod hoc faciat. Etenim, si aperta semper satis esse debent temperamenti cuiuscunque, quippe quod qualitatibus manifestis semper satis quatuor illis nitatur, indicia, siue æquale, siue verò inæquale id fuerit: in his autem fugiunt nos signa quẹque, neque vlla prorsus detegit se, qua proprietates huiuscemodi, veluti de facie, agnoscamus, nota: perquàm habemus necesse dicere, temperamenti eas natura non contineri. imò verò (quod animaduersum maiorem statim faciat nobis de hoc fidem) idem in diuersis sæpe videre est, diuersique temperamenti hominibus proprium: vt, exempli causa, abstemios, aut quorum casei esum non recipit natura, quorum numerus non exiguus sit, non omnes tamen vnico præditos esse temperamento animaduertimus, sed frigidos alios, alios calidos, sicuti humidos hos, illos verò siccos: quod argumento propè certo esse possit, fini-

finitam, determinatamque temperiei alicuius rationem non insequi hæc, vt aut temperata, aut intemperatarum aliqua peculiariter sit, quæ hoc faciat: nisi verò illud nobiscum constituerimus, hęrere quidem in vniuersum temperamento corporeo necessariò proprietates hasce, vt permultas alias facultates corporeas videmus: affirmari tamē non posse, huic, vel illi peculiariter, priuatimque inesse, frigido puta, determinatè, aut calido, alteriúsve generis proprio alicui: veruntamen temperamentum in corpore habendum omnino esse quoddam, quod ista edat. quî nanque fieri aliter potest? sed quod tamen non ratione inprimis rerum harum faciat caloris, frigoris, siccitatis, humoris, cæterū miscella tantùm quædam sit, ac rerum quatuor commixtio, modò exuperante calido, modò frigido, modò humido, modò sicco, vnde analogica quadam proportione temperamentum partis resiliens, priuatas, propriasque maximè mixturæ tantummodo illi conditiones eas proferat, vt nihil aliud prorsus sit proprietatū harum causa, quàm seruata à natura rerum inter se quatuor miscēdarum comparatio, siue proportio, siue seruatum quoddam rerum inter se harum tanquam libramentum, Græcis ἀναλογία est, quæ, siquidem hac in re futura sit, exempli causa, trium ad quinque, vel duorum ad sex, vel quacunque tandem ratione alia, caliditatis nimirum ac frigiditatis commixtione, inter se diuersa, gradibus vnà inuectis id fiat, octo in totum vt sint, seruari vtrobique facilè queat, vt tam si caliditatis tres, frigiditatis quinque, quàm è diuerso, quinque caliditatis, frigiditatis tres fiant, continuò proportio illa existat, quam priuatæ propriæque naturæ illius causam esse diximus. idem autem de humiditate, & siccitate dicendum, cogitandumque sit, vt huius ad illam, illiusque ad hanc, proportiones analogicas seruari intelligamus easdem oportere, aut etiam quatuor hasce inter se cunctas, certa quadam ratæ partis lege mutuò correspondere sibi qualitates necessum sit: vt calidi, verbi gratia, sex, frigidi tres, quatuor humidi, sicci duo sumendi ad conficiēdum hoc ipsum à natura gradus fuerint, vndè Temperamētum omnino vnum aliquod qualitatum quatuor excessu aliquo, vel temperie etiā notandum, existat oportet. Neque tamen de qualitatibus his proprietates illæ principaliter, sed de illarum inter se proportione exeant, non secus, ac Pythagoras ille fertur, fabri forte fortuna ferrarij præteriens officinam, diuerso malleorum percussu resonantem incudem, harmonicumque inde concentum quendam resultantem, auribus percepisse, quumque ingressus, varia ferientium malleorum pondera notâsset, (qui quinque erant) animaduertit quatuor ex his concordibus inter se ictibus consonantiam edi gratam, additione autem quinti dissona statim omnia reddi, itaque reiecto dissidēte, reliquos sic inuicem conuenire vidit, vt ponderum variorum respectu diuersimodè numeratorum, concentus proferrentur, qui proportionibus rectis, pro sua quisque, constarent, diapasῶn, diatessarῶn, diapente, sesquioctaua: vt eodem propè modo quatuor inter se Elementorum commixtione in corporibus nostris, modò his, modò illis proportionibus facta, hæc illam, alia aliam proprietatem nanciscātur corpora, ac propterea minimè quidem mirum videri debeat, siquidem proprietatum, nobis, harum occultantur causæ, quòd ne mixtarum quidem rerum analogas illas proportiones scimus, soli opifici ipsi Deo, ac naturæ circa hæc operatæ, cognitas. Hinc illud grauissimorum quorundam Authorum, fatentium proprium cuiusque, atque exactum temperamentum, tanquam ἰδιοσυγκρασίαν, Aesculapiū aliquem esse oportere, qui cognoscat, non id solùm, quod priuatos, peculiaresque indiuidui alicuius insequi proprietates, & ratis quibusdam commiscendarum rerum partibus constare, diximus, sed etiam vulgatius, aliud id, ac communius tēperamenti proprij genus, quod quanquā sciri sic in vniuersum exquisitè satis, atq; etiam propiùs in eo ad exactam quandam partium numerorum cognitionem accedi possit, attingere tamen tanquam acu ipsissimum temperamenti vniuscuiusque punctum haud vlli vnquam liceat, quando multa in arte tali sensibus sese nostris subducant, notis, signisque suis, quæ nulla de se proferunt, occultata. Calidæ nanque temperiei, & reliquarum, primò in commune acceptarum, signa hæc illáve animaduertimus euidentia: tum deinde possumus, paulo diligentiùs incumbentes in rerum harum disquisitionem, deductis de communi & vniuersali illo multis, ac veluti resectis partibus, priuatam naturæ, de qua quærimus, temperaturam, temperaturæque huiusce gradus quosdam, non ita fortasse difficulter colligere, vt non solùm calidam, verùm etiam plus minus, atque intantum calidam, pronūciemus, idq; nimirum tunc tantùm effectū reddere nobis licere existimemus, quum in actu ipso rerum erimus, hoc est, quum Socratis huius, aut Dionis huius, temperaturam examinandam susceperimus, in remque præsentem venerimus, & actionem circa particulare moliemur. quoniā quidem aliud


esse arbitramur, Dionem hũc dixisse, quòd designatum ita indiuiduum sit, atq; aliud simpliciter Dionem, quòd vniuersalius habeatur, & conuenire pluribus possit nomen. Huiusce igitur sic in commune accepti Dionis, aut Socratis, nullatenus statuere exacti quicquam de temperamẽti gradu possimus, in designato autem Dione, aut Socrate, possumus, eò vsque nanque progredi nobis tunc concessum fuerit, vt non tantùm calidam, aut frigidam, & huiusmodi, sed numeris etiam quibusdã distinctas, primæ, verbi gratia, aut secundæ, aut tertiæ, aut quartæ classis facere nobis liceat. Hactenus siquidem comitantur nos signa, quæ impræsentiarum, quum in rem præsentem veniemus, spectare nobis datũ sit, sicuti vltra hæc subtiliùs, exquisitiusq; inquirentes, ac veluti minutias ponderum, mensurarumque, ad exquisitum temperamenti cuiusque punctum tenẽdum, indagantes deserunt, quo nihilominùs intereà ratio cogitantem ducat, non posse ista manifestis, & quæ sensuum fide nitantur, argumentis vllis deprehendi, atque eadem dictet, multa reperiri in artibus, præsertim qualis nostra est, quę sensus ductũ sequũtur, illiusmodi, vt quò nos vsque sensuum vis quædam manifestior sequatur, aut potiùs præeundo nos ducat, eatenus quoque progrediamur tantùm, cætera rationi examinãda, rationi inquirenda relinquamus. Sic perpetuam passibilitatem illã, ἀειπάθειαν scilicet, non esse omnino nihil, rationibus defendere possis, & systematicam pulsuum inæqualitatem, quæ horum vsus necessitatem sequitur, & multorum tantummodo pulsuum interpositione euidenter sentiatur, in altero statim à primo, quem tetigeris, pulsu, quanuis non percipiatur, inesse tamen tueri ratione aliqua queas: at nihil intereà vsus auxilii ve attuleris arti, quę ratione nunquam nuda, purá ve nititur, ac dictata quidem rationis cogitatione sua assequitur, cæterùm rebus agendis, officioq; suo, quod non aliter, quàm circa particularia, peragitur, rectè exequendo, sensuum vim accommodat, eoq; semper inter se nexu copulata tenet hæc, vt nihil vnquã quidem, nisi cum ratione maxima, agat, discedentem tamen interdum à sensu rationem relinquat, quinimò aliquãdo ne discedentem quidem, sed supra sensum sese attollentem, ac progredientem vlteriùs, ipsa, ne ab opere suo discedat, tantummodo non comitabitur, in quo potissimùm se cum ratione facere existimabit, si operum suorum vsum semper præ oculis habens, quem intueatur, ab hoc ipso nunquam sibi recedendum putet, ac concedet fortasse rationi ita se habere rem, quemadmodum illa vult, sed intereà aduocabit ad res suas sensum, nõ qui rationi prorsus repugnet, sed qui ratione quadam alia, faciẽdorum nos, quum ad rem peragendam venerimus, admoneat, vt huius ipsius medicæ partis, quã nunc tractamus, artifex non magnoperè repugnaturus inuehentibus perpetuam illam passibilitatem sit, neque aduersus illos facturus se credet. siquidem, vt perpetuò in ea constituti versentur omnes, tũc tantùm tamẽ, quum manifestò noxæ inde aliquid corpori humano, cuius valetudinem tuendã suscepit, inferri posse viderit, de ea cogitet, vt sese illi artificio suo opponat. Etenim artis semper cuiusque (quæ modò non ματαιοτεχνία quædam sit) vsus spectetur aliquis necessum est. at istorum, rectè quanuis, vereque, at subtiliter tamen nimis consideratorum, vsus nullus est: neq; enim fluoribus corporeis quibuscunque etiam minutissimè factis, quos cogitatione tantùm assequimur, vtiliter vnquam resistemus, quorsum nanque id faceremus? quum, quanuis sicuti reliqua, vt Naso ait, Cuncta fluunt, omnisq; vagans formatur imago: sic nostra quoque corpora continuè exhalata, dissoluantur, id tamen, quoniam minutatim omnino factum sensum omnem nostrum latet, ac proinde ne noxam quidem inde euidenter vllam percipimus, inconsideratum relinquimus, ac tunc tantùm animum ad res hasce meritò applicamus, quum primùm sensibili aliqua re ad artificiosè faciendum admonemur. Ergò non pauca in arte huiusmodi sese offerũt, quæ Dialecticè solummodo tractata, artis intereà vsum non attingant, Quæstiones Logicas sæpe appellat Galenus, diligenter licèt aliquando per otium disputãdas, interim tamen quæ nos ab vtili artis exercitatione abducere minimè debeant, vt, quod supra sensum sese efferens ratio quandoq; dictat, verũ omnino esse credamus: vsum autem rerum harum tum primùm tantùm esse operibus peragendis medicis nostris existimemus, quum dictatis à ratione subscripserit sensus, quippe quem peragendis rectè rebus nostris ducem semper sequamur. Quemadmodum (vt retrò, vnde in ista nõ prorsus frustra excurrit, rediens se flectat oratio) dijudicando, Socratis vtputa, aut Platonis, temperamento, calidúmne id, an frigidum, aut cuius tandem cunque modi habendum sit, sensum inprimis sequuti, huius aut illius esse generis pronunciamus, nimirum vsque eò calidum, aut vsque eò frigidum, scientes intereà tamen, ac nobiscum considerantes, exquisitum caliditatis aut frigiditatis gradum minimè assequutos, satis nihilominùs id nobis esse credentes ad vsum nostrum,

ſtrum, ſi non vt ad punctum, quod Aeſculapij ſolũ alicuius munus ſit, at vt ſenſibus noſtris accommodè ſe habet, præſtariq; à nobis poteſt, rem ipſam teneamus. Atque hæc de Temperamenti ratione cuncta, cuius ſub artem cadit conſideratio, dicta intelligi volumus. Nam alterius generis illud, quod priuatum adhuc magis, ac particulare, priuatas itidem, ac particulares proprietates quaſdam edit, vt hoc ille, alius aliud peculiariter, atque à cunctis propè reliquis hominibus ſeorſum, reſpuat, admittátve, id verò, quum nec caliditatis, nec frigiditatis, nec humiditatis, nec ſiccitatis ſic ſimpliciter acceptarum ratione vlla, ſed (ſicuti quidem nos arbitramur) ſola commiſcendarum inter ſe rerum harum comparatione quadam, ac proportione, rataque libratione, conſtet, quæ ſenſus prorſus noſtros omnes fugiat, ideoque nec certi quicquam ſtatui de ea poſſit, etiam artis rationem omnem effugerit, vt ſub eam deduci modo omnino vllo haud queat, non immeritò. Etenim ſi rerũ, quaſcunque, ratione nixi, arte verſamus, tenere nos cauſas oportet, non communes ſolùm, ſed proximas quaſque, remque ipſam propè attingentes illas: proprietatum autem harum propinquas nullas, communes autem magis valde in obſcuro apprehenſas habemus: iure meritoque ne artificioſè quidem quicquã moliri in his poterimus, ac tantum quidem abeſt, vt moliri poſſimus, vt etiam, ſi quid nobis ex arte faciendum eſſe admoneat ratio in his, quæ cauſis ſuis comprehendimus, attamen plerunque ob proprietatum harum occurſum exequendo impediamur: purgandum nobis, ſecanda vena, exhibenda frigida, concedendum dilutiſſimum, ex arte omnia, quæ nihilominùs facere prohibemur, ſingula: quòd hic leuiter quantumcunque purgatus exoluatur, ille ſectionem venæ ferre neutiquam poſſit, naturaque ſua reformidet, ſicuti alijs ex frigidæ, alijs ex dilutioris vini potu ſubuertitur ſtatim ventriculus. Qua planè de cauſa magnos quoſdam alioqui in arte medica viros aiũt, atque inter cæteros Auerroem illum à factitanda alicui medicina abſtinuiſſe, nihil aliud veritum, quàm ne priuatarum proprietatum ipſarum ignorantia, quas, ſicuti diximus, nullo pacto tenere queas, ex ijs, quæ rectiſſimè alioqui, atque artificioſè maximè exequaris, nocumentum inferas ei, cui auxilium inprimis allatum cupias: neque in Curatrice tantùm id parte, ſed in hac quoque noſtra Salubri animaduertimus: alijſque alia quædam in victus totius ratione conuenire ſæpenumero experimur, potiùs quàm quæ recta alioqui per ſe ratio dictaret, vnde vtrobique diligenter interrogandos præcipiant, ac veluti excutiendos, quos aut curandos ſuſceperimus, aut in ſanitate ſua conſeruandos, quicquid ſibi priuati, peculiariſque ineſſe nouerint, ipſi totum id vt indicent: Noſque ipſi, quum quicquam ex arte molimur, ſedulò conſideramus, ſtudioq; omni annitimur, ne quid, rerum harum ignoratione, erroris inter faciendum incurramus: vt, ſi lactis, verbi gratia, alimento maximè egeat aliquis, eidem tamen lactis vſum denegemus, ſi aut in ventriculo aceſcat, aut aliqua inde ſuboriri in corpore noxa videatur: tuncque ideo ex arte maximè faciamus, quum, quod in artis rationem non venit, nihilo tamen ſeciùs ex eodem exactè perpenſo, vſum, quem poſſumus, exequendis rectè operibus noſtris capimus. Quemadmodum planè hoc quoque propè loco, vbi corpora per rerum omnium Temperamenta deduximus, donec ad priuatum indiuidui cuiuſq; Temperamentum peruenimus, ſed in quo tamen ſubſiſtat ars, nimirum, quòd qualitatibus manifeſtioribus deprehenſum notari poſſit, quanquam ad extremum exactè ne id quidem. Cuius vicinitate, & affinitate quadam coacti, cùm indiuiduorum ſeparatas adhuc, priuataſque magis, ac peculiares proprietates quaſdam, quæ ſubſtantiam totam conſequantur, poſuimus: Tum verò eaſdem, quanquam artis ratione comprehendi nulla poſſint, ad artis tamen vſum aliquem facere conſideratas docuimus, quatenus quidem artificio eas nulli immiſcemus, at, quęcunque de artificij noſtri ratione facienda eſſe cenſemus, ea interdum ne exequi nobis liceat, rerum huiuſmodi occurſu impedimur. Nunc par eſſe videtur, vt ſigna, notaſque tractemus, quibus diuerſorum, quæ retulimus, generum temperamenta indicata demõſtrentur.

IVLII ALEXANDRINI,
SALVBRIVM
LIBER TERTIVS.

Temperati hominis notæ, & num staturæ quoque mediocritas ad hoc necessaria. Optimæ, parumq́ ab hac deflexæ temperaturæ signa tamen eadem, rerum aliarum exemplo, quære ipsa aliter se habeant, quàm quomodo indicentur.

CAPVT I.



Ttque, non, quemadmodũ in corporum distributiõe recensenda fecimus, idem in inuestigãdis horum ipsorũ signis, faciendũ nobis fuerit. ibi nanque, quo nimirum loco diuersas corporum species, variasque conditiones quęsiuimus, quæ se nobis cunque varietate inter se aliqua repræsentabant, adductas oẽs allegatasq́ue oportuit. Hoc autem loco signa tantùm quæremus, quibus Temperamenti nobis æqualitas vna, octoq́ue præterea inæqualitates indicẽtur, quibuscunque tandem ea in locis, aut quacunq; ætate, aut sexu, aut vitæ instituto reperiatur, propterea quòd vbicunque repertas, semper, aut conseruabimus, si ita futurum ex vsu sit, aut emendabimus, si idem exigere videbitur vsus. Ac propterea regionũ quidem, & ætatum, rerumq́ue, quarum priùs meminimus, omnium ponenda nobis discrimina necessariò fuere multa, vt differentiæ internoscerentur. Cæterùm signa, notæq́ue conferri in pauciora possunt, illorum enim hæc ferme sunt effecta, quorum multæ semper esse causæ possunt. Socratem nanque quum videmus subpallescentem, nigro, crispoq́ue capillitio, barba itidem nigra, nec cætera admodum glabro, tum pulsum arteriarum alicubi in corpore apparentium, venasq́ue magnas, biliosum pronunciamus, calidoq́ue, ac sicco temperamento pręditum. Hoc ipsum porrò temperamentum cùm ab ortu ipso contractum sit, tum ex regionis, ætatis, vitæ instituti conditione, & huiusmodi consistere multis potest, quæ veluti in classes suas cuncta priùs digessimus. Eò igitur hoc in negotio dirigenda nobis consideratio omnis, & scopus est, vt in medio omnium positum constituamus vnum aliquem signis suis cognoscendum, qui nobis pro ceu regula quadam sit, non solùm generis totius humani, verùm etiam cuius ope regionum omnium, ætatum, conditionum, naturarum homines quoscunque, signis suis excussos, cuiusmodi habendi sint, sciamus, temperatíne, an intemperati, eoq́ue conseruandíne, an corrigendi nobis ex arte. Ferme autem his indicijs agnoscemus benè temperatum: Iam primùm omnium colore vt sit (is enim oculis sese nostris primum inspiciendum præbet) inter album nigrumq́ue, non illi quidem æquis vt inter se portionibus commixti colores sint, sic enim λευκοφαῖοσ euaderet, quo propè colore æquinoctialis plagæ habitatores esse dicuntur: verùm is esse debebit color, in quo vincentis omnino caloris signa appareant natiui: cuius quum in corpore vis semper exuperet, ęquabili per partes omnes temperamento diffusi, sic, vt ne minima quidem in toto reperiri particula corpore possit, quæ calorem hunc nõ sentiat, idem ambientis nos aeris temperato itidem calore adiutus colorem cuti addet floridum, vegetumq́ue, quem roseum voces, à rosis, non illis rubore nimio purpurascentibus, non etiam albis, sed medij inter vtrunque generis, quas, quoniam benè à natura temperati, ideoq́ue formosi alicuius corporis suauiter efflorescentem in cute, carnis colorem referunt, incarnatas vulgò vocant. Cutis colorem, pilorum, capillorumq́ue sequetur color, qui ætate ea fuluus sit, sic enim ξανθὸν interpretor, paulo autem hoc saturatiqr, rauus fortasse, aut ruffus, vnde ænobarbi dicti. πυῤῥὸν autem quum fuluum multi dicant, ego flauum dico. Etenim si puerorum crines temperatorum, πυῤῥοὶ habentur, Authoribus de hoc scribentibus, iuuenum autem ξανθοὶ, hunc sanè saturum illo magis esse colorẽ oportet. Experimurq; ideo, quod in omnibus procedente ætate vsu venire videmus, vt ex aureis ꝓpè flaui primũ, tũ de-

inde

inde fului fiant, postremò etiam ruffescant crines. Et fuluum leonem appellamus, Sueuos autem flauos. Hunc ξανθὸν iure voces, illos πυῤῥοὺσ. Eundem hunc neque glabrum, neque hispidum plus iusto spectare licebit, nec obesum, nec macrum, sed benè tantùm habitum: neque amplis neque adstrictis nimis venis, tangenti verò mollitudinem inter planè ac duritiem medium, ac proinde meatibus simul cutaneis, nec laxis, nec clusis. Caloris quoque sensum de se dabit is, eo moderamine contemperati, vt nec tanquam mordicus vellicante infestetur, nec refrigescat inde, sed veluti roseo quodam tepore, sensim placidequе demulceatur manus, quoties quidem nullo corporis labore, aut animi molestia affecto, cutis statum suum seruârit ipsa. Sicuti arteriarum quoque pulsum in hoc nec concitatum, nec tardum nimis, nec magnum, nec paruum, cæteraq; huiusmodi animaduertemus. Sed neque, si diligenti inter se consideratione libratæ examinentur corporis vniuersi partes, non eo omnium inuicem consensu conuenisse videbuntur, nullo prorsus vt excessu, aut defectu altera alteram exuperet, aut ab altera superetur, sed dextra primùm sinistris æquilibrio quodam respondeant, tum deinde mutuò quoque singulę ratam partem suam partes Geometrica ratione custoditam seruent, quæcunque corporis totius magnitudo fuerit. nam exigi ea ad normam, quam nunc sequimur, non debet, vt huius, illiúsve præcisè quantitatis habeatur, quum etiam in alijs videre sit, optimorum artificum non minùs interdum commendari sigilla quædam, quàm colossos solere: vitium in eo, artificis nullum reputabitur, qui delatam ad se materiam quantamcunque tandem, aut ipse aliquam nactus, digestam diligenter suis conuenienter locis applicet, non solùm potiorem dignioribus, sed etiam, vt, quantum satis futurum sit, pars quæque sibi capiat, ne aut nimietate materiæ extuberans, aut eiusdem defectu imminuta spectetur, donec absumpta materia ita omni nihil restet, quod non operi aliqua ex parte faciundo cesserit, quæcunque tandem inde corporatura existat, seu maior illa, siue futura minor sit, modò numeris suis absoluta omnibus, quorum paulo antè meminimus, constet fabrica, vt & partes habeat similares temperatas, & dissimilares, instrumentarias quas vocant, vndiquaque per se inculpatas, nec minùs iusta sibi commensuratione consentientes cunctas. Quanuis & hic (necessarium licèt futurum id non sit, siquidem reliqua, quæ potiora exiguntur, adsint) certiora nobis exhibitura temperamenti, constitutionisque iustæ signa, seruata æquior staturæ humanæ mediocritas sit: quòd, quum maior corporis nostri moles non solùm materiæ, vnde fit, copiam, sed & eiusdem humiditatem, sicuti minor, modò materiæ defectum, modò huius quoque ipsius siccitatem insequatur, ex staturæ mediocritate, quæ, quantum ad molis rationem attinet, vtraque hac culpa vacet, certius quoque omnino colligere temperatę constitutionis argumentum possimus. neque enim mediocris magnitudo ea, quatenus quidem eiusmodi, humiditatis interdum, vt proceritas, aut siccitatis, vt breuitas, signum de se vllum dederit: vti iam, si excessus staturæ nullus adsit, nec cogitatione quidem distrahamur vlteriore ad temperamenti æqui examinationem, modò notæ reliquæ adsint, præterquàm, quòd, quum natura constantium omnium, de Aristotelis ipsius sententia, magnitudinis metæ quædam habeantur, quas vltra subsistere, infráve naturales res non possint, hîc quoque in edenda humani, temperatique corporis magnitudine verisimile valde sit iustam hanc seruatum iri à natura, vt neque gigantea mole faciat, quem temperatum factura sit, in qua perquàm rarò bonitatis subesse multum vulgato etiam dicto circunferatur: neque rursus nanum vel pygmæum edat, longè adhuc futurum hac ratione prudentem minùs: sed inter Aiacem, & Tydeum, Vlyssem quendam, siquidem, quem nunc delineamus, natura futurus sapientissimus sit. Atqui quid virtus, & quid sapientia possit, Vtile proposuit, nobis exemplar Vlyssem, Homerus. Idem Aiacem, & Tydeum bellatorem vtrunque facit, potiùs quàm sapientem: quorum alter Aiax ἀνὴρ esset ἠύσ τε, μέγασ τε, Εξοχοσ Αργείων κεφαλὴν, ἠδ᾽ εὐρέασ ὤμουσ: alter Tydeus, exiguo quidem corpore, sed ad feriendum prompto: Vlysses verò Μείων μὲν κεφαλὴν Αγαμέμνονοσ Ατρείδαο, Ευρύτεροσ δ᾽ ὤμοισιν, ἠδε στέρνοισιν ἰδέσθαι. quem prudentiæ, Sapientiæque vbique exemplum statuit. Vnde conijcere liceat, temperati (qui ideo prudens quoque natura futurus sit) hominis, temperamento etiam quodam constare staturam debere. Etenim si pulchrum esse oporteat hunc, necessariò ne excessu quidem quoque vllo immoderatus fuerit. sic enim ait Plato: πᾶν δὴ τὸ ἀγαθὸν καλὸν, τόδε καλὸν οὐκ ἄμετρον. Simul ingens corporis moles illa nec commodè satis regi ab anima pondere semper suo degrauata potest, & quum vis animæ illa insita, non alere solùm corpus, sed & meliore sui parte mentis officia exercere debeat,

neque

neque vtrique simul plerunque sufficere muneri in alterum sæpe conuersa possit, quo primo, potioreque desiderio rapitur, alendo inprimis corpori inseruit, attentioneque huius alterum plerunque neglectum deserit, aut imbecillum, tenueque & nullarum sæpe virium relinquit, ex quo amentia, ac stultitiæ genus omne, mentisque torpor certus existat in his sæpe. Rursus eadem paruo nimis contenta corpore animæ vis, velut claustris arctata fuerit concussaque ita sæpe compagine morbos plurimos creat, igneaque nimis vi efferuescens, igneum reddit corpus commotumque: quumque se ad considerationem, inuestigationemque rerum concitatior transfert, intentione ea discendi nimia confecti sæpe corpusculi vires attenuat, & feruido quodam superandi ardore lites gerit, contentionesque quacunque de causa mouet, vitilitigatoresque semper facit. At noster, quem hoc loco notis suis significamus, neque in hanc, neque in illam partem peccet, par est, siquidem futurus temperatus sit. Eiusmodi autem faciliùs esse poterit, si iustam sortitus corporis magnitudinem, longè magis huic ipsi quoque staturæ rectæ, mediæque, quàm excessui, aut defectui conuenientia animi bona obtineat, concentuque ita omnium maximè Harmonico, audituque ac visu, siquidem audiri, aut videri ista possent, iucundissimo simul & amabilissimo, animi bona corporis bonis consociata nectat. Quod maximè fiat, si nihil quum neque hîc, neque ibi immoderati fuerit, mutuo faciliùs ita inter se consensu cuncta conciliabuntur. Nam quæ ex animi bonis duci solent signa, adesseque nostro huic necesse est, haud temere in alio, præter quàm attemperato, simulque non immodicæ in vtramque partem staturæ corpore reperias, dictis de causis, nimirum vt inferiores animæ partes, qua irascimur, & qua concupiscimus, moderatam vtramque obtineat, nec temerariè audax, nec formidolosus, sed fortis: nec cunctator, nec præceps, sed maturè semper consulens: nec crudelis, nec temere nimis misericors, sed humanus: non iracundus, nec lentus, sed mitis. Capitum autem multorum belluam, quam concupiscendi, appetendique vim dicimus, sic natura frenatam omni in genere (eo, quòd omnium maximè multiplex habetur) castigatamque habeat, vt nunquam aduersus rationis dictata caput exerat indomita: neque rursus segnis nimis, torpensque: non semper corporeæ necessitati seruiat, sed veluti natura suapte malus quanuis, feroxque, & calcitro equus, atque inprimis petulans, aurigæ tamen vocem audit, & assuetudine melioris comparis sui ductum sequitur: sic hæc, quò rationis imperiũ, ac potioris facultatis consensus iusserit, persuasa feratur, nec gulonem, aut helluonem aliquem faciat: nec tamen obtusi penitus ad hæc sensus, non ardelio quidam sit, qui subitò quarumcunque rerum desiderio rapiatur, nihil vnquam perficiat, neque tamen non cum delectu quædam habeat, quæ amanter persequatur: breuiter, iugales gemini alter dicto audiens rationi semper sit persuasus, alter castigationibus multis eiusdem iussa sequatur coactus. Idem sentiendi, imaginandique, ac ratiocinandi vi inculpata, qui facultatũ harum exequi munia omnia valeat, acutus, sagax, ingeniosus, prudens, veritatis amans. Video sanctum prorsus, nullaque penitus corporis, aut animæ dote carentem facimus, sed nos exemplar constituimus, hac in re, punctum, quantum fieri potest, rerum omnium attingens, numerisq; ideo omnibus suis absolutum, quò tanquam ad medium dirigẽdi reliqui excessus omnes sint, breuiores in alijs futuri. Neque tamen somnium nobis prorsus finximus, vt, quemadmodum in multis alijs, verbis tantummodo effictum audiremus, à natura informatum inspicere nunquam daretur. Nulli enim dubium esse opinor, non neminem esse, cui recensita superiùs à nobis signa cõpetant omnia, quem nihilominùs ipsum, vt sæpe iam dictum fuit, non negemus, ab exacta illa, maximeque exquisita, quæ in nullam omnino, vel tantillum, partem flectat, regula, amussique abesse adhuc aliquantum posse, quam verbis solùm, ac cogitatione quadam assequimur, signis autem certis aliquibus repræsentari alicui non facilè consueuit. Nobis satis est, cùm hanc, tum paulo ab hac remotiorem, sed quæ non appareat tamen talis, iisdem prorsus signis indicatam notâsse, quoniam nec alia quidem huius illúsve habenda sint indicia, sed quæ exactissima omnimodo sit vsque eò, nihil vt illi omnino desit, eadem mox paulo de bonitate sua decedens, signa tamen, quæ priùs, cuncta de se exhibuerit, donec in tantum à medio labatur, vt lapsus eius manifestæ quoque detegantur vnà statim notæ. Quædam enim eiusmodi habentur in natura (hîc scilicet antea quoque de his dictis addemus paucula hæc) vt esse aliter conuincantur, quàm appareant: quemadmodum in ijs, quæ longissimè à nobis dissita mouentur, quorum motum non inspicimus, dum fit, factum autem videmus, mutato iam loco, vt in Sole, & Luna, reliquisq; astris, quoti-

dìe

die experimur, hæc enim ipsa moueri, ratiocinatione meliùs colligimus: etiam Gnomonis vmbræ motum non assequimur, moueri tamen scimus: aceruum frumenti iustum, cui additus sextarius sit, auctum nullus animaduertet. Sic multa sunt, quorum possit in minuta quędam vsque adeò, & indiuisibilia secari ratio, vt sensum intereà omnem nostrum effugiant, proinde ratione tantùm quadam facta iam existimentur: sicuti quoque nos exactissima illa constitutio humani corporis latet, quæ reuera inculpata omni ex parte sit, pro hac autem interim non minùs ducimus, eandemque esse existimamus, quam notæ, signaque eadem insequantur, diuersam licèt habendam esse ratio vincat, quoniam nunquam res quidem huiusmodi eundem perpetuò seruare tenorem possunt, fluuntque, ac refluunt semper, ijsdem tamen plerunque signis persistentibus, (quoties quidem non vsque adeò magnus factus excessus est) notisque ijsdem, quæ sensibus sese nostris cognoscendas exhibent, nobis offeruntur. Exemplo eodem, idem signi accipiet tangendi vis ex temperatissima verè aqua, & ex paulo ab hac in alterutrum extremum prolabente. Nec mirum, etenim quò sensus non potest, ratio plerunque penetrans attingit, &, quod maius quiddam sit, formas quoq; ipsas, & substantias oculis nostris incognitas, abstractasque à materia, consideratione percipit: neque abstracta solùm, verùm & materialium, vt docuimus, pleraque, quorum in minutissima sectorum latent discrimina, occultanturque ideo signa, ratio ipsa inuestigata reperit. At nos, qui quidem artificium tractemus sensuū inprimis viribus nitens, & in opere semper ipso, agendo versemur, nisi ad manus signa habeamus, quæ nos primò ducāt, nihil vnquam quicquam moliri rectè valebimus. progredimur quidem vlteriùs aliquando ratione, sed fixo priùs tantùm in sensuum vestigijs certis pede, vt, quāquam dictet nobis aliter se habere rem ratio, credamus quidem, nec quicquam, quo minùs ita sit, repugnemus, cum hoc tamen ipso, minimè scilicet destructo hoc, sed veluti seposito, sensuum fide cōmodè ad res nostras vtimur, vt hac ipsa in re, videntes scientesque non punctum semper omne tulisse, quam exactissimam, exquisitissimamq; humani corporis cōstitutionem dicimus, ad sensum tamē talē acceptamus. Quā quoniā cuiusmodi in vniuersum esset ostendimus, tū quibus sensui nostro signis innotescat, reliquarum etiam persequamur ætatum, temperamenti eiusdem, hoc est, mediocris per omnia, sed ab ætatibus tantùm ductas, primùm notas.

Caloris ac frigoris, humorisque & siccitatis diuersæ per ætates ratio. Aetatúmque omnium temperamenti notæ, mediocris.

CAPVT II.



AB hoc ita constituto corpore, atque, vt omnium medium rectè occupâsse dici queat, etiam ætatis suæ in medio posito, quæcunque manifestò recedunt corpora, in diuersa abeunt omnia: calida, frigida, humida, sicca dicta, aut constitutionis corporeæ reliqua vitio aliquo meritò notata. Nam quum primùm, media relicta, in sequentes ætates ingressus fuerit, paulatim iam ad frigidum vergens, etiam siccitatem indies maiorem contrahet: quam ab ortu quidem quoque suo, immò ipso in conceptu sui inchoârit: verùm inde progressus, demptaque ob ingenitam, assiduamque natiui caloris vim, sensim humiditate paulo antec magis redundante, quum ventum ad summum iam consistentis ætatis vigorem fuerit, veluti in æquilibrio humiditatis ac siccitatis positus, dici hac quoque ex parte temperatus debet, antea humidior iure habitus. At non idem de calore existimandum fuerit, vt qui ætatum omnium decursu ad consistendi vsque tempus, qualitatem in eiusmodi corpore attemperatam seruet, licèt humectiore ibi, hîc sicciore subiecto nitatur temperies ea, at temperies tamen, ad eam vsque diem, quoad primùm inualescat frigoris vis aliqua continuata, ac, quemadmodum post seminis proiectionem, sanguinisque menstrui accursum, antequàm perfectè corporentur, rudia etiamnum, & inchoata tantùm membra, nihil propè aliud, quàm hoc ipsum semen nimirum, sanguisque vnà menstruus sunt, corpusque ex duobus his conflatum humidis, humidum ipsum quoque totum necessariò euadit: sic paulatim lineamentorum ductu, structuræque omnis informandæ opera, siccatæ partes (etenim necessarium futurum hoc fuerat, quo minimè labilis, & humore diffluxa, sed solidior quædam, edendisque functionibus suis firmior corporatura existeret) iam plurimum humoris huiusce amiserint, caloris intereà perpetuò qualitate eedem, eodemque gradus ordine operata, cuius planè rei exēpla alibi quoq; nō desint, temperati aliqua in re sicca, nempe ligno, lapide, ære, caloris: rursusq; temperati in humida, aqua fortè, liquoreque omni, quoniā vtrobiq; à summa caloris intēsione, quā adipisci ibi possint, ad minimum

mum caloris, quum iam refrigerari incipient, per medium, in quo temperies, deuenire necessum omnino sit, prorsus vti eadẽ omnino caloris hîc, atque ibi existimanda qualitas sit, temperata nimirũ, ac moderata, quanquam alibi humiditate, siccitate alibi constet: hoc est, quanquam natiuus ibi, ingenitusque calor, accersitus hîc, acquisititiusq; dici ex parte non iniuria debeat, ex parte dico, quoniam natiuus tamen adhuc semper, & innatus plusculum perpetuò humoris retinens habeatur. Etenim corporatum primùm omnium, cum sanguine menstruo, semen, natiuum totum corpus est, nihil extranei retinens, quod idem natiuum appellare calidum possis, dignioris, quæ inesse corpori huic appareat, rei nomenclatione: at sensim deinde paulatimque progressus calor, dum corporaturam diuersimodè effingendo, necessariò exiccationem vbiq; partibus, plus alibi, minusque inuehit, deperditionem ita assiduè corporis huiusce, quod benè humidum fuerat, calidiq; vnà innati, quod idem ac corpus innatum esse diximus, secundariò, atque ex accidenti molitur, cui planè corpori, calorique innato quantum ingenitæ illius humiditatis detractum demitur, tantum semper acquisititiæ siccitatis accedat necesse est, innatus tamen adhuc calor vt sit. Quod quum minutatim fiat, ad multum temporis, plurimum quoq; semper tunc, donec adolescens ad summum sui vigorem perueniat, corpus congeniti calidi retinet, ac extranei acquisititijque minus: plurimum enim tunc sanguinis, ac bilis minimum, plurimumque carnosæ substantiæ, atque huius per totum humectæ inest: ossa ipsa, nerui, arteriæ, venæ, chartilagines, ligamenta, cutis, paulo ficciora à natura fabricata, multum tamen adhuc inter adolescendum, humoris obtinent, ac seminea materiæ. Vnde & infracta ossa minimo minus puerilibus annis coalita ex toto visantur, reliquaque, quæ enumerauimus, omnia, eiusmodi materiæ redundantis etiamnum copia, restitui aliquando deperdita soleant. Hinc sanè fit, vt meritissimò dictum olim ab Hippocrate sit, dictumque defenderit Galenus, aduersus non satis intellecta Hippocratis dicta impetentes quosdam: Plurimum adesse ijs, qui adolescant, innati caloris: quandoquidem corpus quoque innatum vnà, in quo calor is multus, plurimùm adest, donec acquisititio tandem calore inuecto, superatus vincatur, quod fit, exucto, exiccatoque partium humore, quæ humidæ priùs fuerant. id scilicet inclinante iam in senium ætate, manifestum, in senio manifestissimum apparet, nam & in his extranei caloris sensum facilè percipias vellicantis manum, non placidè, lenique ac vaporoso appulsu addentis sese, in illis verò depauperato hoc quoque ipso calore, etiam frigiditatem sentias. Ergo citra consistẽdi vigorem ætas humida fuerit, sicuti vltra, sicca, ac quo citerior, eo quoque humidior, quo vlterior, siccior. At non idem statui de calore potest, qui ab initio ad summam vsque consistentiam, quo tempore veluti vigens floret, æqualiter, eodemque qualitatis suæ tenore prodiens, actionibusque suis operatus, magis tamen, magisque semper, euicta humiditate eluceat, quas ἐκλάμψεις appellâsse aliquando Hippocrates videri possit, quasi caloris illustrationes, non ille quidem vt temperamentum suum exeat, quod tam sicca, quàm humida in materia seruari posse notum est, sed quòd temperamento eodem efficaciùs tamen agat, materiæ cui iam adhæsit siccioris beneficio, qua veluti exacui ignis opera semper, non iam humore nimio retusa, quasique lucidè clarescere videmus, quo fiat, vt in temperati alioqui corporis citerioribus ętatibus, (quod quidem ad caloris sensum attinet) temperamenti cuiusdam, sicuti reuera est, offerantur semper signa, quod tangendo potissimùm dignoscitur. At humoris, siccitatisque subinde in confesso diuersa sint, vlteriùs autem tendentibus iam frigiditatis, siccitatisque vnà subinde magis atque magis notæ quoque appareant. Quæ quanuis intemperantię cuiusdam nomina sint, sic nihilominùs accipi debent, vt hactenus tantùm intemperata dicantur, quatenus non solùm rerum aliarum, sed ætatũ quoque omnium intermedij corporis respectu talia existimantur, ipsa verò cæterorũ ætatis suæ corporum omnium pro canone ac regula exacta habeatur, immò verò ipsummet, quod in medio vitæ suæ curriculo temperatum fuerit, vltro, citroque sumptum intemperatum euadet corpus, pro diuersarum videlicet ab ea, ætatum ratione. Ac, quemadmodum temperati hominis consistens ætas ætatum aliarum, cunctorumque vnà hominum: sic præter hanc temperati hominis ætates aliæ omnes eiusdem rationis aliarum certissima regula, amussisque sint, vt ideò in hunc respicere reliqui habeant, pueri omnes, puerũ: adolescentes, adolescentem: senes, senem, cætera quoque temporibus omnibus temperatissimum, vnaque solũmodo ætatis (quam nunc gerit) intemperatura notandũ, quæ ipsa (si rectè expendatur) intemperatura non sit, ætatum nanque sequitur omnium optimam rationem, & temperatissimam. Quarum quoque nobis signa semper exhibeantur aliqua, alijs alia, plura pauciorаq;

æta-

ætatibus. Etenim statim natus puellus, in reliquis medium omnium qui obtineat, ætatis tantùm mollitudinem habebit: color ex penetralibus primùm naturæ prodeunti ruber: mox cuticulæ superficie connata illa exuto, etiam pro ætate floridus, excrementis, nisi quæ humidior ætatis natura ferat, nimijs vacans: vultus, orisque lineamenta, quæ damnare non queas, aut pauxillum immutata statim corrigas: neque enim, si quod apparebit, modò non enorme, in corporatura vitium, id continuò pro natiuo habendum, quum & gestantis sæpe, & enitentis, & suscipientium obstetricum culpa huiusmodi, non informatricis facultatis, idipsum eueniat. Cæterùm firma omnino ducere argumenta temperatæ prorsus hac ætate naturæ, sanè haud facile sit: non enim se detegunt, aut animorum, aut corporeæ bonitatis malitiæve, quæ plurimæ alioqui restant, notæ. Illud tamen non incertum, vt, quũ totum propè tunc positum in nutricatu sit, ex lactis alimonia, si laudata ea accesserit, (sicuti par est optimam inesse de sanguine temperato enixæ) & alendo præterea fœtui satis futura sit, nec vagiturus plus iusto, nec vigilaturus, nec dormiturus, sed nec appetiturus puellus sit, quę si plus æquo contingant, intemperaturæ alicuius signa omnia habeantur. paulatim insequentibus deinde ætatibus aperiunt se mediocris per omnia corporis notæ: nam & balbutire primùm incipiens, & ingredi, cunctaque huiuscemodi faciens, immò verò nihil etiam plerunque faciens, multis modis prodet quędam temperati animi, corporisque argumenta, quam Indolem appellamus, quæque (sicuti antea dictum est) facillimè eo tempore, nec minùs posteriùs inter adolescentiæ quoque annos tanquam elucens clarescat. Pueros videmus iracundos ad omnia, plorantes, morosissimosque: rursus segnes, desidesque alios, ac prorsus bardos: hosce frigidioris naturæ, illos paulo calidioris rectè opinor statuemus: sicuti mediæ, qui neque in hanc, neque verò in illam partem volens peccet, quod per ætates omnes valiturum sit, vt, iuxta Comicum, Quod plerique omnes faciunt, vt animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, harum ille nihil egregiè præter cætera studeat, & tamen omnia hæc mediocriter exequatur. Tritissimumque illud sapientis, Ne quid nimis: pro certissimo nobis habendum signo fuerit naturæ attemperatioris, si neq; feruido nimis animo studioque, vt quæq; cuiusq; rei libido incessit, multa sibi conficienda sumat, & quod pamphili hi solent, eadem inchoata relinquat: neque verò pigerrimè obeunda sibi negotia capesset, alacritas quædam sit oportet, qua, quęcunque peragẽda aggressus fuerit, maturentur tandem. Nec sanè diuersum omnino spectetur in literarum studijs, ad quæ placidè ac maturè capessenda natura primùm sua ducetur, tum cum iudicio, ac perseuerantia iusto tempore excultis, solidũ inde reportabit fructum. nam pręcocia ingenia, antequàm ad iustam frugem perueniat, scimus hebescere solere, aut interire prorsus. scilicet siccitas quædam, pro ætatis ratione nimia, cum caliditate, vt opinor, intemperaturæ suæ vitio, aut exitium affert, aut vlteriùs ante tempus progressa, destitutaque humore, simul etiam frigiditatem inducit, ingenij bonitati aduersissimam. Itaque eadem propè ratione sagacitas etiã quædam, & vafrities, insidensque animulæ acumen mobile, rerum statim omnium momenta perspicacissimè colligens, tenuis nimis cerebri substantiæ, caliditatisque ac siccitatis signum, temperatissimo (quem vndequaque esse mediocrem oporteat) fortasse non inerit: sicuti nec ingenij tarditas, aut quòd sententiæ suæ semper tenax propositum quodcunque semel arripuerit, obstinatè nimis premat, id enim crassitiẽ substantiæ, quæ cerebrosos faciat, indicat: discendi tamen promptitudo, ac facilitas aderit, impressasque rerũ imagines, ac species (si non tam promptè, & perspicaciter, vt calidum, ac tenue, neque tam tenaciter, vt frigidũ, ac crassum ingenium: at non difficulter tamen admissas, fideliter retinebit, multamque, ac duraturã, solidamque (non sicuti trimestris seminis, citam, ideoque deterioris farinę meritò ab omnibus habitam) frugem adferet. Idem vir factus, ac reip. suę gubernaculis admotus, pacatè, sedateque, summaque cum prudentia, ac animi moderatione, omnia reget. Hi nanque demum sunt, quorum animis multum a natura inditum aurei metalli, custodumque ciuitatis suæ præcipui, ac potissimi Fabij, ac Scipiones, Catonesque quidam, non Alcibiades, & Catilinæ, ærei ac ferrei, quos ingeniosissimos quidem, at turbidos nihilominùs, calamitososque ciuitatibus suis fuisse, constat. Iam tempore suo multum huic venerandæ senectutis, integraque ea, & ad longum viridis, accedet, donec placidè (quippe naturali lege quadam, fatoque) absumptus, exemplum sui posteris relinquat, inoffensæ ad extremum corporis vnà atque animi bonis spectatæ vitæ.

Intemperaturarum signa, Cordis primum, tum & Iecoris, vt ex quibus vniuersi corporis temperamentum constituatur.

CAPVT III.



AB hoc, vt in quem (ſicuti ſæpe iam dictum eſt) tempore omni ætates omnes, ſtatusque, ac conditiones hominum reſpiciant, deflectunt, quorumcunque intemperaturæ, aut vitiatæ aliqua ex parte conſtitutionis, ſigna apparent. Et conformationis quidem, quæ διάπλασισ eſt, numerique, & magnitudinis partium, ſitusque extrinſecus propalam viſuntur ſæpe: intrinſecus ſi qua huiuſmodi occultantur, ea, quum aliter non queamus, coniecturis quibuſdam ducti aſſequimur: & multa ſunt, quæ vel ſi lyncei facti introſpiceremus, nihil tamen ad corrigendum remedij afferre daretur, vt fruſtra in cognoſcendo ſumeretur labor. Sed priùs euidentiora tractemus: Temperaturæ totius calidioris ſigna ex cordis, ac iocinoris potiſſimùm temperatura trahuntur, quæ ſi viſcera in vnum conueniant duo, vniuerſum conſtituere corporis Temperamentum de ſuo ſolent.

Cordis calidioris ſigna, (quoniam φιλιατροῖσ potiùs ſcribuntur iſta, nec eſſe, niſi diu in arte verſato arteriarũ pulſus velocitas, frequentia, & huiuſmodi benè ſatis cognita poſſunt) de manifeſtioribus petita, audacia ſunt, & in adeundis periculis animoſitas, ſuſcipiendis negotijs alacritas, & impigritia: quòd ſi caliditas paulo magis exuperet, excandeſcentia etiam acceſſerit quædam, animoque præcipites, hi temerariè ſæpe, ac concitatè nimis in iram feruntur. Hiſpidum his ſpectatur pectus, thoraxque totus, ad hypochôdriorum interdum vſque loca, corde etiam ipſo, ſi credimus, hirſuto quandoque reperto, vt in Meſſenio Ariſtomene, cuius Lacedæmonij, tercentum eorum ab eo interfectis, diſſecti hirſutum inuenêre cor. Hippocratis eſt: Quorum in collo arteriæ manifeſtè ſaliant, pronos, citosque in iram eſſe, vt cordis ita quoque argumentari caliditatem liceat. Sed ὀξυθύμουσ & ὀργίλουσ alibi, eoſdem feciſſe Galenus viſus eſt, diuerſos alibi, vt quum medicæ artis tractatione calidioris cordis ſigna colligens, ὀξυθυμίαν recenſet. atque idem, primum de paſſim graſſantibus morbis librum exponens, quo loco inter vulgaribus tum morbis obnoxios alios etiam ὀργίλουσ attulit Hippocrates, dum verbum explicaret ὀξυθύμουσ, puſillanimes & frigidos facit, μικρόψυχοι δέ εἰσιν οἱ ὀξύθυμοι. & mox, ὥστε καὶ οἱ ὀξύθυμοι ψυχρότεροί τε ταῖσ κράσεσιν καὶ δυσδιαφόρητοι γενήσονται. puſillanimes, inqt, ſunt. rurſusq; ὀξύθυμοι tẽperamẽto frigidiores, ac difficulter diflabiles fient: quibus ex aduerſo maximè opponat θυμώδεισ, ac proinde benè calidos credat, fortes quippe, & paruarum rerum contemptores. Verùm ita quidem diſceptatio de nomine tantùm peragetur, ὀξυθύμουσ enim θυμώδεισ accepiſſe videri poteſt Galenus inter calidi cordis ſigna, & in Hippocrate interpretando ὀξυθύμουσ ὀργίλουσ eſſe voluit, magis vt irrepſiſſe verbum ὀξύθυμοι in verbum ὀργίλοι eò loci videatur, quoniam quidem Hippocraticæ dictioni adſcriptum ὀργίλοι, Commentarium autem, præter vſitatum Galeni morem, qui nunquam Hippocratis dictionem immutet, ὀξυθύμουσ habeat. Ac, ſi ſequendum nobis etymum fuerit, acuti, citatique in bilem animi ὀξυθύμουσ rectè, vt opinor, interpretabimur: θυμώδεισ autem, qui cordis facultatem quæ iraſcendi ſit, validam, vehementemque obtinent: atq; hoc vigentis inibi caloris ſignum animoſos potiùs indicet, aut non temere, & de nihilo iratos, cuiuſmodi ὀξυθύμουσ & ὀργίλουσ videmus, ad minima quæque excandeſcentes, ac puerorum more iracundia ſtatim quadam percitos, aduentitij potiùs igneique, & biliosi circa præcordia caloris nota, quo tamen reliquæ corporis partes depauperentur, vt frigiditatem, ita rectiùs arguamus. οἱ θερμοκοίλιοι, dicebat aliquando Hippocrates, ψυχρόσαρκοι, καὶ λεπτοὶ, οὗτοι ἐπίφλεβοι, καὶ ὀξυθυμότεροι. Præditi ventre calido, ait, frigida carne ſunt, ac tenues, venisque apparentibus, & acutę citæque bilis, atque, iuxta exponentis Galeni ſententiam, τόδ' ἐν τῇ γαστρὶ τῇ κακώσει τοῦ στόματοσ αὐτῆσ ὀξυθυμοτέρουσ ἐργάζεται. δέδεικται γὰρ ὡσ καὶ τοῦτο ἑαυτῷ συνδιατίθησι τὴν ψυχὴν, ἀργοτέρουσ μὲν ἐργαζόμενον εἰσ τὸ νοῆσαι, καὶ πρᾶξαι, καθ' ὃν ἂν χρόνον ἑαυτοῦ γένηται ψυχρότερον, ἑτοιμοτέρους δὲ, καὶ ὀργιλομένουσ ἐπὶ μᾶλλον θερμανθὲν, οὐ τῇ κατὰ φύσιν δηλονότι θερμασίᾳ τῇδ' ἐπικτήτῳ τε, καὶ παρὰ φύσιν. hoc eſt, At quod ventriculo ineſt (calidũ ſubintelligo) deprauato huius ore, iracũdiores facit. Etenim oſtẽſum fuit, partẽ quoq; hãc animam ſecum in affectum trahere ſolere, ac ipſam quidem ſeipſa frigidiorem factam, ad intelligendum agendumque pigros reddere, iraſci autem faciles, ſi incaluerit magis, nimirum non naturali caliditate, ſed aduentitia ac præternaturali. manifeſtum eſſe vt ita queat, alios eſſe θυμώδεισ, & alios ὀργίλουσ, ſiue ὀργιλομένουσ, & ὀξυθύμουσ. illos nanque animoſos, rectiùs dixerimus: hoſce iracundos quoſdam, promptè videlicet citoque & acutè in iram delatos: rurſumque illos adaucta cordis caliditate fieri, hos verò ventriculi potiùs, eaque peregrina, & extranea. Nec Galenus propterea non rem ipſam viderit, nomina tãtùm aliquando immutârit.

Hinc

Hinc illud statim constat, ex altero signum meritò duci calidioris cordis debere, vnde diffundi in vniuersum corpus calor possit, nisi contraria iocineris qualitas contrà stet: ex altero ventriculi, qui perinde calor diduci in corpoream molem non soleat, neque enim canales habet, per quos deferatur, vt cor, vt iecur, sed inibi subsistens, aut paulo vlteriùs progressus, transmisso tantùm fumido quodam vapore, vicinas accendere fortè partes, vt & cor ipsum: corporeæ autem molis reliquas frigidas relinquere natiuo calore suo, ob aduentitij in pręcordijs dominium, depauperatas possit. Atque ita hoc signo arguere cordis calorem liceat, si ab eo tanquam ab ignis ἑστίᾳ focoque per arterias, veluti per riuos, deriuatus expandatur calor, non autem alibi præter naturam accensus, inflammatis propinquis tantùm partibus, alijs frigiditatem inducat, ideoque caliditatem cordis, arteriarum pulsus comitatur, citus, frequensque, eodemque modo respirandi magnitudo, & (quod visentibus appareat) latus thorax, humerique, sed ita, si vnà semper caput ipsum quoque spectârimus: æquè enim magnum hoc, ac latus thorax, certò nihil indicârint tale, materiæ enim etiam hoc copiam quoque insequitur: at si inspicientibus latitudine excedere thorax capitis paruitatem videbitur, (quod communi quadam notione, collatis inter se proportionibus suis humani corporis partibus, cuiuis innotescit) certissimum ex hoc habebimus calidioris cordis signum, vt quod, calore inter initia augescente, vi ea necessariò thoracis partes omnes tendens efflauerit: sicuti è diuerso, si pro rata ambarum inter se partium analogia, angustum pectus, amplum verò viderimus caput, frigiditatem cordis insignem notabimus: quòd quemadmodum ibi æqualem materiæ portionem vigens calor protensam dilatauit, ita hîc imminutis viribus coercitus intra angustiores se fines continuerit. Accedunt signa frigiditatis alia, in angusto pectore, idipsum scilicet depile, thoraxque totus: pulsus paruus, & pulsu euidentior respiratio itidem parua: cui, siquidem thorax maior proportione sit, quàm quòd frigiditas cordis ferat, iam cum tarditate raritas quoque accesserit, eadem vtrunque de causa, quoniam ventilandi caloris pauci non perinde necessitas magna vrgeat, quoties in amplo pectore paruus contentus calor, semel abundè attracto aere, & capacitate pulmonum repleta, nec tam citò, neque tam crebrò refrigerari postulat. At econtrariò, quum frigidum quidem cor, eoque paruus, paucusque calor, thoraxque ipse minor adhuc, quàm pro frigiditatis cordis ratione fuerit, simillimum veri sit, quantumuis paruum calorem, qui nihilominùs inspiratò semel aere, ob pulmonum angustiam, foueri, quod satis sit, refocillatus nequeat, citam crebramque ideo inspirationem, respirationemque facturum. Ergo paruus semper pulsus, in frigidiore corde, vt & respiratio, sed hæc, pro thoracis capacitatis, si cum cordis frigiditate conferatur, ratione, aut tardior, aut citatior, densiorque, aut rarior, vt docuimus. Eosdem hosce segnes, formidolosos, cunctatores, socordes videas.

Siccioris cordis argumentum, Si quis haud ita promptè adigatur in iram, at adactus perstet, efferatè implacabilis: neque enim facilè ex sicco dilabitur, quod inditum semel fuerit: arteria his tangenti siccior apparet: simul siccitatem hanc non aduersante quidem iecore reliquum corpus totum senserit. Contrà, humidi cordis signa colligas contractum arteriarum cum mollitudinis cuiusdam sensu, vnde in cæteras quoque partes humiditas permittente iecore deriuabitur: mores, irasci simul, statimque mitigari paratos.

Coniungamus sanè signa, coniunctas indicabunt statim Temperaturas: vt, quoniam caliditas procliues in iram reddebat, siccitas perseuerantes, si quis iræ statim impar, etiam in ea perstans duret, calidi hunc & sicci cordis pronunciabimus. Eodemque modo de pulsu, & respiratione: caliditas magnitudinem adferet, velocitatem & frequentiam: siccitas duritiem, eademque frequentiæ addet, quum siccior facta arteria, eoque non tam extendi facilis, satis semel concipere aeris refocillando calori nequeat, nisi frequentia, quod deest, resarciat: quodque hîc siccitas est, in respiratione angustia pectoris fuerit, quæ, siquidem paulo maior sit, quàm cordis caliditas ferat, aut certè non minor, eadem ratione ad crebrò respirandum coget, nimirum semel refrigerationem cordis haud satis inuehens, ideoque crebrò, hoc est, paruula omnino interposita mora, statimque idem repetere coacta. Hirsuti omnium maximè hi, pectus, & hypochondrium, multum enim fuliginosę in sanguine materiæ, vnde pili, qui loca potissimùm, vbi euaporatæ materiæ fomes, aut vnde proximè illa oritur, vestiant: plurimum ad res inchoandas, peragendasque, vehementiæ, promptitudinis, celeritatis, mores tyrannici, iracundi scilicet hominis, efferique, & cum crudelitate, & misericordia nulla, ac nemini parcentis furor, propterea quòd siccitatis additamento caloris vehementiora, & permanentia magis opera semper

 fiant.

fiant. Nanque è diuerso, si cum caliditate humiditas cordis adsit, iracundos quidem faciet, sed, veluti retusa caloris acrimonia, placabiles, placidosque magis, hirsutosque minùs: nauos autem, & industrios non minùs, at non perinde fortasse negotiosos: pulsu cætera eodem, at ob humorem molli, respirationeque prorsus eadem, magna quippe, cita, & crebra, nisi (quod & suprà ostendimus) angustum plus iusto pectus, & cordis calori, capacitatis suæ exiguitate non respondens, respirandi maiorem etiamnum necessitatem attulerit. Quæ si qualitates inualuerint duæ, caloris dico & humoris, præsertim verò augescente humiditate, obnoxium reddet corpus corruptioni humorum, & putrefactioni, vnde putredinosi morbi existant, quod signi sit redundare plus iusto humorem, vt cui nimio, si calor prætereà adsit, facillimè incumbat putredo, plurimæque inde procreentur fuliginosæ euaporationes, quæ cùm pulsus contractionem citatiorem faciant, tum verò expirationem, inspiratu maiorem, citamque magis, efflandæ nimirum promptiùs fuliginosæ materiæ. Contraria omnia videbuntur contrariarum qualitatum oppositu, vt & glaber thorax totus appareat, minimè iracundi hi sint, ob frigiditatem visceris, & in iram tamen tandem acti, irati diu perstent ob siccitatem, quæ non facilè, conceptam semel iram, remittat: in pulsu deprehendetur siccitas, paruitas, tarditas, & in anhelitu duæ hæ posteriores, siccitas enim quî potest? nisi siccum pectus velimus. Ita tamen lentum, ac paruum esse anhelitum existimemus, vt meminerimus semper, quanuis frigidæ ac siccæ cordis substantiæ causa, accidere hoc debeat, quia tamen fomes id, focusque, & ἑστία insiti à natura caloris habeatur, eo fieri, vt in commensurato, formatoque pro cordis frigiditate, pectore nec tarditas ea, neque anhelandi raritas appareat, prohibet enim euincens calor, solumque id in paulo magis amplo, quàm cordis frigiditas sit, inspiratique aeris benè capaci pectore, euidens primùm fiat, vt, quantum frigiditas, & siccitas cordis ferat, lentè, tardeque inspirent. inuecta enim refrigerantis aeris copia, qua insiti caloris substantia ali simul & refrigerari, quod satis sit, queat, cordis manifestabitur temperatura frigidior, ac siccior, minimè coacta conseruando calori, aerem, quem satis iam habeat, velociùs aut frequentiùs attraxisse, quandoquidem duo inesse cordi, quæ consideranda sint, haud dubium est, materiam, substantiamque, qua constat, contentumque inibi vitalem illum spiritum, seu congenitum calorem. Et materia quidem ea est, densa, solidaque, neruum potiùs aut ligamentum referens, totaque ex his ceu contortis inuicem chordis, funibusque compacta. non enim ex alia debuit, cor, materia conflari, toto humanæ vitæ spatio, submissionum, & eleuationum motibus suffecturum, tenuissimamque rem, spiritum contenturum. Atque ita frigidum, & siccum substantia quidem sua euadere oportuit cor: innatum porrò calidum, principium nimirum vitæ, è diuerso caloris humorisque plurimum obtinuit, vt hoc (sicuti extrinsecum quoque ignem videmus) non nisi aeris refrigeratione ventilatum conseruari facilè possit, cordis interim materia, frigida quippe per se & sicca, nihil tale exigente, nisi quatenus vitali spiritu, insitoque calore fomes huiusce, focusque factum, incaluit. Quæ si ambo naturæ suæ relinquantur, tantum exegerint refrigerationis, quantum connatum Temperamentum ferat: at accedente thoracis capacitate, quam vt cordis solummodo Temperamentum insequi debeat, maiore, minoréve, vnà quoque respiratio statim, ea tantùm de causa, varietur, necesse est, suppeditato alibi nimirum inspiratione vna plus, quàm necesse tum cordi sit, aere, vnde parua, tardaque ac rara: alibi minus, vnde magna, citaque, ac frequens respiratio sequatur. Iccirco nullum certum satis duci, ex inspiratione, cordis Temperamenti signum, nisi diligenter inspecta priùs pectoris quantitate, queat.

Ad eundem modum in Iecoris temperamento dignoscendo, vbi ex proprio, non ex alieno petantur notæ, certiora semper tradentur. Quoniam enim venarum principium iecur est, propriè eæ, originis suæ naturam retulerint, latæque calidius iusto iecur indicârint, quia diffundere caloris officium habetur, calidiorque vnà sanguis continebitur, bilisque in eo multum, vnde fusus per corpus totum caloris sensus oboriatur. Eædem angustiores, venæ dico, contentusque his sanguis frigidior, idemque pituitosus, frigiditatem proculdubio iecoris arguerint, ex quo corporis quoq; totius habitus frigescat. Et, vt in calido hypochondria pilis vestiuntur, è diuerso his glabræ eæ partes.

Iam siccior corporis habitus meritò siccius iecur indicârit, vtpote in id pauci sicciorisq; sanguinis alimento vergens. quem quidem eiusmodi esse denotent, siccum venarum corpus, quo siccum crassumque contineri sanguinem verisimile sit: neque enim, opinor, secabimus venas, emittêdo,

nisi

nisi quum alioqui rei huiusce vsus venerit, cruori, & an ater crassúsve sit, inspiciendo: nec minùs, siquidem attrectanti molliores venæ visæ fuerint, humidiorem vnà sanguinem denotârint, huiusque vnà authorem iecur tale, talemque rursus ex sanguine corporis vniuersi habitũ. Et humidior in venis sanguis, idem substantia sua fusior quum sit, maior quoque apparebit.

Facile hinc fuerit, cum caliditatis signis, siccitatis, aut humiditatis signa coniunxisse, vt aut calidum siccumque, aut calidum & humidum esse iecur credamus: rursusq; frigidum & siccum, aut frigidum & humidum, si annexa frigiditati, siccitatis, humiditatisve signa viderimus. Vt caliditatis siccitatisque signum habeamus in hoc viscere, quod & primò videri tractarique possit, venarum amplitudinem, & duritiem, contentiq; his sanguinis siccitatem quandam cum crassitie, & ab hoc hypochondria, si aspici nudata possint, hirsutissima: flaua bilis plurima adsit, eademque summo ætatis vigore quæ caloris maioris vi promptè in atram vertatur: accedente verò humiditate, latæ etiamnum magis, mollesque videbuntur venæ, corporeæque totius molis habitudo. etenim nactus materiam humidiorem calor, protendere illam faciliùs, totumque in eam sese immergere potest, vnde venis amplitudo, & mollities: at non vsque eò hirsuta fuerint hîc hypochondria. Exuperante verò vtriusque, caloris scilicet humorisque, qualitate, quo magis id fiet, eo quoque obnoxios magis putredinosis morbis videbimus: ijdem, præsertim verò quum humidum vincens superârit, etiam succorum prauitatem facillimè colligunt. vtrunque iure sanè. nam & victoria humidi, cuius redundantia veluti suffocatus calor pereat, putredo ipsa est: & succorum vitio nimius humor, qui non perinde facilè confici à calore possit, plurimum materiæ suppeditat, in humido enim succus. Iam contraria in contrario cuncta apparebunt, vt & glabra hypochondria, & angustæ, siccæque venæ, paucique ideo sanguinis, frigidumque corpus, frigidum siccumque meritò iecur notent, tum verò ob humoris nimij vacuitatem, quod nec putredinosos morbos incurrat & exuccum quum sit, succorum quoque vitio careat, præsertim conueniente in idem frigiditate, cuius præsentia multus licèt aliquando humor, non facilè tamen putredinem sentiat, sed nec abire in malitiam succus solitus sit, longè quidem, quàm vbi calor cum humore vnà adest, minùs: ac paulo tamen magis, quàm cùm frigiditas siccitati coniuncta est: quippe quum duæ habeantur putredinosorum causæ, sitque pro materia humor, pro effectrice autem causa aduentitius calor: in frigiditate & humiditate tantummodo materia suberit, efficiens autem, nisi aliunde inuehatur, non adest, quod inuehi tamen, omnium minimè, in frigiditate & siccitate possit, vbi materiæ, cui insideat, nihil: in frigiditate verò atque humiditate plus paulo: cui inhæreat enim, iam habet, putrefactio, tametsi frigiditas aliquatenus repugnet, maximè autẽ, vbi cum humore calor fuerit, id accidet, vt putredo subsequatur, propterea quòd & humorum materia adsit, excipiendo extraneo calori idonea, nec contrariæ qualitatis vis vlla obstet, quominus inuectus facilè extraneus calor putredinem faciat.

Iam verò conuenientibus in vnum visceris vtriusque naturis, totius inde quoque necessariò statim existet natura, vt pro illorum temperamento totius temperamentum haberi, dicique, ac esse existimandum omnino sit, non immeritò. etenim si ex alterius tantummodo horum temperatura, alterius quidem nõ repugnante, constitui facilè totius temperatura solet, multo quidem magis, faciliusque, concursu in idem vtriusque, idem quoque, imò maius quiddam expectari necesse est: in quo tamen efficacia semper spectabitur maior cordis, vt ex quo per arterias in vniuersum corpus delatus feratur vitalis spiritus, res calidissima, efficacissimaque, tum verò de corde arteriæ progressæ in partes deriuentur: quæ, quum vitalem inde suscipiant, meritò influentis quoque eò, caloris, temperamentum maioris, minorisve accipiẽt. Simul, quoniam cordis calor, huius ipsius temperamentum sequitur, vt in calido, calens magis, corde, in frigido minùs, in humido humectus, in sicco autem siccior, pro substantiæ cordis qualitate reperiatur, calor: non esse dubium potest, quin arteriæ quoque ipsæ, vt quæ ortum à corde habeant, eadem qua cor, nisi quid priuatum aliud obstet, temperamenti qualitate præditæ sint, perque arterias, cordis semper temperamento respondentes, ita delatus calor partibus, quocunque tandem perueniant, omnibus hoc ipsum addere Temperamentum suum facilè queant: atque ita musculosæ partes, quarum inprimis temperamento, molis totius corporeæ temperamentum constat, idipsum affectæ sentiant, cordisque in hoc naturæ temperatura ita sua respondeant. Nec dissimilis sanè fuerit iecoris, deque iecore procedentium venarum, ratio, vt carnosis partibus Temperamenti semper sui naturam concilient, ac tanto quidem (vt

videri alicui fortaſſe poſſit) magis,quanto pluribus veluti ramis ac propaginibus deductæ in corpus totum videri poſſunt eæ, quum comitem perpetuò habeat, quacunque tandem corporis in parte,arteria venam, at vena non itidem arteriam, quando non paucas videre ſit abſque arteria expatiantes in corpore venas, quo planè fiat, vti hac quidem de cauſa, ſuperantibus nimirum multitudine ſua venis, credendum nobis eſſet conciliatum potiùs iri partibus à iecore,quàm à corde, temperamentum, niſi agendi vis cordis maior, efficaciorque, in quaſcunque ſe partes addiderit, edere opus quoque maius, euidentiusque, peractique operis certiora relinquere veſtigia poſſet, vt ipſum quidem hac in re cor primas obtineat præiens partes. Siqueconſentiens ſecum iecur habeat, certiſſima conſtitura inde ſit totius natura, partis vtriuſque naturam ſequuta : ſin veluti aduerſentur inter ſe, iam victoria omnino futura cordis ſit, præſertim ſi aduerſans obſtiterit iecoris frigiditas cordis calori : vicerit enim facillimè tunc frigiditatem eam caliditas : at caliditatem frigiditas non æquè, ſicuti nec humiditatem ſiccitas : omnium autem, minimè humiditas ſiccitatem, vt quæ nullo modo vinci à cordis humiditate poſſit, ſic quidem, vt in contrariam qualitatem victa diſcedat. At cur non (quærat hoc loco meritò aliquis) quum muſculus, muſculoſaque caro, non neruis, quàm venis & arterijs, minùs (niſi fortè etiam magis) in particulas minimas diductis, totamque multis interſectam tenuiſſimis, aranearum inſtar, telis, carnem (quod ἔγχυμα appellant) permeantibus, conſtituatur, de neruorum tamen, aut horum originis Temperamento, dici à Medicis quicquam, haberi ve vnquam ſermo ſolet? nempe, vt inde aut calidæ, aut frigidæ, aut humidæ, aut ſiccæ, aut compoſitis ex his nominibus temperaturæ dicantur, id nimirum facit notanda diligenter partium harum diuerſitas, qua de cerebro progreſſa facultas animalis, de iecore autem,& corde, quanuis vitalis altera, naturalis altera dicatur, vtraque tamen naturalium ſæpiſſimè nomine à Medicis ipſis cenſentur : vt quum plerunque geminam tantummodo functionum diſtributionem faciunt, alias animales, naturales alias eſſe dicentes: proculdubio vitalibus tunc inter naturales ipſas comprehenſis : atqui functionum numerus facultatum ſuarum numerum inſequatur neceſſe eſt. Galenus quidem in libris tum de Symptomatum differentia, tum de horum cauſis, primò pulſatilem functionem naturalibus adnumerauit,ideoque & facultatem neceſſariò. neque id abs re tamen,quum quidem ex vtriuſque harum natura partis omnino cuiuſque natura facilè conflata conſiſtat, congenitusque partibus calor, cum aliunde inuecto,(qui nihil aliud, quàm eſſe influens cordis poſſit) vniuerſam illarum naturam temperaturamque conſtituant. Porrò autem animalis ſpiritus per neruos partibus ijſdē illatus, nihil, quàm motū, aliud illis addit, ſenſumque : at vtrunq; horum animal potiùs effecerit, quàm naturam, hoc eſt, partium prorſus ipſarum temperaturam, vt Medici quidem ſentiunt. vnde φύσεωσ & ψυχῆσ nomina diuerſa, ac φυσικῶν καὶ ψυχικῶν δυνάμεων, καὶ ἐνεργειῶν, naturalium & animalium facultatum, ac functionum, naturæque, atque animæ non eadem opera. ſiquidem ab anima rectiùs, vſitatiusque ſenſum ac motum accipere partes, à natura nutriri, augerique dicemus : id autem ipſum, quòd nutriantur, augeāturque partes, ſine dubio iecori potiùs, cordique, tranſmiſſisque inde viribus, quàm capiti aut cerebro, referendum acceptum ſit : vti iam (vnde in hæc diuertimus) videri cuiquam mirum non debeat, ſi, quum hæc ita ſe habeant, conſentiente inuicem vtriuſque, vt dixi, viſceris (cordis nempe iecoriſque) temperamento, parti quoque quo arteriæ, venæque perueniunt, concilietur idem : in neruorum autem deriuatione non contingat, vt ex quibus nihil prorſus temperamenti accedat partibus, & moueri tantummodo eas, ac ſentire inde contingat : at diſſentientibus inter ſe duobus iſtis, vtri rectè adſcribi victoria debeat, oſtendimus, non ſanè ſubtili illa quidem admodum ratione, ſed quæ eſſe tamen purioris Medicinæ ſtudioſo vnicuique ſatis debeat.

De Capitis & Cerebri ſignis, omni ex parte petitis, laudati, vitioſi. De magnitudine, & paruitate, ſignisq; diuerſis Capitis, & partium magnarum num efficientia maior. Calidi, frigidi, ſicci, humidi, complexorumq; eorundem, notæ. De Caluitio, & Capillis, Pilisque, ac Cute, horúmque indicijs in regione diuerſa.

CAPVT IIII.



NVnc reliqua perſequamur. hactenus enim duorum tantùm viſcerum, vnde videlicet reliquarum partium, quæ corporis molem conſtituunt, natura pendet, exequuti Tem-

ti Temperaturas ſumus: atque id ita, vt, quanuis intemperaturarum ſigna tradiderimus, ſanitatis tamen eas etiamnum contineri omnes campo arbitremur: id quod de his quoque, quæ mox à nobis dicentur, accipiẽdum ſemper erit. Etenim deinceps (exceptis ijs, quæ in præſenti ægrotãt, corporibus, ideoque inſalubria vt nunc, appellantur) reliquorum omnium tradentur à nobis breuiſſimè notæ, quæ cuiuſq; generis ſana, neutráve, quęque plurimùm, ſemperque inſalubria vocamus. Hic enim veluti decurrendus nobis fuerit, prouinciæ, quam ſuſcepimus, campus, quo certiores, vberioresque hinc percipere deinde ita fructus queamus retinendæ eorum, quæ anteà indicijs ſuis cognouerimus, corporum ſanitatis. Ac meritò partium, quæ dicendæ ſuperſunt, caput, caput ipſum erit. Hoc enim (quippe quod in propatulo maximè ſit, nec, ſicuti cæteræ corporis partes, vt inſpectioni pateant, nudari poſtulet, ſimulque ex hoc multorum aliorum, quæ aut inde oriuntur, aut aliquid ex eo ſuſcipiunt, naturam certis quibuſdam cõiecturis plerunque aſſequimur) tractãdum diligenter erit. Cuius quidem, ſicuti antedictorum, prima, ſummaque, atque inculpata quædam conditio fuerit, ſani ſimpliciter, perpetuoque, perque ętates omnes facultatibus ſuis omnibus expeditè inprimis vtentis, in quo munia ſua liberè obire ſoliti ſint oculi, aures, lingua, ſenſiteriaque alia: imaginandi, ratiocinandi, memorandi vi exactè polleat: ſpiritus multos, claroſque procreet, quibus functiones eæ rectiſſimè peragantur: ſimul ſentiendi, mouendique vis per neruos promptè liberaliterque demiſſa inferiùs poſitis partibus omnibus communicetur. Quæ ſi ſuccedant, eſſe oporteat partibus ſuis id non ſolùm optimè attemperatis omnibus, ſed etiam ſtructura optima præditis, vt & magnitudine, numeroque cũctæ ſuo conſtent, nec tranſpoſitus vſquam notetur earum ſitus: tum verò effigies illis, formatioq; adſit ſua, iuſtæ cauitates, liberæ viæ, explicata omnia: ſinuum, minutiſſimarumque, ſed vſum tamen ſemper ſuum referentium particularum, forma, ac ratio: tantumque, quantum videmus, ſicubi in corpore alibi, intra caluariam, artificij adamuſſim ſeruatum. Quorũ ſi quicquam deſit, aut aliquid aliquo tandem pacto vitij ſentiat, id in operum ſtatim, quæ edenda inde ſint, functionibus detectum apparebit: quæ tamen, niſi effatu digno errato aliquo notabuntur, aut omnino præternaturales fuerint, alterius quidem notæ, conditioniſque caput, cerebrumque indicabunt, ſed ſanitatis adhuc limitibus contentum tamen, quanquam ab optimo illo ſtatu paulo deteriore loco ſitum. Sunt autem notæ laudati capitis, (præter eas, quas paulo antè retulimus) vt magnitudine & figura conuenienti ſit: nam de capillitio anteà diximus. Magnitudo, quæ corporaturæ reliquæ reſpondeat, ea autem communi cuidam diligenter inſpicientis notioni offert ſeſe videndam, neq; ad libellam tamen exigenda ſemper res eſt. Figura, vt ſi ceream orbicularem formam manibus leniter latere vtroque depreſſam prominulam antè, retroque facias. Magnitudinis vitium eſt, quum minor iuſto cerebrum neceſſariò vitioſum eſſe notat: non enim, vt reliqua interim integra omnia ſint, ſufficere ſpiritus animalis generationi valebit capacitas parua, in tot, omneſque penè capitis, corporiſque totius partes tranſmittendi, vt & antè oculis ſuppeditare ſuum, ſuumque vtrinque auribus, retrò autem, qua cerebellum, vbi repoſitum eſſe ſpiritus huiuſce tãquam theſaurum quendã oporteat, tantum ſubminiſtrare ſpirituũ poſſit, niſi locus, quo congeratur, ſit, vt obeundis corporis totius motibus, in quos plurimum ſemper ſpirituũ abſumitur, factura ſatis ſit: mitto guſtandi ſentiendique intus ac foris neceſſitatem, quæ non niſi ſuppeditatis de cerebro ſpiritibus peraguntur: adde imaginandi, ratiocinandi, memorandi etiam, & intelligẽdi vim: quæ quo plures, ſubtilioreſque, ac ſplendidiores ſpiritus ipſi fuerint, perfectiùs quoque abſolutiusq; fiant omnia. Eſſe igitur oportuit in cerebro magno ventriculos ſinusq; magnos, vnde tanquam ex promptuario ſumi ad tot, tantarumque facultatum miniſteria, vſumque, ſpirituũ copia poſſet. Nam tametſi non neceſſarium fortaſſe futurum ſit, vt ſpirituum ſubſtantia ipſa, in tot, quoquo verſus, partes ſuppeditata mittatur, non facilè, niſi valde exuperans, tot miſſibus ſuffectura, ſed ſatis futura ſit ſpecies oĩno q̃dã ſine corpore partib⁹ immiſſa: at hæc ipſa ſpecies, virtus, potentia, facultas, corpore omni vacãs, niſi illorum ipſorum ſpirituum ſubſtantiam multam, claramque, vnde tanquam de Sole lumen exiliat, habuerit, ceſſatura breui ac mox ſit in officio ſuo, parteſque corporis omnes caſſas, mancaſque, ſentiendique, ac mouendi munere ſuo deſtitutas, relictura. Quocirca facti à natura ſinus quidam ſunt, quaſiq; lacus colligendis ſpiritibus: additaq; his emiſſaria, ꝑ quę ſiue ſpirit⁹ hi ipſi, ſiue verò de ſpiritibus demiſſæ in reliquũ corpus facillimè diducerẽtur ſpecies. Iã ſi (q̃d neceſſariò futurum eſt in paruo cerebro)

meatuũ angustia fuerit, ꝑ quos vltro citroque permeare spiritus hosce opus sit, quomodo non, quæso, aut arctati primò hærebunt, impedientque se mutuò? aut etiam (quod in aqua & aere videmus, quum per angustum aguntur) si impetum ceperint, è diuerso concitatiùs ferentur? Itaq; hercle, paruo capite videmus instabiles, cõmotos, stolidè multa agentes: clarissimum autem, splendidissimumque omniũ quum esse oporteat spiritum huiusmodi, nisi, quò liberius diffundatur, habuerit, splendorem statim proprium amissurus sit: & tenebricosus factus, obscuras, nihilique functiones semper suas editurus. Finge tenuissimum, ac maximè splendescentem aerem angusto nimis loco cõclusum, eundem arctorum nimis parietũ occursu natura sua obscuriorem imaginêre statim necesse est, vt non immeritò ideo animalium cunctorum pro rata corporis reliqui parte tributum à natura homini cerebrum maximum fuerit: cerebrum dico, nam caput homo idem, si rata eadem pars seruetur perfectiore ætate, minus omnino cæteris obtinet, vt cuius nec tanta maxillarum ꝓductione spectetur caput, nec tam vastum mustax, neque tam diductum os, & in rotunditatem omnia acta minore loco necessaria tamen homini, cuncta retineant. Atque hæc visa fuit potior Medicis nobis causa, quamobrem (siquidem recta ineatur semper cum animalium reliquorum corpore proportio) parui hominis capitis, maximum tamen esse oportuerit cerebrum: nempe multi, eiusdemque illustris inprimis, splendidique spiritus generatio, haud aliter tot, tantisque, tam insignium facultatum functionibus satisfactura, potiùs quàm crederemus refrigerando id cordi factum, visceri tam longè dissito, ac cuius non perinde refrigerari natura postulet, nisi si refrigerationem cordis accipiant, contemperamẽtum cerebro demum factum, quo vitalis spiritus sursum de corde actus suapte natura calidior, occurrente natiua quadam cerebri frigiditate, in animalis procreationem spiritus sedatioris, considerationique ita idonei magis futuri attemperatur: hactenùs enim concesserimus. Sed hæc tractationis fortè præsentis non sint, illud ad rem magis: sicuti paruum capitis praui caput signum dictis de causis semper habendum est, ita quidem pronunciare idem de magno haud sanè liceat: in neutram enim partem statui perpetuum potest, vt bonum malúmve esse semper dicatur. Quod tamen si figura sua constiterit, partesque habuerit ex se ortas robustas, validasque, neruosum videlicet genus, collumque itidem torosum, & ossa ampla, musculosque ac tendines, censendum bonum sit: materiam enim multam quidem notat, sed quam validior tamen vis informare, recteque effingere potuerit, ac dum in vterò corporis membra fabricans operaretur, illabenti sanguinis multitudini victa non cesserit: quæ si defuerint laudatarum ita partium signa, argumento statim sint imbecillioris facultatis illius, materiæque tantummodo exuberantis, quæque informantis virtutis vim interiùs accipiens non senserit. Idem considerationis modus, sinciput, occiputque per se examinârit: vtrobique enim perpendendæ annexæ origini suæ, aut quæ inde aliquo tandem pacto pendẽt, suscipiúntve aliquid, partes: de occipitio nanque tanquam radicatus prodit colli truncus: qui si magnus, amplusque fuerit, magnas amplasq; necessariò habuerit (quibus constat) partes, ossa, musculos, tendines, ligamenta. Huic parti si pars insideat capitis posterior (quod plerunque euenire solet) itidem magna, sed rectè tamen efficta, certum ducere inde argumẽtum liceat partium earum benè constitutarum. Hacque in parte φοξοὺς (sed qui adauctam eam obtinẽt, quum etiam, qui minore ea fuerint, φοξοὶ vocentur) sanè commendabis magis, ideo, quòd potissimus ibi ventriculorum cerebri contineatur, radicesque inde, vt dixi, agat spinalis medulla, quo planè fiat, vt validos, robustosque hosce, ossibusque inprimis compactioribus esse experiamur, nec sanè minùs reliquis quoque partibus fortes, quæ magna ex parte cum capite vnà augeri, roburq; cum eo simul sumere consueuerunt: vt si multus, laudatusque fuerit sanguis, ex quo primùm formatum caput in partem eam extuberauit, visque hoc fecerit validior, id quod cùm concinna satis in magnitudine ea figura, tum quæ inde exoriuntur notabunt, iam verisimile valde sit, vitalem quoque vnà cordis, ac iecinoris naturalem non imbecilles esse: optimisque ita constitutionis totius corporeæ fundamentis iactis, maximè ex hoc probandam corporaturam sequi. Secus existimabimus, quum gracili, prælongoque, atque inualido collo occipitium imminebit magnum, aut deforme, propterea quòd, sicuti de magno dictum est capite, materiæ tantummodo inutilis exuperantiam quandam, formatricisque facultatis imbecillitatem, significet. At sincipitis duci aliunde notæ debebunt, vt si, quibus maior capitis hæc pars fuerit iusto, ijdem verò neque informem eam obtineant, & benè præterea videãt, benè gustent,

benè

bene odorentur, (quoniam sentiendi vires eæ anteriori in capitis parte fiunt, ortusque indicare sui propterea bonitatem, aut malitiam, facile possunt) materiam indicabunt eam, quæ quanuis veluti redundans superârit, à valida tamen virtute aptè informata, in partis illius robur, viresque cesserit: contraq; semper fiet, si contrariũ eueniat, vt cùm informi magnitudine ea, si sensus, quos modò retulimus, malè affecti sint, id signi sit imbecillioris facultatis in materiæ exuperantia illa non idoneè satis operatæ. Hoc loco diligenter animaduertendum vtrobique, tam scilicet in antica, quàm in postica capitis parte φοξοὺς appellatos à nobis, qui sic alterutrius capitis partis magnitudinem habeant, vt naturali intereà, altera, magnitudine sua ac figura cõstet, eo quòd alterum genus sit eorum, quos ita vocamus. Nam quicunque sic φοξοὶ sunt, vt siue anteriùs, siue posteriùs vtrauis deficiente, nec magnitudine sua constante parte, in fastigium quoddam excrescat caput, quos propriꝰ fortasse veteres appellârint φοξοὺς, hos quidem vitioso semper esse capite necesse sit, non aliter, ac quum de capitis in vniuersum paruitate pronunciare audemus perpetuò damnata, vbi quantumuis validę subsint vires, at materiæ ipsius defectu integrum, absolui à natura opus nequiuit. Ergo horum hac de causa vitiosum semper caput, siue totum id, siue altera tantùm ex parte, magnitudine sua iusta defectum, imminutumque appareat: magnum quoque maiori semper ex parte malum, nisi quum (vt diximus) certa adfuerint, virtutis, cui redundans ea materia informanda data sit, validioris signa, quæ paulo antè recensuimus, de traductis inde partibus potissimùm sumpta, ideo quòd necessariò ferè fiat, vt eæ originis suæ naturam sequantur, bonæ bonam, malæ malam. Inde dictum opinor ab Hippocrate, οἱ φοξοὶ οἱ μὲν κρατεραύχενες, ἰσχυροὶ, καὶ τ' ἄλλα, καὶ τοῖσιν ὀστέοισιν, οἱ δὲ κεφαλαλγεῖς, καὶ ὠτόρρυτοι, τουτέοισιν ὑπερῷαι κοῖλαι, καὶ ὀδόντες ὑπηλλαγμένοι. id est, Ex ijs, qui fastigiato capite visuntur, qui quidem ceruice præualida fuerint, hi, quum cætera fortes, tum robustis ossibus: at quibus caput dolet, fluoreque notantur aures, ijs palatum in cauitatem abit, suntque transpositis dentibus. quid aliud innuẽs, quàm distortum quendam Thersitæ vultum, αὐτὰρ ὕπερθεν, φοξὸς ἔην κεφαλὴν, inquit Homerus de eo. Nam si positu suo inuicem dentium ordo non respondeat, (hoc enim erat opinor ὑπηλλαγμένοι) vt nec primores primoribus, (qui τομεῖς sunt) nec canini caninis, nec molares molaribus ex oposito sint, maximum esse conformationis in ore vitium necesse est, vbi contorta vsque eò cuncta hæc spectentur, minimè vt mirum videri debeat, si (non enim fieri secus potest, quin interiores quoque inuertantur propè partes omnes, corruptaque ita figura, maleq; affectis meatibus imbecilliores reddantur) perpetuò fluoribus quibusdam obnoxij sunt hi, & ob partium illarum debilitatem (cuius causa plurimum semper gigni excrementorum solitum sit) sordes prodeant ex auribus, modò tenues quædam, modò saniosæ, ac fœtidæ, ijdemque assiduo quodam capitis dolore tententur. Atque hi sunt vitiosarum capitis figurarum modi, antrorsum, retrorsum: nam, vt dextrorsum idem sinistrorsumque eueniat, contraque, ac naturaliter compressum vtrinque spectatur caput, sic prominulum partibus his appareat: antè verò, & retrò pressius, contractiusque, quoniam eo casu perire rerũ omnium interiųs ordinem, tamque artificiosè digestam, & aptissimè collocatam seriem inuerti cunctam necesse esset. id verò veteribus visum nunquam fuisse dicunt: superior ætas Aponensis Petri vidit, hominũ pumilionum duorum, quorum tamen author idem ita vitiari potuisse figuram existimet, vt non, quantum in naturali vtrunque excedere latus anterior, posteriorque pars debet, tantundem, istas ipsas, in præternaturali dextra sinistraque pars exuperârint, hocque ideo nimirum, quoniam paruus is excessus fuerit, contingere potuisse credamus. Quod tamen (vt mihi quidem videtur) non perinde facile sit admisisse: etenim quamlibet parùm à naturali statu conformatum ita in vitium labatur caput, modò id figuræ tantummodò, conformationisque vitio fiat, vt contrà, ac contingere naturaliter solet, antè, retroque pressum, & in latera productum spectetur, statim vnà contentarum quoque partium situs, ordoque pereat, & arctatis nimiùm omnibus, angustia quoque accedat necesse est, qua liberior ille animalis spiritus in partem omnem excursus, præpeditus coerceatur: quamobrem illa potiùs subeat existimatio, materiæ multitudine potuisse naturaliter ꝓtendi in longum anticam, & posticã partem, naturalemque ideo cõformationem retinere suam, atq; vtriusq; deinde lateris additamento excreuisse in partẽ eam quoque caput, materiæque ita tantummodo multitudine suppeditatæ tam naturali q̃ præternaturali conformationi eiusmodi effigiem produxisse naturã credamus, sed quam tamen non admodum sequacem habuerit conformatrix facultas, in nanis & pumilionibus, quales, quorum nunc memini-

minimus, fuerant, necessariò semper imbecillior, vt qui ferme non solùm corporaturæ vniuersæ statura imminuta, pusillaque, verùm etiam particulatim eadem malè efficta spectentur, informantis virtutis imbecillitate.

Tacta de cerebri tẽperaturis antea paucula quædã sunt, dum attemperatissimum omnium hominem eundem æquissimæ partis eius temperiei beneficio prudentissimum, maturi, solidique consilij, rebus agendis nauum, industriumque esse dicebamus: nunc (propriè nanque magis de cerebri temperaturis agendum restat hic) calido esse ingenio quos dicimus, eosdem caliditate etiam omnino quadam, ideoque & intemperie notamus. Quæ nihilominùs, si non nimiùm iustos mediocritatis limites excedat, dociles, perspicacesque magis, & ad quæuis disciplinarum artiumque documenta accipienda, siue per se etiam inlaganda, promptos, ingenioque prorsus versatili reddat: præsertim si, vt in exuperante caloris vi par est, substantiæ quoque cerebri tenuitas accesserit: verissimè nanque tunc in hosce Heracliti dictum illud quadrat, αὐγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη. quo cœlestis substantiæ instar non vna siccitas, sed insignis quoque inprimis tenuitas notetur. Nihil autem (vt opinor) inconuenit partium à temperie quosdam, modò non insignes, lapsus functiones edere intereà temperata parte perfectiores, nobilioresq; suas, sicuti sanè magnitudine quoque excedens caput, (cuiusmodi Periclem Atheniensem fuisse accepimus) si prætereà non desint informatricis, qua factum ita caput ipsum fuerit, validioris facultatis signa, sapiẽtię ac prudẽtię plurimũ semper polliceri: gerendarumque, atq; administrandarũ rerum, domi forisque, scientissimos ostendere. Caput magnum habet, inquiebat ille de Scipione, quum imposita capiti sæpius corona disrupta decideret. Quòd, quanquam capite non fortasse perinde magno erat Scipio, nominaque hæc eo prolata modo, qualitatis potiùs cuiusdam quàm quantitatis significantia plerunque sint: eam tamen communem hominum indicãt notionem esse, vt magna pro perfectis, nobilibusque, suoque in genere summis, accipienda nobis sint. Nec minùs sanè reliquæ corporis partes propè omnes, modò conformationem in cæteris iustam acceperint, idque his informantis virtutis robore contigerit, magnæ (magnas pro rata semper aliarum portione intelligo) vnà meliores quoque existimari iure ac meritò debeant. Cui enim esse dubium potest, maius quodque membrum, quod ortu suo præter materiæ multitudinem, artificiosè operatæ facultatis vires causam habuerit, vnà quoque continuò validius fortiusque, ad munia exequenda sua, futurum quippe cui verisimile valde sit à non imbecilla virtute transfusum, dum crearetur, plurimum esse virium, additumque temperamentum, vnde robur, fortisque semper facultas (hæc enim aut temperamẽtum ipsum est, aut temperamentum certè insequitur) parti, suæ cuique, cõstet, eo quòd, quo maiore quidem extensa spatij quantitate fuerit pars quæque, eo & qualitatis suæ plus, cumque hac vires quoque statim plures obtineat, maioresque, valde necessarium est. Ac, si quidem partes eæ fuerint, quæ non sibi solùm natæ deseruiunt, sed ab origine sua, tanquam per riuos quosdam, reliquis corporis partibus omnibus per propagines quæque suas vires, facultatesque proprias transmittunt, vt cerebrum per neruos sensum motumque: cor per arterias viuificum thesaurum: iecur per venas alimoniæ, nutricationisque ministerium, quæ spirituum quorundam per propagines eas traductione, aut facultatis incorporeę specie, de spiritibus his, ceu lumine, transfusa, peragantur omnia, hosce ipsos spiritus in benè magnis, beneque attẽperatis cerebri partibus illis (de hoc enim nunc agitur) necessarium fuerit plurimos, validosque procreari, ac procreatos colligi: ideoque fortes multasque inde functiones semper edi: vt quas assidua spirituum ipsorũ subministratione nec deficere, nec flaccescere contingat. Nec, si qua in cõtrariam huic sententiam de his ab authoribus dicta afferuntur, de his dicta accipi debuerint: nos enim sicuti magnas partes huiusmodi omes statuimus, ita validas fortesq;, nẽpe ab eiusdẽmodi virtute factas, supponimus. Atqui magnas quidẽ partes eas obtinent, sed attemperatas conformatasque malè, proinde necessariò & imbecilles in his functiões, eadem de causa debiles quoque vnà reddi non mirum est, quòd quum non satis spirituum ex imbecillitate, parte ea, gigni possit, nec satis ita quidem esse queant gubernandæ rectè parti, neque verò paucitate sua sufficere, vt dispersi diductique ob obeunda multis, longinquisque, ac diuersis in partib9, rectè munia sua suppeditentur, aut facultatem, quæ futura satis sit, transfundere pauci ipsi possint, sicuti (quod Aristot. sensit) paruus ignis, nec benè magnum caminum excalfacere satis, sed nec longiùs proferre inde caloris sui vim quiuerit. Quam quidẽ etiã ob rem animalia, quæcũq; timidiora natura fecit, aut ob timorem malefica sunt, cor natura magnũ habuêre, simulq; tẽperamentũ statim id, (hoc nãq; his τὸ εἶναι suum erat) quo spiri-

spiritus vitales pauci procrearētur, frigidi-
us, ideoq; formidolosa, atq; eo pacto sub-
dola etiā euaderent: eodēq; modo dici, atq;
existimari de cerebro, iecore, corde debeat:
quæ quo frigidiora iusto, maioraque fue-
rint, sic minùs semper, minusque valitura
functionibus suis sint, iusta spiritum qua-
litate, quantitateque obeundis his defecta.
Huic sententiæ haud repugnare, videri
possit, quod diximus, cor magnum, sed
caliditate sua benè attemperatum, (quum,
quo inuentum maius fuerit, eo quoque
plures progignere spiritus semper possit)
cùm sibi, tum alijs quoque partibus omni-
bus, quibus tanquam de suo largitur, faci-
lè eos, abundeque suffecturum, commen-
darique ideo magnum non solùm cor, sed
cæteras quoque non minùs, hac quidem
conditione, vt innati quoque caloris mul-
tum obtineant, magnas partes meritò de-
bere. sic Homerus Aiacis opinor χῆρα πα-
χείην dixit, & Maro ipse matrici vaccæ
omnia magna optat. id quod in benè ma-
gnis, sed, caloris natiui sui temperie, de-
stitutis partibus secus omīno eueniat. ocu-
li autē & cor paruitate sua aliquando pro-
bantur, nimirum quum aut de cerebro
transmissi visiui spiritus in oculos pauci
fuerint, aut ipsum sibi nō satis spirituum
procreet cor, quo casu vtrobique in vnum
coacti spiritus veluti collato in idem ro-
bore, valētiores omnino futuri sint, quàm
si dispersi in maiore partis spatio euaga-
rentur. Excurrimus in ista ab intemperie
cerebri calida acti, cuius exemplo, quoties
non nimis à temperamento deuians, simul
etiam paulo magis tenuem substātiam na-
cta functiones temperata sæpè nobiliores
edit, caput quoque, magnitudine sua, non
tamen immodice, in præternaturalem de-
formitatem actum, eodemque pacto cor,
iecur, partesque alias, commendari iure
posse, in diuersæ licèt, alteriusque à tempe-
ramento, rationis rebus adstruebamus.

Restant cerebri intemperaturarum re-
liquarum dicendæ de principalibus fun-
ctionibus ipsis sumptæ notæ, frigidæ pri-
mùm, qua ceruicosos quosdam videmus,
& quodcunque semel arripuerint, obsti-
nate nimis prementes, mordicusq; fouen-
tes opiniones semper suas, at si intelligen-
di præterea tarditas accesserit, vt retusa
mens sit, iam hoc crassioris cuiusdam cere-
bri substantiæ signum fuerit, vsuque eue-
nire ferè hoc semper experimur, vt tardiùs
intelligant, qui semel arreptas opiniones
suas pertinaciter nimis vrgent. Etenim li-
benter frigiditatem, quæ stupidos, & in-
dociles, ac βεκκεσελήνοις quosdam faciat,
crassities, vt in alijs multis, insequitur,
quæ peruicaces: metam verò egressa pror-
sus frigiditas, iam stolidos quoque pror-
sus, ac stultos fecerit, eademque obstina-
tissimos, ac durissimæ ceruicis, vt ferè vi-
demus natura stultos, eosdem omnium
certè maximè quoque peruicaces. Sed &
memorandi vi inprimis pollentes ex his
quosdam, quos sicciore cerebri substan-
tia præditos esse par sit, hoc nanque haud
dubium fuerit siccitatis argumentum: sic-
uti humiditatis, fluxæque nimis substan-
tiæ, quum impressæ faciliter, acceptæque
statim rerum species, nō tamen fideliter re-
tentæ seruantur.

Veruntamen non minùs aliunde quo-
que rerum harum signa ducentur, nimi-
rum ex his, quæ euidentiùs oculis subia-
cent nostris: vt si rubra appareant circum
caput omnia, & tangenti calida repræsen-
tentur: manifestęque oculorum visantur
venæ: capillitium nigricans, setarumque
more hirtum, crispumque sit, ætatisque
processu caluescant, sicuti ab ortu statim
vestiantur capillis, non ineptè cerebri ex
his caliditatem iudicârimus, vt ex qua qua-
si inflammatæ partes eæ facilè cum caloris
sensu rubescant, distentæ autem in ocu-
lis ipsis venæ, maioresque ideo factæ, mi-
nimè occultentur, tum verò exustæ omni-
no fuliginis cuiusdam notam referant ca-
pilli, ijdemque, vt multa, quæ ignis vim
senserint, solent, distorqueātur. Sicciores
his nares, sicci oculi, auresque, parumque
per os sputi, ac si quando tamen his redun-
dent excrementis partes hæ, (quod accidit,
quoties neglecta victus ratione, calidius
cerebrum cibo, potuque calido, odoreque
huiusmodi, vt ex quibus exhalati vapores
caput petant, tum ambientis aeris qualita-
te, balneorum vsu, quæque extrinsecus in-
gruere solent alia facilè, semper, præser-
tim verò si cunctis his humiditas accesserit,
repletum degrauatur) multa quidem illa,
at non inconcocta tamen apparent: ijdem
parum, neque altùm tamen, dormiunt, ca-
liditas nanque id præstat, quæ omnium
minimè sensus degrauet, contraque mobi-
les potiùs spiritus faciat, & ad agendum
vigilandumq; promptos. E diuerso, quum
somno tanquam adstricti ligamur, tor-
pentesque ac somniculosi sumus, frigidi-
tatis id opus, vnde etiam contraria omnia,
vt & multi profundique somni sint hi,
flauique ac recti, suoque loco firmi crines,
sed qui non ab ortu statim prodeant, ne-
que enim frigiditas producendis his, aut
fuliginosæ materiæ satis, aut hoc ipsum
præstare citò consueuit: eadem de causa
tenues ijdem initio, exilesq; ex paruo, eoq;,
quòd calor qui plus attrahat, non adest,
tardiùs accepto alimento, sunt. At quoni-
am in frigidum inclinat temperatura, pro-
cliui

cliui ad hæc lapsu frigidis causis expositi, facilè, quoties illę ingruunt, distillationibus corripiuntur, quin & in sanitate sua degentes, intemperaturę suæ vitio, vt quæ caloris paucitate nec conficere alimentum satis, nec superfluas illius partes absumere queat, necessariò, reddito ita excrementitio valde cerebro, subinde excremētis multis fluentia obtinēt cerebri emissaria om̃ia, quod multis alijs corporis partibus longè magis excrementorum vi, copiaque, malè affectum redūdat, quippe cui materia perpetuò infernè euaporata gignendis facillimè his subministretur, quum reliquæ propè omnes quod excremēti procreant, partes, id de alimento tantummodo suo sibi conficiant, nō autem aliunde missis vaporibus, magnopere grauentur, & quum frigiditas superet, contrà atq; in calida temperatura, nec circū caput partes caloris sensum tangenti exhibent, aut rubere visuntur: neque oculorum venæ magnopere apparent, quum eousque caloris sese vis non proferat. Siccioris autem cerebri temperaturæ signa quædam eadem penè, quæ calidioris erant, haberi possint: nam & paucitate vtraque excrementorum notatur, & vigilantia, & cita capillorum eruptione, & caluitio. Verùm calidæ, præter hæc, caloris etiam sensus inerat capitis partes ipsas tangenti, venarumque in oculis rubedo visebatur, totumque obnoxium ob calorem repletioni aliquando caput: quorū nullum in sicca, & vt eadem videantur nonnulla, at manifestè tamē variant. nam excrementorum in sicca paucitas maior, neq; eorundem, vt in calida, concoctorum: ac vigiles etiamnum magis sicci. Citus vtrobique capillitij exortus, at citior in sicco tamen, vbi etiam crines duriores, validioresque, crispique magis. Ijdē, quàm calidi, caluescent citiùs, densata ante tempus ob siccitatem cute, fuliginosæque exhalationis, vnde capilli aluntur, inopia. Nam calidum per se euaporat, cutaneosque meatus adapertos potiùs seruat, ne ante tempus occlusi caluos citò nimis reddant: accedente autem paulo pòst siccitate, vnà caluities quoque statim succedit, ideoque ætatis tātùm processu, qua iam in siccum vergimus, hoc calidioribus contingit, vt calui fiant, siccioribus autem multo plerunque antea, argumēto etiam, quòd humidiore cerebri temperatura qui sunt, hi neutiquā caluescant. Atque his, humidioribus dico, prætereà recti, mollesque, ac simpliciter protensi crines sunt. Excrementorum vis per apertos capitis canales multa: sentiendi facultates diuersæ, retusæ, tenebricosæque: multus soporosusque somnus. Hæc nanque partim ab humoris exuperantia fiunt omnia, effectusque illius sunt, partim signa, vt excrementorum copia, quæ quanquam ipsa quoq; ab humore nimio fiat, diciq; ideo effectus possit, pro signo tamē habetur, quòd ἐν τῷ γίγνεσθαι potiùs sit, nō, vt criniū mollities, caluitiesque, ac sensuum tenebricositas, subsistat. Atque hæ simplicium intemperaturarū notæ fuerint: illæ compositarū, in quibus adauctas proprias cuiusq; intemperaturæ notas animaduertere est, quoties intemperaturæ, quę vires illi addere valeat, consociata alia, facultate sua excrescit, vt cum siccitate caliditas cōiuncta, quarum altera alteri semper faueat, in sicco enim calor velut elucet magis, viresq; manifestiùs detegit suas, atque inuicem siccitas caloris vi adiuta, vehemētiùs adhuc siccârit, gemina ꝓpè qualitate operata. Itaq; nil mirū, si in calido & sicco cerebro cōtentiora om̃ia appareāt, vt & omniū maximè excremētis careāt hi, & vigilantissimi sint, exactissimique cuiusdam sentiendi quacunq; in parte vigoris, citissimeq; his erūpant crines, ac in longum, si permittas, benè nutriti promittantur, intorti, nigriq;, tum verò intempestiuum nimis caluitium accedat, duplicata causa, ac tangentibus capitis partes calidæ sentiantur, facieque ad consistentiam vsque ætatis rubicunda visantur, post quod sanè tempus inclinante iam in siccum temperamento, ac succedente frigido pallescant. eosdem ingeniosos esse videmus, promptos, experientes, agendis, tractandisq; rebus nauos. Ac, sicuti siccitatis additamento caliditatis opera clarescunt, ita humiditate obscurātur, ideoque in contrarium propè abeunt signa, pro superantis vtriusque, aut alterutrius intemperaturæ ratione: humiditas enim efficiet, vt multo plura de cerebro excremēta profluant, caliditas autem, ne inconcocta ea prorsus ferātur, præstabit: eędem fecerint ne vigilare diutiùs hi queant, siq; se somno tradiderint, vt eodem tempore somno, vigilijsque, propè æquè premātur, ac ferè vigilantes dormiant, somnientque, quod dici solet, quorum alterū à calore, ab humore alterū fiat: somnia turbulentissimarum imaginationum plena occurrunt, humoris nāq; multi euaporato calore exagitata, confusaque, perq; cerebri vias means, remeansque, occursatione quadā inter se varia, plurimas obijcere rerū species potest, quas facultate sua imaginatio in maius semper ferat, vnde visio quoque obscura, neque exacti admodum sensus, caliginositatem quandam vtrobique inuehente humiditate. Nullis faciliùs repletur caput, calidorum euaporatione, quòd si calida, quæ euaporant, hæc humida prætereà fuerint, iam tum benè ita repleto eo, ac degrauato, excre-

excrementorum copia prodibit. Tum si paulo maior qualitatis vtriusque excessus fuerit, (quando nihil aliud iam hoc sit, quàm in apertam ægritudinem lapsus) relicta sanitatis meta, caput his necessariò morbosum iam euadet, vt & excrementosum statim fiat, facileque calidis, humidisque tentatum, ad manifestam vsque functionum suarum oblæsionem, noxa corripiatur. ideoque maximè inimicos, infensosque sentiant Austrinos flatus, nec flatus solùm, sed & constitutionem talem: contrà verò amicã experiantur Aquilonarem, siccum, sudumque faciendo maximè vtilem. Recti sufflauique capilli his, & qui euaporatu assiduo, ex humiditate multa continuè resiliente aliti, non facilè defluuio suo caluitiem faciant, quæ quidem eò quoque tendat humiditas, vt ne plus iusto siccata capitis pars, in qua oriri caluitium soleat, quæ βρέγμα est, cutaneos] meatus transmittendis expeditè vaporibus, radicandisque inibi rectè capillis, apertos, ac humiditate concedente, peruios, diductosque seruet. Ex diametro repugnat intemperiei huic frigida & sicca, vt non immeritò cõtraria in hac omnia speculemur: capitis partes decolores, tactuque frigidas, venisque oculorum non apparẽtibus, frigorificis causis expositas, vtque distillationibus, & grauedinibus, & huiusmodi, etiã non magnæ illiusmodi causæ occursu, facillimè corripiantur, cætera autem commodè satis capite valeant, quippe quibus ob siccitatem suam natiuã illam, vacet excrementis caput, leuissimumque id sentiatur, humore aut nullo, aut minimo degrauatum. Quo sanè quoque fiat, vti iuuenes adhuc hi sensibus optimè valeant, omninoque inculpatos eos obtineant, nimirum in quamlibet frigido siccoque humano, cerebri temperamento, vigente tamen, iuuenilis ætatis beneficio, humore adhuc tãto, qui cùm sustẽtando insito calori, qui tanquam fundamento, materiaque, humore semper eo nititur, foueturque, tum verò iusto conciliando temperamento satis esse queat, haud mirũ exquisitas actiones edi, donec ante tempus humore, qui non pro humani temperamenti ratione ætate ea iustus suberat, facilè absumpto, minoreque facto, celerem senectam accersant, immatura siccitate, consequenteque hanc necessariò frigiditate vnà inuectamta. Ique celerrimè hos capite (de hoc enim tantùm nunc loquimur) senescere, canosque accersere videmus, vigentesq; paulo antea functiones quasque, momento temporis, procedente parumper ætate, hebescere: ingeniumque illud plerunque in his præcox, quo Ante annos, canosque gerunt, curasq; viriles, mutato statim temperamento, euanescere. Quod enim alijs iusto, ab initio, æqualique temperamento præditis accidit, vt æquo ætatis progressu, consistente demum ętate, quæ à trigesimo ferè quinto, ad quinquagesimum extensa duret annum, duabus nimirum annorum hebdomadibus, eundem propè virium, functionumq; tenorem, ac robur seruent, ac tum primum senescere incipiant: id multo sanè ante hoc tempus siccioris temperamenti omnibus vsu venit, vt ab origine statim siccitatem tantam nacti, quantam vix alius intercedente annorum aliquot spatio acquireret, celeriùs ob hoc multo atque ante tempus ad iustam temperamenti sui metam perueniant, qua insitus ille humor necessariò initio redundans, ætatum deinde tractu exiccatus, iamque in æquilibrio positus, citiùs, seriùs, temperamentum facit. Vnde cùm alijs vnà principalium quoque cerebri functionum opera vigeant illa quidem ante iustũ annorum numerum, in frigido, siccoque temperamento, præditis, nosque ideo in admirationem sui facilè trahunt: verùm mox promptissimè labentibus in siccum, quod naturale illis erat, ac veluti flaccescente inde statim calore, vis quoque vnà continuò actionum earum perit omnis. Quod quum in toto etiam eueniat, siquidem totum temperamentum eiusmodi à natiuitate nactum fuerit corpus, vt ciuissimè obrepat senium, euidentiora tamẽ, cerebri temperamẽtum tale, de se signa exhibuerit, eo quòd præter alia sensuum inde ingenijque functiones cunctis manifestissimæ prodire soleant. Hi sunt ergo, quos intempestiua senecta, morteque etiam immatura sæpe rapi videmus, si vniuersum, cordis iecorisq; intemperamento eiusmodi in vnum conueniente, affectũ ita fuerit corpus, ac si cerebro idem insit. Maturè prætereà, quod diximus, nimis ingenio pollent hi, moxq; deinde ocyssimè senescente eodem, conceptam de se spem longè frustratam fallunt, euanescente ob siccitatẽ iam nimiam intelligendi ratiocinandique facultate. Quòd si valde superet siccitas, eodemque pacto frigiditas, non facilè caluescent: contrà verò, si haud multùm inualuerit frigiditas, sic, vt caloris vis aliqua operetur, iam siccitati addito hoc, caluitium sequetur.

At consociata humiditati frigiditas, retusa omnia faciet, vt soporosos inde, somnoque deditos videamus, ingenio tardos, sensibus hebetes, excrementis redundantes, quique facilè capite, ob natiuam cerebri frigiditatem, refrigerentur, eodemq; ob humiditatem repleantur, atque iccirco excrementis eadem in parte, ijsque

inconcoctis redundent, vnde perpetuò ferè distillationibus grauedineque inprimis tentētur, quòd anteriores cerebri ventriculi ad ambientis nos aeris occursum subinde refrigerati, promptè in subiectas nares pituitæ redundantiam eam deriuent. Quum verò neque calor, neque siccitas adsit, quæ duæ caluescendi citò causæ sunt, verisimile est, minimè hosce affectu eo corripi debere. propè enim ad muliebre temperamentum cerebrum horum accedit, quæ caluæ fieri visæ non sunt. Capillosque eodem modo hi protensos, mollesque gerunt, tam plerunq; ætate infantili, atq; etiā puerili albescētes, vt purissimi argenti elaborati alicuius materiam, candore nitoreque facilè prouocent. Sed quæ de capillis cùm hîc, tum superiùs dicta sunt, sciendum in vniuersum, cerebri ab his temperamentum indicari, duntaxat in regione temperata. Nam in recedente à temperamento, corruptæ notæ hæ spectabuntur sæpe, fueritque cerebrum alterius facilè temperamenti, quàm quod capillorum color, aut substantia promittant. Ambiens enim nos aer id non sanè difficulter præstiterit, vt non solùm capilli, piliue, verùm etiam cutis, & subter cutim posita musculorum pars in temperamentum suum trahantur, hacque de causa tutum non sit ex partibus his de vniuersi temperamento pronunciâsse: alioqui Gallos, Germanosque maximam partem frigidos humidosq;, Aegyptios & Afros, calidos siccos habendos esse ex toto affirmabimus, quòd horum notæ aspectu primo in corporum talium superficie detegantur: atqui aliter nobis suadet ratio, actionumque prætereà ipsarum modus diuersarum, non eandem subesse partium, vnde illæ fluāt, temperaturam, certissimo esse argumēto possit. Sed & humores sæpe quidam altiùs in corpore latitantes, à solidiorum partium temperamento diuersi, variare capillos, pilosque, queant: cutem, partesque huic vicinas, non item, eo quòd ab excrementitijs humorum vaporibus non solùm ortum habeant illi, sed & inde augeantur, nutrianturque, & subsistant: minimè autem, aut certè non tam facilè, partes aliæ, eam ob rem afficiantur. Sic igitur nō paucos est videre colore prorsus florido, cuticulæque sæpe nitore lacteo, at barba interim, capillisque atris, atrabilarij humoris alicuius euaporatione infectis, non infecto corpore. Sic quoque extrinsecus visus nobis humani corporis color (nisi fortè in repentinis animi affectionibus, quo casu temporis ferè momento, velut in Euripo exagitati, introque ac foras propulsi, modò huius modò illius obijcere coloris speciem possunt, humores) circumambientis aeris, locorumque ac regionis temperamentum, quo cutis ad instar illius diuersimodè coloretur, significabit, modoque exusta, siccaque, mollior modò, ac lactea, & huiusmodi apparebit, subiectæque vnà cuti partes in idem trahentur: in capillis quoque, pilisque, eadem omnino vsu venient, regioque illos, & circumiectus aer huiusmodi, aut illiusmodi faciet. Verùm his idem ab humoribus quoque dicta superiùs de causa continget, qui, nisi ad profundum corporis acti resideant, indicium de se exhibere extimæ cutis colores aspectu discernentibus possunt: omnino autem, seu calida, seu frigida, seu sicca, seu humida, siue attemperata quoque loca fuerint, interiorum ac principalium magis partium ab actionum diuersitate temperamenti diuersitas iudicabitur cognosceturque meliùs: nam internas, principesque partes attingere circumambientis nos qualitas, sic quidem, vt temperamentum per se faciat, eiusque inde nobis notæ propterea offerantur, non facilè solet: ex accidenti verò fieri posse scimus. Sed tunc contrarium potiùs colligemus, eoque ex ambientis frigoribus internarum partium calorem arguemus, sicuti ex caloribus frigus. Atque hæc, quum de capite tractantes dixerimus, eadem nihilominùs certa admodum ratione deduci ad totius non sanè minùs temperamentum debent.

Quæ quum ita sint, iamque particularium duorum viscerum, Cordis, Iecorisque, quæ totius temperamentum, magna ex parte faciant, notas tradiderimus, sed & Cerebri persequuti indicia simus, à quo, quanuis temperamentum vniuerso corpori non concilietur, neruorum tamen origo omnium, vt arteriarum à corde, venarum à iocinere, in corpus totū deriuatur: iam reliquum esset, partium aliarum notas, signaque percurrere.

De Oculorum ex magnitudine & paruitate notis, déque eorum intemperaturis, & Testium, simúlque signis.

CAPVT V.



ET quoniam dictum proximè de cerebro est, suntque oculi, ex Aristotelis Galenique sententia, cerebro substantia sua nō absimiles: meritò cùm ab illius tracta-

tione

tatione tractandum de his fuerit, tum verò multa ex superioribus dictis trahi ita in dicenda de his poterunt, vt magnitudinem eorum, quemadmodũ in capite, pro actionis, quæ videndi in his est, virtute, ac vitio, concinnaq; formatione, bonam, malámve, bonoque ideo, aut malo temperamento præditam esse iudicemus: paruitatemque eodem modo cum visus perspicacia, materiæ licèt paucæ, bonum tamen inesse temperamentum: contrà autem videndi debilitatem, & paucam & prauam, ex qua formati sunt, materiam significare credamus. Illudque præterea in his peculiare expendamus, quòd non, sicuti in capite, vbi concinnè quanuis formata, vitiosa tamẽ semper paruitas censetur, ita quoque vsu veniat in oculis, qui benè formati paruique vsum tamen pręstare suum egregiè inprimis valeant, propterea quòd spiritus ita in vnum coacti magis, qui foràs mittẽdi per paulo magis angustam pupillam sunt, ad excipiendas colorum species cùm longiùs progredi, tum efficaciùs obiecta apprehendere, per angustum confertim, vniterque, atque ideoque fortiter ad multum vsque spatij delati, possunt: at ijdem occlusi intus, ac paulo magis angustis cerebri, huiusque ipsius ventriculorũ parietibus septi, natura sua in partẽ omnem mobiles, quum assiduè vltro citroque meent ac remeent, impedito sese plerunque occursu fatigârint, cursuque inhibiti, ac retrocedentes, sæpiusque in viarum arcto exitu luctati, varijs, falsoque apprehensis imaginibus occurrerint, vnde imaginatrici, ratiocinatricique facultati, subortus error, concitatæ, commotæque plus iusto sæpe mentis vitium detegat. Temperamentũ porrò facilè ita agnosces: Tactu caliditatem senties, eosdem nictantes crebrò nimis videbis, venulasq; horum latas, quæ sanè calor cuncta faciat: motũ, venarumq; amplitudinem, &, quòd tãquam per fenestras, per eos patefacta apparere dicuntur interioris animi sensa: suntque, quod paulo antè diximus, cerebri pars hi, veloces cõmotosq; non solùm calore agitari ita ipsos dices, sed cerebri inde caliditatem etiã notabis, cum opinionũ vnà instabilitate. Ac quemadmodum concitati oculi calorem indicant, ita non dubium est, rigidos, frigiditate notari, exarescentes siccitate, humore autem molles, quos aliquando ὑγροὺς Græci vocant, non collachrymantes quidem illos, aut lippitudine nimia fluentes, (morbosi enim prorsus iam hi) sed parcè tantùm admodũ humectos: qui si minor adhuc hoc humor fuerit, iam molles potiùs, & gemmeo quodam humore per totum micantes fecerit, lasciuientium quorundam, vt opinor, aut eorum, qui iam iam in Venerem aguntur: plurimum enim denotatur spiritus iam commoti, quo primùm replentur oculi ea in re, esseque sine humiditate aliqua, eaque minimè impura non solet, vnde fulgidus ille nitor. Potest nihilominùs ex tribus tenuior humor, aqueusque, aut aquosior, quàm par sit, factus, aut copiosior, aut vtrunque, humidos oculos reddere: siccos verò contraria his omnia. Notũ illud Hippocratis, ὀφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, οὕτε καὶ γύιον, vti iã ex oculis, non oculorum solùm temperamentum colligere, verùm etiam corporis totius vires augurari nobis liceat, nõ iniuria, quippe fulgidus ille, splendescensque de cerebro in oculos spiritus incumbens multus, fulgidos itidem splendescentesque facit, & alacritate quadam exhilarat, argumento tantum adesse spiritus illius, in corpore, copiam, vt facilè viuificando illi sufficere valeat: inde viuaces appellam⁹ oculos hosce, nimirum viuacitatis multæ nuncios, acriter inprimis, atquè acutè cum fulgore quodam diductis in multum palpebris intuentes. E diuerso in animi defectibus, aut aliàs virium exolutione quaque, deiectos videmus, nullo nec splendore, nec luce, aut hac certè paucissima, commissisque interdum palpebris, quas ægrè sæpe attolli videas. atq; hæc omnia vno ac primo aspectu nostro dignoscuntur. Atqui quamcunque reliqui totius corporis partem, quantauis diligẽtia inspicias, certa peręquè sumere tibi indicia inde rerum harum nequeas: non si pes, non si manus, corpúsve reliquum vniuersum, denudetur, aut aliæ, præter oculos, faciei partes spectẽtur, pallor quidem harũ quoque, aut insuetus rubor animi affectiones quasdam detexerit. Sed & cũcta hæc cùm faciliùs, tum certiùs, tum verò etiã particulariter magis ex oculis deprehendas, in q̃bus tam indubitata sæpe irę, tristitiæ, somni, vigilię, ad Venerẽ propensi, ad hilaritatem exporrecti animi indicia veluti insideãt, vel quum intenti micant ἀτενεῖς scilicet, furiosi tunc impetus, & cõstantiæ pleni. Mitto hîc, quot, quãtaq;, quãq; firma in morbis multis indicia sumi inde solita sint, quòd alterius iã hæc negotij habeantur. Itaque colorum quoque in oculis differentias omittemus hoc loco, quo res tantùm tractare eas in animo nobis est, quæ cadere in Salubris artis rationem aliquo tandem pacto possunt, vt aut tollantur aut emendentur earum vitia. Quapropter multa, quæ scribi de rebus his possent, missa faciemus.

Illud tamen de testium temperamento non omittendum eo, quòd nihil licèt, aut non multùm sanè collaturum sit ad particula-

cularem cuiusque sanitatem, qua temperatura testes sint, sciuisse: quia tamen virilitas inde in vniuersum corpus dispersa redundat quædam, vt hoc nomine nonnullos, qui partium harum vitio in alienum propè sexum degenerant, meritissimò muliebres appellemus, quod ex temperamēto prauo fiat, artificiosè sæpenumerò corrigendo, in meliusque emendando, sterilesque præterea nonnullos, easdem ob causas, rursusque alios maribus, alios fœmellis tantùm generandis aptos quotidie videamus, quæ corrigi omnia immutato temperamēto possunt, ideo non iniuria horum quoque tractentur à nobis hoc loco signa par est. quorum sanè facillima explicatio: Calidioribus enim hac parte valde vestitur tempestiuè pilis suis pubes, vicinæque circum vnà partes: ijdem Veneris appentes citò, generabiles, marium procreatores. Quæ singula adaugentur siccitate addita, vt vel ad vmbilicum vsque, fœminaque media hispiditas vestita tendat, plurimumque seminis, atq; eius crassioris generetur, ocyssimeque omnium hi, propè ab ineunte ipsa ætate, in Venerem aguntur. His proles ferè semper mascula, præsertim si inter pubescendum dexter primùm testiculus paulo turgidior fiat, aut deinde non admodum insigniter repugnantem mulieris naturam nacti fuerint, vt Herculi contigisse dicunt, qui ex numerosa septuaginta duorum liberorū prole, vnicam susceperit fœminam, tunc tantùm frigidum facientibus causis victus: & proni quidem in Venerem habentur hi, sed non suppeditante largiter humore, ad paulo crebriora prælia statim satiati fatiscunt, cogentesq; blanditijs Venerem, aut iritamento aliquo, noxam persentiunt, contrà ac qui caliditati humiditatē coniunctam ea in parte habuerint, quippe qui omnium maximè ad multum perdurare coitum possint. Quæ, si paulo magis auctæ fuerint qualitates, iam ne sine nocumento quidem continentes fuerint, vt hoc ipsum temperamēti eiusmodi indicium sit, si proposita sibi à Venereis abstinētia, grauatè se id ferre senserint, nimia seminis redundantia, quod, ob affine partium earum temperamentum, plurimum semper gignitur, calidum quippe id quoque, atque humidum, quumque non perinde hi, vt ficciores qui fuerint, titillatione tententur, quippe retusa humore seminis acrimonia, facilè virosi contrahere aliquid, ob moram, quam minùs sæpe natura sua in Venerem impulsi iusto longiorem faciunt, præsertim accedente humiditate nimia, semen in his queat, vnde non leuia sæpè suboriantur symptomata. Valde autem consentaneū rationi est, cōtraria omnia in contrarijs expectāsse qualitatibus: frigiditas nanque & siccitas hoc pacto depiles partes eas, aut certè raris, paucisque consitas pilis, seroque admodum ad Veneris vsum accedentes, & quum accesserunt rarò, deque nomine suo prorsus frigidè, frigidumque ideo semen, paucumque, & crassum, nec generabile excernentes faciet. Quæ eadem cuncta propè in frigiditate quoque & humiditate notabuntur, nisi quòd seminis hîc plus visitur, tenuioris humidiorisque, sed nec generationi admodum idonei, gignendarumque potiùs fœmellarum materia quod sit, humor quippe multus hæc, præsertim verò frigiditati adiunctus, ac proinde minimè exactam concoctionis formam assequutus facit, sicuti paucitatem siccitas, & crassitiem caliditas, vtrunque autem (calor dico atque humor) in Venerem alacres procacesque, masculæque plurimùm sobolis parentes, ac fœcundos, infœcundos frigiditas, contrariaque omnia reddit.

De ventriculi intemperaturæ calidæ signis, frigidæq́ʒ, siccæ, humidæ: de pulmonum item intemperaturarum notis, deq́ʒ ex vniuersi corporis partibus surgente in totum temperamento.

CAPVT VI.

Nunc reliquorum temperaturas persequemur, quæ loco circūscripta minimè deferre facultates suas per vniuersum corpus, aut riuulis, canalibusque suis deductas, vt cor, iecur, cerebrum, aut, vt de testibus diximus, vi quadam virilitatis cōtrariive huius sexus transfusas solent. Et sunt quidem nonnullæ partium harum, quas circunscriptas diximus, quæ elaboratum opus suum alijs præparant, vt ingestū cibum ventriculus iecori, ad sanguificandum: pulmones aerem cordi, ad coloris vim natiui contemperandam, spiritusque vnà inde vitales procreandos: cæterum ministerium id sui quanuis reliquis cedat, limitibus tamen suis contentum peragitur, nec foras deriuatum prodit, alterique ac diuersæ cuiusdam facultatis partialiter quoque conficiendum delegat.

Ventriculum igitur calidum significant appetentia cibi non multa, sed valentissima cibariorum concoctio prædurorum alioqui, ac confici rebellium. Nam alteratu, concoctuque facilia in hoc, ex caloris nimietate, tanquam alia facta illorum substantia, corrupta in nidorulentiam libenter abeunt, formamque alienam prorsus acqui-

acquirunt, vsq; adeo inter ea, quæq; agunt, quæq; patiuntur, rata quædam qualitatum analogia exigitur. Quæ si non adsit, exuperansque aliquando agentis nimiùm vis in materiam incũbat, antequàm iusta, quam quærimus, inuehatur forma, rei substantiã totã destruxerit, vt pollui plerunq; elixationem videmus rerũ præsertim molliũ, nimio ignis circumiectu. Hac vtiq; de causa bubulam, quàm oua tremula, sorbiliáve faciliùs, rectiusq; conficiunt quidam, certissimo calidioris natura vẽtriculi argumento, quumq; calido cibo, potuq; gaudeant, ne ex mediocri quidem frigidorum vsu noxam vllã contrahunt: vincit enim paulo maior caliditas minorem facilè frigiditatem, ac veluti ad obsequium suum trahit, siue ea actu, siue verò potentia talia fuerint: in frigidiore autem ventriculo, qui idem affinia sibi quoque frigida concupiscat, calidorum vsus non perinde fortasse innocuus, ob qualitatis nimirũ eius, quæ maximè semper omnium agat, efficaciam, ac nisi immutatam ventriculi temperaturam velimus, calidamque ex frigida factam, cõtrariæ aliquid temperaturæ in natiuam inducendo, noxæ omnino tunc inuehere vnà aliquid quoq; possimus paulo calidiorum vsu, dum quidẽ temperamenti immutationem inchoamus tantùm, non perficimus, idque minimè opportunum tempus nacti, sic tamen vt non nesciamus calorificam vim semper quãdam, propter concoquendi munus, esse ventriculo non inimicã debere, quæ vel in frigidiore temperamento seruetur pro ratione quidem sua, modò intereà natiuum vẽtriculi temperamentum paulo licèt frigidius, incommodè ad præternaturalem statum nõ mutetur. Nam quando id, quóve, non solùm hîc, sed in reliquis omnibus partibus inchoandum, perficiendumque, modo fuerit, posteriùs, quũ peruentum ad iusti operis tractationem fuerit, loco demum suo explicabitur. Sed frigidioris ventriculi illud etiam proprium maximè habetur, vt, quàm cõcoquere queat, longè semper plus appetat, ægreque ideo nimiam ingesti cibi quantitatem conficiat: præcipuè verò, si, quæ difficulter immutentur, frigidaque natura fuerint, iniecta sint: quæ licèt, vtpote cognata sibi, appetat, ac ideo quòd concoctioni, quæ calore inprimis peragitur, repugnent, noxia non immeritò sentit, vt quum propterea nec frigidorũ magnopere vsum ferant, sed nec calidis dicta paulo antè de causa iuuentur, reliquus sit temperatorũ, aut non sanè multùm à temperatis in frigidum recedẽtium vsus, quem ita affectis nociturum minimè credamus. verùm hoc tractâsse posterioris iam negotij fuerit. Acescunt facilè in his cibaria, vnde crebris, acidisque eructationibus infestantur, quod quum corruptelæ genus sit à frigiditate factæ, at non destructa tamen, vt in nidorosa fieri consueuit, ingestorum ciborum substantia, caloris accessione corrigi corruptela ea, vertiq; in melius, succusq; tandem inde alendo corpori idoneus fieri potest: itaque calorificis iuuantur, quod signi etiam sit frigidioris natura plus iusto vẽtriculi, quum scilicet frigida extrinsecus diutiùs adhibita non ferũt sine noxa, sicuti nec calidior, qui quidem paulo magis excesserit, calida: quanquam ventriculus natura membranosus, ideoque frigidior, libentiùs ferè calorifica admittat. Vnde etiam potentia frigida quæ fuerint, actu semper calida applicabimus, quoties quidem vsum rerum quærimus. Nam experiundæ temperaturæ, sumendisque hinc notis, etiam frigida adhibere rectè nobis licebit.

Vẽtriculi siccitas notabitur, si ciborum siccitate gaudeant, citò siticulosi fiant, modico potu contenti sint, quos βραχυπότας appellet Hippoc. vtroque acceptos modo, rarùm videlicet, ac parum qui potent, paulo magis larga ingurgitatione degrauentur, atque inde fluctuationem, innatantemque in summo redundantiam percipiant. Nec dubium esse potest futuras humiditatis è diuerso cõtrarias notas omnes, sicuti neque illud sanè ambiguum, qualitatum quatuor, vt alibi, ita hîc quoque copulas, quæcunque quidem complicari inuicem possunt, naturas suas signis, notisq; proprijs iũctim quoque quemadmodum separatim ostensuras, auctas tamen iri quarundam vires aliarũ societate, vt & retundi alias additione aliqua experimur: calorem quippe (quod anteà quoq; diximus) siccitas promouet, reprimit humor: contrà frigori vim humoris societas conciliat, viresque inde illud sumit, vt siccitate aliquatenus imminuitur. Illud quoque animaduertẽdum, quod in omnibus quidem valet, sed hîc potissimùm tamen dicendum restet, dum de ventriculi temperaturis tractatur, eo quòd huic appetendi delegatũ munus sit, Temperaturam quamq; affinia semper sibi expetere tantisper, dum sanitatis etiamnum latitudine continetur: quam quum primùm egressi fuerimus, sic fieri, vt diuersa omnino statim appetamus, frigidiores facti, calida: calidiores, frigida: eodemque pacto ficciores, humida: humidiores, sicca: quod non immeritò sanè eueniat. etenim natura quadam comparatum esse videmus, imò verò perquã sit necessariò, vt connata nobis, atque affinia etiam paulo temperamenti iusti limites excedentia

tia minimè tamē aduersa nobis sentiamus. Quæ quum ideo (neque enim fieri aliter potest in ijs, quæ sensum nobis aduersæ alicuius rei nullum exhibent) molesta, infestáve neutiquam experiamur, nullum quoque proinde poscere auxilium videntur, quod contrarię semper in his qualitatis ratione accersatur. Quam quidē ob causam, vsque eò natiuum, in quācunq; tandē partē, tēperamentum egressi, vt læsum statim inde iri appareat naturale partis illius opus, rei nouæ, sibique iam aduersantis occursu, velut excitata, ad tuitionē sui insurgere videtur natura: excalfactaq; nimis, frigida q̄ primùm, vnde statū suū recuperet, quærit: frigidior autem facta, ea quæ excalfaciant: humectior, exsiccantia: siccior, quæ humectum reddant: compositeque læsa, composita. Atqua ratione alij iustos exacti temperamenti fines, sanitate tamen adhuc sua sibique peculiari contenti, prætererunt, vt similia semper sibi ad se conseruandos appetant, inque hoc non peccent, in eo tamen peccant, quòd quum sicuti frigidiores plus quàm concoquere possint, ita minus calidiores appetant, alteri iniusto degrauant, alteri iusto defraudant aliméto corpusculum, quum in neutram omnino partem ab æqui prorsus temperamenti ventriculo peccetur, qui naturæ suæ ductum sequutus, nec calore affectus iusto, minùs, neque frigore, plusculum: ac tantum semper sibi assumet, quantum conficere possit cibi, vnde iusta in corporis vniuersi partes alimonia distribuatur. Atque idem, dum neque humiditatem nimiam sentit, vnde potionis aliquando parcus nimis euadat, nec sicccabit ideo sanguinem, neque è contrario humidum faciet, siccitate ad largiùs iusto hauriendum inuitatus. quanuis enim siccioribus exiguum sufficiat, si naturam sequantur, & exundantis humoris sonitum sentiant benè poti: ventriculi tamen siccitate paulo interdum fortè magis aucta impulsi liberaliter satis bibunt sæpenumero. Humidiores autem quum paulo liberalem potationem innoxiè ferant, at parciùs id faciunt tamen, quòd siti non vrgeantur. Atque ita naturæ vtriusque parte hac proprietas, siue affinia quærit, siue intemperantiùs acta contraria expostulat, aut parco, aut largo nimis semper potu noxam interim partibus plerisq; alijs conciliabit: quorum nullum, vt dixi, in tēperatioris ventriculi statu animaduertere peccatum liceat, ob idq; non iniuria taliter constituto, ætate demū quacunq;, etiam infantili, & puerili licere arbitramur, quibus, quantisque, quumque ipse velit, vesci: non enim periculum fuerit, si naturæ suæ dictata, temperatissimæ sequatur, vt aut nimia, incōuenientiaque, aut non opportuno demum tempore ingerat, rectissimā semper, hac quidem in re, agendi normā, regulamq;, secum ipse ferēs. Cæterùm hæc alterius tractationis sunt, in quā ne quandoq; incurrat oratio, vicinia, affinitateq; rerum eò pertracta, non ita facilè inhiberi possit. Pulmonum (quod reliquum est) breuissimè temperamentum exequemur: qui si calidi fuerint, inspiratione maiore plusculum attrahere aeris refrigerando calori, respiratusq; reciprocatione cōceptam intus ex calore fuliginem, velut eflātes, reiectare solēt: sed nec minùs sanè siticulosos reddiderit pulmonum quàm vētriculi caliditas, illo quo diximus inspiratus, respiratusq; discrimine, quod ventriculi intemperies non faciat: simul quam pulmo fecerit, sitis, vt quam ventriculus, nisi deriuata ex pulmonibus causa, non sentiat, largo quanuis potu nō statim facilè sedabitur: nec nisi quum ad pulmones demum delata potionis vis ea fuerit: videnturq; hi frigidioris aeris inspiratione refrigeratoriam eam vim sentire magis, quod ventriculo minimè contingat, vnde frigidiore quoq; potu ad tollendam sitim hi, licèt non copioso, longè quàm liberaliore eo, sed calido, iuuātur plùs, propterea quòd frigiditas ea (quā actu eiusmodi esse debere accipio) facultate sua ad pulmones delapsa, sed & substātia, iuxta Platonis Galeniq; sententiā, per asperę arteriæ superficiem interbibendū ex portiuncula aliqua velut instillata, plurimùm ita restinguere sitim, nempe dempta veluti primigenia sitis causa, possit. Hisce igitur, hac de causa, iuuamētum præstat frigidior actu potus, contrario modo affectis, frigidis nimirum pulmonibus contrarius, maximè autē frigidior inspiratus aer noxam præbuerit, vt & frigoris molestiam manifestò ea in parte sentiant, quod certum inprimis ducēdum sit frigidi pulmonis argumentum, & tussicula statim inde suboriatur siccior quedā: quum enim paulo magis frigidus aer, per se alioqui multorū guttur, asperamq; arteriā, ac pulmones etiā ipsos exasperare persæpe, ac frigefacere, tū verò nonnunq̄ pulmonibus intemperamentū addere, ac sæpe vtrunque inferre soleat, non dubium est, longè id magis contingere posse in his, in quibus partes eę natura ad frigidū vergūt, quòd nisi multi frigidioris aeris per os, naresq; incursum, linteoli, rei ve alterius alicuius sepimento vitent, aut nisi calidū statim inspirent, quamprimùm intēperatioribus, frigidioribusq; factis partibus illis, tussi, quod diximus, sicciore corripiantur: id quod his quomodocūq; etiā aperto ore cōtingit: itaq; quū aut loquūtur, aut oscitant

tant sic subinde, repeteq; tussire videmus, moxq; excreatu, tussiq;, pituitosa aliquãdo excrementa reijcere, quoties videlicet intemperatura ea, quæ, vtpote simplicior, siccam priùs tantummodo tussim faciebat, nunc etiam materiæ aliquid exciuerit, humidioris hoc, si primitus demum fiat, pulmonis indicium habebitur: nec sanè minùs id, si, quum altiùs, acutiusque attollere vocem cupiunt, fauces repentino humorum insessu occupari sentiant, vociferatione ea agitatis pulmonibus, ac concurrente ita humore, velut compressu quodam elicito, partibusque illis ita adhærescente. Vnde obscurior quoque raucaque vox humiditatem eandem notat: econtrà, clara, sonoraque omnia ex siccitate fient, excrementa nulla tum, aut certè minima, paucissimaque: pituitæ, sputique per os vis nulla maior, quales Persas olim fuisse tradunt, apud quos dedecori habitum expuere, aut nares emungere, aut quem spuisse nunquam dicunt. Quæ si paulo magis gliscat siccitas, sic tamen vt nondum morbus inde existat nullus, siccæ his sæpe fauces: at nulla intereà, quod mirum sit, nisi ad ventriculum demum peruenerit intemperies ea, siti vrgentur. Huiusmodi quosdam nouimus in sanitate sua degentes ἀπτύσους propè, siccis perpetuò faucibus, guttureque, scabraque ad radicem lingua, neque id tamen admodum, sed quibus paululum modò humidioris rei gargarisatu noxa ea omnis facillimè tolleretur, neque siti intenta tamen vrgerentur vlla.

Exposuimus omnes, omnium propè partium, temperaturas, notis quasque suis indicatas. Ossa enim, & nerui, & membranæ, & chartilagines, & venæ, & arteriæ, cuius sint temperamenti, nec nouisse operæpretium magnum est: quoniam aut immutâsse non libeat, sed neque liceat: quis enim ossa, vel chartilagines temperamento suo immutârit? aut aliarum, vnde originem suam trahunt, & cum quibus communicant, partium temperaturam insequantur, vt cordis, arteriæ: iecoris, venæ: cerebri, nerui: & alioqui frigido cuncta hæc, plùs licèt minùsve aliud alio, esse temperamento constat, vtpote exanguia: magis tamen, minusque incalescere contenti sanguinis qualitate: tum verò humida, siccaque reddi, aut ab origine sua, aut ad reliqui etiam corporis modulum attemperata, possunt.

Ex his ergo omnibus, diuersis quanuis, ac contrarijs sæpe, inter se, partium temperaturis velut conflatum, resultat corporeæ totius molis temperamentum: vt quum hæ calidæ, illæ verò frigidæ: siccæ hæ, illæ humidæ natura sua inueniantur partes: modò ratam qualitatum Geometrica quadam ad contemperamentum in toto faciendum demandatarum portionem seruent, tanquam in musico diuersissimarum vocum concentu, ita hîc ex oppositis inter se rebus à natura ad hoc quæsitũ temperamentum existat. Cuius si paulo altiùs inuestigata quæreretur ratio, haud dubiè, fortasse iniri ab inquirente in hæc exactè, cunctaque exquisitè indagante rectissimi cuiusdam concentus ea posset: nec defutura sanè, inter tot, tamque variarũ qualitatum partes, diapente, diatessaron, diapason, & huiusmodi reliquorũ specimina sint: hæcq; pars ad illã, illaq; ad hãc, huius illiúsve ad instar numeri habitura portiones ratas sit, cõciliandæ harmoniæ. Verùm ista nos Musicis, ac Pythagoreis exactiùs discutiẽda relinquemus. Is tẽperamenti cõcẽtus, hæc harmonia, ab ortu ipso hominis per ætates oẽs, ad extremũ vsq; concludendæ vitæ diem, varia quidem, sed conuenienti tẽporibus semper suis ratione, ac modulo perstans constat, dici vt semper haberiq; temperamentũ possit, ac debeat: cæterùm huius, illiúsve ætatis iustum, ad quod, quæ æquæua illi ac coætanea sunt, reliquorũ corpora intẽperiei suæ de nomine nuncupari collata soleant. Nũc, quantum fieri à nobis diligenter potuit, explicata similarium, quas vocant partium, ratione, age Instrumentariarum quoq; naturam, dignoscendæ hac quoque in parte meliùs ita sanitati persequamur.

Corporaturæ, vniuersi corporis mediocris, & in vtranque partem immodicæ, signa propalam conspici: numeri item partium, positus, cõformationis. Eadem ad partes singulas transferenda consideratio, quæ in aperto sunt, quæq; latent.

CAPVT VII.



HVmani corporis vniuersi statura, (quam corporaturam quoq; dicere possis) nõ multũ sanè retulerit, qua longitudine sit, hac illáve, temperaturã vt ex hoc partibus inesse certã quandã statuere liceat. etenim quãuis (vt superiùs quoq; dictũ meminimus) lõgitudinẽ humor sæpe faciat, qui quidẽ expãsioni à calore factæ facilè obsecũdet: breuitatẽ verò è diuerso, diuersaq; de causa siccitas: esse nihilominùs, quantãcũq; corporis nostri magnitudinẽ accipias, tẽperamento ea iusto inprimis possit. Quocirca ad similiariũ quidẽ partiũ rationẽ, magnitudinis certum modum non exigemus, ducatur licèt coniectura ex hoc quoq; nonnulla, vt

monuimus antea, cæterũ ad id, quo de nũc agimus, partiumq; instrumentariarũ rationem attingit, quemadmodũ particulatim per corpus instrumentorũ omniũ magnitudine ratio quædã à natura seruatur obeundis, feliciùs, cõmodiusq; partiũ illarum functionibus idonea, ita, quũ vniuersi opera, functionesq; quædã omnino sint, iccirco nõ omnino nihil retulerit diuersitatis, quod quidẽ huc spectat, ratio, vt aureã illã in reliquis omnibus laudatã, hîc quoq; toto vitæ tẽpore vsui futurã, corporaturæ mediocritatẽ optemus. Hãc enim excedens magnitudo longũ quoq;, latũq; permensa, vt iuuẽtæ decoris aliquid afferat, at, præsertim verò si in longũ tantũ excreuerit, senibus factis incõmoda, incuruos, & in silicerniũ tẽdentes, ante tempus faciet: pusilli aũt quũ ciuilibus negotijs multis, factitandisq; artibus quibusdã inepti, tum verò ad bellica plerunq; opera, muniaq; fortiter exercẽda nonnulla, sufficere nequaquam possunt, & iccirco nõ immeritò in re militari, qui de ea scribunt, Tyronẽ sex, minimum, pedum staturæ requirunt. Quæ quanquam nõ magnopere curãda ab Hygijno fuerint, cui satis videri esse possit humanæ sanitatis tutela, hæc autem quantæ tandem cunque magnitudini denegata non sit: qua tamen ex parte sanitas, actionum, quas edit, gratia quæritur, atque in ea sanitate, quę corporaturæ mediocritatem sequitur, potiores hasce esse omnino experimur, hactenus non inconuenire arbitramur, vt hæc ab huiusmodi artifice tractentur, ex quorum tractatione præcepta aliquo tandem pacto omnino artis quædam cessura in vsum humanæ vitæ sint, quod posteriùs manifestum fiet, quo loco, quantum quidem sperare ab arte liceat, inter cætera artis documenta, qua ratione quibusque modis corporaturam assequi iustam nobis liceat, docebimur. iustam accipio, sed amplissimę latitudinis, qua innumeros occurrentes nobis prima, cõmunique consideratione quadam, absque amussi & regula, mediæ esse staturæ homines iudicamus, sicuti alios nõnullos gigãtea, pumiliones verò quosdam esse apertissimè videmus. Quam planè quoque ob rem fiat, vti magnitudinis vniuersæ corporeæ nostræ, tanquam in aperto satis positæ, expectanda à nobis signa nulla sint, sicuti sanè nec partium numeri, quæ quidem explere extrinsecus humanum corpus debeant vniuersum: paulo maior applicanda fuerit cõsideratio positioni partium, num suum rectè obtineat locũ quæque, hacque ipsa maior adhuc conformationi, qua figuram in vniuerso partiũ, sed & asperitates læuitatesque earum, singulosque meatus examinamus. Verũtamen paulo diligentiùs attendentem non latebit ineptus partiũ positus, sub oculos enim ponuntur ista: vt si dexter sinistro fortè elatior oculus sit, aut alioqui obtinente locum suum oculo toto, situm tamen suum, vt in strabis, pupilla non teneat, quos vtrosque παραβλῶπας rectè, opinor, appellemus: aut humerus, alteráve aliqua sub oculos posita corporis totius pars, veluti in æquilibrio alterius non sit, & talia: porrò autem, figuram meatusque dijudicante rectè visu, asperitatem læuitatemque tactu discernemus. Maius negotium est, sed & operæpretium maius, singulas membratim partes, etiam obtutum nostrum non effugientes, tanto magis quæ latent, ad ratam totius corporeæ magnitudinis rationem exegisse. Cæterùm & hîc exactam illam, prorsusq; exquisita Geometricæ rationis mensura constantem, analogiam non requiremus, qua tam integrè, ad trientes & semuncias, partes quasque respondere inuicẽ sibi proportione sua volunt: contenti nimirum, si molem obtutu vno, aut altero diligenti inspicienti corpoream, magnitudine (verbi gratia) caput, iusta, aut etiam maiore, minoréve, quàm par sit, sic in commune cõsideranti appareat, cæteræque corporis partes itidem. Singillatim quoque instrumentarię partis cuiuscunque, partium, extrinsecus quidem positarũ, numerus benè numerabilis est, vt in manu tota, pedeque, quũ aut numero digitorum partiumq; reliquarum suo, constant, aut deesse, aut superesse ex his aliqua videtur, sextus, puta, digitus manibus additus, quod sæpe: aut etiam deficiens aliquis, quod raro contingat. De positu nunquam cõtigisse crediderim, nec proditum memoriæ à quoquam fuisse memini, vt quæ oculis pateant partes transpositæ, in totum quidem, vnquam visę fuerint, neque in vniuerso corpore, neq; vero singillatim in instrumentarijs partis alicuius. quis enim vnquam caput, manúsve, aut pedes, alijs quàm suis quæq; reposita sedibus vidit? quis indicem, aut annularẽ, alterius alterum locum occupantem? quanquam in capra Aristoteles affixum cruri cornu scribit, quod inhærere capiti debuerat. At variant situm aliquando aliquatenus partes, vt de oculis diximus, dicique de humeris idem queat, quorum non nunnunquam alterum alterius ex aduerso positi locum superare, vel etiam quasi inferiùs demergi videmus, quod quidem positionis quoque haud dubiè vitium sit, sed quadantenus tantùm, nec de sede prorsus sua in alienã migrantis. Crebriora, certioraq; visuntur conformationis peccata, vt, quum tam crebrò crura nobis occurrunt varorũ, vacciarumque, quũ incuruos, aut diua-

diuaricatos nimis manuũ digitos: volã cauitate sua nõ iusta, extuberantes plus æquo articulos, cutim asperam, læuémve nimiũ, nullisque propè meatibus peruiam, manifestò inspicimus. Ac de extimis quidẽ singillatim ita partibus.

Interiores aũt coniecturis tantùm quibusdam peruestigare, cõiecturis examinare licebit, quanq̃ horũ nõnunq̃ signa quoque haberi certa quædam possint: magnitudo nanq; vocis haud dubiũ est asperæ arteriæ amplitudinis signum, paruitas aũt angustiæ: thorax qui exteriùs latus esse ostenditur, interiorem latam, amplamq; cauitatem indicârit: caput itidem magnum, magna amplaq; interiùs cuncta cauitatem: cerebrum, ventriculos necessariò demonstrat: de cerebro tamen, quod diximus, id ab ętatis initio, ad consistentis vsque ætatis vigorem verum sit, senescentibus nanq; exiccatum contrahitur, vsque eò, vt quibusdam (quod in animalibus alijs quoque appareat) ab interioris caluariæ superficie longiùs distare visum sit, vnde, partibus illis humore, quem suggerere cerebrum alioqui solitum sit, destitutis exarefactaque ideo cute, caluities succedat. Rursus lenis vox lenitatis arteriæ, asperior asperitatis indicio est, quæ singula ad figuram, & conformationem pertinent. Causa licèt hæc ipsa primò faciens, temperamentum ipsum sit lenitatis iustum, aspritudinis siccum, quod quum partes eas duras faciat, humorisque ideo defectu, quem esse interspersum his oportuerat, inæquales: sic asperam continuò quoque vocem fecerit. Eodem pacto acutior natura vox, quum partium harum angustiam significet, eadem necessariò frigiditatem ostenderit, quoniam quidem innati caloris paucitas, quæ huius ipsius frigiditas est, angustiam eam, sicut amplitudinem idem benè multus calor facit, at amplitudo hæc è diuerso vocem grauiorem, magnamque reddiderit. ὅσοισ πλεῖστον τὸ θερμὸν μεγαλοφωνότατοι, inq̃t Hippocrates, media nempe gutturis, vocaliumq; partium amplitudine, quam calor facit, nisi si tamen aliquando mala conformatio aliqua obstet, cuius causa in vniuersum pronunciâsse id non liceat. interdum enim calori innato magno, qui cor magnũ, nisi rebellis materia, aut tale aliquid obstitisset, pulmones itidẽ, ac thoracẽ, cæterasq; inibi partes facturus magnas fuerat, vitiũ id obstiterit, quo minus ꝓportione respondeât inter se partes, calorisq; innati multi vim sequantur: interdũ fieri videmus, vt nõ perinde triplex illud vasorũ genus, quod per pulmones totos diductum spectatur, lenis, asperæq; arteriæ, arteriosæq; itẽ venæ magnum reperiatur, vt pulmones genere suo magni, eâq; ob rẽ vox quãdoq; futura haud æquè magna sit, cor intereà magnũ quũ esse possit ipsum, pulmonesq;, magnam tamen semꝑ vocẽ certũ habituri sumus cõtentarũ thorace partiũ omniũ magnitudinis indiciũ: non enim magnã vocẽ, quod Hippocrates existimâsse videri possit, expirati tãtummodo aeris multitudo fecerit, nisi per amplos prætereà canales via illi fuerit, quod, vt dixi, caloris quoq; multi argumẽtũ sit, quanuis non semper multus is, magnusq; quũ fuerit, vocẽ editurus magnam sit, vitio instrumentorũ minimè aliquando ob materiam ad iustam amplitudinem, vt docuimus, sequacium: atq; ita fieri videmus, idem vt diuersarum plerunq; rerum argumentum habeatur, vt hoc loco vocalium partium temperamenti, atque earundem conformationis vox, lenis, aspera, magna, parua, acuta, grauis, ea qua diximus ratione indicio est. Et harum quidem partium, quanquam interiores sint, speculari tamen, si ita lubeat, quasi caput, fauces nimirum, & aperto, diductoque valde ore, etiam oculis interiùs adactis, insinuare eorum aciem ad partium harum magnitudinem, reliquaque, quæ dignosci ad hæc debeant, inspiciendum possis. Quæ verò altiùs latent, lynceos prorsus esse oporteat oculos, qui discernere queant, itaque bona pars incognita prorsus manent: quædam tamen sunt, quorum ipsa quoque oculorum fide deprehendi magnitudo non obscurè possit, vt quod de ventriculo, vesicaque proditum à Galeno est, quæ partes quum contrahi, repletæque rursus extendi vndequaque soleant, neque multùm sanè à cuti in profundum corporis discedant, quum protensæ ipsæ veluti de se figurent, hac de causa oculis nostris, magnitudine, ac figura sua, propè circunscriptæ subijciuntur. Non dissimilis rationis vterus fuerit, cuius quanquam inferiorem partem inter, abdominisque, loco eodem, musculos, interiecta vesica sit, at pars maior quæ eminet, quum conceperit mulier, paulatim magis magisq; extensa quàm magnus, paruúsve is sit, prodit: in quibus non minus figuræ quoque aliquando vitiũ videnti, tangentique appareat, vt quum paruùs iuxta rotundæque figuræ visus Galeno ventriculus fuit, quippe quem alioqui naturaliter cucurbitarum quarundam instar, in longioris potiùs ventris figuram excreuisse opus fuerat. Et hæc quidem tractari, viderique possunt. Alia quædam quanuis non certissimis quibusdam, at aliquibus tamen, neque his penitus obscuris coniecturis sæpe assequimur, vt quum iuxta Hippocratem, ὅσοι πτερυγώδεεσ φύσιεσ, πλευρέων δὲ ἀδυναμίαν τῆσ ἀφορμῆσ,

tales

tales esse censentur. quo indicio, alatos quos vocant (hi sunt quibus extantes plus iusto humeri, scapuleque instar alarum quarundam præbent) non solùm insiti paucitatem caloris obtinere coniectamus, sed eadem de causa, presso paruoque nimis corde, pressa paruaque pectoris totius cauitate esse, non dubiè colligimus. Sicubi in excarni corporis parte aliqua, ossa quanta sint conijci potest, argumento id fuerit altiùs latitantium ossium reliquorum eandem ducendam esse, quantitatis proportionem. Galeno quidem parui iocineris, strictorumque in eo meatuum signũ aliquando fuit venarum, quæ oculis subijciuntur, angustia: nec sanè minùs decoloratum corpus, obortusque in dexteriore hypochondrio, grauitatis cuiusdam altiùs fixæ, suspensæque, aut dolorificæ tensionis sensus ex multo, præsertim verò flatulentorum, crassorúmve, aut viscidorũ esu, eandem angustiam arguerint. Atq; hactenus quidem, hacque via liceat internarum partium magnitudinem figuramque cognôsse: numerum autem & situm certi esse possumus, quibus quidem Anatomes beneficio cognitæ eæ, perspectæque fuerint, non sane admodum variare posse in corpore quod sanitatis contineri latitudine debeat, aut non ante tempus omnino occubiturum sit. quid enim futurum quæso sit, aut quomodo victurum credemus, cui transposita spectentur viscera quædam, quod prodigiosè tamen in animalibus quibusdam contigisse legimus, vt sinistrum iecur, dextrum lien latus aliquando occupârit, aut viscerum aliquod, pársve quãuis ignobilior alia, sed quę necessariò tamen numerum suum expleat, defuerit. Nam alioqui defici corpus partibus multis suis solet, quas videmus, vsu solummodo earum deperdito, quum vita cõstet. nam vuula plerunque, & lingua, & dentes, & oculus, & digitus, & manus sæpenumerò tota pésve, & huiusmodi absunt: veruntamen neque hæc situm vnquam immutâsse suum visa sunt. Illud ex internis coniectura, subobscura licèt, assequimur, quòd ad situs, numerique variationem pertineat, quoties in aliquem fortè incidimus, pituitosi temperamenti assidua ventriculi subuersione laborantem, bilemque quotidie vomitu reiectantem flauam, aut pallescentem, cui si prætereà alui excrementa decolora, aut pauca admodum bile tincta visantur, necessariò, ex canalibus, quorum alter ac minor ad ventriculi partem imam bilis aliquid eructans pertingit, maior alter huius ipsius bilis plurimum in ieiunum defert, aut inuerso ordine situque maior superiorem, inferiorem minor partem obtinuerit, aut etiam maior ex toto defuerit, totaque ideo, quæ aliàs in intestinum deriuari debuerat, in ventriculum proijciatur bilis, vnde perpetua illa subuersio, bilisque vomitio: quod idem continget, si transposito situ, ventriculi, canalis maior, imo, minor intestino inseratur. Requirunt omnino hæc, si quis expiscari diligenter inuestigata velit, benè in corporum dissectione, partiumque omnium vsu internarum actionibusq; exercitatum versatumque, quo nimirũ diligenti rerum harum inquisitione, eorumque, quæ sæpiùs oculorum fide attestante, perspecta, explorataq; habuerit, recordatione, ipse sibi cuncta, tanquam sub oculos posita, versare mente ac cogitatione, coniecturasque inde ducere, ac signa concipere possit, quæ haud procul sanè ab vero abductura, rectè considerantem, cunctaque diligenter perpendentem sint, vnde interiorum quoq; partium nonnullæ, quæ cute hac obductæ alioqui occultantur, innotescere possint. Quæ quidem in vniuersum, non inutilis sane futura Salubrem artem tractantibus, sit notitia, vt ex qua corporum cognitio omnium, cuiuscunque tandem conditionis habenda ea sint, tota ferè pendeat.

Neutrorum corporum signa quorundam, qua ratione sudores habendi præter naturam sint, tum morbis tentatorum corporum indicia diuersa.

CAPVT VIII.

ATque ita, quum traditæ notæ sint salubrium, priorumque significatorũ duorum insalubrium, ac neutrorum itidem duorum, restat sanè, vt corporum, quæ iam iam casura in morbum sunt, rursusque ex morbo sese reficiunt, quod tertium fuerat neutrorum significatum, signa, indiciaque explicentur: insalubria enim vt nunc, hoc est, quæ iam nunc, atque in præsentia ęgrotant corpora, quòd alterius prorsus negotij futura ea sint, hoc sanè tempore omittentur. Etenim qui corporis notas exposuerimus, omni ex parte saluberrimi, itemque aliquatenus ab hoc declinantis, eodemque modo insaluberrimi, diuersarumque rursus, ac singularum propè partium temperiem, intemperiem, virtutes, vitiaq; notauerimus, proculdubio, salubrium, insalubrium, Neutrorumque, quæ quidem eiusmodi esse dicantur, quòd alia in parte salubria, in alia insalubritatis participia sint, aut in eadem etiam diuersimodè affecta parte fuerint, notas tradidisse omnes

videri

videri meritò possimus. Iam si tempora
tantummodo varientur, vt hoc tempore
quædam salubria, alio aũt insalubria eua-
dant, ijsdem notis, temporis solummodo
diuersitate adhibita, neutra existent, tertij
ferè significati quæ statui consueuerint: di-
ctis porrò illis, etiã secundi quæ habentur,
nimirũ eadẽ, diuersisve (vt paulo antè di-
ctũ) in partibus diuersimodè sanitate, aut
vitio aliquo affecta, indicijs eisdẽ notabũ-
tur: horumq; omniũ ita signis expositis ex-
plicatisq;, sola reliqua facta videri possũt,
quæ ab Authoribus prioris significati nu-
merari solent Neutra, vulgo medicorum
decidentię, & conualescentię vocant: cun-
cta autem hęc, infirmitate, & debilitate po-
tiùs, quàm ægrotatione significari debent.
Prima signorum, quibus hæc noscãtur, di-
uisio est, qua quædam sunt, quæ naturali-
ter nobis quum insint, quãtitate tamen, aut
qualitate, aut temporũ varietate acceden-
tia, cùm fieri præternaturalia omnino pos-
sunt, si eousq; excessum fecerint, vt natura-
les actiones euidẽter inde lædantur, tũ verò
infra hoc subsistẽtia futuri præterna tura-
lis affectus alicuius indicia euadẽt. nam vel
de Hippocratis ipsius sententia, δάκρυα, ῥινῶν
ὑγρότησ, πταρμοὶ, ὠτὸσ ῥύπος, στόματα, σιάλου
ἀγαγωγὴ, πνεύματα, εἴσοδοσ, ἔξοδοσ, χασμὴ, βὴξ,
λυγμὸσ, οὐ τοῦ αὐτοῦ παντάπασι τρόπου. Quę nõ
aliã ob causam, nõ eiusdẽ omnino semper
esse, inter se, modi ꝓnunciãtur, quàm quòd
interdũ natura, præter naturã interdũ, ea
nobis cõtingere videamus. Modicè enim si
illachrymẽt oculi, hoc est, si humore notẽ-
tur exiguo quodã, quo penitus priuari il-
los nõ est opus, si nares mucore naturali re-
purgentur, os saliuã, quã non inutiliter fa-
ctã à natura esse didicimus, sputumq; inde
sentiat, sternutamento leuiter se exoneret
cerebrũ, aures innata sorde mũdẽtur, osci-
tatio aliquãdo fiat, tussicula pectus, singul-
tu vẽtriculus liberetur, naturæ opera cen-
senda cũcta sunt, sponte sua, &, vt author
idẽ aiebat, αὐτοδιδάκτωσ sanorũ semper cor-
porũ, nullo nõ ꝓpè tẽporis momẽto tute-
lã ita diligẽtissimè molientis, ac superuaca-
neis qbusdã exonerãtis, quæ, ne qua omni-
no fierent, ex materia toties, antequàm iu-
stam de se corpori nutritionem exhibeat,
elaboranda, nulla commodè iniri vel à sa-
pientissimo nostri Opifice satis vnquam
potuit ratio. Neque enim, qui naturaliter
affecta corpora habemus, tam, vt, apud Ca-
tullum illi, sicca ea gestamus, vt sicuti face-
tissimè iocatur, sicciora cornu, aut si quid
magis aridum est, in nobis ea sint: neque
ad munditiem tantum accedimus iusto
mũdiorem, vt dici illud eiusdem in quen-
quam, incolumitate sua fruentem, possit:

A te sudor abest, abest saliua,

Muccúsque, & mala pituita nasi.

quo non qui modicè hæc habeant, nõten-
tur, sed quibus potiùs exuccum nimis, sole-
q́ue & frigore, & esuritione, ac talibus ex-
arefactum corpus, maleq́ue ita affectum ni-
hil horum remittat. Quis igitur, quæcun-
que ab ipso formationis nostræ initio sin-
gulis temporum momentis, naturæ insti-
tuto, modoq́ue semper suo fiunt, dum pu-
rum putumq́ue ea, quoad eius fieri potest,
Elementorumq́ue pugnans mixtura hæc
largitur, seruare corpus nititur, præter na-
turam inesse nobis dixerit? aut symptoma-
ta habenda esse asserat? quæ benè operatam
perpetuò naturam ipsam sequantur.

Sudores ipsos, qui tamen non immeri-
tò paulo magis à naturali corporum statu
recedere videri possint, contra Dioclis sen-
tentiam, modò non exuberanter aut fluidè
nimis fiant, non esse symptomata, neque
accidere corporibus præter naturam, con-
tendere ausim. Si aliter crediderimus, etiam
perpetuam patibilitatem illam facilè cre-
demus. Quotus enim quisque esse reperie-
tur sanorum maximè hominum, qui non
horum semper aliquo dormiens vigiláns-
ve tentetur, non (neq; tamen interim ægro-
tans) aliqua de causa sudet? Itaque hæc, &
huiusmodi, vt & menstrua mulierũ, & in
viris consueta stati cuiusdã temporis per
hæmorrhoidas sanguinis, quẽ aliàs ꝓ quo-
dam ceu thesauro reponere sibi natura fer-
tur, fluxio, tunc primùm esse haberiq; prę-
ter naturam incipiunt, quũ aut nimietate
abundant, aut qualitate mutantur sua, aut
tempus non seruant. Eadẽ prorsus ratione
expirationis, inspirationisq;, inter prædi-
cta ab Hippocrate numeratũ naturalissimũ
nobis opus, præternaturale eo tantũmodo
tẽpore euadit, quoties aut nimiũ, aut non
quomodo, quóve debeat tẽpore, fit, nimis-
q́ue multũ, aut concitatè, cõciséve, vel tanq̃
singultim reuocãdo, tardéve, aut frequẽter
spiritum ducimus: idq́; nulla externa, aut
manifesta causa accedente, non cursu, non
exercitatione nimia, aut huiusmodi: tunc
demum ea in parte præternaturaliter affe-
ctos nos iam esse, aut affectos statim iri iu-
dicamus: & affectos quidẽ iã esse, si manife-
stò impediamur, quo minùs obire rectè, ex-
pediteq; consuetas actiones nostras possi-
mus: affectos aũt iri iã iã, quoties nõdũ qui-
dẽ impediti, ꝓrsus cohibemur, at paulo acer-
biùs, q̃ ꝓ more tẽtamur, ὀρθοσταδὴν adhuc, vt
opinor, quomodo Hippocrates aliquan-
do loquitur. Ad eundem modum sudores,
qui exercitationibus, balneis, cursúve, bre-
uiter, euidenti causa aliqua excitati euo-
cantur, non mehercle præternaturales ha-
bebimus, vt intereà Diocli concedamus, ab
interna, corporeaq́ue causa aliqua prode-
untes,

untes, nonnihil quoque significare præternaturalis rei posse, si durabiliter id, aut primùm fiat. Nam, vt diximus, pauciores, minoresque ac breui cessantes, ab interna licèt causa prouenerint, non rectè, vt existimo, valde præternaturales esse, existimabimus: quippe nihil aliud quàm concoctionis eius, quæ in tota corporis mole peragitur, excrementum designāt, quod esse quidem tenuius debuerat, vt esse sensum effugiens perspiratio posset, nunc paucæ cuiusdam crassitiei accessione videndum se oculis præbet sudor, paulo magis imbecilli calore natiuo non satis in perspirationem illam attenuatus, quæ si caloris nostri imbecillitas, tam esse præternaturalis debet, vt perpetuò nobis habenda pro symptomate morboso sit, iam tempus erit, vt ad minimam quamque illius ipsius caloris offensiunculam, cuiusmodi multæ tantùm non quotidie contingunt, assiduè symptomatis eiusmodi vrgeamur, &, quod suprà dicebamus, perpetuam, illam passibilitatem circunferamus nobiscum. Nam illud de reliquis duabus sudoris causis, quæ in sanitate contingere solent, apud neminem versari in dubio debere apertissimū est, morbosorum symptomatum, aut causarum loco minimè deputandas eas esse, quoties aut ingestione ciborum nimia, aut vehementiore motu aliquo eliciuntur, siquidem vel maximè inculpatè sani ac saluberrimè sæpe degentes errata ista incurrimus. Nos autem hoc loco de symptomatis disputamus, ex quibus per se, primoque, non autem secundariò, certa quædam, firmaque præsentium, aut mox imminentium morborum duci indicia queant. Quòd si obstinatè nimis contendat aliquis sudores, quęcunque tandem illos causa fecerit, siue externa, siue interna, omnino præternaturales ducendos esse, vt eadem norma respirationem quoque ipsam, aut fatigatione aliqua, aut etiam fortè fortuna scalarū ascensu immutatā, reliquaq; istiusmodi omnia, quæcunque ita corporibus nostris accidunt, ad præternaturalem statum trahat, illud persuadere conabimur vnum, discrimen rebus his adhibendum esse, quod ad tractationem hanc attinet de signis: non enim conuenire, vt aliunde rectè ducantur ea, quibus lap*surum in morbum*, corpus prænoscimus, quàm ab internis, corporeisque, aliquo iam modo factis affectionibus, quas si externa causa aliqua fecerit, pro morboso id signo non deputabimus, vt vel *sudores* ipsi, de quibus nunc agimus, si aut cibi quantitas eos nimia, aut vehementior aliàs motus elicuerit, morbum indicaturi non sint futurum vllum, nisi secundariò fortasse atque ex accidenti, commotis nempe antecedentibus intrinsecus causis. Rectiùs quis opinabitur natiui caloris debilitate aliqua factos, pro futuri morbi notis haberi posse, quanquam & hoc ipsum, sicuti antea dictum est, nisi ἀπάθειαν illam inuehamus, recipiendum non sit. Idemq; in reliquis seruabitur à nobis considerationis modus, vt internas tantùm corporeasque, tractatu hoc, causas animò agitemus: non autem, quum aut extrinsecus primitiuarum causarum aliquid ingruit, aut ipsi in victus ratione errata quoquomodo admittimus, ex quibus non perinde trahi certa futurorum morborum signa solita sint. Certiora illa habentur, quæcunque ex iam, nunc, præsentibus corporeisq; affectionibus ducimus. Appetentia est naturalis nobis cibi, potusque iusta, eadem, si paulo magis gliscens crescat per se, nulla, quocunque tandem modo, exteriùs tunc temporis adueniente manifesta causa, inchoantis temperamenti frigidioris, & id ferè genus humoris alicuius signum, aut corrugationis inde nimiæ, aut occultæ corporis vniuersi transpirationis plus iusto factæ, quo ferè nomine vigiliæ famescentes reddant, ὕδωρ βορρὸν, ἀγρυπνίη βορρὸν de Hippocratis sententia, quæ statim, nisi occurratur, factura cuncta morbum sint: eadem si minuatur, appetentia dico, calidioris temperamenti contrariarumque omnino causarum indicio sit. Quæ si ante, vel post consuetum tempus ingruerit, vt aut citiùs, aut quàm par sit, tardiùs appetere incipiamus, iam hac quoque in parte inuersum naturæ ordinem esse significabitur. Qui insolita gaudent, atque extranea quadam ciborum qualitate, hos non omnino naturaliter affectos esse, contendit Galenus. sic enim ait, Epidemiorum sextum alicubi explicans: μόνοι γὰρ οἱ παρὰ φύσιν διακείμενοι πικροῖς, καὶ στρυφνοῖς, καὶ ὀξώδεσιν ἐδέσμασι χαίρουσι: οἱ δὲ κατὰ φύσιν ἔχοντες, καὶ ἀπέριττοι, τά τε λιπαρὰ, καὶ τὰ γλυκεία, καὶ τάγε μηδεμίαν ἔχοντα ἰσχυρὰν ποιότητα, μεθ᾽ ἡδονῆς προσφέρονται. id est, Soli nanque præter naturam affecti sunt, qui amaris, acerbis, acidis, edulijs gaudent: at qui naturaliter se habent, & excrementis vacant, pinguia, dulciaque, quæque nulla vehementi qualitate prędita fuerint, cum voluptate admittunt. pinguia intelligens, quæcunque secundum naturam se habenti palato, non ingrata accidunt. πῖον, ait, ἀκουστέον, οὐ μόνον τὸ λιπαρὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ γλυκὺ, καὶ ὅλως τὸ ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσιν ἡδύ. pingue accipiendum non solùm λιπαρὸν, quasi vnctosum, vnguinosúmve dicas, sed dulce quoque, atque omnino, quicquid naturaliter habentibus suaue se, iucundúmque offert. quo etiam modo panem, carnesque pinguitudine nulla aut dulcedine,

dine,pingues tamen,dulcesque sępe nominamus. Corruptioris igitur appetentię signum extraneæ qualitatis in cibis desiderium,quod gustui respondeat,non immeritò. nam Pica in mulieribus, quam vocant, vtero gestantibus, quoties tam diuersa ac propè à natura humana abhorrentia appetunt, eandem habuerit causam, nempe corruptos, ventriculique ori inhærentes humores,qui in mulieribus fœtus indies magis,magisque inualescentis, attractione facilè absumpti dissipentur:in viris autem, nisi ratione aliqua alia tollantur, futuros mox morbos indicent,adaucta corruptela. Iam,quum potare plus iusto percupimus, aut è diuerso,nullo aut minore eo desiderio tenemur, quum frigidum, quum calidum amamus magis, prӕterque cõsuetum, aut non in tempore,nónne aut siccitatem, aut humiditatem, subesse in corpore nimiam,aut calorem, aut frigus certò indicabitur,vnde gigni morbus possit? quum in Venerem solito magis agimur, aut minùs ad eam alacres,torpemus, nónne intemperies id partium aliqua, humórve,de quo aut flatulenta materia resiliat multa, aut contrà sedetur, fecerit, vnde paulo pòst haud difficulter morbus existat, nisi tamen (quod etiam non prolatum, at toties iam repetitum, intelligendum tamen in omnibus huiusmodi sit) euidens manifestaque causa aliqua præeat, quæ facere ista possit? Nam & cibi, potusq;, ac Venereorũ, quantitatem,ac qualitatem, modumque ac tempus,multis de causis,quæ sitę in nobis sunt, variare licet: futuri autem morbi tunc tantùm indicia habenda hæc fuerint, quum mali iam alicuius initium conciliatum intrinsecus corporibus aliquo pacto, inhæserit,cuius notæ,exiguo licèt temporis spatio, si durent, non omnino negligentur à nobis: neglectæ nanque altiùs addunt se, malumque,quod tolli initio minore negotio poterat, quum radices egerit, contumax, rebelleque factum, negotium deinde medentibus exhibiturum sit.sic quum primùm nobis displicemus ipsis, quum morborum specie aliqua tentamur, prænuncia hæc futuri mali timemus,statimque, siquidem salus nobis nostra cordi sit, occurrere venienti malo, imò modis omnibus opponere nos debemus. Verissimũ tamen illud fuerit,certam, rebus his, sicuti in omnibus quoque alijs, quæ prædicamẽto Relationis continẽtur, statui præfigique metam non posse: alios enim minimæ cuique noxæ statim succũbere, alios eiusmodi culpas diutissimè ferre videas: alios nullo ꝓrsus vsos auxilio, quod alijs sedula, diligentiq; animaduersione præcauisse nõ licuit, iam iam imminens malũ euasisse. Sed tã in his, quàm in illis, interstitiũ notetur ꝑpetuo aliquod necesse est, quo veluti in confinio positi sanitatis atque ęgritudinis,ni pedem inde quoquomodo retrahamus, quamprimùm incursuri periculũ simus. non enim semper arriserit benè spirantis fortunæ fauor ille, vt qui malum aliquoties effugerit,bona fortuna vsus, idẽ sibi perpetuò quoque in posterum temere nimis polliceatur: quum persæpe experiamur,rerũ harum contemptum,insigne multis nocumentũ attulisse: quosdamque robustissimo corpore, viribusque Herculeis,quũ robore suo confisi, neglectui haberent ista, ad extremum malo victos succubuisse,summumq; adijsse vitæ discrimẽ sciamus,quosdam etiam diem inde obijsse extremum suum: alios è diuerso, minùs integra sanitate qui fruerentur, ac tenui,imbecilloque corpusculo præditos, sibi tamen in tempore cauentes, consulentesque,nõ solùm præsens discrimen euitâsse, verùm etiã longiùs ætate prouectos: fortiores,robustioresq; se multò alios annorũ numero superâsse. Ac nolim miretur quispiã, nos hęc (vt fortè videri alicui possit) præter rẽ tractationi huic inseruisse: quo enim ꝓpior periculo affectio est,quã vsitato iam vocabulo neutralitatis vocamus, eo admonẽdi magis sumus. Caueamus etiam atq; etiã,ne imprudentes, improuisique in malũ, quod vitare initio statim nobis liceat, incõsultè nimis labamur. Cõmodissimeque hoc quoq; loco Hippocraticum illud vsurpemus: μηδὲν ὑπερορᾶν, μηδὲν εἰκῆ. Quam ob rem sicuti nõ leuicula quacunq; de causa,eaq; mox euanescente,commouebimur, neque magnoperè sanè reformidabimus, si quid exiguũ omnino nobis pręter solitũ, (vt fieri in dies, inq; horas cõsueuit,cuius præsertim causa nobis in aperto sit) haud magni momenti, accidat, vt quum veluti in transcursu ex errato, quod semel tãtùm admiserimus, aliquo, fumidæ fortè exhalationis è ventriculo ascensu, leuissimè caput doluit, deinde statim cessauit, nõ continuò perterrebimur, ne morbum necessariò incurramus, cauebimus tantùm in posterum: neque enim Galeno,quũ ex simplicioris tritici esu ruri semel caligârunt oculi, omnem commotum fuisse lapidem crediderim de morbi cautione, abstinuisse tãtùm deinde existimo, quod ipsum tamen præcautricis artis non quota pars sit: ita quoties cum perseuerantia quadam statum exijsse nostrum naturalem sentiemus, nec desierint molesta, nobis occursare quædã, vrgebimurq; deinceps, & (vt semel dicam) præternaturalium affectuũ imagine tentabimur sæpe, tunc maior adhibenda cõsultatio: verendumq; meritò fuerit, ne, si nostri negligẽtiores tunc simus, morbis quoq;

deinde ipſis detineamur: actionibusque noſtris, quas obire iam morbo præpediti nequeamus, priuemur: & in diſcrimine vitæ conſtituti verſemur. Hactenus nanque inſolitæ tantùm moleſtiæ cuiuſdam ſenſu, dum videlicet nobis ipſis non placemus, noſtrique oboritur faſtidium & inquietudo, valetudine tentati neutrarumque partium facti, neutrè meritò quoq; degimus: quo tempore, quoniam à ſanitate noſtra decidimus, in deterius extremum iam inclinaturi, reuocandi diligentia omni ſumus ad incolumitatem propera cò, vnde digreſſi eramus, reditione. Signa autem quum hęc ingruunt, ſedulò, vt dixi, perpendenda, atque examinanda ſunt, ne quid nos horum fugiens lateat, venientique opponere nos malo in tempore ſatis poſſimus. Itaq; non illud ſolùm, quod prius dixi, de quantitate ac qualitate cibi temporeque mutato diligenter attendendũ eſt, ſed etiam, quũ nulla horum variatione ſuauitatem tamen cibi non ſentimus, vinoque ſæpe eodem vſi, tempore etiam modoque eodem ſeruato, guſtum tamen, quem antea, non habemus: ſenſus enim aliquam ob cauſam ſtupor, eſt morbi prænuncius. Verùm notas tantum hoc loco, ſignaque rerum harum, nón cauſas recenſemus. Eiuſdem affectionis notæ fuerint hebetior ſenſus aliquis, viſus, auditus, odoratus, guſtus, tactus hebetior, ratio, cogitationesq; noſtræ hebetiores: obliuioſi etiam præter conſuetudinem facti, idem metuemus, & quum ſomnia ingruere turbulentiora quædam videbuntur, quum plus ſolito ſomno, vigiliiſve afficiemur, aut minimè opportuno tempore iſta ipſa fient.

Excrementorum genus natura nobis conuenienter tributũ, ſiccorum, humidorumq; differentijs peccare ijſdẽ poteſt. Nam & alui excrementa, aut redũdare nimis, aut occultari, aut colore ſubſtantiaq; propria immutari ſua poterunt, vt hoc ipſum indicent, & veſicæ, aut nimium fluere, aut ſupprimi, aut tot modis ſuæ, contẽtorumque ſubſtãtiæ, ac coloris varietate notari: transferenturq; ad mulierũ quoq; menſes facilè cuncta, qui plerunq; (quod in alui, veſicęq; excremẽtis, perſiſtente quidẽ ſanitate non videmus) multo deinceps tempore ex toto etiam nondũ ęgrotãtibus ceſſant, certè pluries, plus, minúsve quàm par ſit, ſæpiusque multis modis decolores ꝓdeũt, nec ſtata tẽpora ſeruant. Et, quoniã quibuſdã natura ꝓrſus ſua ſe habentibus, miſſus infernè fluit ſanguis, per hæmorrhoidas actus, ideoq; fatendũ neceſſario eſt, ſub ea, quæ naturaliter corporibus humanis inſunt, & excrementorũ ratione cõtinentur, hocquoq; cadere fluxionis genus poſſe, nõ ineptè quibus idipſum cõtigerit, his, ſi aut parcius is, aut huberiùs, citiusq;, aut tardius, aut qualitate aliqua non ſolita infectus fluxerit, ſuſpicio adeſſe iã eadẽ, quæ alijs rerũ harũ iure debuerit. Nec diſſimilis ſudoris ratio, qui & ipſe (ſicuti dictũ antea fuit) non innaturalis aliquibus prorſus quum ſit, ſi largior tamen in his, aut preſſior, aut non ſuo tempore, aut odore extrariæ aliquid qualitatis referente fuerit, timendam iam eſſe ex hoc corpori noxã ſignificet. Quid multa? muccus ipſe per nares, per palatũ ſputum prodiens, ſi quoquo modo prædicto varient, auribus quoque ſordes remiſſæ, vnde non minùs interim repurgari cerebrum ſolitum ſit, ſi maiore, minoréve copia notentur: ſi colorem ſuum non ſeruent, vitioſi omnino ſubeſſe in corpore aliquid oſtendent. Nam de horum ſapore exquirendo, vnde non dubia tamen colligi rerũ harum argumenta poſſint, elegantiũ medicorum nullus, ipſi fortaſſe, quorũ excremẽta ſint, guſtatu talia exquiſierint. Sputum omnes in palatum delabẽs, vel nolentes guſtu cuiuſmodi ſit noſtrũ percipimus, acidúmne, ſalſúmve, dulce, aut amarũ: muccum & ſudores, quis eſt χαθάριοσ ἀνὴρ, qui aliorũ poſſit? multo minùs aurium ſordes, vt mirer Hippocrati (quantumuis curæ illi fuerit, vel reſectionis etiã vnguium, veſtitusque, & talium admonuiſſe) tanti aliquando fuiſſe rerum harum curã, vt ſcribere in Epidemijs non ſit veritus illud: ἀνθρώποισιν ὁ ἐν τοῖσ ὠσὶ ῥύποσ, ὁ μὲν λευχὸσ θανάσιμοσ, ὁ πιρχρὸσ δὲ οὔ. Ructare ſolent nõnulli (ſternuere, pedere: ea tamen ſi ſolito plùs, aut minùs: ſi non quo antea tempore: nec, quo priùs, modo fiant: vt aut acidus, nidorulentúsve ructus ſit, aut inſuetã, indicibilémve qualitatẽ referat, atq; ad hunc modũ reliqua variẽt, offendicula inde naturæ oſtendentur aliqua.

Corporis moles maior, commonet nos periculoſę conditionis illius, cui aut ſuffocatio immineat, aut vaſorũ diſruptio: minor, atrophiæ: rubicundior, ſanguinem: albidior, pituitam: pallidior, flauam: niger, atram redundare bilem ſignificârint. Eadem corporis moles, ſi aut non alacriter commouet ſe: aut, quũ cõmouet, grauãter id, aut reſolutè nimis facit, aut tenſionis ſenſum ꝑcipit: morborũ pręnũcia omnia: nam, aut humoris plenitudinem, ſiue ad vires ea ſit, quæ grauitatem faciat, ſiue ad vaſa, quæ tenſionem, indicabunt.

Iam non minùs rerum, quæ præter naturam prorſus habentur acceſſio (nã ſuperiora naturali ferè ſtatu continentur) corporis ſtatũ coarguent neutrè affecti. omnium maximè præter naturã eſt dolor, idem tamen ſi modicè omnino, aut in tranſcurſu tantum quodam affligat, neutralitatẽ hanc

potiùs indicârit. Nam ventriculi, capitis,
inteſtinorum, aut in quacunq; tandẽ cor-
poris parte leuior aliqua vellicatio ſubor-
ta, antequàm eouſq; gliſcens tendat, vt di-
mouere nos à functionũ noſtrarũ vſu que-
at, tentare nos, non affligere, poteſt: & quũ
capite grauamur, quũ corpore veluti tor-
pemus, minuſq; hilariter ac placidè degi-
mus, nobis ipſis plerunq; moroſi & ad mi-
nimam quamq; cauſam excandeſcentes, in-
timos, familiareſq; nobis auerſati, offendi-
cula ea proculdubio naturæ noſtræ, ac ten-
tamenta morborum quædam ſunt, ingru-
entium, ni caueamus.

Deprauatarum facultatum omnium,
vitalium, animalium, naturalium, longè,
quàm imminutarum, videtur præter natu-
ram genus eſſe: lõgè enim magis affici prę-
ternaturaliter nos credimus, quum depra-
uatè videmus, occurſantium ante oculos
muſcarum, aut alterius cuiuſpiam rei ſpe-
ciem imaginãtes nobis, quàm quum paulo
præter conſuetudinem minore ſpatio pro-
ſpectamus: quum corruptè, quàm quum
tardiùs concoquimus: quum parum tremi-
mus, quàm quum parum minùs robuſtè
corpus mouemus: cuncta tamen hæc quo-
que, quanuis præternaturaliũ genere con-
tineantur, ſi modum non exceſſerint, ci-
traq; euidentem actionum læſionem ſub-
ſtiterint, neque ea tamen diutiùs durent,
neutralia ſemper, non ægrota, corpora fa-
cient: horum enim corporum (neutraliũ
dico) ceu character quidam eſt, non pror-
ſus actionibus ſuis impediri ob affectus te-
nuitatem, ſimulq; non tantum in eo poni
temporis, vt diu protrahantur, ὅταν σμικραὶ
τινὲσ ὦσι, καὶ μὴ μόγιμοι, inquit Galenus. Ete-
nim leui ac tolerabili affectui, ſi ſtabilitas, ac
durabilitas accedat, iam quod affectus ipſi-
us tenuitate non fit, id neceſſariò temporis
longitudine fiet, vt manifeſtò actiones ipſę
lædantur. Atq; hæc temporis omnino mo-
ra quadam intelligitur durabilitas, ac ſtabi-
litas, & permanſio, nõ quemadmodũ mor-
bus aliquando appellatus μόνιμοσ, id eſt, ſta-
bilis, fuit à Galeno, & permanens, quoties
videlicet peracto motu ſuo, quæ ceſsãt, ſta-
bilia vocamus, iam indepta, quo duceban-
tur, & quum qualitatẽ induerint ſuam af-
fecta, vel ſi minima ſæpe exigui temporis
morula perſtent, quæ dici rectè permanſio
aut ſtabilitas poteſt, iã enim ad finẽ perue-
nit motus, ἐν τῷ γίγνεσθαι priùs qui fuerat:
durabilitas nõ poteſt, quę tã citò diſcedens
abeat. Itaq; quũ primùm naturæ noſtrę li-
mites egreſſi veluti pedẽ ponemus in neu-
tralitatis (ſic enim iã vocemus, reddamuſq;
vocem hanc vſu iam molliorẽ) campo, ita
affecti dicemur neutri facti, etiam ſi ſtatim
inde pedẽ in ſanitatis cãpum retrahamus.
Et quũ haud dubiè impeditis erimus actio-
nibus, morboſi exiſtimabimur, ſeu duratu-
rus affectus is ſit, ſeu ceſſaturus quampri-
mùm. Nec ſanè minùs morbos diutiſſimè
ſæpe durantes, imò inſuperabiles plerun-
que, atq; ad ſupremũ vſq; diẽ comitantes,
vt σύντροφοι, ac familiares, ꝓpè facti, abijſſe iã
in naturã hactenus quidẽ videri poſſint, ꝓ
morbis habebimus: nõ enim quò ꝓgredian-
tur affectus conditionẽ, ſtatúmve aliũ ha-
bent, niſi ſi maiores, minorésve fiãt, id quod
naturã illorũ immutaturũ nõ ſit: at media
affectio, quæ veluti neutrarũ partium eſt,
ſi diu perrexerit, vlteriùs iã tendens defice-
re in deterioris ſtatus conditionem quum
poſſit, naturã prorſus mutat, priuſq; haud
ita diu perdurans quũ valetudinarios face-
ret, queruloſq; tantùm, nunc diuturniore
perſeuerãtia adaucta ægrotos etiam ex to-
to, & inutiles, minimeq; hominum conſue-
tudini, aut munijs vllis obeundis, habiles
reddit. Itaq; quoties in corpore toto, par-
téve eius aliqua, ſubortus torporis, aut vel-
licationis, aut tenſionis, aut grauitatis, aut
compreſſionis, ſenſus aliquis fuerit: vel in-
æqualitas aliqua corpus partémve percur-
rat: vt modò frigere, modò incaleſcere nos
ſentiamus, aut eodẽ etiã tẽpore diuerſis in
partibus idem fiat: ſi rarefactã, ſi denſatam
corporis ſuperficiẽ eſſe notis aliquibus col-
ligamus: oculis obuerſentur variorũ colo-
rũ, figurarũq; quædã maximè circũuolitan-
tes muſcas, culicésve referẽtia, in rotũdum,
in longum acta: ſurſum, deorſum, ad ſini-
ſtras, ad dextras partes occurſantia, modò
lõgiùs abeſſe, modò ꝓpiùs accedere viſa: ſi
obaudiamus quædã, vt quũ ſibilare nobis,
aut tinnire aures ſentimus: ſi, quũ aliquid
ori indimus, aut etiã, quũ non indimus, ex
ſaliua tantũ ipſa amaritudinis, aut dulcẽ-
dinis, aut ſalſilaginoſitatis, aut aciditatis,
aut huiuſmodi mouetur ſenſus: idemq; in
olfactu eueniat, vt aut putidũ odoremur,
(quãuis nihil inſpiratione per nares attra-
hamus) aut (quũ attrahemus) æquè ex benè
quàm ex malè odoris rebus graueolentiam
quandã percipimus: omnia nos neutrè iam
affectos eſſe oſtendẽt. Sępe etiam illud con-
tingit, vt nihil ſenſu ipſi noſtro tale depre-
hendentes, in alios tamẽ tetrũ ex nobis per
os, naréſve, qui facilè ab illis percipiatur,
halitum tranſmittamus, qui, niſi ex cauo,
corruptoq; dente oriatur, vitioſi ſubeſſe in
nobis aliquid apertè ſatis monſtret: id non
perinde in alijs ſenſibus animaduertere li-
cebit, vt noſtra nos lateant, alijs detecta ap-
pareant, corruptæ, deprauatæque actionis
vitia: nã neq; oculorũ noſtrorũ vitium in
genere hoc alius viderit, nos fugerit: neq;
aurium, neq; linguæ palatíve: in tactu ta-
men alicui alteri offeratur ſæpe corporis

nostri calor, aut frigus, aut aspritudo, aut densatæ, rarefactæve plùs iusto cutis sensus, quorum nos nihil interdum fortasse persentiamus, non iniuria: exposita enim habemus, quę mouere aliorum olfaciendi, tangendique facultatem de nostro obiecta possint, exhalationem, corporisque nostri soliditatem: non sic facilè alienas aures ,ꝓuocârit, nostrarum sibilus, aut tinnitus: aut oculos alienos nostrorum interiùs delitescens deprauatio aliqua: nec facilè reperietur qui linguæ suæ insertu, alienæ deprehendere vitia optet: & vt reperiatur, deprehensurus plerunque non sit altiùs immersa, quæ nihilominùs aut mandendo, aut saliua elicita loco suo mota detegantur in nobis. sic enim ait Hippocrates: ἢν ἁλμυραὶ σάρκες γευομένῳ, περισσώδιος σημεῖον. redundantis humoris indicium affert, si gustanti salsæ videantur carnes: subesse enim humorem oportet, qui hoc faciat: nam vel si sale priùs indito ingestum deinde cibum mandes, quisquis is fuerit, salsilaginosum dices: sic regio morbo laborantibus, ob transfusam eò bilem, amara offerri omnia videmus. sic absinthium qui priùs mãderit, statimq; deinde cibum commansu quemcunque aliũ ceperit, non dubium est, amaroris illum non parum: aut, si insigniter dulcis assumptus pòst paulo cibus fuerit, Græcorum γλυκύπικρον illud sensu percepturum. tenuis nanque dulcitudo, sicuti sanè qualitas quæque alia paulo tenuior, salsa, acris, acerba, quòd ob insignem absinthij amaritudinẽ vinci possit, ne qualitatẽ suam exerat, non mirabimur: at maior aliqua dulcedo, vt mellis, qualitatis suæ additamento dulcamarum fecerit. Atq; idẽ hoc, quod dicebamus, de reliquis accipiendum erit, vt, si nihil tale antea gustârimus, deinde statim aut saliuam, aut sumptum cibum ore versantes, amaroris, acerbitatis, salsedinis aliquid sentiamus, adesse eiusmodi succum omnino iudicemus. Sed & idem author, eodem, eiusdemq; operis Epidem. in loco, oculis interdum, ait, discernere nobis quædam licere, γλῶσσα (inquit) ὁμόχρους τῇσι προστάσεσι διόπερ ταύτῃσι γινώσκομεν τοὺς χυμούς. vt si pallescat lingua, flauam: si nigricet, atram bilem conijciamus: si albedo insideat, pituitam. etenim linguam inficere coloribus hisce humores, eiusque ita occupare superficiem possunt, siue de ventriculo sursum acti vertantur, siue mittantur ex venis, siue etiam humorum exhalationes quædam alicunde transmissæ, id fecerint. Atque hęc ferè sunt (quædam nanque alia, præsertim verò ducta ab insomnijs, futurorum morborum signa, quoniam, quum à multis, tum verò peti ab Hippocrate explicatissima possunt, in medio omnibus, sibi inde sumenda relinquimus) in deterius vergentis iam corporis humani, deque naturali suo statu in ægritudinem inclinantit, quæ quidem præsentem affectionem hanc designent, indicia. Nam præteritæ recordatio, aut futuræ præcognitio, neque insignem aliquem arti vsum attulerint, & diuinationem potiùs quandam, quàm euidentia secum rei ipsius argumenta, afferũt: præterijsse nanque hanc, quo iam decumbimus tempore recordari possumus, vsu nullo, nullisque affectionis ipsius indicijs, nisi, quæ pręsentem affectionem aliã quum denotent, etiam illam præire necessariò, quæ hanc ipsam soleat, abijsse iã designent, idque sic in vniuersum, non hanc illámve, prorsus, vt dicebam, inutiliter: eodem pacto futuram signa propè nulla indicârint, quæ quidem ex re ipsa trahantur. Etenim in sanitate sua, sibique propria constitutum, quum nulla adhuc in eo visantur neutralitatis signa, quo neutralitatem hãc incursurum esse diuinare signo queamus alio meliùs, quàm si errare subinde in victus ratione omni viderimus? Sed hæc extra rem ducta argumenta omnia fuerint, sicuti neque illud sanè ex re, vt quum hoc ipsum animaduerterimus, ab errore quemque dimoueamus adhortationibus, admonitionibusque nostris: artificis enim hoc non habendum sit Medici, sed amici potiùs monitoris cuiusdã officiũ: secus omnia in neutralitate & ægritudine, vbi & futuri morbi in neutralitate, & in morbis sanitatis colligi signa è re ipsa ducta possunt, ingenti vtrobique cum vtilitate: nam & opponere nos venienti morbo vtiliter inprimis, atque artificiosè possumus, si neutrum corpus fuerit: & si ægrotet iam, collectis ex artificij semper ratione notis futuræ sanitatis, aut secus, cùm in tempore singula prædicendo vitare culpam, magnique apud ægrotos, & cui maximè fidant, Medici sibi conciliare nomen liceat, tum verò parare nos ad omnia multò antè ex arte semper facienda, possimus.

Reficientium se ex morbis indicia.

CAPVT IX.

NEC dissimilis planè (quod quidem ad hoc attinet) reficientium se ex morbo conditio est, quàm eorum, qui incursuri in illũ sunt, vt quos aut pręnouisse, aut pòst in memoriam reuocâsse, nulla sanè ex arte vtilitas sit: futuram enim affectionem hanc prænoscimus cum sanitatis vnà futuræ signis: præcessisse verò scimus cum morbo quem

antegressum iam, præteritumque, insequuta statim ea sit: ita fit, vt in vtroque anteuertat maioris rei consideratio, cui coniuncta tamen semper alterius sequela sit, vt si in morbis sequuturam sanitatem præuiderimus, vnà eam quoque futuram statim affectionem videamus, quæ morbi sanitatisque in medio ponatur: quumque sanitati nostræ restituti, præteriti morbi meminerimus, etiam necessariò refectos nos iam ex morbo esse recordabimur, verùm vsu, aut artificio, vti dixi, nullo. Præsentem igitur tantummodo corporis conditionem hanc nouisse operæpretium fuerit, vt & rectè reficiamur, néve vlteriùs in morbum relabamur, caueamus. Atque id non difficulter admodum: Quum primùm enim discessu à morbo facto, nondũ tamen peruenimus in sanitatem, necdum integras vires recuperârimus, recreari ex morbo, & conualescere rectè dicemur, conualescentiæ huiusmodi signa præsentis iam, signorum morbi, sanitatisque absentia, quod quidem commune priori quoq; neutralitati sit, sed discessionis in contrarium hîc, quàm ibi factæ recordatio commune tollit: sicuti & vires in vtraque infirmę quum sint, ibi humorum potiùs redundãtia quadam degrauatæ, hic inanitione ferè nimia inualidæ, imbecillæq; esse videntur. Quocirca depulso iam morbo omni, attenuatum sæpe corpus eò vsque collapsis viribus animaduertimus, vti nec animalis circunferendo, quod satis sit, corpori, sufficiat: nec naturalis iusto pro corporeæ molis totius nutritione, alimento conficiendo, ac ministrando: neque verò vitalis ob alimonię paucitatem, spirituum satis, per corporis partes omnes transmittendis illis, ꝓcreare possit, quãquã facultatẽ hanc, vt pote quæ corde nitatur, quod vndiq; multiplici attrahendi vi, spoliatis interdũ partibus alijs, correptum alimentum in se vertit, non perinde debilem in conualescentibus esse experiamur: reliquæ autem duæ, naturalis, exinanitis venarum vasis, sanguineæ materiæ defectu, caloris naturalis non multum sanè, ad perficiendam ritè sanguificationem exhibet: animalis, hoc ipso deficiente sanguine, vnde spiritus suos colligat, suppeditare neruorum propaginibus, commouendis valide membris illos ipsos spiritus haud satis valet. Exangue igitur, ac subfrigidum corpus: contractæ, collapsæque venæ spectantur. Breuiter: attenuatio, siccitasque apparet corporis totius, non illa quidem solidiorum partium, sed quæ dispergendas mox per corporis sinus, anfractusque omnes nutricantes humiditates postulet, quarum iusta tantũmodo quantitate destituitur corpus, temperamẽti autem qualitas conuenienter congruit. sic spiritus, quicunque tandem aut vitalium nobis, aut animalium, aut naturalium quoque (si qui tandẽ eiusmodi habentur) functionum authores sunt, paucitate solùm notabuntur hi, cætera optimè habebunt, purissimique ac temperatissimi eo tempore fuerint. quamobrem hosce, ex morbo se reficientes, inquam, acutè inprimis videntes, audientesque, memorãtes, ratiocinantes, intelligentes, spirituum ad hæc puritate adiutos videas: eosdem tamen longiore temporis spatio operibus his defungi posse nõ videas, quod illis, vt dixi, spirituum eorundem paucitate cõtingat. At sunt nihilominùs quidam, qui priore morbo soluti, præsertim si vehemens is, malignúsve, aut pestilens fuerit, læsam aliquando insigniter functionum aliquam retineant, vt quos Thucydides post morbi pestilenter tum grassantis depulsionem, tam aliquando obliuiosos factos retulit, vt (mirum) ne nominum quidem, eorum plurimi, suorum recordarentur. Cæterùm hos, horumque similes, inter simpliciter conualescentes nõ numerabimus, quippe qui profligato priore morbo alium incurrerint: & ex priore reficere se quidem illi in reliquis potuerunt: at nuper in ea ipsa, ex qua iam se reficiunt, ægritudine contractum discutiendum habeant, à quo demum liberati, rectè, exacteque indicijs suis in ea salubris artis parte, quæ reficiendis à morbo corporibus dicata sit, constituti versabuntur.

Quorum iam omnium viam, quæcunque ad diducendos corporum differentias, quæ sub eam cadunt, notisque deinceps hæc ipsa suis cognoscenda faciunt, quum, quantum in nobis fuit, hactenus diligenter tractata significârimus: age iam rerum harum omnium causas quoque ipsas, non diligẽter minùs persequamur, in quo rei totius caput, & summa, quam versandam suscepimus, posita consistit, & alioqui spectatior iam sese, ac longè, quàm retrò tractatarum rerũ iucundior aspectus, faciésque offeret, quas fusiùs, prolixiusque, ac maiori semper cum iucunditate, quoniam caput eæ, vt dixi, negotij totius sunt, iure ac meritò tractando insistamus.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LBER QVARTVS.

Causarum Salubritatis efficientium variæ diuisiones, modique.

CAPVT I.



IAm primùm omniũ quærendis, inuestigandisque his, illud, etiam si nulli dicamus, esse vnicuiq; manifestum satis potest, admitti in tractatum hũc debere à nobis causarum tantummodo efficientia, Medicorum de more: qui quoties causas tractandas suscipiunt, Efficientes ferè præ oculis semper habent, quas diligenter vndique conquisitas, veluti in vnum conferant, conficiendo certiùs exactiusq; operi, quod semel intẽdunt. Etenim quum Medicina ars sit, atq; ea ex his, quæ faciunt, siue reficiũt potiùs, ac resarciunt, faciendo operi se semper suo accingat necesse est, artis huiusce de nomine dictus artifex, operisq; sui, quæ sanitas est, perspecto diligenter subiecto, tanquã materia cui inhæsura sanitas sit, reliqua deinde cogitata sua cuncta in id conferet vnũ, vt cõficiendi operis causas inq rat, instrumẽtaq; ad hoc, omnia, & materiam adhibeat, alterius cuiusdam generis, q̃ de qua paulo antè diximꝰ: illa enim sic sanitatis materia est, vt in qua consistat sanitas, ac tanq̃ subiecto suo inhærescat: hæc aũt, qua vtamur, materia est, quasi supellectili ad peragendum quod intẽdimus, vt materiã medica tractâsse Dioscoridẽ dicimus, vt multos alios. Quæ tamen non sola cẽsenda materia medica sit, verũ quicquid perficiẽdo operi instrumẽtorũ adhibemus, quicquid etiã alioq ea in re molimur, vniuersum id iure materiæ medicæ veluti supellectili quadã cõtinebitur, & instrumentariã causam augebit, quã siue ad causę genus materialis, quòd omnino materia in eo quædã insit cõficiendi operis, deducere velis: siue sub Efficiente collocare, ꝙ instrumẽto hoc ea vtatur: siue verò etiã causę per se genus statuere hoc ipsum quoddã velimus: nõ perindè magni ad rẽ hanc retulerit. Quæ sanè causæ, Efficientes dico, nec verò efficientes oẽs, sed parti tantummodo artis huic, quã nũc tractamus, ꝓpriæ, quũ multipliciter à multis diuidi soleãt, illã meritò cæteris præferendã esse diuisionẽ existimârim, Galeni etiã tẽpestate prælatã, qua salubres causæ quadrifariã diducũtur oẽs: aut enim in his versantur, quæ corporibus admouẽtur: aut quæ fiũt: aut quæ extrinsecus occurrũt: aut quæ euacuãtur. Ac admouẽtur quidẽ cibus & potus inprimis: tum, si qua in tutela sanitatis exhiberi rectè cõmodeq; valeat medicamẽta intrò assumpta, siue ea aluũ, corpúsve alioqui repurgẽt, siue quoquomodo etiã immutẽt: Aer ad hæc, quoties quidẽ ad salubritatẽ aliquo pacto inspiramus eũ: nã foris corporibus occurrẽs, tertio diuisionis mẽbro rectiùs cõtinebitur. Fiũt aũt, quæcũq; aut circa corpora moliũtur alij, vt quũ frictiones adhibent pædotribæ, quũ curru vehimur, quũ nauigamus, quũ equitamus: aut ipsi per se faciunt, quorũ interest, quũ deãbulãt, quũ innumeris ꝓpè modis exercẽt se: etiã alienũ opus quũ facimus, siquidẽ id exercẽdi causa suscipiatur, exercuisse nos iure dicemur, modò iusta exercitationis ratio impleatur. Adnumerantur generi huic vigiliæ, & somnus, ac Venerea: ꝙ & in his naturaliter aliquid fiat, modoq; intrò, modò foras sese naturalis calor agat. Eorũ quæ extrinsecus occurrũt, omniũ primus, assiduusq; nobis, molẽ corporeã ambiẽs aer est, nõ inspiratu ductus: tũ balnea, tũ vnguenta: tũ si quod eiusmodi fuerit medicamentũ, vt extrinsecus cutẽ tãgens, nõ magnopere atq; vltra sanitatis limites immutare corpora possit, vt sal, vt myrtus, quibus nuper natorum cutis in reliquarũ ętatũ omniũ vsum corrigitur: vt nitrũ, vt aphronitrũ, vt spõtè nascentiũ aquarũ quędã, quas de qualitate sua vsitato receptoq; iam vocabulo vel nos Latini Thermas vocamus. Iam, quartũ quod erat, euacuatorũ ex corpore, excremẽta sunt, & innanitio, etiã sensum latẽs, qua ipsa quoq; ꝓculdubio corpora nostra immutẽtur. Nã quod videri alicui fortasse possit quartum hoc vltimumque diuisionis membrum superuacaneum esse, superuacaneum non est. Etenim, si corpora transmutari nostra dixerimus, vel ab admotis, vel à factis, vel ab extrinsecus occurrẽtibus: transmutationem aũt fieri vel qualitatem iuxta, vel quantitatem: qualitatem, vt quum calefiunt, refrigerãtur, humecta redduntur, exiccantur: quantitatem, quum cibum capiunt, quum inaniuntur: atque hoc ipsum inaniri, tum excrementorum expulsione, tum propriæ corporis ipsius substantię diflatione

flatione fieri: non habebimus tamen, quò facilè excrementorũ euacuationem per se, ac primò, vt transmutationem hanc faciat, reponamus, vt quæ neq; cum his numerari possit, quæ corporibus admouentur, neq; verò quæ extrinsecus occurrunt, neq; quæ fiunt, vt deambulatio, equitatio, motus: nisi fusa nimis voce accipiamus quæ fiũt, quo propè modo etiam duo illa membra, quæ admouentur, quæq; extrinsecus occurrũt, superuacanea futura sunt, fiunt enim hæc quoq; aliquo tandem pacto: vt, siquidem tam in omnia extensum significatũ accommodârimus, non fuerit opus ab aliis, quàm ab his quæ fiunt, trãsmutationem in nobis vllã esse protulisse. Verùm, quanuis omnia quoquomodo fiant, qa tamen priuata singulorũ ratio quædam est, iccirco suo quoque vnumquodq; contentũ membro constat, quæ admouentur, quæ extrinsecus occurrunt, quæ fiunt: tum excrementorũ ratio ab omnibus diuersa, & à primis quidem duobus manifestò satis longiùs abesse videtur, sed nec includi tertio secundum triplicem diuisionem hanc facilè potest. quoniam, quæ fiunt, vt quidem hoc loco intelliguntur, ferè in nostra: quæ nos ipsi facimus, aut ex toto, vt motum omnẽ & exercitationem, aut bona ex parte, vt somnũ, vigilias, Venerem: quę si nõ omino facimus, at bona ex parte moderari pro arbitrio nostro possumus, potestate sunt longè quàm in excremẽtis aliter, quæ natura propè vna gubernare cuncta, ac dispensare solita sit, hæc quoq; ipsa licet, sicuti reliqua, artificis sæpe operam expectent, modò suppressa, modò nimis ꝓdeũtia. Hac de causa, videtur mihi excremẽta nõ immeritò per se, priuatũq; diuisionis huius mẽbrũ id cõstituisse.

Sed & illud addubitare cõtingit hoc loco, quam partem horũ animi affectiones, tantopere ad salubritatẽ: vel secus, facientes, occupare debeant. Non ineptè autem, vt opinor, his, quæ fiunt, adscribẽtur, vt in quibus, quemadmodũ in exercitationibus, commotior cũ calore naturali sanguis feratur, aut potiùs, quòd his, sicuti in somno quoq; & vigilia, calor naturalis intrò, forasq; cum sanguine vnà, spiritibusque suis agatur. Quòd si cui visum conuenientius fuerit, inter ea, quæ extrinsecus recurrunt, collocâsse, per me quidem licebit.

Atq; hæc petita ab actionibus videri diuisio omnis possit: illa potiùs à rebus ipsis, quam tanq̃ vulgatã magis, & à Galeno aliquando inuecta, plurimi iam de rebus his scribentes insistant, nosq; ipsi insistemus. Diducuntur ea res non naturales quæ vocantur sex numero: Aer, cibus ac potus, somnus & vigilia, motus ac quies, inanitio ac repletio, animi affectus. Quæ quidem facilè in quadripartitã illam superiùs expositam diuisionẽ reduci singula possint: vt bifariã consideratus aer, primò intrò attractus, sicuti cibus quoq; ac potus, his quę assumũtur, adscribantur: extrinsecus aũt occurrẽs, his iisdẽ, quæ eo nobis pacto occurrũt, quo etiã balnea & vnctiones & huiusmodi perueniant: Somnus autẽ ac vigilia, motus ac quies, animiq; affectus, eorũ, quæ fiunt, mẽbrum impleãt: rursus inanitio ac repletio, eorum, quæ de corpore inaniũtur, genere contineantur: Venerea aũt locari vtrobiq; possint: nam & in ea, quæ fiunt, venient, & inter ea, quæ euacuantur, excrementorum ratione reponẽtur. Nec sanè fieri minùs potest, vt è diuerso superiora illa quatuor cõmodè in proxima ista deriuentur, more diuisionum multarũ, quæ mutuò sibi inseri, seq; plurimùm inuicẽ totas recipere, soleãt. Atq; ea quidẽ, quæ intrò assumuntur, tria suscipiẽt: aer, sed ore attractus: cibus ac potus: inanitio & repletio: quõ alia quoq; aliquãdo his in rebus ad sanitatis tutelã pharmaca deuorantur. nam alio quodã modo pars hæc (inanitio dico & repletio) tota ab ea occupabitur, qua, q̃ euacuatur, continẽtur. Quæ verò fiunt, cuncta in motũ & quietem descendent, somnum & vigiliam, animi affectus. At quecũq; extrinsecus occurrunt, partim in aerẽ (sed alterius omnino, q̃ superior fuerat, rationis, quippe ambientẽ nos tantùm) cadent: partim in motũ & quietẽ, vt balnea, vt vnguenta, & cuiusmodi antea diximus, quęcunq; sanitatis latitudinẽ non excedant medicamenta, corporibus admota. Iam Hippocratica illa, quibus nõ tam res, q̃ rerũ ordo, seriesq; notatur, Labor, cibus, potus, somnus, Venus, nónne eiusmodi sunt, vt illis omnia cõtineantur? Labore nanq; (siquidẽ quæ pręcedunt, quæq; insequũtur cõsideremus) motus omnis, ac quies, aer, quę fiunt, quæq; extrinsecus occurrunt, cuncta cõprehẽduntur: Cibo & potu non id solũ, quod estur, & bibitur, sed quæ intrò assumuntur: tum verò excrementorũ quoq; ratio, cumq; inanitione ipsa repletio, somnus ipse, vnà quoq; vigilię, animiq; affectus, ꝙ cõmotionem eandẽ naturalis caloris sortiti sint, includi possunt: at Venus addita, vt quę non ætati cuicunq; cõueniat, partẽ hanc per se fecerit, alioqui his q̃ fiunt alibi cõtenta, alibi affectibus animi cõsociata. Nos ex his obuia quæq; primũ ac distinctissima, eoq; captu facillima sequemur, hæcque, horumq; vnà, quantũ fieri à nobis poterit, rationem in vniuersum traditam manifestam faciemus: tum demum, deductis ab vniuersali cõsideratione ad particularia omnibus his, circunscriptisq;, ac, veluti resectis cõmunibus magis, priuatisq; cuiusq; tã corporũ, q̃ cau-

causarũ differentijs allatis, quid cuiq; partim singulatimq; cõueniat, ostẽdemus: quo nimirum via hac ac ratione artis documẽta, quantum quidem assequi in rebus huiusmodi liceat, proximè ad actionẽ ipsam, quæ circa particularia versatur, deducamus: quò quum peruentum fuerit, ibi demum sistẽdus pes erit: vltra enim progressis ea sese ostendunt, quæ nec scribi, neque dici cõmodè satis possunt, sed in rem tantummodo præsentem venienti artifici discernenda relinquuntur. Ducemus autem initium ab aere.

De Aere, quatenus tractari à Medicis debeat: quæ ἔυδιος vocis significatio: temperatus aer cuiusmodi sit, atq; vbi quærendus: qualis intelligenda eius temperies, signáque, & argumenta. Ad hæc intẽperati aeris notæ, tum qui crassus, qui turbidus, aut pestilens, aut corruptus.

CAPVT II.



AEr (quòd nullũ omnino reperiatur temporis momẽtum, in quo non illum aut inspiratu necessariò ducamus, aut vndequaq; ambientem nos sentiamus: nihilq; omnino sit, quod æquè prodesse, vel obesse nobis queat) diligenter tractandus, sic autem, vt Medicis tantùm fas est, aut certè studiosis Medicinæ. Nam quę Philosophi de hoc inquirũt, prorsus extra rem nostram posita, quorsum, quæso, attinuerit huc incõmodè, inconuenienterq; trãsferre? Quæremus ergo ea de eo instituto nostro vtiliter, vnde aliquo pacto ad sanitatẽ, aut ægritudinem immutari ob id corpora nostra solita sint. Quòd si qua sunt tamen, quorum inquisitio artem supra esse videri possit, illa, quoties eodem tẽdent, quò, quæcunq; alia ad artis præcepta faciũt, omnino artis fuerint sic tractata: vt quum syderum ortus, occasusq;, ac coitiones quasdam, vel Hippocratis ipsius iussu diligenter obseruatas notamus: quum terrarum situs diuersos, locorũq; discrimina, quã quisq; cœli partẽ spectet, consideramus, non quidem Astronomi ob hoc, aut Geographi facti, sed harum artium inuentis tãtummodo quibusdam, ad nostræ, quam tractamus, vsum cõmodè traductis, idque quatenus bonitatis inde aut malitiæ alicuius impressa aeri vestigia appareãt, vnde commodi, incommodíve aliquid corporib⁹ nostris suboriatur: hoc est, quatenus aut calidũ, aut frigidum, aut siccum, aut humidum, aut variè ex his mixtum, aut attemperatum, aut tranquillum, aut ventis agitatum, aut crassum, aut tenuem, aut nubilum, aut serenũ, vel huiusmodi, experimur: eo quòd captatis diligenter, animaduersisq; his, cùm trahere ad rem nostram, pro diuersis corporum conditionibus, cõmoda multa queamus, tum verò incommoda quoq; vitare, ingruente sæpe vitæ inde nostræ periculo, arte aliqua discusso. Itaque præter qualitates quatuor illas, quæ primæ vocantur, caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ac siccitatis, temperiemq; harum, aut intemperiem, nihil habuerit ferè Medicus, quod de ambiẽte nos inuestiget, etenim huc tẽdere reliqua oĩa videntur. Nubilus enim ac densus qui fuerit aer, idẽ plus iusto vdus sit necessum est: sicuti sudus serenúsve ac tenuis, siccus siue frigidus is, siue verò calidus, vtrilibet qualitati siccitatis, humorisve consociatus fuerit. Sed & tranquillus omnigenus euadet, calidus, frigidus, humidus, siccus, in medio omnium positus itidem. cuncta enim hæc experimur in aeris tranquillitate, quę nihil aliud sit, quàm quum quiescit cœlum, nullis ventis, aut procellis agitatũ, Græci, opinor, ἄπνοιαν, vel νηνεμίαν, vel ἐυδιότητα, appellãrunt: at eadem nubilo, sereno, vdo, sicco, frigido, calido cœlo, associabitur. Sæpenumero quiescere prorsus à vẽtis cœlum videmus, modò nubibus obductum, modò serenum, sudumque, & huiusmodi, etiam pluuium, quin in tranquillo potissimùm pluuiæ, καὶ ἐν ταῖς ἐυδίαις, μᾶλλον ὕει, ait Aristoteles. Quinimò Hippocratica constitutio quædam est, ἔτος νότιον, ἔπομβρον, ἄπνοια διὰ τέλεος. Austrinum ait fuisse, atque eundem ventis caruisse annum, quod magis miremur: sed non mirabimur, si Galeni inibi rationẽ sequemur. Mare sæpe videmus, quæ malacia, & pellacia ponti est, placidũ, ac æquè stratum, vt verè ęquor dici possit, quippe æquata propè, quantum sensu percipere liceat, superficie, quũ subtus tamen & in profundo, plùs, minùs, fluctuet semper. sic ambientem, quem circum nos sentimus, nõ immotum quidem prorsus, (iam enim periclitarẽtur in eo animalia) sed quietum, tranquillum, immotum experimur tamen, ac dicimus, vento nullo paulo vehemẽtiore agitatum, vt leuissima interdum perfletur aurula aliqua: supra nos autem modò nubilum, modò sudum factum cœlum, ac discursantes plerunque nubes videmus, quas necessum sit vẽto agitari: atq; ita cõstitutio circum nos quietior fuerit, prorsusq; ἔυδιος: supra autẽ austrina esse, aut borealis eadẽ poterit: vt iã appareat, (dicendum enim hoc loco est, quoniã id magnos quosdã viros ætatis nostræ torserit, q̃ immutare scriptũ conati sint) nõ esse immutandũ Hippocratis Aphorismũ, quo dicitur: ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν, καὶ ἔπομβρος, καὶ ἔυδιος γένηται. ἔυδιον enim ἄπνουν intelligo, sicut & ἐυδεινὸν, quod alicubi scriptum legitur: vt, quem-

quemadmodum in Epidemijs ἔτος νότιον, ἔπομβρον, ἄπνοια διὰ τέλεος, sic in Apohrismis, νότιος ὁ χειμὼν, καὶ ἔπομβρος, καὶ εὔδιος, relatũ sit, quòd minimè, vt diximus, incõueniat, eadem vt (locorum tantummodo diuersitate aliqua notata) trãquilla simul & austrina, aut etiam borealis esse constitutio possit.

Verùm de aere quum agimus, quisnam omniũ medius, temperatissimusq́; sit, quærendum primò. Qui esse, nisi trãquillus circum nos, nõ possit. Agitatus enim ventis, si aquilonaribus, siccior necessariò: si austrinis, humidior fuerit, quoties quidẽ tantùm non perpetuò id, aut maiori certè in temporis parte fiat. Nam qui per interualla iusta perflatur vẽtis, aut pluuius interdum, non nimiùm tamẽ, aut diu nimis fiat, probandus is: attemperantur enim siccitates pluuijs, rursus pluuiæ humor nimius ventorum flatu discutitur vtiliter sæpe, ea tamẽ semper lege, vt siccitas vincat, ne nubibus, tanq̃ Cimmerijs tenebris perpetuò obruti, atq; ἠέρι, καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, iuxta Homerum, tegamur. Eundem medium calorem inter frigusq́; esse oportere, nemo ferè ambigat. quorum alterum frigus, quũ pluuiæ plerunq; faciant, fit tamen interdũ vti calor quoq; in his sentiatur: serenitatẽ aũt tam calorẽ q̃ frigus inferre sępe experimur, vti iam nõ sanè magnũ trahere ex his argumentum liceat ad fidẽ de calore vel frigore faciendã. Atq; illud interim tamen certum statuere possimus, in nubilo perpetuò aut magna certè ex parte nõ esse nobis magnopere quærendã aeris temperiem: in sereno potiùs, plurimùm quidẽ qui talis sit, cuiusmodi propè Rhodius, & Syracusanus: vbi (si Plinio referenti credimus) nunq̃ tanta nubila obducantur, quin aliqua diei hora Sol cernatur. Id igitur inter vtrãq; plagam australem, septentrionalemq́; continget, cœlũ vt ibi mediam temperiem sortiatur, quod plagæ vtriusq; mediũ occupauerit, ita tamẽ, vt ad calorẽ propiùs accedat, quoniam is naturę amicior: quam nunc propè orbis partẽ diaromes, & diarhodos Paralleli tenent, neq; enim claudendum esse plagæ tantùm vnius in arctum, opinor, medium, quod cõmodè humano generi inhabitandum largitus sit nostri simul, mũdiq; Opifex. Atq; eadem in alia, quam calcare videmur, orbis parte notari medietas possit, Capricorni Tropicũ inter, & Antarcticũ polum. Verùm hi suos fortasse habebunt, qui ista illis edisserãt: nos nostra intereà persequamur. Hunc igitur mediũ esse cœli nostri, eũdemq́; tẽperatissimi Aeris, statũ credimus, qui à Cancri Tropico Septẽtriones versus, quũ primùm remittere sese æstuantissimi illi calores incipiant, superueniẽtis sensim frigoris beneficio modici tempera-tiq́;, attemperatã quoq; locorũ illorũ incolis habitationẽ concedat. Nam si quis fortè contendere pergat, sub Aequatore temperatissimè habitari, (habitari enim iam pridem cõpertum) q̄ circulus ille orbis totius medius sit: q̄ ęqua semper teneat noctis, dieiq́; confinia, vnde quãtum inuectũ de die caloris sit, tantum superuenientis, eodem semper horarum numero, noctis beneficio retusum debilitetur, eoq́; temperamentum fiat: q̄ Solis ibi radij, qui terrã feriũt, quum concauam non feriant, sed terrarum orbis conuexæ potiùs parti, summoq́; eius propterea apici incumbant, quẽ ducta per medium linea facit, ideoq́; diducti dissipẽtur, vt incalescere inde non nimis loca ea possint, atq; temperies tantùm exurgat: sciat is, eò tantùm valituras rationes hasce, nõ vt cœli temperiem hæc faciant vniuersi orbis absolutã, sed vt temperatiorẽ plagam eam notent, his, quæ sub vtroq; Cancri, Capricornique Tropico positæ iacent, torridis prorsus: quoniã quidem ab Aequinoctiali circulo discessione, modò in hãc, modò in illã partem facta, inhabitãtium vertici immineat, mox etiam incumbat Sol, idq́; cùm longiore diei spatio, tum etiã pluscculis, q̃ quum Aequinoctialem vltro, citroq́; bis in anno means perstringit, diebus. Quæ quidẽ geminata ita causa, ob morã reliquas omẽs vincens, quęcunq; persuadere nobis cõtrarium possent, nõ immeritò vehementissimos semper sub Tropicis æstus ciere solet: siquidẽ in actione omni, vt & agens, & materia conuenientissima sint, agereq́; ac pati paratissima, nisi tẽporis quoq;, quo peragitur quicqua, mora accesserit, perfici nihil possit. Quòd si tẽporis inprimis mora opus quodcũq; peragitur, cõueniens dupliciter in vnũ alicubi calori producẽdo causa, vt sub Tropicis, vbi cum alijs causis plusculũ quoq; moræ intercedit, summũ eum proculdubio eximiũq́; effecerit. Eadẽ, sed minor, quo minor, ita minus quoq;, semper caloris producet, sicuti sub Aequatore, vbi minor, q̃ sub Tropicis, tẽporis mora, at tan ta tñ, vt, si nõ adurentes in totũ, veluti sub Cancro, aut Capricorno, at iusto tñ, lõgeq́; q̃ tẽperatæ regioni cõueniat, maiores edere calores possit. Atq; ita asseremus, his de causis plaga eam, Tropicis collatam, vtiq; temperatiorẽ habendam esse: at earũ, quas nos, Arcticum circulũ inter & Cancri Tropicũ, inhabitamus, plagarum respectu, minimè: in quarum medio conuenientior omnino humanæ speciei tẽperies reperiatur, quod in colarum mores, instituta, corporum habitudines, facies, color ipse manifestò satis indicet: mirum vt cuipiã videri possit, qui temperiem omnium maximam æquinoctialis plagæ adstruunt, eosdem scripsisse colore

lore esse ibi homines croceo, qui haud dubiè nõ satis temperatæ habitationis habendum signum sit: at nos colore esse potiùs fusco, aut, veriùs, mustelino, ex his, qui ante haud ita multos annos illuc penetrârũt, comperimus. Quærenda igitur potiùs nobis intra Polum ac Cancri Tropicum temperatior hæc habitatio, vt neq; Tropici calore nimio torreamur, neq; Poli frigoribus congelemur. Qua in re, sunt qui quartum, sunt qui quintũ, nec defuêre sanè hac nostra tempestate etiam, qui sextum prætulerint Clima, ad commodè temperateq; habitandum. Quo in negotio illud primò intelligendũ, quemnam in modum accipienda Aeris temperies sit locorum, quos inhabitemus, num ad eum, quo calorem corporis nostri natiuum spiritusq; nostros temperatos esse dicimus, quos quidem calidos satis experiri immissa occisorũ nuper animaliũ penetralibus manu liceat: cuiusmodi si in Aere temperamentũ exegerimus, haud scio vnde rectè refrigerari natiuus calor ipse poterit, nisi aeris alterius inspiratione frigidioris alicuius. Vocamus autẽ natiuũ calorẽ temperatum, spiritusq; vnà nostros, sed alterius generis calorem intelligentes, viuificum nempe, ac cœlestẽ, nullaq; frigidioris alicuius elementi permistione infectum: quem esse ad fouendũ nos, dirigendaq; nostra omnia, concalefaciendisq; corporis vbiq; partib⁹, natura suapte frigidis, benè calidum, in foco præsertim & quasi ἑστίᾳ sua, non incõueniat, vt inde prodiens benignior deinde ac mitior reliquis partibus accedat, quas attẽperandas, fouendasq; semper, simul ipse attemperatior iam inde factus, itaq; dict⁹, suscipiat. Ergo alia omnino sit oportet aeris tẽperies, qua & natiui caloris inclusus in corde quasiq; foco (vti diximus) suo refocilletur æstus, simulque suggeri inde procreãdis spiritibus materia queat, eiusque vnà occursum mitem placidumq; extrinsecus sentiãt corpora, vt nec magnopere ardore illius diflentur, nec adstringantur frigore. Talis fuerit, si æqualiter ꝓpè ex vtroq; permistus humoris quoque ac siccitatis medium occupârit: prope, dixi, quòd omnino, qui corporib⁹ nostris futurus saluberrimus sit, hunc in calorẽ inclinare, ac siccitatem paulo oporteat: alterum, quoniã vita quoq; nostra calore potiùs quàm frigore continetur, imò calore fortasse tantummodo, vt interim frigoris quoq; beneficio plerisq; particulis formemur: alterũ, ꝙ siccitate diflentur, cõsumanturq; meliùs excrementa, simulq; corporis totius moles cõpactior viuidiorq; existat: sed hoc pauxillulũ omnino esse nescio qd debuerit. Quum primùm igitur à Torridæ plagę feruoribus progressi, eousq; tendentes peruenerimus, donec, accedente frigoris sensu, vigentis æstus vehementia ita remittatur, vti innatus, & interiora potissimùm corporis insidens, calor nõ euocetur ad summa, extimaq;, sed refocillatus potiùs leni, placidoq; ad sua impulsu viuidus inde magis subsistat: nõ aũt, vt in frigida nimis plaga, intrò prorsus actus, destitutis exterioribus partibus, frigoriq; illis obnoxijs relictis, interiores nimia sui vi adurat: aut eadẽ ingruentis quandoq; nimiùm frigiditatis vehementia superatus vincatur, vsq; eò vt desides, torpidos, stolidos, pumiliones sæpe faciat: hanc, dico, hoc pacto à nobis hoc loco acceptã plagã pro Temperata habebimus, ac latitudine sua multũ accipere spatij volemus. In quacunq; enim orbis parte cœli benignitatẽ huiusmodi senserimus, vt ꝓ totũ anni decursum tẽporis partes temperie quadã cõstent, temperatissimumq; reperiatur Ver: Aestatis calores maturandis frugibus, coquendisq; vuis satis sint: Autumni tepor succedat, faciẽdę iusta cũ maturitate vindemię, colligendisq; eadẽ ratione fructibus omnibus: postremò Hyemis frigora ea habeantur, non quibus perpetuò, diuq; nimis obrigeam⁹, aut niuibus obruamur, aut necessari⁹ hypocausti vsus sit, sed satis habeamus tecto, clausiq; cubiculi parietibus, exiguoq; inibi foco, brumę iniuriã non diu duraturã vitâsse: cõmodè temperateq; ibidẽ habitari à nobis posse existimabimus. Ijsdẽ in locis videre erit benè coloratorũ hominũ facies, vultusq; status corporis concinnos: mores, institutaq; minimè efferorũ, aut mollitie nimia perditorũ, aut imbelliũ: hospitalia oĩa erũt potiùs, cultaq; ingenia, excolendis artibus tã pacis, q̃ belli, sed pacis tñ inprimis, idonea. Has si notas sequemur, profectò non in arctũ nimis cogemus cõmodã ita futurã habitatoribus aeris temperiẽ, idq; medicè faciemus, siquidẽ sensu nitendũ Medicis ante omnia fuerit, quo iã experiamur cultoribus huiusmodi rerumq; dotibus his locorũ interuallũ non paruũ sanè à natura donari, totumq; ita quartũ Clima, quintũq; in vsum hunc trahi licere. Quo propè spatio (id qđ tẽperatæ satis Plagæ haud dubiũ signũ habendũ est) cõtineantur, quæcũq; ferè olim à quoquã vel bello, vel pace præclarè gesta sunt: insignia Regna, Rerump. status, conditæ erectæq; ciuitates: Persarũ, Assyriorũ, Romanorũ, Macedonũ Imperia. Nã irrumpentes ex Glaciali orbis parte in alienos terminos Cimbros, ac Teuthonas, Gottósve, aut Tãberlanos ex Scythia, nõ Regna, aut Imperia existimabimus, sed veluti coortas derepẽtè orbis tẽpestates, quas improuisus turbo concitatas aliquò deferat, hominũq; boumque labores vastaturas, deinde statim discu-

discutiẽdas. Duratura nos diximus Regna, & Imperia, constitutas ciuitates, auctasque in immensũ tot florentissimas diu Respublicas, tot ingeniorum monumenta atque opera, pro argumento sumenda esse inhabitationis temperatæ, quæ magnos sæpe viros edat, ingenio maximè pollentes, ad quæcunque id applicare studia voluerint, seu domi, seu foris peragendarum rerum, stabili firmoque, quod rectum fuerit, dictantis semper rationis iudicio qui gubernentur, nouerintque imperata huius facere, contra etiam ea, quæ aliquando vel irascendi, vel concupiscendi facultas suggesserit: *in quorum altero à Septentrionalibus, altero à Meridionalibus abundè gentibus ac nationibus peccetur.* Decidemus igitur cum Astrologis hoc pacto, vt cum Philosophis sæpe decidimus, quoties cum his controuersa nobis res est. Nam, quemadmodum ἀπάθειαν, perpetuæ cuiusdam passibilitatis rẽ, hi ipsi, id, quod res est, penitiùs introspiciẽtes, manifestis satis rationibus inuehunt, corporaq; nulla omnino neutra, quæ vocant Græci, haberi: sed aut in sanitate, aut in ægritudine versari, eodẽ pacto contẽdunt: & huiusmodi alia omnino quædam, quæ nos tamen artis nostræ vsum sequuti, quam circa particularia exercendam habemus, sensuumque ideo vi nixi, alio quodam modo ad actiones nostras recipimus: ita hoc quoque loco diuisionem partium cœli exactam, subiectasq; partibus his orbis terræ Plagas, quæ exquisitè mediæ sint, Astronomis relinquemus: nos, si quid nobis aliter dictārit sensus, etiam vt Astronomica ratio aliqua cõtrà stet, semper artificij nostri memores, distributas orbis partes in rem semper nostram vtiliter partiemur: Temperatasq; vocabimus, quæ sensum nobis sui temperatũ exhibent, eo quidẽ, quo suprà diximus, modo: quæque hominum, reliquarumq; animantium genera, bona ex parte attemperatæ cuiusdam conditionis frequenter procreet, vt nec strigosa, nec exucca nimis, sed neq; humore nimio difluẽtia videamus: hominesq; moribus, neq; efferis, neq; effœminatis nimiũ, cæteraq;, quæ paulo antè dicebamus, adsint: ea commodo satis nobis temperamento fuerit regio. Nam, quæ Leones, Tigrides & Elephantes fert, & Basiliscũ, nocentissimaq; genera serpentum, aut quæ lepores, vrsosque, auesque quasdam, quædamq; prætereà animalia immutato colore, villis præ frigore albescentibus, imò plerunq; niues ipsas, quas inter degunt, candore suo prouocantibus, eas quis temperatas dicere audeat? Ducemus igitur ab Oriente in Occidentem lineas parallelas, quę maximam quartæ, quintæq; Plagę partem, includant, in qua, cursu in contrariũ acto, Hispaniæ, Italiæ, Græciæ, Asiæ minoris pars, insulæ Mediterranei omnes, Hippocratis Galeniq; patria, progressisque vltra etiam Persis quæ Auicẽnam tulerit. Vlteriùs autem, quæ circulis ijsdem ambitur Plaga, nobis non erit curæ, quippe nondum satis nobis comperta: quanuis tota ea longitudine, vniuersoq;, qui orbis terrę partẽ hanc circundat, tractu, nisi qua maria, aut paludes, aut montium vastitas, specialisve situs aliquis obstat, sicuti in partibus his, quas modò nominaui, & ad quarum æstimationem, quoniam Parallelo eodem includātur, reliquas deducimus, *simillimum* veri est, ob cœli temperiem, hominum artibus, *ingenijsq; florere regionem*, rerum necessariam copiã affluere: gregibus, armentisque, vbertate ac fœcunditate soli, extentaq; plerunq; camporum planitie abundare, segetibus herbisq;, ac fruticibus, arboribusq; *luxuriantium: ijdem* qui hybernos Soles sentiant campi, æstatis autem caloribus suauissimis auris perflati recreentur, fruges autem edãt temperatissimi generis, vnde animantibus, hominibusq; alimonia eiusdem temperamenti ad corporis, ad ingenij vires, ad sanitatis tutelam collatura semper: nam & vesci omnibus, primùm tellure editis, bonis: deinde animãtibus etiã sui generis optimis, quantum ad alimenti bonitatem conferat, scimus. Atq; hæc sit Aeris optimi, purique conditio, hæ notæ. sic autem intelligenda est Temperies ea, vt æqualiter ab excessu om̃i Veris tãtùm tempore distet, idq; eo adulto tantùm, non inclinãte, aut senescente iam: reliquis autem anni temporibus Regionis eius aerem temperatum accipiemus duntaxat Regionum aliarum respectu, quæ aut ferueant, aut rigeant plùs, quàm temperato temporis eius aeri conueniat: vt, quum Scythiæ Hyemes frigidas, Aethiopiæ autem calidas nimis asserimus, si cum Italię, Græcię've, Hyeme conferantur, eodemq; modo Aestates: Ver quoque ipsum Regionum cæterarum, attemperatioris Regionis Veri collatum, intemperie aliqua præditum procul dubio notabitur.

Hæc tamẽ loca, benigno illo cœli aspectu salubritatẽ puritatemq; aeris nacta, aliqua alia de causa fieri insalubria statim possũt. Præter stagna enim, vt dixi, & paludes, vnde vapores noxij exhalantur, etiam obuersus in partẽ aliquã, in quam non conuenit, aut ventum, locorũ positus, incommodam quamprimùm habitationẽ fecerit, sicuti è diuerso cõmodã delectus cõueniẽter ad habitãdũ locus. de qbus omnibus paulo pòst rectiùs à nobis tractabitur. Nũc intẽperantias Aeris persequamur, quæ ipsæ quoq; vt cogno-

cognoscantur, notis multis non indigent, nempe sensu ab omnibus perceptæ, compertæque. Accedit tamen in iudicando ratio, vt tempora semper temporibus rectè conferantur: neque verò caliditate statim excedere aerem dicamus, si Aestate temperati Veris calores, aut frigidum Hyeme nimis, si eiusdem temporis frigiditatem superet: sed si Hyeme, Aestatéve caloris aut frigoris plus, quàm attẽperatæ regionis hyems æstásve ferat, senserimus, eam demum intemperantiam notabimus. Eademq; obseruabitur ratio in humidi, sicciqúe excessu. Exuperantis tamen caloris notę si quærantur, etiam antequàm horum quicquam circumiecti aeris sensu experiamur, præter manifestissimas, & cuicunque obuias illas, quibus exucca nimis Aethiopum corpora, intortosque illorum crines conspicimus: alibi, quum quasi ambigunt regiones, non longè à medio semotæ, vt facilè generationis principium, arrepto occasionis momento, variare diuersumque ab eo edere possit aer temperamentum, quod vniuersalis alioqui ferre loci natura videatur, dissolutio fuerit corporum, & laxitas quædam, raritasque: auriginosus color, non tam quòd meatuum, cutisq; laxitate ab ambiente aere euocatus foras sanguis exhalet, manente bile non tenui admodùm illa, quàm quòd facillimè ob calores tenuior sanguinis ipsius portio in bilem abeat, imò ob id ipsum iecoris venosique generis totius in calidum vertatur temperatura, quæ bilem biliosumque sanguinem procreare aptissima sit. Idem sicuti sudoris sæpe multum eliciet aer, ita, eademque de causa, quòd huc auertatur materia, minus vrinæ faciet, sitimque augebit: ideoque appetentiæ quoque semper minus conciliabit, biliosi hi sunt, quos πικροχόλοις vocat Hippocrates, calore natiuo pauco sæpe, vt aduentitio multo, vnde virium plerunq; in his imbecillitas, flatus multi, quos imminutus naturalis calor facit. Cõtrariæ aeris qualitatis cõtraria omia meritò signa: fluidi corporum artus, albescensque color, densior cutis, eoque depilis, distillationũ frequentia, eq; fauciũ, asperæq; arteriæ intemperie tussicula, melior tamen per omnia cócoctio, intrò pulso calore natiuo, itaq; fortiore facto, nisi si tamen tam vehementer plerunq; ingruat frig⁹, vt sicuti inter Lappones, altiùs eo insinuato, quasi victus innatus calor cedat, ac veluti morticinus fiat, sæpeq; vehementia frigoris exustorum color sit. sed nos, vt dixi, hoc loco de temperatiore, mediaque aut non multùm ab hac distante, ferè regione loquimur, in qua tamen aliqua quandoq; de causa excedere tẽperamentũ id aer solitus sit, eousq;, vt diuersi interdũ coloris habitusque, quàm regionis ferre natura posse videatur, homines animantesq; alias ostendat. Nam extremas orbis oras eodẽ semper tenore habitatores repræsentare videmus. neq; enim meliùs quàm colore semper suo Aethiopas iudicamus, sicuti Scythas, & Hyperboreos quosdam suo, quorum sicuti loca, ita distinctæ notis semper suis, proprijsque, naturæ sint. Frigidioris item aeris excessu non magno signum, vrinæ copia, videlicet profuso per hanc, qui aeris caliditate attenuatus in sudorem diluebatur, humore: eademq; propè ratione excremẽtorum alui paucitas, quòd ferè mictio plurima excremẽtis semper alui demat, quodque prætereà hæc adstringens frigus siccet, compresso intestino. Nec dubiũ est, quin ambientis aeris humiditas humectum molleq; corpus reddat: siccum, durumq; siccitas, eadẽq; exucto humore infuscet. Suntq; signa huiusmodi, quę diuersis licet temporibus, exhibere tamen indicium semper sui possint, vt si alio etiam quàm æstatis tempore locorum incolę quorumcunq; affecti ita spectentur, quemadmodum qui aerem calidum inhabitant, ambientem calidum, locumq; meritò pronũciemus, eodemque modo de frigido, humido, sicco: ne perpetuò expectãdum nobis anni totius temporum iudicium fuerit, cuiusmodi locorum temperies sit, pronunciaturis, sed Hippocratis modo, primore etiam inspectione, diligenti tamen, frigiditatem, caliditatémve aeris, salubritatem, aut secus asserere, indicia, quę dixi, sequuti, possimus. sic quidẽ ille ex rerum harum consideratione, locorum situ, in quem quæq; ventum obuersa iaceant, Solis, Syderumq; aspectu, & huiusmodi, non solùm aeris qualitates, verùm etiam incolarum mores, instituta, morbos, qui quoquo cõtingere inibi tẽpore soleãt, vaticinatus est, vt nobis eodẽ pacto liceat in contrariũ licèt acta quasiq; cõuersa ratione, ex effectibus sæpe aerẽ, cuiusmodi sit, rectè diuinâsse, eque inhabitantium in rebus hisce diuersitate aeris vnà etiam diuersitatem collegisse quamprimùm: cõiuncta enim hæc inter se esse reperientur necessariò, vt hos, illósve, locorum semper varietas, homines ferat pro cœli, aerisque varietate, hique ideo, illive, diuersi ambientis nos aeris indicio sint. Hinc illa argumentatio: Duris genuit te cautibus horrens Caucasus, Hyrcanæ tigres, & inhospita Syrtis. Hinc placidiorum morum mortales, stabili firmoque iudicio, pacis amantes, benè habitos, proceros Asianos Hippocrates censet: efferis autem moribus, ac bellatores magis, compactis, duratisque corporibus Europæos, interque hos alios alijs

magis:

magis: rurſus craſſa, obeſaque valdè, ac vaſta corpora, ſegnia, palleſcentia, membrorum articulis non extantibus, ocultatis venis, voce graui, raucaque, aerem indicare, qualis ad Phaſim, humidum plùs iuſto, calideque arbitratur, ſtagnanteſque, ac paluſtres aquas quę, Solis ſępe calore putreſcãt, auraſque emittant putreſcibili facilè qualitate aerem replẽtes, auſtrinis perpetuò ferè flatibus, raro aquilonibus, hiſq; minimè vehementibus perflatum. Contrà, benè colorata, beneque habita corpora quũ conſpexerimus, agilia, laborum, puluerisq; ac Solis patientia, ambientis ſiccitatem cum calore arguemus. Eodemque modo argumenta ex his, in reliquas qualitatum harum compoſitiones deducemus: omnino nanque vel calidũ, vel frigidum, vel humidũ, vel ſiccum ambientem aerem oſtenderint, vel compoſitum ex his. Nam & craſſus, turbidúſve qui habetur aer diciturque, nubiloſus item, corruptus quoque, & huiuſmodi, non aliter quàm qualitatibus his cẽſendi ſemper venient: craſſus, qui humoris multum, eiuſque denſi per totum obtineat, viſioniſque proſpectum plerunq; adimat, ne aut ſtellas minutiores illas cernere poſſimus, aut tanquam infuſcatus earum ſplendor appareat: turbidus, is potiùs fuerit, in quo partes craſſiores multæ humore ſuo conſtantes, ventis turbulentis inter ſerenum agitentur, nõ reſes prorſus, vt craſſus, qui torpente à ventis cœlo fiat, ideoq; turbidus ſicci aliquid obtinebit, craſſus, vdus quoque totus fuerit, cum calore ferè, ſed & cum frigore interdum tamen, quo propè modo pluuium aerem humectum ſemper, calidum modò, modò frigidũ experimur, vnde ſanè fiat, vt futuras pluuias aeris craſſities hæc ſemper ferè præcedat. Iam de peſtilenti commoda quidem non poteſt hoc loco iuſtaq; ſatis inſtitui diſputatio, at dici illud poteſt, quod rem hanc adſtruat, quam aſſerimus, humiditate eum procul dubio nimia, caliditateq; vnà conſtare, naturali pauciſſima nullàve, extranea autem plurima: in quo ita victus naturæ ordo ceſſerit, vt, qui omnia fouet, humidoq; ipſe fouetur natiuo ſuo cognatoq;, nimietate quadam deſtructo hoc ipſo humore, vnà ſtatim abiens diſcedat calor naturalis, deperditoq; ita naturæ ordine lege ſua progredientis, pro hac præternaturalem relinquat inuehendę putrefactionis vim. Atque hæc ſint ferè aeris diſcrimina, tẽperati, calidi, frigidi, humidi, ſicci, craſſi, turbidi, peſtilentis, compoſitorumq; ex his. Corrupti autem ſigna, quæ caloris atq; humoris nimij ſunt, qualia propè Phaſianici cœli apud Hippocratem, eadem aucta peſtilentem quoque indicarint: quippe qui à corrupto, niſi putrefactionis maioris acceſſione, diuerſus non ſit. Itaque triſtem ſemper huius faciem videmus, obſcuram, obſcuroque ac caliginoſo Sydera, Solemque, lumine: nullo ventorum flatu, aut peſtifero, quaſique tacitum, ac ſilentem circum aera, immotumque, qua rerum deſidia, vel fruges, arboreſque ſæpe ipſæ torpeant, animalia periclitentur, piſcibus quoq; ipſis malo hoc interdum correptis, mortuiſque illis aquæ innatantibus, aut in littus proiectis, quod tamẽ genus animantium omnium minimè natura peſtilitati obnoxium fecerat, ſed ſiue infectis aquis, ſiue, qui ſub aquis latitare ſolitus eſt, ſuperioris cœli contagium ſentiente aere, & hi agminatim quandoque perijſſe viſi ſunt: & ſubterranea animalia ſcimus mures, talpas, ſerpentes, noxiæ rei ſenſu, relictis latibulis ſuis vertiſſe ſępe ſolum, liberiore aere quæſito, quum ſubterraneus, & ſubaquaneus, vtpote concluſus magis factus, ea de cauſa corruptionem quoque faciliùs ſentiat, imò corruptior ipſe, ac putrefactior factus, exhalatione tandem aliqua proximum ſemper inficere, infectionemq; eam latiſſimè in ambientem transfundere conſueuerit, vnde Authores multi magnique ſint, terræmotus maximos, ingentem olim, neque id tamen ſemel, inſequutam peſtilentiam fuiſſe, diu inter ima telluris incluſo priùs peſtifero vapore tum demum ita tranſmiſſo. Verùm hoc loco ex ambiente tantummodo peſtilentis aeris notas ducimus, qui tamen ipſe, vt dictum antea fuit, ſicuti alijs de cauſis, ita ex ſubterraneo vapore putrefactionis multum referẽte, originem ſæpe trahat, vbi præſertim lentus quidam, viſciduſque fuerit vapor, qui haud ita facilè diſcutiatur, & modò inferiùs circum nos ſubſiſtẽs craſſum, fuſcumque aerem reddat, expoſitaſque res mucore facilè, ſituque obducat, ac putrilagine veſtes, lintea, panem: modò in ſublime auolans, ſecumque vnà lentorem illum deferens, crebras, quod in oſtentum ſæpe vulgus verterit, ſupernè ſcintillationes, micanteſq; ac cadentiũ imagine diſcurrentes ſtellas faciat, Cometas, Trabes, & id genus, lenti omnia vaporis è terris ſublati, vnde hæc procreentur, durentque, ſigna. Qui ſi, lentus, vt dixi, primùm, tenaxque, ac craſſus, exuſtionis deinde principiũ accipiat, inficit aerem, fuſcumque eum ac puluerulentum reddit: quo tempore tanquam obſcura primò vbique caligine obductũ cœlum, mox & incenſas veluti faces illas conſpicamur: vt hac quidem ratione priores notæ ſint humoris: tum deinde ſequantur eiuſdem vſtulati, vrique incepti, at non abſumpti tamen, indicia. Efficaciaq; ob id

ſemper id fiat maiore, cùm ad generanda, tum ad propaganda peſtis, protrahendaq; diu ſeminaria. Ex quo minimè malè opinati ſint, qui humidæ diu conſtitutioni, ac pluuijs tempeſtatibus ſuccedẽtes deinceps calores, inæqualiaque ita tempora, vt viciſſim paulo diuturnior anteà humor ſuperueniẽte calore efferueſcat, rurſusq; ac rurſus efferuens, humore nouo ad corruptionem alatur, aeris cauſam eſſe vnà ac ſignum putredinoſi dixerunt. Faciunt cuncta hæc aeris diſcrimina, cùm per ſe quædam, tum potiſſimùm ſi in vnum cõueniant multa, Regio, locorum poſitiones, anni tempora, ambientis cõſtitutio. De quibus, quoniam quidem dictum in vniuerſum eſt, quum regionum differentias tractauimus, dicendum ſingillatim de reliquorum vnoquoque reſtat: ſumemus autem initium à poſitu.

Quæ poſitum primum terrarum faciant, & Orientis bonitas: caua, depreſſaq; loca, edita, & in ſublimi, quem aerem ſentiant: Montium, ac conuallium ſitus cuiuſmodi. Diuerſæ mũdi plagæ quos ventos mittant. Tum de maris, & lacuum vicinitate: de terreni differentijs, quantum ad locorum poſitum attinet.

CAPVT III.



Epetẽdum illud priùs, quod anteà quoq; ſtatuimus, Regiones temperatas, ſi ſenſum conſulimus, Quartæ, Quintæq; Plagæ habendas eſſe: vltra autem citraq; intemperie notari caloris ac frigoris, humoris ac ſiccitatis omnes: eandemq; vbiq; ſeruari per parallelos eoſdem temperamẽti rationem ambita circũquaq; terra. Alijs autem aliter viſum exiſtimantibus, quo in oriẽtem Solem flectamur magis via, ſic immutari temperamentum, Soliſq; orientis beneficio, qui vitales è terra, marique, poſt humidæ noctis tẽpus, attemperatasq; optimè auras, ac vapores in aerẽ tollat, miram cœli temperiem fieri, eq; hac lætiora, maioraque ac vberiora prouenire omnia. Id quidem, ſi Circulum Meridionalem vnumquemq; obſeruârimus, vnaq; Finitorem, veriſſimũ ſit, vt qua parte Orientem aſpicimus, niſi qua alia obſtiterint, de quibus poſteà, inde ſalubritatem quoq; cœli maiorem expectemus. Semper etenim, vt in alijs omnibus experimur, quæ quidẽ vſui nobis, aut bono alicui futura ſint, vt orientia ea primùm, atque inde augeſcentia, quaſiq; iuueneſcentia, lætiora, gratioraque nec ſanè minùs vtilia nobis contingant: ita hîc quoq; fiet, vt maiorem ex Solis ortu, aſcenſuq; eius, quàm ex inclinatiõe, occaſuq;, cùm voluptatẽ, tum vſum etiam ſentiamus, ſiue ea renaſcẽtis diei gratia ſit, ſiue tum primùm, poſt captatã ſomno noctis quietem, inſtauratoſque ita ac refectos viribus ſuis artus, alacres operibus factitãdis accingimur, in quo melior vitæ demũ noſtræ ſita ſit cõditio, hocq; pacto diei nobis vita cuiuſq; renaſcens, adoleſcensque gratior, potiorq; ſeneſcente atq; occidente futura ſit: ſiue etiam exhauſtum pridie humorẽ frigiditate atq; humiditate ſua quũ nox repoſuerit, tẽperiemq; ita fecerit, eam nos ſuperueniẽte nouo, eoq; miti, placidoque Solis calore, gratiſſimã manè excipim⁹, talemq; ſentimus, donec cœli iam medium occupante Sole, & alterum aeris ſpatium percurrente, abſumpto ita, qui æquabilem priùs temperiem faciebat, humore, iterum ſicceſcant omnia. At hoc quidem commune terræ poſitionibus omnibus futurũ ſit parallelis eiuſdem contentæ: quocunque enim in loco, modò tractus cõtinuè idem linearum ſeruetur, commoda ſemper ſequentur eadem omnino, atq; incommoda, vtiq; quod ad rationem hanc orientis, occidentiſq; Solis attinet. Non ignoramus autẽ Orientis atq; Occidẽtis terminos quoſdã ſtatui ſolere, ducto per Fortunatas inſulas (quæ Canariæ nobis ſunt, Caputque Viride, quod appellatur) meridiano circulo: ſed hoc voluntate potiùs ita diſtinguentium factum eſt. Nos rei naturam meliùs, opinor, ſequuti, atq; ad vſum noſtrũ commodiùs, Orientem atq; Occidentẽ habitatæ terræ omni conſtituemus, rationẽq; meritò ita ſeruabimus eandem vbiq;. Nam ſi quid diuerſi accidat, id ſanè alterius cuiuſdam rei ratione fiet, vt Aethiopas ſub eodẽ parallelo, nuſquam, quàm in Aethiopia, alibi videmus, neq; ſi ad Orientẽ, neq; verò ſi ad Occidentẽ ab hoc diſcedas, quod non tam cœli Aſpectus, quàm terrarum Situs priuatus quidam, naturaq; faciat. Auct⁹ enim inſigniter hinc (ex Situ dico huiuſmodi, locorumq; natura) calor exurere facilè corpora illorũ poteſt, vt, quoniam, præter moram, quam diutiùs ibi quàm ſub Aequinoctiali trahit Sol, radiorumque vim non ſanè admodum obtuſorum, obuerſus inſurgentem, dieiq; medium peragentem Solem regionis ſitus peculiaris acceſſerit, eiusque arenoſæ, quæ ſabuloſo ſolo cõceptum calorem diutiſſimè retineat, iam haud ſanè eſſe mirum debeat, ſiquidem regionem eiuſmodi inhabitantiũ corpora exuſta, exuccaque reddantur, (quod nihilominùs ſub eodẽ licèt parallelo fieri alibi non videmus) vt certiſſimũ ſit, locorũ potiſſimùm poſitu id fieri, naturaq; quadam. Atque his ferè, vt rem ipſam tractemus, continetur locorum Situs, ac natura, cœli

primùm,

primùm, quod diximus, aspectu communi magis, tum proprio, & Terreni proprietate. Ac cœlum quidē ex distātia potissimùm cōsideratur, ab Aequinoctiali circulo, siue etiam Cācri Tropico apud nos: à quo, quò magis recesserit, cui nos subiacemus, cœlū, sic min⁹ inde semper nos minusq; vrimur, Latitudinem vocant: cui si prætereà stellarum aliqua addatur, sub qua percurrat Sol, caloribus frigoribúsve faciēdis accommoda, ita æstus proculdubio frigoráve ciere, maiora quoq; soleat. Terræ autē Situs proprius magis in eo versatur inprimis, edita ne ea sit, an humilis, quando edita pluscullum semper frigoris, sicut humilis caloris exhibeat. Hæc nanq; ferè montiū est, quas venti assiduè propè perflent: illa conuallium, in quibus Solis radiorum repercussione citiùs, vehementiusq; tangamur: ac, si vel mediam transuersam secet vallem, vel in longum percurrat Sol, collecta radiorū vis semper in transuerso bis ingruat, percussaq; directè manè, ac vesperi oppositorum mōtium facie, ac rursus meridie conuallibus imis incumbens, ingentes meritò, quasiq; suffocātes æstus excitat: at per longum acta vis eadem in vnū, toto diei tempore, vires suas collectas effundit, vnde lōgè semper maior, quàm in protensa vndequaq; planitie, aut in montium vertice, vel prope verticem, calor, quippe quò cùm retusior perueniat radiorū vis, tum verò vbi liberiores venti expatiētur. Eadem spectabitur ratio maioris Regionis alicuius in multū spatij cauæ, vt cauam olim Syriam appellàrunt κοίλην: aut è diuerso editioris, vt hodie Bohœmiæ partem videmus magnam, quā ob hoc ipsum, nempe quòd Regio ea velut in altum extuberet tota propè, miram incolumitatem cunctis animantib⁹ afferre videas, vsq; adeò quidē, vt, quod in vicina, iuxtaq; Septentrionali regione non fit, multa Incolarum in victu errata edacium maximè, bibaciumque, cœli bonitate corrigi, atq; etiā sæpe superari animaduertas. Pestilentis autem si quid ingruit, (quod necessarium ferè fit in rerum plurimarum immunditie magna, hominumq; colluuie, periculosè quoquomodo ægrotantium, aut contagiosis morbis correptorum nullo pacto cōsuetudinem vitātium, suffocatoq;, atq; eo calido humidoq; hyeme vaporariorum, in quibus cibū, potum, somnum plerunq; capiunt, aere: moxque eodem, ob egressum ex hypocaustis in frigus crebrum, inæquali valde) nec in nimis tamē intereà multos malum id deriuatum grassetur, nec contumaciter valdè serpens duret, ac sæpius nullis adhibitis remedijs, quo maximè tempore, sumptis in maius viribus, tam atrocis morbi sæuities timenda fuerat, nulla vel leni saltem facta corruptioris cœli restitutione, non emundatis, repurgatísve domibus, de improuiso discussa, collapsaq; tota concidat morbi statim totius vis: quod haud dubiè ambientis aeris beneficio cōtingit, qui aut corruptionē nō admittat, aut admissam, reiectā quamprimùm respuat, particularibusq; mortalium multorū eodem modo cōtagionibus purior semper resistat. hanc porrò puritatem cùm alia largiri quædam posse non negauerim, tum verò inprimis contenderim regionis, vt diximus, editioris natura id fieri, vti dissipata auolent malorū plurimorum seminaria, ventorum vi aut aeris circunuolutione quadam, quæ excelsa maximè attingat, acta: atq; hęc excelsæ humilisve inhabitationis cōmoda incommodáve sint, quod montium altitudo ex parte, aut depressi campi faciāt. Nam alia quadam de causa montium eorundem Positus multū addere locis bonitatis, ac vitij (quod quidem ad aerē attinet) possunt. Nam, qui ad radicem mōtis alicuius in Meridiem, Orientém reobuersi habitatiōes suas posuêre, procul dubio calores maiores sentient, quàm si Ortū Meridiém ve mōs defendat, Septentriones autem aperiat, & Occasum: ibi nāq; matutinis primùm radijs exceptis, insurgentis paulatim deinde Solis sub meridiem vim radiorū retrocessu sentiēt, hîc absumpta meliore ꝓpè diei parte sine Sole, qui viuificum rebus calorem adfert, inclinantis iam, cū viribus vnà suis, syderis fomentum vix persentiscēt: frigidior autem intereà Septentrionis ibi vis velut obice montis exclusa iacebit prorsus, hîc dominans vigebit: atq; ita quum calorem ibi inprimis producens causa adsit, frigus autem faciens absit, hîc autem è diuerso potiores frigoris quàm caloris causæ numerentur: expectandi nobis ingentes quidam ibi calores erunt, sicuti hîc frigora. Illud enim hoc loco notâsse non inconuenit, potissimam semper, quod ad Positum attinet, habendam caloris causam esse Meridiem, Orientem alteram: sicuti è contrario frigoris Septentriones, tum deinde Occidentē. Cōuenientibus igitur in vnum calorificis vna alteráve causis, si præterea quæ frigus gignūt nullæ fuerint, caloris erit effectus magnus necessariò. Eodem modo eadem oppositis adhibetur ratio, proque eo, ac solæ aut coniunctæ, aut diuersæ, contrariæ ve aderūt, aberúntve causæ, ita (qđ ad rē hāc attinet) de calore semper, ac frigore iudiciū feremus. Idem montium Situs tueri loca à ventorū quorūdam flatu poterit, rursusq; exposita alteri faciet, proq; eo diuersè iuxta ventorum flantium naturā æstus, aut frigus inuehet: vt si Boream arceat, admittat

 Austrum,

Austrum, aut Occidentales flatus prohibeat, Orientales suscipiat: atq; eadē propè ratione pluuias inducat, aut siccitatem faciat, quandoquidem montem esse scripserit Theophrastus cuius ex altera parte frequentissimæ pluuiæ ingruant, altera intereà nil sentiēte tale. Sæpenumero autem quum perflata ventis loca in edito semper magis posita sint, quàm plana, interim tamen ad radicem montis sita nonnulla ingruentibus eò flatibus multis, neq; liberiorem progressum inuenientibus, ideoq; vehementiùs retroactis infestantur: quòd si oppositis aliquando exaduersum montiū verticibus claudatur, inclusus ita ventus, dum per angustum eluctatur, sæuior, concitatiorq; feretur: vt flumina quoq; ipsa videmus, quo adstrictiore alueo deferuntur, impetu sonituq; sæpe maiori deferri.

Enimuero ventorum natura mūdi partium, vnde flant, naturam retulerint, nisi quid, quod hoc ipsum immutare possit, accesserit aliud: ac quicunq; meridionales fuerint, calidos & humidos habebimus, ꝙ ea mundi pars temperamēto tali censeatur: Septentrionales, frigidos siccosq; eadem de causa: temperatiores Orientales, itidemq; Occidentales, nisi quòd humidi magis hi, sicuti licciores illi: neq; enim vergens in occasum Sol, tantum, quātum quum se paulatim altiùs euehit, siccare poterit: simul illud accedit, quòd contrà quàm Orientales, qui Soli fere obsecundantes, eandēq; viam ingressi ab Ortu ferūtur in Occasum, hi in contrariū potiùs acti, siquidem attingere nos debent, velut opposito motu, quàm quo Sol progreditur, diuersi ad nos cōtendunt: quumq; propterea (non enim quum pergant, vinci se facilè patiuntur à Sole) minùs quoq; dissipentur eo, plusculum ita secum ad nos humiditatis adferent. Iccirco contraria omnia in contrarijs, quos nimirum Oriens nobis efflat: sed neque id non etiam humiditatē Occidentalium iuuerit, ꝙ longiùs prouecti, ingentia maris ęquora verrentes transeunt: mare autem salsum quanuis, aquæ tamen locum sortitum, humectum facit: ac vespera statim superueniente, noctisq; humorem ciēte, augetur humor: ex Oriente verò longissimus ad nos terrarum tractus, quarum, percursu Solis, dieique meliore ac calidiore parte, siccatarum, plurimū trahere secum siccioris exhalationis venti soleant, non secus atque ab Aquilone quum flant, quòd per loca deferantur niuosa geluq; sępe durata, vbi deficiente calore exhalatio pauca, atq; ea siccior gignitur, frigidi siccique sentiuntur. Contrà autem de Meridie missi, quoniam vastum ibi mare, vastæq; sæpe paludes occurrunt, vnde exhalatio plurima, vdaque: Solisq; ibidem præpotens vis, ob quam exhalati vapores multi excitentur, nec dissipari tamē ob multitudinē possint, sed per tantum terrarū veluti cumulatim congesti ad nos ferantur, meritò caloris humorisq; dominio excellent, vnde laxitas, ac resolutio quædam corporibus: sicuti à contrarijs adstrictio, firmitasq; eueniat. Quæ quidem dicta intelligi cuncta volumus, de longissimè, & ex quatuor, quas modò nominauimus, orbis totius partibus flātibus huc ventis. Contingere tamen nōnunquam videmus, vt regionum multarum incolæ venti, ortu nō procul inde suo, priuatoq;, principalium vētorum victam, immutatámve excludant naturam: nec factu impossibile erit, quin coorto interdum, (quacūq; tandem id de causa fiat) qui nullus priùs fuerat, vento, duranteq; eo, locorū natura variet. Cuius sanè rei exemplum quādoq; attulit Theophrastus, Idææ, opinor, regiōis: cuius partem, infestior ignoti, insolitique, venti vis exorta, duransq; loci cultores, ad aliò tandem transmigrandū coegerit: atq; vt hoc interdum fit, sic illud frequētiùs experimur, vt à Septentrione loca calido aliquo vapore exusta, fumidaque, aut subterraneam de se exhalationem in ventum coactam, calidamque mittant ipsa: aut exortos aliunde flatus, proximeq; sibi transmissos inficere qualitate sua perquàm facilè, naturamq; hanc suam alia in loca aduentitiam deferre possint: quo etiam propè modo, ninguidi à meridie montes aut eflare ipsi frigidiores auras, aut aliunde emissas vel frigidas efficere, vel frigiditatem earum iuuare, locisque plerunque alijs qualitates suas inferre consueuerunt.

Maris autē vicinitas, lacuumque, (quoniam hoc quoq; ad locorū Situm pertinet) humiditatem dubio procul faciet: de suo enim addere hoc facilè solet aqueꝰ humor, etiam marinus, qui salsus licèt sit, eoq; siccare magis, quàm humectum facere deberet, vapores nihilominùs inde, tanquam ex proprio aquei Elementi loco resilientes, humidi potiùs omnes sunt: locique vastitas facit, vti, quod salsi inest, humiditate maiore retusum, imbecilliùs omnino agat, simul, vtpote terreum magis, subsidet totum, id neque se attollere altiùs valet: contrà verò aquę marinę vsu corpora, siue illi innatent, siue quoquomodo aliter eam adhibeant, siccitatem euidenter sentiūt: substantiæ enim tangentis vim experiuntur tunc, cui quum ob salis naturam siccādi facultas insit, paulo diuturniore contactu eius siccescēt meritò. At ambiens aer, quippe qui superficiem propè vnā tangit, neq; se altiùs immiscet, exhalatam tātummodo humiditatē accipiet humescetq; inde haud

diffi-

difficulter, vnde etiam proxima quæq; loca qualitate eadem affici consueuerũt: idq; etiamnũ magis, si à Meridie positus lacus, maréve assiduam flantibus inde ventis humiditatis materiam suggerat: atq; idem in Oriẽtem pars versa faciet, si lacus idem aut mare subsit, contrà quàm vbi longus terrarum tractus intersit eadẽ hac in parte, hinc enim ingruẽte in partes eas Sole vehementiore semper in horas, siccitas maior proueniat. At Sol idem, aqueam propiùs materiam exoriens nactus, seseq; magis subinde, magisq; attollens euaporata de superficie eius humiditate, eandem hanc facilè inducere in loca, quocunq; tendat, poterit. qua sanè de causa ab Oriente aqueum Elementum, longè quàm ab Occidẽte magis, humorem inferre locis cõsueuit, propterea quòd inde cum Sole vnà inuehatur huc humor oriente, cumq; eo hinc idẽ ille auehatur occidente, nisi Occidentalium ventorum vis, vt paulo antè monuimus, vehementiùs ingruens oppositum Solis radiorum cursum eum carperet, sed nos de positu tantùm aquarum hîc agimus. A Septentrione autem sine dubio aquarum Situs frigiditatem fecerit, quòd coorti inde venti ingenito aquarum frigori suum adijciant, maiusq; ideò id reddant.

Atq; hæc omnia vicinarum aquarum ratione lata in planitie fiunt: quòd si montes prætereà accesserint, diuersum locorum situm occupantes, vt alibi augere, sic imminuere alibi locorũ conditionem hanc poterunt. etenim retrò positi, vt à tergo obiectam mundi partem arceãt, illatam semper aeris qualitatem auxerint, prohibitione ne vlteriùs ea tendat, tum verò obice hoc inuento, retrocessione, suiq; ita collectione etiam maiore. itaq; & Auster calidior tunc humidiorq;, quàm in aperto aliâs campo, pariterq; Oriens aut flans ab Oriente vẽtus, qua modò dicebamus, ratione, priuata nimirũ hac, quæ de montiũ oppositione est: nam cõmuni magis illa, quum de vniuersi partibus disputaremus, sicciorẽ meritò fecimus: siccior q; ob idem id Occidens, vt Septentrio frigidior inueniẽtur, quoties videlicet obicibꝰ montiũ impediti sese quasi colligentes, vires quoq; suas maiores ita exerũt naturæ eius venti, quũ intereà alia ex parte obiectu sæpe suo montes ingruentiũ ventorũ vim retusam coerceant, noxamq; ita auferãt, vt & vsum interdum aliquem. Nec dissimili ꝓrsus ratione Galenus Thraciæ, frigidæ quippe Regionis, obuersa ad mare, depressaq; paulo magis loca Temperamẽto calidiora facit: depressa nanq; accipiunt Solẽ à Meridie in quem vergũt: contrà Aegypti Lybiæq; eiusdem conditionis loca, nempe maritima, in Boreã versa, ventisq; ideò Aquilonaribus exposita, frigida magis omino, q̃ interiora Lybiæ aut Aegypti esse deprehendentur. Quod quidẽ ventorum tantùm eiusmodi beneficio cõtingat, locorumq; positionibus. Nam aliâs littora maris per se omnia calidiora semper cẽsentur, ea, vt quidã existimâsse visi sunt, ratione, quòd solares radij latis spatiosisq; æquoribus incumbentes primò, marinæ aquæ frigiditate statim retropulsi, quasi collectis in vnũ viribus, valentiùs dein littoribus semper incumbat. Sed hoc, vt diximꝰ, peculiaris sæpe ratio aliqua aufert, quũ aut auersus Sol, aut flantes vehemẽtiùs alicũde Septentrionales venti, frigiditatẽ inuexerint. Pertinet aũt ad terrarũ Situm etiam, qua terrenum quodq; prȩditũ natura sit, glareosũm ne, an cœnosum: saxosum, an arenosum: macrũ, aut pingue: spissum, an solutum: metalliferum, an rerũ harũ sterile, quòd terreni differentias hasce omnes, aeris quoque diuersitas necessariò semper quædã sequatur. Iam præter superiùs dicta Positionum, de rebus his, discrimina, retulerit, campine sint, an colles, mõtesve, qui inhabitẽtur: idq; an perlibrata camporum planities, an exiguè potiùs prona: colles, montesq; mollitérne, an arduè assurgant: asperi, an placidi sint: nemorosi, an herbidi. Quorũ singula, vt dixi, cõiunctaq;, vnà quædã, pluráve, quas συζυγίας Græci appellant, humidũ, siccúmve calidũ, aut frigidũ ambientẽ aerem cõstituerint: neq; enim dubium esse potest, quin macrũ, solutumq;, arenosum, an glareosum quadantenus inter se diuersa, siccum aerẽ: contraria autem humidũ reddant: eademq; hæc cœnosum nimirum, pingueq; ac spissum, quȩ macro, solutoq; ac glareoso contraria sunt, adaucta, etiam extraneo sæpe fœtore corruptũ, vt nemora quoq; sæpe, & metallorum fossiones, quorum vicinitate scimus oppida plerunq; vrbesq; malè affectas morborum quorundã generibus quotannis expositas, infestari præ alijs facillimè solere: atq; adeò intra mœnia quandoq; vrbis ipsa, corti adiunctum viridarium, inq; eo ex buxeæ syluulæ materia topiarium opus, inhabitãtes propè valetudine sæpe tentauit, i; sdẽ ablatis inuecta statim incolumitas. Quid autẽ attinuerit dicere de metallis? quæ mephitim per se virosam exhalẽt omnia, tum verò inspiratu attractus ex locis, vbi Argentũ Viuum cõfit, aer, Attonitum quandoque morbum, sæpius verò neruorum attulerit Resolutionem. Quæ quanquam referri ad locorum potiùs situm debeant, vt quæ antea quoq; retulimus, certum tamen esse potest, etiam terreni, quod inhabitãtes calcamus, duci ex his discrimina posse, vnde laudatus, illaudatúsve aer existat, atque hæc

intereà nihilo tñ ſecius ad locorũ poſitionẽ ſpectabũt cũcta, quã hactenus tractauimus.

Temporum anni temperamenta, eorumq́; per dies menſium quoſdam ſtatos, diſtinctio.

CAPVT IIII.



Vnc de Anni temporibus diſſerendũ, vnde vſitatiſſimè circũambientis trahi, idq; meritò, differẽtiæ cõſueuerint. Idem enim Sol, q̃ acceſſu ad nos ſuo, & receſſu, rerum vnà ſecum plurimarũ genitalẽ vim adfert, rurſusq́; aufert, anni quoq; tempora eadẽ hæc diuerſa facit. Ac quãuis alij aliter idipſum hoc acceperint, decurſum tamẽ Solis, quo, veſtigijs ijſdem ad caput ſemper recurrens, duodecim illa Zodiaci Signa, anni totius reuolutione permeat, quatuor hęc efficere anni tempora omnes cenſuerũt, Aſtrologi largiùs, Medici preſſiùs: ſiquidẽ hi, diuiſo per quadrantes circulo quatuorq́; his conſtitutis, quatuor itidẽ Anni tempora ab harum cõfici ſingulis arbitrati ſunt, vt initio ab Ariete ſumpto, decurſoq́; Signorũ triũ ſpatio, Ver: eodẽq́; modo inſequentiũ triũ Aeſtas: itẽq́; triũ Autumn⁹: poſtremò, eadẽ ſeruata ratione, confectis omniũ nouiſſimis trib⁹ ſpatijs ſuccedẽs abſolueretur Hyems. At nos, ad vſum quidẽ noſtrum aliter: temperiẽ enim potiùs aeris ſequimur, quæ ſi eiuſmodi fuerit, vt nec prę frigore algeamus, nec præ calore ſudemus, temperamentum id Verni eſſe temporis credemus: ꝙ ſi caloris tantum ſentiamus, quo ſudores de corpore facilè eliciantur, (caloris tantùm cauſa, nõ aũt humoris nimij, aut rarefactæ plùs iuſto cutis, nam id in Vere quoq; freqũeter euenit) euentilariq́; ideo paulo plùs ſolito poſtulet innatus calor noſter, pro Aeſtate habebimus: rurſus pro Hyeme, quũ frigoris diſcutere moleſtiã caloris alicuius beneficio tentamus: Autumni item bonam partem temperatã propè, vti Veris, experimur, quod quidẽ ad caloris & frigoris mediocritatẽ attineat, niſi ſiccitatis natura accederet, quę intemperatũ reddit, quę quũ naturalis tẽpori huic ſit, tum verò præcedentis Aeſtatis ſiccitatibus adiuuetur, non peręquè deduci ad tẽperiem poteſt, vt quidem nimium Hyemis humorẽ attemperari ſuperuenientis mediocris Verni temporis caloribus, vt temperatũ Ver exiſtat, cõſpicimus. Plurimùm aũt quoq; retulerit, accedẽnsne ad nos Sol, quod Vere fit, auras nobis ſecũ genitales, quæ mediocri calore humoreq́; conſtent, afferat: an recedens, vt in Autumno, frigiditatẽ ac ſiccitatẽ aduerſiſſimas nobis inuehat. Sed & inæqualitas addita Autumno, qua manè veſperaq́; ſæpe frigent, incaleſcit meridies, nõ iniuria intemperatũ facit: perſuadereq́; nobis idem hoc poterit, temperiem quamcũq; tandem Autumno tribuamus, eam temperamento quodã, ex diuerſis potiùs diei partibus reſiliente, conſtare, vt matutinũ, veſpertinũq́; frigus meridiei calore, calorq́; rurſus is, frigoribus illis, velut refectus attẽperetur, diuerſoq́; id horarum ſpatio fiat, ſuccedentibus ſibi inuicem his, mutuoq́; alternãtibus, vnde mixti ex calore ac frigore Autumni dies habeãtur, ſed variatis temporibus, nõ, vt in verna temperie, quæ coeũtibus prorſus in vnum his, infractisq́; ita, vt iuſtũ demum horis ijſdem temperamentũ exiſtat, conſtituitur. Atq; hęc ſunt Medicis ita exiſtimata anni tẽpora, temporumq́; vnà temperamenta: neq; aliter ſanè exiſtimare rectè liceat, ſenſu quidem nitẽtibus: vnde illud quoq; natũ ſit præceptum medicum his in rebus, quo admonemur, ne iudiciũ vnquã de anni temporibus feramus, nomina tantũmodo ipſa ſequuti, temperamentiq́; potiùs natura ducamur, Hyeme ipſa vel media plerũq;, aut Aeſtate, Autumnũ cogitaturi, dicturiq́;, ſi in inæqualitatẽ eã incidèrimus: deq́; alijs pariter. neq; enim anni tẽpora nomina vlla facere, ſi hac, illáve voce appellẽtur, ſed temperamentũ potiùs, ſi illiuſmodi id aut alteriuſmodi fuerit.

Pręfigenda tñ regula quędã eſt rebus his, ſicuti in alijs omnibus, q̃ incerta feruntur, quã ſequamur, vt ſi non, quemadmodum Aſtrologi, quadrantes habuerimus, quæ, quæcunq; tandẽ intẽperies in aerẽ ingruat, eadẽ perpetuò nobis, anniuerſaria quadam ratione, anni, ac ſtata propè, tẽpora faciãt: at habeamus tñ, in quo, tanq̃ ad normam, quã maiori ſemper ex parte ſequamur, defigere conſideratione, de anni temporibus cogitantes, poſſimus, à qua ſi aberrandũ interdum nobis fuerit, aliterq́;, quàm tẽpora anni ferant, ſtatuendum, neq; ſtatæ Veris, Aeſtatis, Autumni, Hyemis temperaturę naturaliter procedant, aliò quamprimùm temperamẽti diuerſitatẽ eam trãsferamus, ad ambientis nos Aeris tunc tẽporis conſtitutionem, aliqua alia de cauſa factã, vt vel media plerunq; æſtate autumnũ, autumno ſæpe hyemẽ, ac ſimiliter in reliquis conſtituere medicè nobis liceat. Sequemur autẽ in deſcribendis, recenſendisq́; anni totius temporibus quatuor, ſimulq́; his in alia diducẽdis, ab Authoribus obſeruata, potiſſimùm receptis, idq́; in attemperatis maximè regionibus. Primũ igitur omniũ ducemus initiũ ex Vere: &, quod Platonicorũ quidã contendũt, primum Arietis punctũ occupãſſe Solem, quum mundus inchoaret, id nos ſcilicet naſcẽti quoq; anno tribuemus, Vergilijq́ue ſequemur authoritatem, qui

Non

Non alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies

dixit, nimirum, vernos intelligens. Contingit id hodie, sexto ferè Idus Martias, quę decima Mensis eius dies numeratur, id temporis ad ortum vsque Pleiadum productum Ver nobis absolutū dabit, circa Maij mensis initia Nonarum Maiarum, quo tempore Vergiliæ exoriuntur, quæ Pleiades eædem sunt, inde æstatis initium per triduum ferè, donec apparitio Vergiliarum absoluatur tota, quod triduani spatij tempus est, VIII. VII. VI. Iduū Maiarū, ex quo quidam VII. Idus Maias inchoare Aestatem scripserint, accepto ad id, temporis totius medio: atque ita Ver totum, Medicis quidem, eo tēporis curriculo consummatum perficietur, quod inter diem VI. Idus Martias VIIque Maias continetur: qui menses duo sunt circiter. Hinc progressa Aestas ad Arcturi vsque exortum tendit, quo exoriente, Autumnus statim inchoet: exoritur autem diebus circiter duodecim, Galeno, ante Aequinoctiū Autumnale, quod circa vndecimum Septembris diem peragitur: interuallum hoc quatuor propè mensium habetur, non vt Veris, quod, quoniam ea temporis breuitate variatio insignis nulla ferè sequatur, integrum naturæ suæ relinquitur. Par est autem duę ex Aestatis spatio partes fiant: prior, quæ ab initio illius ducta Idibus Iulij terminetur, quo die Procyon exoritur. Galenum enim libentiùs in hoc sequimur, qui τὸν πρόκυνα, οὐ τὸν κύνα, prioris Aestatis partis finem faciat, vt alterius principiū, quàm eos, qui Solstitio easdem definiant. oritur autem, si Columellam sequimur, Idibus Iulijs, vt diximus, Procyon, qui quidem à Solstitij tempore mense non multò sanè minùs, distat dies. Priorem hanc partem ὥραν appellant Græci, vnde horarios quoque & fugaces fructus, quasi temporarios, nimirum marcescentes citò, nec qui recondi diu ad vsum insequentis temporis possint dixêre: sequentem verò, ad Arcturi vsq; exortum, ὀπώραν nomināt: ac prior quidem Aestatis sibi nomen vendicauit: altera, ὀπώρας nomine meliùs noscetur. Hinc iam Autumnus, quem Arcturi, vti diximus, exortus facit, ad occasum vsque Pleiadum extractus finitur, quo quidem tempore inchoet iam Hyems: occidunt autem ad diem VI. Iduum Nouembrium, decimū, vti nūc numeramus, Nouembris diem: qua propè die Sol, hac nostra tempestate, in Sagittarium transitum faciat. Post quod iam tempus, annus velut ætate iam, tristique vbique canitie confectus, inclinansque magis semper magisque, ad extremum vsque abit, seu potiùs consueto ad initium suum recursu, vereque ἐνιαυτὸς factus, suis nimirum seipsum vestigijs semper persequens, cum Sole rursus, quum is introitum in Arietem primùm facit, ipse met se, tanquam renascens inchoat. Sed enim Hyemis, quæ ipsa senecta sit anni, non vnicū, simplexve tempus est, fuerintque huius, iuxta Galeni quidem, Authorumque, quos sequutus hac in re Galenus videri possit, sententiam, partes hæ: media, quam nos Brumam, Galenus τὸν περὶ τὰς τροπὰς χρόνον vocat: hinc verò atque hinc duæ, quarum, quæ præcedit, σπόρητος: quæ insequitur, φυταλία vocatur: priorem quo reddamus nomine, habemus, sementem enim dicimus, vnde sementinæ feriæ, quibus seminum plurimorum satio peragitur: φυταλίαν quomodo vocemus, non occurrit: continet autem insitionis tempus totum, sed ab Hyemis initio ad Brumam, quæ prima temporis huius pars statuitur, & sementem, vt diximus, facit, dies intercedunt triginta. Bruma altera pars, quam non satis rectè quidam hyemale Solstitium appellant, quòd hoc propriè magis Aestatis sit, incipit ab ingressu in Capricornum Solis, ac in octaua syderis huius parte conficitur: qui quum Columellæ ad VIII. Calen. Ianuar. esset, nobis qui nunc viuimus, quòd hac nostra tempestate celeriùs nobis Bruma ipsa occurrat, ad XIIII. Calend. Ianua. erit. Post quos dies φυταλία succedet: atque ita reuolutus in sese, per hasce temporum vices, annus finietur, septem in totum portionibus distinctus: Veris vna, & item Autumni vna, quæ, quòd concisa magis, & adstricta horum temporum natura sit, simplici discrimine continebuntur, Aestatis duabus, Hyemis autem, quo paulo antè diximus modo, tribus, vt in vniuersum septem sint. Qua in re Astrologorū multorū distinctionē minimè sequendā nobis esse duximus, ꝓpterea quòd eorum ratio nostræ aptari minimè posse videatur rationi, qui ambiētis potiùs nos aeris tēperie aut intemperie Tempora distinguimus, has porrò ortus quidā syderum cum Sole potissimùm faciat, non ante æqualiter in quadrantes Zodiaci partes sectum tempus, eandē ob rem sensu nixi accōmodare potiùs rationibus nostris sentētiā eam debemus, quæ Brumā nō minùs, q̃ Solstitiū, & Aequinoctia ad octauas signorū partes ꝓferat: nō Hipparchi subtilem illā nimis, quæ primis statim Signorū partibus ista cōfici persuadere nobis conatur. Quod si admiserimus Medici, nihil nobis erit Bruma, frustraq; mediā eā Hyemis partē statuem⁹, quę priùs ferè, q̃, qua sit prędita temperie, senserimus, iam abiens periert, cumque ea tuendæ sanitatis vsus totus, ꝓpter quem vnum omnia ista quærimus.

non enim tēpora simpliciter ipsa, sed quo quæque Temperamento constent, (ex hoc enim tandem vtilitas emergit) indagare studium est. Quocirca quum de Vere inquirimus, quod Temperamentum eius sit, inquirimus, deque alijs similiter. Ac Ver quidem temperatum, omniumque medium statuimus, Autumnum inæqualiter temperatum, breuiore, hæc duo, temporis curriculo contenta, ideoque proprium sub extremum vsque seruantia temperamentum. At Aestatem calidam quanuis, & siccam totam, eo quòd tamen euidenter satis Temperamentum in ea variet, dum magis minusque id fit, in duo partimur, obq; idipsum hoc Hyemem in tria. non enim dubium, Caniculares, qui vocantur, dies, vt qui penè flammeo quodam ardore vrgeant, ad priorem Aestatis partem calidissimos esse collatos: vt è diuerso, Brumæ tempore adstricta gelu rigere omnia, ante hanc autem non resolutam quidem ex toto, at sic tamen, vt sationi, pòst verò arborum etiam insitioni ac plantationi, pateat, terram haberi.

De Veris temperamento disputatio: multaq; intereà de generum, specierum, indiuiduorum inter se comparatione: Tum verò explicatior quædam Philosophorum, Medicorumq; super his sententiæ animaduersio.

CAPVT V.

AC, excepto Vere, de reliquorum temperamento non sanè magnopere à quoquam addubitatum hactenus est, quin Autumni inæquales frigiditate tamen quadam & siccitate notarentur: calida & sicca Aestas, frigida & humida Hyems existimarentur. Ver est, quod & olim reuocatum in dubium fuit temperatúmne, an calidum potiùs & humidum habendum esset: nec nunc sanè authores desunt magnæ, in re medica, existimationis, quorumque ex ore ante paucos annos domum se quisque suam, verissimam Medicinæ totius, natiuamque prorsus faciem reportaturum arbitraretur, confluentibus ad frequentissimum Italiæ totius auditorium, vel ex vltima Sarmatia multis, non immeritò. ij quidem receptam iam diu in Scholis Galeni de Veris Temperamento sententiam confutare adducti, tanquam ad expugnandam eam, quantum maximè potuêre, validissimis argumentis annisi sunt: quæ nos sanè quoque producamus hoc loco in medium, vt aut vera rectaque afferentibus meritam fidem adhibeamus, aut secus inuenta si fuerint, quàm antea firmiùs (quippe, examinata ita, perpensaque exactè re omni) sententiam nostram, in qua priùs fuimus, premamus: tuncque demum, (quoniam nihil aliud hoc tempore agimus) quali vtendum nobis sit, ad eum, quem postrema tractatione hac tradendum habemus, vsum, Veris Temperamento sciamus. Sunt autem argumenta, quorum quanquam magna, ac potissima pars multò iam antea, maiorumque nostrorum ætate exarata in Medicorum libris inueniantur, nec indicta priùs prorsus sint, responsumque aliquando tulerint: quia tamen denuo ab his refricantur, tanquam aliqua essent, inuehuntque prætereà in Galenum, quem non imperitum solùm, sed etiam calumniatorem faciant, meritò hoc loco, qui proprius maximè locus est, indagandæ tantummodo Veritati (si quid tamen præstari à nobis ea in re potest) tractabuntur.

Rerum (aiunt) generatio, Vere potissimùm peragitur: porrò autem generatio, vitaque omnium calore constat & humore: ex quo sequi statim volunt, Ver ipsum calidum & humidum esse. Certum prætereà esse affirmant, anni tempori cuique humorem in corpore respondere proportione semper sua quemque: Aestati flauam, atram Autumno bilem, Hyemi pituitam: reliquum esse, vt Veri sanguis assimilatus respondeat, qui quoniam consensu omnium calidus humidusque est, necessariò, quum nulla sit causa, quamobrem in hoc vno deuiet ab alijs ratio, eiusdem inde naturæ effici Ver quoque. Ex sudoribus item, qui Vere plurimi fiant, humiditatem argui Veris existimant, quando caloris id fieri nimietate non possit, quem eo tempore non nimium exuperare ipsi quoque concedant: alterutrius autem semper id causa fieri necessum sit. Ijdem asserere non verentur, sanguineo temperamento præditis insalubre Ver esse: atque hoc illis contingere non alia de causa, quàm quòd caloris humorisque, quod Veri per se insit, additamento, conditionis non diuersæ corpora noxam quamprimùm contrahant, vsque eò, vt nec exactè ratiocinari eo tempore, & furere aliquando dicantur à quibusdam. Illud verò maius, quòd suo ipsius testimonio conficere se posse Galenum credunt, qui pueros dixerit sub finem Veris, Aestatisque initio, meliusculè degere: ob id videlicet, quòd, sicuti medij Veris humiditate nimia tententur, ita tendentis in Aestatem, inchoantisque Aestatis ipsius, siccitate iuuentur.

Postre-

Postremò, multas malasque Ver ipsum quum ægritudines afferat, etiam authore Hippocrate, quî fieri, inquiunt, poterit, temperatum id vt sit anni tempus, quod intemperatioris aeris effectus multò maximos prognat?

Atque ita ferè ratiocinantur, translatis in sua ex superiorum ætatum quarundam scriptura, argumentis. Quæ planè non fuerant hic repetenda à nobis, tractata ab alijs antea, atque etiam responsionibus suis diluta, nisi noua quadam de re hac quæstione percurrenda, ea haberemus, inueniendæ, hoc pacto, meliùs, vel potiùs constituendæ, confirmandæque ita veritatis desiderio ad hoc tracti. Est enim Quæstio, authore M. Tullio, appetitio cognitionis: Quæstionis autem finis, inuentio, qui alibi difficilior, facilior alibi reperiatur: hoc autem loco obuia satis sit, vt, si rem tantùm notemus, quæque de re ipsa prodita à Galeno locis suis sunt, quum calidum & humidum Ver esse affirmantes coarguit, ex rei ab eo determinatione, responsisque, perquàm facilis, veraque patere inde ad hæc, multoque plura his similia argumenta, solutio possit, modò illud pro ὑποθέσει nobis quadam præfigamus, quum qualitatũ nomina in rebus his proferimus, calidum, frigidum, siccum, humidum dicentes, aut coniuncta multimodè hæc, vt calidum & humidum, calidum & siccum, atq; huiusmodi reliqua, cum rerũ semper excessu quodam huiusmodi cuncta, sic quidem simpliciter, & in vniuersum prolata, accipienda esse in mixtis. nam Elementorum qualitates quum nominibus his nuncupamus, summè tales nulla qualitatis alterius mixtura intelligũtur, in mixtis secus. Hæc nanque, sicuti corpora quęcunque, quum calida, aut frigida, & id genus dicimus, quoquomodo exuperare in his qualitates hasce accipimus: hoc autem ipsum multipliciter quum fiat, nam & paruus, & magnus haberi excessus is potest: plurimùm autem semper interfit, hoc, illóve modo fit, nec sanè minùs referat, tradendis præsertim artibus, quæ tradi rectè nisi rerum distinctione non possunt, differentias, quoad eius fieri potest, singulas notâsse: laudemus sanè, quicunque hoc meliùs præstiterunt, Authores: vt in hoc negotio reperias, qui Ver, qui animalium corpora calida & humida affirment: iterum quosdam, qui calore humoreque constare hæc temperato inprimis contendant: hîc statim, nisi interstinguamus, confundemus omnia: magni vtrinque authores, magna, quam adhibere his debeamus, fides: pro eodem, deque eodem dictum, si accipiatur hoc, alterutrius quamprimùm vacillet sententia oportet. Ducamus ex Galeno, imò de rei ipsius natura, differentias: duplicem inprimis esse dicamus in mixtis excessum: alterum, omnium maximè generalem, rerum cunctarum, quæ mistione constent, substantiam comprehendentem: alterum, rerum quarundam collatione talem, magisque particularem. Iuxta prioris significatum rem appellamus calidam, frigidam, humidam, siccam, quoties plures rerum harum inesse mixto portiones videbuntur: vt si, quum octo inesse opus sit calidi frigidique simul portiones, sex septémve calidi, duas autem tantummodo vnámve frigidi reperiamus: dubio procul, calidam rem illam pronunciabimus: itemque de humido, & sicco eodem modo. Qui quidem excessus obuia licèt, ac prima consideratione quadam absolutè accipiendus sit, quippe in vniuersum valde ita prolatus: non effugit tamen, vt Galenus quoque censet, rerum omnino comparationem aliquam. Perquàm necessum enim est, hæc ipsa dicentes, calidum, frigidum, & reliqua, animo statim imaginem rei cuiusdam concipiamus, rerum omnium mediæ, quæque æquis omnium portionibus constet, ad quam, tanquam ad commune maximè genus, rectè commensuratam huiusmodi alia dicantur calida, frigida, humida, sicca. Certior verò omnino, ac manifestior collatio erit, quum primùm à generalissimo penè genere illo Substantiæ corporeæ descendentes, contracta magis quædam conferimus inuicem, iamque non absolutè calidam rem hanc frigidámve pronunciamus: sed calidum potiùs animal, calidum canem, piscem, formicam, plantam, salicem, & huiusmodi. Siccum rursus dicimus os animalis aliquod, rursus equi, canísve os siccum, in quibus omnibus nunc generis, nunc Speciei medium, ad quæ ista dicantur, spectamus: hîc, animalium plantarúmve omnium: ibi, equi, canis, salicum. Eodemque modo de partibus os siccum animalis, frigidum folium plantæ, siccum os equi, folium frigidum salicis: hîc enim siccitatem temperatissimi omnium animalis ossis, hominis puta: & temperatissimæ (quæcunque ea sit) plantæ, tritici fortasse, folij comparatione intelligimus: ibi speciatim proponimus nobis os equi equorum omnium temperatissimi, salicis folium itidem Speciei suę temperatissimę, quorum collatione siccum os, frigidũ folium dicatur. Apertiùs idipsum ac clariùs, tum vero à Sophistarũ cauillationibus, cautiùs, tutiusque, à quibus timendum semper sit, percipietur, voculę vnius ad di-

ad dicta hęc additione, quatenus, si ita pronũciemus: siccũ os canis, quatenus animalis: rursus, siccũ os canis, quatenus canis: quatenus animal siccũ subintelligas animal necesse est, totum hoc canis animal siccum, canis quatenus, canis, siccus: hîc speciem solam mente concipis, totum hoc canis siccus. Salix quatenus planta talis, quatenus salix, talis. Permagni autem interest, vtro tandem accipiamus modo, hoc, illóve: altero enim quatenus animal canis quisque siccus, sicuti salix frigida vnaquæque, quatenus planta: siquidem, sicuti in animãtibus, ita in plantis horum generum medium statuerimus, cuius alia respectu, huius, illiúsve esse modi dicantur: altero autem, qui Speciei medium aspicit, quum pronunciamus modo, siccus canis alius, humidus canis, frigidus itidem, calidus, diuersi tamen: salix frigida, salix calida, diuersę. Vt autem tam generum, quàm Specierum rectè inueniãtur media, spectandæ inprimis dotes, quibus quæque prędita esse conueniat. Hominem credimus, idem quoque opinantibus summis Philosophis, finem esse, quem propter procreatum non solùm animantiũ vnumquodq; genus sit, sed etiam plantæ, mixtaque omnia, quæ inferiore hac mundi parte continentur. Hunc porrò ipsum hominem dico, quoniam ad id potissimùm à natura factus erat, vt ratiocinaretur, vt intelligeret, vt artes exerceret, corporaturæ formam, figuramque, ac statum habere oportuit obeundis rectè his, quem videmus: atque huic componendo, construendoque, illud erat, partium, quas similares vocant, temperamentum necessarium, quo constare instrumentarię partes cunctæ ad actionum suarum vsum commodè possent, nec minùs vtiliter nobiliores illæ, quæ ratiocinandi, & intelligendi sunt, functiones ederentur. Hanc mimirum esse Temperiem qualitatum Elementorum quatuor, exactissimè inter se commixtorũ, æquabilissimam opus fuit, cui tam insignis insideret animæ vis, quæ quum cerebri esse deberet, frigidi quidem illius natura sua, at calorifico tamen sanguinis, qui ex iecore, cordeque calorem ducit, spiritu attemperati, sic ex omnium corporis totius diuersarum quanuis, ac pugnantium quandoque inter se, partium Temperamento, conueniens in vnum, quasique ex cunctis illis resultans perfectum existere temperamentum necessum fuit, cuius respectu, tanquam normæ cuiusdam, ac regulæ, cætera omnia, quodcunque essent, dicerentur calida, frigida, humida, sicca: nec sanè minùs animalia. quod quum dicimus, Species, vt opinor, alias humanæ conferimus totas toti, sic quidem, vt, quum canem, verbi gratia, formicámve animal esse siccum dicimus, intellectu priùs animalium omnium medio percepto, qui homo, vt diximus, sit, vniuersam hanc hominum Speciem accipiamus, cuius respectu animal siccum id sit, atque ita humidissima omnium formica, humidissimus canis siccissimo homine quouis futurus etiamnum siccior sit, medium nanque Specierum cunctarum quum statuimus, media omnium quærenda nobis Species erit, quæ vniuersa statuatur reliquarum media: etenim esse temperamenta Speciei vnicuique sua, ac veluti limitibus suis contenta, certum est, quorum egressu de Specie, statim esse illa definant, vt nec canis pro cane, nec pro homine habendus homo sit, qui prorsus temperamentum suum exierit: totas igitur toti vni, hoc pacto, Speciei Species comparamus, quum, quatenus animal, dicimus. Sed omnium mediæ, reliquas: singularum autem Specierum indiuidua Speciei eiusdem exactè medio conferimus, seu vnum id, seu plura reperta fuerint, quando esse inter homines plures quidam possint exactè (quantum quidem, ad sensus captum attinet, quo potissimùm nitimur) temperati, quum, quatenus hæc illáve Species, canis puta, aut homo, addimus. Atque ita primò vniuersa simul Species, quæcunque tandem nobis occurrat, vniuersæ alij, sed omnium in medio positæ: altero autem modo indiuiduum quodque alij itidem, sed eiusdem Speciei prorsus medio conferetur. Ad eundem modum, plantarum quoque discrimina spectabuntur, mediamque omnium constituemus, ad quam reliquæ discriminatim, sua quæque natura, significentur, caloris, aut frigoris, aut humoris, aut siccitatis, eam esse (quoniam ad vsum omnes humanum paratæ à natura fuêre) æquabiliter attemperatam oportuit, vt pro alimento nobis esset: sicuti intemperatas alias, quarum vsu egressa aliquando limites suos natura humana velut in viam reuocaretur. quamobrem quemadmodum in animalium, ita in plantarum quoque genere contigit, vt quo temperamento æquum fuerat præditam esse Specierum cunctarum mediam, quod Iustitiæ appellant, idem statim quoque æquabili rerum, ex quibus miscetur, portione, constitueretur, quod ponderis sit: at in indiuiduorum ad Speciei propriæ indiuiduum medium collatione non itidem: plerunque enim, maiorique ex parte fit, vt, quoniam animantium omnium, aut plantarum ęquilibre medium, quod ponderis dicimus, aut vnica, aut paucissimæ certè Species iam occupãrunt, reliquæ

ab

ab his omnes necessariò mediū suum obtineant, quod Iustitiæ tantummodo sit, hoc est, quod non de misturæ æquilibrio æstimetur, sed proprio sibi, ac peculiari naturæq; suæ conuenienti præditū tēperamento sit, id erit, videlicet, in quo maximæ, perfectissimæq; animaduertētur speciei, cuius in medio sitū fuerit, dotes: vt si generosissimus equus, ferarū persequentissimus canis sit, rapacissimus accipiter, & inter plantas, plurimos, optimosque fructus ferat sui generis quæque. Quę quidē esse omnia diuersissimi sæpe temperamenti manifestum est, ob actionum diuersitatem, quæ edi, nisi à temperamenti diuersitate, non possit. Reliqua est rerum eiusmodi comparatio, quum medium non spectamus nec generis, nec speciei, sed obuium quodq; sumimus, quo cum alterum itidem obuium, nullius definitæ determinatæve conditionis, conferamus: sic Socratem Platoni, Platonem rursus Dioni, hunc alij, aliumque alij conferentes, calidos esse, aut frigidos, aut huiusmodi dicimus: vnius etiam speciei indiuiduū, alterius ita indiuiduo, vt hunc canem equo illi, Lælapa puta Bucephalo, comparére licebit: ferè enim indiuiduorum hæc est conferendorum inter se ratio: nam species, hoc quidem pacto, totæ totis non possunt, quæ quum conferūtur, vniuersa speciei totius illius natura, vniuersæ alteri collata consideratur, aut medium illius huius medio, non quidem quo Dion fortè aut Callias donati sint, hoc enim pacto indiuidua conferrentur solùm, sed quo speciei ita medium alterius comparatum medio intelligimus. Hæc paulo licèt fortasse longiùs protracta rerum explicatio accommodari rectè percepta disputationibus multis potest, eamque adaptemus sanè iam hoc loco propositæ huic nostræ: Ver calidum, & humidum, esse dicunt Authores receptissimi quidam, animalia quoque calida & humida. Vtrunque autem, vt videtur, sic in vniuersum accipiunt, simpliciterque pronunciant: quod quum fit, considerandum, à quibus id fiat, tum quorsum ea ab Authoribus illis dicantur, ac quorsum accipienda à nobis sint: etenim si, quod multipliciter dicitur, simpliciter dictum accipiatur, nemini dubium esse potest, errores statim in re suboriri necesse esse non paucos, aut paruos, dum, quod in vnam dictum partem est, in diuersam, sæpeque etiam in contrariam trahitur. sicuti hoc quoque in negotio, in quo aliter à Philosophis, atque aliter à Medicis dicta hæc accipi debeant prorsus. Medici nanque, qui ad artis suæ vsum cuncta referunt, calida, & humida, & id genus non alia dixerint (nisi quid nominatim determinati addāt) quàm quæ attemperatæ mixtionis mediocritatem superent, propterea quòd, quum in artibus disputari aliter de rebus, quæ ad artem ipsam pertinent, non possit, nisi constituto priùs medio, tanquam norma quadam ac regula, vnde directa reliqua omnia subsistant, id scilicet doceri rectè possumus ex Platonis alicubi politico: ita in nostra quoque contingat, vt ad medium quoddam, id aūt exactè attemperatus homo fuerit, cuncta meritò referamus, non solùm dicta, verùm etiam facta. Mediū porrò hoc docuimus, quū æquilibre sit, cuiusmodi quidem Medici æquilibrium accipimus, etiam debitum sibi à natura temperamentū id sortitum esse, vt æquabile omni ex parte esset. Calidū igitur quū aliquid esse dixerimus Medici, huiusce semper medij respectu diximus. Eodemque modo, quū calidū frigidúmve facere voluerimus, priùs considerandum ꝓponemus nobis mediū hoc, quò actiones nostras referentes, quantū futurū satis sit, calefaciamus, ne fortè vltra, quàm par sit, ꝓgressi, nocumentum inferamus: tum verò extra medium hoc positos immutaturi, ad considerationem tamen semper medij huiusce reducemus. Quæ, quum ita sint, frigida nobis, & calida, humida, & sicca, non aliter vnquam erunt, quàm si in medio omnino quatuor harū qualitatū repositū temperamentū superârint, sic quidē, vt calidū dicere nobis haud liceat, nisi excessu à mediocritate in calorē nimiū facto, tale intelligamus, plùs minùs omnino: quum primùm enim à medio disceditur, intensiones qualitatum ad summū vsque earum infinitæ propè numerabuntur. Quæ ne in immensum abiret tam minutim facta dissectio, limites constituerūt certos quosdam, ac veluti circunsepiêrunt, Gradus vocant, terminis circunscriptos suis quemque, quos quatuor fecerunt: quorum primus exiguo admodùm à medio recessu, sensusque obscuri fit: alter ab hoc euidentiùs: tertius iam vehementer: quartus ad summum id agat: is omnium summus, extremusque, si contrariæ qualitatis in vnū misceatur, feruentissima, puta, aqua, gelidissima glacie, quarum vtriusque supremus statuatur gradus, commixta, medium proculdubio harum existet, à quo quum alterutrius qualitatis additamento, in vtramuis partem recessus factus fuerit, sic calidum id demum aut frigidum existimemus. Quæ de humido, siccoque non minùs transferri in idem dicta debeant. Longè autem secus Philosophis dicuntur, scribunturque hæc, etiā si ex gradibus, quos illi octo in rebus his statuunt, vnus tantū, altérve qualitatis alterius, cōpositioni insit, frigidū tamē id, aut calidū pro-

pronunciaturis, eo quòd quantunuis paucas, frigidas tamen inesse partes aliquas videant, aut calidas, aut illiusmodi: præsertim verò quoties mente priùs aliquid sumpserint, quod contrariarum qualitatum portione maiore manifestò constet: vt, quoniam defunctorum vita corpora frigida esse siccaq; manifestò apparebat, quæ opposito sese his modo haberent, nimirum viuentia, calida, humidaque meritò omnia esse dicerent. Quocirca diligenter secum consideranti videri meritò poterit, Philosophorum plurimos diuersa potiùs quædam spectâsse manifestis quibusdam qualitatibus suis prædita, quorum deinde collatione reliqua huiusce, aut illius esse modi dicerentur. Medicos contrà medium magis (non enim aliter artificiosè res suas tractare poterant, quoniam artium omnium ratio id exigat, vt Plato docuit) proposuisse sibi, cui comparata cætera de qualitatum suarum nomine quæque appellarentur. Ex quo sanè fiat, vt illi summè calidum aliquid (statuamus enim exemplum in hoc) octo constare caliditatis gradibus affirment: quorum si vnus, alterve detrahatur, vnúsve aut alter frigiditatis introducatur, iam quidem frigidam appellare se rem posse credent, quæ aliquam habeat qualitatis illius portionem. Dicent nihilominùs, (opinor, exactiùs quum loquentur) sex hoc, septémve caliditatis, vnum, duósve frigiditatis gradus obtineret, tres, quatuor, quinque, sex, ad octauum vsque, sic quidē, vt recedenti semper vnicuique gradui contrariæ qualitatis succedat alter, donec ventum ad summum sit, qui octauus illis est, vbi iam oppositę qualitatis portio nulla. E diuerso Medici temperatioris misturæ comparatione, quam assiduè præ oculis habent, primum vocabunt caliditatis gradum, qui Philosophorum quintus sit: secundum, qui sextus: tertium, qui septimus: quartum, qui octauus. Hanc rationem sequutis dicere nobis licebit cum Philosophis vnà, non solùm animalia, quæ frigiditatis ac siccitatis haud dubiè plusculum obtineant, vt culices, muscæ, formicæ sunt, viua quidem calida, humidaque esse propterea, quòd demortua eadem nullo nec calore, neque humore prædita sint: sed etiam plantas ipsas, quæ alimentum etiamnum trahant ex terra viuæ, calidas, humidasque: excisæ enim vitaque sua priuatæ frigidissimæ siccissimæque euadunt. Eodem modo Hyemem egressi, sæuientisque huius ingentia priùs frigora experti, superuenientis Veris teporem, caliditatem appellabunt: humorem, quoniam eundem propè sentient, non diuersum dicent. Rursus peracta Aestate, post magnos illos calores, quum primùm remittere sese hi cœperint, Autumnum frigidum sentient, qui tamen hac quidem in re non procul à temperie distet. At non ita Medici: verùm Aestatis calores & Hyemis frigora æstimantes, secumque deputantes vtriusque temporis excessum, temperatum Ver esse affirmabunt, sensuque ita experientur, eandemque prorsus rationem accommodabūt Autumno, nisi quòd tamen inæqualitas in eo notabitur quædam, siccitasque plùs æquo, quæ, quia non facilè emendari Aestatis præteritæ siccitas potest, perstet etiamnum. Nam nimium Hyemis humorem calore suo bona ex parte dissipatum deducere ad mediocritatem haud difficulter possit Ver, Autumnus insignem Aestatis ariditatem corrigere, vt dixi, nec frigiditate, (non enim necessariò humidum facit hæc) ac longè quidem minùs siccitate sua perseuerante queat. idem inæqualitate sua laborat, non immeritò: attenuatus enim aer magnopere assiduis Aestatis caloribus, modò calori, modò frigori suscipiendo paratus, obnoxiusque redditur, temperatus tamen alioqui satis qui sit. Temperies autem hæc Veris, & Autumni, Verisque inprimis, ne aberrare nos contingat, vt inter anni tempora intelligi semper debet. Rursus Anni tēpora, quum de Temperamento eorum inquirimus, non aliter accipimus, quàm, si quo immutare corpora nostra pacto qualitatibus suis possunt, eatenus quidem calidam & siccam Aestatem, frigidam & humidam Hyemem dicimus, quòd inde incalescamus, siccemurque: hinc è contrario refrigeremur, atque humectemur: ita quoque Ver ipsum temperatum dicendum nobis fuerit, quòd in eo, qualitatum harū in medio ferè constituti degimus, circumambientisque nos aeris temperiem sentimus, temperaturam ipsi tamen si sortiti priùs fuerimus iustam, nam aut iusto plùs calidi, frigidū id quamprimùm experiemur, sicuti frigidi calidum. sed nos scimus dirigendū nobis esse semper disputationem, tanquam ad normam regulamque quandam, ad temperamentum, ergo non tam nominibus his appellanda nobis anni Tempora sunt, quòd qualitatibus illis donentur, quàm quòd has ipsas, harúmve effectum, corporibus nostris addant, non dissimiliter, atque quum refrigerare nos lactucam, oleum autem temperamentum cōciliare, intrò sumpta, forisve adhibita, dicimus: quanquam oleo aliud quiddam insit, quod meatuum obstructione quem inuenit adaugere calorem, non qualitate tamen, sed substantia soleat: verùm de hoc aliter, atque alio loco differendum. Non igitur (vt hoc quoque hic

hîc disputationi huic addamus) quærenda nobis argumenta (quod illi tamen faciunt) cuius temperamenti aër sit: vt, si rationibus quibusdam persuasi, Elementi huius naturam calidam, humidamque ad summum esse, inuenerimus, continuò eodem esse temperamẽto, qui nos circumambit aër, contendamus. Siquidẽ (quò cogitatio de his dirigenda omnis nostra est) cum modò qualitatibus suis excedentem omnibus, nunc his, nũc illis; modò temperatum, sensu nostro, quo dijudicare nobis ista datum sit, experiamur. Nec, si infinities argumẽta valuerint, afferanturq; rationes ad hęc; cõtrarium autem sensus apparens manifestusque ostendat, ab hoc, credo, deficiemus, vt cum Anaxagora nigrã niuem pronuntiemus, aut obscurum Solem, potiùs quàm nostris, aliorumque naturaliter rectéque se habentiũ, sensuum viribus credentes, res vtiliter peragamus nostras. Licebit tamen intereà, non vt Medicis, sed vt causarũ supra Medicinæ artem positarum indagatoribus, rerum sæpe diuersitatis rationem quæsiuisse: vt hoc loco calidũ quidem, & humidum summè habendum esse Elementum aeris lubentes fatebimur: at alterius esse intereà generis ambientem nos hunc contendemus, exhalationum vaporumque terrestriũ, aquearumque, incumbentis Solis vi eductorum, elatorumq; sursum, plenum, quorum natura infectũ iam aera idem ipse Sol, præsens absénsve, accedens recedénsve, aut calfaciat, aut frigoris causa sit humiditatis, siccitatis. Deque huiusmodi aeris temperamento disserimus, quẽ inspiratu assiduè ducimus, tangimus, ac tangimur ab eo continuè; non de eo, quem rationibus tãtummodo assequimur, nunquam sentimus.

Hæc quum ita omnino se habeant, aeremque sumamus in disputatione, qualem descripsimus, hũcq; ipsum semper ad corporum nostrorum considerationem referamus, quæ vel immutare, vel conseruare soleat: porrò autem temperata ea conseruare, nisi temperatus ipse, haud facilè queat: idque quum æquabiliter se inter cõtraria habeat: quoniam quidem ita quoque temperatus homo dicatur, qui æquilibrio non exacto quidem illo cõstet, sed cui assentiatur tamen sentiendi vis, & ἰσομοιρίαν quandam rerum inesse iudicet: perquàm necessarium fuerit in disputatione de hoc Medica, cũ de eo semper, qui corpora nostra perpetuò circũambiat, aere intelligere; tum effectus accipere, quos ijsdem in corporibus exerceat: quumq; tam corporum nostrorum, quàm eorum, quæ in Medicina tractantur, omnium, & ad corporis humani vsum referuntur, norma ac regula sit temperamentum; Hominis naturæ debita quidem ita, iustaque rerum distributione, sed & æquilibrio suo partiumque ἰσομοιρίᾳ conueniẽs: etiam inter anni Tempora medium quærendum, quod in rerum harum confinio reponatur, huicque ipsi respondeat: constituamus hominẽ nobis, qualem superiùs descripsimus, temperatũ. Hic quidem temperatarum regionum sicuti frigidas experietur hyemes, calorificas autem æstates: ita vernum proculdubio tempus temperatè feret, hoc est, nec sudoribus, vt æstate, diflu et: nec, vt hyeme, rigore corripietur. Hæc enim est authoribus temporũ Anni mediocritas, Temperamentumque: idque videlicet fiet, si naturale sibi Temperamentum Anni tempus hoc perstans seruârit; non autem accidentaria aliqua extrinsecus constitutio de statu id deturbatum suo deijciat, de quo posteriùs.

Atque ita demũ inspicere licebit nunc, discussis examinatisque his, quãtopere valitura sint, quæ ex aduerso argumenta in medium allata pugnabãt. Rerum enim generationem (quod primum omnium afferebatur argumẽtum) nos quoque Vere potissimùm peragi concedimus: quæ quidẽ, benè sentientium omnium cõsensu, sicuti maximè temperiem, ita excessum minimè postulet. Hanc porrò Medici, qui libẽtiùs res ipsas, vt habent, proprioque appellâsse nomine gaudemus, id quod est, nominamus, nempe Temperiem: alijs interim concesso vt quo libuerit cunque nomine vocent. Sicuti qui interitum rerum spectãtes, (quòd is contrarius generationi sit, frigiditateq; constat, ac siccitate: generatio aũt calore & humore) siccitatis nimirũ, ac frigiditatis huiusce respectu, tempus generationi aptum, calidum, humidumque dixẽre: qui si caliditatẽ & humiditatem intelligunt, qualem diximus, quę temperamento constet, (talis autem dicatur, quòd à frigiditate atq; siccitate absit) idẽ nobiscũ sentient re, nomine tãtùm discrepabũt, temperatæ omino rei excessus voce imposita. Sed non ita accipiunt, nominant quidem, & temperatissimum appellant; interim verò excessibus suis redundantem eandem faciunt: quod fieri haud potest, rei quidẽ eiusdem respectu. Vel ipse nanque Athenæus, sententiæ huiusce author paterque, huncque sequuti alij, hanc ipsam caliditatem & humiditatem, quam temperatissimam asserebant, excessus tamen semper sui voce eandem notabant; persuasi hanc vnam esse, quæ temperata vna habenda dicendaq; esset. Atque huius nos deindè errati commonefactos voluit Galenus, rerũ eum excessum tunc tantùm intelligendum esse docendo, quum à verè quoque media dis-

cessus in diuersa fieret, minimeque ideo suffuratum Atheneo sententiam suam in re hac (quod illi tamen objiciebant) Galenum arbitremur, qui falsam manifestò authoris illius repertam, deinde conuictam rationibus exploserit, veramq; de suo inuexerit; noxæque propterea huic de plagio exemptus à nobis hoc pacto Galenus sit. Quoniam quidem longè aliud sit, temperata quædam, eadem iustũ quoque medium excedentia, dicere, atque intelligere: (quod intellectu accipi nõ potest, & Athenæus tamen sentit) atque aliud, temperata quædam affirmare, eademque calida & humida, non iusti quidem medij, sed frigidioris ac ficcioris rei alicuius comparatione, quod Philosophi faciunt, edoctiq; à Galeno sumus. Eodẽ modo temperati hominis sanguineum humorẽ (quoniam is familiaris inprimis, amicusque omnium maximè nature humane humor sit, vnde corporis vniuersæ partes alantur; quæ temperatæ ipsæmet hoc casu quum sint, non nisi ab itidem temperato ali humore possint) temperatissimum esse humorum reliquorum fatemur: eundẽ tamen calidum & humidum; similiter, ac quum calore & humore contineri vita dicebatur, ꝙ morticina cũcta è diuerso frigida inprimis siccaq; sint: sic calidus sanguis nobis sit, quoniam pituita frigida: humidus, quoniam bilis flaua, atráve sicca: quæ quum in extremis posita sint, temperamentoque ideo inter humores extremo constent, necessariò constitutus in confinio eorũ sanguis temperamento suo constabit æquabili: calidum quanuis & humidum pronũtiemus, humorum aliorũ comparatione, vt pituita, vt bilis, tũ atra, tum flaua: quorũ omnium qualitates excessu eo, qui equabile semper medium superet, dicuntur. Atque hoc vni inter humores tribuendũ sanguini est medium, vnde temperamentum eidẽ conciliet ur eo in genere æquilibre prorsus.

Dicat hic aliquis: Siquidem sanguis inter humores medium locum occupauit æquilibris temperamenti, caloris quanuis atq; humoris nomine appelletur; quis ille fuerit tandem humor, qui qualitates hasce ipsas obtineat, quum excessu intelligũtur? Huic dicemus: nõ esse necessariũ, vt (quod arbitrati quidam sunt) συζυγίας, quas Elementis inesse scimus simplicioribus, qualitatum scilicet coniunctiones diuersarum modum excedentium, seu comparationes, (quo se vocabulo moderatus Columella tolerabiliter, ad rem hanc significãdam, vti posse credidit) eas in mistorũ quoque genus omne deduxisse; præsertim verò quoties malo id naturæ cessurum alicui sit; vt quum verni caloris humorisque temperamentum supergressa constitutio circumambientis nos aeris aliqua calorem nobis humoremque nimium inuehit, maximo nostro semper malo atque incommodo: quod in grassantibus populariter plerunque morbis maximè cum humanæ naturæ pernicie experimur. quo sanè tempore calido & humido temperamento qui sunt nimio illo, temperiemque excedente, id quod ex sanguinis redundantia potissimùm fiat, calidi humidique plùs iusto, noxam inprimis sentiũt, omnium promptissimè, obuia semper quaque pestilitate correpti, putredinosisque affectibus omnibus obnoxij, reditu tamen deinde ad meliora, caloris atque humoris nimietate discedente, horumque mediocritate & contemperatione restituta, vsqueadeò, quanquam in sublunari hoc mundo, mali immisceri rebus aliquid necessum sit; vincit tamen semper, superatque boni ipsius natura, quæ rerum potissimũ inter se attemperatione cõstet; vt, nisi communi rerum humanarum vsu sic ferente, coacta interdum aliò discederet, seruatura perpetuò fuerit συμμετρίαν & ἰσομοιρίαν, commensurationem scilicet, ac partium æquabilitatem. Nunc, quum alibi frequenter, tum in rebus his, quas nunc tractandas præ manibus habemus, institutum commodissimè rerum ordinem, ac necessariam quandam mortalium vitæ meliùs degendæ vicissitudinem sequuta, in diuersa discedit. Sic quidem in anni temporibus generationem rerum, annumque vnà ipsum inchoauit à Tẽperie, adolescẽtiamq; illi dedit, in caloris & humoris temperamento non nimij, quæ Temperies ipsa est, quã sic qualitatum earum nomine appellârũt; quòd (vt dixi, & dicẽdum sæpius venit) vita his fota maximè atque inprimis cõtineatur, quoniam contrarium interitum rerum, frigiditate ac siccitate obiri semper videre est. Sed nũ peruenire ad maturitatem fruges, vt demeterentur, fructus vt colligerentur, Temperie hac caloris sola poterant? nõ poterant. Itaque caloribus suis accessit Aestas, parsq; Autumni, quæ tanquam excoquerent hęc: hisq; deinde, inclinante iam se in senectam anno, successit necessariò Hyems, exhalatum superioris temporis calorem, absumptasque nutriendo, fœtificandóque vires instauratura; humoremque nouæ iterum edendæ soboli reposítura.

Hæc est anni Temporum, eorumque Temperamenti causa; hæc, vt opinor, ratio: vbi caloris, vt vides, & humoris nimij necessitas prorsus nulla, opusque nullum. quorsum enim? nempe, vt quoniã qualitates eæ putredinẽ maximè faciunt, putrescerẽt statim omnia? Iam hominis tẽperati

pari-

pariter temperatus quoq; sanguis, vernæ illius téperiei instar: nec, si huius eiusdem hominis calidæ & siccæ naturæ bilis, frigidæ & humidæ pituita, excessu vtrobique ab æqualitate facto, censebuntur; cõtinuò necessarium fuerit, calidum atque humidum excessu eodem sanguinem censeri; qui quũ primùm talis fuerit, vitiosus statim euadat, nocumentaque inferat multa, malaque: prorsus vt, propemodum sicuti in temporibus, calidi & humidi nimiũ cœli vsus nullus; ita hic quoq; humoris eiusmodi in corporibus incommoda futura semper natura fuerit; quum non paruus intereà bilis (quæ calida siccaq; supra mediocritatem, vel in temperatissimo homine, prædita natura sit) diducendo distribuendoq; per corpora alimento, reliquorumque frigiditati attemperandæ, vsus sit: pariterque pituitæ, quę frigida & humida: atræ bilis, quæ frigida & sicca habeatur: alterius, quæ alendo interdum sit: alterius, quæ demortuam, languentémve appetentiam excitet: indies, immò in horas propè ipsas semper, aliosque præterea vsus quosdam experimur. Nam & torpentes plerunque, languentesque multos, socordemque quorundam ignauiam, paulò magis accensę bilis beneficio excitamus; contráque, effrenem hanc ipsam actam, adhibitæ pituitæ adminiculo, veluti compescimus: corporibusque ita consulimus; nec minùs intereà mores ipsos informantes, sanè neutrum horum calore illo humoreq; nimio assequuturi.

Iam ad id de pueris, in quo propriæ vocis testimoniũ, quasi illam ipsam ignorauerit, obijcere Galeno non verentur, docuimus hosce humiditate paulò mediocritatem ipsam superante censeri, vt non immeritò desinentis iam Veris, inchoantisq; Aestatis parua quadam siccitate temperatiores facti iuuamentum sentiant, reliquo autem Veris tempore idem illis non cõtingat: non quidem humoris verni nimietate vlla; sed quòd ætatis illius paulò exuperãtior humiditas, sicuti excessus quoq; alius demum quiuis, nunquam temperie, sed contrarij potiùs excessus admotione ad Temperamentum reducta corrigatur. At eodẽ ex loco colligas manifestissimè, adolescentium ætatem (quæ omnium optima in confesso apud omnes sit) verno ipso tẽpore optimè semper degere solere: nempe seruato, ab ambiente aere, temperamento: quo quid dici conuenientius firmandæ sententiæ ei possit, quæ temperatissimum Ver statuat, non video. Iuréque ideo subeat mirari, magnos viros ita existimatos, reueraq; qui ita essent, ex eo potissimùm loco argumenta sumpsisse contra Galenum, quo loco maximè, firmissimeque viri huius sentẽtia adstruatur. ἀκριβέστερον δ᾽ ἦν εἰπεῖν, ait Galenus Aphoris. iij. τὰ μὲν μειράκια τοῦ ἦρος, τοὺς δὲ παῖδας ἐν ἀρχῇ τοῦ θέρους ἄριστα διάγειν. Exactiùs, inquit, dicẽdo, adolescentes Vere: pueros Aestatis initio, optimè degere dixerimus. non aliam, vt arbitror, ob caussam, quàm, qua sicuti temperatum temperato seruandũ semper tuendumq; est, seruamusque ac tuemur: ita intemperatum, intẽperato, sed huic qualitate, qualitatisq; vnà vi opposito auferendum esse existimamus, atque auferimus.

Eodem, quo de pueris, respondendum de sanguinei tẽperamẽti hominib⁹ modo: quos quidam, haud ita magnæ in vsu præsertim Medico authoritatis, Veris tempore in furias agi faciant: qui si sanguinei rectè fuerint, hoc est, temperato sanguine præditi, (sic enim sanguineos intelligimus) optimè valituros Vere ipso existimamus; tantum abest, vt noxam sensuri verni quidem tẽperamenti ratione sint. Quòd enim eo tempore sanguineus humor augumentum sumat, vnde humoris eiusmodi exuperantia furiosos reddat, non est verisimile, temperatæ rei additione immutari temperamentum posse. plethoram potiùs fecerit hoc, periculumque creârit disrumpendæ venæ, aut improuisæ caloris nostri suffocationis, aut sanguinei aliqua corporis ex parte fluoris. Sed hæc nihil ad intemperiem temporis coarguẽdam. Sin, vt velle videntur, sanguineos vocant, sanguine multo, sed illo bilioso inprimis præditos: sciant tum nõ hoc solùm, verùm etiam (vt ita ad postremum quoque argumentum habeant) multa præterea alia insequi mala solere, ab Hippocrate recensita, sed quæ nullam omnino verni temporis intemperiem notent, quando cuncta, quanq̃ moderato, temporis tamen verni calore aliquo fusis, eliquatísque in corpore humoribus, Hyemis frigore adstrictis priùs, ac tanquam delitescentibus, fiant. Qui si flauę atræ've bilis fuerint, caputque petant, furentes ac melancholicos reddant: Sin alterius generis, inq; varias corporis partes decumbant; diuersa quoque iccircò inferre mala consueuerint, sobolem omnia aliorum temporum, minimè autem Veris; nisi si eodem modo exercitationes, quæ non diuersum commotis sæpe in corpore humoribus faciant, culpare velimus, humorumque esse causam credamus, qui innumeris alijs de causis collecti, exercitationibus sæpenumero deteguntur.

Nec iam diuersa cẽsenda sit ratio sudorum, quos plurimos, Vere potissimùm, elici de corpore quum viderent, pro argumento sibi humoris nimij sumpserunt. Id nan-

nanque fusi tum primùm, attenuatíque humores multo antè collecti fecerint. Nec, si sudor aliquis tamen prodit è corpore, ambientis calore modico, aut qua alia de causa euocatus, humorem nimium necessariò arguerit: quum à modico id quoque prouenire humore queat: contraque potiùs, quoties præsente causa, quæ facere id debeat, nullus is exit, insignis, ac præternaturalis siccitatis indicio sit; vti iam vel modicus, modicum itidem humorem indicet: vel nimius, nimium quidem illum, sed qui Vere si fiat, præteritæ potiùs Hyemis collectitium humorem significet.

His alijsque huiusmodi rationibus persuasi, Ver non (vt nunc quidam loquuntur) in sua propriaque natura calidum & humidum; sed temperatum moderatumq; dicendum habendumque esse contendemus: nec defendi à quoquam posse credemus (quod tamen hi, dum Athenæi sententiam depositam iam erigere rursus conantur, præstare se posse confidunt) eandem rem calidam, atque humidam excessu eo, qui medium vltra intelligatur, ac rectè attemperatam esse vt arbitremur. In quem ne induamus nos errorem, non aliter, quàm Galenica de rebus his distinctione cauendum perpetuò fuerit.

Vera rursus, rectáque Veris temperatura, Aestatis item, & Hyemis, & Autumni, horúmque simul omnium causæ. Dein quædam, necessaria ad discutienda quorundam Sophismata, adduntur.

CAPVT VI.



LOngè igitur, vt opinor, meliùs, sumpto Veris temperati, temperataque in regione medio, ab Hyemis, Aestatisque medio, æqualiter id qualitatibus suis distare fatebimur: non, vt quidam existimâsse visi sunt, qui calore id proximiùs ad Aestatem, sicuti humore ad Hyemem, accedere dixerũt. Rectiùs enim, veriusq; vtriusq; mediũ occupârit: neq; vlla, cur id fieri ita nõ debeat, sub est ratio; quando quod ab extremo frigore humoreque, ad calorem, siccitatemq; item extremam transitum facit, medium id attingat primũ necessum est: quò quum peruenit, summarum qualitatum confinia hæc erunt reposita in mediocritate: atq; ea Veri rectè demùm assignabũtur, sicuti caliditas & siccitas Aestati; ob Solis ad regiones, quas nos inhabitamus, accessum, vnde magna statim impressa appareant in aëre caloris, caloremque vnà insequentis necessariò siccitatis vestigia. Primùm enim radij, quos, quum proximè se ad nos contulerit, eiaculatur Sol, de centro potissimùm emissi feriunt terram: idque longissimis, eo anni tempore, diei horis, perque acutos angulos in eandem propè, vnde demissi ferebantur, aëris plagam reducti, conduplicatique ingentes meritò excitare calores possunt: nimirum radiorum vehementia hac, insequentísque semper validos Solis vehementésq; radios luminis vi attenuato ita rarefactóque circumambiente, ex quo æstuosus facilè accensúsque redditur. Siquidem eandem quoque ob causam, motu (quòd is raritatem, tenuitatémque maximè partium faciat) elici ex multis ignem videmus. Iam, quoniam contraria omnia in Hyeme: contrariæ quoque introducentur meritò tunc qualitates frigoris, humorisque. Nam & absentia à nobis Solis, non quidem, qualem arbitrari rudior quispiã fortè possit: (spatio enim nobis tunc, ob orbis sui Eccentritatem, (sic enim appellant) propinquior fit, quum longissimè ab Auge sua abest; quod in introitu Capricorni euenit: sed præsentiam vocamus, quum directiùs nos, longiore quanuis interuallo, at non longè à capitum nostrorum vertice sese attolens aspicit; quod, peracto in Cancrum ingressu, accidit: vbi sicuti maiorẽ cœli portionem nactus, qua terras exuperet, indéque diutiùs expatiatus, morasque longiores trahens, æstuantissimos calores facit: ita à vertice sese nostro, velut ad pedes, recipiens, exiguóque diei spatio in longum producens noctes, radiosque iaciens, qui ex depressi orbis circuferentia prodeuntes, dissipati, minimeque in se recollecti angulorum, quos faciunt, obtusione, minimùm semper ad calefaciendum virium adferunt) hac ipsa (vt paulò antè dicebam) à nobis absentia calefacientium causarum priuatione rigentia omnia reddit. Quumque iam exerere vires suas vlteriùs, dictis de causis, non possit; ab exuperante paulatim frigore victus iacensque, nec obductum caligine nubiloque cœlum discutere, nec concretum frigore, crassumque factum aëra extenuare potis est: ac propterea congelascere cuncta, niuibusque ac pruinis adstringi permittit; donec, inuecto iterũ rebus calore, atque ita clarioris splendescentisque magis luminis vi dissipata regelascant, rediuiuaque omnia fiant. Idem anni tempus humiditatem inuenit, quæ licèt non æquè frigiditatem semper sequatur, vt caliditatem siccitas; (non enim tam facilè frigiditas quæque euaporationem prohibet, vt humectum seruet; quàm caliditas hanc ipsam facit, vt siccitatem inuehat) causarum tamen perseuerantia, quæ

Hyemem

Hyemem faciunt, introducto paulò magis diuturno frigore, facilè humiditatem quoque minima tunc temporis exhalatione inuehit: & quod præstare Autumnus frigiditate sua nō potuit, vt relictā Aestatis siccitatem corrigeret, (faciliùs enim siccari semper, quàm humectum fieri aliquid scimus) perstās, vt diximus, succedētis mox Hyemis qualitas, humorē rebus indendo, facit. Quam etiam ob rem faciliùs deinde hæc eadem summa Hyemis humiditas, accedente temperato Veris calore, ex parte sublata ad Temperiem deducatur. Hinc haud sanè difficulter Temperaturarum omnium, quæ diuersis anni temporibus conueniant, aperiri causæ omnes possint: Temperaturę Vernę, caliditatis & siccitatis Aestiuæ, frigiditatis siccitatisq́; Autumnalis, cum inæqualitate vnà, ac postremò frigiditatis atque humiditatis Hyemalis. Sic quidem, vt, quum Veris temperamentum dicimus, medium qualitatum omnium intelligamus: quum intemperaturas, Aestatis quidem atque Hyemis, sumas; vt in anni Temporibus: (quod in sermone de rebus his subintelligendum semper est) frigiditatem verò ac siccitatem Autumni, non in summo, sed quæ medium tamē egressæ iam sint, accipiamus: vtque siccitas quidem maior in eo, paulò verò attemperatior frigiditas habenda sit; quippe quæ horarū potiùs inæqualitate constet, alternante frigore caloréque: siccitas autē, Aestatis quidem ibi siccitatem non æquet, at nondum temperamentum faciat. Etenim quibus horis modò calor, modò frigus vna eademq́; die inualuerit Autumni tempore, ijsdem non variabunt siccitas, humorque: vt vicissim sese mutuoque momento eo temporis immutata, subeāt. Extemplò enim incalescere, ac frigescere eadem dies diuerso tempore; humescere autem, & siccescere non itidem possit. propterea quòd priores qualitates quum agendo magis, quàm patiendo sint, posteriores patiendo potiùs. mutuò sese superatas expellere illæ, quàm hæ, faciliùs eadem ratione queant. Quanq́, promptiùs semper siccitate humiditas, quàm humiditate siccitas vincatur: non tam, quum mutuò sese superare nituntur eæ rationibus suis proprijs; quàm quum à prioribus illis, quas actiuas ex dignitate nomināt, secundariò, atque ex accidenti inuehuntur. vnde Hyemis humor insignis, insequente verno statim tempore, euaporatus, temperiem facilè acquirat: non quidem siccitatis vllius primò, ac per se operatæ; sed caloris potiùs, siccitatem hanc ipsam inuehentis, beneficio: Aestatis verò siccitas, attemperato Autumni frigore, (quod euaporationē, ideoque siccitatem quoque, prohibere solitum sit) duci ad temperamentum non queat; quin siccitas adhuc sit, nōdum mediocritatem attingēs: id autem vt fiat, hoc est, vt tēperata euadat, longiore temporis spatio, Hyemisq́; accessu indigeat: sic semper maiori cum negotio quodam humectum quodcunque hac ratione, quàm siccum fieri videmus. Euaporationem, hoc loco, exhalationemque intelligo, humiditatis factæ iam resolutionem, ex qua, quo maior facta ea fuerit, eo siccitas quoq; vnà introducatur insignis semper magis magisque in materiam, quæ relinquitur. Nam quæ de terra, aqueisve locis fit, quam nihilo seciùs euaporationē exhalationemq́; appellamus; euaporationem autem cōuenientiùs, si humidæ rei sit, ἀτμίδα scilicet sursum latam: ea humiditatis aereæ, quam nūc versamus, pro materia meritò semper habetur, vt si magna huius copia fuerit, è terra exhalatæ in aerem, quæ perstans diu maneat, nec dissipata soluatur, humectum maximè facere ita aerem valeat. Nam, quum copia quidem huius in altum sublata surgit, sed eadem illiusmet, qui illam priùs attraxerat, caloris violentia dissoluta perit: siccitas sequatur necesse est. Eadē pergens, calorque vnà incumbens diu, etiam absumere humorē potest: vnde, subtracta hoc pacto euaporationis materia resiliēte sursum; sublatæque iam perseuerante resolutione, siccitates fiant ingētes omnino quædam, quod ipsum Aestatem faciat. Cuius è diuerso oppositum contingit Hyeme; quo tempore, quanuis nō, vt Aestate, plurima; at non parua tamen infernè attollitur euaporatio. Neque enim censendum, rigidum vsque adeò esse posse temperationis plagæ, Hyeme vel media, cœlū; quin euaporationis aliquid remittatur de terra semper: faciente non sanè minimum ad id subterraneo calore, q tunc frigoribus paulò ad interiora retrusus, validiorq́; ita factus operatusque, cùm gignere, tum emittere vapores multos possit. Eaque, nō tanta licèt, quanta temporum aliorum; at ex circumambiētis frigiditate resolubilis minùs euaporatio quū sit: (q̄ppe densata magis, partibusq́; sui omnibus crassior facta) etiam dissolutioni valentiùs resistet, nouisque assiduè vaporibus acceptis, ac paucissimis remissis, substantia sua humidiore fota auctaque, ac coactæ densitatis vi in aqueam propè naturam abiens, subsistere ita diu potest: sicuti, quum, discussa deinde caloribus paulatim crassitie, inuectaque tenuitate insigni, induere naturam igneam solet. Calida igitur & sicca Aestas, hoc est, ignitæ naturæ: frigida & humida Hy-

ems, hoc est, aquę, dictis iam de causis: Autumnus temperamento, quale priùs descripsimus, præditus, calidum inter & frigidum; siccus autem, quoniam quod humidum potissimùm faciebat, id huic deesse inprimis videtur tempori, vaporũ sursum versus sublatio. Nam quanuis caloris mediocritate ciere multos eos posset: at vnde educti attollantur hi, materia deest, siccantissimis præteritæ iam iam Aestatis caloribus absumpta. Quòd si quæ tũc temporis ingruũt aeri pluuiæ, vtique aliquid eæ omnino detrahere de siccitate nimia illa poterunt: at non vsque eò tamen, ęquali vt eam humiditate retusam, mediocrem efficiãt. Nos enim quum siccitatem Autumni dicimus, non qualem Aestatis intelligimus, summè videlicet talem: sed sic tamen siccam, dici vt inde, hanc quidem ob rem, Autumnus commensuratus, temperatusque rectè non possit. Quæ planè ratio, ex diuerso quanuis sumpta, vt temperatissimum Ver sit, præstat: in quo moderatus calor, paulò plus, quàm attrahatur, dissoluere vaporum soleat: eoque sicuti inter calidum & frigidum, ob mediocrem Solis ad nos accessum; ita inter humidum siccumque, ob temperatam humiditatis aereæ, vaporumque, qui hanc illi humiditatem addant, copiam, illo tempore temperamentum aeri conciliari solitum sit. Non enim (ne quis fortè hoc aliter existimet) toto hoc sermone temperamentum aereum, quàm quod à Solis vi maiore, minoréve, vaporibusque huiusmodi exhalatis, densisque, aut tenuibus factis, durantibus, aut disiectis, fiat, accipiendum aliud est. Hunc enim tantùm inferioris notæ, non mediæ, aut supremæ illum inspiratu ducimus, hic nos ambit. Quem nunquã in propria sui substantia constitutum reperire hoc loco sit, ac non vaporibus semper, exhalationeque aliqua infectum, etiam vt quandoq; vsq; eò siccescat, vt induere se propè in naturam ignis videatur: quo nihilominùs tempore aduẽtitij adhuc nonnihil retinuerit, quippe quadantenus perpetuò agitatus auris, ventorúmve flatibus; minimè verò puritatem eam nactus, quò nec venti pertingant, neque aurę, nec tempestas vlla ingruat, inferiorem hanc aeris plagam perpetuò infestãtia. Humidus igitur is dicetur, eritque, euaporatiõe multa humidaque repletus: siccus, hac ipsa consumpta; & quantum inferiùs remissa, tantum exhalata, atque in tenues valde auras euanescente: calidus, quum impressa ibidem caloris vestigia apparebunt; quod inprimis conferens sese ad nos Sol facit, iactis tunc, totoque è corpore affatim effusis, fixisque terræ radijs, qui in idem reflexi, aut non valde certè in diuersum discedentes, adauctam longè magis ita calorificã vim intendant: frigidus, quum contrarijs de causis remotior factus, obtusas, cum obtusa vnà radiorũ proiectione, ad calefaciendũ vires adferet: temperatus, quum causarum omnium in medio constitutus, nihil pariter habuerit, quamobrem status sui mediocritate pulsus deturbetur. quod quum bis illi contingere debuisset, per oppositarum vtrinque qualitatum medium bis anno progressi Solis vires excipienti; Vere tamen tantùm æquabilem verè temperiem experitur; Autumno non itidem, ex accidenti quodam, quod huiusmodi est, superiùs quoque quidem relatum à nobis; nunc verò etiam paulò lucidiùs explicandum, referendumque causas, quod anteà non fecimus.

Et de Temperamento quidem ex calido frigidoque conflato, vel potiùs inter vtrunque consistente, non magnopere sanè ambigimus. Temperatum nanque dicere tempus vtrunque rectè possis. quanquam Vere meliùs in vnum quasi conflata tendat temperies ea: Autumnus autem diuersitate potiùs horarum constet, quarum modò calidarum, rursusque frigidarum, idque eadem die, ideóque mutuò sese contemperantium, de qualitate resiliens, ductáque in vnum, existat Autumni, quantũ quidem ad hoc attinet, temperies: at de siccitate, humiditatéque non peræquè. Temperatissimum enim Ver: siccus Autumnus, nimirum in temperatissimis orbis totius Plagis id, quumque secundùm naturam se suam habuerint tempora: ad quod semper, tanquam ad Phari lucernam, respicere nos oporteat, ne falso rerum intellectu seductos turpiter aberrare contingat.

Duæ igitur potissimùm res quum humiditatem aeris insignem faciant; remissa de terræ aquarumque gremio vdæ magis naturæ euaporatio multa, quæ ἀτμὶς est: nullæque, aut paucissima, collectæ eiusdem illius materiæ, in aere, coactęque in vnum dissolutio; si quandò geminæ eæ adfuerint causæ, continuò magna quoque inuehatur aeri humiditas necesse est: minor autem, alterutra si desit. quòd si quando neutra adsit, iam tum contrariæ necessariò introducetur qualitatis vis non exigua, nimirum siccitatis. Consideremus nobiscum, vtrobi maior qualitatum harum causa sit, Vere'ne, an Autumno? sed priùs operæ pretium fuerit, Hyemis, Aestatísque (id enim ad diluendam contro-

trouersiam, quę apud multos etiam nunc de rebus his restat, optimè faciet : simul quædam nondum de his dicta, & necessariò tamen dicenda, patebunt meliùs) naturam inspectam examinâsse. Et de Aestate quidem ambigere nemo possit, exiguam esse debere vaporum huiusmodi tunc copiam ; quòd paucissimi tum resilire de sicca inprimis tellure possint ; quique resiliunt, vehementi Solis vi in tenuissimas auras dissipati resoluantur. Itaque ingens eo tempore, his quidem in locis, quæ temperata constituimus, pluuiæ raritas, ingentes æstus. Quarti, quintique Climatis temperamentum superiùs omnium medium sumpsimus, largissimè extenta (quo peruenire ad plures artis ita vsus posset) temperamenti latitudine ea. Quamobrem si rectum ferre iudicium volumus, intra hos limites cogitatio coercenda nobis est, non expatiandum nimis: vt, si Sexti fortè Climatis alia, quàm qualem modò delineauimus, æstuantem nempe, benéque calidam & siccam, reperta Aestas fuerit ; deinde falsum nos protulisse credat alius quispiam, ipse errore non in rectum directæ cogitationis seductus fallatur. Qui Hispalim Hispaniæ, qui Neapolim Italiæ, qui Aegei insulas, protensumque in longum per Parallelos eosdem Plagarum limitibus his contentarum tractum, adierunt, referunt nobis magnos quosdam Aestate calores, pluuias perquàm raras: ijdem, Hyemes è contrario frigidas, humidasque, quales esse temperatorum locorum par est, non perpetua glacie aut niuibus rigentes, pluuias, humectas, frigidas, quale ferè desinentis iam Sexti, inchoantísve Septimi Climatis Vernũ fuerit tempus. Itaq; Aestate iã adulta, locis temperatioribus, quæ diximus, ingens siccitas visitur, nullæ plerunque herbæ, exarescente exustoque solo : at Hyeme vel media latissimè pabulantur oues, armenta pascuntur, nunquam tegendos niue agros ; iam vernantis anni Soles temperiem demum exhibent veram, quam paulò magis obrigido cœlo assuetus pro Aestate ducere possit ; plagæ autem illius incola etiam temperatior, verè temperamentum sentiat. Ex his, opinor, anni temporum naturas æstimabimus meliùs, causasque rectiùs ducemus effectorum, Verque statuere temperatum licebit nobis sine controuersia. Etenim calor, quem nostris his locis ad Septentrionem magis positi, Verni temporis sentimus, meritò habendus haud quaquam temperatus sit. Itaque sæpissimè rigemus in hoc calore, hypocaustis vtimur interdum, non sanè, quàm si media alibi vigeret Hyems, minùs. De hoc dici fortasse non falsò possit, haud magnam fieri ab eo vaporum in aëre dissolutionem, nec tantam, quanta de tellure semper sublata suggeritur materia, vnde humidum meritò Ver existimetur. Sed statuendum in his exemplum non est, nec ducenda hinc argumenta ; quum de temperatæ Plagæ tempore instituta disputatio fuerit. Non solùm enim humidum hoc pacto, sed etiam frigidum facere Ver cogentur, quod ipsi tamen nolunt : contra verò temperatorum locorum Vernos dies paulò magis calidos experiemur: at non vsque eò tamen, vt temperiem iustam exijsse dici queant. Quum enim calorem, & humorem temperatum dicimus, qualis viui hominis, notisque omnibus suis temperati ; procul dubio eum dicimus, qui sentiri, haberique calor possit, tangentique qualitate manifesta satis offeratur sua non immeritò. Frigiditas enim nullo prorsus pacto, per se quidem, ac primò, operibus sese vnquam naturæ vllis addiderit : idque de recepta iam vbique rectè philosophantium sententia. Itaque longissimè absit hæc oportet, vbi naturalem in his temperiem rerum quærimus. Hinc factum opinor, vt (quod anteà quoque sæpe iam dictum est) multi hominum, exactam, atque in æquilibrio positam temperaturam, licèt exquisitam esse non nescirent, vsurpato caloris tamen & humoris nomine significarent ; quòd vitæ nostræ temperamentum qualitatibus duabus his, sed quæ nihilominùs in temperamento tali sentiri euidenter possint, constet. Dicet hic aliquis: Ergo Temperamentum tu nobis facies, vbi pluscùlum tamen insit caloris ; quòd hunc tãgentes tantũmodò sentiamus, frigus nullum. minimè verò id : Quoniã in quantumuis ęquabili caloris frigorisque portione, benè atq; exactè inuicem commixtorũ, caloris sese nobis potiùs sensus tamen quidã detegat, sed mitis, sed placidi, leniq; semper appulsu quodã manum ferientis : frigus autem occultetur. Cuius rei periculum fieri cùm in multis sæpe alijs, tum verò ad manus in gelidissimæ feruentissimæq; æqua vtrinq; lance commixtione, cui haud dubiè caloris inesse placidi cuiusdam sensus percipietur : modò confestim id à commixtione fiat ; sitq; ea partium mixtura, qua, quantum fieri potest, in vnũ ductæ coëant: ne, si hoc non fiat ; aut diuersis in partibus frigoris calorisque sensus appareat, aut paulò longiore mora exhalatus abeat calor, vtpote aquæ tum aduentitius. Quòd si temperamentum hoc (vt quidem facere debe-

debemus) Verno tempori adscribimus, cui caloris temperata vis ea insit: viderint, quæso, qui tam vehementer oppugnandum sibi in hoc sumpserunt Auicennam, num rectè dictum, scriptumque ab eo fuerit; plus absumi ab huiusmodi calore Vere vaporum in aëre, quàm tellure remittatur, vnde siccato parumper ita, quodque mediocritati faciendæ satis sit, nimio Hyemis humore, hac quoque in parte sicci humidique temperamentum Veris existat. Valde quidem verisimile id fit, rectéque ideò senserit Auicennas; itaque contingere dicent, qui temperatiores plagas verno tempore adierint, vt aëris ibi nec siccitatem, neque humorem nimium persentiscant, quoties quidem naturaliter se habuerint tempora. Veris autem temperiem hanc, sub paulò magis Septentrionali cœlo quæsisse, vbi frigoris sæpe plusculum, humorisque nimium; hominum certè sit, ad distortam potiùs, quàm rectam normam rerum harum iudicium exigentium. Ijdem illi temperatæ magis Plagæ Hyemes experientur, frigidas quidem atque humidas illas; at non vsque adeò tamen rigentes, vt gelu durentur omnia, frigúsque, iuxta Poetam, sceleratum id vrgeat, cuius vi expresso expulsóque humido, siccissima glacies sequatur: simúlque calidi, quo cum humidum vnà discedat, expressione idipsum contingat, humidæque intereà potentia tantùm remaneant res. Valde nanque præternaturale hoc locis illis fuerit, quum continget. Ijdem animaduertere non ita obscurè poterunt, tantos ibidē vigere Aestate calores, siccitates tantas; vt non facilè, sicuti nimia Hyemis humiditas Verno tempore emendata tollitur, ita attemperata Autumni frigiditate tolli facilè Aestatis siccitas possit, vt ad medium ducta temperetur. Cuius planè rei nihil omnino aliud causæ sit, quàm quòd non, vt caliditas quæque euaporando siccum; ita quoque condensando frigiditas quæque humectum faciat. Hæc enim (vt in æqua vtrinq; qualitatis vtriusque mixtura fieri superiùs diximus) quemadmodum sensu in re attemperata occultatur magis; ita vires quoque expromere minùs suas potest, quasique victoriā alteri concedens, vnà faciendi facultatem permittit, ipsa alioqui inferioris quoque, in agendo, semper notæ: itaque maior expectanda frigiditas, quàm quæ Autumni sit, vt aërem densans humectet simul. Quoniam res semper visę sunt siccari meliùs promptiusque, quàm humidæ fieri. Hîc quoque par est existimemus, hac de causa contingere posse, vt Hyemis humor Veris successu moderatè siccatus attemperetur; non attemperetur siccitas Aestatis, paulò humectioris Autumni successu; etiam vt vtrique (Veri dico, & Autumno) par insit, siccandi huic, humectandi illi, facultas. At enim (inquiunt ijdem hoc loco hi) rerum experientia contrà stat. Quandoquidem, si pannum sumpseris benè siccatum, immersumque aquæ extraxeris, humectissimum totum factum momento temporis videas: eundemque deinde vt exicces, id verò non nisi longiore temporis mora assequare. Quis non det manus statim victas huic argumento, tam promptè minore opera humectum, quàm siccum, fieri quicquam posse colligenti? Veruntamen pannum hunc, seu lineum, seu laneum, quem aquæ immersum humefactum statim extrahis, iubésne nos aëri vt exponamus desiccandum, idque calido potiùs, an frigido, aut quo tandem modo se habenti? an rectiùs ita demum experiemur, si nec humectum, nec siccum nimis, mediumque disscissum, alteram eius partem humidissimæ aquæ; ardentissimæ siccissimæque flammæ alteram iniecerimus? Etenim non iniqua sit rerum inter se comparatio oportet, si quidem æquum fieri iudicium debeat. Quòd si factum ita fuerit; nónne aqua madefecerit ad summum quidem illa, atque extemplò, pannum, sed integrum tamen; at flamma eodem temporis momento, præter quàm quòd siccatum, etiam consumpserit totum; vt necessum omnino sit (quoniam actiones eæ omnes gradatim, vt ita dicam, fiunt; quanuis sensum plerunq; nostrum effugiunt) anteà siccatum esse ex toto, quàm absumptus combureretur, cinisque fieret. Contulisse autem extremè, statimque madefactam ex aquæ immersione rem, rei, quæ longiore temporis mora, Solis, aut aëris siccetur vi, haud scio, quàm peritè, rectéque conferentium inter se res ipsas sit. Agentia patientiaque in rerum comparatione ęquæ inter se sint conditionis oportet. Conferamus igitur (si quidem æquabiliter factum hoc velimus) res, naturæ, temperamentique eiusdem duas, rebus, quarum altera extremè (vt dixi) humefacere; altera extremè quoque siccare valeat; ignem aquæ, vel aquam igni: non aquę humefaciendi viribus maximis, aëris resiccandi vires non sanè maximas: aut, si hoc nolumus, sumamus Elementi (idque fortasse proposito nostro magis deseruiet) puta aëris, vim diuersi, nimirum sicci, humidique, sed peræquè, eiusdemque (vt loqui solemus) gradus classisque: minimè dubitârim, meliùs, citiusque siccatum iri res quasque ab aëre summè, mediocriter, infimè

infimè ficco; quàm ab humido, fed qui tamen ordinibus his refpondeat; humefieri eafdem poffe: adeò, vt quum etiam ad temperamentum ipfum peruentum eft, vt ad aërem (quoniam de hoc fermo) temperatũ, paulò maiorẽ femper ineffe in hoc quandam (fubobfcurè licèt) ficcandi, quàm humectum faciendi, facultatem experiamur: quòd, vt dixi, in temperato quanuis, ficuti calefaciendi, ita ficcandi quæque plufculum omnino fefe vis quædam proferat; ibidémque ficuti frigefaciendi, ita denfandi quoque, & humefaciendi minor. Hinc fit, nec aliunde, opinor, vt iuxta grauiffimorum Authorum fententiam, aëre hoc circundatis bona ex parte, paulatim tandem, minutatímque ficcetur congenitus nobis calor, vnde perpetua quoq; corporum trãfpiratio, vagánfque femper fluor fequatur.

Ad hanc rerum (quo, paulo anteà diximus, modo) confideratarum, examinationem, expenfa argumenta, quæcunque adduci de Anni temporum temperamentis in contrarium vnquam poffint, diluuntur. Nam aut Plagarum intemperatarum Anni tempora adferent in medium, aut rerum exempla conftituent diuerfiffimæ inter fe conditionis, aut eafdem etiam, diuerfimodè tamen affectas, in difputationem, aut tale aliquid captiofum, & fcirpeum quod fit, fument. Quod nifi in tradendis, accipiendifque artibus, difciplinifque femper fiat, vt rerum diftinctione vtamur, iam confufanea erunt omnia, erroribufque impliciti, induemus nos in laqueos inextricabiles, deceptiq; decipiemus alios, in decipulas eafdem tractos. Sed tempus eft iam, vt reliqua perfequamur, variáfque temporum Conftitutiones tractandas fumamus.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER QVINTVS.

De Aëris conftitutionibus, quibus quæque, plùs, minus conueniant, aut inconueniant Anni temporibus, tam in temperata, quàm in intemperata regione.

CAPVT I.



TEMporum conftitutiones dicimus, quas Græci συςάσεις. Sed & harũ ratio, non fecus ac prior, cunctaq; in vniuerfum de rebus his, ad temperatirum Plagarum rationẽ exigenda femper eft, in quibus Anni tempora naturales fibi propriafque conftitutiones cuftodiant: idque fi nihil intereà occurrat, quod, quo minùs temperatior Plaga temperamentum fuum feruet, efficere poffit. Incidit enim non raro locorum conditio, vt, quantumuis temperata loca, ob montium aquarumque vicinitatem, fitumque horum diffimilem, ventorumque perflationem, contrarijs fæpe inter fe viribus hîc, alibíve flantium, & huiufmodi quædam, fusè, vt opinor, fatis tractata anteà, temperiem tamen fuam amittant: vtique in his non fanè admodùm valitura fit rerum harum omnium ratio. Quomodò enim, exactè licèt medij temperamenti regio, fed quæ ciuitatem habeat ad altiffimorum montium radicem, aut in vertice quoque eorum pofitam, aut quicquid fieri poteft huiufmodi, cœli vnquam temperiem habitatoribus fui largietur? eo quidem loci? vt ipfa intereà vniuerfa temperamentum fuum obtineat?

Itaque, quemadmodum in difputationibus alijs, hoc genus, omnibus, ita hîc quoque ftatuendæ primùm regulæ, de quibus pronuntiare in commune liceat: deinde, fi qua priuatim occurrent, quibus variari vniuerfale id foleat, tum veluti deducenda de fumma, reique particulari accommodanda ratio ea fuerit. Vt, hoc loco, vbi de Conftitutionibus aëris inftitutus nobis fermo eft, communia priùs de his ipfis dicta proferenda funt, quæ pofteriùs euenientibus rebus alijs multis, priuatas quafdam rationes fequuti, aptemus.

Commune illud, vniuerfumque: quòd temperatæ regionis Anni tempora temperamentum perpetuò fuum, quale cuiufq; defcri-

descripsimus, feruent; Ver suum, Aestas suum, & item alia suũ quæque: intẽperatorum aũt locorũ regio anni tempora sua seruârit; at non qualia temperatæ regionis. Intemperata enim cuncta ad hanc, etiam quum naturaliter se habuerint, ducenda sunt. Verno enim tempori, quod æqualissimum temperatæ Plagæ sit, alterius Ver collatum, frigidæ frigidum satis, calidæ æstuans futurum sit. Vt, si intemperatæ regionis Ver æquabilem vernantis rectè cœli temperiem attulerit, iam hæc illi esse præternaturalis constitutio incipiat: atque è diuerso paulò magis frigidæ regionis Aestas, sicuti calidæ Hyems, secundùm naturam se suam habentes, temperiem facilè incurrant, qualis Veris est inter extrema omnia positi. Rursus Ver hoc ipsum (temperatum dico, temperatorumque locorum) faciliùs, quàm reliqua Anni ibidem tempora, in contraria actum, constitutiones varias, easque præternaturales omnes, experietur: nec insignitè tamen peccari in eo soleat, vt extrema vltra feratur. Nam, quum omnium in medio sit, excursus illi facilimus in opposita quæq;, vt & refrigescere, & incalescere, & vdum & sudum fieri in eo cœlum possit: at non perinde vt Aestate Hyeméve tamen, quorum vtrũque, quum in propriam intemperaturam paratior semper lapsus sit, vt incalescat siccaque fiat Aestas, refrigescat humefiatque Hyems: sic non facilè incalescere ac siccescere valde Hyems, refrigerari atque humefieri Aestas consueuerit. Quam propè conditionem corporibus assignant Medici, temperatis, intemperatis, quum temperatum omnia quidem fieri posse dicunt, vt faciliùs, quàm calidum, refrigeretur; quàm frigidum, incalescat; humidum, siccescat; siccum, humefiat. Persuadet enim ratio, vt propiùs extremis positum deduci eò à contrarijs vndique causis coactum debeat, ita quidem, vt bonitate in hoc à reliquis omnibus particulatim vincatur: quorum vnumquodque propriæ sibi intemperaturæ excessu, ingruentibus extrinsecus contrariæ intemperaturæ causis, resistere promptiùs, faciliusque, quàm medium temperatumque, possit. At in eo cuncta simul superat, quòd occurrentes sui generis causas easdem intemperaturæ, quæque (vtpotè longiùs à medio positæ, iamque procliues in id, quum promptè incurrant) facilimè extra sanitatis campum exactæ feruntur, ipsum in medio positum fortiùs sustinet, & vt omnibus vndequaque tentetur, validiùs repugnat. Eadem fuerit Veris quoque ratio, cuius temperamentum si non, vt Aestas, refrigerantibus, humefacientibusque nimiùm causis contrà stare; neque rursus, vt Hyems, calefacientibus, atque exiccantibus: at neque, vt illa, ad calores siccitatesque nimias, neque ad frigus humoremque, vt hæc, facilè perueniet: & vt causis eisdem in intemperiem aliquam feratur; non vsque eò tamen feretur. Quoniam æqualiter ab extremorum excessu vnoquoque longiùs abest, quàm vt ægritudines inde gignantur, quales aut calida siccáque nimiùm Aestas, aut frigida & humida nimis Hyems ferre consueuerint, sæuas vehementésque inprimis; in quo maius, haud dubiè, operæpretium semper sit. Quamobrem non iniuria animalibus omnibus exoptatissimum contingit vernum tempus, temperamenti, toto dierum suorum spatio, proprij tenorem si custodierit: tum, si qua tamen suborta appareat intemperies, ea magnane sit, id quod aliás etiam, dictis antea de causis, nec fieri magnoperè possit, nec facilè contingere consueuerit, magna temporis huius bonitate atque vsu. Atque hic tamen, si constitutio præternaturalis aliqua Veris temperamentum vitiet; frigidam, quàm calidam; siccam, quàm humidam, optare magis semper debemus: non quidem, quòd calore & humore vllo excedat Ver, atque ideo reuocari in contraria postulet: (temperatum nanque esse docuimus) sed quòd qualitates eæ, paulùm modò mediocritatem supergressæ, facilè deinde ingentes periculosósque morbos accersant. Etenim, si aut calor, aut humor, aut vtrunque simul exuperârit: sicuti in seorsum euenientibus minus; ita in conuenientibus in vnum nocumentum maius omnino inerit, ob putredinem, putredinosósque morbos, quos cum maximo semper ægrotantium periculo afferre intemperatura ea facilè solita sit. Alijs verò Anni temporibus si peccandum sit, in diuersam potiùs naturæ propriæ intemperaturam vt peccetur præstiterit, propterea quòd si hoc eueniat, velut excessus temporum coerceatur, propiúsque ad temperamentum accessus fiat, vnde bonorum omnium prouentus. Aliter autem si contingat, naturalem intemperaturam suam prætergressa tempora, nimis magno excessu eo, necessariò multorum, magnorúmque morborum causa fuerint. Atque hoc in temperata regione, quæ corporum itidem temperatorum sit, libenter cœli semper temperiem sequentium sui, vtpotè qua salubriter in statu suo conseruentur.

Nam de intemperatis alia fortasse ratio sit, quod quidem ad Anni tempora attineat. Hic nanque verno temperatæ regionis cœlo in benè calidis Hyems:

ems : in frigidis Aestas assimilabitur potiùs : Ver autem intemperatum fuerit. Atque hîc tamen quoque (quoniam nata inibi, alitaque, atque educata corpora, cœli semper sui temperiem, quæcunque ea sit, libentiùs sequuntur) salubriùs degent, Verque fortasse alijs incommodum, temperatum sibi, aptumque sentient: sique (vt de temperatiore Plaga superiùs dictum) expectandus excessus aliquis fuerit, in quo naturam suam exeuntia anni tempora intemperie laborent; hîc sanè quoque non minùs Aestate frigiditas & humiditas desideranda, vt caliditas & siccitas Hyeme. Quoniam sub quocunque tandem cuiuscunque regionis cœlo, quum id potissimùm, atque inprimis optandum sit, vt proprium naturæ suæ temperamentum, Anni tempus vnumquodque custoditum seruet: proximum illud erit, si qua euariandum hac in re sit, vt in Vernum temperamentum inclinando vergant. quod ita demum fiet; si quibuscunq; tandem in locis, frigidissimis quanuis, aut calidissimis, extrema ad Veris (quod semper in horum ipsorum medio positum sit) temperiem deducta reuocentur. Cuiuscunque autem Plagæ corpora valde verisimile sit tutiùs salubriusque victura; primùm, iustum sibi propriumque seruantibus temperamentum Anni temporibus, toto quidem anno, Vere autem inprimis: vel, si hoc non dabitur; at quum declinatione à naturali statu suo in vernam regionis suæ temperiem inclinârint tempora. Quoniam quidem Aethiopi cœlo suo assueto; eodemque pacto Scythæ, suo, benè constituti anni saluberrimum Ver: atque ab hoc, quæcunque ad vernam hanc temperiem proximè accesserint, tempora commodissima fuerint. Quorum alter, Aethiops, Hyeme, quàm Aestate: Scytha contrà Aestate, quàm hyeme, meliùs salubriusque; vterq; autem Vere suo optimè, eandem ob causam, degunt; ideo quòd vtroque tempore, ob Regionis hîc æstum, ibi frigus, vernum quoddam, sed Plagæ illi proprium tamen, temperamentum aliquatenus concilietur. Cæterùm hæc explanatiùs, aptiusque in operis progressu docebuntur. Nunc eò tantùm allata huc à nobis sunt, vt explicatior deindè appareret Constitutionum omnium ratio, obuiamque ita maximè iretur Sophistarum cauillationibus, in quas delabi, non tractatis priùs ita his, facile fuerat.

Quid cœli constitutiones faciat naturales, tum præternaturales, & quatenus harum causas inuestigasse Medico liceat.

CAPVT II.

Redeamus ad Constitutionum aëris rationem. Ex Græcis, vt dicebamus, ἀι τοῦ ἀέρος συςάσεισ sunt, quę tũc fiunt, quum cœlum aliquandiu (non enim duorum, aut trium dierum spatio id contigerit) aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, aut coniunctim ista, vbi conuenire in vnum possunt, senserimus. Durabilitas ea seu permansio in aëre perstans constitutionem fecerit, diebus, si qua præcesserit, quæ superanda sit, oppositarum qualitatum constitutio, pluribus omnino: paucioribus, si nulla: vt si caliditas & siccitas aërem priùs occupârit, eaque insignis fuerit, plusculum semper temporis exigatur, vt contraria frigus humorque inuehantur, quàm si media quædam constitutio præierit. Etsi autem non ineptum sit, appellasse constitutiones temporum etiam naturaliter se habentium, vt, quum Hyemis constitutionem frigidam & humidam; Aestatis calidam & siccam; & huiusmodi; annique tempora constitutiones suas seruare dicimus: visitatiore tamen vocabulo hæc, quum præternaturale aliquid aëri ingruit, accipimus, quoties aut constitutioni naturali temporis contraria alia, aut eadem, sed longè qualitatum suarum excessu exuperans, contigerit. Qua planè vocis significatione Hippocrati dictum est, Aphoris. III. τῶν καταστάσεον τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον ὁι αὐχμοὶ, τῶν ἐπομβρίων εἰσὶν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεεσ, inter Anni scilicet constitutiones in vniuersum, siccas pluuijs salubres magis, minusq; lethiferas esse pronuntianti: vt non solùm Aestatem benè siccam; verùm etiam Hyemem, reliquaque Anni tempora talia esse intelligeremus. Sed enim facit constitutiones hasce tam Anni temporum naturales, quàm præternaturales, non quidem circumambientis nos aëris puritas, qui si talis esset, naturaque sua constaret, nec variare vsquam videremus illum, vt constitutiones efficere varias posset; & calore, humoreque perpetuò nobis offerretur summo: sed vapores potiùs exhalationesque quædam hoc effecerint, de tellure aquosisque locis eductæ, siccæ, humidæ've, alterutra vincente in his sæpe natura, aut æquata quoque vtrinque sæpe victoria, quæ ambientem nos ipsos aërem hunc qualitate sua inficiant, concalescantque ibi, aut refrigescant, hoc est, constitutionem illi addant, quam vincentium fortè inibi qualitatum natura intro-


introduxerit; proptereà quòd, ſicuti, quũ ordine naturę ſuæ ſeruato procedunt Anni tempora, à Sole potiſſimùm fit, vt modò propiùs, modò remotiùs inuiſens nos, plus eam ob rem, minúsve materiæ illius attrahat, & ob idipſum plus quoque minúsque hanc ipſam excalfaciat: ita, quum pręternaturaliter ſe habent hæc, alia quædam inquirenda cauſa, quæ naturæ, his in rebus, inſtitutum ordinem euictum ſuperet. Ea fuerit vaporum ventorumque inde inprimis cœlum occupantium, coorta, præter Anni tempus, vis quædam, quibus aut humeſcere, aut ſiccari, aut calefieri, aut frigefieri cœlum ſolitum ſit; ſyderumq́; præterea coitio aliqua, quæ efficere idem poſſit. Sed hæc, vt cognoſcatur, prouideaturque à Medico, quatenus quidem Medicum tantùm egerit, non eſt neceſſe. Medicorum enim non eſt paulò magis ſeiunctas à nobis quæſiſſe cauſas, pręſertim, quas inter, effectusque, quos ſentimus, mediæ aliæ interſint. Syderũ porrò cõuentus in vnum, quicunque tandem is fuerit, quo ambiens nos aër immutetur, nunquam quidem (quod tamen noſtri temporis aliqui exiſtimâſſe viſi ſunt) aut calorem intulerint aëri, aut frigus, aut ſiccitatem, aut humorem, niſi intercurrentibus exhalationibus eadem ſyderum vi eductis, ſurſumq́; latis; quæ deinde aut incaleſcant, ſi calidum facientia ſydera fuerint; aut refrigeſcant, aut rareſiant, aut denſentur. Ipſa autem per ſe ſydera ſine his, ac niſi materiam hãc nacta, in quam agant, fecerint nihil. Quoniam quidem euenire aliter non poſſit in hoc, qui nos circundat, aëre, etiam quum ſicciſſimus apparet, vaporum tamen aliquid adhuc retinẽte. Alioqui puriſſimum ſynceriſſimumque diceremus: quod illi in inferiore hoc loco nunquam contigiſſe viſum eſt, vt vapore exhalationeq́; omni ſolutus, naturæque ita prorſus ſuæ reſtitutus, ſummè à nobis calidus tantummodò humidusque ſentiretur. Atq; hoc non perinde ſanè mirum eſſe nobis debeat, ſi aëris pars, quæ nos circundat, non à terra procul, quam calcamus, aliquid tãdem exhalationis neceſſariò ſemper ſuſcipiat: quum ſciamus ſuperioris etiam Elementi huiuſce partes, quò longè minùs attingere extranei quicquam, minimeque omnium inſynceram eſſe debere plagam eã veriſimile valdè ſit: ſiccam tamen exhalationem illam altiſſimè ſublatam petere ſolere. Atqui non aliam facilè inuenias cauſam accenſarum ibi ſæpè facum, lampadũ, trabium, Cometarum etiam ipſorum. Materia ergo eſt, quam aut vſitato conſuetoq́; modo variè per Anni tempora recurrens Sol, ſuisque de more temporibus ingruentes venti afficiant; aut idem ex ſtellarum multarum coitione ſæpe fiat, vt concurſu eo, exortiſque ita interdum, præter annui temporis rationem, ventis, auctisque vel repreſſis variè exhalationibus, naturalis temporum temperatura immutetur, vnaque immutationem eam, ingerente ſe ſemper mediam cauſa hac, corpora quoq; noſtra ſentiant.

Verumenimuerò Conſtitutiones ſolummodò haſce, ambientiſque nos aëris qualitates quæremus Medici, vt aut ad vſum noſtrum facientes conſeruemus, aut aduerſantes nobis corrigamus: ſupra ambientem nos aërem hunc non quæremus cauſas, quibus neq; obuiàm ire poſſumus, ſi maximè velimus; ac tunc tantùm, quum vires ſuas exercere in nos inferiùs huc intermedio aëre inceperint, conſiderandas habeamus, vt immutatum ab his in præternaturalem ſtatum, quem inſpiratu attrahimus, quique nos aſſiduè ambit, aërem ad temperamentum, quantum fieri à nobis poteſt, tum demum reuocemus, aut huius ipſius aëris correctione, aut contraria victus noſtri, & quicquid huiuſmodi fieri in rebus his poſſit, ratione occurrendo; quũ rei huiuſce vſus venerit. Ridiculum enim, ac propè ſtultum ſit, ſi quis hyeme futuræ æſtatis calores attemperare ſe poſſe credat, aut id etiam fruſtra conetur, immò verò inutiliter plerunque ac noxiè, vt frigidorum atque humidorum, ad reſtinguendos æſtatis calores ſiccitatemque, vſu, hyemis. ſiquidem tunc temporis hoc ipſum moliatur, intemperaturam exceſſu hoc adaugeat: æſtate id demum faciendũ, quantumuis multo antea ſciuerimus ſubſequuturos calores hoſce. Atque ideo non magnoperè Aſtrologos nos eſſe oporteat, vt ex ſyderibus futuras aëris intemperies vllas colligamus. Quoniam ſatis nobis futurum ſit, ſi, quo primùm tempore ingruere in nos videntur, ratione tunc omni reſiſtamus, corporibusque noſtris opportunè conſulamus. Cæterùm quibus hoc temporibus faciendum commodè ſit, vt aut in ſtatu ſuo conſeruentur, aut ad melius mutata deducantur corpora, (id verò quoniam omnium poſtremùm tractandum prolixiùs eſt, omittemus hoc loco) atque in vniuerſum quid Conſtitutio primùm per ſe quæque, tum alijs deinde etiam diuerſè coniuncta, efficere nata ſit, docebimus.

Conſtitutionum aëris effectus omnium in corporibus noſtris: quáſque illarum, qui meliùs, deteriúsve ferant, in diuerſa regione.

CA-

CAPVT III.



C per se quidem, primoque, nihil aliud sanè, quàm quod anni tempora, fecerint, vt aërem variè constituentes, qui vndique sese corporibus nostris induit: eodem pacto variè quoq; non immeritò afficere eadem illa possint, modò excalefaciendo, modò refrigerando, modò sicca, modò humecta reddendo, & item côiunctim hoc sæpe facto, diuersoq; nonnunquam anni tempore, hyeme; rursusq; alienis sæpe mensibus, æstate inuecta: & quum diebus ijsdem aliquâdiu inæqualiter constituetur aër, vt modò calor, modò frigus inuadat; dicere tunc autumnum, aut certè pro autumno habere possimus, autumnalesque nobis morbos expectandos tum esse meritò admoneamur ab Hippocrate, vsq; eò consuetas anni temporû naturas euincet quandoq; exorta, persistensq; constitutio aliqua. Vnde effectus quoq; potiùs nobis spectandi, qui ex circumambiente proueniunt, quàm sequenda nomina; siquidem Medici esse volumus. Anteuertit enim hęc consideratio, nosque sępe aliorum obliuisci cogit, dum quæ sentimus, eorum in præsentia vsum noxámve experimur. Quamobrê flante Austro, humefactoq; cum calore aëre, etiam præter naturale consuetumq; Anni tempus, corporibusque inde nostris addita qualitatis nimietate, auditu, visuq; obtusiore simus, capite grauamur, torpemus, resoluimur viribus. Etenim in cerebrû, neruorum fontem, attracto naribus aëre graui, crasso, humidoque, sed & eodem aliunde occultè, fallentibus nos vijs, inuecto, repletisq; ita ventriculorum cauitatibus spiritu impuriore, quum humescere inde omnia, tunc ob idipsum hoc sensus, sentiteriaq; cûcta, instrumentis, spirituumq; transmissione vsa impurorum, hebescere, mentisq; aciem remitti opus est. Quomodo enim caput suû, mentem, anima attollet in altum humore nimio degrauata, quæ, vt σοφοτάτη sit, ξηροτάτη priùs sit oporteat? aut quomodo eandem ob causam caliginantes spiritus, animæ instrumentum, munia rectè exercebunt sua, quibus expeditè obeundis limpidos eos illustresq; esse necessum sit? Iam ex paulò magis madido cerebro madida simul, ideoq; densior facta neruorum substantia, præter id, quòd turbidioris, vt diximus, spiritus progressum impediet; etiam madore ita resolutior contentionem facere motuum haud vllam fortem poterit; vt meritò segne inde, languidumque ad se mouendum, quasiq; resolutum reddatur corpus totum. Contrà autem in siccitatibus, ob contrariam causam, euenit, ob quâ facilè omnia humore nimio leuata, vegeta statim, promptaq; ad functiones validè atq; alacriter obeundas, fiunt, vt quas, sicuti humiditas retundere, ita exacuere siccitas soleat, quo meliùs promptiusq; peragantur. Neque hoc solùm: sed, quum excrementorum in corpore paucitatem, maximam semper sanitatis causam esse sciamus, (Quibus enim nares humidiores natura; quòd excrementi genus sit, vt de cæteris hinc quoq; colligamus, hosce Hippocrates minùs integra semper sanitate frui dixit) vt his careamus, aut certè paucissima ea retineamus, siccæ inprimis constitutionis beneficio assequemur: nimirùm, in qua superfluitas omnis de toto corpore facilè exhalata diffletur. Vnde nimij humoris victor, connatus nobis calor, egregieq; ob id operatus, quicquid superfluum est, facilè absumit: cunctaq; prorsus in alimentum, minima excrementorum parte relicta, conuertit. Quæ quoties paulò magis redundant in nobis, aliquid semper negotij apportabunt, aut necessariò putrescentia, si relinquantur; (non enim fieri aliter potest, ipsa humida actu quum sint, caloremq; corpore contenta sentiât, quin putredinis aliquid incurrant) aut, si depellenda tamen nobis de corpore fuerint, nec fecisse id quotidiè vacabit, & vt interdû vacet, ex vsu tamen futurum non sit, si quidem crebrò id fiat. Etenim quum præter vulgata illa alui, vesicæq; excrementa, quotidiè etiam in mole corporis reliqua, carnosisque, ac solidioribus partibus excrementitij aliquid suboriatur, quod neutiquam naturæ nostræ assimilari valuit, eoq; euacuari postulet: id nec frictio sanè, nec vsus balnei facilè præstabit; quippe quæ cutaneas ferè tantùm partes euacuent, paulò altiùs ad. cta non educant. Et, quum nec leniter subducentibus aluum, hæc, quæ habitum corporis obsederunt, excrementa, nec stercorarijs, quæ ἐκκοπρότικα Græci vocant, ac purgatorijs tantummodo demi facilè soleant: porrò autem hoc per iusta dierum, immò mensium multorum, interualla fecisse tantùm liceat: (non enim vsum feret natura purgâtium medicamentorum diu, quibus velut atteratur) sed neque semel id, bisve mense fieri conducat: (nô enim carebit hoc eadem noxa, & praua introducetur consuetudo, quam abijcere deinde, quû velimus, haud promptum sit) itaq; quum magna solùm necessitas quędam vrsit, facimus, vt ad medicamentorum eiusmodi vsum recurramus, idq; valde multo demum pòst tem-

pore, quum aliter non possumus. Hæc quum propterea non conueniant, reliqua est exercitatio iusta, qua vna, vniuersa corporis habitudine collectorum excrementorum malum tollatur, modò obire illam rectè, commodeque omnes possent. Nũc nec vnusquisque hoc potest, & sunt, qui si maximè possint, non competat illis tamen; vt, quibus gracile, tenueque nimis à natura tributum corpusculum est. Hi nanque sola plerunq; deambulatione contenti erunt: at ea retrusa altiùs excrementa non discusserit. Atque hoc nihilominùs paulò magis constitutio ambientis aeris siccior efficit, vt per nares in cerebrum; per pulmonis canales, ad cordis vsque penetralia; per cutaneos meatus altiùs in corpoream molem per totum delata, seseque particulis ita omnibus, intùs, foris, addens, intactum nihil relinquat, quò non vires siccandi suas conferat: quo planè beneficio superuacuo humore exiccato, minimeque iam fluxæ, laxæque, ac dissolutæ, contraque potiùs adstrictæ, in seseq; recollectæ partes exercendis facultatibus suis validiores redduntur. Atq; ex modicè temperata, hoc genus, constitutione vsus hos consequimur: sin paulò magis excedat, neque huic noxa sua defuerit. Etenim ad siccitatem procliuia nimis corpora, biliosaque, nocumẽtum statim inde, plùs ęquo arefacta, adstrictaque nimis aluo, sentient, quæ alioqui sicciorib us natura non fluat: oculi etiam, corporis pars aëri exposita, ac tenerior, morsus sensum accipient: circa thoracem dolores, si qui priùs erant, maiores inæqualis intemperaturæ siccioris ratione fient. Eadem hæc thoracis partes, quas continuo inspirationis ac respirationis motu agitari necessum est, siccitate nimia, minùs quoque aptas cessanti nunquam motui quum reddat, rigidas ac minùs ad mouendum sequaces, magisq; ideo laborantes, atque ex consequenti citiùs quoque dolituras efficiet. Ad quem propè modum scriptum ab Hippocrate est: Siccitatibus ophthalmias & articulares morbos fieri, non illos quidem ex humorum in loca ea decumbentium fluxu, sed siccitatis potiùs nimiæ causa qui fiant, addita tamen siccitati caliditas sic exacuere humores potest, vt fluxiles, penetrantesque factos, ad articulos deducat, doloresque inde creet: & in vesicę ceruicem tractis, vrinæ ibi stillicidium faciat. Quanquam postremum hoc non sanè minus siccitati coniuncta frigiditas fecerit: nimirum, ob frigidam intemperaturam, non valente continere lotium vesica: ibi autem, cùm ob hãc ipsam intemperaturam, sed calidam: tum verò, ob humorum acrimoniam, à calore siccitateque factam. Verùm hæc non sola per seque siccitas fecerit, quod quærebamus; sicuti neque intestinorum difficultatem; quam ipsam potiùs quoque gignere humor acer, quem calor siccitasque creent, solet. Constitutio autem temporis sicca, nihil aliud, quàm siccârit primò; humida, humefecerit; calida, excalfecerit; frigida, refrigerârit. Sequuntur deinde effectus hosce secundariò alij quidam: siccitatem (non moderatam intelligo, nam de moderata dictum priùs) corporis tenuitas, ventris adstrictio, vigiliæ, musculorumque ac tendinum, & ligamentorum, quæ mouendis artubus inseruiũt, ob ariditatem, imbecillitas, atque ad facilem liquidumque motũ ineptitudo; quæ humidã quidẽ quoq; comitetur constitutionem, sed ex relaxatione, sicuti siccam ex tensione: quarum alteram humiditas nimia, alteram siccitas faciat. Rursus ex humiditate corpora incrementum sumunt, lubrica solutaque redduntur, somniculosa fiunt. Morbi autem longè hãc semper plures, quàm siccitatem, comitabuntur, putredoque inprimis: (humores enim succosque ea, materiam suam habet) distillatio præterea à capite; vnde mala multa varijs diuersisq; corporis partibus incumbant, antea quoq; humorum multitudine, ex constitutione tali, occupatis. Ex calore nimia primùm humorum diflatio, spirituumq; ob id dissolutio expectanda; vnde virium statim imbecillitas sequatur: tum succorum in corpore acrimonia; ex qua morbi, febris inprimis, humorumque præterea eliquatio, alui fluxiones, tormina, intestinorumq; difficultates, factura; sanguinis item fluores, paulò magis acuto eo, biliosoq; facto, vt aut venarum oscula reserare, vel etiam arrosam illarum exire membranam, fluxilisque ac mobilis, atque iritatior factus erysipelas alicubi, erysipelatosósve tumores facere queat. Plurima verò è diuerso frigiditas gignet, œdematosos, flatulentósve tumores: repulsisque intrò humoribus, hisque frigidis, ijsdemque densatis, &, ne consumpti distentur, prohibitis, attonitum comitialémve morbum inuehet: ac neruorum facilè distentionem, quæ antrorsum, quæ retrorsum, quę æqualiter vtrinq; contentos tendat: orisque sæpe contractionem.

Hæc, atque huiusmodi alia producent facilè simpliciores cõstitutiones illæ: (simplices voco, quæ, vt in corporibus fit, altera tantummodo ex parte temperamentum exeunt) Cæterùm ita de his considerãdum esse arbitror, vt diuersam aliquatenus existimemus ducendam esse rationem temperatarum, atque è contrario intemperatarum regionum. Nam frigidæ regionis

calida

calida constitutio; vt calidæ, frigida; intemperaturam eam contemperatam æquauerit potiùs, quàm vt intemperaturæ illius proprij morbi ob id introducantur, causa sit: nisi (quod tamen contingere intemperatæ regioni haud temere solet) vehemens, diuturnusque aliquando oppositarum qualitatum harum excessus sequatur. Illud nanq; statui verissimum potest, quocunque id Anni tempore, aut quibuscunque in locis fiat, magnum, diuturnumq; qualitatum sæpe iam dictarum excessum morbos quoque comitari solere, suum quosque. Sed interea alios alibi faciliùs, difficiliúsve contingere excessus huiusmodi: factosque magis, minusque obesse, certum est. Etenim paulò magis calidę regionis incola, calidam constitutionem meliùs feret, ob assuetudinem: vt frigidæ, frigidam. Eædem ita (quoniam in propinqua facilis transitus) facilè fient constitutiones: contrariæ haud facilè; vt, in calida frigidæ; in frigida calidæ, pro anni semper temporum ratione si intellexerimus, succedant. Quumque hoc euenerit, tamen quandoque primò contemperamentum potiùs quoddam continget; vnde nec morbi. Quòd si perseuerauerit, iam tum peribit temperamentum, atque intemperata statim constitutio sequetur: ad quam sui etiam morbi. Atq; ita temperatæ quoque plagæ calidior natura homo, sicuti frigidior, reliquique temperamentum excedentes omnes, ex opposita, contrariaque, quæcunque contigerit, constituti aëris qualitate, iuuamentum potiùs reportârit primò: non autem consuetos alibi constitutionis eius morbos incurrerit. Tum deinde persistente diutiùs, auctaque ideo cœli intemperie, iam hâc ipsam morbi quoque sequentur omnino sui. Quæ nunc sic simpliciter tantùm loco hoc attulimus: posteriùs autem meliùs ad artis applicanda vsum fuerint.

Simplicium naturam constitutionum enarrauimus: quæ si in vnum aliquando conueniant, (qua quidem conuenire possunt ratione) facilè naturæ quoque vtriusque morbos attulerint: in quo tamen animaduertendum sit, alteram sæpe ab altera qualitatem, ad effectus suos producendos, iuuari: vt, caliditatem ad efficaciùs calefaciendum non parum siccitas iuuerit, frigiditatem humiditas. Quamobrem, sicuti in corporibus calidissima bilis, calidus, siccusque humor; frigidissima pituita, frigidus, humidusque: ita inter Anni tēpora calidissima æstas, quę sicca quoque; frigidissima hyems, quæ humida fuerit; aërisq; eodem pacto constitutionum calidissima habēda sit, quæ siccitatem: prętereà frigidissima, quæ humiditatem nacta fuerit. Itaq; frigidissimum sentimus Caurum, Corúmve, eundemq; humidum; calidissimum Subsolanum, ac siccum; calidum & humidum Austrum: frigidum & siccum Aquilonem, nō peræquè ad illos, vel hunc calidum, vel frigidum illum. Atq; hi quoque, si, diuersis quanuis Anni temporibus, paulò diutiùs coorti perflent venti, constitutionem quamprimùm de natura sua facient; corporaq; vnà qualitatū suarum excessu vitiata afficient, morbosq; sibi proprios gignent. Quanuis autem aëris constitutiones potissimùm ex ventorum inibi dominantium flatu fiāt: possit nihilominùs exhalatio sicca, humidáve, cum calore deinde, aut frigore ambientem nos aërem hunc, (priusquàm ventus inde vllus subortus vigeat, aut certè absq; quòd exortum sentiamus) secundùm naturam suam, sicuti aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum; ita compositè quoque coniunctimq; in vnum constituere: vsque adeò, vt immutari inde corpora valeant, morbique procreari constitutionis eius, quam fecerit, peculiares: vt, calida siccaq; constitutione necessariò cōcalescant plùs iusto corpora, siccescantq; vnà, geminata propè causa. Vt enim siccitas per se primoque; sic caliditas, quanquam secundariò, exiccat tamen. eadem ratione augebitur bilis: quæ si qua de causa computruerit; pro locorū diuersitate, in quibus putredinem sumit, continuas, aut interpolatas, semper autem ardentissimas, æstuantissimasq; febres faciet: inde erysipelata, inde aurigo, transfusa partim de iecore (vbi plurima eo tempore generetur) per corporis habitum bile; partim etiam, quum distributus in solidiores corporis partes carnemq; sanguis, iam aliturus eas, tenuioribus sui partibus, calore siccitateque accensus, in bilem degenerat: quod auriginosos homines reddat. Indè intestinorum quoq; difficultates, humoris illiusmodi acrimonia erosorum, furoresq; interdum, ac mentis alienationes periculosę, rapta in capitis arces bile: vel etiā, eadē sese leuitate sua eodē cōcitatiùs attollente, quæ furibundos faciat; & in vesicā aliquando delata, vrinæ stillicidiū prouocet. Nec cuiquam dubiū, contraria omnia expectanda nobis esse in contraria cœli cōstitutione: nēpe, frigida & humida, segnes, torpētesq; mēte ac corpore homines; segnes, tardasq; febres, quas τυφώδεις vocāt, ex pituitosa materia, frigida semper natura sua, crassa aūt, lentaq; sæpe; vt plurimū quoq; ob id temporis reqrat, quo benè perfecteq; cōcoquatur: vnde etiā diuturni morbi existant, hāc quidē ob causam. Nā ex alia quadā, materia

alioqui eadē, pituitosa dico, citissimi, acutissimiq́; fient; quiq́; improuisam sæpissimè mortē afferāt, quoties lentore, crassitiéve, aut multitudine sua, cerebri cordisve vētriculis oppressis, naturaliq́; spirituum progressu impedito, aut infarcta neruorū origine, madefactaq́; tota, subitarios, iugulatesq́; extemplò sæpe morbos, attonitū, comitialemque, ac repentinū animi defectū affert. Id scilicet nobilitas tantùm partis facit, quā materia occupat, vt ferre periculū diutiùs non queat; ex quo si euadat, materiæ tamen naturam sequuti morbi fiant diuturni: ex attonito, neruorū resolutio; ex comitiali, comitialis alter, qui accessiones non prorsus suffocantes habeat, longissimus, vt ad mortē vsq; sæpe comitetur ęgrū. At animi deliquiū, quod infarctas ex humore pituitoso vicinas cordi vias insequitur, ne ipsum quidē, nisi temporis diuturnitate, victusq́; ratione exactè attenuatoria, tolli facilè poterit: frigidæ & humidę cōstitutionis nimię quippe soboles, destillationes quoq; à capite in subiectas partes omnes, grauedinesq́; inprimis, & raucedines, sæpiùs & anginæ, podagrici, articulorūq́; dolores. Cæterùm humori addita caliditas longè magis id fecerit; quòd inde fusi magis facti humores, per corporis quæq; loca faciliùs deferantur, quorū aduentu partes humectiores factæ, intimiusq́; illis, caloris nimirū insinuatione, receptis, solutiores factæ debilitentur, vt & aures inde lōgè, quàm ex humida tantummodò cōstitutione, hebescant magis: caligent oculi, menti torpor accedat, capitis dolores, vertigoq́; fiat; corpus veluti onere degrauatum langueat, nulla ad motiones alacritate. Triste appellamus tempus, quo tristes homines reddantur: quod in nulla alia, quàm in hac, contingat magis cōstitutione; nec vsquam putredinis, ortorumq́; ex hac morborū, causa maior. Caloris enim humorisq́; copia exuperantis, præsertim verò altiùs in corporibus adacti, atq; vnde perspiratio liberior non pateat, propè putredo ipsa est: victo nanque humiditate nimia natiuo rerū calore; ac, ne vltrò, citrò, in partesque omnes permeans rerū se substātiæ per totū indat, impedito; pereant res quamprimùm oportet corruptę, fomiteq́; suo, quo penè vno sustentabātur, destitutæ. Vincitur aūt, impediturq́; potissimùm quidē occlusus: quod oppilatis manifestò vijs, per quas commeabat priùs, cōtingere illi soleat, dum ignis more, intercepto foràs, pgressu, respirationeq́; extrinseca, sine qua diutiùs perstare nō possit, seclusus perit: victúsq; humorē alimentū sui regere vlteriùs, naturęq́; opus dispensare nequit: ac, vincente iā humore superatus, aditū præternaturali calori patefaciet, ex quo putredo statim. Hoc pacto suboriri nō solùm in corporibus, verùm etiā extrinsecus sæpenumerò putredinem videmus, effectibus edocti inclusi alicubi, putrefactique diu aëris; vt cuius statim exhalatione correpti multi pereant sępe, si qui imprudenter sufflatū excipiant; offensis nimirùm, internectisq́; spiritibus cerebri, cordisque, tam aduersa extraneæ rei, ac veluti mephitis cuiusdam, vsque adeò quidem, natura, vt collapsos inde repentè concidisse sciamus quosdam.

De putrefactione, & contagione, earúmque causis multa.

CAPVT IIII.



Veruntamen (addendū enim hoc quoq;) non hîc solùm putrefactio, quod dicebamus, vbi aperta, manifestaq́; obstructio: verùm etiam, vbi lateat quidē, obstructio tamen sit. Nam & in aëre, & in aquis plerūque reseratis, ac patentibus putrefactio tamen inest euidens; at non euidens oppilatio, quā nihilominùs ratione inuestigâsse nobis liceat. Enimuerò cōfessione omnium, quū duo hæc alienæ rei aduentu infecta putrescunt Elementa, humor id procul dubiò facit exuperans, euincensq́; calorem, qui redundatia ea extranei, aduentitijq́; humoris fugatus, discedit, locumq́; ita relinquit vacuum, eodem momento, calori itidē extraneo introducendo; seu potiùs introducto iam, & in alterius cōfestim locū succedenti. At qua alia ratione impediri possit congenitus rei calor, ne per totam rerum substantiam penetret; sic quidē, vt ne minima quidem vsquā particula præsentiam illius effugiat, non video: nisi quum nouum aliquid occurrit, quod, quo minùs omnibus se rei particulis per totum indere possit, impedimento sit. Id porrò quid aliud fuerit, quàm obstructio, oppilatio, infarctio meatuum, ac viarum, spatiorumq́; eorū, quæ adesse rebus omnibus scimus corporeis, sed tota, ac per totum. Occupat autem locum præternaturalis calor humore nimio inuectus, simul naturalem excludit, ac veluti aditu prohibet, non aliter, ac in reliquis obstructionibus contingit, vbi, si quid infarctum obstruitur, humoris semper id præsentia alicuius, aut alterius cuiuspiam rei, vel etiam meatuum aliquando conniuentia, angustaque inter se coitione, humore intercurrente nullo, fiat. Gangræna, quam ita vocamus, nihil aliud, quàm mortificatio partis est,

aut valde proxima ad hanc via, ex caloris exclusione, priuationéque, ne qua is in partem illam illabatur, ac compressione sæpe locorum eorum nimia, quæ arctatis vijs caloris ingressum arceat; aut etiam humoribus decumbentibus eò intantùm quandoque, vt vi veluti deiectus de sede sua, cedere partibus omnibus cogatur congenitus nobis, nosque ipsos partésque nostras per totum fouens, calor: & possideantur extraneo, qui substantiam statim rei destructam, ac putrefactam mortificet, occupatis, obsessisque vijs, sensus quidem nostros effugientibus; sed per quas tamen meare, dirigendæ naturalium actionum œconomiæ, tanquam dispensator quidam, consuesset innatus nobis calor. Hic est natiuus ille, cœlestisque, aut cœlestem certè suscipiens, rebúsque per totum, naturæ beneficio, infusus, insinuatúsque calor, quem per omnia ire, omnia virtute sua fouere, celeberrimi Poetarum cecinêre. Hic tanquam aëra ipsum lumen de Sole, sic de cœlo atque Elementis, (geminum enim esse posse, initio docuimus, qui in vnum conueniant) corporibus immissus, illustrat ea, vitámque illis, vt animentur, largitur, hoc est, vitam vt hæc sortiantur suam præstat; nimirùm, animorum, si cum Philosophorum maximis sentiendum nobis est, vehiculum factus illorum alter, vt alteri coniungatur: quo præsente, dispensentur rectè omnia; absente, extemplò amissa vita pereant. Et, vt aëra aliquo tandem pacto aut vaporum crassitie, aut nebularum densitate obscuratum, caliginosúmque, neque purum Solis lumen admittentem, dicere infarctum, obstructum, atque extraneæ rei aduentu occupatum, impeditúmque possis: ita, cùm corpora ipsa, reliquaque omnia, tum is ipse aër, quoties calore suo natiuo cœlestique illo perspirabilia non sunt, obstructa, infarctáque, atque impedita, & aduentitiæ rei occursu occupata, vijsque, ac meatibus suis obsessa, asserere non iniuria nobis liceat. Vias, meatúsque intelligo, non quales intestinorum, aut venarum, aut arteriarum apertissimos, quos inspicere, tractaréque possis; sed solidioris ossium substantiæ, substantiæ iecoris, substantiæ lienis, substantiæ carneæ, mixtione rerum in vnum coalitarum prorsus, solidéque ita cohærentium, constantis, vt, qua parte commissæ partes cohæreant, introspici haud quaquam possit, penitúsque id vel lyncei subterfugere obtutum oculi valeat. At rationum cogentium nos vim, maximorúmque authorum dictata sequuti, intercurrere necessariò aliquid fatemur. Neque enim tota prorsus ex toto, propria tantùm sui natura, substantia ea expletur, quando veram soliditatem illam, nullaque omnino intercursante re alia confarctam, cœlestibus tantummodo corporibus largiamur. Hoc si tenuerimus, rationesque sequemur hasce: non absurdè, opinor, affirmare nobis licebit; putrefactionis omnis generationem, tam quæ intrinsecus in corporibus, quàm quæ extrinsecus fiat, præire semper necessarium esse obstructionem aliquam. Quumque corruptus, putrefactusque aër fuerit, aquáve, aut alteri demum rei vitium idem insederit: obstructa hæc esse dicemus, natiuo nempe calori, vitæque suæ imperuia; qua destituta, necessum sit, corrumpi extemplò, destructaque putrescere. Hoc autem humida inprimis, calidaque constitutio fecerit, qua humoris tantum extranei inuehitur, vt cedere inde victus innatus nobis calor cogatur: quo abeunte, è vestigio sequitur, cum rei vnà corruptione, extraneus. Atque ita demùm circumambientis quoque nos aëris calor, humorque nimius, putredinis, putredinosorumque, vt diximus, morborum esse causa, atque origo, pulmonibus, aut extimæ corporum superficiei, arterijs attractus, inspiratusque, aut etiam quoquo modo illapsus, introque delatus, possit: & ex putredinis natura, quam secum trahit, interiora contagione quadam afficere queat; potissimùm verò humores, facilè inde contagionem eam sentire aptos & idoneos magis. Serpit enim in proxima quæque pati prompta putredo, correptisque his, latè progreditur non coercita: vt & carnis deinde, cordisque sæpius ipsius, substantiam attingat. Rursus autem hæc ipsa, putredine ita correpta, affectaque corpora, ex reliquis multa secum in putredinem trahant: quæ contagij natura est, vt facilè vicina, maximè autem familiaria, ac cognata, inuadat. Transitum enim in ea facit, quibus cum magis illi conuenit, non solùm putrefactio, sed etiam causa vnaquæque alia agens: vt, sanguinem sanguis, exempli causa, affecturus magis semper sit, biliosus biliosum, pituitosus pituitosum, atq; inter hosce, eiusdem originis, cognationisq; aliquem longè adhuc magis; eo quod propinquior hæc, atq; intima magis conuenientia sit. Conueniens enim inprimis fit à conuenienti re, vt dictum est Aristotelis in Metaphysicis. Quæ porrò esse potest conuenientia maior, quàm eorum, qui non genere solùm, vt animantes: ac specie, vt homines inter se: sed propinquitate etiam propè indiuidua, aut proximè ad hanc accedente, sese mutuò attingunt, vt eiusdē sanguinis, ac propinquitatis sint, quos etiam ex re ipsa consanguineos, & propin-

quos vocamus. In hos igitur faciliùs deriuatum malum transferri videmus. Quod quũ ita sit, valde verisimile fuerit, in similitudine, rerumq; affinitate quadã versari cõtagionis natura: quarũ si præterea tenuem esse substantiam, patiq; facilem contingat, ac minimè agenti rei renitentẽ, faciliùs etiamnum affectum ita eam iri existimemus. Huiusmodi proculdubio est aër, tenuis, affici facilis; tum etiam per omnia sese altissimè ac latissimè insinuans, omnia ambiens, omnia penetrans: vt indere se hac vi corporibus ad penetralia vsq; intima, corruptusque aërem ibi primùm, aëreęque substantiæ spiritus, qui sparsi, diffusique per omnia habentur, statim corrumpere, corruptionisque eius, ac putrefactionis naturam, formamq; reliquæ quoque corporeæ materiæ addere, præsertim aptã & idoneam nactus, valeat.

Ac fortassę contagij, contagiosorumq; morborũ ratio vniuersa modo hoc, ac ratione continetur, vt nusquam alibi, quàm in aëre ipso, aëreaq; substantia, hęrere affectus huiusce primò naturã; nec transitum in alia facere hàc vnquam, nisi per aëra delatam; nec nisi huic ipsi inhærentem, alicubi aliquandiu subsistere posse credamus: quodque, cùm proxima attingat, tum ad remotiora feratur, naturæque suæ fomitem rebus sæpe multis diuq; adhærescentem remittat, id totum transfusi tantummodo per aërem vitij habendum sit. Nam quòd aëris corruptio, per vicinas semper quasque, corruptasq; aëris partes, in paulò etiam magis semota transire, vimq; eodem putridam deferre queat; ambigendũ magnoperè in eo non fuerit: quum & ratio id naturæ tenuis, immutatuq; facilis admittat; quæq; rerum plurimarum species promptissimè susceptas, easdem latissimè quoq; ac citissimè diffundere cõsueuerit. Sanè aëra medium frequenter appellamus, tanquã per quẽ rerũ species multę, qualitatesq;, ac tenues quædam rerum substantiæ interuentu quodam diffusæ ferantur. Et contigisse sæpe, memoriæ proditum est, vt ex alienis ac longissimis regionibus delata per aërem pestilitas, remotissima loca inuaserit; occupatis nimirùm vicinis subinde partibus, & temporis mora, ex putrefactione aëreos longissimè tractus peruadente. Quò quidem Democriticæ, Lucrętianæ ve atomi seu corpuscula, aut seminaria, quàm corruptę aëris substantię alia, haud ita facilè peruenire potuisse credamus: ex Aegypto nempe, Peloponesiaci olim belli tempestate, pestilentiam, quam Hippocrates repulerit, Græciæ inuehentia. Atque vt peruenire tandem posse concedamus; tanquam examen apum, aut gruum, volatus sui ordinem, agmenque suum seruantium, minimeque per tantum cœli spatium discussa, atque vncis inter se, (quos præ tenuitate habere nullos possunt) aut fibulis, glutinóve commissa, cohærentiaque, & hamata: quid, quum peruenerint, facient, corpuscula tantula scilicet solummodo? Atqui quantitatem principium agendi non statuunt Philosophi, dicent; immutata agunt. Hoc quidẽ nolle videntur: lenta enim & glutinosa faciunt corpuscula, tantaque mistionis tenacitate, vt, minima quanuis, resistere nihilominùs, quo minùs facilè in partes soluta dissipentur, aut immutentur, neque extrinsecus, neq, intrinsecus, possint: ijdem tamen quum viderent necessariam ad agendum qualitatem esse, non qualemcunque, (quid enim visciditas, aut tenacitas ea faceret ad immutationem substantiæ ex toto?) sed aliquam aptam natam hoc ipsum præstare; calida, & acria faciunt. Verùm hæc, quæ tam alteratu & dissipatu difficilia sunt, vnde tam facilè deinde caliditatem eam, atque acrimoniam suscipiunt, qua tam lata, subitariaque propagatione similem de se sibi edant continuò sobolem, in latissima aëris spatia diffusa? Num (quandoquidem hoc ita fieri minimè posse videtur) illud restat, vt, quum primùm omnium putrefactio aliqua, aut contagionis ratio alicubi (vt in aëre) exoritur, tum primùm corpuscula quoque illa edantur; simulque, actionibus licèt intus forisque ingruentibus, magnopere renitentia, calida quoque, & acria statim fiant? sed quis hoc author, aut quam tandem materiam nactus, faciet, nisi aërem, aëreámve? Non enim de nihilo, opinor, aut de sua tantùm, aut aliunde petita de improuiso materia, procreârit; aut ex factis iam similem priori, vndique circunuolitantium corpusculorum prolem, longè lateque diffusam, propagauerit. Etenim propagatio huiusmodi tam subitanea, fusaque, speciebus magis conueniat spiritualibus, quas ita vocamus: quemadmodum è Solis corpore prodeunti lumini, quo hemisphærium hoc nostrum, propè cogitatione ipsa citiùs, illustrari solere videmus totum. Atqui hoc materiæ existentis iam alteratione, atque immutatione, non autem corpusculorum nouorum generatione, fieret: vt aërem illuminari videmus, qui iam sit, non autem generetur nunc. Ac in corpusculis alia omnino ratio: quæ aut noua sic statim gigni, aut genita similia sibi è vestigio gignere, aut qualitate aliqua immutari, vt alia pariter immutent, nequaquam credibile sit, si quidem rectam corpusculorum, id genus, ratio-

rationem ſequamur,quorum authores pa-
tresq́; qualitatum omnium expertia eadem
fecerint,quantitatem autem conceſſerint:
qua, qui legitimè magis philoſophantur,
nihil primò, per ſeq́; fieri, perſuaſiſſimum
habeant. Hocq́; pacto nulla ſubeſſe omni-
nò cauſa videbitur,quamobrē à corpuſcu-
lis,hoc genus, vllis fieri iſta poſſe,exiſtima-
re debeamus; aut de rebus id credere, tam
plerunque, vnde primò reſiliūt, longè aliò
tranſmiſſis, vt peruenire eò,antequàm diſ-
iectæ diſſipentur,haud facilè queant. Aut
ſi tum primùm generandæ ſint, id nec tam
promptè celeriterq; fieri poſſit, quàm cele-
riter promptéq; ſuccedere, ſequiq́; conta-
gium ipſum experimur. Aut ſi fiat tamen;
nō aliunde, quàm in aere, atq; adeò ex aere
ipſo mutuata materia, fiat, quę iā nō qua-
tenus ex corpuſculis cōſtans, (quippe quæ,
vt talia, nihil agāt) ſed quæ ſubſtātia quę-
dā aerea eiuſmodi,effectus ſimul illos edat.
Quòd ſi in hunc propè modum cogitatio-
ne ſua in id feruntur, vt corpuſcula, ſemi-
nariaq́; intelligāt, vapores exhalationesq́;,
(quoniam non omnis vapor, omnísve ex-
halatio id facit, vt corruptionem eam in-
ducat)meliùs, vt opinor, proferemus im-
mutationem,atq; alterationem aeris,hócq;
caſu putrefactionē: deinde quęremus cau-
ſam. Quærentes autem, inueniemus, infici
aerem vaporibus atq; exhalationibus mul-
tis: corrumpi autem non omnibus,ſed qui
ſubſtantiam aeris deſtruere nati ſint, to-
tamq́; de natura ſua deiectam immutare,
non corpuſcula gignere: quæ,qua corpu-
ſcula,(quod toties iam diximꝰ)nihil effice-
re tale,cuiuſmodi in contagionibus quęri-
mus, ſolita ſint. Inquirenda igitur qualitas
in his diligēter, cui actionem, efficaciamq́;
hanc tribuere nō immeritò poſſimus, atq;
in quā effectus referre omnes liceat, quoſ-
cunq; rebus in his contingere animaduer-
timus. Ea, caliditas atq; humiditas nimia,
atque ideo extraneæ, aduentitiæq́; res, ac
præternaturales fuerint, quibus cōgenitus
natiuusq́; cum humido ſuo calor, quo res
conſeruabatur ipſa, victus perit. Ingreſſus
enim humor nimius in rem extrinſecus ali-
cunde, compagē eius diſſoluit, humorisq́;
primogenij gluten relaxat illud, quo im-
miſſus inſitusq́; calor contentus, quaſique
radice ſua alitus, ſuſtentabatur. Quod quū
fit, pereat miſtio rei tota oportet, ſimulq́;,
euaporato naturali calore,ac propitio,ad-
uerſus, inimicúsq;, præterq; rei naturā qui
ſit,ſuccedat: cuius qualitate manifeſta eui-
dentiq́; accedente, præſertim humoris re-
dundantia, non ſolùm putreſcant res, de-
ſtructa ſubſtantia ſua, verùm etiam harum
ipſarum efficacia,proxima primùm quæq;
(modò ita affici idonea) in putrefactio-
nem facilè correpta trahantur; caloréque,
atque humore ita nimio affecta, harum
ipſarum quoque qualitatem vnà vicinis
ſemper partibus, ſucceſſu quodam conti-
nuato,impertiant: hócq; pacto ſerpēs ma-
lum, fomentúmq; idoneum nactum, latiſ-
ſimè vagetur.

Quódq; idem in diſſita maximè ſpatia
plerunque deferatur, haud ita eſſe mirum
debeat, quoties ſumptis indies maioribus
qualitates eæ viribus ſic inualeſcūt, vt non
ſolùm ſe ad longiſſimā proferre,ſed etiam
quę inuaſêre ocyſſimè putrefacta deſtrue-
re poſſint. quo tempore ingentibus ſæpè
correptis ſpatijs, qualitatū quoq; ſuarum
efficaciam,agēdiq; vim(quòd eæ maiore in
quantitate ad agendum non immeritò ve-
hementiores reddātur) maiorem proferre
ſemper ſoleant. vt ignem videmus quali-
tate ſua efficaciſſimum, ſi locorū præterea
interualla magna occupârit, materiam na-
ctum aridam, latiſſimè citiſſimeq́; fomitis
ſemper noui acceſſu victorem dominari;
eundem paruum, minúsq; efficacem, pro-
prióq; alimento carentem, ſponte ſępe ſuæ
reſtinctum emori: ſic putrefactionis vehe-
mentioris, maiorisque, maior, vehementi-
órque, haud dubiè, vis: minoris, minúsque
efficacis, minor; vt nec tā latè ſerpere, neq;
tam citò peragere putrefactionem, nec niſi
materiam tantummodo idoneam maximè
nacta, queat. Quum è diuerſo, paulò vehe-
mentior quę fuerit, ob agendi vires maxi-
mas, etiam quę paulò minùs putrefactione
corripi apta videantur corpora, corripiat
tamē: vt, in Thucydidis, aut (cuiꝰ ſępe me-
miniſſe ſolitus eſt Galenus) Aurelij Anto-
nini tēpeſtate, peſtilētia; ætatúmq; ſuperi-
orum noſtrarū aliquot; quę dimidiā plùs
hominum partem abſumpſiſſe ſcribantur.
Atq; eæ demum ſunt, quę corruptum, pu-
trefactúmq; aera cauſam habuiſſe exiſtimē-
tur: nec credendum tamen aliter, aut exiſti-
mandū. Putrefactio enim inſignis aliqua,
calore humoreq́; conſtans nimio, locóque
olim fortè exiguo cōtenta, noxámq; nemi-
ni inferens, (neminē quippe tāgens) veluti
ruptis deinde carceribus euolans, longéq;
ac latè diffuſa, ambientem infecerit: qui in-
ſpiratu per os, naréſque, aut per cutaneos
meatus, deriuatis eò arteriarū oſculis, attra-
ctus, non ſolùm correptorū corporū aera,
aereámq; ſpirituū ſubſtantiā, atq; humo-
res ſubinde corrūpere, ſed etiā id præſtare
poſſit, vt corruptus ita, putrefactúsq; cor-
porū aer, corporibus alijs aliquo tandē pa-
cto immiſſus, eadē (deſtructo contento in
illis aere) deſtruat; relictúsq; hoc pacto fo-
mes tranſire in alia, admirādo maximè effe-
ctu, cōſueuerit. Quæ cōtagij ratio eſt, mira
quidē illa, vt diximus, neq; occulta tñ, vſq;

adeóve cogitationes nostras effugiens, nullus vt assequi ratione tandem non prorsus latenti possit. Putrefactionem enim dicimus, iuxta Philosophorum maximorũ placita, calidi humidiq; prçternaturalis dominationem, qua exuperatus naturalis calor, euaporatusq; secedit. Actionẽ tribuimus, non anxiè scrupuloseq; nimis quæsitis rebus; sed quas agere semper maximè cõsuesse qualitates scimus, easdẽ huc ad agendum accersimus, caloris humorisque, quæ qualitatibus suis adauctæ, (vt cætera agentia omnia) vires cùm vehementiùs exerãt suas; tum verò latiùs quoq; transfundere in alia easdem solitæ sint: minores verò, minùs etiam semper hoc faciant, sic tamen, vt eadẽ semper putrefactionis forma sit, maioribus tantummodò aut minoribus agendi viribus distans: quos gradus vocant. Itaq; sicuti summa, quam diximus, ac vehementissima putrefactio, nullo propè discrimine, in multo plura sæuit; idq; ad ingentem plerunque locorum distantiam producto effectu, ocyssimeque peragit, ac diutissimè perstat: ita mitior quæ sit, nec protenditur valde, ac lentiùs agens, citò quoq; desistit: cuiusmodi mitissimũ pestis genus est, aut pestilentes febres nonnullæ, (petticeas, aut lenticulares, quas vocamus) quæ contactu solo, aut traducta ab alio inspiratione, fiãt. Non enim vires eas putrefactio minor obtinet, quibus aut paulò longiùs distãtia afficiat, aut è vestigio putrefaciat: aut quũ putrefecerit, citò interimat. qa sæpiùs plurium dierum mora victa cedit. Quod non alia de causa contingere posse credendum, quàm maiorum, minorumq; in putrefaciendo virium ratione: non autem (vt arbitratos quosdam esse superiùs quoq; attulimus) corpusculorum transmissione, nouorumq; generatione, sed alteratione potiùs, atq; immutatione substantiæ aereæ: quæ immutatio, dico, atq; alteratio, modò longè lateq;, vehemẽtior scilicet facta, serpat: modò minor, minorumq; viriũ agendi imbecillitate sua subsistat: ne progressa efferre se ad multum victrix possit: attactu tamen, velut irritata, infectiq; ac corrupti aeris, cui inhærebat, commotione, vitium statim inferat. Is enim priùs reses quietusque, nec quicquam promouens; agitatus deinde vires statim proferet suas, affectũq; suum tangenti addet; correpto nimirum, ex putrefactione eadem, aere, per cutaneorum meatuum raritatem; & refuso olim, aut etiam inspiratiõe tracto. Etenim illud existimandum nobis semper fuerit, hærere perpetuò aëri putrefactionẽ hanc eo tempore, cõtagijq; rationẽ, siue ea paruarum, seu magnarum virium sit. Nam & quũ corruptior primò aliquam ob causam circumambiẽs nos aer pestilitatẽ fecerit; & quum particulatim mutuò corruptarum rerum attactu suboritur ea: non aliter, quàm insidere, toto eo tempore, aeri, seu corporibus nostris circunfuso, seu horum quoq; cauitatibus, latisque atq; angustis vijs immisso, mali originem, fomentumq; quoddam arbitrandum est: quo deinde reliqua quoq; in affectum trahantur cõsimilem. Vtrobiq; enim contagium, idq; ex aeris vitio apertè: eo tantùm discrimine, quòd paulò latiùs circunfusi nobis aeris putrefactio illa, ore, naribusque, perq; extimam corporis totius superficiẽ, innumeris propè vijs, attracta, eodẽ corripere multos, diuersosq; tempore solet: at quç priuatim ingruit, mutuaq; tantummodò consuetudine obest, ea non nisi miscenti se, atq; attrectanti, infestam exhibet: quòd in altera cõmunior, quamq; vitâsse haud facile sit; in altera priuata magis, & quæ propterea caueri quoque magis possit, causa subsit: tam hîc tamen, quã ibi, ex aere semper malum, maliq; vnà ortus, ac fomes, sine dubio, prodit: atq; hîc atq; ibi iuxtà pariterq; contagio: ibi aeris, hîc corporum, sed per aerem. At contagium vsitatiùs appellamus corporum magis priuatorum: quòd, quũ tactus corporum solummodò fit, euidentiùs id in his appareat, quàm in aeris communi magis tenuique corpore. Quamobrem non sanè abs re aeri adscribenda semper putrefactionis, contagionisq; ratio ac natura fuerit: cuius causa aut aerem ipsum, maiore quodam ambitu, aut priuati alicuius propriũ occupet. vnde vtrobiq; in alium, non secus quàm tangendo, (id quod vel vocis ipsius ethymum significet) contagium deriuetur.

Deriuatur autem non solùm in viuentia, quæ aeris parte proculdubio constant, verùm ad inanima quoque corpora: non omnia autem, sed (quod argumento maximo sit, eorumque, quæ sæpe iam diximus, assertio) in ea tantùm non quidẽ, quorum solida compactaque nimis, ac sicca natura, densatáq; valde superficies, iustam suscipiendo contagio aëris quantitatem excludit; sed quç foraminosis meatibus plurimis, ac cauernarũ, aerem multum excipientium, laxitate, cõstẽt. His haud inuitus hæret fomes, vligine præterea interclusi aeris fotus, transmittẽdúsq; quamprimùm in alium, si attrectatus excitetur. Ea ꝓpter marmora, metalla, gẽmas, vitra, nisi sorditie cũcta hçc obducta, accipere fomitem hunc non videmus: pannos autem laneos, lineósque etiam, ac sericeos videmus: minùs tamẽ facilè hos, naturç siccitate, vt omnia veritati cõueniant. Siccitas enim duritiem affert: hæc densitatẽ, meatuumq; interclusionẽ. Nihil mihi quidem occurrere videtur hîc, quod

excuti

excuti vlterius postulet: quum rerum omnium rationem, quantum prospicere ego possum, nec sanè minùs effectorum quoque bona ex parte teneamus. Nam & ratio allata est putrefactionis receptissima, & contagionis modus ostensus minimè ab agêtium qualitatum natura abhorrens: & quòd plures in cõmune, quòd priuatim quidam contagione ea corripiãtur, id quoque, ducto ex rei natura argumento, declaratum. Quòd verò putrefactio in hunc magis, quàm in illum, transeat: quòd aliquando pueros, aliquando senes, interdum muliebre genus magis, interdum viros, & ex cõsanguineis quosdam magis interim corripiat cõtagio: ne id quidem naturali causæ suæ ratione carere existimo. Materiæ enim id, vt alibi quoque in actionibus, non formæ vllius diuersitas fecerit, quæ eadem vbique est. In omnibus nanq; ad corruptionem trahitur aer, vt putredinem sentiat: at non in omnibus idem is, quantumuis putrefactus, proximos spiritus quoscunque, aut humores trahere in consensum, vt illata ita illis vi putrescant, potest: quod cõtagio erat. Hæc enim tum demum fit, quum non solùm contentus corporibus aer, (quod facilimùm ob naturam illi eandem fit) sed etiam spiritus, sæpeque cum his vnà humores correpti putrescunt: quod pro spirituum, atq; humorum diuersitate, & conuenientia, materiæque eius vel ad patiendum facilitate, vel repugnantia; sic quoque aut facilè, aut difficulter, aut nullo pacto etiã fiat. Quum enim prima mali totius origo (vt superiùs disputauimus) in aere sit, atque ex aere tota pendeat: nec quicquam tam ab aere corrupto, quàm proximus quisq; corrumpi facilè aer possit: (cùm, quòd natura eadem sit, tum verò quòd, si quid putredini obnoxium, expositumque aliud fuerit, id videlicet aëreæ cuiusdam naturæ temperamento constet) nimirum iam eò suapte natura inclinanti si calori humoriq; proprio, natiuoque illi, extraneæ quidem, sed eiusdem tamen qualitatis accessio fiat; iam putredo ipsa effecta sit. Eóque verisimiliter valde credemus, proximum semper quenq; putrefacto aeri aerẽ, contactu eius, putrescere debere, seu extra corpora hoc, siue intra ea contingat. Ab hoc non sanè difficilis admodum putrefactionis transitus, ad spiritus, nempe aëreæ cuiusdã substantiæ: at nõ similiter in humores, vt qui paulò magis remoti natura ab his sint, ac densiore omnino, quàm spiritus, substantia resistere ingruẽti putredini possint: tametsi, quũ semel victi arripuerint eam, laturi eandem diutiùs quoq; sint: qui nihilo tamen minùs, quo plus aëreæ substantiæ habuerint, caloris dico, atque humoris; eo quoque citiùs faciliusq; corripiantur. Atq; hæc sit cõmunis, efficaxq; magis in rebus his conuenientia, ac repugnantia, qua aut facilè sentire ab vnoquoq; contagium quisque, aut secus, valeat. Nã seu puer, seu senex quispiã fuerit, seu gentis nationis ve alterius, aut familiæ: hũc ipsum ab alterius diuersæque nationis, aut familiæ homine, ætatisq; diuersæ, infici sæpe videmus: rursusq; reniti quosdã etiam eiusdem cognationis infectioni maximè, vt diuturna plerunq; correptorum peste suorum consuetudine, euadant tamen; quos siccitate humorum præditos, atq; ideo minùs quoq; putredini obnoxios esse, oporteat omnes; sicuti priores illos in calidũ & humidum valde procliues: vt & hi facilè, & difficulter illi, contagione indiscriminatim corripiantur. Atq; hæc communior quædam: illa particularis, priuatáq; magis contagionis ratio, putredinis quidẽ forma ea quoq; nitens: sed priuatæ tantùm materiæ diuersitate, alia: qua eiusdem cognationis, aut consanguinitatis quispiam, nihilo plus alijs causarum, aut promptitudinis suscipiendæ putrefactioni in vniuersum obtinens, faciliùs tamen promptiúsq; aliquo alio corripiatur; propinquitate videlicet sanguinis, humorúmque, atq; etiam spirituum, in quos ingressum facere, putredinémq; inuehere materiæ solummodo affinitate intromissus cum putredine aer, facilè queat. Sicuti in rerum multarũ actione animaduertimus, effectum semper in materiam introduci, paratissima quę fuerit, facilimè. Circunstantibus certè, pari interuallo, ignem rebus plurimis, stupam, (verbi gratia) aut papyrum, aut pilos, aut quem fomitem dicimus, ocyùs reliquis, spontéq; penè sua concipere flammam experimur. Non dissimiliter sanè, eiusdem non speciei modò, sed cognationis etiã, & affinitatis, atq; huiusmodi similitudinis, feréq; ad indiuidui naturã proximè accedens sanguis, faciliùs noxæ expositus illi sit, quæ à forma, materiæ propè eidem, similimæ certè, inhærente, proueniat. Porrò autem diuersitatem hanc, & proprietatem, sanguinem puta, humoresq; diuersos à multis, propriosautem quibusdam; diuersa ab alijs, propria verò ac priuata nonnullis, temperamentóq; inter se, aliquo tandem pacto, similibus, communis corporũ temperatura fecerit: quę forma partis est: eoq; sæpe propriam peculiaremque, & ab vniuersali deuiantem, naturam producit. Sicuti nanque Temperamentum non quoduis, sed tale quoddam, hominibus autem cunctis commune, proprietatem eam ventriculi corpori addit, qua immutati in vniuer-

ſum cibi concoquantur. Sic quidẽ ait Gal. ὅτι γὰρ ἡ ἐκ τῶν τεσσάρων στοιχείων τοιάδε τὶς κρᾶσις, ἡ καὶ τὴν ἰδιότητα τοῦ τῆς γαστρὸς ἐργασαμένη σώματος: quòd quidem Elementorum quatuor talis quædam temperatura, quæ proprietatem quoque corporis ventriculi efficiat, ita quòd alius magis alio, hunc illúmve magis, minúsve, concoquere priuatim cibum poſſit: quòd hic caſeũ, vt multi; &, vt quidam, particulariter quædam auerſentur; plurimi verò natura abſtemij reperiantur: id non in aliam facilè, quàm temperamenti proprij cuiuſdam cauſam reijcias. His autem temperamẽtorum proprietatibus, proprias ac priuatas gigni ſanguinis, humorumque materias, ab infecto temperamenti non diſſimilis homine, rapi ad contagium temperamento eodem præditi alterius faciles, conſentaneum maximè rationi ſit. Et, vt propiùs ad diſputationẽ de putredine noſtrã accedamus, eadẽ libri, poſt verſus aliquot, pagina Galenus, quo loco ciborum corruptelã tractat, in hunc fermè modum ſcribit: ἀλλ' εἰ μὲν δι' ὑπερβάλλουσαν θερμότητα συμβαίνει τὸ τοιοῦτον, εὐθὺς καὶ διαφθείρεται τὰ σιτία κοινὴν μὲν τινὰ διαφθορὰν ἐπὶ τὸ κνισσῶδες, ἰδίαν δ' ἕκαστον, ὡς ἂν φύσεως ἔχει. Τὰ μὲν γὰρ, οἷον βρώμου τινὸς, ἢ βορβόρου, διαφθειρόμενα: τὰ δὲ ἰχθύων τινῶν ὠμῶν, ἢ ἀῤῥήτου τε, καὶ ἀλλοκότου σηπεδόνος ἐξόζει. At ſi ob exuperantem caliditatem id contingat, ſtatim cibi quoque corrumpũtur communi quidem corruptela quadã ad nidorulentiam: propria autem, prout cuiuſque natura fuerit. Quædam enim tanquam fœtoris, aut cœni cuiuſdam: quædam crudorum piſcium, aut extraneæ, neſcio cuius, & indicibilis putredinis odorem corrupta referunt. naturam proculdubio, more ſuo, temperaturam appellans; vti iam, ad eundem prorſus modum, ex his verbis, de Galeni ac Medicorum placitis, tenere non contagionis ſolùm ex peſte, ſed reliquarũ etiam omnium rationem queamus. Nam quemadmodum ciborum in ventriculo corruptela, exuperante calido, corruptela omnis eſt; multimodas tamen proprietates quaſdam, naturæ nimirum, ac temperamenti proprietate ſortitur: pariter dicendũ, ſtatuendumque nobis de contagione fuerit, vt putrefactio omnis habeatur, apta nata tranſire in alium: hunc tamẽ, quàm illum; illumque, quàm hunc, interdum magis, ob materiæ, in quam primò introduci debeat, proprietatem affinitatemque, quæ temperamento diuerſo quidem ab alijs, at his, qui mutuò promptè contagium ſentiũt, proprio, affinique: hocque, quum de contagione, hoc eſt, quum de tranſitu affectus putrefactionisq; in alium loquimur; qui in parata communiter putrefactioni materia cõmuniter; particulatim autẽ, priuatimque magis, in ſimiliter particulatim priuatimq; magis apta ad id fiat. Nam quũ ab origine primùm ſua, per ſeque, aut in aere extra, aut intus particulariter in corporibus, putrefactionis aliquid exoritur; nondum quidem contagio habenda ea eſt, niſi quo primùm tempore greſſum in alium facere cœperit: tuncque ſcilicet in primo ſui exortu, eo quoque caſu, temperamentum commune humanum, calidum præſertim, humidumque, nempe putreſcere idoneam materiam nactæ putrefaciendi communes cauſæ, longè promptiùs putrefactionem fecerint. Itemque particulares illæ ac priuatæ, eodẽ pacto, particularem, ſed idoneam ad particularem illam putrefactionem ſuſcipiendum materiam ſortitæ, putrefecerint faciliùs valde; vt in corruptela ventriculi nidorulenta, quæ caloris exceſſu ſemper fit, priuatim alia cœni neſcio quid, alia crudos piſces, atque alia prorſus ineffabilẽ proprietatem quandam retulerit: idque faciliùs haud dubiè ſemper, humores ſi nacta fuerit cauſa ea quæcunque, in eam propriè tranſire corruptelam paratos; quàm ſi rebelli ad id prorſus materiæ incubuerit. Idem, opinor, cauſæ erit, quamobrem in alijs quoq; rebus, non ſolùm in corporibus, contagia multimoda ac diuerſa fiant: materiæ quippe ab alijs, quę putredinem eãdem haud facilè ſuſcipiãt, diuerſitas affinitasque. Materiam, tota hac diſputatione, (ne fortè aliò lectoris animus feratur) accipio, partes, quibus inſidere debet putrefactio; quæ ipſæ materia ſua conſtant & forma, temperamento nimirum ſuo, quaſi ſubiectum dixerim. Sic quidem à pomis poma, quàm pyra, corruptione affici magis videmus: fortaſsè autem ab apianis apiana, & à volemis volema etiamnum magis, ob cognationẽ. Quo nanque propinquior aut proximior quæque, affinitatis cognatione, aut indiuidui etiam qualitate, materia: eo ſemper faciliùs, neque id abſque ratione ſanè, cognatæ, vicinæque natura qualitatis actionem patietur. Nanque & calidum à calido, quàm frigidum, citiùs promptiusq; concaleſcet: & à frigido frigidũ itidem refrigerabitur; & huiuſmodi alia. Similiter eiuſdẽ temperamenti res, materiæque ac formæ, vtique paratior ſemper erit, vt opinor, atque expoſitior; vt à nõ diuerſæ rationis re inaffectionem eandem trahatur, paſſa. Iccirco pulmonibus, pulmonũ noxam infert putredo, non oculis. quid mirum? Non enim eadem oculorum, ac pulmonum, materia. Sed enim oculorum mollior, dicat hîc aliquis, pulmonum non item. Vt ita ſit: at materia tamen diuerſæ rationis eſt, dicemus;

mus; neque, vt quæque mollior, ſic pati aptior: ſed ſi naturæ cōuenientia, ac temperamenti non penitus diſſona præterea ratio fuerit. Non enim in eo ſitum eſt, vt mollis, ſed vt conueniens materia ſit, affectusque ac paſſionis eius ſuſcipiens: cui ſi, quū eiuſmodi fuerit, mollitudo prętereà accedat; faciliùs tum ſuſceptū iri in ea affectum concedemus: atque illud temperamenti ac naturæ, hoc ſubſtantiæ ratione, conſtabit. Ex pulmonibus enim omnibus mollior qui fuerit, phthiſi is; vt lippitudine oculus, nimirum mollior, faciliùs corripietur: at phthiſi oculus nūquam; ſicuti nec lippitudine pulmo: quanuis vterque molliſſimus. vtrobiq; tamen putredo, ſed parti ſolummodò illi propria, ac peculiaris quædam. vſqueadeò retulerit materiæ ſemper facilitas, & ad patiēdum promptitudo. Hæc verò ipſa materia nunquam quidem facilem ſe, aut paratam exhibuerit, niſi naturæ eiuſdem, aut certè nō contrariæ: quando contraria quæ fuerit, eadem rebellis quoque vnà ſtatim, renitensq; magis ſit, oportet. Sicuti autem ſpeciei cuiuſque indiuiduo, cum ſpeciei eiuſdem indiuiduis in vniuerſum conuenit: ita particulariter alij cum alio magis, partiq; etiam corporis alicui, cum alterius eadē: nec, id quamobrem contingat, vlla commodior vnquam, quàm naturæ ac temperamenti, iniri ratio poſſit. Itaque rurſus eodem deducti, in materiæ ac temperaturæ ſimilitudinem recidimus, quæ forma partis eſt, vt fruſtra, atque etiam, vt opinor, falsò, ad actiones haſce corpuſcula accerſamus. Etenim, quæcunque in corporibus tandem editur actio, naturæ omnis ac tēperamenti affinitate hac fit. Etſi enim actio (vt Philoſophi contendunt) contrarietatis opere perficitur: non eſſe tamē nullam (vt ijdem illi affirmant) conuenientiam ac conſenſum oportet: qui quo maior fuerit, eo perfectiùs ſemper ac faciliùs peragitur actio. Nanque quæ tota natura diſſident, longeq; inuicem, alterius etiam interpoſitione alicuius diſtant, mutuam ſtatim tranſmutationem non ſentiunt. Neque enim ignis in aquam, aut è diuerſo in ignem aqua, niſi intermedia interueniente q; priùs aëris natura, vertetur. Sic quum res ex tota inter ſe ſubſtantia diſcordant, (vt venenorū genus quoddam eſt ad corpus humanum) actionem conferre in vnum non poſſunt. κατὰ δὲ τὸν ἀυτὸν τροπὸν καὶ ὀπὸς μήκωνος ἀνθρωπείου σώματος τελέως ἐστὶν ἐναντίος, ὀυδὲν εἰς αυτὸν, ὄυτε κατὰ μίαν ποιότητα δρᾶσαι δυνάμενον, ὄυτε πολὺ δὴ μᾶλλον ἐκ καθ᾽ ὅλην τὴν ὀυσίαν, vt Galenus ait. Eodem, inquit, modo & papaueris ſuccus humano corpori contrarius prorſus eſt, in id neq; qualitate vna aliqua, ac longè quidem minùs ex tota ſubſtantia agere quicquam valens. Rurſus experimur quorundam actionem alicubi recipi tantùm: nec tamē peragi, materiæ, ſubiective repugnantia, aut ineptitudine tantū. vſq; adeò quidem ad patiendum materia exigitur idonea, vt peracta tandem rectè exeat actio. Neque tamen in materia receptam, quam non afficiat, non in aliam quam afficiat, tranſire poſſe videmus. Nam, Alexandri teſtimonio, (Meteor. j.) incaleſcere à Sole Lunam, ſuſceptumque inde calorem terris reddere credemus, ipſam interim minimè excalfactam. quomodo enim, alteritati nulli, præterquàm motioni, ſicuti ne alia quidem cœleſtia corpora, obnoxiam? Et torpedinis vim obſtupefacientē illam, in arundinem primùm deriuari neceſſum, vt piſcatoris manum torpore afficiat, nec ipſa tamen arundine affecta. Pariter contingere in contagij ratione videmus, excipi peſtis fomitem, hoc videlicet vnum, excipi in multis, non etiam perfici putredinem. Manent quidem incorruptæ res, quibus ſuſceptus fuerit fomes, indeperdita prorſus ſubſtantia: diu tamē hæret corrupti ibi putrefactiq; aëris pars, vt nos exiſtimamus, quem fomitem dicimus, donec tactu velut irritata, ac cōmotior facta ſeſe detegat putrefactionis origo; materiamque nacta, in quam non ſolū ſuſcipiatur aſſumaturque, verùm etiam ſuſcepta, quam inuadere totam poſſit, infectamque prorſus putrefactione vniuerſam corripiat, atque ita ſæpius diſiecta ſubſtantiæ totius compage, deſtruat. His rationibus fieri poſſe conſtabit, vt alij cuipiam aut rei, aut corpori inhæreat contagium, non autem afficiat, ac immitti tamen in alium inficiendum, afficiendumque, atq; etiam ex toto ſæpe conficiendum, queat: vt non ſanè parum rarò obſeruatum fuiſſe ſcimus. Qui peſtilentia correptos tractant, verſantque manibus eos, resq; eorum; horum ſępe multos illęſos, atque ab omni malo immunes, cōtagium in alios deriuaſſe, tranſmiſſo tantummodò, aut traducto potiùs mali fomite, ſcimus. Atque hæc omnia vt ratione ſua conſtent, non indigebimus retruſis, aut in occulto nimis abditis cauſis: quoniam manifeſtioris temperamēti, apertis ſatis, caloris humoriſque nimij cauſis, tota ea putrefactio, putrefactioniſque vnà efficacia, quæ cōtagium facit, poteſtateq; ac viribus facilè intellecta peragatur. Intantum retulerit, materiæ huic, illi've incubuiſſe primò actionis vim aliquam, naturæ & temperamenti affinitate nixam. Eodem modo cibum appetit ventriculus cognatum tantùm ſibi: at eundem, non qua ſimilis, affiniſque, ſed qua contrarij aliquid obtinet, immu-

immutat, ac concoquit: concoctum, pauloque magis proprium sibi factũ, iecur arripit, vt assimilet in totum, sanguisq; inde elaboretur. Quid enim aliud iecur, quàm sanguis compactior quidam? Eodemque deinceps modo partium reliquarũ omnium nutricatio peragitur: hocque, quum naturæ ordo seruatur. Nec sanè minùs supra naturales quoque limites calore nimio incalescunt partes; frigore refrigerantur: nõ quidem antea tales, (non enim fieri eas opus erat: sed ne poterant quidem, si priùs fuissent) at minùs tamẽ frigidę antea, quibus cum caliditate magis conuenit, citiùs incalescent: sicuti sanè minùs calidæ, iamq; non ita longè à frigiditate positæ refrigescent. Atque ita calore quoque, & humore nimio incalescere, & humescere nimiùm possunt, quę dissimiles priùs calori humorique nimio illi fuerãt res. Sed promptiùs tamen ac faciliùs, longeque semper plus, quæ iam consensu naturæ quodam suo promptè in id ferebãtur, hoc ipsum patientur. Quod quum fit, iam est putredo in foribus ipsa.

Ex quibus, (quoniam tractata magnopere res antea nõ est) prolixè satis, ac quàm par fuerat fortasse fusiùs, (sed ita faciẽdum fuerat explicaturo multa) recitatis, cuiuis esse in aperto (modò nõ refractario prorsus) potest: non vsque adeò in occulto iacere cõtagionis, effectorumque eius naturã, vt perueniri eò rationis ductu nõ possit; non aliena, minimeque legitima philosophãtium placita professis, sed Aristotelicæ Galenicæque doctrinæ vestigia diligenter sequutis. Quos credo, (Aristotelem dico, & Galenum) quum viderent, rationem contagionis non alia, quàm rerum quoque aliarũ omnium, quæ mutua agendi patiẽdique vi peraguntur, ratione contineri; non fuisse valde solicitos, vt, quo hæc fierent queq; modo, priuatim tractandũ sibi esse arbitrarentur. quorsum enim, tractatis antea sæpe rebus, quæ aptissimè accõmodari rei huic possent? Quapropter Galenus ipse, quum alibi aliquando, putrefactionem depascendo serpentem, proxima quæque natura sua infecta corripere dixisset, quòd contactus est; libro de febrium differentijs primo diligenter nos periculi admonet, quod sępe incurrimus pestilentia correptorum cõsuetudine. ἀπολαῦσαι γὰρ κίνδυνος, inquit, ὥσπερ ψωρᾶς τινὸς, ἢ ὀφθαλμίας, corripi enim periculum est, tanquam scabie quadam, aut oculorum vitio. nec planè tutum esse ait, si ijsdem in locis cum phthisi laborãtibus, aut quicunq; putredinosi demum quicquã expirant, versemur; vsq; adeò, vt cubilia quoque, in quibus decumbunt, fœtorem reddant, quid aliud, quàm aëris corruptionem, noxamq; inde attactu contractam, significans? Hoc porrò ipsum nihil profectò aliud, quàm contagium sit. Quòd si quid præterea Authori mirum, aut abditum, aut occultũ hac in re visum fuisset; præter cõmunem putrefactionis, affectusq;, qui cõtactu, vt alia, perficiatur, rationem; non prorsus silentio id inuoluturũ eum fuisse puto, etiam vt nulla illi interea esset ad manus, quam de rebus his adferre posset, ratio: sicuti sanè tantùm non vbique, latentium nos, rationemq; nostram, proprietatum quarundã meminit, quas ille ex tota rei substantia appellet, & nescire se fateatur. Nos enim, sicuti manifestam satis rerum, quas paulò antè tractauimus, rationem esse ducimus; ita propria quędam alia haberi, delitescentis, fugientisque nos naturæ, ac qualitatis, siue peculiaris cuiusdam, vt diximus, substantiæ, facilè concedimus: ad quæ veteribus olim, nobisque hoc tempore, tam diu ignorata, hæc quoque præterea ipsa, quorum non penitus obscuram tenere rationem nobis liceat, trahi nollemus. Ac priuatas quidem hîc quoque rerum proprietates diximus, quæ ex tota forma, totaque rei substantia fluant; seu substantiæ eæ, seu qualitates potiùs habendæ fuerint; quas tamen substantias vocemus, quo ferè modo accidentibus quiditatem (quam appellant) suã largimur. Proprias etiam easdem sæpe, priuatas, dissidentesque ab alijs plurimis, ac peculiares naturas, in tractatione superiori, dixisse meminimus, quę mutuò, ob affinitatem, tangi contagione soleant; sed quarum tamen teneri ratio possit. Naturam enim propriam, temperamentum proprium dicimus; non ad ignota confugimus. Atque huiuscemodi temperamentum, quod substantiam totam constituit, licèt quibus quotque exactè Elemẽtorum portionibus constet nesciamus: non desunt tamen signa, quæ rerum, naturæque similitudinem manifestiorum qualitatum ostendãt. Et vt hæc tamẽ nos fugiant cuncta; cuicũq; hominum inhæserit putrefactio, quę contagionem faciat, perpetua tenebitur rei vtriusque ratio, quæ caloris & humoris nimij sit, transitusque actionis eorum in alium, qualem ostendimus. Nam, quemadmodum eiusdem tẽperamenti homines, euidẽter aut biliosi, aut sanguinei, aut huiusmodi, eodem cõtagionis inter se genere faciliùs corripi, ratio est; ob naturę similitudinem: ad eundem modum idem quoque prorsus in temperamenti, quod substantiam totam insequitur, affinitate euenire debere, eandem ob causam, nempe similia atque affinia quòd sint, verisimile valde sit. Vtrunque enim temperamentum

esse,

esse, censendum est: tam cuius manifesta sese nobis offerunt, quàm cuius paulò magis occultantur, captumq; nostrum bona ex parte effugiunt, signa. Nec aliud, totam rei substantiam, formamq; illam specificam, quam vocant; quàm Elementorum quatuor temperamentum, aut certè temperamento inhęrentē rem, esse opinamur: non, quemadmodum Platonicorum nonnulli, quos in ea fuisse sententia scimus, vt corpus ex Elementis trahi putarent; temperamētum autem ex cœlestibus semper Sphęris duci crederent. Nos temperamentum ex Elementorum mixtione constituimus resultans: aut apertæ satis, notisq; suis spectandæ, (quod genus qualitates quatuor manifestiores illæ habentur) aut paulò magis occultæ naturæ; sed quod proprietates quasdam priuatas peculiaresq;, donec tale perstiterit, ferat: eadem autem, amisso, aut quoquo tandem modo immutato, cui antea inhærebant, tēperamēto pereant statim. Cæterùm quocunq; modo censuerimus, nunquā peribit nobis putrefactionis contagionisq; ratio, caloris humorisq; nimij, rerumq; actionis rationem custodientibus. Non enim, si temperamento hæc inhæserint incompertę nobis rationis, tanquam subiecto, quærenda nobis huius exactè natura: sed accipienda tantùm similitudo fuerit, qua mutuò agant inter se hęc, patianturque. Sicuti hoc casu calorem atq; humorē manifestissimē, opinor, tenemus: exquisitè verò tractâsse illa, quæ ex tota substantia, formâque, abditisq; & latentibus proprietatibus agūt, aliò certè spectet. Fatemur enim nos quoque, cognosci istorum non posse à nobis temperamentū exquisitè, siue id ex conuenientium in vnum Elementorum commixtione resiliēs introducatur, siue à cœlestibus Sphæris, temperamento Elementorum non omni, sed tali, sibiq; proprio proprietas ea cœlitùs demissa instilletur: quod deinde tātisper inhabitet, donec Temperamenti ratio ea, ferendæ proprietati illi idonea, durans perstet; discessura atq; euolatura, quo primū tępore conuenientia illa, rata quadam Elementorum inter se parte constans, quasiq; concentus copula, qua priùs cōtinebatur, pereat. Nihil igitur aliud tenere rei huius possumus, quàm, siue hoc, siue illo contingat modo, temperamentum quoddam esse hoc: calor autē in ea, an frigiditas; humor, an siccitas exuperans vincat; aut qua tandē commixtarū rerum analogia cōstet, prorsus scire nequimus. Quod ad exquisitā rerum naturæ inuestigatione, statuendúmq; cum ratione aliquid atq; ex arte de his, necessarium futurū fortasse fuerit: ad id autem, vt vsu tantùm aliquid edoceamur, vel quum pro materia ac subiecto res eæ rebus quibusdā alijs, de quibus disputatio instituatur, substernuntur, nō necessarium: vt hoc casu cōtagionis rationē tractanti, quæ in hūc magis, quàm in illum deriuata abeat, satis sit rectam putrefactionis formā intellectu cōprehensam, agentiumq; in hoc facultatum, quas calorē & humorē esse dicimus, vim tenuisse, quæ agentis cuiusq; de more facilimè in expositam sibi, actioniq; suę quoquo modo familiarē, materiā deferatur: huiusce autem materię, quę hoc loco subiecti tantummodò cuiusdam vicem gerat, non attinuerit, ad rem quidem hanc, anxiè nimis formā inquisiuisse: quā ipsam nihilominus sic in vniuersum tēperamenti ratione contineri, non nesciamus; licèt ratam, vt dixi, partium, vnde illud existat, portionē ignoremus. Atq; nō sanè magis illud scisse attinuerit, quàm si, quū res quasdam putrescere, harumq; ipsarum putredine, proxima quęq; in naturā eandē rapi videmus, necessariū nobis esse arbitremur, vt correptorū ita putredine naturam, antequàm putresceret, exactè à nobis cognitam habeamus: quod quidē fieri nō oporteat, putrefactionis formā firmiter tenentibus, materiæq; videntibus promptitudinem, quæ similitudine ac propinquitate quadam rerum, quæcunq; ea tādem habenda sit, constet.

Excurrimus in ista, vicinia tractationis inuitati; simul, quū de aeris Cōstitutionibus scriberemus, quarum ratio cum putredinis cōtagionisq; ratione cōiuncta esset, orationis filum, styliq; ductum sequuti, peruenimus huc, vnde redeundum nobis in viam iam sit, quum calidas humidasque temporum constitutiones, morborū afferre frequentiam putredinosorū, quorundamq; prætereà aliorum, dicebamus: quæ si hosce fert morbos Constitutio, conijcere certò possumus, contrariam huic frigidam & siccā, cōtrarios quoq; laturam; modò talis sit, inq; natura suą tam diu perstet, meritò vt dici Constitutio possit: non, vt Autumnum frigidum & siccū dicimus, qui ex parte talis sit, & inæqualitate sua hac varios, eosq; pessimos morbos ferat. Contrà in frigida & sicca Constitutione contingit: primū, ex siccitate excrementorū paucitas, ac veluti morborū plurimorū materię subductio; ex frigiditate, excrementorum humorúmve agitatio propè nulla, ideoq; fluxionum omniū per corpus quies: adstringet tamen ventrem, vellicabit oculos, neruis inimicabitur ac pectori; stranguriam, tussisq; genus illud faciet, quod malam vocalium partium intemperaturam sequitur.

Atque hæc ferè sunt Constitutionum aeris vitia intēperatioris, de tēperatorum

ſemper, aut non longè ab his diſcedentiũ, locorum natura intelligenda, vt his, eiuſmodi morbi, Conſtitutionum aeris vitio, contingant. Quis enim neſcit, intemperatura laborantes aliqua regiones, contrariæ Conſtitutionis beneficio adiutum iri ſæpiſſimè, vt ætatũ quoque exceſſum iiſdem illis frequenter corrigi, non minùs, quàm Anni temporibus è contrario poſitis, ſolere: pituitoſos quidem ęſtate, calidiq; & ſicci aeris conſtitutione; calidi autem & humidi, ſenes gaudere inprimis, ſcimus. ſed de his poſterius. Nunc componendę nobis in vnum diuerſimodè Conſtitutiones, vnáque compoſitionis huius dicenda opera. varias enim inſequi varia ſolent, quæ vitari nullo pacto, niſi pręuiſa antè cognitaque, poſſint.

De Anni totius, aut maximæ illius partis, perſeuerantibus Conſtitutionibus.

CAP. V.



Ommune illud priùs de omnibus dicendũ, quod notemus, Conſtitutiões à nobis intelligi tota hac tractatione nullas, niſi pręternaturales quę ſint: vt, quanuis Aeſtatis Conſtitutionem dicere non abs ratione liceat, quæ caloris ac ſiccitatis natutalem ſibi temperaturã moderatè ſeruet; eam tamen tantùm hoc loco, qualitatum harum conſtitutos ſibi à temporis aut locorum natura limites quæ ſupergreſſa fuerit, accipimus: vt ſi anni totius Conſtitutionem calidam & ſiccam, exempli cauſa, fuiſſe dixerimus, æſtate qualitates haſce magis adhuc, quàm pro eo anni tempore conueniat, exuperaſſe ſciamus. Neque tamẽ interim credendum, vt Cõſtitutio huius, illiúſve modi euadat, neceſſariam futuram eſſe perpetuam dierum omnium intemperiem, nuláque omnino vt dies eximatur, quæ non Conſtitutionem eam faciat: ſed ſatis futurum ſit, modò maior dierũ anni totius pars qualitatibus his, de quarũ nomine dicenda Conſtitutio ea fuerit, notetur. Nõ quidem hoc dico, quòd nulla prorſus reperiatur diei vnius Conſtitutio; quum Hippocrates, Aphoriſ. iij. ita ſcripſerit: αἱ μὲν καθημεριναὶ καταςάσιες, nimirũ diei vnius Conſtitutiones nominans, quibus aut Aquilonaribus, aut Auſtralibus multimodè ſemper afficiãtur corpora: ſed enim in hoc rerum tractatu nec magnus ſanè harum vſus futurus ſit, vt quarum noxæ occurrere tam breui diei vnius curriculo nec facilè poſſimus, nec pręſtabile ſit: & dictum alioqui de his ſuprà iam fuerit. Hoc loco autem, vbi de Conſtitutionum coniugationibus loquimur, venire in tractationẽ haud dubiè eæ ſolæ debent, quæ perſtantes permanentesque, & dierum plurimorum fuerint: vt, ex quibus oriãtur potiſſimùm morbi, quos diligẽter pręcauiſſe, aut neceſſariò aliquãdo ingruẽtes mitiùs ac minori ſemper cum diſcrimine ſenſiſſe, maximus ſalubris artis vſus ac traditio ſit. Alioqui cui eſſe dubiũ poteſt, dierũ multorum Conſtitutionem, ex dierum ſingulorum Conſtitutione oriri, vt in eadem rerum ratione, maior tamen meritò productæ per dies multos Cõſtitutionis efficacitas futura ſit: ac proinde diligentiùs obſeruãda hæc animaduertendaq; ſemper. Dicẽdum & illud priùs, antequàm progrediamur, quod ſæpiùs à nobis dictũ memoriæ meliùs commẽdabitur: hoc loco Conſtitutionum tantummodò compoſitiones, quos, qualéſve progignere morbos ſoleant, tractandũ ſumi à nobis: quos autẽ aut ætates, aut naturæ diuerſæ, aut conſuetudines, aut regiones, aut ſtudia, aut victus ratio pariat; illud verò per ſe, poſteriusq; explicandũ: quoniã explanatior ita, commodiorq; ad artis vſum fructuſq; inde percipiẽdos, futura doctrina ſit. Quin eadem, cuncta hæc deduci ad eoſdem vſus, ratione facilè poterũt, etiam ſi nihil quicquam vlteriùs de his ſcribatur, tradita priùs Cõſtitutionum formula. Nunc, quum calidæ, frigidæ, humectæ, ſiccæ, calidæq; & humidæ, calidæ & ſiccæ, frigidæ & humidæ, frigidæ & ſiccæ Conſtitutionis effectus tradiderimus; cõponendæ rurſus ex Anni temporum ſucceſſu inuicem eæ: quoniam maximè morbos hoc faciat, vſuſq; ideo maximus ſit, multo antè, incũbentibus iam Cõſtitutionibus illis futuros, prænouiſſe, vt vitatos declinare poſſimus. Sequemur autẽ Galenum hac in re magis, quàm Quintum, cui viſum, cuncta hæc experiẽtia, vſuq́, ſolùm rerum, atq; obſeruatione quadã conſtare; ratiõis nihil prorſus adhibebat. Qui ſi Hippocratis dicta ſecum rectè examinâſſet, quum non ſemel neceſſarium eſſe protulit, vt Cõſtitutiones quaſdam certi quidam morbi inſequãtur: vidiſſet profectò, rationis hoc propriũ potiùs habendũ eſſe, & ſcientiæ, cuius magna eſſe ſemper neceſſitas ac facultas dicatur: nõ autem fortuiti rerum concurſus, qui vel ſi pluries conueniat, effectuſq; quoſdam edat, nondum tamen certò pronũtiare audeas futurum id, cuius quum rationẽ ac cauſam non teneas, falli obſeruatione ſola poſſis; quam facilè immutare interueniens fortè fortuna aliquid ſolitum ſit: præter id, quòd nuſquam in artibus vllis ſimpliciorũ rerum compoſitiones, ſola tantummodò obſeruatione, tam vnquã exactè peragi, ad extremas vſq; diffe-

differentias concisæ, possunt; ob infinitam propè modorũ, quibus inuicem coniunguntur, multitudinem. Quis enim in Grammatica elementorũ vigintiquatuor, quibus tot syllabarum dictionumq; compositiones continẽtur diuersæ, sola obseruatione notatas teneat? Vnica restat, atq; eadẽ certa, securaq; via, ratione inquirendorum omniũ, ratione inuestigandorum Elementorum primùm, potissimumque: quòd his ignoratis, reliqua ignorẽtur cuncta necesse est. Tum deinde haud ita difficulter moliri diuersimodam illam compositionẽ ex his nobis licebit: vt, si nõ quamcunq; omnino, (quoniam nõ necessarium id, & inutiliter plerunque prætereà fiat) at bonam illarum partem, & in his arti, quam augere ita debemus, vtilissimam quamque futuram tractemus. A nobis autem Cõstitutionum temporis veluti Elementa iam tradita, illorumq; vnà explicata ratio fuit, quę quatuor sunt: calida, frigida, humida, sicca: itemq; compositarum ex his, quę ipsę quoq; quatuor habentur: calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca: & vel vno, vel pluribus Anni temporibus perstãt, atq; ita magis, minúsve etiam, semper effectus nobis suos exhibent. Nõ enim dubium, quin minùs immutaturæ aerẽ sint, si duo tantùm Anni totius eandẽ Constitutionẽ seruârint tẽpora, quàm si tria; triaq; minùs, quàm quatuor: quò quum peruenerit, vt toto quatuor in vniuersum temporum decursu reuolutus in se Annus, per Constitutiones easdem duret; sanè ingentia sensuri semper simus aëreæ tunc Constitutionis opera: qualis scripta ab Hippocrate ad Sunium Cõstitutio est, ἔτος νότιον, ἔπομβρον, ἄπνοια διὰ τέλεος. Quid par est autem sequi Austrinum tam longè, ac per totum pluuium, ventisq; perflatum nullis, segnem scilicet, mollemq; ita, & torpentem Annũ? nam quomodo Austrinus sit, atq; idem tamen ventis carere dici rectè possit, declaratum priùs fuit. Putrefactio primùm necessariò sequetur, certa aduentitij ac peregrini caloris, humoremq; multum nacti, fœtura: maximè autem, si vẽtorum vacuitas accesserit: idq; primo quoq; tempore cõtinget, nisi ante inchoantis ita Anni tempus, contrario aliquãdiu modo constiterit, spirante priùs Borea, frigiditateq; ac siccitate vigente, cœlũ; quas vincere non ita facilè, citoq; superueniẽs calor humorque, possit. Hocq; pacto ac ratiõe paulum omnino producetur malorum origo: vincet tamen haud multo pòst, etiam durante aliquando ex parte Constitutionis contrariæ natura, diuturnior illa Anni Cõstitutio, erysipelata statim maligna, multosque interimentia, (corrodente, putrefacientéque vicinas semper partes natura sua, putrida bile, & ad vitalia penetrante) faciet. Quæ si eadem Thoracis partes petat, pleuritidem; si ventriculum iecurque, æstuantes febres; si pulmones, peripneumonicos, ac tabidos affectus: sin os, guttur, faucésque; vocis abscissionem, vlceraque inibi, ac pustulas depascentes, maligna cuncta, nec vulgati generis, edet: nimirum duplicato vbique ex accepta putredine malo. Eadem quippe quũ pudendis putredinosa ita incubuerit corporis partibus, ob humiditatem putrefactioni maximè obnoxiis; ingentem putredinem, gangrænasque, ac summam sæpe partium illarum mortificationem, attulerit: quum vẽtriculo, intestinisque; perturbatã mordicationibus ac torminibus aluum reddiderit, appetentiam dempserit: quibusdam sitim ingentem fecerit qualitate sua; alijs interdum, mortificata prorsus ex materiæ malitia sitiendi potentia, eandem abstulerit. Renes petens, lotium perturbârit, acrimoniaque sua vesicæ vellicatum & dolorem creârit. Tuncq; ijdem sæpe ægroti soporosi diu, multæ humidæque materię abundatia; ac vigilantes rursus, insigni putredine plurimos, eosque acres vellicantésque, vapores in cerebrum mittente, quibus excitatum placidam somni arripere quietem nequeat. Iam certũ prouectæ ad summum putredinis signum carbunculi ipsi, alioqui ex putri vrentéque sanguine exorti, nouæ huius, quam Constitutio ipsa faciat, putrefactionis additione geminata malitia, omniũ maximè maligni fiẽt. Hosce Hippocratis relatione nothos morbos, huiusmodique alios, calidum tam diu humidúmque non immeritò cœlum feret, vt calidum & siccum alios: eodemque modo frigidum & humidum, frigidumq; & siccum alios: suos quæque, quales ferè superiùs retulimus: sed insignes semper, egregiéque auctos; quò quidem diutiùs Constitutiones eæ durantes perseuerauerint.

De diuersè, per Anni tempora, variantibus Constitutionibus: & Hippocraticarum quarundam examinatio, exempli causa.

CAP. VI.



NVnc Constitutionũ compositiones persequamur, vt, quæ quasque effecta sequi cum ratione debeant, quum sciuerimus, prudenter vitâsse ea nobis liceat: aut, si non licuerit, ob exuperantem nimis Constitutionem, minore tamen malo defungamur, repressis, quantum in nobis erit,

erit, qualitatibus cœli noxijs; quod quidem non postremum habendum sit Salubris artis, parti ei, quam προφυλακτικὴν vocant, delegatum munus.

Ordiemur autem ab Hippocratica prima: Si Hyems, inquit Aphoris. iij. sicca atque aquilonia fuerit; Ver autem pluuium, atque australe: necesse est Aestate febres acutas fieri, ophthalmias, & intestinorum difficultates; idque mulieribus potissimùm, quique humidiore fuerint natura. Temporis vtriusque notetur excessus: primùm, frigidam atque humidam esse hyemem oportuerat: nunc siccam factam audimus, altera tantùm parte à naturali sibi temperamento lapsam, idque in melius, siccitates enim humiditatibus salubriores esse, iam in confesso est. Leuibus igitur tantummodò noxis quibusdam tentabuntur parati ad hæc fortasse, hisque breuiter, quas siccitates sequi consuésse, diximus superiùs: vt alui adstrictione, doloréve circa thoracem aliquo: at non vsque adeò, vt decumbere cogantur: quos ὀρθοστάδην infestatos appellat Hippocrates. Sicuti autem Hyeme, hoc casu, alterius tantùm qualitatis in contrarium, nempe humiditatis in siccitatem; ita Vere vtriusque, neque id in oppositũ, sed in maius potiùs, excessu mutatio fit, nempe calore atque humore præter naturam nimio præualẽte, vt, nisi contrariæ prorsus præcedentis Hyemis, qualitates frigiditatis ac siccitatis antecessissent, allaturum Ver ipsum statim fuerit morbos sibi proprios. Nunc ex præeunte Hyemis opposita, veluti repressa, calidior & humidior Veris Constitutio, proferre vires suas haud potuit statim; dum, manente adhuc hyemantis Cœli frigore ac siccitate, caloris humorisq; superueniẽtis pars absumitur, antequàm trahere ad summum in qualitates suas ambientẽ nos aerem potuerint. Itaque dilata est noxa in Aestatem vsque: tunc enim humoris materiam nactus, accendi ac putrescere facilem, calor; quod inter viros multis, muliebri aũt sexui propè in vniuersum contingat; febres acutas, ex horum putredine omnes ortas, faciet. Atque hæc quoque humorum putredo à natura propulsa, tanquam infesta, deque corporis ambitu plerunque toto per intestina acta, tormina, doloremque, & exulcerationes varias adferet: paulò quidẽ putrescens minùs, periculosas minùs; sumpta autem maiore putredine, etiam depascentes, nec sine febre. Scimus autem, quàm facilè oculi, molles humidiq; natura, offensis expositi multis sint, vt si quis, propria prætereà natura accedente, imbecillioribus illis sit, ex Cõstitutionibus aeris eiusmodi facilimè huic phlegmone corripiatur oculi; quæ ophthalmia est.

Sequitur Hippocratica alia, diuersa prorsus, quàm prior, temperamẽti, in qua austrina, pluuiaque, & εὔδιος, (mitis, placidi, tranquillique, nec magnoperè ventis agitati Cœli intelligo) Hyems sit: siccum verò, & aquilonare Ver. Hic, non expectata, vt in priore, longioris temporis mora, primùm Vere quoque ipso vtero gerentes mulieres, occasionis cuiusque occursu, abortum facere, ait: editos autem in lucem tũc partus, inualidos imbecillesq; ac morbosos esse, vsque eò, vt aut pereant quamprimùm, aut tenues, morbisque subinde tentati degãt. Hinc alijs iam intestinorum difficultates, siccásque oculorum inflammationes oriri: senioribus autem distillationes confestim interimẽtes fieri, ait. non immeritò. Altera enim tantùm parte mutatam nunc in præternaturalem sibi caloris qualitatem, Hyemem; Ver autem ex toto, videmus. Quod enim caloris humorisque temperamento quodam mediocri constare debuerat, conuersum in frigiditatem & siccitatem est: vt mirum non sit, periclitari partus intus forisque, tã in contrariæ Anni tempori sibique temperaturæ Cœlo vitam auspicari coactos, tenerrimos ipsos, infirmissimosque, calorisque & humoris temperie diu antea intus fotos, ac sicuti eadem extrà quoque gauisuros: ita contrario modo se habẽtem, inimicam atque aduersariam maximè sensuros. Itaque præsentaneã eam inimici Cœli noxam accipiunt, non expectata longiore temporis mora. Atq; hæ sunt tempestates, quas Hippocrates & Theophrastus ὀπισοχειμῶνας vocent, arboribus quoque infestas, ac germina statim, floresque, si intempestiuè erumpant, adurentes. Tenellus quippe fœtus quisque est, & infirmus, vitamque à calore natiuo ducẽs; nec subiturus, nisi cum manifesta pernicie, tam aduersantis vitæ, frigoris mutationem: quam quum subitaneam, improuisoque factam, nunquam absq; euidenti noxa ferre natura cõsueuerit; tũ longè minùs, si, quod mutationẽ subit, tenerũ imbecillúmque est, & iniuriæ cuiuis expositum. Mutatio autem ingens, & his quidem casibus maxima sit oportet, prodeunti ex intimi caloris penetralibus recenti infirmoque partui. Quapropter, quo tempore Cœli potissimùm indulgentiam exposcit, fomentumq; nõ dissimilimũ priori requirit, si aduersantẽ sibi maximè qualitatem experiatur, perquàm facilè victus succumbet; vt aut pereũdum illi omnino, aut tenui, imbecilloque, ac morboso viuẽdum deinde sit; aut etiam fortasse noxa latẽti adhuc intus, necdum foras edito, sentienda: præsertim verò hac Cõstitutione,

qua præcedentis Hyemis tepore rarefacta vtero gerentiũ corpora, humidaq́; ac mollia, promptè, velut apertis vijs, intromittent frigoris vim ad intima vsque: vnde assuetus viuifico priùs natiuoq́; viscerũ fométo fœtus, deinde frigore statim percussus pereat. Ex quo abortus, aut demortui priùs puelli, aut inter enitendum pereuntis. Eadem frigoris vis altiùs adacta, pituitæ plurimum generârit: repletúq́; calore & humore Hyemis caput quũ inueniat, etiã salsilaginem addiderit materiæ ad id aptæ. Quoniam didicimus, sicuti ex paulò maiore frigiditate acidam; minore auté & mediocri dulcem, qualitatísve nihil manifestę habentem, pituitam gigni solere: ita salsilaginosam ex calore, qui in Constitutione hac præcesserit iã, pituitæq́; eiusmodi procreãdæ idoneos vapores multos, calidosq́;, capite contentos, collectosque, ingredienti extrinsecus frigori exhibeat. Atque hæc deorsum in intestina delata pituita, compulsaq́; eò frigore, veluti compressu quodam, (sicuti sæpe ex spumosis albescentibusq́; deiectionibus fluxioné de capite pituitosæ materiæ arguimus) nec liberè tamé citóque foras progressa, sed subinde naturali glutino per loca hærens, intestinorũq́; inuolucris implicita, vellicare partes eas, præsertim salsa, atq; ita demum intestinorum facere difficultatem possit. Ac mulieribus quidem hæc, & natura pituitosis: illud biliosis continget magis, vt oculorum inflammationibus siccis laborent: senioribus autem, vt distillationibus corripiãtur perimentibus statim. Alteri enim, non quidem omnes, sed quibus pars ea natura imbecillior fuerit, (vt alijs alia esse plerunque in corpore debilior consueuit) inflammationem meritò eiusmodi oculorum sentient, quæ humorem non remittat. prohibet enim extrinsecum frigus repellés intrò. Ac quanuis aperti esse meatus antegressi caloris vi possent, per quos exitus humori pateret: eos nihilominùs circunstans deinde frigus, densata extima superficie, occluserit. At biliosum in Cóstitutione eiusmodi temperamentum, resilientibus in caput calidis siccisq́; exhalationibus, non, quemadmodũ in pituitosis, ac mulieribus, in q̃bus facilè calidus humidusq́; vapor tantũmodò refrigeratione, vt in pituitam déferur, indiget, materiam hãc pituitosam; sed biliosam potiùs quandam, aut commixtę naturæ, fecerit; vnde vigilans sæpe Cωma, & id genus morbi. Alteri autem senes, nõ quilibet, sed paulò magis tales, vt quos ἄγαν πρεσβυτέρους vocârit alibi, distillationes patientur repentinas. Quas quidé, vt eiusmodi sint, quę tam citum improuisumq́; periculum afferant, neutiquam esse alias illas oporteat, authore eodem; in senibus longas semper habitas, concoctuq́; difficiles, minimeq́; ideo tã de improuiso exitiosas, grauedines dico, ac raucedines, diuturnasq́; ætate ea, ex distillationibus in pulmones, tusses, apertis manifestisq́; de cerebro canalibus, velut emissarijs quibusdã, emisso diuersas in partes humore, factas; sed intrò potiùs, expulsa materia, perque interiores venas acta, ortas; aut arterias etiã, cursumque ita sanguinis, spirituumq́; naturalem impediéte, vt, intercepto viarum progressu, improuisæ mortis occursus, aut (vt benè cadat) alterius partis resolutio sequatur: quos παραπλῆγας dicit τὰ δέξια, ἢ τὰ ἀριστερά. Tantum refert, per venas arteriásve interiores, an laxis apertisq́; oris, narium, palati meatibus, materia ea extrusa tendat. Ac sicuti in inflammatis oculis siccitas apparet, pulsa retrò, ex ambientis frigoris violétia, materia: ita eliquatam calore humoreque Hyemis pituitã, fluxamq́; factam, ne consuetis vijs à natura exoneretur; verisimile est, superueniente improuiso Veris, nec contemnédo frigore, impediri; & interiùs ab eo actam, amplasq́; venarum vias ingressam, non immeritò discriminis tantum secum vnà statim inuehere posse. Et attéperatur quidem hac quoq; in Cóstitutione, vt & in superiori, ex prætergressi iam Anni temporis temperamento, aer: vt eadé ratione hîc quoq; nõ secus, atq; ibi, retardari debuerint effectus, quos producere insequẽtis temporis intemperies, superata iam priore, soleant: nisi in superiore Cóstitutione anteiens Hyemis frigiditas subsecuturo Verni téporis calori veluti vias corporis omnes occlusisset, ne quã intromittere sese facilè, nisi reclusis téporis mora aliqua, valeat. At posterior Cóstitutio, quæ priorem partem calidam, atq; eapropter superficiem corporum, cutaneosq́; meatus, aperta omnia seruantem; alteram autem frigidam, sed cui iam reclusa omnia sint, vt se altissimè, quocunq; pergit, insinuet frigus, sortita sit: facilè in hac, noxa quãprimùm detegitur, nec temporis diuturnitatem ad agendum expectat actio, quæ impediméti nihil offédit, quo minùs opus exercere suũ possit: præter id, quòd quũ (vt suprà quoque adnotauimus) vtraq; in Cóstitutione excessus omnino præter naturã aliquis sit; at in priori, abũdantia magis naturalium, temporibus illis, qualitatum est, quę in posteriori in contrariũ prorsus, prǽterq́; naturalem statum, aguntur: Ver pręsertim in frigidum siccumque, quod esse moderatè calidum humidumq́; debuerat: Hyems aũt priùs sicca, nũc calida, quę ipsa caloris qualitas magis aduersari Hyemis naturæ videri facilè possit, quàm siccitas. Minimè auté

 dubi-

dubitãdum, quo quodq; à naturali ſibi ſtatu in cõtrariam partem deductum receſſerit magis, tempus, eo ſemper manifeſtatum iri citiùs, quodcunq; perfici ab illo operis ſoleat, effecturumq; breui id maioribus his viribus, naturæq; ex toto contrarijs: quod aliâs minoribus, naturamque aliqua ſaltem ex parte ſeruantibus, non tam citò poterat.

Percurramus deinde Hippocratis alias, alijs Anni tẽporibus factas. Sumũtur enim in tertia, alteraq; ab hac, quæ omniũ vltima, quartaq; eſt, Aeſtatis Autumniq; tẽpora, quæ componantur: primoq; Aeſtas ponitur ſicca & aquilonaris: cui contrarius additur Autumnus pluuius, auſtraliſque: tum Aeſtati eidem, aquilonari nimirum & ſiccæ, naturæ eiuſdem componitur Autumnus βόρειος ϗ ἄνυδρος, ſiccum enim proculdubio pluuiarum facient. Hîc rurſus, vt in ſuperiorũ altera, quæ prior fuerat, frigus ſiccitatemq; præceſſiſſe; ſubſequi autẽ cum humore calorem, videmus, hactenus quidem vt paria ſint: ſed illud diuerſum non ſanè parũ, quòd frigida & ſicca ibi Hyems, hîc Aeſtas; calidum humidumque ibi Ver, Autumnus hîc. Non autem æquè retulerit, diuerſa Anni tempora, in diuerſum, aut idem aliquando temperamentum abijſſe. Minùs enim noxiè contigerit Hyemi frigiditatis paulò maioris temperamentum, quàm Aeſtati, quantum ego quidem exiſtimare poſſum, etiam vt ſalubritatẽ tantùm corporum in hoc ſpectemus: non aũt frugum, rerúmve aliarum prouentus vbertatem, aut maturitatem ſequamur. vni enim naturale id, at præternaturale alteri. Nemo autem neſcit, hæc ipſa, præternaturalia dico, quum rebus contingunt, quid efficere ſolita ſint. Veris tamen & Autumni, quòd ea tẽpora aliorũ intermedia ſint, diuerſam ab alijs, atq; etiam illorũ inter ſe, rationem quandam ſtatuemus. Exire enim de temperamento ſuo Ver, quamcũq; in partem, facilè poteſt: at nocentiùs primùm ad calidũ & humidum; tum deinde ad frigidũ & ſiccum tetenderit: quòd, ſicuti æquum caloris humoriſq; temperamentũ, in quo animantium omnium vita conſiſtit, ſi plus iuſto humoris, extraneiq; caloris ſuſcipiat, putredinis ſemper multũ, ac periculoſæ accerſat; ita aduerſantibus ſibi maximè, vitæq; omnium qualitatibus frigiditatis & ſiccitatis, euictum tantundem vitæ officiet, inquantum de æquali temperamẽti ſui ſtatu deturbatũ, in diuerſum receſſerit. Quibus ſanè quũ Autumni quoq; tẽpus qualitatibus affectũ laboret, (is enim in quẽ modum frigidus & ſiccus habẽdus ſit, ſuprà retulimus) accedatq; prætereà inæqualitatis incommodũ, vt eadẽ ſæpe die diuerſi intemperamenti aere afficiamur: ſic fit, vt, quemadmodum nocentiſſimum omniũ tempus id experimur, ita caloris humoriſq; moderatione correctum, minùs noxium ſentiamus. Ad huius quidem modi rationem ſi Conſtitutionem exigamus, frigidæ ſiccæq; Aeſtatis, calidi humidiq; Autumni: dicere nobis licebit, acto in præternaturalẽ omnino ſibi ſtatum vtroq; tempore, ſequi non abs re morbos, cùm plures, tum deteriores, quàm qui ab Hippocrate nominẽtur, idq; non expectata fortaſſe Hyeme, debuiſſe; attamẽ natiua Autumni malitia, beneficio caloris, humoriſq; fomento, repreſſa. Quibus quidem minimè qualitatum earum abundantia nimia acquiratur, verùm potiùs non Aeſtatis minùs antegreſſæ atq; aduentitiæ, quàm natiuæ Autumni frigiditati ac ſiccitati temperamentum quoddam concilietur. Interpoſitam ideo temporis moram eã, dilatóſque, vt in prima quoq; omnium Conſtitutione factum fuerat, morbos fuiſſe credemus: longè autẽ hîc, dicta de cauſa, mitiores, longéque, quàm ibi, periculôſos minùs. Quid enim ait? Ad Hyemem, inquit, capitis dolores vehemẽtes, tuſſes, raucedines, grauedines, nonnullis etiam tabes. repleti omnia capitis mala duranteq; inibi repletione, nec quoquã miſſa, hyemaliſq; frigoris repercuſſu nullatenus exhalata, ingentes illos capitis dolores factura: abacta autẽ inferiùs, aut nares, aut pulmones etiã ipſos petẽte, grauedines, raucedines, phthiſes generatura. Sed nihil hoc ad auctas febres, inteſtinorumq; difficultates, grauiſſimos Conſtitutionis primæ, ac periculoſos maximè morbos. Nam phthiſis, ex qua nulli prorſus, quoties quidẽ integrè, veréque talis fuerit, euadant, vt lethalis hoc pacto ſit: at cauſam vehementem, qualem acutæ febres, morbiq; omnes putredinoſi, nõ habet: ſæpe illam diſtillatio ſolùm quædam, pulmoni (modò expoſitus iniuriæ illi ſit) incũbens, creârit. Atqui eadẽ illa plurimas partiũ aliarum ſi infeſtârit, deſtillationis cauſa, parum illis allatura ſemper noxæ ſit: eadem nimirũ phthiſis, ſæpe ambientis aëris frigiditate ſola, alteriúſve lenioris alicuius cauſæ fortuito occurſu, vt caſu, vt percuſſione, vt vociferatione, talibúſve diſrupta venula; nullo autem altiùs inſidente in corporibus, ex Cõſtitutione, malo, facta ſequetur.

Omnium, quæ modò ſignificauimus, horum, argumentis his quartò deſcriptam ab Hippocrate, ſeu potiùs præcedenti iam additam, Conſtitutionem, frigidæ & ſiccæ, vt priùs, Aeſtatis; eiuſdémque penitus modi Autũni, qui in priori è diuerſo calidus & humidus fuerit, ratio noſtra deteriore loco ſtatuet, q̃ priorem. Etenim Au-

tumn

tūni ex frigiditate ac ſiccitate noxa, quæ in alia contraria qualitate attemperata ferebatur, in hac velut conduplicata additione mali videri poſſit. Quid igitur? Natura, inquit, humidis, ac fœminis conſentaneum, conferensque id: alijs ophthalmiæ contingent ſiccæ, acutę febres, grauedines; quibuſdam atræ etiam biles: conducibilis vni generi hominum Conſtitutio, pluribus infeſta, inimicaque. Quòd certos quoſdam iuuet, commune id illi ſcilicet cū alijs, quarum nullam ſic intemperatam inuenias, vt non contrariæ illi intemperaturę aliquos aliquid inde reportare vſus videas: maximè autem, quum in idem conuenerint, ijsdemq; qualitatibus viguerint Anni tēpora. Cæterùm nobis (vt iam plus ſemel prædiximus) quemadmodum de temperatæ, aut huic ipſi proximæ, Plagæ conditione inſtituta omnis hæc diſputatio fuit: ita intuendum ſemper in eiuſdem illius, hoc eſt, temperatioris naturæ homines fuerit, de quibus conſtituere certi aliquid in vniuerſum liceat. Huiuſce quidem ſortis homines, magis autem adhuc, qui ad ſiccitatem naturalem tendāt, tam diutina Aeſtatis atque Autumni, aliàs per ſe naturaque ſua ſiccorum, ſiccitate ac frigiditate, minimè mirandum ſi narratos iam affectus incurrant; factis (vt in Conſtitutione ea neceſſarium eſt) ſiccioribus humoribus, ſanguine bileque: quorū alter, exaſſatus ſanguis, melancholicos; altera, bilis, etiam maniacos facere cōſueuerit. At vtroſque, tēperatioris, dico, ac ſiccioris naturæ homines, imò verò, præter pituitoſos, comprehenſos omnes hoc loco eſſe, teſtabitur facilè aperteque author idem Hippocrates, qui alio in opere, de aëre, aqua & locis, quo loco aphoriſtici huius à ſe dicti cauſam explicans, ſic ſcribit: τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὅσοι μὴ τοιοῦτοι. alijs, inquit, qui eiuſmodi non fuerint. priùs autem pituitoſorum, mulie-briſque ſexus meminerat tantùm. Ita ſanè fiet, vt, præter hosce, cæterorum omnium conditio hominum corripi affectibus illis, de Hippocratis quoq; ipſius ſententia, in eiuſmodi Conſtitutione poſſit.

Quæſitæ componendarum inter ſe Conſtitutionum rationes diuerſæ: & multarum exhibitum ſpecimen, per Tabularum exempla.

CAPVT VII.



ATque hæ ſunt paulò magis celebres illæ inter Aphoriſmos repoſitæ Conſtitutiones quatuor, morborum multorū, diuerſorumque, vt & ipſæ diuerſæ inter ſe habētur, cauſa. Sūt & aliæ partim in libello de aëre, aqua & locis; partim etiā alibi relatæ nobis ab authore eodē. Nec ſanè minùs excogitari à multis innumeræ, ꝓpè aliæ, ad eiuſdē huius Hippocratici modi ſimilitudinē, queāt; ratioq; vna his addita applicari, ex Hippocratica ferè ſemper ratione petita. Quem planè modū quum pollicitus aliquando eſſet Galenus, præſtiturum ſe, traditurumq; nobis, ſi per otiū licuiſſet; nec fidem tamen in eo exoluiſſe illum vnquam videamus: arbitror licere nobis hoc loco (qui locus proprius, peculiarisq; tractationis huius eſt) tentandum aliquid ea in re aggredi, ſi fortè ſpecimen ſaltē rei edere poſſimus, quod ſequamur: nō quidē vt omnia percurramus, minutiasq; componendarū ſimul Conſtitutionū tam multarū, diuerſarumque, tamq; vario plerunq; inter ſe modo coeuntium omniū, ad vltima vſq; diſſectas tractemus: (id enim immēſum, ac propè infinitū fuerit) ſed ne nihil prorſus in hoc agamus, generibus tantūmodò rerū quibuſdam comprehenſis, reliqua deinde faciliùs tractāda, quibuſcunq; effectū hoc reddere libitū fuerit, trademus. Quod verò primùm hac in re iubemur à Galeno, iā perfecimus: vt, iuxta tradēdi rectè hæc viā ac rationē, ſimpliciores primùm Cōſtitutiones quid facere in tēperata, aut nō admodùm certè diſtāte ab hac, Plaga ſolitæ eſſent, doceremus. Ex quo ſtatim, tantùm non ſtupidus prorſus, quiſq; cōijcere poſſet, quid in diuerſis contrarijsq; facturæ eæ ſint: quippe cōgeneris ſibi tēperamenti Plagā nactæ, ad prōptiùs procreandos, quos alioqui gignere ſuapte quoq; natura ſoleant, morbos incitaturæ: ſicuti in diuerſa, aut tēperamento cōtraria ſibi alia, vim ad id potētiamq; ex parte dēpturæ: vt, ſi calidæ, verbi cauſa, ſiccæq; natura Plagæ, calida præterea ſiccaq; acceſſerit Cōſtitutio, idq; Aeſtate; morbos inde exorituros longè magis credamus, qui bilē, biliosique, atq; etiā exuſti plerūq;, ſanguinis naturā ſequantur. Qui quidē humores in varias corporis partes, ꝓut ſe dederint, putrefactionemque, vel alterius alicuius corruptelę aliquid acceperint, aut etiam natura tantùm ſua incumbant; diuerſa ita affectuum nomina facturi ſint. Eadem Conſtitutio, calida, inquam, & ſicca, Plagæ eiuſdem, nempe calidæ itidem & ſiccæ, Autumni ſiccitatem auxerit, frigiditatem natiuam imminuerit, inæqualitatem quoque eius perſtans emendauerit: Hyemis frigiditatem & humiditatem, locis illis non magnam, propè ad Veris temperamentum deduxerit, ſicuti ex temperatioris tractus Vere Aeſtatem fecerit. Contrario ſpectabimus

omnia modo, quoties Cõstitutio eiusmodi calida ac sicca, frigidam atque humidam regionem inuaserit. Etenim Hyemis primùm, vt quæ locis illis qualitatibus redundet suis, frigus humoremque, si magna fuerit duransque, magna quoq; ex parte vincet; conciliatoq; quoquo modo temperamento, ne consuetos morbos ferat, prohibebit: magisque id Vere etiamnum spectabitur. Cui sanè Anni tempori, eo Cœli tractu, iustum inuehere temperamentum possit Constitutio talis. Aestatem porrò locorum eorum Constitutio hæc auxerit, vt gignere morbos haud difficulter queat, quos gigni in temperatioris Plagæ, aut etiam paulò calidioris, Aestate videmus. Autumni rursus siccitati quidem continuata caliditate sua addet, eiusdem partem diei frigidiorem sic reprimet, vti, quo nomine nocere maximè soleat tempus Anni id, inæqualitatem eius perdat. Nec difficilis restabit coniectura Constitutionum aliarum omnium, quid factura quæque sit, non solùm in attemperatiore tractu, quod suprà ostenderamus; sed in affinis etiam, aut congeneris, aut eiusdem, aut diuersi, aut contrarij temperamenti regione, cogitantibus secum, diligenterque examinantibus, quæ de calida & sicca prodita iam à nobis sunt; simul statuere rerum harum quasi gradus quosdam licebit, quibus gradatim inter se, maioris, minorisque ratione, variè collatæ eæ, varios diuersosque productura haud dubiè effectus sint: Benè frigida & humida Constitutio, in benè frigida & humida regione, Vere, Aestate, Autumno, Hyeme: quos pariet morbos, non vsque eò talis Constitutio, in non vsque eò tali regione, ijsdem Anni temporibus: quos benè frigida & humida, in minùs frigida & humida, in frigida tantùm, in humida tantùm, plùs minùs, per Anni tempora diuersa: rursus autem frigida parum humidaque Constitutio, in benè frigida humidaque regione, frigida tantùm, humida tantùm, magis minúsve: eodem pacto de frigida & sicca, calida & humida: aut simplicioribus illis, calida, frigida, humida, sicca Constitutione, regione, per totum Anni decursum, tam variè plerunque inter se commiscendarum, vt, si quis minutim discerptimque nimis consectari ista velit, Soritis illius in modum, infinitæ existere miscellaneæ complexiones possint; neque eæ tamen perquàm necessariæ. Idemque nemini esse dubium potest, quin longè cumulatiùs expectandum nobis sit, si duæ inter se, trésve, summè, mediocriter, parum de qualitatibus suis nuncupandæ Constitutiones, regionibus a d dantur eiusdem, contrarij've generis qualitatum; idque plùs semper minúsve: &, quod rerum harum cumulum aucturum maximè sit, si (vt quidem faciendum fuerit illi, qui integram sibi tractationem de his proposuerit) per diuersissimis inter se modis variata, nunc duo, nunc tria, nunc quatuor, nimis quàm multipliciter differentiæ eæ omnes deducantur. Quem nos scopulum vt vitemus, non necessariò adeundum; purioris illius, ac legitimæ, nec superuacaneæ, vtilisque potius Medicinæ pelagus nauigantibus, omissis alijs omnibus, temperatioris tractus, veluti amussim constituemus nobis, cuius tantummodò respectu, Constitutionum variarum, varijsque Anni temporibus, effectus consideremus. ad hanc enim tanquam regulam tum directa tendent omnia, tum ipsa omnia diriget. Iam primùm omnium autem excludendæ nobis ex hoc Tractatu, in quẽ venire eæ tantùm debeant, quæ morborum aliquid præter solitum faciunt, Constitutiones, harum ipsarum seu compositiones, seu complexiones, seu copulationes, siue etiam coniugationes, aut comparationes, aut (vt Cicero aliquando) adhæsiones appellâsse velimus: quæ temperati vtriusque, atq; etiam vtrinque coitione temporis cõstant. Quid enim morbi fecerit (quod quidem fieri ex ambientis nos aëris Cõstitutione præternaturali credamus) vtrunq; Veris, exempli causa, atque Aestatis tempus attemperatum vtrinque, hoc est, vt calidum inter & frigidum, sic inter humidum quoque & siccum, medium? aut eodem modo Aestatis & Autumni, siue Autumni & Hyemis, reliquorumq; identidẽ conuentus in temperamentum cuiq; proprium: vt, etiamsi tria in vnũ conueniant, aut quatuor etiam Anni tempora, temperata omnia; aut tria tantùm ex his, duóve, aut vnicum temperamẽtum, quæ temperatum, temperatáve, nullos effectura sint prorsus morbos; nisi quos temporum eorum natura tulerit, ab Hippocrate aliquando ipso enumeratos. At nos hoc loco, Tractatuq; hoc, morborum generationem inquirimus eam, quæ Anni temporum Constitutiones, præter illorũ omnino naturam factas, sequatur: idque, quũ minimùm duæ, (nã vnius tantũmodò temporis Constitutio quid ferre soleat, suprà retulimus) aut summũ quatuor; medio aũt modo tres coierint tẽporũ diuersorũ diuersæ ipsę inter se, aut eædme quoq; interdũ Cõstitutiones. Ordiemur à Vere, cui cõponemus Aestatẽ multipliciter: idq; erit specimẽ, quo vti possimus cõponendis deinceps reliqs Anni tẽporibus binis: deinceps, dico, cõiuncta seq; mutuò cõsequẽtia Anni tẽpora intelligẽs, Veris &

ris & Aestatis, Aestatis & Autũni, Autũni & Hyemis, Hyemis & Veris. Nam si separata hæc, vniusque Anni temporis, naturam suam seruantis, intercapedine disiuncta accipiamus; ea Constitutio, quoniã in vnũ non coit, nec altera alterã sequitur, ne complicata quidẽ dici potest, tẽpore alio, quod Constitutione præternaturali notetur nulla, dispescita. Vnde planè nec morbos vllos fecerit, quos binæ duorum diuersorum temporum Constitutiones solent, nisi quos simplicior aliqua consueuerit: vt, si frigidum & siccũ statuamus Ver; Autumno autem eandem, contrariámve intemperaturam aliquam assignemus; medium autem Aestatis tempus naturalem ex toto statum suum tueatur: nihil hoc casu Veris & Autumni Constitutionum causa subsequuturum sit, excepto, quod simplex vnius tantùm temporis constitutio tulerit incommodum.

Quamobrem Veris & Aestatis tempora (hinc enim, vt dixi, exordium sumemus) ita multipliciter copulabuntur: primùm, altera tantùm parte intemperatas accipiemus, vtpote simplices magis. Sicuti nanq; temperatas ex toto reiecimus, tanquam nihil ad Tractatum hunc faciẽtes, dictis priùs de causis: ita ex parte temperatas admittimus, non quidem qua temperatę, sed qua Temperamentum potiùs naturale excesserunt parte. Hoc enim demum est vnum, ex quo morborum, præter Anni temporis illius naturam, insequentium origo prodeat. Hasce igitur, quæ Veris numerantur, Aestatis Constitutionibus addemus eiusdem prorsus modi, hoc pacto:

VER.	AESTAS.
Cal.	Cal.
Frig.	Frig.
Hum.	Hum.
Sic.	Sic.

Tum calori Veris, Aestatis reliquias tres intemperies annectemus. Prima enim, quæ calida fuerat, vtrinque priorem iam sedem occupauit, vt repetenda non sit:

VER.	AESTAS.
Cal.	Frig.
Cal.	Hum.
Cal.	Sic.

Ab his tres rursus fient, additis Verno frigori intemperaturis Aestatis tribus:

VER.	AESTAS.
Frig.	Cal.
Frig.	Hum.
Frig.	Sic.

Tresque, præeunte humiditate:

VER.	AESTAS.
Hum.	Cal.
Hum.	Frig.
Hum.	Sic.

Ac tres, siccitate:

VER.	AESTAS.
Sic.	Cal.
Sic.	Frig.
Sic.	Hum.

Quum enim æqualiter se prorsus habentibus Vere & Aestate, quatuor tantùm fiant complexiones, (non enim exire plures possunt) absumptis iam his, reliquæ singillatim tres tantùm fient: dum Aestatis tres, quæ variant, Veris qualitatibus quadrupliciter variantibus applicãtur. Quod quoniam quater necessariò fit, (semper enim tripliciter recurrendum ad Veris singulas, quæ quatuor sunt) sic duodenarius illarum numerus exibit. Cui si priores quatuor addantur, sexdecim fient in totum, modo iam descripto. Possunt nihilominùs quatuor quoque, idque quater, connecti, præfixa videlicet quaternioni vnicuique, tanquam capite, æquali vtrinque Constitutione, sicq; sexdecim rursus existent, ad hunc modum:

VER.	AESTAS.
Cal.	Cal.
Cal.	Frig.
Cal.	Hum.
Cal.	Sic.
Frig.	Frig.
Frig.	Cal.
Frig.	Hum.
Frig.	Sic.
Hum.	Hum.
Hum.	Cal.
Hum.	Frig.
Hum.	Sic.
Sic.	Sic.
Sic.	Cal.
Sic.	Frig.
Sic.	Hum.

Quæ quum nihil omnino in se diuersi contineant, nos tamen Constitutionum potiùs effectum, quàm Constitutiones ipsas, considerantes, qui in priori ratione superiorum quatuor ijdem, reliquarum autem omnium diuersi sunt; in altera autem confusi habentur: libentiùs quoque priùs descriptam distinctionem illam sequimur. Atque hæc deduci per tempora Anni omnia, binorum semper copula, potest ratio: vt, quemadmodum factum videmus Veris & Aestatis nexu, idem facilimè efficere sibimet quisque Aestatis & Autumni, Autumni atque Hyemis, huiusque rursus & Veris, in comparatione possit. Exhibito nanque specimine, quod frustra ac superuacaneè in his temporis absumeretur, totum id vtiliter statim transferre ad nondum de his tractata possumus.

Restant igitur bifariam adhuc componendæ in vnum geminæ temporum duorum Constitutiones: primò, quum ex altera tantùm alterum; alterum autem, ex vtraq; intemperatum parte constituetur tempus: rursus verò, quum vtrunque ex vtraque. Primus modus.

VER.	AESTAS.
Cal.	Cal. & hum.
Cal.	Cal. & sic.
Cal.	Frig. & hum.
Cal.	Frig. & sic.
Frig.	Cal. & hum.
Frig.	Cal. & sic.
Frig.	Frig. & hum.
Frig.	Frig. & sic.
Hum.	Cal. & hum.
Hum.	Cal. & sic.
Hum.	Frig. & hum.
Hum.	Frig. & sic.
Sic.	Cal. & hum.
Sic.	Cal. & sic.
Sic.	Frig. & hum.
Sic.	Frig. & sic.

Eodemque prorsus pacto, sed è contrario, quæ nunc Aestatis est compositio, statui Veris potest Constitutio: Aestatis autem, Veri tribui, in hunc modum:

VER.	AESTAS.
Cal. & hum.	Cal.
Cal. & sic.	Cal.
Frig. & hum.	Cal.
Frig. & sic.	Cal.

Et reliquæ, (non enim necessarium est, describere singulas) quæ mente statim concipi ab vnoquoque facilè possunt.

Cæterùm vtrobiq; sexdecim in totum euadent complexiones, vt & in prioribus, eoq; prorsus modo: quòd, sicuti in posteriore hac complicatione nulla alteri ex toto conuenit Constitutio: ita ne quatuor quidem omnium primæ, in hac, nunc descriptæ à nobis, omni sibi ex parte respondentes Constitutiones euadent. Eademque seruabitur in reliquis omnibus ratio.

Secundus modus, quū tam Ver, quā Aestas gemina intemperatura notabuntur:

VER.	AESTAS.
Cal. & hum.	Cal. & hum.
Cal. & sic.	Cal. & sic.
Frig. & hum.	Frig. & hum.
Frig. & sic.	Frig. & sic.

Hocq; rursus loco in singulas Veris, ternæ addi Aestates poterunt, quæ ab illis varient. Quoniam, quæ æqualis fuerat, proprium iam occupauit locū: atq; id, quū repetitū quater fuerit, duodecim fient. hisq; deinceps prioribus quatuor additis, sexdecim omnia, vt in superioribus:

VER.	AESTAS.
Cal. & hum.	Cal. & sic.
Cal. & hum.	Frig. & hum.
Cal. & hum.	Frig. & sic.
Cal. & sic.	Cal. & hum.
Cal. & sic.	Frig. & hum.
Cal. & sic.	Frig. & sic.
Frig. & hum.	Cal. & hum.
Frig. & hum.	Cal. & sic.
Frig. & hum.	Frig. & sic.
Frig. & sic.	Cal. & hum.
Frig. & sic.	Cal. & sic.
Frig. & sic.	Frig. & hum.

Restant nunc maiore quodā opere, sed eadem tamen ratione, componendæ inter se ternæ Anni Constitutiones, primùm simpliciores; deinde cum compositis hæ; postremò vndiq; compositæ, ad hanc fermè normam. Spectentur enim ex tabella primùm 28 simpli: quatuor eiusdē prorsus temperamēti, reliquæ oēs diuersorum.

VER.	AESTAS.	AVTVMNVS.
Cal.	Cal.	Cal.
Frig.	Frig.	Frig.
Hum.	Hum.	Hum.
Sic.	Sic.	Sic.
Cal.	Frig.	Hum.
Cal.	Frig.	Sic.
Cal.	Hum.	Frig.
Cal.	Hum.	Sic.
Cal.	Sic.	Frig.
Cal.	Sic.	Hum.
Frig.	Cal.	Hum.
Frig.	Cal.	Sic.
Frig.	Hum.	Cal.
Frig.	Hum.	Sic.
Frig.	Sic.	Cal.
Frig.	Sic.	Hum.
Hum.	Cal.	Frig.
Hum.	Cal.	Sic.
Hum.	Frig.	Cal.
Hum.	Frig.	Sic.
Hum.	Sic.	Cal.
Hum.	Sic.	Frig.
Sic.	Cal.	Frig.
Sic.	Cal.	Hum.
Sic.	Frig.	Cal.
Sic.	Frig.	Hum.
Sic.	Hum.	Cal.
Sic.	Hum.	Frig.

Conueniant deinde Aestas & Autumnus temperamento eodem, Ver suum, diuersumq; habeat, duodecim fient:

VER.	AESTAS.	AVTVMNVS.
Cal.	Frig.	Frig.
Cal.	Hum.	Hum.
Cal.	Sic.	Sic.
Frig.	Cal.	Cal.
Frig.	Hum.	Hum.
Frig.	Sic.	Sic.
Hum.	Cal.	Cal.
Hum.	Frig.	Frig.

Hum.

Hum.	Sic.	Sic.
Sic.	Cal.	Cal.
Sic.	Frig.	Frig.
Sic.	Hum.	Hum.

Rursus, Veri & Aestati eandem, diuersam autem Autumno tribuamus temperaturam: item duodecim:

VER.	AESTAS.	AVTVMNVS.
Cal.	Cal.	Frig.
Cal.	Cal.	Hum.
Cal.	Cal.	Sic.
Frig.	Frig.	Cal.
Frig.	Frig.	Hum.
Frig.	Frig.	Sic.
Hum.	Hum.	Cal.
Hum.	Hum.	Frig.
Hum.	Hum.	Sic.
Sic.	Sic.	Cal.
Sic.	Sic.	Frig.
Sic.	Sic.	Hum.

Tertiò, Veris & Autumni eadem, Aestatis diuersa Constitutio sit: item duodecim:

VER.	AESTAS.	AVTVMNVS.
Cal.	Frig.	Cal.
Cal.	Hum.	Cal.
Cal.	Sic.	Cal.
Frig.	Cal.	Frig.
Frig.	Hum.	Frig.
Frig.	Sic.	Frig.
Hum.	Cal.	Hum.
Hum.	Frig.	Hum.
Hum.	Sic.	Hum.
Sic.	Cal.	Sic.
Sic.	Frig.	Sic.
Sic.	Hum.	Sic.

Nunc temporum trium horum, quorum vnum simplicis, duo compositæ intemperaturæ Constitutionem seruent, ineamus rationem. Veris primùm simplex, Aestatis & Autumni compositæ sint:

VER.	AESTAS.	AVTVMNVS.
Cal.	Cal. & hum.	Cal. & hum.
Cal.	Cal. & sic.	Cal. & sic.
Cal.	Frig. & hum.	Frig. & hum.
Cal.	Frig. & sic.	Frig. & sic.
Frig.	Cal. & hum.	Cal. & hum.
Frig.	Cal. & sic.	Cal. & sic.
Frig.	Frig. & hum.	Frig. & hum.
Frig.	Frig. & sic.	Frig. & sic.
Hum.	Cal. & hum.	Cal. & hum.
Hum.	Cal. & sic.	Cal. & sic.
Hum.	Frig. & hum.	Frig. & hum.
Hum.	Frig. & sic.	Frig. & sic.
Sic.	Cal. & hum.	Cal. & hum.
Sic.	Cal. & sic.	Cal. & sic.
Sic.	Frig. & hum.	Frig. & hum.
Sic.	Frig. & sic.	Frig. & sic.

Sexdecim hæ in totum. Quòd si variare compositas velimus, vt non sint eædem, multiplices rursus fient:

VER.	AESTAS.	AVTVMNVS.
Cal.	Cal. hum.	Cal. sic.
Cal.	Cal. hum.	Frig. sic.
Cal.	Cal. hum.	Frig. hum.
Cal.	Cal. sic.	Cal. hum.
Cal.	Cal. sic.	Frig. hum.
Cal.	Cal. sic.	Frig. sic.
Cal.	Frig. hum.	Cal. hum.
Cal.	Frig. hum.	Cal. sic.
Cal.	Frig. hum.	Frig. sic.
Cal.	Frig. sic.	Cal. hum.
Cal.	Frig. sic.	Cal. sic.
Cal.	Frig. sic.	Frig. hum.

Duodecim euadunt, præeunte Veris caliditate: vt si eodem modo temporis eiusdem reliquæ tres præfigantur qualitates, frigoris, humoris, siccitatis; tum idem variandarum Aestatis & Autumni compositarum Constitutionum seruetur modus; quadragintaocto in totum existent. Iam si Aestatis simplicis; Veris autem & Autumni compositas easdem, secundo: tertio verò loco, Autũni simplices, Veris & Aestatis compositas, rursus easdem: iterum aũt compositas hasce, quæ priùs eædem fuerãt, tam multipliciter inter se variatas coniungamus; quò excursurus sit numerus eorũ, videmus; nimirum præcedentibus Veris simplicioribus, subsequutis autem Aestatis & Autumni compositis eiusdem generis; sexdecim, quod ex tabella iam patuit, fient. Variatis aũt ijsdem, quadragintaocto, nẽpe duodecim, iuxta ꝓximè descriptam formulam, ter duodecim reliquis adiũctis: quibus si priores sexdecim illæ addantur, sexagintaquatuor in totũ erũt. Atq; is si ter multiplicetur numerus, (quoniã vt Veri, sic Aestati atq; Autũno simplices: reliquis aũt duobus cõpositæ tribuẽdæ fuerint) cẽtum nonagintaduas faciet. Ac queẽadmodũ ex tribus cõpositas duas, simplicẽ tertiam triplicata ratione statuimus: sic è diuerso duas simplices, compositam tertiam tantummodo rectè fecerimus, idq; eodem pacto tripliciter. Rursusque, vt in prioribus, deduci diuersitates per omnes facilè possint. Non attinet aũt, sed neque operæpretiũ vllũ fuerit, singillatim descripsisse oẽs: concipere eas, rationẽ hanc sequutus, statim mẽte quisque, aut etiã sibimet, si volet, ex tabella repræsentatas spectare potest: nosq; intereà tædium tã lõge, neq; necessariæ admodũ tamẽ, tractationis vitãrimus.

Iam ternæ cõpositæ omnes, vltimo loco statuentur, Veris, Aestatis, Autumni, multipliciter hoc pacto:

VER.	AESTAS.	AVTVMNVS.
Cal. hum.	Cal. hum.	Cal. hum.
Cal. sic.	Cal. sic.	Cal. sic.
Frig. hum.	Frig. hum.	Frig. hum.

Frig.

Frig.ſic.	Frig.ſic.	Frig.ſic.
Cal.hum.	Cal.ſic.	Cal.ſic.
Cal.hum.	Frig.hum.	Frig.hum.
Cal.hum.	Frig.ſic.	Frig.ſic.
Cal.ſic.	Cal.hum.	Cal.hum.
Cal.ſic.	Frig.hum.	Frig.hum.
Cal.ſic.	Frig.ſic.	Frig.ſic.
Frig.hum.	Cal.hum.	Cal.hum.
Frig.hum.	Cal.ſic.	Cal.ſic.
Frig.hum.	Frig.ſic.	Frig.ſic.
Frig.ſic.	Cal.hum.	Cal.hum.
Frig.ſic.	Cal.ſic.	Cal.ſic.
Frig.ſic.	Frig.hum.	Frig.hum.

Iterum iam hic, non dimotis ſedibus ſuis quatuor primis, quæ eædem per omnia ſint, vt in ſimplicioribus temporum horum factum fuit Constitutionibus, variare reliquas, quæ duodecim numero ſunt, poſſumus. Atque vt prima hac digeſtione, Aeſtatis & Autumni Conſtitutiones eaſdem fecimus, Veris autem diuerſas: ita deinde Veris & Autumni eaſdem, Aeſtatis diuerſas: poſtremò Veris & Aeſtatis eaſdem, Autumni diuerſas facere Conſtitutiones liceat: duodecim ſemper enumeratis. Exhibuimus ſpecimen, in ſuperioribus, ad quod delineentur reliqua. Quòd ſi variatas per omnia voluerimus, ſic, vt alia alij, nulla eadem ex toto ſit: eandem ſeruabimus, quam ſuprà quoque, rationem, hoc pacto:

VER.	AESTAS.	AVTVMMVS.
Cal.hum.	Cal.ſic.	Frig.hum.
Cal.hum.	Cal.ſic.	Frig.ſic.
Cal.hum.	Frig.hum.	Cal.ſic.
Cal.hum.	Frig.hum.	Frig.ſic.
Cal.hum.	Frig.ſic.	Cal.ſic.
Cal.hum.	Frig.ſic.	Frig.hum.
Cal.ſic.	Cal.hum.	Frig.hum.
Cal.ſic.	Cal.hum.	Frig.ſic.
Cal.ſic.	Frig.hum.	Cal.hum.
Cal.ſic.	Frig.hum.	Frig.ſic.
Cal.ſic.	Frig.ſic.	Frig.hum.
Cal.ſic.	Frig.ſic.	Cal.ſic.
Frig.hum.	Cal.hum.	Cal.ſic.
Frig.hum.	Cal.hum.	Frig.ſic.
Frig.hum.	Cal.ſic.	Cal.hum.
Frig.hum.	Cal.ſic.	Frig.ſic.
Frig.hum.	Frig.ſic.	Cal.hum.
Frig.hum.	Frig.ſic.	Cal.ſic.
Frig.ſic.	Cal.hum.	Cal.ſic.
Frig.ſic.	Cal.hum.	Frig.hum.
Frig.ſic.	Frig.hum.	Cal.hum.
Frig.ſic.	Frig.hum.	Cal.ſic.
Frig.ſic.	Cal.ſic.	Cal.hum.
Frig.ſic.	Cal.hum.	Cal.ſic.

Vigintiquatuor in vniuerſum: ſic enim fert multiplicationis ratio, quam inire vnuſquiſque facilè per ſe queat. Neque illud tamen neſciri à quoquam debet, quum temporis triplicis Conſtitutio in vnum confertur, contingere nunquam poſſe, ex toto vt diſpares eæ inter ſe ſint. Semper enim recurrat neceſſe eſt qualitatum aliqua, eadem quæ ſit: non vtranque dico, (iam autem diuerſitatem ex parte ſuppoſuimus) ſed compoſitarum ſemper alterutram: frigidum & ſiccum Ver, calida & humida Aeſtas: quin Autumni compoſita duas ex his, quanquam non eodem modo geminatas, retineat, fieri nequit. Neceſſariò nanque (modò nõ ex toto par alterutri futurus ſit, quod ſuppoſuimus) aut calidus & ſiccus, aut frigidus & humidus fiet. Sin ſimplicem hunc accipiamus, duobus alijs compoſitis, aut calidus, aut frigidus, aut humidus, aut ſiccus neceſſariò euadet, vt neceſſariò ſemper in qualitatem ex quatuor aliquam incurrat. At nõ æquè, ſi duo ſimplicia, vnum tantùm compoſitum fuerit tempus. Nulla enim tunc prorſus conuenire ex parte poſſint, calidum & ſiccum Ver, frigida Aeſtas, humidus Autumnus. Nec ſecus ex duobus tantummodò compoſita quæ ſint, in his eueniet, altera, ambæ've qualitates diuerſæ vt ſint; calidũ & ſiccũ Ver, frigida & humida Aeſtas: ex toto diſpares eæ; frigida, & ſicca ex parte tantùm diſpar; eodem modo, calida, & humida. Sed enim ſi cuncta, quæ dici de rebus his poſſunt, conferre huc, minimaſq; rerum harum omnium perſequi differentias velimus; creſcat ſanè in immẽſum nimis opus, pluſque inde propè tædij, quàm vſus, reportemus. Qua nos cautione, quæ reſtare videri poſſint, ad tractatorum iam ſpecimen deducenda relinquemus: nec reliqua tamen multa fuerint, præterq; quatuor inter ſe Anni totius temporum complexiones, & copulationes varias, nihil. Nam de integra vniuerſi Anni Conſtitutione, quę tenorem eundem perpetuò ſeruet, dictum priùs. Dictum & de temperatis: vt ſi tria diuerſimodè eo, quo ſuprà diximus, modo hærebunt inter ſe tempora; quartum autem, quodcunque futurum id ſit, Temperamenti ſui æqualitatem coſtodiet; iam explicatum id quoque eſſe exiſtimare debeamus.

Quocirca ſuperfuerit, quatuor inter ſe temporum, per Conſtitutiones diuerſas, complicatio: primùm ſimplicium, ſed diuerſarum: tum ſimplicium, mixtarumque ſimul: poſtremò compoſitarum: idque pluribus inuicem modis multipliciter. Quod quoniam effectum iam à nobis in trium complexione temporum fuit, contenti exemplis his, quæ propoſita facilè vnuſquiſque ſequatur, vtiliùs trademus ceu Regulas quaſdam, quibus immenſa nimis rerum harum numeroſitas quaſi coercita contineatur.

Rationes examinandarum Constitutionum per locorum diuersitatem: Et quæ spectanda nobis maximè in hoc sint.

CAPVT VIII.



Omnium illa maxima: Tēperatas nempe, qualitatisque nullius excessu notandas, Constitutiones, quacunque id in regione, aut quocūque Anni tempore cōtingat, (quod quidem ad hoc ipsum attineat) morborum nihil adferre consuêsse: temporibus autem suis conuenientes, illos tantùm, qui proprij peculiarisque temporis cuiusque futuri sint, recensitos ab Hippocrate, morbos ferent: Ver suos, Aestas suos, Autūnus, Hyemsque suos: hocque, quum naturale sibi temperamentum, vt diximus, retinuerint. Eadem illa tempora naturam suam egressa, (bifariam autem id fit: vel enim in proprias excurrunt longiùs, vel in diuersas qualitates abeunt) allatura morbos sint semper maiores, deterioresque, propriarum qualitatum excessu, ob maiorem causæ hinc efficientiam: minores, minusque perniciosos, in contrarium acta, nisi magis magisq; in partem hanc discesserint. Quippe conciliatur tunc eo pacto temperies potiùs quædam aëri, minùs vt quoque proinde esse morbosus queat. Calida siccaque Aestas, sed temperatè, hoc est, naturæ suæ conuenienter, peculiares sibi certosque morbos intulerit: calidior deinde magis, ac siccior facta, noxam quoque vnà auxerit. De caliditatis siccitatisque suæ vi remittens, cui dubium, quin contemperamento eo nō solùm, quos facere aliàs consuêsset, mitiores primò exhibeat: sed ne vllas quidem plerunque, Constitutionis certè eiusmodi ratione, ferat. At aucta deinde, ac magis magisque gliscens, sumpto incremento iam maiore; quo præternaturalis excessus plus, eo morbos etiam plures inuehet vnà, & vehementiores semper. Idem de Hyeme: idem de Autumno existimandum, cui si continuo aliquo temperamenti tenore inæqualitatis noxa dematur, minimè quidem morbosum sensuri tempus id simus, alioqui non procul à temperamēto quod absit. Eximemus hinc tamen Ver, æqualitate partium suarū constans, à quarum primo quoque recessu facturum redundantiam semper sit noxiam. Neque enim temperato, & æquabili per omnia tempori contingere excessus vllus absque nocumento poterit: tantum abest, vt iuuamenti aliquid à qualitatum aliqua, paulùm modò æqualitatis, aut mediocritatis metas supergressa, accepturum sit. Cæterùm nunquam tam malè constitui aërem credere par est, quàm quum, continuato qualitatum earundem modo, cursum integrum ab initio ad finem vsq; peregerit Annus. Nam temporis vnius Constitutio prçternaturalis morbos affert: tanto magis duorum, magisque adhuc trium, maximè autem quatuor. Hæc vltra si tendat Constitutio, (quod vt perquàm raro eueniat, at contingere tamen potest) nocentissimum tempus id experiemur: minùs tamen, si siccitas inualescat, quàm si humiditas; si frigus, quàm calor; coniunctimq; hæc duo si frigus siccitasque, quàm si calor vnà humorque. Quæ si duæ perseuerantes vigebunt qualitates; omniū maximè prauorum, lethaliumque morborum causæ erunt. At si diuersis Anni temporibus diuersæ successerint Constitutiones, aut etiam contrariæ ex toto, vel ex parte: emendaturæ antegressarum intemperaturam sint dubio procul, vtique subsequentes statim; potissimùm quidem contrariæ vtrinque, tum etiam altrinsecus, ac diuersç demum. Diuersas hoc loco appello, non opposito penitus modo contrarias, sed paulò magis in diuersa discedentes: cuiusmodi paulò magis attemperatæ sunt, quæ tamen quoquo modo contrariæ habendæ fuerint, prout sæpenumerò medium extremorum vtriq; contrarium ponimus. Idipsum (medium dico) quoniam ex extremis componitur, aduersabitur his necessariò aliquatenus: atque ita frigiditatē fortè & humiditatem nimiam Veris, temperatior superueniens in natura sua Aestas, calore & siccitate, ne morbi inde superueniant, attemperabit parum. At eadem si qualitatibus hisce suis paulò magis inualuerit, iam Veris eæ præcedens relictumq; in circumambiente nos aëre frigus, humoremq; æquabit primò, postremò etiam superabit. Idem omnibus accommodare exemplum debebitur: Tanto autem magis hoc vtile fiet, quum qualitatum propriarum abundantia naturam suam egressa nimis tempora reuocanda ad Temperamentum suum fuerint: vt calidissimā & siccissimā Aestatem, benè humidus frigidusq; Autumnus cōtemperaturus sit. Lapsa autem eadē ipsa in contrarium, pauloq; frigidior & humidior facta, vel mediocris Autumni aduentu redigi facilè ad Temperamentum queat. Incōsideratiùs dictum videri hoc possit, atque inde cauillandi sibi ansam perquàm facilè arripiat Sophista aliquis, quū audierit, Aestatem Autumni superuentu mitigari aut attemperari, & huiusmodi, debere, quç iam abierit. Sed nos permanentem Constitutionem intelligimus, quam

Aestas quidẽ præterita iam fecerit, sed cuius manifestò sensibus nostris impressa vestigia sentiamus in aëre: neq;, donec qualitatibus, quę facere Aestatẽ solent, affectum cœlum perstat, non, & quidem de rectissimè sentientium sententia, vocaturi Aestatem simus, proq; ea habituri, vel si ad multum vsq; productũ id tempus tetenderit: simul Constitutiones temporum præteritas superuenientibus alijs in eo mitigari, & attemperari, ne morbi ex his gignantur, dicimus. Repetendũ hoc loco quoque, quo de Temporum excessu, ac temperamento sermonem facimus, non aliter accipi debere ista, quàm de propria tẽporis cuiusq; natura dicta, vt, vnde egressa fuerint, eodem reuocentur. Calidissimam enim & siccissimam Aestatem reuocare, non ad Veris temperamentum, sed ad proprium dicemus; deq; alijs idem. Tum, de quo suprà monuimus, neque illud prætereundum: acceptas hactenus à nobis in toto hoc orationis nostræ progressu Constitutiones fuisse, temperatioris Plagæ quæ essent. hæc enim cunctarum aliarum amussis. Cæterùm ambitum Temperamenti huiusce non nimis angustis quibusdam, vt alij quidam, metis circunscripsimus, simul ad artis vsum maiorem, qui quidem pluribus ita communicetur; simul rationibus adducti, præter alias allatas, etiam illa. Etenim si in dijudicando, censendoq; exacto corporis humani temperamento, quũ non ignoremus, exquisitè eiusmodi esse nõ posse, vsq; eò, vt non reuera aliquam excessus tandem alicuius in partem inclinet; notas nihilominùs exactioris temperamenti sequimur, quales sensibus nostris offerri possunt, certas constitutasq;, quasdam quidem illas, neque tamen omnes semper à nobis sic, vlla prorsus earum ne absit, ad rem hãc exigendas: tanto id sanè facere nobis magis licebit in constituenda temperata cœli Plaga, cuius, vtpote temporum momentis multis variabilis, neq; certa valde, exactaq; numerari signa possint, vt non plurimorũ quoque ea locorum habenda sint; quæque habentur, ea iam consensu omnium in maiore, quàm quæ per Coum & Cnidum, vicinaque his solùm loca sit, orbis parte visuntur: præter id, quòd in manifesto à temperati cœli Plaga ad Septentriones recessu, situs plerunque, priuatique alicuius loci, solique, fortasse autem nonnullius etiam cœlestis aspectus beneficio, circumambientis nos aëris hodie quoque temperamentum æquabile satis sentire licet, ita quidem, vt nõ sanè multo desiderari temperatius debeat: ideoque iure ac meritò valitura his quoque in locis sint, quęcunque à nobis superiùs de Anni totius Constitutionibus explicata fuêre. Quanquam duci ratio rerum harum non dissimilis etiam per euidenter intemperata loca possit, si illud tantùm discriminis adhibeatur, quod insignem tamen differentiam factu-rum non sit: quippe maioris solùm minorisque distare hæc ratione videbimus. Nam & apud Scythas frigida humidaque Constitutio inualescens, naturalique locorum accedens, citiùs, magisque morbos produxerit, constitutioni ei affines. Calida verò & sicca, adeò quidem, vt cœlum ita constituat, (demus enim fieri hoc aliquando his in locis posse) vt eiusdem intemperamenti morbos quandoque gignat: at seriùs, & minùs gignet, primò: tum persistens, & multos, & magnos gignet. Primò nanque, (vt suprà etiam memorauimus) ceu contemperamentum potiùs quoddam fit, mox perdurantem Constitutionem morbi insequuntur sui quamcunque. Contraria omnia, sed eadem tamẽ ratione, in Aethiopia euenient. Breuiter atque in vniuersum statui id in rebus his debet: Qualiscunque, quacunque orbis in parte, etiam quocunque Anni tempore, Constitutio fiat, modò inualuerit, vt Constitutio haberi possit, &, quod dicitur, sit, constituatque aërem: ea vbique consuetos sibi morbos paritura credi potest; seriùs, citiùs, alibi maiores minores, fatemur: sed tamen paritura. Quo hæc tempore scribebamus, media Hyeme, Pragæ caloris atque humoris verni toto cœlo perstãs aliquandiu temperies erat. Itaque morbi propè nulli, aut placidissimi, distillationes, tussiculæ, podagrici quibusdam dolores, iustum Anni tempus anteuertentes. Nam qui, consueto naturaliter se habentis Hyemis frigore velut adstrictus, aliâs non se ante inchoantis Veris tempus commouere solitus erat humor, calore hoc fluxilis factus, euocatusque, meritò ante expectatum infestabat. Quæ si Constitutio ad Ver perueniat, aut Aestatis quoque tempus attingat; non dubium est, quin expectandi tum morbi sint, ex nimia tandem caloris humorisque abundantia originem suam trahentes, putredinosi omnes, putridęque febres; factáque indies maiore quadam ad putredinem accessione, etiam pestilitas. Gradatim enim, temporis omnino intercapedine aliqua, fieri hæc docuimus.

Quæ eò sanè traduntur à nobis hîc, vt sciamus, quanquam frequentiùs ac magis Constitutiones quasdam locorum, magis quorundam naturæ temperamentoque affines, morbi insequi consueuerint quidam: dissitam nihilominùs sæpe natura locoque à cœli temperamento eo Plagam corripi contrariam vsque eò Constitutio-

ne posse, vt non solùm minores, verùm etiam maximorum nonnullos, quos producere Constitutio talis solita sit, afferat. Sic quidem, in frigido maximè, siccoque Sueciæ Noruegiæque tractu, viguisse Pestilentiam scimus, caloris humorisque insignis semper fœturam. Quæ si ita se habent, (habent autem omnino ita) non magnas, multásq; sequemur Regionum, locorumque differentias: vnamque penè spectabimus interdum, vbiubi locorum aut gentium futuri simus, Constitutionem, de qua ad futurorum morborum prædictionem pronuntiare nobis liceat; tum verò, quam ad alios quosdam artis nostræ vsus accersamus. Idque faciemus, Hippocratem sequuti, qui quanuis certorum Anni vniuersi temporum peculiares morbos enumerârit, admonitos tamen voluerit nos, Autumni exemplo, diuerso licèt Anni tempore, eueniente caloris frigorisque inæqualitate, Autumni propria, expectandos nobis esse, quos ferre Autumnus consueuerit, morbos: duci vt facilimè argumentum inde ad Constitutiones debeat, quæcunque alieno Anni tempore contingunt, quę proprios sibi peculiaresque, non autem locorum aut Anni temporum naturæ conuenientes, gignant. Neque iccirco hoc quidem in Tractatu laborandum magnoperè nobis fuerit in eo, vt, quos Ver, aut Aestas, Autumnúsve, aut Hyems, (nanque id seorsum à nobis, per seque faciendum, donec naturaliter se habuerint hæc) sed quos horum ipsorum Anni temporum intemperaturæ potiùs morbos ferant, teneamus. Quandoquidem, si qua illis præter naturam tandem suam accidat, iam huius ipsius potiorem semper, quàm Anni temporum, ducturi rationem simus. Atque ad hunc modum, totum id, quod suprà de Constitutionibus, Constitutionumque tam simplicium, quàm compositarum, connexionibus traditum à nobis est, contineri ratione huiusmodi regulaque debeat, neque planè accipiendum id aliter fuerit. Neque enim, si Ver & Aestas, Aestásve & Autumnus, sic simpliciter; sed si huius illiúsve fuerint temperamenti, alios, aliósve sequi morbos, dicemus.

Superiorum demonstratio, allatis Constitutionum aliquot exemplis. Tum, quid à contrarijs, quid à diuersis, sibi inuicem succedentibus, expectandum Constitutionibus sit.

CAP. IX.

PROferamus differentias Cõstitutionum aliquot, quæ exempli loco sint in reliquis, ne percurrere singula necessum habeamus. Calida vtriusque, Veris Aestatisque, intemperies, quoniam caliditate Ver temperamentum suum exit, qualitatisque eiusdem accessio Aestati fit, quæ natura antea quoque sua in id ferebatur: necessariò febres nobis Tertianas dabit, genus omne, interpolatas, continuas, ardentes; erysipelata, aurigines, intestinorum difficultates: in summa, accensi sanguinis, acriorisque factæ bilis, sobolem omnem. Contrà, vtriusque temporis frigidius cœlum, quod Ver frigiditate temperamentum suum exit, quæ Hyemis potiùs sit: Aestatis autem facta in contrarium naturæ suæ conuersio, quæsitumque illi ita excessus, quo calore nimio laborat, contemperamentum, morbi aut pauci, aut Veris, siue Hyemis etiam proprij aliqui sequentur, comitiales, conuulsiones, tusses ex mala spiritalium partium intemperatura, pleuritides, cruciatus colici, nothæ Tertianæ, aut ardentium febrium alterum genus, item nothum. Idem eueniet de vtroque sicco humidóve tempore iudicium. Etenim siccitas, quoniã naturalem Aestatis qualitatem auget, (quod tempus hoc casu naturæ suæ conuenienter calidum pręsupponitur) exacuet bilem, vt quos propè calor temporis eiusdem nimius procreet morbos statim, paulò antè enumeratos. Humor autem, quum siccitatem reprimat Aestatis natiuam, facto temperamento hac ex parte, biliosæque ideò materiæ fracta acrimonia; nec acutos vehementesque valde, & putredinosos potiùs morbos quosdam afferet, febres huiusmodi, distillationes ex pituitoso, salsilaginosoque interdum humore, raucedines, exque huius eiusdem vellicatu intestinorum tormina, tenesmos. Iam si in vnum consentiant qualitates, certum est cum causa auctum vnà statim quoque iri morbos, vt & acutiores, & vehementiores, atque ante expectatum sæpe fiant. Sic quidem calidum & siccum Ver, calida itidem siccaque Aestas excipiens, febres progignet acutas maximè, ex pura synceraque bile ortas; continuas, intermittentes; æstuantissimas omnes. Hæc eadem delirium in febribus facere, quosdamque etiam in furorem agere facilè, maniacos factos, conuersaque tenuiore sanguinis parte in bilem, possit. Sed & iecinoris venosique generis vniuersi calido siccoq; magis facto temperamento, arquatos. Eodem modo, si humori calor consociatus accedat, non qualis Aestatis, Verique natiuus, sed vtrobique maior: expectãdi nobis inde haud dubiè morbi putrefactionis maximæ, malignæ pestilentesque febres, bubones, carbunculi, exanthemata putrida, pestis ipsa, vlcera cacoëthe, herpetes latè serpentes; lumbrici, contagio, cùm

quæ particularis alicuius infecto aëre, tum quæ transfuſa in ambientem putrefactione contingat. Frigiditatem autem & ſiccitatem amborum temporum veriſimile eſt morbos aut rariſſimos inſequuturos, aut minimè certè omnium putridos: eo præſertim, quòd, dempto ex parte calore, tam Veris temperato, quàm Aeſtatis ſuperante, quo veluti fuſilibus factis humoribus, morbi plurimi fiant; conciliatoque ita Temperamento quodam, etiam ſubtrahitur agenti calori humor, vnus propè multorum maximorumque morborum fomes. Quamobrem ſuccedere tempeſtati huiuſmodi ophthalmiæ fortaſſe ſiccæ quædam poterunt, adſtrictio alui, vrinæ ſtillicidium, neruoſarum partium affectus, ex nuda potiùs frigiditatis & ſiccitatis intemperatura, quàm humoris alicuius præſentia, ſubortus aliquis. At cum frigiditate humiditas ſi fuerit, ex multo maxima humorum abundantia, quam caloris nil tum ferè abſumentis inopia alat; morbi quidem multi, quos pituita gignat, diſtillationes, tuſſes, attoniti, comitiales, læuitates inteſtinorum, colici cruciatus ſequentur: minimè autem multę febres, niſi quas (maximè ſi paulò remiſſior frigiditas fuerit) rarò corruptior pituita excitet, quotidianæ, τυφώδεις, ἠπίαλοι, & huiuſmodi.

Illud tamen memoria interim retinendum ſemper, cuius antea etiam meminimus, Exuperantium qualitatibus ſuis temporum, vt Aeſtas atque Hyems ſunt, conſtitutiones retrò in contrarium, vt hoc caſu, actas (frigidam enim & humidam Aeſtatem poſuimus) minùs adhuc multos tales parituras morbos: ſicuti longè plures, maioreſque, ſi Hyeme tempeſtas eadem contigiſſet: propterea quòd, quum morbi, vt qui natura ſua incommenſurati ſint, intemperamenti maximè exceſſum inſequantur; hîc contrariæ qualitatis occurſu refracta, ibi eiuſdem additamento aucta videri poſſit intemperatura. Quæ toties, ne excidat, repetita ſeruanda perpetuò à nobis erit conſideratio. Itaq; ne in copulatione quidē oppoſitarū inter ſe, aut ex toto, aut ex parte, Conſtitutionū, ſeu ſimplices, ſeu compoſitæ eæ fuerint, obliuiſcemur huius. Veris enim calore, & Aeſtatis frigore contemperamentum exiſtet: ſicuti è diuerſo Veris frigore, & Aeſtatis calore: in priore tamen maius, ob eā, quam modò attulimus, rationem. Aeſtatis nanque frigus, cùm Aeſtatis natiuum, tum Veris peregrinum calorem temperat. At Veris frigiditatem exuperans iuſto plùs Aeſtatis calor primò attemperârit quidem ſtatim, moxque deinde longè victor euadens vires exeret ſuas: morboſque gignet, quàm ſuperior Conſtitutio, non ſolùm plures, ſed etiam vehementiores, ex humorū ſucceſſione, æſtuanteque bile procreatos. Sic Aeſtatis humidior Conſtitutio, tum ſuam, tum Veris attemperare fortè ſiccitatem, ne multi mali ve morbi ſuccedāt, poſſit: ſiccior autem, exiccato quamprimùm, quod ſatis ſit, Veris humore, vlteriùs deinde, quàm par ſit, progreſſa, etiam morbos inuehet purioris acutæque bilis.

Diuerſarum autem, nec contrariarum qualitatum Conſtitutiones eoſdem hoſce; at nec tam euidentes, nec tam magnos effectus producent: quippe quū ſecundariò, exque accidenti tantùm, agant. Ad hunc modum caliditatem Veris, Aeſtatis humor retuderit; ſuamque vnà aliquatenus, ſiccitas auxerit; frigiditatem ſiccitas non magnoperè ſanè auxerit: auxerit humor, ad morborum generationem quorundam. Nam quanuis Aeſtate ſiccitas vehementior, & ob eam cauſam efficax magis: quia tamen recta contra frigiditatem non tendit, nihil quoque effatu dignum præſtabit. Præſtabit autem humor aliquid: qui licèt Aeſtate naturaliter minor, hoc tamen caſu ponitur. Neque ipſe autem, è regione frigiditatis quanuis oppoſitus ſit, iuuare nihilominùs eam plùs ſiccitate ſemper ſolet: & quia humor, videlicet morborum plurimorum materia, plures quoque hoſce, quàm ſiccitas, fecerit. Quod idem de cum caliditate quoque coniuncto humore intelligendum eſt. Inuerſo verò ordine manifeſtiùs cuncta hæc apparebunt. Calor nanque & frigus, humorem ſiccitatemque faciliùs ſemper vincunt; humorem nempe caliditas, ſiccitatem frigus; quàm hæc illa. Itaque Veris humor, ſuperueniente Aeſtatis calore, perquàm facilè remittetur, frigiditate minùs. Quin interim auctior etiam fiet humor: quippe ea, frigiditas dico, vt quæ eſſe Aeſtate non perinde magna queat, ſanè nec humorem abſumet, aut congelare poterit: atque interea tamen adauctum potiùs peruadere varias corporis partes ſinet, vt morbi inde oriantur. Siccitas autem Veris, Aeſtatis caliditate, nulli dubium quin augenda veniat. Etenim & efficax valde qualitas ea eſt, idque Aeſtate magis; & ſiccitati maximè fauet, vt & caliditati ſiccitas. Aeſtatis frigiditate, Veris ſiccitatem non valde auctum iri, contraque potiùs, introducto (quod ferè à frigiditate fit) humore, imminui debere, credibile. Obſtituram autem frigiditatem eam morborum generationi multorum, veriſimile eſt, adſtrictione quadam, ne ſe, quicunque tandem illi fuerint, commouere facilè poſſint. Contingere

gere tamen morbi poterunt, quos absque humore intemperatura sola gignat: tusses id genus, neruorum dolores, excrementorum alui suppressio; vrinę stillicidium, ex vesicæ intemperatura, non quam humor faciat vellicans aliquis, sed quæ imbecillitate sua humorem remittat.

Ex hac, de contrariarum, diuersarúmve inter se duorum Temporum simplicium Constitutionum copulationibus, tractatione, deriuari veluti traduces quidam poterunt, tum ad alteram, ambásve illorum ipsorum Temporum compositas; tum idem commodè diuersis alijs duobus temporibus applicari, vt, quemadmodum de Vere & Aestate nunc; ita de Aestate & Autumno alibi, alibi de Autumno atque Hyeme, Hyeme & Vere, disputetur. Quin tria quoque sæpe, interdum & quatuor, in vnum copulata, hærere ita inuicem posse Tempora, perspicuum est: de quibus partim iam dictum, partim transferri in omnes ratio dicta iam, traditaque poterit. Semper enim priorem Constitutionem posterior accedens, aut qualitatibus ijsdem augebit, aut contrarijs imminuet; magis, si duorum; omnium maximè, si trium Anni temporum Constitutiones insequantur primam. Quæ si inter se variabunt ita, vt non eædem, continuæque; sed diuersarum, aut contrariarum altera, ambabúsve qualitatibus, Constitutionum interpositione alternent: eadem tamen valebit adhuc ratio, vt alternatione ea, successioneque mutua, aut sese inuicem foueant, aut mutuò aduersantes corrigantur: sicque vel plures, paucioresque, sui tamen semper generis, morbos edant, prout vincens Constitutio superauerit, qua morbi fiant intemperaturæ suæ proprij; aut etiam temperamento eadem æquata, nullos, aut paucissimos (quod quidem circumambienti nos tribuendum aëri sit) ferat. Nam illud (vel silente me) perspicuum esse arbitror, quod suprà quoque addidimus, non solùm temperatioris Plagæ, sed æquabilis etiam humani temperamenti regulas has constitui: ad quas dirigere tam locorum, quàm corporum intemperaturas nobis liceat. Etenim quemadmodum temperatæ Regionis homo itidem temperatus, cuncta, quæ diximus, sensurus, experturusque vera est; sic ad eandem regulam si contrariam rationem adhibuerimus, affirmabimus sanè, intemperatas naturas eiusdem generis intemperamenti Cõstitutionibus obnoxias habendas magis semper esse; contrarijs autem emendari, sæpeque ad Temperamentum duci. Atque hoc ipsum quando fieri à nobis ex arte possit, aut debeat, posteriùs tractandum. Nunc, postquàm, quantum ad artis vsum futurum satis erat, fierique à nobis potuit, inuolutam tricis quibusdam rem, necdum à quoquam (quod sciamus) explicatam, expediuimus ipsi, vt arbitror: finem considerationi huic faciamus sanè cùm per se fastidiosæ, ac longæ, tum quæ facilè incursura in soriticum illum cumulum sit: nisi progressioni, ne longiùs, quàm postulare vsus videatur, tendat, coercendæ modus à nobis adhibeatur: præsertim, quum pergendum ad ea deinceps nobis sit, quorum vtilitas in arte maxima, coniunctaque cum rerum iucunditate quadam tractatio, cùm scribenti de his minus parere tædij, ac molestiæ possit; tum verò nostra hæc lecturos placidioris cuiusdam lectionis amœnitate detinere. Restat autem, aut sequitur potiùs, Exercitationis ratio diligenter inprimis tractanda. Quoniam tanquam desitę iam, & cuius sicuti vniuersæ rectus propè exoleuit vsus; ita notitia quoque de ea longè minor habetur, negligentia hodie, ac penè contemptus magnus, rectæ quidem & artificiosæ, vt ideo tentandum eo magis sit, si fortè reuocari pars hæc, veluti postliminio quodam, ad iustam artis totius constitutionem queat.



IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER SEXTVS.

Exercitationis diffinitio, significata, vsus, modus. Motionum commendatio, & cessationis ab his damna.

CAPVT I.



Xercitationem quum dicimus, cōmuni quadam notione illud statim concipimus animo, & comprehendimus, commotionem corporis maiorem aliquo tandem pacto factam, remq́ue omnino talem aliquam à nobis intellectam voci huic subijcimus. Hanc sanè significationem etiam vulgus accipit, sicuti veram quidem, ita fusam nimis, & incertam. Itaque circunscribenda est ab eo, qui ad artis illam alicuius vsum vocet, sicuti à nobis hoc loco non motus corporis quiuis pro Exercitatione habebitur. Nam, quum nec paucus, nec multus nimis commoda, quæ primò, semperq́ue ab eo expectamus, præstet: (alter enim vtilitatem, quam intendimus, non attingit; alter etiam prætergressus amittit) accipiendus à nobis meritò ille tantùm fuerit, in quo artis euidenter vsus inest. Is erit, quoties suscitatus corporis commotione natiuus calor, qui immodica quiete segnior torpere solet, excitatusq́ue atque auctus, promptiùs concoctionem molietur, distribuenda vehementiùs rapta diducet, nutricationem meliorem peraget, fusa corpora faciet, vt inde solidiores partes emolliantur, attenuentur humores, reserati meatus peruij omnes fiant: eademq́ue opera, citatioribus delatis per aperta spiritibus, liberati expediantur meatus ijdem, propulsaq́ue exinaniantur excrementa. Iam membra corporis, mutua illa, quam inter exercendum sequi necesse sit, attritione inter se vsque eò durabuntur, vt & faciliùs inde nocumentis resistant, & ad agendum robur accipiant. Quæ quum edi omnia non à quouis, vt diximus, sed à paulò magis tantummodò concitato motu solita sint: concitationis huius metam constituamus, quę Exercitationem iustam faciat. Ea est, Galeno primùm, tum ab hoc authoribus deinceps etiam omnibus, respirationis immutatio: quippe quam adauctus, ob vehementiorem motum, calor faciat, dum plusculum ad refrigerationem aëris petens accipit. vti iam ex hoc commodè satis finijsse Exercitationem, ab omnibus alijs circunscriptam, liceat, quæ corporis motus sit paulò magis vehemens, voluntate nostra initus, & ad immutatam vsque respirationis actionem productus.

Nam qui çoacti labores subeunt, coacti dico, aut egestate, aut seruitutem seruientes, aut iussi, alióve quouis, quàm vt se tantùm exerceant, proposito, fossores, messoresq́ue, remiges, baiuli, aurigæ, & huiusmodi; quanquam vsum sæpissimè reportent Exercitationum iustarum: tamen, quia neque id propositum vnquam habent, ac sæpius sine eo frustrantur, quò nec intendunt quidem; sed nec tempora, nec modum Exercitationis iustæ nouerunt: non sanè admittemus eos huc, opusq́ue potiùs facere, quàm exercere se, dicemus, meliusq́ue, vt opinor, laboris rei huic nomen accommodabimus; nisi quum in eam fortè gratiam suscipiuntur à rerum harum peritis, vt tempore, modoq́ue adhibita hæc, Exercitationis iustæ vsum largiantur: vt si ruri deprehensi pluuio tempore, aut sub tecto, scindamus ligna, aut pila deglubendum aliquid sumamus, taléve ad manus opus quoppiam habeamus, in quo nos vtiliter ad corporis solummodò vsum exercere laboris omnino alicuius specie possimus. Sed & Hippocrates exercitationem labores appellat, tantùm non vbique, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν. item, πόνοι σῖτα, ποτὰ, & ἕλκεα ἐκφύουσιν, ἢν ἀκάθαρτος ἐὼν πονήσῃ voce hac vtitur. Significationem eandem seruat Medicinæ totius instaurator, parensq́ue. Non enim accepisse, authorem hunc, laborem credas eo significato, quo nimio illius vsu succedere quotidie videmus noxas multas, magnasq́ue, non hoc loco enumerandas: sed quia laboris omnino aliquid ineatur, necesse est, vt

Exer-

Exercitatio fiat, laborem Exercitationem appellauit. Γυμνάσιον Græci vocauêre, cùm hoc ipsum, Exercitationem, tum priuatim locum, quo varijs modis exercitaturi conueniebant. Quæ planè vox, quoniam eodem, quo in palæstram ad se exercendum confluebant adolescentium multi, etiam Philosophi plerunque de rebus multis disceptaturi conueniebant; sicuti veteri, ita hodiéque nobis vsitatissimo significato, Scholas indicat, quas aperire ad docendum non Philosophi solùm, sed etiam reliqui genus tandem quodcunque Doctores soliti sint. Cæterũ aliena prorsus ab vsu medico hæc significata esse videntur. Itaque Latino potiùs vtemur Exercitationis vocabulo, sic appellantes hoc loco non animorum, (nam & in disciplinis omnibus, discendóque, ac docendo ingenium exercere dicimur; & suas quidam disputãdo Exercitationes inscripsêre) sed initam à nobis, corporisque tantùm, primò quidem, ac per se, exercendi causa factam, (nam ex accidenti quodam, ac secundariò, non minùs sanè interdũ animi commotiones insequi quædam possunt) Exercitationẽ, respirandi immutatione definiuimus, maiorem crebriorémque factam anhelandi necessitatem intelligẽtes. Hanc enim accipimus respirationis immutationem, ob quam commotione iusta auctus ventiletur congenitus nobis calor; non qua minor factus, quod otio ac desidia nimia fit, aeris minus, idque etiam rariùs, ad refrigerationem postulet. Hîc quoq; enim omnino immutatur quidem, sed in contrarium, quàm iusta Exercitatio faciat, respirandi facultas, idque non motionibus, sed desidia potiùs & torpore. Quamobrem iustæ meritò, opinor, constituemus Exercitationis metam notámque, immutatam illo, quo nuper diximus, modo respirationem, in maius, crebriúsque: id quod tamen non ex eadem motus quantitate, qualitatéve, omnibus eodem modo continget. Sunt enim ἐν τῷ πρός τι ista, vt alij, eadem corporis agitatione, intra horæ spatium sensuri hoc ipsum sint, alij intra semihoræ, alij longiore temporis curriculo maiorem etiam laturi corporis exagitationem, anteq̃ mutatum anhelitũ sentiant.

Quocirca accersendum rursus Hominis temperamentũ huc, vt pro amussi constituamus. non immeritò. Etenim ęquabilis temperamenti homo, qualecunque ei Exercitationis genus proponatur, non solùm iussus, Pædotribęque mãdatis parens, iustam in eo ex artis præceptis mediocritatem seruabit: verùm etiam suapte ad id natura ductus faciet, vti nec ante adeptum Exercitationis vsum nimis propero languore torpens cesset; nec vltrà, quàm par sit, concitatiùs delatus incommoda incurrat laboris iam nimij, non Exercitationis. Quæ sicuti ante tempus cessans, non satis concalfacto, quod par erat, vniuerso corpore, neq; satis redundantibus excrementis euacuato, nomen suum amittit, torporisque potiùs accipit: ita vltra rectæ præfixos terminos progressa, solidas iam partes attingit, ac veluti eliquato habitu, liquamenta ea in articulis potissimùm, musculisque colligit, ex quo defessis viribus, lassitudinis prætereà suboriatur, cùm aliorũ generum, tum vlcerosæ inprimis, si se paulò modò commouerint, sensus. Hæc atque huiusmodi incõmoda, temperamẽti quisquis iusti fuerit, non incurret. Quocirca pro regula quadam constituẽdus nobis is, in quam intueamur, ne quis fortè, aliò spectans, falsitatis nos coarguat, quum viderit crassiusculæ fortè habitudinis, ac desidis prorsus, sedentariæque olim diuque vitæ, aliquẽ productũ ab vmbra ad Solem, inq; eo se exercentẽ, quo primùm tempore crebriorem spiritum ducat, iustè se tum quidem exercuisse; at non tamen, quod iusta prorsus Exercitatio poscit, assequutum: quæ tunc numeros suos omnes impleat, quum permeans per corporis partes omnes calor, spiritúsque vnà vegetiores, corporis ambitum omnem concalfecerint, solidas partes firmârint, excrementis vias liberârint, floridoq; demũ calore quodam cutim totam induxerint. Siquidem longè, quàm ista fiant, citiùs crebrum anhelitum sentiet is, onerosæ molis põdere degrauatus: consuetudine tamen diutina assequetur, vt commoda hæc quoque ipsa cum respiratione vnà mutata deinde reportet. Eodem modo palæstræ, luctæ've, aut disco olim assueti, qui cursum exercent, fodiunt, sub Sole metũt, arant; posteriùs etiam multò, quàm consequuti iam Exercitationis iustę vtilitates fuerint, anhelitum frequentem trahent: qui priusquàm ita afficiantur, nondum iustè se exercuisse meritò dicentur. vsq; adeò quidem, quod vni alicui est Exercitatio, fuerit alteri torpor: atq; alius in eiusdem stadij cursu labore nimio fatiscens, non perueniet ad extremum; alius tum primùm veluti è carceribus exire sibi visus fuerit: in quo tamen omnes se exercent, & quidem verè. Respirant enim alia, quàm anteà, ratione omnes, quod vnum erat finitæ rectè Exercitationis indicium. Verùm illud interest, quòd subiectorum diuersitate, alibi peractæ ad amussim Exercitationis vtilitates, conditionesque vnà sequuntur omnes; alibi ex

parte desunt, sed quæ nihilominùs diligentiori consuetudine mox introductæ succedant.

Ergo præfigendus semper nobis erit scopus in his, in quibus, nullis interuenientibus incommodis, qualia narrauimus, expectatæ vtilitates sequantur. Eæ sicuti numero non sanè paucæ, ita dignitate maximæ quædam sunt. Illa omnium potissima, qua vna sanitatis nostræ tutela propè continetur omnis, repurgantium videlicet corpus nostrum medicaminum, quibus aliquo tandem pacto superflua de corpore educimus, ex rectè commodéque adhibitæ Exercitationis vsu, necessarius futurus vsus nullus. Quum enim in hoc perpetuo rerum nostrarum fluxu, deperditæ substantiæ necessaria instauratio sit, perituræ proculdubio omnino, nisi succedentis semper alterius adminiculo foueatur: porrò nulla omnino, in re hac, reperiatur res talis, quæ sic in alitæ partis transire substantiam tota queat, nihil vt prorsus restet, quod non naturali calore euictum in alimoniam cedat: hoc ipsum, quod non cedit, excrementum aliquo pacto est, excerni omnino de corpore, quum nimis redundat, aut quoque modo absumi postulans, negotia multa ingentiáque facessiturum, nisi ita fiat. Nam aut putrefactum, putredinosorum morborum causa erit, in quibus quanto cum discrimine versentur ægroti, manifestum omnibus est: aut diuersas corporis partes occupans, longioréque aliquando mora intemperaturæ suę viribus auctum, eandem partibus intemperaturam addet. Vbique autem repletionem faciet, tumorésque, ac dolores omnis generis, sæpiúsque abscessus, ex quibus corruptior vapor exhalatus, vitales animalésque spiritus inficiet. Huiuscemodi superuacaneè collectos, altiusque adactos humores (nam in extimi ferè ambitus superficie hærentes balnei vsus discutiet, & cùm hos, tum profundiùs etiam dimersos Constitutiones siccæ, sed has optâsse nobis sæpe licebit potiùs, quàm fecisse) quomodo feliciùs & commodiùs, quàm Exercitatione dissipatos, consumas, non facilè reperies. Vel hac enim, vel purgantibus medicamẽtis id assequare: quorũ vsus, quum maior tantùm ingruit necessitas quædam, idque longiore temporis intercapedine, admittendus. μεγάλως, ait Galenus Aphoris. iij. δεομένοις χρήσιμος, καὶ διὰ χρόνων μακρῶν. At quotidie quum colligantur hæc sensim minutatimque, quotidie quoque euacuari meritò postulant. Nunquam autem tam stultè, vt opinor, aut fastidiosè egerit quispiam, vt vtilem, aut non tædiosum maximè futurũ esse credat, quotidianum purgantis alicuius medicamenti vsum. Præterquàm quòd enim post plurimum tantùm hoc temporis, ingentique aliqua vrgente demum necessitate, faciendum sit, vti diximus; etiam quæ indies fit excrementorum collectio, minor semper erit, quàm vt medicamentum requirat: vt, etiam si nulla, quamcunque aliam ob causam, noxa vti nobis quotidie purgationibus liceret; non fuerimus tamen id facturi, eo quòd maior nunquam esse purgantis medicamenti vis debeat, quàm euacuandi humoris copia postulet: ne, si non reperto, quem satis attrahat, redundante, quæsitum de solidioribus membris eliciat, magna cum molestia, noxáque. Neque enim reperiri medicamentum purgans poterit vllum, cuius exigua hoc casu portiuncula, ducendæ diei tãtùm mora vnius superuacanei humoris collectioni, exhibita, de molis totius recessibus, viribus suis tam parua quantitate missa, eò ducat. Supra hanc autem quæ fuerit, demet quidem superfluum humorem illa: at intereà noxam inuehet inprimis, quam diximus, vt post excrementi pauci illius, nimirum diei tantùm vnius, deductionem remanens adhuc attrahendi facultas, impetum faciat in solida, vt inde, quod quærit, habeat: prętérque hanc, non sanè minorem aliam quoque, quòd pharmaca hæc, quum maximè aduersẽtur naturæ nostrę, (Sũt enim cibo, qui familiaris, intimúsque nobis habetur, contraria) etiam naturam quandoque euictam, tam sæpe in vsum adhibita, destruent, cõcentúmque, ac commensum membrorum, quocunque pertingent, omnium; potissimùm verò principalium, discordem efficient: facultatésque ita statim, quæ temperamento tantùm partium illarum nituntur, aduersantia euertent, ac spiritus vnà omnes perdent: vitiabunt certè corporaturam totam, morémque inducent prauum. κακώσει τὸ σῶμα, inquit, μετὰ καὶ τοῦ μοχθηρῷ περιβάλλειν ἔθει. Non enim aliter poterit, qui consueuerit hoc facere, quin propter naturæ assuetudinem, quæ demi nec facilè, nec sine nocumento possit, sæpiùs eodem recurrens, mala, quæ sequi necessariò solere diximus, sentiat. Idem vsu contingет his, aut non multo sanè minùs incommodi percipient, qui, quum viderint excrementitij succi quotidianas collectiones non esse tantas, vt dictas iam ob causas tolli, repetito quotidie purgantium medicaminum vsu, possint, aut debeant: bis id, aut omnino semel mense toto moliuntur. Alterum enim consequentur, vt iustam dierum plurium collectionem, iusta repurgantis pharmaci quantitate, de mole corporis tota adimant:

mant:

mant: alterum vitare non poterunt, vt non deterius faciant Temperamentum, vitiosumque propterea inde corpus reddat. Quæ effugisse demum cuncta vnius Exercitationis beneficio liceat. Quotidie nanque rectè ea legibus suis ac moribus peracta, demere facilè semper, omnem citra noxam, de corporis vniuersi vijs, sinubus, solidiore mole, quicquid superuacuum fuerit, excitato, qui omnia peruadat, secumque veluti verrens trahat propellatque, calore valebit. Nam quod venire in mentem hoc loco alicui fortè possit, qui diceret: Vt nocuus esse concedatur tam crebrò repetitus purgantium vsus: at lenientium, aluumq; subducentium, quæque ἐκκωπροτικὰ Græci vocant, non esse: fatemur non esse, aut non perinde, vt purgantium: cæterùm de toto educere, negamus, de quo est disputatio, quémque Exercitatio vsum inprimis magnum præstat, præter eos, quos nec contemnendos, nec paucos suprà retulimus: non præstare dicimus, vt de mole vniuersa excrementa auferant. Quamobrem, qui quotidie magis magisq; redundat in corpore succus, antequàm indies nimis multus coaceruatus noxam insignem aliquam inuehat, quum deducendus omnino sit; hoc nobis prōptissimè, commodissiméque largietur Exercitatio; simulque otij desidiæque detriméta demet, in quæ segne nimis corpus, commotionisque iustæ beneficio destitutum, incurrat necesse est: natiui primùm caloris refrigerationem, nullo motu excitato calore, immò fumidis fuliginosisque recrementis veluti restincto, vt ignem, quem auræ nullius motus euentilet, fumo suffocari videmus: tum deinde facultatum omnium imbecilles penitus actiōes, in officio suo, torpore quodam, ex intempestiua quiete, cessantium, impeditumque spirituum progressum, qui vitæ secum munus deferunt: tum verò meatuum, viarumque omnium obstructiones, à frigidis crassisque humoribus factas: febres præter hæc, & putredines; quæque omnium maximè momenti non exigui res est, distributionis alimoniæ per corpus impedimentum; vt authores sint, quietem, otiúmque nimium, ac diutinā Exercitationis cessationem, hecticam adferre membris, quæ ἀτροφία illorum sit, cùm impeditam humorū crassitia ac multitudine alimenti distributionem sequens, tum quòd ignauæ desidia ea membrorum vires, iustóque calore suo, quem motus excitatum semper cōseruet, destitutæ, neque de cibo alimentum ad se trahere, neq; spiritibus foueri possint, prorsusque nutricatione ita priuentur sua. Resolutas paralysi partes videmus, aut si quæ consueto, aliqua de causa, motu carent, quàm exiles, tenuésque sint, alimoniæ solummodò defectu, quæ neque permeet ad partes, calore nullo euocata: neque, si permeet, confici rectè, defectu caloris eiusdem, queat. Carceribus diutissimè, aut cathenis detenti, aut qui, vt Hippocrates quidem (Acuto. ij.) monet, vulnere fortè in cruribus accepto, quiescunt (necessarium enim hoc eo tempore, vt phlegmone vitetur) diebus aliquot: pòst, quum id facere aggrediūtur, quàm non facilè, immò quàm non prorsus, nisi magno cum labore, se cōmouent? Quod non tam desuetudine illa fieri existimandum, quàm quòd desuetudo hæc, ipsa motus consueti cessatione, partes eas calore alimentóque suo depauperatas, imbecilles ad rursus obeundum, quum vsus venit, opus suum reddit. Atque è diuerso, quæcunque in eo perstant, vt officium suum rectè semper exerceant partes, validiùs operari, validiùs agere eas scimus, non solùm quibus animales, verùm etiam quibus naturales delegatæ facultates sunt. Sic quidem nutricationem partium faciliùs peragi videmus earum semper, quæ trahendi ad se alimenti vi pollent. pollent autem, quæcunque continuato magis ordine id fecerint. Rursus vigentes maximè, pollentésque, atque etiam adaugescentes conspicimus partes, quibus Venus exercetur, in his, qui operam nauiter rebus illis dant: contrà flaccescētes, rugosas, inualidas, minores abstinentiū, & in Venerem segnium. Quid? an non lactantium vbera, donec lactant, magna, plena, tensa, lac plurimum generantia sunt? Quæ, quum primùm in opere eo cessatum fuerit, contraria omnia ostendant. non immeritò sanè. Siquidem, ex Platonis sententia, Galenus verum esse asserit: τὴν μὲν ἡσυχίαν ἐκλύειν, τὴν δὲ ἐν τοῖσ οἰκείοισ ἔργοισ διατριβὴν αὐξάνειν τὴν ῥώμην. Proprij ait operis exercitatione robur augeri, vt quiete resolutū minui. Scitum & Hippocratis illud: ὅτι ἡ χρῆσισ κρατύνει, ἀργείη δὲ τήκει. Vsus, inquit, roborat, firmátque. at non sine motu semper aliquo vsus quiuis. Atque hinc, vt in multis alijs cum Authore hoc factum fuisse ab eo videmus, sententiam accepisse suam, quam proferret, Platonem non dubito, magna cum ratione. Promouet enim quacunque in re motu opus suum natura semper, cuius ipsa principium est: quiete languent omnia. Quippe à natura magis magisque discedunt, quo à motu magis. Aspice tam varios cœlorum multorum motus, ordine semper eodem recurrentes, nunquam cessantes: ignem præterea, non naturali quidem illum, sed nec contrario tamen, neque violenter, sed placidè semper circumactu

eodem

eodem ductum. Aëris superiorem partem rotatu circunuolui assiduo, argumento sunt Cometę itidē circūuoluti. Inferiorē hanc, fereque circumambientem nos, venti auræque assiduè agitant: ac, nisi agitent, corruptione is quàm primùm tangatur. Maris aquam contendere possumus, ne reses putresceret, fluxū suum, ac refluxum sentire. Eadem ratione, fontanas fluuiatilesq; lacustrib⁹, lacustres stagnātibus, prorsus præferimus: in quibus tamen ipsis, nisi cōmotionis aliquid insit, quæ sensus fortasse nostros effugiat, corruptum statim eant. Sola terra vilis ponderosaque immota manere videri possit. Atque eadem tamen intus, imisque sæpe partibus, ventis perflata, excolata aquis, percursaque ignibus quasi repurgata, ne motionis ex hoc non eam prorsus aliquid sentire credamus, facit. Foris autem huius ipsius tergum nisi aratris proscindamus, ligonibus marrisque exerceamus, nihil percepturi vsus, fructúsve fuimus. Segnem dicimus terram, quum hyeme quiescit, vsu nullo. Vulgus etiam moueri illā existimat, quum inchoante Vere, tanquam de gremio sinuque suo, largè effundere nobis frugum fructuumque omnium spem, cum iucunditate maxima, incipit. Mille enim flosculorū genera spectare cōmota tellure tum licet: agri segetibus lætis augentur, comuntur arbores, vestiuntur syluæ, gemmant vites; læto denique omnia ad nos vultu, depulsa segnitie, redeunt. Hanc in simplicioribus, elementarijsq; corporibus, motus iusti, vt quem natura ipsa instituat, vtilitatem quotidie experimur: nec minorem sanè in cōpositis genus omne. Transit quippe in horum quoque naturam vsus idem, iure meritoque venit. Nam nec componi, nec ad generationem institui, nec composita seruari, nec incrementum sumere, neque functiones exercere vllas suas, nisi motus specie tandem aliqua, possunt: non animales, non naturales, non vitales: ratiocinamur motu, nempe discurrentes, discursum quidem dicimus: nullus sensuum non motu aliquo peragitur. Quum corpus, quū membra arbitratu nostro mouemus, quis neget voluntarium motum, motum esse? Quo pacto autem vel nutrientur, vel augescent corpora, nisi commotum alimentum attrahatur, foras excremēta propellantur? Vitalem facultatem quid nisi motus seruat perpetuus, ac continuus? nec minimum quidem temporis momentum, nisi cū maximo vitę discrimine, intermittens ille cordis arteriarumque pulsus, inspiratio, ac respiratio nunquam cessans, vitam motu contineri, motus beneficio custodiri, ostendunt. Quo primùm tempore mouemur, vitam auspicamur: mori in foribus, quum nullum in corpore, aut perquàm exiguum, vltrò, citrò meantium spirituum, quorū motu vita priùs sustentabatur, signum.

Exercitationum differentiæ à rei essentia, ab accidentibus ductæ aliæ. Tum modi illarum quidam prætereà, & connectendarum inter se ratio.

CAP. II.



Atque vsus hosce præstat corporibus motus: nec quiuis tamē, sicuti sanè neque obstiterit quies quæuis: moderationem in vtroque intelligimus. At motum temperatum, vt diximus, accipiendo, iuuare eum affirmamus nō iniuria: facit enim, & actio est, & quidem, qualem diximus, moderata. Huius contrà priuationem, (cessationem actionis dico) quæ vacuitas motus iusti, nihilq; aliud quàm intempestiua quies est, nocentissimam experimur. Atque hæc demum fuerit numeris suis omnibus absoluta Exercitatio, in qua simul quantitate qualitateque iustus, & temporibus suis rectè initus, motus adest; simul noxia quies illa abest. Nunc, quoniam alijs aliæ, diuersisque diuersæ, (vt in rerum materia Salubrium omni fit) conueniunt; Exercitationes, genera, differentiasque earum, percurremus. Priùs rerum fastigia ea persequemur, quæ de re ipsa ducta, descendere deinde in Exercitationum species quascunque queant. Motus natura continetur Exercitatio: is necessariò aut celeriter, aut tardè, aut mediocriter obibitur: rursus, aut robustè, aut imbecilliter, horúmve in medio: postremò, aut vehementer, aut tenuiter, aut horum neutrum. Quicunque enim motus fit, differentijs his peragitur omnis, vtendique prætereà modus accedit necessarius quidam. Necessum enim est, aut continuato motu id fieri, aut interpolato: sique continuato, aut æquali, aut inæquali: quòd si interpolato, aut ordine id, aut inordinatè fiat, opus est. Suntq; hæc à rei natura ipsa deducta, meritoque nuncupari differētię possunt, debentque, rem quippe constituunt.

Illas autem nemo differentias appellauerit sanus, accidentia tantùm quum sint, extra rei formam extrinsecus aduenientia: quum, quæ sub dio, diuersam ab ea facimus Exercitationem, quæ sub tecto, aut Solis radijs illustrato, opacóve, aut vmbroso loco fit, aut vbi vmbra aliquē tamen Solis splendorē admittit, ὑποσυμμιγῆ σκιὰν vocant.

vocant. Nanque vmbræ (niſi quæ, vt inil-
luſtris prorſus noctis, opacæ penitus lu-
ceque carentes omni fuerint) lucis ſemper
aliquid ex Sole retinẽt. Quæ rurſus loca ex
calore, frigore, humiditate, ſiccitate, diſcri-
minis nonnihil adferent. Illud item: nam
alia cum puluere, alia cum oleo, pluri, pau-
cioréve; alia etiam neutro horum abſolui-
tur Exercitatio. Sunt & quibus vniuerſum
ſimul corpus partibꝰ ſuis exerceatur omni-
bus; aliæ, quibus alia priuatim pars aliqua
magis. Rerum autem potiùs hæc, ſine qui-
bus peragi rectè Exercitatio nõ poſſit, lo-
cum obtineant. His omnibus, quoniã mo-
tus omnes ſunt, excitatus incremẽtum ne-
ceſſariò ſuſcipiet natiuus calor, intrinſe-
cus ex proprio principio, proprijsque,
quibus incubat, membris, &, quod Græci
dicunt, ἀφ᾽ ἑςίας incipiens. Nam extrinſe-
cus, & inſolatio Aeſtate, & ad ignem mo-
ra, & balnea, & calidarum aquarum vſus,
& calidorum medicamentorum affrictio,
concalfecerint ſatis: de quibus omnibus
poſteà. Nos autem innati caloris augmen-
tum Exercitatione intus de proprio fon-
te atque initio ductum quærimus: præſta-
re tamen hoc idem ira, pudorque, & quod
Græci vocant ἀγωνιᾶν, videtur. At non pa-
rum intereſt, tãtumque, vt nequaquã eun-
dem ex his expectare adaucti caloris innati
vſum nobis liceat. Etenim ira feruẽs, magis
excandeſcit, quàm ſubſtantia ſua augeatur
caloris. In pudore commotio potiùs quę-
dã eius eſt, intrò foraſq; miſſi, remiſſique,
idq; leuiter, vt non increſcere inde, aut mi-
nimùm certè poſſit: nec, quantũcunq; hoc
eſt, diutiùs id ipſum perſtet, tẽporis quippe
momento abactum. Quin neque, quũ in-
trò primò cedit, iratis frigeſcunt extrema,
quod in timore tamẽ fit: neque, quum fo-
ras rurſus agitur calor, aut cum calore ſan-
guis, incaleſcunt valde: vt neq; hîc, neq; ibi
in ira, quũ agitur intrò foráſve calor, ma-
gnitudo huius vlla, augumẽtũmve; ſed re-
ceſſus, progreſſuſq; hac in re tantùm quidã
cum efferueſcentia animaduerti poſſit. In
eo verò, quod vocant ἀγωνιᾶν, quoniam v-
troque, ira timoréque, conſtat, longè ad-
huc, vt opinor, minus caloris ineſſe incre-
mẽtum innati exiſtimabimus. Nam quum
ira acui potiùs, quàm augeri; timore autem
etiam minorem, ex cõtractione, compreſ-
ſioneque quadã, reddi eum videamus: non
ſanè, in quo vtrunq; fuerit, is adauctũ vlla
ex parte calorem obtinebit innatũ ſuum:
inæqualitatem potiùs ſentient, ſicuti pro-
fectò & ſentiunt, qui ita laborant, vt mo-
dò contractus, depreſſusque periclitari in
his calor videatur, modò paulò magis acu-
tus factus ſuſtolli.

Non diſſimiliter Exercitationum mo-
di illi, qui ab extrinſeca re quapiam ducũ-
tur, puluere, oleo, vmbra, Sole, & id ge-
nus, principiò quidem non in id tendunt,
vt vſus, qui ab Exercitatione expectantur,
primi, maximique, maiores inde nobis ſuc-
cedant: at ſuperficiem, extimasque corpo-
ris partes affecerint primò: tum deinde de-
riuari aliquid interiùs quoq; omnino poſ-
ſit, æquè ferè ac in frictionibus contin-
git.

Reſtant igitur, quæ pro veris legiti-
misque rerum harum differẽtijs ducamus,
duo illa, ac potiſſima Exercitationis faſti-
gia, robuſtæ, celerisque. Robuſtæ indici-
um, ſine celeritate labor magnus: celeris, ſi-
ne magno labore celeritas. Specimen robu-
ſtæ, fodere, magnum ſubire onus ſtantem,
aut promouentem parum: celeris, curſus
breuior, manuum geſticulatio velocior,
reliquo corpore quieſcẽte. Nam quod pro
tertio Exercitationis genere afferebatur, id
videlicet ex horum vtroque conueniente
in vnum conſtituitur, vehemẽs quod vo-
cant. Idipſum enim fodere, ſi quis celeri-
ter conficiendum aggrediatur, vehemens
fiet Exercitatio: quique ingentia deferunt
onera, ſi curſum præterea moliantur, quo
magis id fecerint, hoc plus ſemper vehemẽ-
tiæ Exercitationi addiderint: multo autẽ
adhuc magis, ſi temporis continuitas acceſ-
ſerit. Nam operis alicuius, aut Exercitatio-
nis intermiſſio, multo minùs vehementiæ
adferet in his. Quam ob rem duo tantùm
principalia eſſe videri poſſunt Exercitati-
onum, ſiue etiam operum, quæ Exercitati-
onis tamen rationem ſubeant, diſcrimina:
robuſtæ, mediocris; imbecillis alterum, al-
terum celeris, mediocris, tardæ. Ex quibus
nouem exeunt complexiones.

Robuſta, Celer	Robuſta, Mediocris	Robuſta, Tarda
Mediocris, Celer	Mediocris, Mediocris	Mediocris, Tarda
Imbecillis, Celer	Imbecillis, Mediocris	Imbecillis, Tarda

quarum omnium prima vehemens; po-
ſtrema, debilis: (ſic enim vehementi con-
trariam appellemus, quoniam robuſtæ im-
becillem oppoſuimus) in medio autem
vtraque ex parte mediocris, quæ ſola vehe-
mentis debilisque in medio ſit. Ex reliquis,
ſecunda ac tertia robuſtæ. In altera enim
celeritatis mediocritas, robori adhærens,
non ſatis addere ad faciendã vehementiam
poteſt; in altera tarditas prorſus nihil. Re-
manent itaq; robuſtæ cum alterius ordinis
medio-

mediocritate,& tarditate, nequaquam verò, vt diximus, vehementes: quarta, quæ robore mediocris celerque erat, sicuti & sexta mediocris, tarda. Quoniã robore mediocres, mediocritate sua hac nõ efficient, quin altera celeritatis tantùm, tarditatis altera conditiones retineant: eoque minimè haberi pro vehementibus debeant, illiúsve ordinis esse. Idque in septima magis etiamnum eueniet, vbi celeritas manifestior; imbecillitas robur nullum ostendit. In octaua itidẽ eadem hæc imbecillitas mediocritatem celeritatis coniunctam habet, vt esse vehementes nequeant, ordinéve eo contineri. In omnibus autem connexa necessariò spectatur ordinis vtriusque ratio, eo prorsus, quo iam diximus, modo.

Quòd aũt aut longo hæc producantur tempore, aut mediocri, aut breui; idq; vel continuè, vel interpolatim fiat: modi hi fuerint Exercitationis vtendę potiùs, quibus nihil aut robori, aut celeritati, aut vehementię, horúmve aut oppositis, aut medijs addatur quicquam, dematúrve. Quippe iustam temporis mediocritatem seruans Exercitatio, quos ab ea expectamus vsus, largietur: breuior iusto, his ipsis priuabit: longiùs tendens, incommoda multa incurret: præteritoque vsu, lassitudinum genera omia accerset. Cõtinuata tam cum breuis, quàm cum mediocris, quàm cum longioris etiã temporis hærere exercitatione potest, non secus, ac interpolata. Nam siue celer, siue robusta, seu vehemens, aut quæcunq; tandem fuerit, ea quanta quanta erit, aut continuetur, aut intermittatur, oportet: nihil enim tertium: fietque necessariò continuatio vel æquali, vel inæquali progressu: intermissio autem aliquo, aut nullo ordine. Quocirca modi potiùs habendi hi sunt quidam, quod diximus, sine quibus peragi Exercitationum discrimina, quæ de essentia illarum trahuntur, haud queant: quemadmodum, quin aut in vmbra, aut in Sole, & huiusmodi eadem obeatur, fieri omnino nequit. Grauitas autem ac leuitas, in exercitatione differentiæ sunt, quæ alias potiùs insequantur quasdam; grauitas, robustam; leuitas, celerem: vt in opere sociæ sępe sint. Est autem grauis, vt si quis armorum genere omni cataphractus in πανοπλία ea, pedes ipse hasta, gladio, claua, decertet: Leuis contrà, expediti, succinctique, & ad cursum, vllo absque impedimento, parati velitatio.

Robusta, celeris, vehementis, longæ, continuatæ, æqualis Exercitationis, contrariarumq; his, & mediocrium omnium opera, & effectus.

CAPVT III.



PRæstat autem singularum priùs indagare opera, vt, quum, quid à quaq; expectandum nobis sit, nouerimus: nec, quum in vnum coniunctæ duæ, plurésve earum conueniunt, quid futurum sit, nesciamus. Iam primùm priores illæ, quæ Exercitationis, vt ita dicam, essentiam comitãtur, huius quoque ipsius vsus nobis perpetuò afferãt necesse est, modò iustam sui mediocritatem attingant. Omnes igitur & calorem innatum augebũt, & solidiores partes roborabunt, & excrementa de corporibus propellent. At robusta solidioribus partibus robur proculdubio addet mai⁹. Celeris opus; ex prõpta caloris innati suscitatione, spiritus tenues multos, meabiles, concitosque reddere: vnde membris agilitas, atque alacritas quædam accedat. Vehementis, quoniam ex vtraque composita, verisimile est, compositum quoque expectari opus debere, vt non minùs solidare corpora, quàm innatum adaugere calorem, spiritibusque addere mobilitatẽ, possit. Illud tamen fortasse nõ impropriè sibi vendicãrit, nempe excremẽtorum depulsionem de vijs omnibus, meatuum expeditionem, molisque, atque ambitus totius corporei peruia cũcta. Ab his omnibus, quæ mediocres habebuntur, munus sui quæque ordinis mediocre præstabunt: minùs autẽ, quæ ex altera parte sitæ, aut robore imbecilles, aut motu tardæ, aut vehementia debiles fuerint. Nam si quis equorum quatuor, cursu actorum, habenis lorisque vim regit, (vidimus autẽ inter Pannonicos aurigas, qui quinque, etiam qui sex eodem ordine equos dirigerent) sed si hi, inquam, robustè exercere se dicuntur: procul dubio, qui duos tantùm cohibẽdos habuerit, mediocriter; qui vnũ, imbecilliter se exercuerit: sequeturque effectus priorem, corroboratarum partium manifestus, magnusque; secũdum, mediocris; tertiũ, minimus. Sic quoq;, qui cursus contentione vtuntur, benè excitati caloris vsum statim sentient: qui de ea remiserint multùm, mediocriter id assequentur: minimum, qui plurimùm, vt qui deambulant tantùm. tarda enim Exercitatio ex deambulatione est, nec qua magnoperè excitetur calor; vixque interdum ad cibi descensum faciet. Idem de vehementi, mediocri, debili censendum: quarum effectus, vt superiorum, pro diuersitate causæ diuersi: longæ quoque, ac breuis, harúmq; mediæ. Ante tẽpus nanqu; essans Exercitatio, quę breuior sit, opere suo frustratur, nondum id assequuta: diutiùs autem, quàm par sit, pro-

producta, quæ longa habetur, iusto vlterius progressa, fines excedet suos, ideoque amittet: mediocris, atque intra iustos se limites continens, sola in neutram partem peccauerit. Continuata, siue æqualis, siue inæqualis ea fuerit, præter id, quòd vehementiæ aliquid adijcit, etiam citiùs ad iustæ metæ terminum perueniet: Aequalis, æquabiliter quoque adauctos ex motu Exercitationis vsus conciendo dabit: inæquabiliter, inæqualis. Interpolata, seriùs omnino perueniet, quò debet: quæ tamen si ordine quodam fiat, minus cõcitationis sequetur: si nullo, turbulẽtiæ omnino aliquid adferet. Continuatam & interpolatam inter, media nulla: id scilicet considerans animaduertes. Omnino nanque continuus, aut interceptus motus sit, oportet; nihil tertium. Aliarum, sunt media, sed quę ad duo veluti capita redigãtur, quantitatis, ac qualitatis, quæ exercendo cõseruanda diligenter sint. Ac quantitate quidẽ media, temporis, quo exercebimur, commensuratione continetur. id erit longæ, ac breuis nimis Exercitationis intermedij tẽporis status. Qualitate verò, quæ qualitatum omnium, quæcunq; extrema occupant, in medio esse reperietur. Quumq; quæ ab Exercitationis essentia trahũtur, duæ sint potissimæ differẽtiæ, robustæ, celerisque, cum contrarijs vnà suis, ac mediocribus: vehemens autem, composita ex harum vtraque, habeatur: vehementis, aliaq; ex parte contrariæ, quam debilẽ fecimus, in medio quæ fuerit, vtriusq; simul ordinis medium obtinebit: quippe quæ neq; vehemens, (non enim robusta) nec celer, neq; debilis, (non enim imbecillis) nec tarda futura sit, atque æqualiter ab vtrisque distet.

Nunc singula tractemus genera Exercitationum, vsu tum à veteribus, tum à nobis receptarum: deinde operum quoque; quo meliùs, in quem quæq; rectè ordinem veniant, simulq; quæ quibus potissimùm corporis partes exerceantur, sciamus.

Enumeratio Exercitationum, quibus diuersæ corporis partes variè exerceantur: Stataria item, & motoriæ Exercitationis rationes.

CAP. IIII.



Vemadmodum alibi sæpenumerò fieri videmus in artiũ multarum tractatione, vt alterius alicuius opus altera, quod ipsa tamẽ nec fabricare, nec parare vllo pacto nouerit, commodissimè in rem suam vertat: sic in Medicina fit, vt (& quidem fortasse longè, quàm aliarum quæuis) vna plures ancillantes sibi, famulantesque hoc pacto habeat. Frænorum atque ephippiorum parandorum magister, equiti iussus paret, quodcunq; artificij eiusmodi opus, quamcunq; stratorum formam, modúmve iusserit ille, paratus, illud vnum priùs ab eo edoctus, quo infrænari equum modo, sternive velit. Nauigio, quod nauicularius tantùm fabricet, vtetur commodissimè nauclerus: at exemplar, quod ille in fabricando sequatur, aptè, concinneq; ad vsus in nauigando suos is sub oculos ponet. Quod nauclero naucularius; Medico, coquus fuerit, & pædotriba, multique præterea alij, quibus artis suę cuique opera cognitiora cuncta, quàm Medico, sint: At ad vsum ea artis Medicæ rectè transtulisse, solus Medicus nouit. Pędotribę officium, (vt rem, quæ nunc in manibus nobis est, tractemus) quot frictionum, quot Exercitationum genera, qui flexus, qui motus corporum, saltus, cursus, quæ concinnitas in mouendo, atque huiusmodi, exactè cuncta sciuisse; sed tamen interea, quid horum vnumquodque præstare queat, quósve potissimùm vsus largiri, quas inprimis exercere partes possit, nihilo plùs nouerit, quàm de media plebe aliquis, quàm idiota quiuis. Enimuerò hoc vnus Medicus gymnastes calluerit. Quocirca id tantùm muneris rectè à Medico Pędotribę dabitur, vt tanquam materiam Exercitationum in medium adducat, sibi interim electionis iudicium seruabit, quanam ex illis vtiliter, commodéque, ad consequendum artificiosè, quod ea in parte contendit, vsurus sit.

Iubeamus igitur, afferat nobis Pædotriba genera aliqua, de quibus iudicium feramus. Esto: ascensus primùm ostendatur nobis per accliuia montis. In eo, quoniam tanquam pondus, quod corporis reliquũ est, pedes sursum versus acti, labore magno (contra grauitatis naturam enim agitur) elatum ferunt; cùm grauitate robur Exercitationi inesse iudicabimus. Roboratæ igitur solidabuntur ea partes corporis, crura inprimis, ac femina, pesque: vt quorum maximè musculi laborent, præsertim verò posteriores. His siquidem ascensu subnixum attollitur magis corpus in altum; sicuti descensu anterioribus vergens incumbit: vbi sanè econtrariò exercitationis potiùs imbecillitas sequatur. Sponte nanque deorsum fertur corpus sine labore, vt sustentatione, quasique suspensione quadam egeat, ne præceps agatur. in quo, quum musculi tendinesque inprimis laborent, qui coxas cruraque an-

teriùs veſtiunt: ſic quoque exerceri eoſdem hoſce inprimis meritò exiſtimabimus.

Iam vtriuſque in medio deambulatio erit, neque per accliuia, neque per decliuia, ac per æquam tantummodò, aut non inæqualem certè multò, planitiem acta. Etenim ita demum, quod ad hoc attinet, robuſtæ illius, imbecillisque huius, rectè medium occupârit, nec ſanè minùs eadem (quanquam alia quadam ratione) celeris, tardæque Exercitationis confinia ſeruabit. Curſus enim, ſi per planitiem æquabilem peragatur, concitatior, celerem; idem remiſſus ex toto, aut nullus potiùs, locoque eius lentus quidam progreſſus ſolùm, tardam; mediam autem, hoc ordine, medius vtriuſque motus, nimirum nec concitatam, nec lentam plùs iuſto, faciet. ſuperiore autem ordine mediam; quia motus idem neque accliue ſubeat, neque verò in decliue feratur. Itaque robuſtæ imbecillisque media Exercitatio in hoc quidem genere, in quo nec aſcenſu, nec deſcenſu peragitur; modò accliuis, decliuisque medium ſeruet, quorum alterum robuſtam, imbecillem alterum Exercitationem faciebat; etiam vt celeriùs paulò, lentiùsve fiat, iure robuſtæ atq; imbecillis media dicetur: celeris autem tardęque; quæ quâuis per accliue, aut decliue agatur, minimè tamē feſtinè id, aut lentè fit.

Iam ex robuſta, celerique, hoc in genere, vehementem faciemus, ſi aſcenſui celeritatem adijciamus; debilem, ſi deſcenſui tarditatem: quarum media, quoniā compoſitæ quoque extremæ ſunt, neceſſariò ex vtriuſque ordinis media comparatur, quæ neque per accliue, neque per decliue, neque curſus concitatione, neque inambulandi tarditate nimia abſoluatur.

Aggrediamur alia. Quoniam aſcenſum diximus per montis ardua pro Exercitatione robuſta haberi, vt qua terrenum corporis pondus, contra naturam propè in altum actum feratur pedibus: id ſi manibus quis tentet, vt corporis ita molem totam ſuſtollat, profectò robuſtam is aggredietur Exercitationem; veluti qui, prehenſo manibus fune, aſcēſum per eum altè plerunque moliuntur.

Qui brachijs nixi, toti diu pendent trabe, funéve tranſuerſo, corpusque leuant ſubinde vniuerſum, ſola manuum brachiorumque vi, vſq; eò, vt figere oſculum poſſint rei, quam manibus ſuſtentati tenent: ſanè roboris multum ineſſe opus eſt muſculis, qui ad mouendam tantummodò manum totam facti à natura, nunc non ſolùm corpus vniuerſum ſuſtentant pendens aëre, verùm etiam leuatum attollunt altè.

His ferè diebus Pragæ Sarmatam vidimus adoleſcentem, tum primùm veſtientem malas lanugine, per funem de turris cuiuſdam faſtigio ad imum vſque ſolum protenſum, reptantem, ſubſiſtentem ſæpe, ſeque modò in caput, modò in pedes demittentem, quum menti modò adhæſione tantùm ad funem, modò pedum tarſo nixus, reliquum corpus omne demitteret. Idem in laqueum, ex tenui funiculo paratum, inſerto gutture, quaſi qui ſuſpendio finire vitam vellet, pependit, vt ſpeciem ſtrangulatu iam pereuntis præberet. Et ecce, arrepto manibus de improuiſo fune, totum ſe ſuperiùs, velut ſaltu quodam, trāſmiſit: bellicum tympanum, altiſſimo in proſpectu, artificioſa pulſatione tractauit: bibit de cuppa: capite inuerſo pendulus, mirificas corporis flexiones in partes omnes edidit. Hunc benè exercitatos habuiſſe muſculos propè omnes par eſt, qui etiam nō delegatarum ſibi partium tam certo, commodoque motu regendarum officium ſubeant.

Vulgatum propè eſt, manibus progreſſus feciſſe, elatis pedibus, circunlatoque ita corpore, qualis apud Herodotū Hippoclides capite menſæ inſiſtens, cruribus geſticulabatur, τὸ τρίτον δὲ τὴν κεφαλὴν ἐρείσας ἐπὶ τὴν τράπεζαν, ἐχειρονόμησε. At graue inprimis ſit oportet Exercitationis genus, in quo, inuerſa gradiendi lege omni, pedum officium manus ipſæ faciant, incumbens corporis vniuerſi pondus geſtantes, quæ priùs apprehendendi tantūmodò munere fungerentur. Hoc enim præter naturam additum onus illis, non minùs, quàm quum extrinſecus ſuſceptum humeris onus, inceſſu erecto, geſtetur. Illud autem celere potiùs eorum, qui ſaltu demiſſi in manus ambas, alterámve, quibus terram tangunt, minima ibi mora, rurſus ſtatim in pedes proſiliunt; magisque adhuc celeri valde in caput ipſum rotatu, nulla ſoli adhæſione, totum corpus circumagunt, ſiſtúntque ſe in pedes validè, modò paulò prorſum magis, nōnunquam ijſdem propè veſtigijs.

Viſi quoque ſunt, qui per doliarios circulos paulò altiùs à terra ſuſtentatos, ſicque inter ſe diſtantes ſatis, tres, quatuórve, vnico, eoque velociſſimo ſaltu, cuncta ea, per circulorum medium, interualla tranſmitterent. Sed hæ, atque huiuſmodi aliæ quædam ludicræ potiùs fuerint Exercitationes, quibus nihilominùs variè exerceatur corpus.

Sunt & ea Exercitationum genera, quibus

bus maximum diuersis corporis partibus parari robur possit. Peraguntur autē motu omnia, vt ita dicam, statario. Extensæ, protensæ ve manus, aut etiam surrectæ, pugno facto, diu incommotæ seruantur. Hac quiete, quæ magni tamē motus instar sit, (laborant enim tunc insigniter musculi) exercentur, vt dixi, ad robur partes eæ: magis autem, si conanti detrahere manus alicui validè renitatur alius: si appensum extremis manibus pondus, eadem semper in statione, sustentet: si conclusi pugni, vel vacui, vel retinentis intus aliquid, tentandam adapertionem exhibeat. Hoc se genere exercuisse Milonem, athletam illum nobilissimum, ferunt, tanto manuum robore, vt diuelleret nemo: qua virium confidentia, diuulsæ priùs validissimè manibus, arboris reductione interclusus, feris se miserabiliter ad extremum dilacerandum præbuerit. Idem ea fuisse crurium pedumque firmitate dicitur, vt potestate cuiuis facta, stantem si quis dimouere loco posset, contra conantes eodem semper vestigio immotus perstiterit. Hoc, crura; illo, exercebuntur meliùs cuncta simul modo, itidem statario; si quis corpore toto nixus, musculorumque, ac neruorum omnium contentione firma, nullam se in partem nouendum, flectendúmve, quantumuis conantibus, exhibeat. Hoc sibi voluit etiam, opinor, vt nō solùm contemplandi vim secessu animi eò quæsitam, verùm etiam validiorem, ad ferenda fortuita multa, durationem acquireret, Socratis, ab oriente Sole ad orientem alterum perpetua, iisdem semper vestigiis, atque obstinata statio, nullæ vt essent, quæ non ad firmitudinem tam diuturna defatigatione durarentur, partes. Quid enim non exercuisse in corpore dicemus? qui partem corporis labore nullo, nullaque sæpissimè, certè non apparente, voluntate nostra commotam, oculos, ad stabilitatem reuocârit, vt voluntarius his labor statu adderetur ad Exercitationem, qui inuoluntario propè motu nullam sentirent, directis eodem semper, toto eo tempore, inconniuenter illis. Atque his ferè modis stando quis exerceat se tamen, ad robur status contentione facta: quæ si mediocris, aut perexigua, nec diuturna fuerit, iam huius quoque generis mediocrem, aut imbecillem fecerit Exercitationem.

Proximæ huic illæ; quum aliquis medium alium arctè complexus, aut ab alio ipse compressis strictim brachiis manibusque detentus medius, nisu omni, aut ne elapsu aliquo expediat se, quem manuum vinculo constrictum tenet, laborat: aut ipse liberare se complexu alieno nititur, priore totis manibus; posteriore dorsi partibus robur Exercitatione addens: vel qui commissas pectoris partes mutuo vrgent compulsu, impressione tantùm facta, ictu nullo: qui collo appensum, vniuersique corporis pondere degrauantem aliquem sustinent. Hæc nanque motu, vt ita dicam, stabilitatis multum, qui adhuc retineat, peraguntur.

In illo autem iam promouetur corpus, quum quis alium quempiam incumbentem obliquè ipse aggressus, medium statim, qua parte ilia sunt, manibus vtrisque circundatum, sublimemque raptū in humeros, vt pondus aliquod tollit, sursumque, ac prorsum, modò inclinato, modò surrecto corpore defert. Hoc enim potissimùm pacto exercendo dorsuariis musculis parabitur robur. Hac inprimis ratione obfirmatos esse oportuit, ad tantum tollendum, sustentandumque, atq; etiam passuum aliquot gestatu circunferendum, ponderis, qui visi à nobis non semel sunt pueros quatuor, mediæ iam adolescentiæ duos, virumque præterea, eodem tempore gestâsse. Hoc ingentis cuiusdam roboris fuerit; illud mediocris, sed cum dexteritate maxima cōiuncti, quoties duorum, triúmve, linea eadem stantium, humeris insiliunt alij, rursusque his alij, triplex vt ordo, aliorum super alios erecto corpore stantium, cum admiratione spectetur; supremis vno tantùm sæpe pede nixis, altero diuaricato crure, expansisque diuersas in partes manibus, reliquo immoto corpore. Labores vocant Herculeos, qui palæstritarum, atque athletarum potiùs sint, omnia eiusmodi; quæ quanuis alterius sæpe cuiuspiam rei gratia ineantur, pro Exercitatione tamen iusta haberi semper, tempore seruato, modoque, possint. Nam & saltationum ipsarum varietas, corporisque gestus, cum oratione & harmonia, siue cantu ac modulamine concordans ipso, quem rhythmum appellat Plato, spectaculo primùm fuit choris ipsis introductus; paulatimque deinde in palæstram quoque descendit, atque vsum demum etiam exhibuit nobis gymnasticum, prioribus illis relictis duobus, cantu atque oratione, solus.


Reuocata ad Exercitationum rationem ex veteribus quædam: de Saltationibus, Tripudiis, Choreis nostri etiam temporis aliquot.

CAP. V.

NEc minùs tripudij genera, totque ducendarum chorearum vsu recepti nunc olimque modi: venandi, aucupandi, piscandi rationes diuersæ, nihil, quod non conuenietissimè sæpe pro Exercitatione optima cedat, habent, quanuis alio quodam instituta fine primitus legamus. Pyrricha, Gymnopædica, Hyporchematica, multaque talia apud Athenæum nomina, quæ cuiusnam fuerint olim modi saltationes, difficilimum sit coniectura cōsequi. Hyporchematicam, quoniam Comicæ similis sit, eadem ratione etiam leniorem, grauemque minùs, saltationem faciamus necesse est; dicere subsultoriam, opinor, possis: Grauiorem, Gymnopædicam, ex argumento dictam, quòd nudi in ea pueri saltarent. hęc Tragicę similior. Iam Pyrricham, militarem totam esse, non est dubium: cuiusmodi & Telesias est, vtraque ab inuentore primùm sic dicta, Lacedæmoniorum potissimùm inuentum, institutióque, qua iam tum ab annis quinque pueri per Embateria, & Enoplia ad saltus, passúsve militari specie decoros (hoc enim Embateria esse existimo) inter arma faciendos, atque ad conferendas deinde cum hoste vtiliter manus, exercerentur armati, quod Enoplia essent. Nam ante congressum sub tibiarum modulo quodam dicitur, incessu tardo, facto agmine progredi in hostem soliti. ἵνα ὁμαλῶς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντες προσέλθοιεν, vt ait Thucydides: quo intelligere possimus, concinnitatem progressioni illi, compositionemque ibi quoque non defuisse. Hinc Dactylorum, Trochæorum, atque Iamborum vocabula, ad corporeæ quoque commotionis concinnitatem hanc deducta arbitror: vt Dactylus in progressu, incessúve, aut saltu, aut tripudio esset, quum grauem primò, longiorisque temporis motum, paulò magis celeres duo, æquata ex duorum celeritate prioris temporis longitudine, insequerentur statim: Trochæus, quum productiori primo, breuioris celeritatis alter tantùm adderetur: contrà, in Iambo: quæ de Poëticis pedibus omnibus, ad corporeos, integrè seruata transferri ratio vniuersa possit. Erant non dissimiles his saltationes Dionysiacæ illæ, quum per tripudia, quæ ad Bacchum, victósque ab hoc Indos, & Penthea referuntur, lampadum gestatione ac thyrsorum, horúmque inter se iaculatione, sonitúque maximo tympanorum obstrepente, ac cornuum, discursuque vario, pugnæ simulachra quædam ciebant. Quibus omnibus crura pedésque inprimis Exercitatione roborarentur. Pedum enim motu vario primùm procul dubio saltatio, tripudiúmque, ac chorearum ductatio inita: tum deinde manuum quoque accessit gesticulatio, vt in huiusce temporis choreis videmus. Quarum Italica, sedati primùm passus progressione, vnius & alterius; moxque vnius retractione inchoat: (Sesquipassum vocant, quum retrò flectuntur pedes, rursusque promouent parum) tum concitatiùs peragitur tota, veloci inprimis pedum, crebróque, & in partes omnes, (sed ad modulamen tamen, quod præcinitur) semper motu, iactatione, flexione, retractione, diuaricatione, corporis totius progressu, regressu, saltu, circungyratu dextrorsum, sinistrorsum, perpetua intereà semper manuum quiete. At Hispanus, manibus inprimis gesticulatur. Germanus, saltu, per passuum interualla remissiore primùm, deinde citatissimo, continuatoque procurrit; pedum vt solùm Exercitatio ea videatur: alij, aliter. Hungarum si quis more suo, dum choreas ducant, saltantem intueatur, omnimodos corporis motus edentem, & nunc corpore toto incumbentem in terram, subsidentemque, nunc surrigentem se, modò retractis, modò porrectis cruribus, modò diuaricatis, submittētem se totum, attollentem, rursus saltuatim, contracto in breuissima spatia corpore toto, horsum, illorsum promouentem, iactatione manuum, ac displosione succlamantem: miretur sanè, Panum ac Satyrorum saltationem dicat, aut eorum, qui olim mollibus in pratis vnctos, saliere per vtres. Illud certè animaduersum affirmabit Medicus motuum non ignarus, manuum, brachiorum, pectoris, dorsi, femorum, crurium, pedum musculos, neruosque omnes ac tendines, Exercitatione ea firmari, rectè peracta, posse.

Palæstritæ, Pugiles, Pancratiastæ, Pentathli, hodierni Luctatores: ex Galeno modi quidam luctandi, hodiéque quidam.

CAPVT VI.



Tque hæc ferme orchestræ, quam Haltici exerceant: illa, palæstræ, quæ multa superiùs quoque memorauimus, opera sunt: sed non sine puluere atque oliuo,

uo, vt quæ nudato icciirco semper corpore fierent, luctantium, pugnantiumque inter se certationes, prehensationibus, elapsibus, complexibus variè. Aristoteles quidem (Rhetor. j.) compressione & retentione Palæstritam definit: Pugilem ait impellere, ac ferire potentem: sicuti Pancratiasten, qui præstare vtrunque valeat: Pentathlum, qui cùm triplici hac ratione, tum virium robore, & currendi pernicitate præstet. Hodie luctatores potissimùm intelligimus, complexu mutuo prehensos, qui quacunque vi, aut fatigatione prosternere alter alterum conentur, victoria apud illum, qui alterius dorsum terræ affixerit ipse incumbens.

Ille etiam relatus à Galeno (De tuen. sani. ij.) modus, quem sic accipio: Alterius crus vtrumuis inuicem vtroque crure implicat alter: tum iunctis simul manibus, altera collum capútve supremum, qua parte implicatum crus habent; altera brachium veluti vinciunt mutuò, vt ita retrorsum vi actum flectat, soloque allidat, qui vicerit: quemadmodum quoque si quis, cinguli in morem, cruribus totum circundet alter alterum: aut, vtroque in vtrunque demisso crure, implicet, vt idem faciat: & huiusmodi plura, quibus ad robur, ferendasque laborum vices, partes corporis potissimæ durentur, crura, dorsumque inprimis.

Illud quoque huc spectârit, non sanè minùs, quo adolescentes exercebamur. Medium arreptum alterum ambabus, qui luctari eo pacto velit, alter inuersum alleuat sic, vt crura in sublimi sint, caput inter alleuantis femora, aut propè inguen pendeat interiùs spectans; sic sublatum vt reponat, magna spinæ retrorsum incuruatione, flexuq; facit, vti, qui pedibus in sublimi fuerat, terram statim iisdem attingat: quam quum tetigerit, nixus iam firmiter ea, supinum alterum cruribus itidem in sublime actis attollit; prorsusque qua paulò antè facie, statuque corporis fuerat, alter vt sit, facit; ipse interim prioris seruat, rursus statim commutaturus cum altero: donec plurimis ita vicibus vicissim sublati, sustollentesque, longa plerunque campi spatia implicati transmittant: quod non vsquequaque in alio facilè genere fiat; exercitique atque exercentes, pedibus, dorso, manibus, fatigentur.

Pyctæ Græcis, nobis sunt pugiles, manuum, brachiorumque inprimis robore nobiles. Pugnis res peragitur: vnde pugnæ nomen, pugnantiumque. Simulachrum huius, quæ pugnis pugnetur, exhiberi Senis in Italia ludis quibusdam solitum. Cestus huc spectârit, & discus, manuū omnia ad robur exercitamenta.

De Exercitatione per cursum, & currendi differentijs multis, veteribus olim vsurpatis. ἐκπλεθρίζειν, πιτυλίζειν, ἀκροχειρίζειν, *quomodo fiant.*

CAP. VII.



Equuntur cursu exercitatorum differentiæ, quos falsò quidam Halticos fecerūt, quum ab ἅλλομαι Haltici sint, saltantes in orchestra. Aristoteli δρομικὸς est, id est, currendo exercitatus, qui iactare quodammodò, celeriterque, & in longum mouere crura, valeat: ἰσχυρὸν hunc quoque esse vult. καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν, ait. validum intelligo. Sed nos hoc loco aliam facimus celerem, velocemque; aliam robustam, violentamque Exercitationem: sicuti sanè neque cum Authore eodem, ad Gymnastices nostræ res, necessariam accersemus corporis magnitudinem, ex cuius ille robore, & velocitate cōstare ἀγωνιστικὴν, quam vocat, corporis virtutem vult, quasi certatoriam dicas. Nos, qui Gymnasticen ad tuendæ tantùm sanitatis partes vocamus, atque Exercitationum robore, aut velocitate, aut vtroque, sanitatem tantummodò, aut aduersus ingruētes morbificas causas repugnantiam corporibus; nō Olympiorum, aut Isthmiorum, aut talium victoriam quærimus; magnitudo ea nihil iuuerit. Quapropter planè non, vt Olympionicæ, aut Athletici de rebus his loquimur, aut scribimus. Diuersi enim tantummodò ob propositi finem: illi, vt vires immensas in corpore augeant, dicunt, ac faciunt omnia; magnitudinem itaque requirent, quantum poterūt: (in maiore enim, maiores quoque vnà inesse vires, verisimile valde est) nos, vt sanitatem tueamur. Quapropter huius vnius studium nobis quum sit, indepti, tutatique eam, subsistemus, desumemusque nobis vtilia tantùm ad res nostras, ex aliena materia. Inest autem in omnibus Exercitationis vsus medicæ quispiam. quoniam quantumcunque ludorum, certaminum, bellorumque instituta videri gratia inprimis possint, Palæstrica, & Athletica cuncta: hoc tamen fini, qui supremus rerum harum est, ac tanquam in extremo positus, finis quoque continetur medicus, qui præreptus à nobis, antequàm vltra artis septa tendat, vsum illi afferat. Hac gratia Palæ-

ſtritarum potiùs, quàm Athletarum, opera memorauimus, quòd, quum nulla differre ratione alia videantur, quàm quòd Palæſtrica Exercitatiōis adhuc ſunt; Athletica autem, certaminis iam ipſius, quo præmium quæritur: communia Medici cum Exercitatione habemus, cum certamine aut pugna non habemus. Sed neſcio quo pacto, quum de curſu inſtituiſſemus loqui, excurrimus in iſta, vnde recurrendum, ne latiùs diuagemur, eodem ſtatim fuerit, tale hîc quoque viſuri mox ſpecimen curſus, recurſusque iuſti.

Dromici, qui curſor nobis nunc, vel curſitor, vel curſitator ſit, diſcrimina fecerunt veteres, alios Stadiodromos appellantes, qui ſtadium continuo curſu abſoluerent: Diaulodromos, qui, quum curſu ad calcem ſtadij perueniſſent, iterato ſtatim recurſu ſpatium idem ad caput relegerent: Dolichodromos, qui ſexies curſu repetito, ter à carceribus ad ſtadij metam, ab hacque ad carceres ter item redirent. Longus erat hic curſus, quo paulò minus Italici miliaris noſtratis ſpatium perageretur. Inuenias δολιχὸν ſic per ſe quibuſdam, abſque quòd δρόμος addatur, curſum ſignificare longum: tametſi alibi quoque additiones frequentes recipiat. Δολιχοδείρων, δολιχωγχὴς, δολιχόκαυλος. δόλιχον, aiunt, ἀποτείνουσι τοῦ λόγου. qua voce notentur, qui nō ſolùm longos, ſed etiam crebrò nimis repetitos de ijſdem, iteratosque ſermones protrahunt.

Illius, quod ἐκπλεθρίζειν vocat Galenus, nec diuerſa penitus, neque eadem tamen prorſus eſſe, videri poſſit ratio. Curſus enim omnino, ac recurſus iteratione frequenti initur, ſed ſic, vt ſemel tantùm integrè totam iugeri longitudinem percurrant: tum minora ſemper deinde, ac minora ſpatia retexant, detracto paulùm de prioribus, ad quæ priuſquàm perueniant, procurſum ſtatim ac recurſum ineant: atque ita cogitur ſemper in arctum res, donec eò deueniatur, vt ſpatij totius in medio, eodem ſiſtendum veſtigio ſit. Recurſum autem intelligo, retrorſum actum, non antrorſum in pedes de more, ſed in pedis calcem, auerſa corporis parte præeunte recurſioni. ſic enim χωρὶς καμπῆς accipio, curſum retroceſſione factum. Hoc Exercitationis genere plures, ac diuerſi magis, diuerſaque laborant ratione muſculi, quàm ſimpliciore curſu, qui antrorſum tantùm agitur; quo modo anteriores, ſicut altero poſteriores, exerceantur, vt quibus tum retrò agendi, ſuſtentandique in curſu corporis tota propè commiſſa cura ſit.

Πιτυλίζειν tunc dicuntur, qum ſummis tantùm pedum digitis nixi, progreſſique ita, manuum celerrima quadam in altum iactatione, per vices alterutram antè, retroque mouent. Hoc haud dubiè Iuuenalis eſſe arbitror, iactatum toties à Grammaticis, pitylisma. Qui ſe ita exercent, quoniam nixu corporis tam paruo, incertoque, facilis paratusque lapſus, parietes quærunt, quorum adhæſione, ſi fortè labi contingat, erecti ſuſtententur. Quin, ſi quis ſeſe oſtentans hoc pacto exerceat, laterint ita faciliùs errata: ſimul non tam laborioſa euadet Exercitatio, quæ aliquid, cuius applicatu nitatur, habuerit. Par eſt enim, non admodum ſanè magnos pedis, tarſique muſculos, corporis vniuerſi incumbentis onere, deportationeque fatigari.

Itaque ea haberi pedum poterit Exercitatio, ſi paulò magis perſeueret, robuſta, grauisque: manuum autem, celer tantùm; cuiuſmodi ſunt & ἀκροχειρισμοι, quod digitis tantùm, aut metacarpio etiam, carpoque ac vola (quoniam ἄκραν τὴν χεῖρα Græci totam hanc partem vocant) multis fieri modis queat; prehenſionibus varijs, implicatu digitorum, explicatu, impulſu, repulſu, contrario vtrinque niſu, aperta, clauſáve in pugnum manu; poteſtate alteri facta, exporrectam compreſſu digitorum manusq; vt vrgeat in pugnum, quantum poſſit, vehementi; vel facto pugno explicet, & huiuſmodi quædam.

De Coryco, & pila: huiuſce maioris hodie ludus cuiuſmodi habendus ſit, & item minoris, quæ parua eſt: follis etiam, & itinerum in hoc ratio: & de σκιαμαχία.

CAP. VIII.

Coryci pilæque paruæ ludus, Galeno inter hæc cōnumeratur, quum diſtantium inter ſe colluſione, circuncurſuque fit. Ac de Coryco non multùm ſanè, nec multa ex Authoribus: ſed nec de parua pila quidem, præterque Galeni de re hac libellum, quod verti in vſum medicum poſſit, nihil; deque eo excerpenda, quæ ad Tractatum tantùm hunc faciant, in quo Exercitationum inprimis qualitas; tum, quæ quibus potiſſimùm exerceantur partes, quærimus. Nam, quòd coniunctam habeat voluptatem ingētem Exercitatio huiuſmodi; quòd facilè, nulloque propè

ſumptu parabilis, hominumque conditioni vnicuique in aperto ſit: commendationes eæ ſunt potiùs, quibus gratia laudibus his ita Exercitationi illi quæſita addatur, quàm de Exercitationis vſu petita qualitas. Iccirco quum conquirendæ à nobis erunt Exercitationum laudes, quarum quædam reperiantur, quibus & animus prætereà (quoniam id nonnihil quidem omnino vtilitatis quoque addat) cum ſumma iucunditate exhilaretur: adducetur à nobis illarum altera, de coniunćta animi voluptate. Nunc enim corporibus tantùm vſum hinc quærimus. Quum verò conditiones hominum diuerſas tractabimus, de parabili facilitate altera: quoniam quidam omnino ſint, qui paratu tantummodò facilis arripere in tempore Exercitationis occaſionem poſſint.

Cæterùm quanuis vetus ille exercendi hoc ſe ludi genere deſijſſe iam, proque eo nouus quidam inuectus videri poſſit modus: ſpecimen tamen reſtat nobis adhuc rerum harum, quanquam maior hîc multo in pila, quam hodie calcis, quòd calcibus ſæpe protrudatur, ita appellant. Ludi genus eſt laborioſum, operoſumque inprimis: diducuntur in partes aperto in campo coloribus diſtincti ſuis, vt internoſcantur: in medio eſt arripere volentibus pila, tum concurſus fit vtrinque vehemens. Quæ prior ſurripuerit pilam pars, totam in ſe concitat alteram: eripere de manibus conatur tenaciſſimè retinenti alteri. Hinc viribus omnibus inter ſe nixi impellunt, impelluntur que; vrgent, atque vrgentur. Ibi tum demum elapſus varios, prehenſationesque palæſtricas multas videre licet, &, quod Galenus alia in re aiebat, τραχηλισμοὺς, quum conferti in vnum, prohibiti, prohibentesque, modò prehenſa ceruice deturbare inuicem conantur, in quo caput collumque laboret neceſſe eſt: modò inclinant ſe, vt iacenti eripiant: modò ſurrigunt, vt manibus ſupra caput elatam auferant, in quo lumbi, dorſumque: modò, vt proiectam, calcéve protruſam aſſequantur primi, in omnem ſe partem commoti agunt; in quo coxæ, tibiæ, pedis, interni, externi, antici, poſtici muſculi: modò corporis obiectu toto mutuò ſe trudunt, in quo vniuerſi exercentur: ſæpe in terra volutati corporis pondere toto obnituntur, grauitate ſe, quanta poſſunt, defigentes proni, vt pilam tuentes premant. Præcipua autem hîc manus totius muſculorum vndequaque contentio, ſimul & thoracis, quòd ferè, quoties retinere aliquid manuum complexu, aduerſus alterius violentiam, volumus; etiam ſpiritus, thoracisque compreſſione, ac contentione adiuuari ad id videamur.

Atque ita veterum Exercitationis in hoc vſum omnem reportare nobis quoque licet hoc tempore, in pilæ huius ludo, maioris. Nam qua hodie vtimur parua pila, ea quidem oculorum potiſſimùm acies, quocunq; vigilantiſſimè intenta, ne proiectiones pilæ fallant, exercetur: at retinendæ, aut eripiendæ illius contentio nulla. Itaque miſſus tantùm diligenter captant, vt curſu ſæpe, quo caſura loco ſit, præueniant. Venientem plus vna corporis parte excepiſſe, error; error, trans ſepta, aut ductos vtrinque linearum terminos, miſiſſe; aut vel temporis momentum retinuiſſe manu. Adapertis ſtatim palmis intra præfixos ſemper, ſiniſtra dextraque ex parte, tranſuerſosque limites miſiſſe; lex eſt. Propuliſſe in longum, colludentiumque longè ſuperâſſe capita; aut, quos aduerſa priùs pars ſtatuerat, terminos, apertæ tantùm manus euerberatu, non iactu, exceſſiſſe; victoria. Quocirca oculatos inprimis eſſe interluſores oportet. Oculorum enim inprimis hæc munia, longè lateque proſpicientium, omnemque in partem, vt ita dicam, emiſſitiorum. vnde, quò mittatur pila, vidiſſe ſtatim; longiſſimè venienti occurriſſe; num caſura intra præfixa ſepta, an tranſuolatura potiùs ſit, animaduertiſſe; vt aut repellat, aut tranſmitti ſinat; ars. Cæterùm circũcurſu quoque hoc in genere frequẽti, crura, aſſiduaque manus tot pilæ reuerberatibus, exercebuntur.

Remiſſior per follẽ ludus paulò: omnibus tamen his commune, vt non, quemadmodum in multis alijs Exercitationibus videmus, paruaq; ſua illa in pila ſequi poſſe Galenus ſcriptum reliquit, vt contentionis remiſſione multa, aut etiam mediocri mediocris pariter, aut minimè robuſta vehemensque fiat Exercitatio: ita hîc quoque vſu veniat. Neque enim, ſi noſtri temporis pilarum ludi genera conſiderentur, reperietur vllum, in quo, ſeruata ludi natura, nec immutata eius conſuetudine, remitti quicquam, de, aut curſus, aut prehenſionum, aut repulſionum, aut elapſuum, & quicquid inter colludendum obuenit, contentione debeat, aut poſſit. Itaque celeres neceſſariò omnes habentur ludi hi. At in eo, quod omnium primum retulimus, huiuſce modi genere, multum quoque vnà robuſtæ Exercitationis ineſt, vt fieri ex eo facilè vehemens quoque,

celeritate addita, poſſit, qua propè carere non poteſt; præſertim ſi aliquandiu perſtet ludus. In altero autem celeritas ſolùm quum inſit, robuſti nihil, neque non cum celeritate eſſe poſſit: continuatione illud vnum acquiret, vti, quod celeri ſemper Exercitationi commmune eſt, paulò diutiùs perſeuerante, attenuentur eo corpora: non, vt in liberiore curſu, cui addere, aut demere de celeritatis contentione, vt lubet (non enim vrget tunc quicquam) poſſis: ac propterea facere ex eo celerem, mediocrem, tardam Exercitationem liceat.

Eadem eſt itinerum ratio, quum pedibus id facere ingredimur. Nam & accelerare nulla intermiſſione iter; & lentè, crebraque requiete progredi; & mediam horum retinere nobis rationem licebit, vt triplicis hoc in genere Exercitationis diſcrimina aſſequamur. Diximus ſuprà, in ludo pilæ maioris illius, aduolutos terræ, pilæque vnà ac ſpiritus retentione contentiſſima obniti contra violenter dimouere de loco conantes; cumque eo robuſtę Exercitationis ſpecimen ineſſe videbatur nobis. At ſi liberè, nulla contentione, quaſique laxo corpore, aut ſoli, aut cum alijs volutemur; ſic quoque celeriter exercere nos poſſumus, nec robuſtè tamen. Quoniam minùs laborare veriſimile eſt muſculos, qui corporis molem totam repoſitam humi circumagunt in plano, quum erecti quoque ac ſtando, mutua ac cita in proximum corporis circungyratione celerem, per luſum quendam, Exercitationem peragimus. Qui crura, qui manus ſedentes, aut non multùm commoto reliquo corpore, crebrò, ac velociter in omnem partem, nullo aut diſci, aut halterum pondere, ac veluti ventilantes mouent, modò contracto, modò explicato pugno; leuiſſimam hi quoque, ſed celerem tamen, ineunt partium illarum Exercitationem.

Σκιαμαχία, vmbratilem deſignat pugnam, eorum, qui ad Solem non prodeunt. nam & σκιατροφοῦντας Galenus vocat, quaſi in vmbra nutritos ſub tecto, alios ab δικοσιτοις, qua voce ſignificetur, minimè aliarum menſarum aſſecla, ſed ſibijpſi potiùs intra priuatos parietes viuens. Ac Galeno σκιαμαχία etiam manuum ſolùm Exercitatio eſt. ἀκροχείρισμος, ait, & σκιαμαχία, ἰδία χειρῶν, vt non tam vmbram nobis notet, quàm leuitatem pugnæ & velitationem, quæ eſſe grauis non poteſt, celer poteſt. Nam & σκιαγραφία, quæ vmbratilis pictura eſt, operis nondum rectè picturati, ſed delineati tantùm, inchoationem ac rudimentum ſignificat. Eodem modo σκιαμαχίαν dicemus, (quoniam quidem proprium manuum vult eſſe Galenus Exercitationem hanc) quum celeriter manu aliquo pacto ventilamus, vt in pityliſmate ſuperiùs, aut digitis micamus, aut leuiter manus cum altero conſerimus, colluctatione languidiore, citra roboris prouocationem, aut vehementiam.

De venatione, aucupio, & piſcatione, Exercitationisque, quæ per iſta fit, vſu.

CAPVT IX.

De venatione, aucupio, piſcatione longi effici Tractatus poſſent, ſi quis nihil aut parum admodum ad rem facientia perſequi in animo habeat. Illud ſcire in vniuerſum de his intereſt Medici; multo maximam voluptatis inſignis cuiuſdam, quæ coniuncta cum his ſemper eſt, commendationem habere cuncta hæc, vt, quoniam cum voluptate peraguntur, minus quoque ſenſuri moleſtiarum ſemper ſint, qui ſe ita exercent: & Exercitationis opus proceſſurum meliùs, dum hilaritate ea laborem fallimus, ne ante iuſtæ Exercitationis tempus laſſi fatiſcamus; ac ſæpe, paulò vlteriùs, quàm par ſit, progreſſi, exceſſus tamen huius noxam minimè ſentiamus. Hoc commune alijs quoque, vt & paruæ pilæ, & folli, breuiter, ludis, qui non ſine animi iucunditate fiunt, omnibus: venationis proprium, nec ſolius tamen, pedum Exercitatio; cuius quum primitus haberi cœpta ratio, (quicunque demum is fuerit, qui primus hoc fecerit) veriſimile eſt, quin neceſſarium potiùs, quoniam corporis ea motu perficitur, quod pedum ſemper officio circunfertur; pedum quoque beneficio omnium primùm inchoatam fuiſſe. Itaque ſuo propè iure hoc ſibi, tanquam ex prærogatiua, vendicet venatio, in qua multimodus pedum motus initur, concitatus, mediocris, languens. Ambulãdum enim placidè interdum; tranſmittenda ſæpe foſſa, aut ſepes ſaltu; plana, accliuia, decliuia, inæqualia peragranda; prata, campi percurrendi: vbi aratum, vbi ſatum, vbi ſtipula eſt, per præcipitia, per auia, deuia, ima, ardua, rupes, ſaxa eundum: ſæpiùs facere nobis viam inter virgulta cogimur, progreſſu impediti, & intertexentibus herbam rubis, aut viteis, lentiſque plerunque ſerpentibus humi virgultis, veluti pedicis quibuſdã, retẽti; obſtantes ramos confertorũ nemorũ dimoue-

mouemus manibus: in procliue nimis descensu acti, vix quum pedibus niti possumus, pendemus toto corpore de arbusculæ ramis: rursus sustentati attollimus nos ijsdem, gradu ad superiora facto, manibusque reptantes per virgulta, quum fidere solis pedibus non liceat, vt saltum aliquem ascensu nimis arduo superemus. Quæ potest esse Exercitatio maior, potiórve hac? in qua curis vacui, solutique, inter vireta, agrestiumque numina, procul à negotijs, ambitioneque omni, exhilarato prorsus animo, sic corpus exercemus, vti aliæ quidem alijs magis; nulla autem ferè sit eius pars, quæ non inde ad faciliùs tolerandos labores duretur; simul Exercitationis totius vsum omnem, fructumque cum alacritate domum reportamus. Accedit iaculatio, seu manu, seu arcu, seu ballista, seu sclopettaria pyxide facta: brachiorum, manus, oculorum exercitium. Hippocrates ait: ἄλλο μὲν γὰρ σχῆμα ἐν ἀκοντισμῷ κατὰ φύσιν, ἄλλο δ' ἐν σφενδόνησιν, ἄλλο δὲ ἐν λιθοβολήσιν, ἄλλο δὲ ἐν πυγμῇ, ἄλλο δ' ἐν τῷ ἐλλοιννύειν. Quæ quoniam varijs semper musculorum figurationibus fiunt; necessum est variè quoque, ac multipliciter, maioreque ideo cum vsu, exerceri eos. Quid? quum clamore incitamus ad cursum canes, clamore de cursu reuocamus; quum vociferamur, & vociferatione ea excitam de latebris cupimus feram; quum sæpe signum damus, eademque significatione tanquam receptui canentes in vnum colligimus; in his nónne spiritales, vocalesque partes omnes, vnaque abdominis musculi contenti exercebuntur? Hi sunt propè venationum vsus per Exercitationem.

Minores in aucupio, vt quod aut cœlum tantùm, circunuolatumque in eo auium suspicientibus nobis, aut stando, aut sedendo etiam fiat. Interdum tecti densis nemorum frondibus, dispositisque virgulis visco vestitis, videri tantùm vt possint noctuæ prostantis paulò gesticulationes, ipsi latentes, sedentesque imitatione vocum earum auiculas euocamus.

In piscatione vehimur potiùs lembis, aut piscatoria nauicula: nisi quum harundine, hamisque ad fluminum ripas, marisve littus piscamur, lento valdè passu; leuissimum vt sit, hactenus quidem exercitium id, sed commoditas accedit, vsusque, huic ferè præcipuus, nempe manifestior, haud longa temporis mora, capiendi cibi appetentia, non abs re. Etenim auræ possunt hoc facere, quæ de fluminibus, aquisque missæ, placidè deferunt secum in corpora, cum tenui quodam humore, frigiditatem. At frigore, & humore conciliatur fames: vt calore, ac siccitate sitis. Iccirco Aestate, summo manè, aut vesperi, vesperi autem potissimùm, circùm fluminum ripas versari, atque obambulare, aut piscantem, aut lentè spatiantem, ad colligendam appetentiam, vtile semper habitum. Ea enim diei hora collectus in toto corpore, ex Anni temporis calore & siccitate, squalor, contrarijs qualitatibus, ijsque leniter prorsus sese insinuantibus, attemperatus tollitur. Quo propè modo scimus dulcioris aquæ balneis, transfuso per corpus humore, intemperiem eandem auferri, sitimque inde collectam demi. Sunt autem aurulæ illæ non solùm benè humidæ, sed etiam (quæ vniuersi aëris natura est) aptæ sese indere corporibus altè; vti ex hoc (sicuti alijs quoque in rebus multis, quæ ex ambiente humescunt magis) humectiora fiant corpora. Vesperi verò sentitur magis: quia diei calori bus multa primùm facta exhalatio, superueniente mox vespera, nondum dissipata cogitur; maiorque facta plurimam ideo eo tempore auræ copiam suggerit, vt sentiri manifestiùs possit. Atque hæc minor deinde manè sit oportet, ex parte iam absumpta, neque noctium intereà frigiditate, quæ exhalationis excitare non multùm consueuerit, generationem nouam nacta. Quę quanquam, ꝑpositi nostri transgressione, extra rem huc allata videantur: eò tamen pertinent, ad Exercitationis rationem, quòd aliæ in Sole; in vmbra aliæ, sub dio, sub tecto fiant, sicuti hæc ad ripas, littoráve: vnde vsus, quem retulimus, sequatur.

De operibus rusticis, quomodo iustam subire Exercitationum rationem possint: itémque artium opera, quid in hoc vsus præstent.

CAPVT X.



Comitatur venationem Agricultura, aut potiùs in eodem, vel non diuerso admodùm certè, sunt ordine. Extra vrbium strepitum vtraque, ab ambitione, ciuiliumque negotiorum molestia procul, inter syluestria, agrestiaque omnia locum sibi fecit. Illud maximum discrimen: quòd

quòd in venatione, aucupio, piscatione nihil operis, quod appareat effectum à nobis, ostendere possumus; aliquid potiùs, quod iam è rerum natura prodierit, venamur, aucupamur, piscamur: in agricultura multum & operæ, & operis semper inest, atque ad vsus humanos inprimis. Quamobrem ad eam potiùs classem applicabimus, quæ opere continentur, & ἔργα appellantur: pro Exercitatione aũt cedũt propositi mutatione, quũ quis ea, non vt opus faciat, aggreditur, sed Exercitationis vsum in illis quærens, pro tempore vtitur tum ad rem suam commodè. Itaque qui hoc ipsum agunt, vt opus aliquod agreste faciant, metentes, fodientésve, quanuis se exerceant: at longiùs tamen ab Exercitationis ratione absunt, in opere tantùm faciũdo occupati. Frustrantur igitur sæpissimè, exercendi rectè se, fine; operis, in quod vnum intendunt, absoluendi desiderio, plus in eo semper reponentes temporis, quàm par iustæ Exercitationi sit. Maior inest in venationibus Exercitationis iustæ effigies, vt in quibus, dum fiunt, operis, quod factum velimus, nihil quum sit, totum propè Exercitationi relinquatur: factis autem acquisitæ tantùm rei fruitio inest. Quod quoniam in orchestra, & palæstra, & id genus cunctis quoque inesse inprimis videtur, quæ nec in opere intentæ faciundo aliquo sunt, dum peraguntur ipsæ, neque peractæ aliquod, quod appareat, ostendere habent opus: iccirco γυμνάσια ea appellata sunt, quasi quæ absolutæ sibi Exercitationis rationem totam vendicarent. Exercere nos dicimur, quum aut saltamus, aut currimus, aut luctamur, aut tale quippiam facimus, magis quàm quum venamur, aut aucupamur, aut piscamus: longeque adhuc magis, quàm quum aramus, fodimus, aut demetimus. Tum enim opus potiùs facere dicimur. At hoc idem, quum hoc ipsum agentes, vt nos tantùm exerceamus, facimus; Exercitationis statim rationem subierit. vsque adeò, quo quid proposito à nobis fine fiat, retulerit semper. Ergo vera, quasique legitima quædam Exercitationis iustæ natura tum spectabitur, quum hoc vnum intendimus ipsum: vt in obambulationibus, vt montium ascensu, descensúve hac solùm gratia petito; vt alibi sæpe, quum nihil aliud, quàm Exercitationis fructum quærimus. Ad quam sanè rationem, vt dixi, opera quoque ipsa exigere, seu potiùs vsum Exercitationis sæpe inde capere licebit ex his, quæ alioqui alterius rei gratia faceremus; modò exercendi se leges seruentur, vt in tempore, conuenientique tum qualitate, tum quantitate, modisque omnibus fiat, qui Exercitationum omnium communes sunt.

Huc pertinent non solùm quæ in agris, reque omni rustica fiunt; sed etiam artium plurimarum, ac tantùm non omnium, opera, quæ sedentariæ, quæ motoriæ, quæ vocari mixtæ ex his possunt. Ac primùm in opere rustico, quis non videat, arationem, robustum esse exercitium, quo dorsum, manusque tota cum primis, sed & pedes roboris acquirere multum possint: sationem, manuum, pedumque, minimè tamen robustam: occationem, pastinationem ac repastinationem; sarritionem, ablaqueationem, & huiusmodi, manuum, dorsique? In fœnisecio, in messe facienda; fœnisecio tamen magis, ob continuam cum inflexione aliqua, dorsi, vtranque in partem contortionem, sine dubio robustè exercebuntur partium illarum musculi: non minùs fortasse, quàm in Halterum ludo, quum dispositis hinc atque hinc æquali inter se spatio, dextra parte repositum halterem, lapidémve, aut quippiam tale, sinistra manu ad sinistram reponimus; dextra autem ad dextram, qui in sinistra priùs fuerat, crebroque alternantes id facimus: dorsi proculdubio in eo incuruatione inflexioneque obliqua laborem exercentes robustum. Robustè etiam inprimis exercent se fossores. Itaque appellantur à Poetis:

Et labefacta mouens robustus iugera fossor.

Alius lacertosos vocauit colonos, qui foderent:

Dura lacertosi fodiebant arua coloni.

Habent non minùs exercitia sua leuia, faciendis sepibus, deducendis riuis, purgandis incilibus, siciliendis pratis: Vineis putandis, pampinandis, iugandis, alligandis, collucandis arboribus fructuarijs, multis talibus leuioris operæ, domi quoque faciendis, ac sub tecto, quorum plena est vita rustica. Nec secus in artium generibus diuersis reperias omnia: robustæ in ferraria officina specimen, qua brachia, dorsumque inprimis exercentur: mediocris, in lignaria, carpentariaque, qua partes eædem: debilioris, in textrina, sed qua pedes quoque laborent. Neque hîc autem, neque ibi velocis Exercitationis formula vlla; quoniam ne currendi quidem necessitas, potissimùm stando, minimùm sedendo. Progressu autem, vt ille aiebat, testudineo semper absoluitur opus rusticũ vnumquodque; atque artium maxima sanè pars, earum, quæ sedẽtariæ, siue sellulariæ dicũtur, ac sunt;

stata-

statariæ quædam pedum munere ad gradiendum, quòd ad officij quidem rationem attineat sui, quæ fungantur, vt existimo, nullæ. Quamobrem quædam ex his sunt, quæ proximè ad studij literarij quietem accedant, cuiusmodi pingendi artificium habetur, in quo penicilli tantùm ductu laborat manus, oculorum autem Exercitatio maxima, lineamenta, vmbras, colores, discernentium. Etiam librorum lectionibus, quæ studia sunt, aut studiorum pars, exercentur oculi; debilitantur autem inde ij, id quod commune esse Exercitationum vitium adnotauit Aristoteles, potissimùm verò hîc, perseuerantia, ac defatigatione legendi nimia. At vel minutiorum literarum lectione (moderatam intelligo) oculorum aciem firmari, scriptum me legisse puto apud authorem eundem. De artibus, quod dicebamus, quæ mechanicæ sunt omnes, quum penè manuum inprimis officio perficiantur; vnde χειροτέχναι, & χειρώνακτες, & χειροῦργοι nostri, quæ ἀρχιτεκτονικῇ τῇ ἰατρικῇ famulatur ars, imperata tantummodo exequens, & ancillans illi; omnes, inquam, manuum elargiri exercitium nostro in negotio vtiliter aliquando poterunt; robustum, mediocre, debile, seu tenue. Quoniam inter tot artium tam variarum genera reperire facilimum sit; discrimina Exercitationum, eius quidem modi cuncta; atque hæc vt sibi quisque deligat, in promptu vnicuique erit; ne longus nimis, & is non magnoperè necessarius, ineatur Tractatus de his. Suprà diximus, celeris non reperiri Exercitationis specimen inter artes. quod verum est, de totius quidem corporis Exercitatione acceptum. Nulla enim cursu peragitur, quæ celer est corporis totius Exercitatio. At ceu ἀκροχειρισμοὺς quosdam inuenias, nentium, magis autem agglomerantium velociter ad globum filum. Sunt artifices, qui verissima manuum gesticulatione opus suum faciant, intertexendis variè digitorum insertione propè semper micantium, fimbriolis quibusdam, quas hodie vestium oris assuunt. Sed reuocandus iam gradus, ne in tenuia nimis, & de tenuibus dicta prolabamur. Atque hæ sunt ferè corporis, partiumque eius multipliciter exercendarum species, quas per se, naturalique sibi, ac proprio motu obeant corpora nostra.

De Exercitatione ab extrinseco, Gestatione, Vectione, Nauigatione, Equitatione: quique vniuscuiusque vsus.

CAPVT XI.



Illæ extrinsecus corporibus adueniunt, quum gestamur, nauigamus, equitamus, aliquo pacto vehimur, pensilibus lectis, aut cunis etiam agitamur, circungestamur. Ad hunc modum nutricum vlnis infantes etiam per ludum sustolluntur sæpe, in sublime tensis altè manibus leui circuncussu, aut quassatu: quam ipsimet Exercitationem læti inprimis sentiant puelli, vagitu statim, ac ploratu animi molestiam testantes, nisi ita tractentur. Motionis omnibus his aliquid omnino inest, quanquam ab alio: extrinsecus enim accedere diximus.

Leuissima omnium Exercitatio in genere hoc, eorum, qui lectica feruntur: siue, vt olim, hominum ceruicibus:

Vt, quæ multorum vehitur ceruice Syrorum.

siue, vt hodie, mulis equisve gestemur, lectica in medio perticis duabus imposita prælongis, quas inter antè retroque inserti, assuefactiq; ad id, muli equive vehunt, tam quietè, placideque, vt mutare hoc pacto longinquas satis etiam regiones, modò non valde nimis ægroti, sæpe soleant.

Nauigatio placida illa quidem quoque est, fluminum præsertim, lacuumque: sed & hæc, præ omnibus autem maris, plurimum motionis obtinet, inæqualis si fuerit, vnde corpora perturbentur non assuetorum. Indicio est, ait Hippocrates, nauigatio, perturbari motione corpus. Quamobrem plurimos eorum comitatur vomitio, sæpe non leuis: remedio est, si quis carinæ residens, tantùm suspectet cœlum intra nauis spondas; vndis non affigat lumina, quarum assidua inquietaque commotione par est indi, infigique perturbationis species animo, imaginationi illatas: quibus deinde ipsi quoque turbatiores facti, cieamur ad vomitum. Quo propè modo præternauigantes littus ripásve fluminum, species nobis insidet certa oculis (nisi dictaret aliud ratio) retrò magno sæpe impetu labentium littorum. Longè id minùs in vectionibus alijs euenire solet; minimè, quum pensilibus lectis huc illuc tantummodò moti agimur, spatijs semper ijsdem. Atque in his, quæ modò retulimus, omnibus, sic ab alio, extrinsecus, atque ex accidenti mouemur: (Dico ex accidenti, priorem huius modum accipiens, quo ea ab alio moueri, dixit Aristoteles, (Physicorum lib. iiij.) quæ moueri tamen per

ſe, vel quieſcere poſſint, non quæ nunquam hoc poſſunt ; ſemperque ad alterius motum, ideoque ex accidenti ſemper, mouentur ; vt albedo, ſcientiaque in corpore) nos autem, vti dicebam, quum extrinſecus ab alio mouemur, committere tamen nobis, voluntatis noſtræ arbitrio, motioni alicui, rurſusque quieti, corpus vniuerſum licet, quæſito, in quo laboris minimum ſit, decubitu. Nam Vt muſculorum omnino nullus, in quantunuis placidè ſummaq; decumbente cum quiete corpore, munere aliqua ex parte fungatur ſuo ; id verò fieri facilè haud poſſe, oſtenſum à Galeno (De mo. muſc. ij.) eſt, prorſus vt ne in altiſſimè quidem captato ſomno ferientur ex toto muſculi corporis vniuerſi ; vixque id ſperare nobis liceat, quoties aut labore nimio delaſſati, aut ob virium debilitatem, aut etiam benè temulenti, corporis partes quaſcunque contentione nulla laxamus, ignauasque ita, renixuque omni ſolutas, muſculis tradimus, in eam collocationis figuram deducendas, quæ verè omnium media inueniatur, quoniam laxa, nihilque intenta, eoque nec vlla omnino ex parte laborioſa ſit ; eo demum ſitu integram quietem ſuam nactos verè dicas muſculos. Qui tamen poſitus, quietis cõmoditatem hanc perfectæ amittat ſubitò in vnoquoque illorum, quos paulò ſuprà diximus, extrinſecus licèt facto motu : non tam quidem, quòd ſi vehamur, aut nauigemus, aut feramur lectica, aut quicquid huiuſmodi, eam ſeruare nobis diu membrorum locationem quoquo modo quaſſatis, agitatisque haud liceat ; quàm quòd vel ſi nulla penitus id agitatione fieret, motus tamen ineſt in re neceſſariò quidam. Mutet nanq; omnino locum neceſſe eſt, quod circunfertur : vt manus, quam quietam ſæpe, laxisque prorſus muſculis ſuis, nec vlla ex parte contentam geſtant pedes, cum corpore tamen mouetur vna. Sic quum geſtamur ab alio, vt nihil intereà commoueamus nos, prorſusq; quieſcamus ; aliquo tandem tamen pacto motus rationem aliquam perſentimus, adeò vt exercitationis id loco, quum rei huius vſus venerit, habere poſſimus.

Id in equitationibus magis etiamnum detegitur, quæ gradario licèt in equo, ac maximè aſturcone fiant ; ſeſſoris tamen ſemper partes omnes exercent, dorſum autem inprimis neceſſariò, partem corporis, quam maximè erectam, contentamque geſtet tunc eques. Suntque inter equos hoſce, qui tollutim nimis gradientes, non multo ſanè, quàm ſucceſſores equi, minùs agitatum exerceant equitem. Hos ſucceſſores nimirum, & ſuccuſſatores, trottantes appellant, quaſi θράττοντας. quippè θράττειν turbare eſt. Nullo autem equitandi genere magis turbamur, quàm hoc, quo ſic greſſus elatè glomerant equi, vt alternatim poſteriorum, anteriorumque crurum altero inſultent ſemper ſolo, ſublato vtrinque altero : μετέωρον ἵππον appellauerim, licèt μετέωρος etiam is ſit, qui ſaltu in ſublime attollitur. Nam πόμπικος ἵππος fuerit, qui gemina antè crura effert, poſterioribus inſiſtens, vt in curſu, ſed hic per vices, & iiſdem penè veſtigijs inſiſtens. Sic nanque ſplendidè magis, quàm multùm, promouet. Hoc enim πομπεύειν eſt in equo. Quod generoſi inprimis, animoſique equi facilè edocti faciant : nec diu tamen ferre id eos poſſe, eo, quòd præter communem animalium gradiendi modum per ſaltus fiat, teſtatur Ariſtoteles. ταχὺ γὰρ ἀπαγορεύουσιν καὶ νῦν τῶν ἵππων ὅσοι τὸν τρόπον τοιοῦτον ποιοῦνται τὴν κίνησιν, οἷον οἱ πομπεύοντες. At minus intereà in eo offenſæ perſentiſcet ſemper ſeſſor. Quæ equitando exercitentur, hæc ſunt Galeno : dorſum, quod ſeruàſſe rectum ſemper oporteat, non enim inſidere equo aliter licet : femora, quibus olim coſtas equi premere ars fuerat, ne excuterentur : tibiæ, quæ in longum extentæ porrigebantur ; ceruix, intentione ; proſpectu, oculi ; viſcera quaſſatione, atque exagitatione laborabant. Poſtremum hoc in ſuccutientibus nos equis hodieque veriſſimum eſſe experimur ; nec minùs cætera omnia, niſi quòd inuentum tempeſtatis noſtræ certè, non veterum illorum, ſtapedes, tam commodum, plurimum tibijs, feminibusque laboris demunt. Siſtunt enim his pedes firmiter, ſeque ac totum vnà corpus ſuſtentant facilè. Iam pro ſtratis antiquorum ornatiſſimis quidem illis, & ephippijs ſæpe, ſed nullius nec ad firmandum, nec ad retinendum, nec contrariæ ſæpe occurrenti violentiæ obnixè reſiſtendum, vſus, quantum, putas, afferat ad hæc omnia iuuamenti inſtrata ſella, cingulis arctata, ſæpe etiam duplicatis ſub ventrem, ad pectus, ad caudam, pro aſcenſu, pro deſcenſu, ne prorſum, retrorſúmve nimis recidat, vinculis ſuis tuta : in antica autem, ac poſtica parte ſic vallata, vt excuti à quantumuis ferocienti equo nõ poſſit eques, niſi ignauus, aut oſcitabundus aliquis. Itaq; temporis noſtri fœminæ (quod legiſſe apud veteres, niſi fortè Amazonas velimus, non memini) equo vtuntur feliciter, ad conficienda itinera ſæpe magna, multæque viriliter in curſu etiam, in ſaltu, in venatione. Sed nos hoc loco de cõmoditate, equitantibus ſuperiorum aliquot ætatum artificijs hiſce addita, loquimur, qua ferre magis equitãdi labores, nec minùs diuerſimodè,

modè, commodeque exerceri possimus, etiam in ὁλοπλομαχία, quum infestis inter se hastis, & his crassioribus, ad costas sub alarum sinum adductis adstrictisque, tam plerunque inter se vehementer concurrunt, vt fractarum concursu eo hastarum, non vno sæpe loco, frusta altè euolantia videamus: concussione tanta minimè tamen excuti equites, nisi perquàm raro, munimentorum, quo diximus, beneficio, videre est; accedente dorsi, feminum, cruriumque musculorum, qui tum pręsertim robustè exerceantur, contentione; verè vt dictum à Galeno fuerit, in equitationibus, quanquam vehamur equo, multum tamen præter vectionem ipsam exercitationis quoque iustæ inesse; ob causas, quas paulò suprà attulimus.

De frictionibus, quæ Exercitationum numerum augere, & quæ has ipsas Exercitationes, antè & post adhibitæ, in præparatoria & recuratoria artis parte iuuare possint: Differentiæ item harum, diuersæq; rationes.

CAP. XII.




VEnit in eorum classem, quæ extrinsecus corpora mouent, frictio quoque: de qua, quia Exercitationis loco sępe in tempore adhibita ducitur; simul quia tum præire, tum subsequi Exercitationem solet, priùs quo nomine pro Exercitatione habetur, hoc loco tractandum nobis est: Tractationemque de hac iustam antea ita conficiemus: confectaque hac, tum demum vsum, quē præparatoria, ac recuratoria præstat, addemus.

Vt vectio, vt nauigatio, vt portatio: sic corpus nostrum frictio mouet extrinsecus adhibita. Excitatus enim paulatim calor euocatur foras, mouetur que accepto foris initio, dum continenter concalescũt arteriæ, venæque: perq; has, concalfactosque vnà spiritus, ac sanguinem delata calorifica illa vis, interiùs caloris quoque sese fonti addit. Quadantenus ad reportandos Exercitationis vsus proximior hęc fuerit exercẽdi se ratio, inter eas, quæ extrinsecus admouentur, optimæ illi, omniumque probatissimæ, ac legitimæ, cuius tot suprà genera retulimus. Mouẽtur enim in hac corporis, perfrictæ quæcunque linteolis, manibus, aut oleo tanguntur, partes, per se quasi certè, quàm in simplici illa vectione, aut nauigatione fiat, magis; quæ, nisi commotionis aliquid aliunde accedat, vt de equitationis Exercitatione diximus; nihil aliud, quàm corporis molem totam quietam deferunt. At in frictione, cùm per se moueri partes possunt, quod frictionis tamen non est, quum per varias situs figuras, manus, pedes, corpusque interdum totum fricãdum exhibemus ipsi: tum, quod frictioni proprium, peculiareque est, quiescentibus membris, commotio tamen perfrictis adhibetur maior, minórve aliqua semper, admotis manibus, aliáve quauis re, qua frictio peragitur. Et quanuis extrinsecus, iustus tamen partibus motus accedit, quo tota Exercitationis ratio perficiatur. Tum verò singulæ seorsum, hoc Exercitationis genere, rursusque vniuersæ tractari simul queunt, prout dictârit ratio, partes. Quod in alijs eiusmodi reperias nullis, vt hac commoditate, quoties libuerit, vsúsve postulârit, modò vniuersim, modò singillatim per partes versare vtiliter, quodcunque corporis membrum libuerit, valeas: idque duriter, molliter, parùm, multùm, medioq; inter vtrunque horum modo, propè nullus vt vsus sit, hoc quidem in genere, quem non expectare inde possimus: præter quàm, quòd manifestissimũ in hoc est, ac veluti sub oculos positum, quæ partes exerceantur, exercentur enim, quæ tractantur inprimis. At alibi non statim id occurrit, nisi cogitanti priùs secum, deputantique, ac coniecturis quibusdam colligenti.

Atque hosce vsus vicaria sæpe Exercitationum præstat frictio. Non minores illos, quum aut anteit necessariò Exercitationẽ, aut sequitur. Et, nisi ita fiat, sequutura semper exercẽtes se incommoda multa sint. Prima est cautio initæ ante Exercitationem frictionis; ne solidarum partium aliqua vehementiore Exercitatione commota, rumpatur, conuellatúrve. Altera; ne excrementa, excitati à calore spiritus, mobilisque iam, impetu acta, meatus ipsos infarciat. Quæ ne contingant, emolliendum corpus totum, attenuanda excrementa, laxandi meatus. Hoc porrò ipsum nihil præstare meliùs, quàm frictio possit, qua mediocriter corpus totum linteolo perfrictum, cutisq; concalescat, simulque laxati aperiantur meatus, vt excipere intrò emolliendo corpori oleum possint. Quod tum demum inducendum fuerit, quum præstare hoc posse viderimus. Signum introducti satis caloris, laxorumque meatuum; diffusus per totam cutim floridus rubor quidam. Quo tempore iubemur sine linteolo, nudis manibus, medioque se modo duritiem inter ac mollitiem habentibus, pinguitudinem olei inducere. Sed hæc, atque alia huiusce modi præcepta, rerumque discrimina posteriùs, destinato

Tractationis de his iustæ loco, meliùs persequemur.

Hæc hic eò tantùm addidimus, quo præparatoriæ frictionis qualitas sciretur, quam mollem inter duramque esse, vt diximus, oporteat; primamque hanc esse frictionum differentiam necesse est. Necessariò nanque primò, quæ fricantur partes; molliter, aut duriter, aut mediocriter fricantur. Tum accedit altera, multæ, aut paruæ, aut mediocris frictionis: quod temporis est, post inchoationem durantis, aut finientis citò nimis, aut ad iustum tempus producti. Vltimæ frictionum differentiæ sunt, quas ductus, circumactusque manuum faciat fricantis. Aut enim per status corporis longitudinem agitur manus, & in rectum fit frictio, siue supernè deorsum, siue infernè sursum versus agantur: quam falsò olim quidam vnam ἀνάτριψιν vocandam existimauêre; quū τρίψις iunioribus, Græcis antiquioribus ἀνάτριψις vsitatior vox sit; communi semper frictionum generis omnis significatione, (quacunque ea ratione peragatur, locóve) τρίψεως indiscriminatim, atque ἀνατρίψεως vocabulo. Hæc autem prima loci contrarietas per longitudinem est. Toti huic oppositam faciunt in transuersum actam, cuius ductus alteram intersecans factis rectis angulis cruciat. Parum deflexum à recto, transuersoque ductum: primum subremum, alterum subtransuersum dicemus, Græce πλάγιον & σιμόν. Quibus nominibus, additione vocis, (sub) recessus à priori positione quidam significatur non magnus, tàm qui iuxta rectam lineam supra infraque transuersam fit; quàm qui prope transuersam media intercurrente recta: ne quis fortè cauilletur, dimidiatam tantummodo horum partem rectè his significari; quoniam quidem subtransuersi pars ea solùm verè habenda sit, quæ subtus locata parū inclinet. At, vt dixi, iuxtà positio quædam intelligenda nobis potiùs ita erit subrecti subtransuersique; paruaque quædam à recto transuersoque, vtramuis in partem, declinatio. In medio obliquum reponimus, λοξὸν Græci, quum præter rectum transuersumque, obliqua omnia sint. Sed sic diuersitati rerum accommodanda erant vocabula, recteque dictorum antè quatuor in medio positum, quo vsitatiùs, ac significatiùs obliquitas ea notetur, λοξὸν sibi nomen cepit apud Græcos, nos obliquum diximus, subrectum, transuersumque inter, quæ & ipsa in obliquum omnino quoquo modo tendunt: eo tamen discrimine, quòd quum trium horum, subrecti, obliqui, subtransuersi acuti anguli sint; subrecti ad rectum acutus etiamnum magis, ad transuersum minùs: vt subtransuersi quoque, ad transuersum magis; ad rectum minùs: at obliqui, æqualiter vtrinque, rectum inter & transuersum, acuti. Quæ eò allata à nobis hoc loco sunt, vt vel absque figuræ vllius delineatione accipi ista, atque intelligi possent: quam tamen adscripsisse, non magnus sit labor.




Vbi recti vna tantùm linea, ac transuersi vna: subrecti, rectum vtrinque claudentis, duæ: subtranuersique eodem pacto duæ: itemque obliqui, æqualiter à recto transuersoque distantis, duæ: in vniuersum octo. Spatia enim recti transuersique, quæ principales lineæ sunt, bis implent subrectum, subtransuersum, & obliquum. Sunt autem hi modi potiùs, quàm veræ frictionum differentiæ, quibus (quoniam nulla erit pars, quæ iniectum manus ita fugiat) musculorum fibræ omnes tractatæ, vsum sentient. Circumagi autem manus possunt etiam in rotundum, per lineas omnes, quas rectas protensasque in figura designauimus, transuersim ductæ: hæc ςρογγύλη est frictio, id est, rotunda, quo nomine (ait Galenus) transuersam quidam appellauêre, vt mihi videtur, non abs re. Etenim transuersa simplicior illa rectam primò secat ad angulos rectos: quod rotunda in omnibus facit. Hoc iniectu, circunductuque manuum tam vario, vis inde facilè frictionis musculorum partibus omnibus potest: Nec aliud quærimus ex fricandi diuersitate hac; non id, quod veterum quidam arbitrati sunt, existimantes, transuersam durare, densare, constringere, contrahere corpora: rectam rarefacere, laxare, mollire, soluere: ad id ducti, (quantum quidem conijcere nobis licet) quòd rectæ compressu, quæ maiori ex parte per fibrarum rectitudinem ageretur, veluti disiectam musculorum

rum substantiam solui, laxarique credebant; contrà in transuersa fieri, in qua tractatione manuum eo modo facta, quasi in vnum coacta densaretur, constrictaque duraretur substantia. Nam & laxos dissolutosque musculos animaduertebant in longum, quum tensionis vim omnem remiserunt, protendi: contrahi autem, ac tanquam conglobari, quum contenti colliguntur, id quod hi ex transuersa illis frictione euenire iudicabant: quod tamen haud ita est. Ea enim (sicuti aliæ quoque omnes, quæcunque tandem, quacunque manuum applicatione fiant) nihil aliud, quàm partibus, quas tangit eo, quo tangit situ, affectionem aliquam inducit, mollem molliter; sicuti duram, duriter adhibita. Hæ nanque qualitates sunt: illæ autem ex prædicamento Vbi, differentiæ situm tantùm notantes, pro cuius diuersitate frictio per omnes loci partes penetrans, qualis ipsa fuerit, talem addere membris, quibus applicabitur, qualitatem poterit. Vt in panificio subactam aqua farinam, quæ σαὶς Græcis est, in omnem versamus partem subigentes; quo subactionem eam facilius recipiat vbique, atque ita per partes omnes, qualis deinde volumus, fiat; durior, mollior, densior, rarior, compactior, resolutior panis. Sic nec illæ quidē, multoque etiam minùs differentiæ frictionum erunt: nisi ex accidenti, atque extrinsecus petitæ, quum alias esse dicemus, quæ sub dio: alias, quæ sub tecto: alias, quę in loco mixtæ vmbræ, vt in illustri satis, solaribus tamen radijs non peruio, absoluuntur. Eodem modo, quòd in pura vmbra aliæ, quòd in Sole, quòd in calido, quòd in frigido, quòd æstate, quòd hyeme, quòd noctu, quòd interdiu, ac talibus multis fiant: quorum alia locorum, alia temporis discrimina sunt, sine quibus non solùm frictiones, sed nec quarumcunque tandem rerum aliarum quicquam peragi omninò possit. Differentias eas ideon non habebimus iustas. Communia nanque hæc quum sint omnibus, minùs propria priuatæ rei alicuius fuerint. Illa autem, quòd aut oleo, aut puluere, aut linteolis, hisque vel mollibus, vel asperis; aut solis manibus, & his duris, mollibusve fricentur partes; referenda ad causas fuerint potiùs, quibus dura, mollisve euadere frictio consueuerit.

Frictionis diffinitio, & quæ illius essentiam distribuant, differentiæ: qui rursus modi artificium iuuent: Qualitatis, ac Quantitatis in his diuersitatum modus, & connectendarum differentiarum formula, vsusq́; omniū, & propellendorum excrementorum ratio, musculorum etiam contentiones.

CAP. XIII.



Varum nihilo tamen secius, similiumque his differentiarum omnium, aut modorum, cognoscenda natura: vt, quum artificij aliquo modo inde accipiendi vsus aliquis venerit, vtamur. Non enim nullius penitus in artibus harum vsus, vt ex quibus, si non agendi finis ex toto diuersus: at varij sæpe, agendi fine semper eodem, modi petantur: ad distribuendam autem, quam nulla ex parte attingunt, rei cuiuspiam essentiam, inutiles. Vt hoc in negotio, frictionem si diffiniendam nobis assumemus, fortasse ita rectè finierimus: iniectum, circumactumque manuum, corporibus qualitate aliqua afficiendis quæsitum.

Hunc primò statim necessariò sequitur, molliter, aut duriter, multo, aut paruo tempore, aut mediocriter inter hæc vt fiat. Quippe hæ sunt vnæ atque solæ, quas inde reportare debeamus semper, in arte nostra fricādi vtilitates, effectusque. Ideo ex hoc, hosce perpetuò nobis proponimus sequendos, durandæ, molliendæ, augendæ, extenuandæ, aut mediocris inter hæc seruandæ carnis: hocque semper intendimus, siue in longum, siue in rectum, siue in obliquum, siue in orbem agantur manus. Tunc enim nihil aliud agimus, quàm vt, quas volumus, quantumque volumus, ex his affectiones accipiant partes; siue sub tecto, siue sub dio, siue in perflato, siue in ventis carente loco, & similibus. Quæ inter fricandum eò adhibebimus solùm, non vt finem immutemus primarium, sed vt consequendi eius diuersis rationibus, quas tunc res ita exigere nostra videatur, vtamur: vel promouendo meliùs fini, vel vitandis, quæ multæ occurrere sæpe inter hæc solent, noxis: vt quum sub Sole, exempli gratia, siccandę meliùs carni, quæ emollita nimium esse videatur, fricamus: sub tecto autem, fugiendo, vt tum res postulat, ventorum occursu. Rursus aliquando perflatum ventis locum quærimus vtiliter, si fortè aut frigiditatem, aliqua de causa, siccitatémve Boreę; aut calorem, humoremque Austrinum optamus: perpetuò tamen aut densatione, aut laxatione, aut duritie, aut mollitie, in quas primò intueamur, propositis.

Quin adiuuamur sæpe modis iisdem, vt citiùs faciliusque promoueamus. Sunt enim modi quidam, qui causæ tantùm sint durioris, molliorisve faciendæ frictionis: durioris, si duræ, scabræque alicuius adhibeantur

beantur manus, quæ fricent; si linteola ad id admoueamus aspera, pinguis nihil; si cum puluere compressuque vehementi fiat: contrà mollioris, si leniter tractentur partes, blandeq; manus applicentur molles, linteola mollia, oleum, aut pingue aliquid, pulueris nihil, aut cum pingui multo, quo siccitas pulueris vincatur. Sunt igitur primæ, ac potissimæ frictionum differentiæ, ad vsus nostros quæsitæ; duræ, durandæ itidem densandæque carni: mollis, emolliendæ, laxandæque: mediocris, in statu tum suo conseruandæ. Accedunt secundæ, quæ non minus secum vsus afferunt: multæ, quæ extenuet; paucæ, quæ nihil effatu dignum in hoc faciat; mediocris, quæ iusta carne impleat. Hæc sunt opera, hi vsus, effectusque, atque etiam affectus, quorum inprimis gratia frictiones semper molimur; tum, quò deducenda omnia sint, quęcunq; hoc in genere, quatenus Medici, aut salubres Medici, facimus. Itaque etiam ex frictionibus ipsis, quæ operum horum causa habentur, eas tantummodo enumeratas ab Hippocrate esse videmus, quæ præstare horum aliquod valerent: vt in qualitatis genere dura, mollisque; quarum altera adstricta densaretur caro; altera, laxata molliretur. Quo cognito, tum deinde facile futurum esset nobis intelligere, quid præstare media harum deberet, neque dura, neque mollis quæ foret; nimirum neutrum quoque.

Sic autem affectus, quos frictiones diuersæ faciant, sequimur, vt in quantitate (quoniam aliter, quàm in qualitatum ordine euenit; in quo cum causis affectus concordant, in quantitate verò discordant) oculos affectibus potiùs, quàm causis adijciamus. In qualitate, carnis durities à dura; à molli mollities; à mediocri mediocritas fit. Non ita in quantitate. multi nanque temporis frictio extenuat: quod contrarium huic erat, repleri carne, non contraria frictio præstabit, pauci temporis, sed mediocris: pauca vix concalescent perfrictæ partes; non autem, quod quidem animaduerti possit, crassescent. Contingitque hîc ferè, quod in calidæ perfusione, vbi breuis nimis temporis perfusio, nihil, quod dignè notari possit, exhibet: hoc autem ipsum mediocris faciet. Mediocris tunc est, quum tantum affusum fuerit calidæ, quantum tumefaciendo loco satis sit, quò quum peruentum fuerit, cessandum extemplò erit. Vlteriùs enim si progrediamur, detumescit, quod accreuerat, statim. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον αἴρεται, vt ait Hippocrates, ἔπειτα ἰσχναίνεται. Non dissimilis est Exercitationis etiam ratio: parui nimis temporis, vsum nullum præstat: mediocris, iustum opus perficit: multi, attenuat: vt in cursu, quo demendæ corporum crassitiei longo, multoque sæpe vtimur. quippe non hîc solùm, verùm etiam quacunque alia in re, producta longiore temporis mora, actio vires magis, magisque semper exerit suas: sicuti enim in tempore fit, ita maiori quoque in tempore maior; vt iam necessariò additam qualitatum actionibus temporis quantitatem, existimare debeamus; non qua diuersi quippiam à qualitate in actionibus eueniat, sed qua alterius prætereà generis contrarietas existat: vt in frictionum, quas nunc tractamus, differentijs dura, mediocris, mollisque frictio, quantumuis in longo, mediocri, aut breui tempore facta, naturam semper suam seruabit; magis minusque quidem, at earundem qualitatum tamen: quod verò temporis diuturnitate, aut mediocritate, aut breuitate additur; aliud omnino est. Nam (si cui fortè in his quoque philosophari cordi sit) actionem inueniet is, qualitatis principaliter esse: quantitatis autem, seu molis, seu temporis nullam: conferre tantùm hanc, non quidem ad edendam nouam actionis speciem vllam; sed ad inchoatam à qualitate, promouendam plùs, minùs, pro breuitate, longitudinéve sui. Quod autem per se facere videtur in his tempus, motus potiùs localis quidam est. Elicit enim primò ex alto frictio sanguinem, loco suo motum. hoc nos, quoniam nondum sub oculos adductus is fuit, latet. Tum deinde mediocris temporis perseuerantia in tumorem attollitur pars: quæ ipsa defrictæ partis tumefactio mediocris temporis frictionis indicio fit. Hoc est opus, quod expectamus Medici, quum replere carne partes cupimus, nō nimis latę occasionis, (ἐν ὀξεῖ γὰρ ὁ καιρός) quam si præterimus, vsum statim rei illum amittimus omnem. Elabitur enim, quasi præterfluens de parte, adducta frictione eò materia, nutrituraque illam. Quapropter opus hoc, vsumque priuandæ nutrimento suo partis, tum sequimur, quum aliquam ob causam demere de crassitie volumus. Qui contrarius est superiori effectus, mediocris frictionis carne replentis. postremum autem illum multa frictio præstat; neutrum, pauca, nobis, qui effectus frictionum tantùm sequimur, pro media vtriusque habenda. Contrà quàm in qualitatibus, quarum quoniam actio propria, peculiarisque est, quæ contrarietatis gratia semper fiat; meritò à contrarijs contrarij, à mediocribus mediocres expectandi effectus sunt. Secus in temporis quantitate; quippe non à quo, sed in quo actiones edantur. Itaque contrarie-

trarietatem in hoc non ab actionum natura ducemus, quam nullam tempus habet, quatenus quantum, (in quantitate enim contrarietas nulla) sed ab huius longitudine, aut breuitate, quæ potiùs rerum prædicamento Ad aliquid contineatur. Quocirca ne actiones quidem edunt, quas qualitates solent; sed quas temporis breuitas, aut longitudo, aut mediocritas faciat: atque iccirco mirum esse non debeat, si nec effectus quidem eodem modo, quo qualitas, profert suos. Paucique ideo temporis frictionem, pro mediocris: multique temporis media, affectus, quos fricandi ratio ex temporis tantùm quantitate facit, considerantes ducamus.

Hæc ob id aliunde, quàm de Medicæ artis prouincia, deducta, paucula huc fuêre, apertum vt esset nobis, variatarum in qualitate, quantitateque frictionum discrimen. Simul natura earum pauló fusiùs ostensa est, separatarum primò; quas deinde vertere in vnum variè hoc pacto liceat. Præponemus autem qualitatis differentias, quæ potior, naturaque prior est, quibus quantitatis additas copulabimus: Secus ac Paulus, qui quamobrem contra Galeni seriem (cuius ille habitus semper tanquam simius sit) has illis prætulerit, causam non video. Quanuis enim nihil omnino hoc, aut parum retulerit; naturæ tamen ductum si sequamur, non sanè aliter faciemus, quàm vt actionum primo differentias statuamus, ex qualitatibus: tum secundo loco, quoniam eæ in tempore omnino aliquo fiunt, quantitatem hoc ipso tempore contentam reponamus. Cohærebunt igitur nouem in totum differentiæ in hunc modum: Tres quum sint qualitatis, si coniungi cum quantitatis differentijs omnibus debuerint, ter id in vnaquaque fiat, necessum est. Ita ter tria multiplicata nouem efficient, vt in Tabella:

QVALITATIS.	QVANTITATIS.
Dura.	Pauca.
Dura.	Multa.
Dura.	Mediocris.
Mollis.	Pauca.
Mollis.	Multa.
Mollis.	Mediocris.
Mediocris.	Pauca.
Mediocris.	Multa.
Mediocris.	Mediocris.

Ex quibus depromi semper in rem præsentem possint, quæcunque ad vsum facere videbuntur: vt præparatoria, quæ Exercitationem anteit, mollis adhibeatur. Mollem autem facient, mollior applicata manus, linteolaque itidem mollia, tum olei quoque pinguitudo adhibita. At sub extremum, accedentibus iam nobis ad Exercitationis laborem, accedere ipsa non minùs ad duritiem aliquam debebit, pauca eadem sit oportet. Neque enim aut crassum, aut tenue facere corpus tum nobis propositum est. Cæterùm hæc eò differenda, omnia, quum iam singulis accommodabuntur singula. Nũc differentias rerum tantùm tractandas suscepimus, harumque vnà opera, ac facultates: vnde excursus in alia etiam quædam sæpe affinia facilis scribenti sit. Sed reuocandus statim pes. Ergo sicuti modò præparatoriæ; ita nunc recuratoriæ (sic enim, si libet, ἀποθεραπευτικὴν vocemus) opera referamus. Quæ duo frictionum genera, subseruientium potiùs sunt Exercitationibus additamenta. Quoniam in hanc gratiam tum fiunt: non autem, vt quum aut laxata densant, densáve laxant, mollia durant, dura emolliunt, & huiusmodi, nullo inde alio expectato vsu: vel quum species Exercitationis quædam haberi potest frictio, vt diximus. Duæ verò illæ, parasceuastice, & apotherapeutice, Exercitationis potiùs naturam præeuntes, aut posthabitæ iuuant, non constituunt. Apotherapeutices frictionis, quam recuratoriam diximus, vsus ille præcipuus, peculiarisque; cauisse, ne quid ab Exercitio suboriatur lassitudinis: qui tamen coniunctum secum habet communem cum Exercitio alium, nempe excrementorum euacuationem, aliter tamen quoquo modo hic, quàm ibi factam. Ibi constricti meatus aperiuntur, crassaque, ac segnia excrementa attenuantur, mouenturque loco: hîc, ne aperti cludantur, cautio est; & vt attenuata iam, locoque mota excrementa nusquam hærentia educantur. Quæ si fieri debent; non esse duram oporteat frictionem, vt qua densentur potiùs meatus, progressusque ob id excrementorum impediatur. Simul, quoniam tensa inter exercendum membra emolliri postulant; ex dura, vt quà magis etiamnum durentur, incommodum ingens capient. Talis igitur omnino adhibenda tunc frictio, quæ, quoad fieri potest, partes Exercitatione tensas omnes emolliat. At hæ non extimam tantùm, sed altiora etiam corporis occupant; quò pertingere simpliciter mollis frictionis facultas haud sanè queat. Hæc enim cutim vltra, vicinasque cuti partes, vires emolliendi non profert suas; nec de paulò magis angustis meatibus excrementa propellit; leniori tantùm manuum iniectu facta nudarum,

darum, molliumque, aut mollium etiam linteolorum adhibitione. siquidem hæc mollis erat. Quod quum igitur nec dura, nec præstare mollis possit, dictis de causis: quærenda media ad hoc, qua & duræ incommoda, & mollis inefficaciam vitemus. media autem non quæuis; sed quæ ex participatu vtriusque extremi alicuius confletur. Dura vna erat frictio, quæ compressu manuum fiebat vehementi: mollis, quæ leni. Satis nobis non faciet vtriusque media hoc in negotio, (non enim eò, quò volumus, perueniet) vehementiori igitur frictionis compressione opus habemus. At hæc inter duras numerabatur, quam euitâsse hic opus sit. Ergo vt mollem faciamus, (quoniam neque leuem adhibere compressum licet, ob inefficaciam) mollitudinem aucupabimur ex mollioris frictionis differentia aliqua alia: vt si cum pingui aliquo fiat, mollis enim hæc quoque. Ita ex compressu vehementi qui duram, & pingui, quod mollem frictionem efficiebat, mediocrem componemus, ex his, quæ nobis hac in re vtiliter deseruiat. Multùm enim dempserit pinguitudo, ne vehemens ex toto sit manuum iniectio illa; simul celeres ob idem circumactus, quantum de tempore, tantundem de frictionis violentia detraxerint, vt esse vehemens tamen satis possit. Hocque ipsum vsui nō minori fuerit in eo, quòd, ne qua extrinsecus ingruat corpus refrigerans, aut condensans vis, præstiterimus. Ita experimur quotidie propè, idque non in nobis solùm ipsis, verùm etiam in equis, quantopere obesse soleat, si quis à corporis excalfactione motu aliquo facta cessans, statim subsistat, nihil se aduersus ambientis aëris occursum muniens. Itaque equis ἐφεσρίδας statim imponimus, paulatimque circunducimus, donec caloris motus omnis ille resideat: commotioraque interim ex hoc excrementa, ac humores superuacanei de corpore, per reclusos adhuc caloris vi cutaneos meatus, eodem calore etiamnum vigente, pulsi exeant. Discrimen hoc, ne se contraria aëris qualitas altè corporibus per apertas vias insinuans, retrò primùm excrementa, humoresque repellat, atque in aliquas corporis partes, quò minimè opus sit, abigat; tumque demum etiam extimæ superficiei meatus occludat; tollet celeriter partibus omnibus adhibita frictio. Id quod simul pinguitudine aliqua (huius enim beneficio velox, facilisque, nimirùm nusquam cutis lubricæ hæsione retenta, manuum circunductio fit) simul plurium, eodem tempore diuersas defricantium partes, auxilio assequemur. Hæc dicenda erant frictionum differentias captanti. Iam enim ita celeriter quoque, pluriumque simul manibus factæ frictionis vsum, opusque ex hac habemus.

Ad excrementorum expulsionem, corporea mole cutim ac subiectas partes inter contentorum, non minùs fecerit musculorum inter fricandum tensio. Siquidem ea, veluti expressa eliduntur excrementa, contortione musculorum interiùs; exteriùs autem frictionibus, tanquam vtraque manu exacta: non dissimiliter, atque quum vtrinque à lotricibus mulierculis, diuersas in partes, à capite torquentur panni linei, ad humoris expressionem. Idem in pandiculationibus, atque oscitationibus, pandiculationibus autem inprimis, spectare licet, in quibus autem musculorum expansione ea contortioneque, atque in diuersas partes diductione, vaporosus excluditur spiritus, symptomatis illiusmodi causa.

De spiritus cohibitione, ad expulsionem excrementorum diuersarum partium, varia.

CAPVT XIIII.

Cohibitione autem spiritus idem fit, instar pulsæ aliquando flatu pilæ per canalem longum. Quum enim redire per arteriam, per quam receptus antea fuerat, nequeat aër, (clauditur enim tunc arteriæ caput larynx) retrusus inuenit sibi viam, qua potest; repertisque sæpe se foraminibus indens, quæsito exitu, collecta ibi excrementa, aut quicquid obstantis offensaculi inuenit, depulsum foras facilè protrudit. Multiplex autem, diuersarumque partium spiritus cohibitio quum sit, suus quamque effectus, commoditasque sequetur, occluso semper arteriæ capite, quæ larynx est, vt diximus. Modò nanque intendere thoracis musculos, contrahereque laxis abdominis musculis possumus: modò tensis, contractisque his, septum vnà transuersum intendere, modò hoc ipsum laxare: modò thoracis simul abdominisque musculos, ac transuersum septum, anique sphynctera, cuncta eodem tempore contenta habere. Hanc spiritus cohibitionem sequitur excrementorum inferiore ventre contentorum, si tantùm liberum deinde exitum permittat sphyncter, excretio, gemina velut manu, hinc

hinc septo transuerso validè, illinc abdominis musculis modicè comprimentibus, deiectorũ. Et abdominis quidem musculi, à summo ad imum protensi, extrudere quoque per totum possunt. Transuersum verò septum, quod ad spuriarũ costarum finem extenditur, quanquam procursibus insuper quibusdã tenuioribus, lumbis inseritur, munus in hoc suum exercere non nisi ad terminos, quò peruenit, valet; intra quos tamen ventriculus, iecur, lien, coli, tenuiorumque intestinorum pars continetur. Septi igitur huius, ex aduersoque abdominis musculorum, qua potissimùm parte è regione sunt, tensione, in ventris totius capacitatem, atque intestinorũ cauitatem excremẽta omnis generis truduntur: tum deinde etiam aluus ipsa, laxato sphynctere, facilè exoneratur. Hæc est iocosissimi Poëtarũ phœbea facies excernentis durè. Hac ratione etiam de pectore, ac pulmonibus, sed si cum septo abdominis musculi laxentur, deriuari inferiùs excrementorum aliquid queat.

Quòd si quis æquè, quàm septum, abdominis musculos distentos constringat, cohibito præterea spiritu, partes quidem ita infra septum repurgabuntur meliùs; at nihil de medio in inferiorem ventrem deriuari poterit, septi abdominisque musculorum pariter valida contentione repulsum; manebuntque thorace, pulmonibusque contenta excrementa. At nemo est, qui nesciat, longè satius esse, vt inde infra septi transuersi loca extrusa propellantur; quanto quidẽ facilior de nutrimẽti, quàm de spiritus instrumentis, exitus illis foras patet. Hîc enim ampli, largique meatus, per quos deorsum in procliue promptè excrementa ferantur: ibi per tussim necessaria reiectio, violentioris cuiusdam naturæ, molestæque. Veruntamen deorsum acta perquàm facilè descendent excrementa de pulmonibus in spiritus cohibitione, nulla abdominis musculorum contentione; magis, si ne septum quidem tendatur, tendantur autem thoracis tantùm musculi cum larynge. Atque ita in ventris inferioris capacitatem transferentur.

Contrà sursum agentur, si, non cohibito rectè prorsusque spiritu, ventris inferioris musculi validè cõstricti distendantur omnes, septo ipso nihil, aut parum intento. Tunc enim vehementi inferiorum partium tensione ea, repulsa, violenter ad superiora feruntur, nullo contrà renixu cedentia. Id scilicet fieri quotidie videre est in tibiarum inflatione, aut vociferatione maxima, acutissimaque. Ibi enim tum colli venæ, partesque circùm omnes sanguine replentur, turgescuntque flatu; facies ipsa rubicundior, tumidiórque, cum oculorum sæpe venulis, apparet, vt necessum sit rapi vnà eò excrementa, sursum tendentia, implerique his propterea caput. Quod neque in sola, quamlibet maxima expiratione, necessariò fit, in qua thoracis musculorum contentione vehementi foras liberè emittitur flatus, antequàm caput impetat: neque in exquisita spiritus cohibitione, vbi, quum nullus pateat illi per superna exitus, retrò pulsus agitur, ne in caput, capitisve partes feratur cum spiritu sanguis: mixtam esse oportet ex vtroque affectionem, in qua redundare in caput excrementa, sanguinémque, cum spiritu vnà, ac vaporibus, contingat. Igitur nec apertæ prorsus fauces, laryngisve omnem in partẽ latè reclusæ patebunt membranæ, nec nullus tamen omnino exitus in his vsquã reperietur. sic enim partim clausis, partim reclusis locis his, medio eo statu, quo nec foras, nec retrò propellitur totus, tanta, musculorum tot, contentione actus, superiora quoque petet spiritus; deuectóque eodem, aut pulso sanguine, vasa, partésque inde circunpositas tumefaciet egregiè. Quod non aliàs certiùs euenire solet, quàm quum aut clamorem edimus maximum, acutissimumque, aut tibias, taléve aliquid inflamus. Hæc cohibendi ita spiritus ratio nulli esse vsui medico potest, in parte quidem hac, post exercitium, recuratoria: in ea fortasse possit, in qua deferri alimentum in caput, vicinasq; circùm partes cupimus, aut quum fortè venarum in fronte, alióve inibi loco, incisionem moliemur. Quæ cùm alijs quibusdam, tum hac quoque non minùs perfici ratione queant. Contraria huic ratio, qua deorsum truduntur excrementa, commendabilis. Ac priore loco, quum laxis abdominis musculis, septóque, de thoracis capacitate, ac pulmonibus deorsum costalium musculorum tensione, abacta tendunt excrementa. Secundo, quum distento præter septum, thoracisque musculos, abdomine quoque ipso, etiam contenta sub septo viscera recuratorium vsum hunc sentient.

De frictionibus per fascias diuersis, varioq; illarum vsu.

CAPVT XV.

HVc pertinet fasciarum amentatarum vsus desitus iam prorsus, sed cuius tamen repręsentari hoc quoque tempore exemplũ ac specimen non inutiliter possit. Fasciæ erãt longitu-

gitudine latitudinem defricandorum corporum ęquantes, hocque paulò plùs, quarum vtrunque caput amento claudebatur: hinc ἅμματα dicta Græcis: per hæc ambabus manibus apprehensæ dextra læuaque, applicatæque corporibus, ducebantur à perfricante, qui medios arriperet, vtranque in partem, vicissitudinario brachiorum ductu, sic, vt si tractandum frictione esset pectus, ventérve, aut anterior quæuis corporis pars, iniecta in partem eam fascia, retrò auersus sisteret frictor, seu pædotriba: sin dorsum, partésve eæ, aduersus antè: à latere, si latus; si dextrum, sinistro; si sinistrum, dextro: si costæ, ex aduersa costarum parte, circumagente se quoque aliquo pacto, qui fricabatur, & modò fasciarum ductibus obsecundante, modò contrariam in partem vertente se, semper tamen simul in fasciarum tactum renitente, simul partium earum musculos contendente, quo fricandi ratio ea absolueretur meliùs. Circunsistere ita eodem tempore plures possunt fricandum, ex aduerso, à tergo, à lateribus; quorum diuersi summas, medias, infimas tractent partes. His fasciarum circunductibus, fricandique corporis motionibus, in omnem sese partem agentis, atque acriter musculos in eo per diuersa contendentis, nihil vsquam erit in corporis habitu toto, quod non expulsum foras proijciatur; accedente præsertim spiritus cohibitione, qualem suprà retulimus, in qua occluso penitus arteriæ capite larynge, vnà thoracis musculi, atque abdominis omnes, septumque simul transuersum, vehementer constricti, intenduntur. Nanque ita retentus spiritus, quum exitum per consueta non inueniat, compellentibus vndique musculis, meatibus sese indat, necesse est, quos inuenit; qui partim paulò latiores sunt, venarum, atque etiam arteriarum; partim angusti magis, inter mutuò sese tangentes musculorum superficies, horumque præterea substantiam, partim oculorum fide, partim rationis quoque indagine reperti: per quos actus fortiter spiritus, obstantia trudet excrementa, quasique offendicula, si qua antè occurrunt, præ se agens; simul autem ad latera posita secum violentia eadem verrens, trahet; maximè verò attenuatiora iam ab Exercitio facta; non, quæ crassitie, aut visciditate sua paulò tenaciùs meatuum lateribus hæreant. Sic artifices videmus, longum tibiarum, aut canalis alicuius, obstrictis omnibus alijs, foramen, ne qua exire flatus queat, sordibus, quæ fortè hæserint, vehemēti quantum possunt sufflatione repurgantes. Atque hæc sunt ἀποθεραπείας, quam, cum non indoctis quibusdam sanè, Latinè dicere Recuratoriam possimus, opera; hæ facultates, hi in vniuersum vsus. Nam quæ particulatim dici de hac debent, tunc meliùs, ac conuenientiùs afferentur, quum priuatim suos quibusque vsus, suas commoditates, non tantùm Recuratoriæ huiusce, verùm etiam Salubris totius partis, materiæ, quam nunc versamus, applicabimus: qui quidem ad finem operis, tanquam fructus vniuersæ tractationis, fauente Dei numine, reseruandus est.

IVLII



IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER SEPTIMVS.

De Balneis, quem temperata vsum exhibeant, qualiáque hæc habenda sint: Quid frigidæ, quid benè frigidæ, quid feruentis vsus faciat.

CAPVT I.



SEQVITVR, quoniam in parte Recuratoriæ hæc quoq; sunt, Balneorum explicatio, rei sanè inprimis implicatæ, si persequi ea nobis curæ sit: quæ quãquam extra rem omnino non sunt ipsa, hoc in negotio; vsum tamen medicum nõ magnoperè attingere videntur. Quæ balnei partes, locáve, aut vasa, instrumentáve veteribus essent, quibúsque hæc nominibus censerentur, eschara, aryballus, arytæna, mactra, schola, pyelos, oceanus, asaminthns, ὠά, lutris: iam balneorum ministri, mediastini, aliptæ, ciniflones, arcularij, alipili, pilicrepi, & id genus; quæri cum superioribus omnibus, ex authoribus Græcis, Latinisque, haud ita difficulter, possunt. Quod fecisse perquàm doctè nostri temporis eruditos quosdam, audio: simul artis Gymnasticæ cuncta, quæ ignorantur, ex veteribus diligenter eruta retulisse nobis. Illud partium nostrarum potiùs fuerit, quæ balneorum natura, horumque ipsorum quot in commune, tum deinde particulatim quoque magis differentiæ; quem ad vsum, commoditatemque inuenta hæc: quo tempore, qua ratione, modóve adhibenda, ac similia quæsiuisse. Cæterùm omnia ex natura balnei, benè priùs perspecta, diligenterq; examinata, pendet. Hac enim aperta, (vt in disputatione omni alia) vnà statim aperientur cuncta, ac patescent facilè.

Balnei natura (dulcis hoc loco aquæ balneum accipio) eadem ferè, quæ circumambientis nos aëris. vtroque enim afficiuntur corpora pariter quoquo modo. Balnei tamen vsus non vsque eò necessarius; aeris necessarius. Plus artificij in balneo, naturæ in ambiente: quanuis & hic artis, & ibi naturæ nonnihil. Nam & aerem, quum, quem volumus, non habemus, arte paramus nobis sæpe; & balneo vtimur natiua quidem qualitate sua prædito sæpe; sæpissimè autem quęsitæ, atque ascititiæ tẽperiei alicuius, calidioris paulò maiori ex parte, frigidioris interdum, interdum tepentis: est, quando etiam feruentis, quæ ζεσολουσία dicitur; omniũ autem inprimis temperatæ. Hæc porrò esse, nisi excalfacta, non potest. Naturæ enim suæ si relinquatur aqua, aut egelida erit, frigorisque nimij, ὕδωρ ἀτέραμνον, aut εἰληθερὲς, frigoris scilicet tepentis cuiusdam. Eiusmodi esse solet, quæ aliqua temporis mora Solis vim nonnullam passa est; frigida tamen adhuc, citraque temperamenti iusti metam. Nam vt temperata euadat, hoc verò illi subditi tantùm ignis beneficio acquiretur. Sic accipiendus Galeni locus in ὑγιεινοῖς. non enim aliter accipi, aut intelligi potest. ἐστὶ δὲ τῶν γλυκέων ὑδάτων θερμῶν ἡ δύναμις, εὐκράτων μὲν ὄντων, ὑγρὰ καὶ θερμά. est (inquit) dulcium aquarum calidarum facultas, temperatæ quidem si fuerint, calida atque humida. Calidas miremur dixisse vnà, ac temperatas: sed tu ex calfactas intellige, hoc est, ignis vi frigiditate sua exutas, vsq; eò vt temperiem acceperint. Paulò antè dixerat, πρῶτον ὁπόσα γλυκέων ὑδάτων ἐστὶ θερμαινόμενα, quæcunque aquæ dulces calefiunt. Harum facultas inprimis calefaciendi, humefaciendique: nimirum huiusmodi qualitate, quæ caloris humorisque sit temperatioris, & frigiditatis semper aquæ congenitæ, ac natiuæ respectu, rectè accipiatur.

Hoc per se à dulcis aquæ temperato lauacro fit, vti intimiùs, prorsusque intra substantiam acceptam sentiant caloris humorisque temperiem eam partes. Ipse enim sibi cutaneos meatus aperit calor, blandus, placidusque occurrens: tum longè latéque insinuatus, squalorem, quemcunque inuenit, demit, simulque contractam inde extemplò noxam aufert: vt sitim, quam diei æstus, labórve, aut puluis; breuiter, siccans nimis causa aliqua fecerit, nulla re alia tam facilè tolli solere experiamur sæpe,

pe, quàm dulcis aquæ humectatione; ſi præterea moderatus calor acceſſerit, cuius beneficio inuehi altiùs penitiſuq; adigi queat qualitatis aqueæ multum, nec ſanè ſubſtantiæ quoque parum. nam frigidior impedimento potiùs ſit conſtipatione. Humeſcunt igitur ex hoc primò per ſeque: humectæque attolluntur partes ſolidiores. At largior vſus etiam duras, tenſaſque emolliet: tum, ſi quid cutim prope excrementi, eliquamenti ve detentum hærebit, totum id diſcutere poterit. Proinde diſſipatione hac humoris, quo priùs diſtentæ turgebant, ſubſidunt partes, corruganturque. Diffunditur quippe primò, paulò magis perſeuerantis caloris illius opera, in ſpiritum abiens humor, vt partes eas, cutimque extendat: tum exitum quærens, diflatur: collapſæque ita concidunt cum cuti vnà, laxatæ inæqualiter, ob meatuum ac ſubſtantiæ diuerſitatem, partes. Hoc autem nihil, quàm ruga, aliud eſt, ducti videlicet ꝑ cutim variè, propter quod alię ſubſidunt, aliæ paulò magis eminent partes, ſulci quidam, liræque: nimirum Poëtæ frontem rugis arant, quum ſignificare hoc volunt. Vſqueadeò autem diflari exhalatæ humiditates hæ poſſunt, ac ſicceſcere, vt ſitis introducatur; contrarius is priori, quo ſitis ſedabatur, ex balneo effectus, ſecundariò, atque ex accidenti, nimio ſcilicet, aut inopportuno illius vſu, conciliatus.

Sed nunc de vſibus tantùm, in quibus & concoquendi & roborandi facultas numaretur. Etenim fotus caloris humoriſque temperie ea congenitus nobis calor, qui ipſe quoque temperie ea conſtat, cùm incrementum ſumit, tum fortiùs auctus agit. Augentur verò vires vel ex eo, quòd quum eæ ſpirituum reſolutione, ſolidiorumque partium intemperie potiſſimùm deijciantur; præſertim verò ex ſiccitate nimia, laboréve aliquo, aut puluere, aut inſolatione intempeſtiua, aut his ſimilibus contracta: vſu tunc balnei (eo enim in tempore potiſſimùm adhibetur) dum placidam quandam ſentiunt humoris temperati affuſionem, appulſumque membra, recreantur ſtatim, refocillatique vnà ſpiritus, ab intemperie priùs periclitantes, viuidiores facti vigent. Accedit materiæ plerunque biliosæ, per muſculorum ſubſtantiam diſperſæ, eorumque ſæpe ſinuoſis meatibus contentæ, exhalatio. vnde balnei poteſtate ea diſcuſſa bile velut exonerantur partes, intemperieque eius affectæ priùs, ex accidenti licèt, refrigeratæ, temperiem tamen accipiunt, atque ita roboris plurimum aſſumunt. Balnei hic vſus ac facultas temperatè excalfacti. Nam ex tepore potiùs quodam conſtantis alíus (Teporem appello, qualis eſſe ſolet aquæ inſolatæ aliquandiu, ἐληθερῆ, vt arbitror, καὶ χλιαρὸν θερμασίαν, vocant) qualitatis cuiuſdam, iam à temperata in paulò magis frigidam deſciſcentis primò fuerit: quam non ſanè rectè θερμασίαν appelles, (frigiditas enim eſt) ſicuti neque calidum rectè balneum, cuius ſuprà vires attulimus, temperatum verè quod ſit. Quapropter attentè videndum, ne quando æquiuocatio nos hæc fallat, qua nihilo tamen ſecius non in his ſolùm, de quibus in præſentia; ſed in omni propè vita, tanquàm recepta vtamur. Καὶ γὰρ τὸ συμμέτρως κεκραμμένον ὀνομάζομεν ἐνίοτε θερμὸν: ὥσπερ καὶ τὸ βαλανεῖον τὸ τοιοῦτον, καὶ τὸ πόμα. Commenſuratè, inquit Galenus, (De ſimpl. medic. facul. iij.) temperatum, calidum vocamus, vt balneum huiuſmodi, potumque, nempe temperata quæ ſint, ac calida tamen vocemus. Quod quidem tantùm non quotidie in rebus ſimilibus facimus: quippe Verni temporis, ac temperatiſſimi hominis Temperamentum, calorem vocamus: quum Temperiem deberemus. εἰ δὲ γε τοῖς ὀνόμασιν ἀκριβῶς ἐχρώμεθα, τὸ μὲν σύμμετρον οὐ θερμὸν, ἀλλ' εὔκρατον ἂν ἐκαλοῦμεν, ait, eadem operis in parte, Galenus. Si, inquit, vocabulis exquiſitè vteremur, commenſuratum non calidum, ſed temperatum, nimirũ id quod eſt, vocaremus. Docemur autem ibidem, quo pacto temperatam, quóve rurſus tepidam habeamus, his verbis: εἰ γοῦν τὸ ψυχρὸν ὕδωρ βουληθείης εὔκρατον ποιῆσαι, τὸ μὲν ἤδη μιγνύειν οὐ χρή. χλιαρὸν γὰρ οὕτως ἔσαι τὸ μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν. ἔρχεσθαι δὲ ἐπὶ τὸ ζέον προσήκει, καὶ τοῦτο μιγνύναι τῷ ψυχρῷ. Quòd ſi frigidam temperatam reddere volueris, temperata iam quæ fuerit, admiſcenda tibi non erit. ſic nanque tepidam efficies, ex vtraque commixtam. cæterùm ad feruentem deueniendum, frigidæque commiſcẽda ea. Ergo dulcis aquæ tepor meritò refrigerat, infra temperamentum, frigiditatem ſummam verſus, paulò iam conſtitutus. Quo propè modo roſaceum oleum refrigerare dicimus. Accidentaria autem refrigeratio minor in hac, quàm in verè temperata, æquiſque vtrinque ſummè calidæ, ſummeque frigidæ portionibus conſtantis. Ex hac enim, temperata dico, non modò extranei humores corporibus contenti, in vaporem ſoluti, diflari poſſunt: qui ſi calidi fuerint, refrigerabitur corpus; ſin frigidi, concaleſcet, vtrunq; ex accidenti quodam: (nam & illud ſecundariò temperati balnei vſum inſequitur, vt quoniã pitui-

tosum sæpe humorem concoquit, concalfacere hoc quoque pacto dicatur) nō hæc solùm, inquam, in hac eueniunt: verùm illud quoque, vt, si diutiùs quis in eiusmodi balneo perseueret, etiam refrigerationem eam sentiat, quę paulò magis immoderatam caloris innati difflationem sequatur: vnde animi sæpe deliquium. At ex tepidioris aquæ, quam iam ad frigiditatem quandam vergere ostendimus, balneo minùs hoc timendum; multoque adhuc minùs, ex benè frigidæ vsu. Quippe frigiditas, quæ euaporatos dissolui humores non sinit, eadem innati quoque caloris exhalationem prohibebit, plùs minùs omnino: at maior, semper magis. Omnibus tamē inest humectum faciendi vis, quamcunque eæ tandem caloris, aut frigoris facultatem obtineant, vt etiam feruens hoc idem effectum reddat, in partibus quidem illis, quas attingit, aut quò peruenire potest. Nā alioqui tam feruēs, quàm frigens nimis, diuersa quāuis ratione, vtraque adstringit, densatque cutim: quod quidem facit, ne altiùs se addere intus magis repositis partibus aquæ facultas ea valeat.

Quocirca, sicuti in temperata meatuum cutaneorum reclusione, quædam ex accidenti subsequebantur: ita hîc quoque eorum ipsorum adstrictionem quædam, sed contraria, comitabuntur: vt iam hoc loco, quę ψυχρολουσία quoq;, & ζεσολουσία efficere natæ sint, tradamus, hoc est, frigidæ, aut feruentis lauacrū. Frigidæ, per se primóq;, frigidū facit, (cui enim hoc dubium?) humectat simul: id quoque indubitatū. Sanè quò attingit aut substantia, aut facultate, (semper enim id audiendum) eadem calefaciet ex accidenti, intrò repulso calore, coactoque in vnum, ac propterea vehementiore facto. adstringit quippe cutim, ac densat. Vnde periclitantem exhalatione nimia natiui caloris substātiam reprimendo, vires nostras auget, tempestiueque adhibita, rarefacta, laxataque nimis, modicè densat, cogitque, ad naturalē deducta moderatamque constitutionem. Id quod firmandæ valetudini bonæ tutissimum; ne aut laxata nimis cutis imminentes extrinsecus noxas facilè recipiat; aut plùs iusto densata, sicuti periculo hoc foris aduenienti vacat, ita obnoxios morbis faciat, quorum ortus ab intrinseco. Eadem opera corpus totum, carnosaque musculorum substantia, tanquam sese frigidæ vsu recolligentia, robore suo mirum in modum firmantur. Hinc iam, & appetendi potentia maior, & concoquendi vis potior, minusque ad hæc sitis. Hæc paulò magis frigidæ lotionis opera, non tepidæ, non egelidæ prorsus, aut glacialis, quamque ex argumento ἀτέραμνον ὕδωρ vocant, quasi inuincibilis cruditatis. Tepida nanque si lauemur, vtique refrigerationem, atque humectionem sentiemus, qualem suprà diximus, commoda reliqua non sentiemus: quippe ea non magnopere reuocari intrò repercussus calor solet.

At glacialis illa, insuetos frigore nimio suo, velut percussos, ferit. Sed & huius tamen vsus aliquis, quum laxi adhuc meatus adstringi meliùs postulabunt: ferreque id, qui rei huc se committit, poterit, priorum dierum aliquot, paulò minùs frigidæ, donec ad summè frigidam deueniat, assuetudine. Nam antea, ne robustus quidem quisquam, in laxitate cutis nimia, innocuē ferat: quæ ferè Exercitationem quoque nimiam sequitur, vt quod τέλφον γυμνάσιον vocant; quo etiam tempore huiusce generis lauacri vsus venire solet. Periculum enim est, ne rarefactum nimis tunc, multoque inprimis exercitio euacuatum corpus, ingruenti ad intima vsq; noxæ pateat, quam frigiditas inuehit, solidioribus partibus, tenuibus iā factis, ac visceribus propè ipsis per aperta vndique occurrens. Tollitur id discriminis præcedente assuefactione ea, vt dixi, non vsque adeò egelidæ aquæ, qua simul veluti præparentur partes ferendo deinde meliùs gelidioris occursu, simul citra nocumentum laxitas nimia illa emendetur.

Contrà in valde calidioris aquæ lauatione effectus idem; noxa nulla, vel si attenuato ob exercitium nimium corpori, beneque laxis meatibus, adhibeatur. Inter initia quippe densatur hac quoque cutis, iuuaturque nō parum caloris inde reliquijs, tantum abest, vt obsit, qui metus in egelidę vsu fuerat. Atq; hoc ferè ζεσολουσίας opus, vtilitas hæc, quam aliquis, significationem Græcam sequutus, ebullitionē, aut efferuescētiam fortè accipiat. ζέω quidem illis, nobis ferueo est. At feruor ille non nisi agitata ignis vi aqua, concursuque sæpe bullarum fit. Sic enim feruet Poëtæ opus apum, quum multis modis irrequietæ operantur: & feruere ab eodē dicta maria, quæ fluctibus diuersis agitata spumescūt. Atqui hæc significatio si recipiatur in ζεσολουσίᾳ, quis non videt ferueuti aqua mersos, efferendos potiùs de balneo, morti proximos fore, excitatis per totum vesicis, quas excitare eiusmodi feruēs aqua soleat; quàm vt vtilitatis inde aliquid reportent? Sed sic deputemus hîc feruorem aquæ dictum, vt calorem, teporemque suprà: vbi caloris nomine, Temperamentum iustum; teporis autem, frigiditatem potiùs quādam notari debere admonebamus. sic hîc pro feruēti, benè calidam accipiemus, at cuius tamen

sen-

ſenſuri vtilitatem ſimus: tum qua veluti igneſcat cutis, quam Theon ἐπιφάνειαν appellâſſe viſus eſt, nempe exteriorem eius partem. πυρoῦσα, inquit, τὴν ἐπιφάνειαν, vt vis quidem ignis percipiatur, vel potiùs percipi tum incipiat. Sanè inchoatiuũ eſt, igneſco, nondum tamẽ vratur. id enim καίεσθαι eſt. Exuſtio, ambuſtio, καυστικόν: hoc πυροῦσθαι, igneam vim ſentire, non exuri autem. In hanc quoq; ſententiam Galenus, quum de ζεσολουσία, λούειν, inquit, θερμοτέρῳ τοῦ συνήθους, & λούειν θερμοτέρῳ τοῦ συμμέτρου: vti, iuxta hunc authorem, excedentem Temperamentum calidam, pro ζεσολουσίᾳ habituri ſimus.

Et quoniam non parum facere ad tractatum hunc videtur, ſemel, quid ſtatuendum in his ſit, expoſuiſſe, eſtque dicendi de his locus non inconueniens: illud quod effici ex diſputatis iam poteſt, breuiſſimè colligimus, temperatum balneum, ſiue lauationẽ, ex ſummè calida, necdum tamen vrente, bullaſque excitante, ſummeque frigida componi. Ac feruentem quidem, hoc eſt, ſummè, vt diximus, calidam, quæ eſſe ſumma, in aquæ ſubſtãtia, caliditas poteſt, ad hoc accipimus; nondum autem efferuendi æſtu illo exultantem. Propterea quòd, ad conflandum rectè Temperamentum, præter æquas vtrinque portiones, etiam qualitatis in vtraq; æqualiter intenſus quærẽdus gradus eſt, duntaxat vt ęqua etiamnum reſtet. Atqui in ea ad ſummum deueniri frigiditatis licet, quæ propria illi natura eſt: ad ſummum autem caliditatis non peræquè, cum eo quidem, vt adhuc aqua perſtet. Hęc enim meta illi ſtatuta eſt, vt, quum primùm ad efferuentiã illam peruenerit, ignem ſtatim concipiat, quaſique aqua eſſe deſinat: itaque ignis opera quoq; edit. Quòd ſi vlteriùs ignis vi vrgeatur; extemplo euaporata in proximũ aerem, mutata natura, abit. Sic fit vti, non ab ratione, Temperamentum balneo concilietur ex ſummè frigida, ſummeq; calida; minimè verò ebulliẽti, quo iã diximus modo quæſitum. At nihilo ſecius idem ex modicè frigida, modiceque calida, intra ſummarum illarum qualitatum, temperatæque limites, modò exceſſus à Temperamento idem vtrobique ſeruetur, confiet, vt temperata euadat. Huius porrò Temperamenti vſus, qualem ſuprà diximus, erit, calfaciẽdi, humectandique, vtrunque moderatè, rarefaciendi, diſcutiendi, concoquendi, corroborandi; frigidum ex accidenti faciendi, quædamque alia. Frigidæ verò ad extremum, vt puta glacialis, aut niuoſæ vſu, adſtrictio, ac denſatio cutis inſignis expectabitur. Eodemque pacto refrigeratio per ſe, ac primò; tum deinde ex accidenti caloris ad intima reuocatio, quæque hæc ſequũtur. In paulò minùs frigida, ſicuti minora, ita tutiora omnia. Ex hac, & temperata, tepidam fieri diximus: cuius vſus erit, quum minor quæreretur refrigeratio, atque in reliquis mediocritatẽ ſequemur quandam. Iam ex altera parte, qua ad ſummam calidatem via eſt, occurret tepidæ ex aduerſo oppoſita temperatæ, feruefcentisq; illius, qualem ſuprà feruorem diximus, mixtura conſtans: calidam ſic ſimpliciter appellâſſe liceat. Poſt quã in vltimo ſummè calens ſtatuatur: eandem ſanè dicamus feruentem, ferueſcentémve, modò non bullitione commotam intelligamus. Nam id quum fit, bullaſque primùm edere incipit, iam tum, vti dicebamus, ignis quidam accedit. Bullantem aquam apud Authores quoſdam legas. Vtriuſque opus, ſummè inquam calidæ, ferueſcentisque, ſed non bullantis illius calidæque; feruentis nimirum, temperatæque in medio poſitæ, contrahere, & adſtringere meatus, ac denſare, caloremque partibus addere. Denſant autem, adſtringuntque: longeque magis feruens vel ea ratione hoc faciet, quòd, vt & in egelidæ, ſic in calidæ quoque aut feruentis affuſione, aut lauatione, natiuus calor, qui molis totius corporeæ ambitum occupabat, contrariæ, eoque triſtioris rei impetum formidans, interiùs refugit, ac veluti hoſtili inſultui (dictata ea naturæ ſunt) claudũtur portæ, denſatis, adſtrictisque cutis meatibus, ſicuti è diuerſo temperati balnei qualitatem cognatam, amicamque, vltrò occurrẽs excipit, ſeſeque explicat, ac totum vbiq; effundit, vt apertis vndique vijs intromiſſa fruatur.

Atque hæ ferè ſunt ſummæ quædã balnei differentiæ, harumque vnà, quas præſtare ſolitæ ſint, facultates. Nam aliæ quoque excogitari poſſunt harum ipſarũ interualla occupantes quædam, quemadmodum fit in re omni, quæ magis, minúsve ſuſcipiat. vt híc tepentem inter & egelidam media conſiſtet alia, quæ minùs quidem quàm egelida; magis verò, quàm tepens, frigida ſit: egelida autem ſicuti minùs frigeat, ita plùs quoq; tepeat. Idemq; in alijs item obſeruari interuallis poterit.

Examinata Auicennæ ſententia de refrigerandi poteſtate, quam calidæ balneum exhibeat.

CAP. II.



VEra'ne igitur eſſe concedemus, quæ de his Auicẽnas, calidi balnei vſum paulò magis protractum frigidum facere, ſcribit? Nos quidem quoq; idem hoc fatebimur ex Galeno,

no, idque caloris natiui deperditione, ex longiore balnei mora exhalantis contingere, asseruabimus. At ille è diuerso, nescio quid cōminiscens, ob id euenire hoc autumat, quòd calida quantumuis aqua, quum accidentarium calorem eum obtineat, ideoque retinere haud diu queat, amisso eo, naturam statim induat rursus frigiditatis propriam, qua frigefiant necessariò membra. Simul ait; seu frigida, seu calida ea fuerit, humefacere semper aquā fateamur necessum est. Atqui multa humefactio illa calorem obruere, atq; extinguere consueuit, vel sola: quo propè modo, liberali calidæ affusione restingui etiam ignem scimus: vel cum frigiditate, geminata ita duplicis, cōtrariæque calori, qualitatis repugnantia. Minimè verò censendū ita esse videtur. Ac verum quidem illud fuerit, aquam, sicuti multa prætereà alia, suapte natura frigidā aduentitium calorem exuere, recuperata frigiditate, solere; quæ si maneat, necessariò frigefaciat. Sic quidē perijsse quosdam haustu cicutæ legimus inter escas deuoratæ, quæ calidæ apponi mensis solent. Exerit enim pòst paulò, abiecto calore, frigiditatis naturalē vim suam, qua interimit. At calida lauari dicimur tantisper, dum calida perstat, deque huius facultate sermo est, antequàm frigefiat. Nam tunc, quū frigefacta fuerit, alius illius vsus, facultas alia. Non igitur restat, quum frigiditatem acquisierit, calidæ vsus vllus. Ita ne frigefaciet quidem, hac certè de causa, qua calida. Etenim si, quatenus cutaneos meatus ingressa, quousque refrixerit, remanens, hoc præstat; refrigerabit illa quidem quoque quas attinget partes: cæterùm id, quod Author ille contendere velle videtur, calidæ nullo pacto, neque per se, neq; verò per accidens, opus fuerit, sed sua sibique propria iam frigiditatis qualitate frigefacientis aquæ, minimè omnium tunc adducenda, quum calidæ facultates afferimus in medium. De humectatione autem quod dicūt, quis, modò non structuræ corporeę imperitissimus, vereatur, ne quando balnei vsu, cutis meatus, visum quoque nostrū effugientes, substantiæ humidæ tantum ingrediatur, calor vt inde natiuus vlla ex parte interstingui periclitetur? Fortasse autem verendum id nobis magis sit, ingesta per os calida, ne, deposita tandem præternaturali caliditate, ac naturali frigiditate recepta, feriantur inde viscera. Veruntamen neque hęc manere in intestinis diu potest, natiua grauitate sua, priusquā frigescat, deiecta, tot præsertim ambientibus illam tunc, in quibus maxima naturalis caloris insit semper copia, visceribus. Et vt frigescat inibi tandem; nunquam tamen eò frigiditatis perueniet, ob substantiæ tenuitatem, propter quam aliquid semper à caloris vi nostri per totum patiens aliquatenus concalescat necesse est, vt ex eius frigiditate nocumentum propterea visceribus inferatur ingens vllum: nisi si tamen in insigniter debilem, pauciq; caloris ventriculum, incidat. Nam tunc vel quæ alendo egregiè sint, calida priùs ingesta, frigida sæpe vomitu reiecta fuisse visa sunt: & in destitutis calore suo visceribus, vt quum aliàs nōnunquam, tū cursu, aut qua exercitatione nimia alia æstuantibus, delato foras calore euenit, haustū frigidæ lethalē esse, notum omnibus. At id de balnei vsu quis vnquam meritò suspicabitur? Hæc ob id allata, ne fortè existimaremus de Auicennæ sententia, calidum, ob excogitatas ab authore eodē causas, refrigerare posse. Atq; hactenus duo lauationum genera, illarumq; vnà facultates tradidimus; calidę ac frigidę: quoque inde modo cùm per se primòque, tum ex accidenti, ac secundariò incalescant, refrigerentúrve partes: vtriusq; autem vsu perpetuò humefiant intus quidem, suaque in substantia, quum contrà sæpe consumptis excrementitijs quibusdā succis, sinus, cauitatesque circùm occupantibus, siccescere videantur.

De balneorum locis, partibus, facultatibus, nominibus, ex veteribus.

CAPVT III.

SVnt hæ partes balnei totius secunda, tertiaque, quæ rectiùs lauationis, aut lauacri, quā balnei, quod cōmune partibus omnibus sit, nomine appellentur. ὅπερ ἦν αὐτὸ τὸ κυριώτατον προσαγορευόμενον λουτρόν. cuius, ait Galenus (Therap. x.) omnium maximè propriū vocabulum sit λουτρὸν, lauacrum scilicet, siue lotio, quū de calidæ balneo scriberet, quæ secūda est illi balnei totius pars. Secum aūt trahere ad idē vocis significatū facilè possit tertiam, quę frigidę lauatione constat. Sed sicuti in multis, ita hîc quoq; vniuersæ rei nomen, præcipuæ, potissimæq; accommodatum parti, legimus. Quatuor enim in vniuersum habentur. εἰσελθόντες μὲν γὰρ ὁμιλοῦσιν ἀέρι θερμῷ, μετὰ δὲ ταῦτα εἰς ὕδωρ εἰσιᾶσι θερμόν, εἶτ᾽ ἐξελθόντες εἰς ψυχρόν, εἶτ᾽ ἀπομάττονται τὸν ἱδρῶτα. Secūda ac tertia, aquę, sed alterius calidæ, alterius frigidæ, quarū vsum retulimus; prima ac quarta, aëris vtrobiq; calidi, partes sunt. Quæ qualitas licèt in prima tātùm expressa scripto sit à Galeno, in quarta quoq; tacita quanuis; apparet tamē. vbi nanque detergitur sudor, ibi aërem calere,

ad id meliùs efficiendum, minimè certè frigere, opus ſit. Attemperabantur hæc ad vſum, quemadmodũ lauatio quoq;, vt calido, temperatóve, aut frigido, pro eo, ac exigere vſus tum videbatur, aëre vterentur.

Tria autem conſtituiſſe loca, ſiue domicilia, videtur Galenus aëris, (balnei οἴκους appellat) loco virtuteq; diſtincta. ἔςω δὲ ὁ μέσος οἶκος οὐ μόνον τῇ θέσει μέσος, ἀλλὰ καὶ τῇ κράσει, τοσούτῳ τοῦ πρώτου θερμότερος, ὅσῳ τοῦ τρίτου ψυχρότερος. Sit, inquit, medius locus nõ modò ſitu, verùm etiã temperamento medius, quo calidior primo, eo tertio frigidior. Primus enim pro ἀποδυτηρίῳ erat, in quo exuerent ſe, & quem haberi ideo modicè calidum oportebat, quaſi tepidarium. εἰ μὲν οὖν αὐτάρκως εἴη θερμὸς ὁ πρῶτος οἶκος, ἐν αὐτῷ γυμνωθεὶς ὁ κάμνων. ibi exutis egreſſus inde dabatur ad ſecũdum, aëre inibi variè, pro vſu, ſubdito inferiori ex parte igne, excalfacto, quę ὑποκαῦσα erãt. Quòd ſi humiditatis prætereà aliquid aëri quæreretur; effuſa id largiùs de ſolio, ſic vt præterfluere loca omnia poſſet, temperati caloris aqua, aſſequebantur. ἔςαι δὲ τοῦτο προεγχυθέντος ὕδατος εὐκράτου δαψιλῶς ἐκ τῆς δεξαμενῆς, ὡς διαῤῥυῆναι διὰ πάντων τῶν οἴκων. Erit autem id, (inquit) nimirum modicè humidus aer, ſi talia fiant. Hic erat primæ balnei totius partis ſecundus locus, (primum enim occupabat ἀποδυτήριον) balnei verò totius prima hęc aëris vniuerſa tẽperamento cõſtabat pars, & Laconicum dixêre: cuius facultates erant, calfacere per totũ corpora poſſe. Induit enim ſe vndiq; in corpus caliditate ſua aer, non minùs inſpiratu, quàm apertis cutis meatibus attractus. [Materias fundere:] id ſcilicet extrinſecis quoq; in rebus calidius cœlum facit, quo craſſeſcentia humida liqueſcant. [inæqualitates ęquabiles reddere:] quippe his ipſis humiditatibus liquatis, fuſiſque per omnia, tolletur, ſi quid duri aſperive extat. hoc enim inæqualitas eſt. Exæquat autem humor cuncta, ſi quicquã ſimul aëreę qualitatis illius temperamento, quę ſeſe per omnia indit, idẽ cõtinget. [rarefacere cutim:] hoc quidẽ ante omnia facit tenuitate ſubſtãtiæ, gratoq; ac placido appulſu, quẽ minimè refugiat cutis, quin expanſam ſeſe potiùs aperit recipiendo eo. [multa, quæ priùs cuti ſubdita continebantur, euacuare:] apertis quippe meatibus id fit, contentorumq; craſſitie attenuata, locoq; motis his, dempta viſciditate, qua hærebãt, ac diflabilibus factis. Hę primæ, vt dixi, aëreæ partis vires, ſecundo huius ipſius loco adſcriptæ, in quo ciniflones, pilicrepi, alipili, aliptæ. Prioris enim loci, τοῦ πρώτου οἴκου, primiq; ad balneum ingreſſus, & ἀποδυτηρίου tantùm, arcularij erant, & huiuſmodi. Poſt quem ſtatim ſecundus ille, ſed qui ex prima balnei parte numeraretur.

Tertius occurrebat ſecundo calentior, in quo reliqua peragerẽtur. Nam & calida, & frigida lauabãt; ſudorq; demum abſtergebatur: niſi reditu id ad ſecundum locum fieri ſolitũ exiſtimemus. Sed ibi, tertio dico in loco, ſeu domicilio, mactræ inerant, aſaminthi, oceanus, oalutris, δεξαμεναὶ, κολυμβῆθρα, πύελοι, ſoliorum nomina, quibus innatarent: κολυμβήθρα maioris, minoris πύελος. καὶ διὰ τοῦτο καὶ αἱ κολυμβῆθραι βελτίους εἰσὶ τῶν μικρῶν πυέλων. paruis pyelis, colymbethræ potiores, inquit, nẽpe grãdiores, vt in quibus diutiùs perſeuerare lauãdo, natandoq; poſſent; ſed ſeorſum, ſolique. Nã quò plures conueniunt, promiſcuè lauatum, oceanus, vt opinor, veteribus dicebatur. Ita tres erũt in vniuerſum loci, ſeu domus, ſeu habitatiões, ſeu domicilia: partes verò balnei quatuor; illa ſitus poſitionisq;, hæc poteſtatũ nomina. Nanq; in tertij domicilij loco lauari etiam ſolitos oſtendimus, calida primùm, tum & frigida. quæ duæ numerabantur partes, priores duas inſequutæ, qua exuerẽtur ingreſſuri balneum, nihil aliud, & qua aëris beneficio vſus illos reportarẽt, quos ex Galeno attulimus; tum etiam ſudarent, quaſi ſudatoriam diceremus, vnaque deinde abſterſione demeretur ſudor.

Vel, ſi Galenũ ſequi maluerimus, quod in idẽ tamen, aut non multùm certè diuerſum recidet, tria itidem conſtituemus, diuerſis locis, poſituque, & diuerſo aeris temperamẽto domicilia: calidi ad ſe exuẽdum ſatis primum: paulò magis hoc ipſo calidi ſecũdum: caliditate verò priora duo ſuperantis tertiũ. Hæc erũt domicilia, locaque. Partes verò, quoniam apud Authorẽ hũc ex vſibus, quos præſtant, trahuntur, primi nullæ erũt, quia vſus nullus. Itaq; relinquetur locus ille, quãtum quidem ad hoc attinet, vacuus, ſpoliantibus ſe tantùm accommodus. Secundi autem duę fuerint partes: quæ vſus illos tot exhibebat materias fundendi, exæquandi humoris, rarefaciendæ cutis, & reliquos: & quæ ſudorem, ſudorisq; abſterſionem largiebatur. Tertij item duæ, calidæ primùm, tum deinde frigidæ etiã lauacrũ. Quòd ſi cui libeat, tertio huic ſudoris quoq; ipſius deterſionẽ adſcripſiſſe, vt, poſt exitũ ex ſolio, inibi, eodemque in domicilio ſudor illis abſtergeretur, ne ad ſecundum redire cogerentur: quamobrem id quoq; exiſtimari rectè ſatis nõ poſſit, meo quidem iudicio, nihil obſtiterit.

Erat præter hæc locus tribus illis balnei additus, in quo, quæ circa ægrum facienda reliqua erant, fiebãt omnia, cibumq; ibi capiebat, ac victus ratio omnis, quæ cibo potuq; non cõtinetur, ſolis adminiſtrabatur. hoc enim verè eſt διαιτᾶσθαι. Diximus (ſeptimo

ptimo horum commentariorum libro, ait
ipſe) coniunctũ eſſe oportere locũ balneo,
τὸν οἶκον ἐζεῦθαι χρῆναι τῷ βαλανείῳ. Verba ſepti-
mi: οἴκημα μὲν αὐτῷ παρεσκευασάμην ἐγγυτάτω
τοῦ βαλανείου, (τοιαῦτα δὲ ἐστὶν, ὡς οἶσθα, πολλὰ κα-
τὰ τὰς τῶν πλουσίων οἰκίας) ἐξ αὐτοῦ δ' εὐθέως ἕωθεν
εἰς τὸ βαλανεῖον εἰσφερόμην ἐπὶ σινδόνων. Habitacu
lũ paraui ipſi proximũ balneo, cuiuſmodi
non ignoras multa haberi in diuitũ domi-
bus, ex illo manè extẽplò deferebã linteis
in balneum. Sciri vt poſſit, non veniſſe in
balnei ſuperioris vſum, domiciliũ hoc, ſeu
cœnaculum ad id inprimis quęſitũ, ne lon-
giore ad balneum via (vt is intereà tamen
deferretur) conciderẽt ęgroti vires; ſicuti
in hecticis, iamq; maraſmum ſentientibus,
quiq; ſumma illa ventriculi ſiccitate labo-
rant, vſu ſæpe venire ſolet. Qui ipſi altera
tantùm balnei parte vtebãtur, nempe tem-
peratè calida, quod λουτρὸν, i. lauatio erat:
balnei autem aere non vterentur. οὐ γὰρ δὴ
τοῦ ἀέρος ἐπὶ τῶν οὕτως ἐχόντων χρῄζομεν. Neque
enim, ait, (Therap. vij.) indigemus aeris in
his, qui ſic ſe habent, videlicet ſiccitate tan-
tùm affectis. nam nec frigida; vt in hecticis,
quibus vtiliter balnei partes omnes adhi-
bentur, ſed ad illorum tamen vſum attem-
peratæ. Hæc colligi paucula potuerũt à me
de balneorũ facultatibus, locisq; illorũ, ac
partibus; maximè verò calida frigidaque.
Nam quæ aeris in illis vires attingunt, par-
tes, ex aliò meliùs ſpectare poſſe videntur,
ad Tractationem de Aëre. Sit tamen de his
hîc quoque in hunc modum, quod ſatis
ſit, dictum.

Recitatæ de Thermarum caliditatis cauſis opiniones variæ, atque eædem refutatæ.

CAP. IIII.

HVc delati, quoniam af-
finia hæc inter ſe, (bal-
neorũ enim nomine
ſignificãtur omnia) de
ſponte quoq; naſcẽti-
bus aquis adijciamus
Tractationi ſuperio-
ri. Medicata omnium
vis; Thermas peculiariter appellant voce
Græca: (incaleſcunt enim ferè, vnde & Θερ-
μόπυλαι ad fontes hoſce locus, & Thermæ
oppidum, & Thermaicus ſinus) Balneas
etiam, & balnea, vt ipſa præ alijs nõ imme-
ritò proprium ſibi facere vocabulum hoc
poſſint, ſiquidẽ exiſtimãrim᷒ βαλανεῖον inde
dictum, ab abigendis moleſtijs de corpore,
& faſtidijs. βάλλει γὰρ, καὶ ἀποβάλλει τὰς ἀνίας.
Itaq; tantus iam illorũ vſus in omni Medi-
cinæ parte, qua ſanamus, qua precauemus,
aut ſanitatem tuemur, qua reficimus; vti in
his, in quibus parum quacunq; alia artificij
ra tione promouemus, aut nihil etiã profi-
cimus, pro ſacra, extremaq; hæc ipſa ſæpe
anchora iaciantur. Sacra, dico, nõ à ſulfu-
re, aut fulmine, rebus minimè ſacris, quan-
quam hoc cenſuerit Ariſtoteles, (Problem.
Sec. xxiiij.) Author tantus. quid enim ſacri
in his? niſi ſi tamẽ execrationẽ accipiamus,
vt auri ſacrã appellauit famem Poeta. Sed
propterea dico, quòd ſæpenumero ſola
hęc aliorũ omnium vicem præſtitiſſe viſa
ſunt, perſanatis multis ab initio, nullo re-
medij alterius vllius vſu: ſępe quidẽ ab alijs
multis, multimodeq; quæſitũ pri᷒ fruſtra,
ſola hęc demum exhibuerunt auxiliũ, hoc
eſt, remedio fuerunt certo medicamenta.
Porrò aũt hęc ipſa balnea, Deorũ manus,
iuxta Herophili ſententiam, dubio procul
omni ſacræ, vicem tam ſæpe feliciter quæ
præſtent, cur non, vel ob id inprimis, ſacra
dicemus, vt quorũ perfugio plerunque in
morborũ deſperatione, poſt tentata incaſ-
ſum multa vtamur, tunc ferè, quũ ad vota,
ad Deos confugimus? Cuncta penè metalli
alicuius, per quorũ illis venas tranſitus, ſa-
porem, aut odorem, ſępe etiã vtrũque, re-
ferũt: vt omnes propemodum fontes per-
colatu terrarum, vnde ſcaturiunt, ſapiunt
aliquid, niſi fortè ſcaturigini terreni tem-
peramentum ſubſit, aut glarea, aut arena,
aut ſabulũ, aut ſaxũ, nihil, aut omnino pa-
rum, quodq; ideo ſenſum lateat, aquæ, aut
odoris, aut ſaporis addẽs: hæc optima cen-
ſetur. Aliæ, cuiuſmodicunq; fuerint, facul
tatem ſemper retinebunt naturæ, cuius in
illis indicia oſtendentur. Sunt enim quæ a-
ceti, quæ vini, quæ olei, quę lactis ſaporem
oſtendant; ſunt dulces, ſunt acres, ſunt
pingues, ſunt ſalſæ, pręter exqualem illam,
optimam quam diximus, omnes medicatæ,
atq; vnà frigidæ quoq; habentur nõnullę;
vt tam in frigidis, quàm in calidis, vtriuſq;
medicatæ, non medicatę facultatis veſtigia
omnino quædam reperiantur. Non enim
deſunt, multis diuerſiſq; in regionibus, lo-
ca fontium à prima ſtatim ſcaturigine cali-
dorũ, qui ſine ſapore vllo, aut odore, atq;
ideo ſine noxa omni bibantur, qualitatis
omnis, præter caliditatem vnam illam, ex-
pertes, vt frigefacta illorum met aqua con-
tinuò eſſe potui poſſit in ſanitate: quod in
medicatis minimè verò liceat. Rurſus non
paucas benè frigidas ſcimus erũpentes, me-
dicatarum virium, atq; huiuſmodi multa,
quæ valde videri mira poſſint philoſo-
phantibus ſuper re hac, ſi hactenus tradi-
tas caloris fontium cauſas ſequendas nobis
eſſe exiſtimãrimus.

Mitto exploſas iam antiquorũ quorun-
dam, atq; etiã antiquatas opiniones: recen-
tiorũ dico de his ſcribentiũ ſententiã. Quã
tamẽ hi ipſi, ab Empedocle potiùs olim il-
lo, tanto ante ſecula noſtra tempore, inue-

ctam, rationibus quibusdam firmare voluisse renouatam tãtummodo videntur. Sanè (quoniam nõ sic institutus nobis est rerum harum tractatus, vt non excursione aliquando in his quadã vti licere nobis arbitremur; nec allata hactenus à quoquam super his placent, estq; quod experiri possimus) percurramus priùs non solùm τὰς ἀρχαίους, verùm etiam alias πάνυ ἀρχαίως, nimirum ineptè, & inconcinnè prolatas, de his, sententias.

Nam cui, quęso, verisimile esse videatur, Solem ipsum caloris eiusmodi, quo sæpe intantum feruere scaturientes aquas quasdã videmus, vt depilari porcos, deplumari aues, reseratis meatibus, resolutaq; pennarum setarumq; cõpage, qua radicitus priùs hærebant, durari oua experiamur; esse authorẽ posse? quo perueniet caloris vis eius ad profundos terræ hiatus? quem resolui in superficie ferè, tellurisq; ipsius propè in corio, certè, vel æstuãtissimo tempore, passus spatium vltra non magnopere agi, scimus: prẹsertim, vt cum Lucretio dicamus, quum vix possit

per septa domorum
Insinuare suum radijs ardentibus æstum.

Nos facilè satis humili ædium nostrarũ in parte æstate, aut cellis vinarijs, neq; his tamen altè nimis effossis, Solis æstus excludimus. At Troglodytæ cauernis, speluncisque, quas sibi altiores fortasse ad vsum hũc excauatas fabricant, maximorum calorum iniurias vitant, quæsito frigore, fugiente tum maximè infestos Solis radios, euictoque, ac sese intra penetralia terrę occultante. qui locus maximè calidorum fontium est. Ergo æstate non quærẽdus nobis calor subterraneus, quem quidẽ efficere Sol possit: contrarium potiùs frigus reperiemus, aduersante sibi calore repercussum, retroq; cedẽs: nisi sum̃is terræ fortasse in spatijs hęrere à Sole calores arbitremur, id q̃dẽ vere. At in his fontiũ ipsorũ quorũcunq; tãdem caput atq; origo cõsistere haud ferè solet, altiùs enim semper descendunt. Fortè hyeme id fieri posse concedemus, fugato tum, abdenteq; se, ambiẽtis frigoris victoria, interaneo, intrinsecoq; terræ calore, in viscera eius. Et verum est, reuocatur enim intrò, seu refugit potiùs calor: at nec tantus, vt efferuentiam facere tam abundè exundantis calidæ possit: & quũ tam hyeme, quàm æstate; autumno tam, quàm vere, idem, aut nõ dissimilis admodum, perstet aquarum, locis ijsdem, feruor: quærẽda alia omnino causa, quàm quòd eam in Solẽ referamus, quo omnino (negari enim nõ potest) tum caloris vis aliqua in summo addatur terræ æstate, tum frigoris hyeme, propter absentiã, ex priuatiua (vt aiunt) causa. Sed quoniam effectus, quos Sol hac ratione producit, diuersis temporibus variant; perstat autem fontium horum eadem, eodemque ꝓpè semper modo, qualitas, vt æstate fortasse valitura sit ratio, quam minimè valere demonstrauimus: hyeme profectò, alienísve anni temporibus, non valebit.

Inquirendum ergo vlteriùs. Quòd si, quemadmodum hîc cultas habitari terras, ibi aquis obrui, atq; alibi montes existere, & conualles, alibi in planitiem extendi campos, tamq; varia vbique, cuncta verò ad vsus facta humanos videmus; ita hîc quoq; contendant, beneficio hoc naturę factum, idq; à Solis vi, vt balneorũ ita vsus orbi toti distribueretur: sanè agnoscemus Diuinam prouidẽtiam, adijciemus autem & sydera: neque aduersabimur magnopere, nos, nostraq;, diuersis cœli partibus subijci, vnde multipliciter terris sterilitatis, fœcunditatis, procreandorũ metallorum, horũ ipsorum fontiũ, multorumq; pręterea aliorum eliciendorum semina, cœlitus instillentur quædam, consultum vt ita partibus omnibus esset. Cæterùm hanc non solius Solis vim, neq; verò eiusmodi esse dicemus, qua calor priuatim, aut frigus inuehatur rebus, quod Sol præstet: sed qua in vniuersum inferioris huiusce mundi necessitati, ex summa Dei Opt. Max. prouidentia, cõsulatur: quãdoquidem nulla propè sint toto terrarũ orbe loca, quæ ob tam varios situs diuersissimam sentiunt caloris, frigorísve, ex Sole vim, in quibus nõ fontes emanent calidi aliqui. id quod futurum non erat, siquidem Soli tantummodo vires hasce tribueremus. Quocirca minimè de prouidentia dubij, causam quæremus, qua hãc ipsam prouidẽtiam vsam, tot diuersarum regionum locis beneficia hæc distribuisse, arbitremur.

Num igitur agitato (nam & hoc prodidêre aliqui) ijsdẽ, quibus aqua continetur, cauernis vento, calefient ea? Aristotelicum illud (Phys. iiij.) quadrat, εὐηθικώτερον τὸ εἰρημένον, ἢ ὥστε περὶ αὐτοῦ τὰ ἀδύνατα ἐπισκοπεῖν. Quę enim agitatio venti vel in rebus extrinsecis excalfacere aquam potest, nisi aliunde caloris causa accedat?

Similior veri opinatio, quæ calcis viuæ exemplum affert. Vtique viuæ calci addita aqua feruere cõspicitur. Aiunt ad eundem modũ calidas percipi aquas, quibus transitus per illam ad nos fuerit. Sed vbinã calx vnquam viua subterranea visa, aut alicubi effossa? Simile aliquid possit: at quod vires easdem referat, vix crediderim. Sed vt sit: quę tandẽ calcis materies sufficere tam longi temporis feruori poterit? Semel absumptam, aut dilutione cõtinua extinctã, quis ignis rediuiuam nobis faciet, vt calorẽ reddat?

dat? Itaq; exemplum quidem afferunt, non animaduersa diuersitate: quoniam ibi calx nulla, sed nec calcis simile quicquam, viuæ dico, cuiusmodi nos volumus, quæq; ignis semina adustione retineat.

Quid si igitur sulphur adducamus pro causa, cuius natura, quæcunq; aqua interlabetur, deuehat secum necessum est, demptum de substantia illius, facultatis omnino aliquid. Sed hoc pro saporis tantùm, odorisq; argumento admittemus certissimo, quos non modò sulphuris, sed etiam metallorum, metallicorumque multorum apertè medicatis inesse aquis sensu percipimus. percolatione enim id fit, de Philosophorum sententia. Verùm vnde, quæso, calor? quod hoc loco quærimus. vnde ebullientis, bullantisque etiam sæpe aquæ ignea illa efferuescentia? Facilimè, inquiunt. habet enim sulphur inflammabilē facilè materiam. Verissimum. sed à quo? à præterfluenténe aqua? à qua ne feruida quidem iam quæ influat, accendi sulphur soleat: tanto minùs à frigida. Experiare vtrunque, & fatebere. Nam nec calidæ, nec frigidæ immissum, aut etiam infriatum, ignem vnquam concipiet, vt interim agitatione multa cómoueatur sulphur. Deinde in benè sulphuratis fontibus vnà ac frigidis, quos referre non paucos possemus, quid causę habebimus, quamobrem eadem in materia, fluxuque aquæ eodem, eandem ignis vim non sentiamus? Videtur ignem omnino oportere esse, qui effectum hoc reddat. Verùm vbi is? cum aquáne? Extinguetur ergo. Nam bitumē, materiáve aliqua bituminosa, ferre fortassis tantum, tamque diu, aquarum commercium possit: sulphurea, aut alterius cuiusuis metallici, non possit. At maxima calidorū fontium pars sulfureorum, non bituminosorum est. Cómunem igitur caloris habeāt causam oportet, non materiæ alterius priuatam.

Hoc vidētes alij, necessariò subiecerunt ignem quidē, sed paulò ab aqua remotiùs; vt tanquam in lebete, ita hîc quoque subdito fundo, atque ad latera, igni incalescerent, veluti crateres, canalésve quidā aquarū. Sanè perbellè. Nam neq; tangere ignem aquæ vis ita posse videbitur, eoque nec restinguere quidem, & fumidus vapor infernè exhalatus, addere calorem semper aquæ poterit; proq; materia, in qua suppositus accendatur ignis, etiam saporem, atq; odorem vel nullum, si his careat; vel aliquem, cuiusmodicunque ea fuerit, aquæ ipsi immittere. Atq; ita longè, quàm si aliter opinemur, meliùs constiterit spontè nascentium aquarum omnium ratio; feruentium, ex proximè admota ignis vi; modicè autē calidorum, ex remotiore; metallici aliquid referentium, non solùm quum de succensa materia, quæcunque ea sit, inditur aliquid aquæ, verùm etiam quū accepta iam ea calore, antequàm de terra emergat, metallica inuenit, per quæ colata saporem ostendat metallicum exiliens. Quæ omnia, minimè inter se dissona, respōdere inuicem, ac miro quodam modo consentire videntur. Sed enim restat scrupulus. Quærendum enim, quis canales eos, aut crateres, aut parietes fabricārit tam de industria solidos, vt instar ductilis alicuius metalli, sicuti artificiosè prælongi sæpe tubi conficiūtur, contenta alueis concalescere aqua debeat, pascente igne circùm tantummodo, nec vlla ex parte effluente ea restincto. Hoc enim ostēdere si possunt, vicerint profectò, hac quidem in parte, exempli ex toto similitudo vt respōdeat. Sed ea soliditate si fuerint tubulorum parietes, aut de metallicorū venis, aut terra, aut à natura conficti: sicuti non erūt aquę peruij, ad interstinctionem ignis; ita nec igni patebunt, ad saporis metallici cōciliationem: atq; ad calfactionem valebunt tantùm, non dissimiliter ac si in lebete cōcalescat aqua, ignis sulphurei suppositione, acceptura saporem inde aut odorem non sit, nisi exundante valde igne, vasisq; parietes superante, atq; eius aperti superiùs: quorum nihil contingere in cauernis subterraneis possit.

Illud exemplo similius, vt tanquā super canales, ducta per riuos aqua, circundato igne calefiat: quos si, vt diximus, ex solida materia cōfingamus nobis; quomodo perueniet eò saporis, odorisve alicuius vis? Quin metallicæ quoq; substantiæ multum sæpe subsidere, in tophorum naturam coactæ, circa balnearū labra videmus. Quūq; experiūdi gratia, cuius dicēdæ habendæq; eæ naturę sint, stillatim de more ad ignem elicimus aquas id genus, insigne ibi sedimētum notamus, vti iam per tubulorum soliditatem eam minimè verò permeare posse substantiæ talis crassitiem arbitremur. Sin nihil solidi ibi, ac aperta, peruiaq; omnia: scire libenter velim, quomodo inextinguibilis ille ignis, aduersus assiduè ingruētem supernè aquæ vim duret. Illud autem in commune vtrisq; dicēdum, tam qui canalibus, riuulisq; iisdē ignem, aquamq; simul includebant, quàm ciniflonibus hisce, quālibet magnis viris, ex veteribus, Vulcanum extrinsecus procul, propeque, vti collibitum magis fuerit, sufflantibus: Ignis naturam dicemus minimè id ferre solitam esse, vt parietibus vndiq; ambitus, circūdatusq; cauernosis, inclususq; carcerib⁹, nullo exitu, momentum temporis durare, motu eo destitutus, qui extrinsecus illi, nec naturalis minùs sit, quàm intrinsecus, possit. Cui-

uis notissimũ esse debet, conceptum, aptissima licèt in materia, ac maximo quouis fomite, ignẽ, subitaria occlusione aliqua cohibitũ, motuq; extemplo coercitũ, restingui. Exemplũ paruę rei ex cucurbitulis medicis desumptum petatur, magnæ, quod dicturus sum. Memini, superioribus annis, concamerato in loco hospitij publici, neq; eo paruo, subortum ignem, ardenteq; iam lecto, atq; arculis quibusdam, & euomente flammam igne in proximã fenestram, festina ac diligenti multorũ ad ostium, fenestrasq; omnes, occlusione, extinctum cõfestim omnem, quo arsura videbatur domus tota, euanuisse. Hęc à rebus extrinsecis quidem paulò magis, neq; extra rem tamen penitus petita: illud tamẽ propiùs vt rem iam attingat ipsam. Qui fodinas tractãt, norũt hi, non longè produci gressus posse in his, accẽsis etiam facibus, in obscuro, inclusaq; opacitate, quas interstingui semper paulò longiùs progressi experiatur. Quamobrem patefacere sæpe, hunc vnũ ob vsum, respiracula quędam coguntur, admittẽdo aëri, vt tanquam spiritũ inde ducere ignis possit; aperto interim quoq; semper cuniculi ostio, qua ingressus illis sit. Quid dicendũ, cẽsendúmve de subterraneis prorsus locis, vbi suffocata omnia; tum quò per occlusa vndiq; nihil peruenire respiramẽti omnino possit, alendo igni? Dicent: Vt nulli appareant meatus, attamẽ latent, quorũ transpiratione refocillatus ignis durat. At ego dico, nõ satis fore hoc ad id. Meatus nanq;, quos nobis imaginatione hac fingimus, vt sint: (nõ enim aduersor in hoc) at angustissimi, quippe qui oculorũ sensum subterfugiant, sunt, rectaq; non eò tendunt, ambages habent, anfractuosiq; habentur, desinunt, rursus inchoant, suprà, infrà, è regione, ad latus, ex obliquo. Fuliginis autẽ, ac fumidę materię globi, nisi liberos, per quos emittãtur, exitus sortiti fuerint, reciprocantes, repercussiq; ingruent flammæ, atq; eam obruẽt. Eadem ratio vincit raritatem terræ, quamlibet maximam sibi cõfingant, non satis in hoc futuram. Per hanc enim trãsire, ægrè licèt, attenuatissima quædam possit vaporũ exhalationúmve, effugientium sensus, materia: crassiorum, vt fuliginis, fumidæq; ac caliginosæ substantiæ, nõ æquè. Quæ qualis, quantaq; prodire soleat de metallorum, metallicarúmve rerũ accensione, declarat coactus sæpe ambustæ, incensæ ve illius materiæ fumus, quem in altum, sæpeq; ex obliquo deferri in aëris spatia videas indissipatum, retinente densitatem crassitia, ac fumidos vortices producẽte. Fidei satis facere ista queant, nihil sub terra tale esse posse. Nam aut durare ne exiguum quidem temporis spatiũ queat ignis talis; aut, quemadmodum fontes ipsi, qui siphonum modo emicant, exitum sibi ille quoque inueniet, eo faciliùs, quò maior, penetrabiliorque huius vis. Nec aliter sanè contingere videmus. Existunt enim ignes, quicunque toto terrarum orbe sunt, non latent. latere enim non diu possunt. Sic Aetna, sic Chimæra, sic Hecla, partim perpetuo suggerẽte se assiduè fomite, partim temporũ interuallis quibusdã, absumente igne materiam, rursusque inueniente, apparent nobis. At horum vasti vbique hiatus, specusque omnibus aperti patent, vnde emicent, existantque. Sed neque parui quidem, quales quibusdam in locis visuntur, non respiracula sua habent reclusa, per quæ erumpant. Nam quòd in Argæi montis syluis scripserit Strabo, (lib. xij.) subiecta his loca quædam ignes habere, qui tamen in summo non extent: igneam vim intelligere possumus, non viuæ flammæ ignes. Et vt viui ardentesque intelligendi ignes sint; interdiu non extare, minimèque appare dicemus posse: vt in quibusdam quoque Hetruriæ locis, obscurante diei lumine, minoris luminis, & ceu fumidum tunc tantùm ignem: noctu autem videri, circumiectarum tenebrarum beneficio, in quibus minimus quisque ignis facilimè eluceat; vel noctis etiam tum frigore circunstante, cogentéque in vnum calorem, vt fumidus priùs, sumptis ita viribus, lucens statim ignis euadat: omnino autem per aperta loca, terræque corium reclusum prodeunte, atque apparente igne. Quod Strabo author idem testetur, post duos tantùm versus, per noctem ex eo flammas consurgere, scribens: id autem, nisi reseratis spiraculis, fieri neutiquam posse certum est, vt per hæc, sicuti de locis pluribus memorauimus, facilè in apertum exeant ignes, visanturque, si paulò maiora cauernarum spiramina fuerint; aut in angustioribus suffocatus, quasique intercluso spiritu, tum demum elucescere primùm incipiat, quum apertũ aera nactus, liberiùs cœlo frui, seque in omnem partem, quod insitum illi natura sua sit, cõmouere queat: vsque adeò conclusa subterranea, nullis patentibus spiraculis spatia, refugere ignis videtur. Effodimus iam vbiq; terrã, tot seculis, tot aguntur in eam cuniculi, actiq; sunt, nunc, olim: peruenimus ad viscera illius multipliciter distortis, sinuosisque anfractibus, rectis meatibus, quos natura ipsa, quos casus aliquis, quos nostræ manus fecerunt; gemmas, lapides, metalla, metallica, succos eruimus, & quid non? occurrimus aquis, aeri vbique: ignis flammas, aut quo aliter cunq; modo accensum eum reperire non licuit: sed nec proditum id à

quo-

quoquam legimus. Ait Plinius, inuenturos nos iā diu Inferos ipſos fuiſſe, ſi vlli omnino eſſent: (impium hominem) tanto quidem magis ignem, de quo nunc agimus, ſi vllus eſſet. Nam quòd tam paſſim refodientibus, ſcrobesque tam ſæpe in profundum agentibus, aqua & aër, omni propè in parte, conſocialia terræ Elementa, obuia nobis fiant, quæ ipſa facilimè admittat, ſemelq; admiſſa, rationis nihil ſit, quamobrem retinere quoq; non poſſit: id verò pro argumento ſumi non debet, eodem pacto ſubeſſe ignem quoque poſſe, cauernis terræ incluſum, tam repugnans, neq; vſquam includi facile, ac ſæpe quamcunq; in partem conatu omni erumpens, Elementum. Quin imò, pro indicio potiùs certo ducendum, quum nullus ad hoc vſq; æui repertus is ſit, nullum quoq; ſubeſſe poſſe iudicemus, argumentumq; potiùs idipſum experimenti ſubſcribentis rationi ſit, quæ dictet, allatis ſuprà de cauſis, includi nullo modo terra vndiq; ignem potuiſſe, quin alicubi, euictis tandem repagulis, exiliat, aut ſuffocatus pereat, factoque id demum periculo confirmetur indagationis tantæ. Nō enim reperias vſquam, idipſum nimirum, quod rationibus priùs edocti eramus, fieri nequaquam poſſe, confirmante experientia.

Poſtrema ſententia opinantiū, eorum, quibus viſum fuit ignis quidē nutriri diu ſubterraneas flammas haud poſſe: (vincere enim rationem) at eoſdem concedere, accenſas ſubeſſe prunas pariter, atq; cineribus contentas, viuentesq; poſſe. Dicere nobis hoc loco liceret, neq; has viſas, aut repertas vnquam, vt ex hoc ne eſſe quidem vllas arbitraremur. Cęterùm ſi, quoniā ſeruari eas haud aliter poſſe videbant, cinerem addunt: vnde ille cinis? an non præceſſiſſe ignem, flammamq; oportuit, quæ hunc faceret? Atqui hoc contingere non poſſe, oſtendimus iam. Simul igitur hos ipſos, qui prunas inuehūt, amouent flammas, negantque ſubſiſtere eas his in locis, hoc dicentes latuit cineris generatio, quæ locis ſubterraneis non aliunde, quàm hinc oriri veriſimile ſit. Nulli enim ibi carbones: non enim inuenti vnquam igniti; aut eiuſdem modi materia, qua flamma accenſa, abſumptaq; tandem reſtare cinis ſoleat: aut, ſi inueniatur, eſſéve vllo pacto concedatur, quæ tanta eſſe his in locis cauſæ vis poterit, vt, quemadmodū apud nos in hac ſupera aura, follium, aut cuiuſuis alius rationis ſufflatione vehementiori igneſcūt carbones, ſolidiórve materia aliqua, quæ flammæ multum non emittat; idem in præcluſis vndiq; cauernis contingere credamus? quos qualesque ibi, quæſo, fingere nobis ſufflones neceſſum erit, qui effectum hoc reddant? Etenim quum rationibus contendere valeamus, ne in materia quidem, quæ benè citoq; ignem concipiat, cuiuſmodi ſulphurea inprimis, ac bituminoſa habetur, contingere hoc poſſe, facilè vt, illis quidem in locis, inflammetur: (nam inflammatā minimè eam diutiùs durare monſtrauimus) tanto quidem id concedendū minùs, vbi maiores non concipiendi facilè ignis aduerſabūtur cauſæ. Cogitemus nobiſcum in rebus extrinſecis, quomodo, quáve ratione facilimè, promtiſſimeq; concipi ſoleat in materia aliqua ignis flamma: nónne veniet ſtatim nobis in mentē, fumidā eam eſſe omniū maximè, quæ flāmę proxima ſit? quādo ſępe ſuperſtantē accenſis cādelis, aut ſuccenſæ materię alicui alij fumū, etiā interſtitijs quibuſdam diſſitū, cōcipere extēplò flāmas videmus, circūfuſo aëre ad ſummū illo quidem incaleſcente, attamē flammā non emittente, vt quam alere nō queat. Sic in ſuperiore mūdi huius plaga multiplices ignes, ac verſicolores ſæpe, non ſine admiratione, ſpectamus, ex ſimili omnes materia, nempe calida, ſiccaq; exhalatione, ignis ſuperioris propinquitate accenſa, quam καπνώδη διάκρισιν viſus ſit appellaſſe alicu .i Ariſtóteles, fumidā excretionem ſcilicet, ſimul μάλιστα πέφυκεν τὸ τοιοῦτον ἐκκάεσθαι τῶν σωμάτων. ait, accendi maximè aptū natū eſſe id corporis, concedimus. veriſſimè nanq; dicta ſunt omnia. Sed à quo, aut quibus demū in locis hoc ipſum fiet? Ab igne profectò, qui alicubi actu iam, nec procul quidem, ſit, vt in candela, vt in incēdijs, vt in facibus, aut lāpadibus, quas diſcurrere videmus: omnia aūt in aperto: abſtruſis, occluſiſq; vndique in locis nunquam. Quamobrē ne in cauernis quidē ſubterraneis, vbi neq; ignis vllus, qui fumidū vaporem illū accendat, & interclusa omnia, nec accendi ſinant, & accenſa fortè cōfeſtim interſtinguant. Quapropter non alibi, quàm in ſpecuum, aut ſcrobium, aut cauernarū, aut hiatuū terrenorum oſtijs, aut ſpiraculis erūpit ignis, ex materia eadem illa ortus ac nutritus, ſed cui ſemper ad vtrunque liber exitus pateat, vt & accendi non intercluſo ſpiritu, quem in generatione ſui neceſſarium obtineat, & foueri diu alimenti ſuppeditatione, reſpiratuq; extrinſeco non priuatus, poſſit. Ac ſint fortaſſe quidem ſub terra ignes quoque, aut infra terram potiùs, quaſi fluuij quidam, antequàm emergant, continui. At emergant tandem tamen, aut ſuffocati pereāt, neceſſum eſt: neq; tractus ille continuati ſubtus terrā ignis, quantuſcūq; is ſit, aut generari, aut durare, niſi ſpiraculū nactus, valebit. Id quod ſatis nobis

hoc loco futurũ sit, cõtendentibus, inclusum cauernis omni ex parte obturatis esse nullũ posse; qualis demũ esset, quo fontes incalescerent, vbi nullo vspiã prorsus apparente respiramine, calorẽ tamen fontiũ persentimus insignẽ. Quòd si nullus is, eo quidẽ modo: ita ne carbones quidẽ accensi vlli, aut prunæ. Quæro enim, ad aquámne posituri hæc sint, vt inde cõcalefiat: at restinguẽtur procul dubio statim eo pacto. An cineres potiùs suos illos interponent, videlicet vt aquam imbibãt, quod illi auidissimè solent. Hoc si fiet, vt quidẽ necessariò fiet, si interstitium id cineres occupãrint, aut cinereũ aliquid rarũ, laxũ, apertũ, aridũ: nónne superaddito, incumbenteq; humore, necessariũ erit, extinctũ cõfestim iri prunas quantũuis accensas, ardẽtesque? Solidũ ergo potiùs quiddam intersit opus est, saxeũ, terreúmve. Atqui vis ita prunarum non sanè facilè perueniet ad aquam. Omnino autem soliditate ea, densitateque solij impeditis respiramẽtis omnibus, nec accendi, vt de flamma diximus, nec accensas non extemplo restingui quoque prunas carbonésve, necessum sit. Quamobrem flamma, pruna, ignis subterraneus; nugæ.

Propriæ super his sententiæ explicatio.

CAPVT V.

INquient: quid ergo causæ? Hac in parte si responsum à me ferant, ab ignorationis humanæ confessione non alienum, nescire me scilicet vllã, sicuti dictarũ iam nullã esse scire; non, opinor, nouũ illis hoc, aut inauditum accidat. Ex paucissimis igitur, de quibus opinor, hoc quoq; me vnũ opinari dicam, earum, quas paulò antè attulimus, nullas habendas esse rei huiusce causas: ex innumeris aũt, infinitisque, quæ ignoro, hoc etiã ignorare, quamnam afferendã mihi esse putem de rebus his causam. Suspicari illud aliquid fortasse liceat, ex re, quam certam tenemus, aliqua. Etenim certò scimus, loca esse subterranea alia frigida, alia calida: calida aũt vsque eò quædam, vt si qua inibi materia calorem suscipere nata reperiatur, incaluisse ea aliquando valde visa sit. Referunt, qui refossos, ad profundum Terræ, cuniculos ingrediuntur, metallorũ venas discurrentes, tangentibus calidas repræsentatas, igne ibi nullo. Vnde igitur additũ rebus illis calorem dicemus? quò peruenire Solis vim nullatenus posse docuimus. Natiuũ Terræ calorẽ agnoscimus quendam: eo cõcalescere aliquatenus posse videntur res: tantũ caloris accipere, vt inde ferueãt, quod calidis fontibus cõtingere experimur, nõ videtur; quanquam caloris genus ipsum hoc natiui multo maiores exerere aliquando vires de suo quotidie solet. Concoqui videmus, hoc est, immutari atq; alterari, dẽsæ, solideq; substantiæ quædã. Canes ossa conficiũt; aues semina vuarũ, acinos, γίγαρτα intelligo, facilimè columbæ: eædem claritatẽ addere gemmis, aut maculas auferre deuoratis possunt: quod nõ nisi ignis habendũ opus sit. Quàm feruidũ esse struthiorũ calorem existimabimus, qui conficere chalybem valeat? aut quorũ ex oculis vaporũ vis tanta calidorũ emittatur in ouũ, vt solo inde aspectu excludatur sæpe pullus. Stellæ piscis natura tam ignea, vt, quodcunq; ingesserit etiam durissimum, concoctum extemplo egerat, aut alteratũ immutatumq; ex toto, ac confectum inueniatur. Si Aristotelis placitis adhærebimus, ignis cuncta hęc vi fieri, non accensi, nõ inflãmati, non ardentis, qualis erat eorum, qui subterraneum sibi illũ fingebant, asseuerabimus. Quin, authore eodem, concoctio ab igne, qui in humido est, fit. ἡ δὲ πέψις γίνεται ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ ὑγρῷ πυρός. ignem nominat, qui concoquat, quoniam ignis opera facit, flamma quanuis ardens aut accensæ prunæ nullæ sint. Quin elixatio, & cõcoctio, ab innato calore corporũ, atq; in corporibus facta, similimæ, aut eædẽ potiùs specie sunt, scilicet à calore vtraq; cũ humore: vtrãq; ignea vis quędam explet, hîc succensi in materia aliqua ignis; ibi natiui caloris, qui & ipse ignis habẽdus omnino quidã fuerit, nec minorum sæpe viriũ, vt ostendimus animantiũ quarundã exemplo, quæ concoctionẽ absoluant, nõ minoris operæ, quàm quæ expectari ab elixatione vlla vnquam possit. Siquidem concoquẽdo conficiuntur plerunque, domanturq; ea, quæ elixãdo non possunt. An nõ hoc ipsum ostenderit humorum in corporibus generatio, caloris semper vi procreatorum? Ac pituita quidem effugit elaborationẽ hanc, minimumque fert caloris vestigium: at sanguis ipse primo, vel platorni, colore suo nónne velut abstersionem factam in se ignis notet? Flaua bilis maiorem ignis operam ostendit, atque etiamnum maiorem eadem, quæ substantia ac calore oui vitellum referat, atrabilarius humor, sanguinis fæx subsidit, paulóque magis calorem sentiẽs atra bilis fit. γεννᾶται δὲ, inquit (De loc. affec. iij.) Galenus, ὑπὸ θερμασίας πολλῆς ἐγχορίου κατοπτώσης ἤτοι τὴν ξανθὴν χολὴν, ἢ τὸ παχύτερον, καὶ μελάντερον αἷμα. Generatur à caliditate multa, loci partisve corporis, in qua est, flauam bilem, aut crassum, atrúmve ma-

ve magis sanguinem exassante. Non sanè modica exassari ignis vi succos oporteat, vt sciamus maximã hanc esse congeniti caloris potestatem, atque eius simplicioris, per seque, non aliunde adiuti. Eamque ob causam minimè inconueniens habendum esse existimemus, si quid absque igne, qui accensus spectari in materia aliqua debeat, ab ignea tamen alioqui vi, perçquè effici posse contenderimus. Huc enim hactenus tetendit oratio nostra omnis. Progrediamur paulò, meminerimúsque, cuiusmodi sese offerat huiusce caloris qualitas tangentibus, temperatiorum corporum, placida videlicet, suauis, blanda extrinsecus: non repugno. At horum eorundem, si viscerum penetralia tangere nobis fas esset, percepturi simus insignem omnino caloris cuiusdam vim. quid ita? Quoniam ibi ceu fons huius, & origo, & ἑστία, vix vt laturi simus sinisterioris cordis ventriculi feruidum calorem, si quidem inijci eò manus posset, in viuẽte animante. At expansus deinde, corporisque extima petens, diductúsque in riuulos, multum, vt alia omnia, quæ disperguntur, qualitatis suæ amittit. Simul frigidioribus natura sua partibus occurrens, dum eas concalefacit immissus, (influentem appellant) quoquo modo frigiditate ea retusus, postremò ad cutim peruenit exanguem, subiectámque huic membranam, quibus nihilominùs caloris tantum de suo elargitur, vt placidissima illa temperie occurrentis caloris appulsum sentiamus: non ita futurum, si interiora attrectaremus hominis eiusdem, temperati dico, paulò minùs corde ipso feruentia. Argumento esse possunt, quæ de corpore prodeunt purgamenta hominis, quamlibet æquo Temperamento præditi. Fumare alui excrementa, vesicæque, videmus quotidie. Huius autem etiam calorem satis persentimus tactu, quamcunque corporis partem attingat inter meiendum, vt sępe contingit, vrina; vnde matulæ quoque, quibus excepta ea fuerit, non minùs benè interdum concalefiant. Hæc natiui rerum multarum caloris, egregiè ab origine sua calentis, indicia. Cuius si deinde, quacunque tandem de causa, intendatur qualitas, vt in febribus, quas ex argumento πυρετοὺς vocant, Hippocrates etiam sæpe πῦρ, ignem videlicet: qualem tandem credimus efferuentiam futuram eam? Experti dicimus, incensum æstuantissimarum febrium calorem sic percussas ferire manus, vt sensus ignis sit verus: quali quantoque ardere tunc interanea feruore arbitrandum, cuius tanta foris appareat vis, tamq; à foci sui sede ꝑcul? Itaq; exurũtur exasśaturq; humores, aquea res, vertũturque in cinerẽ, aut cineri simile quippiam, vrentis opere caloris, atq; humorem succorum omnem absumentis. Illo iam natiua hæc tam ad summum sui gradum euecta in animali aliquo qualitas, nõ accidentaria modo, vt in febribus, in stella quoque pisce, de quo priùs mentionem fecimũs, visitur, cuius tantus esse naturalis feruor traditur, vt contactu adurat omnia. Atque hoc intensioris facti caloris opus. Illud tanquam auctæ illius substantiæ, viresque sumentis reuocatione in vnum dispersarum antea partium, quoties extranei frigoris repercussu, intrò reciprocans, seseq; colligens, sic roboratur, vti multam frigidamque sæpe, quæ cõuulsionem tetanumque faciat, materiam dissipet. Non desint, si inquirere velimus, paruis æquè, magnisq; in rebus, contrahentis se ab externo frigoris impulsu, caloris, eamq; ob causam fortiter agentis, exempla, argumentáque. Cæterùm versari in eadẽ materia præstat. Loca subterranea hyeme incalescere scimus, velut refugiente illuc calore, quæ æstate frigebant. Contrariam ob causam, nempe eo ipso calore foras euocato, fontes item hyeme calidos, æstate gelidos, ob idipsum experimur: nec vsque adeò tamen, vt medicati quidã sunt, calidos; causæ tantummodo, magis minúsve facientis, ratione: quippe effectus specie idem, quem modò maiorem, minorem modò, magis, minusq; efficax causa reddat. Hoc quod vnius Solis accessu ad nos, & recessu fit, quoniam altè non adigitur, nec feruere fontes solo; nec quæ in profundo sunt, congelascere metalla, aut succi, facilè poterunt. Vt enim perueniat ad ima talium aliquid virium, tantum tamen inde efficaciæ non perueniet, quo, quæ videmus, perficiantur, absumpta semper summis in partibus Solis vi manifestiore illa: Nam occultiorem quandam cum Sole vnà syderum reliquorum, quæ cœlitus rebus his inferioribus instilletur, nec nobis nunc esse curæ debet, ad imum vsque indere sese posse, non imus inficias. Quærenda igitur in his causa, quæ fortis, atque efficax sit. Ea erit genere, seu specie eadem; vehementia, fortitudine, intentione maior. Ducamus argumenta à rebus ipsis: Forte esse frigus oportet, validumque, quo metallorum, metallicorum, gemmarum, lapidum, succorum multa, consistentia sua, siue constitutione malimus, durantur. Id frigoris, cuius tanta, quantam modò diximus, ad congelandum efficientia, loca si ambiat subterranea quædam, retropulsum calorem subterraneum illum in vnum coget, coactumque ita validis concalfaciendi viribus induet, vt locorum aër primò, tum deinde

etiam

etiam aquarum ſcaturigines inuecto calore tepeſcant, aut etiam ferueant ſæpenumero. Etenim affecta priùs ab aëris caliditate aqua, proximiorq; aliquatenus naturę ignis facta, cui antea ex toto repugnabat, faciliùs vim illam igneam concipiet, conceptamq; diffundet in humorem omnem, qualis quantáque diffundi in materiam illam poteſt. poteſt autem talis tantaque, ſi vehemens cauſa fuerit, vt vſque eò, dum non amiſſa penitus natura ſua diſcedere in aliud, proximumque ſibi aëris Elementum cogatur, ferueat. Quod vt faciliùs etiamnum, promptiúſque contingat, ſanè maximum adferet momentum non collecta ſtatim in vnum aquæ copia, qualem emicare de fontium ore plerunque, craſſitudine non parua, videmus: ſed diducta priùs in guttas propè, ſtillaſque quaſdam, longè ſæpe latéque, per cauernarum, plurimorúmque anfractuum meatus diffuſas, quæ quum deinde in vnum corriuantur, ſic riuulos efficiant. Hæc enim fontium origo: hoc fluuiorum etiam magnorum incrementum, paruorum multorum corriuatione factum. Haſce minutiores, ſtillatitiáſque, ac guttatim hærentes, aquarum particulas, non, vt ego quidem exiſtimo, magno admodum negotio benè calentes reddet locorum quorundam ſubterraneorum calor, ambiente præter id locorum aliorum frigore multo factus intenſior, atque ad agendum fortior. Exempla ſuprà attulimus. Venit in mentem libelli, Περὶ θαυμασίων ἀκυσμάτων, in quo ſcriptum reperitur, ſtannum Celticum, compulſo interiùs natiuo illius calore, ab externo frigore, gelúque eliquari; non minimo certè caloris effectu, igníſque, neq; eius tamen flammei, aut lucentis, aut (vt in pruna, carbonibúſve) accẽſi. Huius recordatione, memini & illius Plinij, æs omne frigore magno meliùs fundi, ſcribentis; ſine dubio, validioris ignis vi, ob circunſiſtens frigus, quæ æſtate, aut caloribus circunfuſis ſolutior facta, euaneſcit, magno indicio, quantum contrarij frigoris circunſiſtentia, ſi nobis vocis ita huius vſus conceditur, cogendo in vnum, eóque fortiore reddendo calori valeat. Quod in alijs animaduerſum ſpectari multis poteſt, vt quum ſcribunt, vitrum, ſi benè frigida aqua impleatur, Soliſque ardentis radijs opponatur, appoſitum ei pannum, aut fomitis huiuſmodi aliquid, arſurum: idem in calida vitri aqua non ſucceſſurum: & id genus multa, quæ calorem ſuſcitari multum, ambiente circùm frigore multo, poſſe demonſtrent; partim accenſi iam ignis, partim nulla dum flammea materia, & igneæ tantùm potentiæ actioníſque, neque adhuc lucentis, aut concepta communi forma, caloréque apparentis, atque mirificos interim effectus operáque præſtantis. Ne quid intereà dicam, ſubeſſe loca poſſe ſubterranea, quemadmodum ſponte ſua frigida, ita calida quoque per ſe multa, nullis flammis, igne nullo euidente, ac fortaſſe etiam frigore nullo circumambita, quæ edere operis idem poſſint, Thermíſque caliditatem eam addere, quam ſentimus. Vt in Lipara terram eſſe aiunt, omnia decoquentem, quæcunque occultata in ea, olla fortè aliqua receperit. Atqui nullus ibi ignis apparens quidem, flammeúſve; & ignis tantùm potentia ac facultas inſignis illa. Siue igitur hoc cauſæ eſt, ſiue de ambiente frigore, calorémque concludente, ideóque roborante magis, illud: non abs re tantum nobis ſubterranei, igneiq́ue ſimul, neque flammei tamen, neque igniti iam, nondum ſcilicet in accenſum ignem conuerſi, & aërij ſolùm, ſed ſummi nihilominus caloris, mente concipere non prorſus inaniter poſſumus, quantum producendis calidis Thermarum aquis fututum ſatis ſit. Quid? (quanquam contrario effectu: at eandem tamen ob cauſam ἀντιπαριστάσεως, quam, ſi placet, circunſiſtentiam dicamus Latinè: Erit autem de contrariorum rationibus deſumpta doctrina, recepta iam) media aëris plaga nónne perpetuis frigoribus correpta riget? ſuprà infraque circundante ſe calore, pellenteque frigus in idem, ob id ſcilicet validius. Hoc in vniuerſitate aëris, quacunque ambitum ſui medium totius obtinet: illud in parte, quum ex circunſiſtentis caloris vi ſubiens è terra vapor, primùm in aquam, móxque deinde, imò eodem fermè momento, in grandinem congelatus vertitur. E diuerſo, exhalatio calidior ſicciorque, comprehenſa nubibus, harumque frigiditatis reſiſtentia paulò magis incaleſcens primò; tum deinde concepta flamma fulminat, nimirum reperto exitu. Antea enim incaluerat, quàm fulgur, fulménve fieret. id nanque non niſi diſploſis primùm de nubibus eliſa, atque exiliente flamma, euenit. Similimè in ſubterraneis concaleſcere loca multa occultò, abſque quòd inflammata, ardentiáve ignem edant, poſſunt. Quæ verò ardent, ea non niſi emicante in aperto, exiſtenteque, ac tanquam manifeſtò prodente ſe, & ex idonea materia tum primùm facto igne, atque (vt ita dicam) ex ignea iam ignito ardent, eum in modum, quemadmodum diſputatum ſuprà à

nobis est. Velim, qui necessarium rebus his ignem supponunt, de bituminosis fontibus, aût vbi liquidius bitumen erūpit, dicant, his in locis succensus ignis, seu pruna, seu flamma, cur non extemplò incensurus materiam eam totam sit, tam quidem ad concipiendum ignem aptam, siue solam, siue etiam inter aquas? Nihil videtur esse causæ, quamobrem non fiat, agente inferiùs, aut etiam ex lateribus, igne. At nos, calore, qualem diximus, vehementi, absque actuoso tamen, vt ita dicam, igne colliquescere bituminis putamus posse genera quædam, vt fluxibilia facta exiliant multis in locis, igne nullo correpta, nec emicante exardescentéve flamma.

Sententiam de his hanc si sequamur; nulla nos sequi inconuenientia.

CAP VI.



Anc sententiam si recipimus, illique acquiescimus, nihil in ea absoni à ratione, nihil incōuenientis videre erit: quæque circa hæc contingent omnia, in his satis constiterit causæ, quamobrem euenire illum in modum debeant. Etenim iam saporis, aut nullius etiam saporis, itemque caloris ac frigoris, omniumque eiusmodi, tenebimus causas, quas allegare huc, non repugnantes inter se, possimus. Fontes videmus medicatos, non medicatos, frigidos, calidos, feruentes, nullus vbi ignis existat, exilientes: ignea tamen vis subesse, qualem diximus, potest. Primùm fontium originem supponimus Aristotelicam, quorum nihilominùs, etiam si abusque mari aquarúmve omnium Elemento deducamus ortum, vt impulsi eo emicent ita, eandem omnino seruare nobis liceat hîc quoque rerum rationem. Nam quod Aristoteli fuerit aëreorum vaporum immutatio in aquam, multis diuersisque ex locis corriuandam in vnum: id scilicet, (in quantum quidem negotium hoc attingit) alterius sententiæ Authoribus, percolatus erit ille, tam longè petitus, riuulorum minutissimorum, qui vsque adeò diducti, diuisique, omni ex parte, contactu eo referre, non locorum minùs calorem, frigúsve, quàm terrarum, quas permeant, saporem, atque odorem soleant. Sunt fontes medicati, frigidi: medicati, quia discurrentes ibi subterranearum rerum venæ sunt, quarum necessariò offeratur nobis percolatione illa qualitas: frigidi, non enim caloris causa vlla ibi, quippe quæ non omnia occupet sub terra loca, sed ea tantùm, vbi collectus in vnum, ob eas, quas suprà attulimus, causas vigeat magis calor, ideoque faciliùs qualitatem addat aquæ suam. Plurimùm tamen videmus fontes medicatos eosdem, ac calidos, atque ex his sulphuratos magis, quàm aut aluminatos, aut nitratos, & id genus. Horum nanque venæ, quippe quæ caloris maximè vi constent, calentium sponte sua locorum argumentum: vt, addita ἀντιπεριστάσει, haud difficulter etiam feruere possint illorum aliqua, ignea tantummodo vi illa; nulla ignis aut accensione, aut inflammatione. Non feruent autem cuncta: sed nec calent quidem, sicuti diximus, quanuis sulphurata quædam sint. Quoniam calidam licèt existimare possimus locorum naturam, vnde primò prodeant; at non valde talia tamen sæpe fuerint, non aucto, vllam ob causam, calore, aut intensiore aliquo modo facto. Nec non potest modicè priùs natiua loci tepiditate calens aqua, frigidiorum deinde locorum, ac terreni occursu, per quæ paulò longiore tractu diutiùs feratur, facilè refrigescere. Sic non modò fontes quosdam frigidos sulphuratosque, aut metallico sapore aliquo infectos, sed etiam amnes videmus; vt Sulphurea Nar albus aqua est. Neque enim vt à calore quædam fiant, continuò necesse fuerit calorem illum æstuantem quoque esse: & adueniente aliunde frigiditate, quædam non solùm frigescere, sed gelascere quoque possunt. Nam metallorum, metallicorúmve materia, siue ea plus aquosi vaporis, vt metalla; siue terrei plus halitus, vt metallica, retineat; natiuo tantùm locorum calore, igne nullo excitata, primò vagatur, donec lapidum, aut frigidioris terræ alicuius meatibus diuersis, modò in longum protensis, modò per anfractus quosdam variè discurrentibus, insinuetur, in figurasque, quas sæpe multimodas videmus, gelata consistat. Ad hunc modum auri, argentique, quibus subtilior ac penetrabilior suppeditatur vaporis materia, filamenta spectamus tenuia sæpe inprimis, ac ductilia variarum formarum, aut ex quibus variæ sæpenumero concinnari formæ possint, arborum, herbarum, fruticum, animantium, & similium reliquorum: non item ferri, æris, plumbi, sulphuris, salis, auripigmenti, sandaracæ, atramenti, aluminis. Crassior enim horum materia, impurusque inprimis seu halitus, seu vapor, atque plurimum secum semper fæculenti

ac ter-

ac terrestris sordis trahens, hæret, rudemque in massam inuoluens se, immiscensq; terræ, densatur. Quæ planè omnia indicia haberi possint certa calidorum, sed nulla aut flamma, aut pruna; frigidorumque locorum multorum sub terra, quibus frigidiores materiæ incalescere, contraque calidiores frigescere consueuerint. Mirumque ideo videri cuiquam non debeat, si cum fontium frigiditate sulfuris nobis aliquando, aut salis, aut aluminis, aut talium ostenditur sapor: rursus, si calidi quidam, nec medicati tamen ijdem reperiantur fontes. Percurrunt enim terrenum, vbi nullæ rerum earum venæ, quibus percolatæ aquæ, extraneo aliquo infici sapore soleant; de locis calidis quidem emissæ, sed in quibus nulla sit halituosa materia. incalescunt autem natiuo loci calore, eoque interdum ἀντιπαριστάσει quoque adaucto. Non enim necessarium, vbi subterraneus calor, ibi statim materia quoque, in quam agat, vt sit omnino aliqua, metalli, metallicive quicquam referens: quemadmodum, vbi materialis causa huiusmodi præest, ibi plerunque deesse ignis potest, quod calidum faciat. quorum primum, calidos, nec medicatos efficere fontes, solitum sit; alterum, frigidos vnà, ac medicatos. Atque (vt ἀνακεφαλαιώσει comprehendatur omnia) ignis fuerit, cuiusmodi diximus, ex naturalibus maximè causis, diuersis tamen in locis, pro Diuina prouidentia distributus: in quibus modò nulli nec fontes, nec metallici quicquam, quæ quidem nihil aliud, quàm calent, loca: modò aquarum scaturigines accedũt; metallici autem nihil, vnde fontium caliditas, sed immedicatorum: modò & metallica subeunt, eaque diuersissimorum generum, simplicium, compositorumque, vnde medicati fontes calidi tot, tantique: modò loci calor non tantus, quo incalescere scaturigines possint, & generari tamen metallica possint: ex quo medicati fontes, sed non calidi, diuersorum itidem generum, bona tamen ex parte sulphurati, quòd frequentior sese sulphuris materia passim offerat: nec multo tamen intereà minor aliorum quoque metallicorum, quæ caliditatis vtique locorum argumento sint; sed non vsque adeò intensæ necessariò, vt feruere inde fontes debeant, nisi causę accesserint aliæ simul, quas suprà retulimus. Nobis enim hoc in negotio, sulphur, reliquaque metallica calorem locorum non faciunt, sed inde fiunt accipiuntque, ac rerum harum indicio potius sunt, quàm vt eas vllo pacto effectas reddant. Diuturnitas porrò, permãsioque, ac perennitas calidorum fontium, quam videmus, in igne qualem nos posuimus, veri multo similior, quàm in flammeo, ardenteque, & succenso, in quo rectè cuncta expendentibus incredibilis, adeoque impossibilis videri multis possit. Verùm enimuerò philosophica hæc fortasse nimis, excurrimusque huc præfati veniam, ac affinitate tamen tractationis adducti: simul vt legentibus fortè hæc, quanuis extra propositam nobis ab initio rem, veritatis ita certiora appareant vestigia inueniendæ; si non inuentis acquiescere voluerint.

Thermarum facultas præstabilior, quàm paratorum ex eadem materia artificialiter balneorum: Tum singulorum deinde enumeratæ vires, Sulphurosorum, Nitrosorum, Salsorum, Aluminosorum, Atramentosorum, Bituminosorum, Aeratorum, Ferreorum.

CAPVT VII.

NVnc, postquàm euagati satis de his sumus, redeamus sanè in viam. Vires exquirendæ restant nobis naturalium balneorum. Eæ aut simplices, aut compositæ, imò compositæ plurimę, omnesque propè: simplices perquàm raræ. nec tradi tamẽ compositarum doctrina, nisi inuestigatis prius simplicioribus, rectè possit. Simplices ferè Salsæ, Nitratæ, Sulphuratæ, Bituminatæ, Aluminatæ, Aeratæ, Ferratæ: omnium pro rei, quam odore, aut sapore referunt, facultatibus, vires: in Compositis, compositæ spectantur, mixtæque potestates. Inest nihilominus mixturis naturalibus hisce vis ac facultas, præter rerum, vnde miscentur, facultatem, indicibilis, atque incredibilis sæpe quædam, qua morbos, affectusque, aduersus remediorum aliorum genus propè omne pugnaces, rebellesque, victos sæpenumero vidisse contigerit. Quippe miscella hæc facultatũ compositio perfectissima, absolutissimaque naturæ est, qua sic commiscentur cuncta inter se, vti conferruminatis in vnũ idemque omnibus, ac prorsus veluti combibitis, haustuque mutuo vnitis, nescio quod statim contemperamentum existat aliud, quo contemperamento, penè vt Theriaces, opera edantur mira interdum, qualia à quantumuis artificiosè facta rerum earundem mixtione, haud vnquam expectes, quasi in qua supra rerum, vnde compositio ea conflatur, naturam, resilire formam credas quandam, quæ illa efficiat. Sunt autem eiusmodi sæpe effectus, quos multorum cõsensus in Deos referat ipsos, miraculisque adnumeret. Deorum certè

munus

munus habendum esse, argumentis contendunt, quando Authores sunt certi, qui prodiderint, mira opera, maximeque admirandos successus balinearum (quò primùm promiscuè mortaliū conditio omnis confluerèt, cunctisque indiscretus pateret earum vsus, abigendis affectibus) cessâsse, interdicto facto, quo excluderentur nonnulli: & causa subesse videri poterat non omnino iniqua, ne elephanticorum, aut psora, aut lepra infectorum innatatione polluerentur balnea: irato videlicet numine, aut loci genio, priuatum factum, quem communem esse voluisset, salubris rei vsum, prohibitosque auxilij egenos sponte nascentis remedij vtilitate: quodque iccirco exporrectum omnibus vt esset, liberaliter è Terræ gremio sinuque depromptum effudisset Natura. nec redijsse vsum dicunt, nisi abrogata prohibitione, concessoque, vti quisque nullo discrimine auxilium sibi inde, quoties, quantumque vellet, in aperto peteret. Hoc superant igitur simpliciora hæc, & sponte nascentia, ea, quæ diuersorum generum facultatibus permixta ex arte fuerint; quòd hæc mixtura sua, quam exquisitè inprimis elaborauerit Natura, additamento ad simplices rerum, ex quibus constant, certo quodam facto, operis aliquid insignioris edunt: idque nullo prorsus artificio, exactissimè licèt, seruatisque proportionum omnium modulis, misceantur, mixtaque longissimis ac diligentissimis decoctionibus conferruminentur cuncta, in Compositionibus assequi licebit: vt, si fortè Sulphuratum, aut Aluminatum, aut tale aliquod, parare tibi artificiosè balneum statueris, nunquam in eo naturalium sponteque nascentium eiusdem materiæ Thermarum vires assequare.

Sunt porrò Simpliciorum facultates hæ: Sulphuratorum, excalfaciendi, siccandi, euocandi ad cutim; eandem repurgandi, atque à defœdatione omni liberandi; dolores ex frigiditate ortos mitigandi, vt conuulsionis, vt distentionis, suspiriosis, purulenta extussientibus; à scorpione, pastinaca, dracone marino ictis subueniendi; neruos, artusque, & musculorum capita, si duritie aliqua obsideantur, emolliendi; easdem partes, si humore nimio resolutæ iaceant, ac combibito per totū madore laxentur, exiccandi, contrahendique, ac roborandi; iecur, lienem, vterum, quum induruerunt, attenuandi; menses eliciendi; renum calculos commmuendi, atterendique, disiectos in arenulas propellendi; vel insessione sola, superfluitates omnes de corpore educendi, easdemque has absumendi; perfusa tenui serosaque humiditate corpora, οἰδαλέα vocant, facilè exiccandi; malè habita ad melius deducendi. Ventriculo tamen inimica.

Nitrosorum, potissima præcipuaque vis abstersio, ac discussio: quibus nonnunquam efferæ impetigines quædam persanatæ, abolitæque fœdæ inprimis cutis maculæ, atque informes papulæ visæ sunt. abstergendo enim sese meatibus altiùs indūt, vt deinde radicitus euulsas extirpent. Siccatoria autem facultate, qua inprimis pollēt, partibus omnibus fluxione aliqua tentatis vtilia: valde quippe siccatæ inde partes diutino humore madidæ, abstersæque, Temperamentum recipiunt. Quapropter vsus eorum, si aut in caput tendat, aut in ventriculum, thoracémve decumbat fluxio; etiam quibus insigniter cor palpitaret, maximum inde reportâsse vsum scimus; etiam aqua intercute laborantes, phlegmatias, quibúsve turgerent tenui pituitosoque humore, vel flatulenta quoque materia, partes; etiam, quæ difficulter ad cicatricem ducerentur, crurum vlcera. Nec mirum: abstergunt enim, & exiccant valenter, quo maximè indigent; humoris intemperiem auferunt, qua vi pituitæ quoque eruptiones per corpus tollantur: inde & claritas oculis. Nanque in Nitrarijs degentium non ferè lippire vnquam oculos animaduersum: indicium siccitatis non leue, neque exasperationis tamen vllius.

Non dissimilis Salsorum potestas. nanque & in his abstersoria vis insignis, quam adstringens præterea comitetur, nulla hæc in nitrosis. Quamobrem potior omnino roborandi facultas ex salsis. Hæc eadem siccant, alligant, extenuant, vrunt, repurgant. Cæterùm permagnam partem Nitratorum inuenias, paucam Salsorum. maiorque iccirco illorum vsus, successusque semper maiore, quando maior quoque Nitri acrimonia. Sal pro condimento, imò cōdimentum ipsum est, siccat, adstringendi vi alligat: Nitrum acre, pauxillum deuoratum ciet aluum, dissoluit, abstergit, nimirum acrimonia sua, omnia vt meritò Nitri habenda sint, quæ præstari videmus à balneorum quorundam natura, opera; non Salis, cuius haud alię esse ferè, quàm marinæ aquæ, possint vires, nihil propè aliud, quàm exiccantis, vt Piscatorum, vt Vrinatorum corpora sunt. Aristoteles tamē (Problem. Sec. xxiij.) natationi in mari causam tribuisse visus est repurgandi salubriter ventris, nec minùs conciliandæ appetentiæ, idque ex maris vapore calido siccoque, velut adusto corpore. Quem contra dicere Medico liceat: eandem

dem id ob causam euenire, propter quam paulò largiùs cum succo aliquo sumptus irritare ventriculum Sal mordicatione ad excretionem, idemque inter cibaria excitare auiditatem consueuit. Natantibus autem, verisimile est, intrò peruenire vim salis delatam quidem posse; calidus verò & siccus vapor ille contrarius ὀρέξει fuerit; vellicatus potiùs sit placidus quidam salis, qui hoc ipsum præstet, & saliuatio quædam, & adstringendi, colligandique partes vis, ideoque & corrugandi, hic iam statim appetentia. Nec sanè ad multo plura marinæ vsus, sicuti nec salsorum balneorum, in parte quidem Salubri, quod institutum nobis sit hoc opere, vt pauca omnino quædam, vicinitate rerum adducti, referamus eorum, quæ ad curatoriam attinent: & quæ referimus tamen, morbis tantummodo tentatorum sunt, ac quoquo modo languescentium, non decumbentium: vt quum lienosos, aut iecorosos, aut suspiriosos dicimus, aut partis alicuius imbecillitatem leiusculam gerentes, querulos intelligimus, ac valetudinarios ex affectus diuturnitate, nec cessantes ab operibus tamen.

Aluminatorum vsus, quoniam inprimis valideque adstringens, ad laxata, apertaque omnia, ac fluentia: itaque sanguinis reiectionibus, ac fluoribus quacunque ex parte, vomitu tussi reiecto, è naribus, ano, vtero fluenti subueniunt; obnoxium vomitionibus ventriculum firmant; ac subuersionem sedant, ὑπτιασμὸν Greci vocant; abortiendi causam demunt, finitis muccosis humoribus, qui vteri acetabula obsidebant, aut etiam, quum muliebres partes exsiccarint, concipiendoque, ac continendo meliùs semini adstrinxerint; inhibent tumidas fluxiones omnes; coërcent sudores nimios: podagricis mirè contulisse aliquando visa, addito partibus robore, neque vlteriùs suscipiendę noxæ tam opportunis factis.

Idem præstare solita sunt Atramentosa, quorum non magnoperè dissimilis aut natura, aut vsus, nisi quòd exustæ magis materiæ hæc, fumidæque, ac caloris plus retinent, & ignitionis nescio cuius, cum adstringendi vnà facultate vsque eò insigni, vt author sit Plinius, vrsorum olim, & leonum ora aspersa illo, intantùm alligata, vt mordere non valerent: mira in vtrisque erodendi, & inspissandi vis. Atramento proximus transitus in chalcitim, mysique, & sori: quapropter minùs tutè bibentur atramentosæ.

Rarior Bituminosarum balnearum inuentio simul, & vsus, quòd replere caput, sensuumque instrumenta lædere credantur: debilitatas tamen partes ex luxatione, vel etiam fractura, opportunasque inde fluxionibus, vno eo auxilio obfirmatas fuisse, testari possumus: aliâs excalfaciunt, tumores emolliunt, vel interiùs duratos; grummosum sanguinem discutiunt, rupta, conuulsa, aneurismata, refrigerata iuuant. Comitiales ne ingrediantur, caueant: deprehenduntur enim.

Aeratæ ori inprimis, tonsillisque ac vuę vtiles, quorum humidiores fluxiones siccatas coërcent, vt & oculorum.

In ferri metalla referentibus, certa ad stomachum, ac lienem commoditas: neque minùs renes, sed hos laxos, dissolutosque, aut caliditate nimia serosam de sanguine partem plùs iusto elicientes. Stomachum autem frequentibus vomitionibus subuersum sanant. quid mirum? Nam & cœliacos, & dysentericos, aut his, aut calefactis candente ferro aquis, quibus sistendi vis inest, persanamus. Illud autem quo pacto iuuari lienem dicemus? qui attenuantium potiùs ope indigeat? Verùm substantiæ aqueæ tenuitas, igneam vim accipiens crebra candentis chalybis extinctione, simul & adstringendi illius vim induit, & penetrabilior fit, promptiorque ad agendum. Quo modo latiùs se, altiusque partibus insinuare solere aiunt Medicorum filij, quæ paulum adstrictoriæ facultatis additum habeant tenuitati: videlicet huius ipsius tanquam compressu intrò abacta, impulsaque; sic angustos quoque meatus non minùs, quàm latos, peruios habebunt, quibus sese addentia vires quoque eò deferant suas, quæ siccando, corroborandoque sunt, vt non abs re penetratione ea attenuatos humores incidant, exiccatione dissipent; roborandi autem vi fortitudinem partibus addant, quæ facilè incumbentibus deinde noxis repugnent: omnibus autem facultatibus hisce non sanè mirum sit, siquidem tot, tantosq; vsus sæpe balnea, id genus, præstent, infarctusque non solùm, ac tumorosus lien persanetur inde: verùm etiam atrabilarium affectum, præsertim verò hypochondriacum, horum ipsorum beneficio sæpissimè leuatum, nonnunquam verò etiam ex toto sublatum, meminerint quidam.

Atque hæc ferè habentur spontè nascentium aquarum commoda, hæ vires, simpliciores quidem: coniunctas autem esse debere Compositorum ex diuersis, nemini dubium; eminereque inter has, quarum certiores quædam notæ ostendantur aliæ alibi; præterque, sicuti narrauimus, resultantem quandam, esse priuatæ, peculiarisque formæ ex harum complicatione, vim, propè à singularum qualita-

te va-

te variantē : cuiusmodi expectanda nobis nulla sit ab artificio, quod, sicut rerum varietatem componendo assequitur; illud profectò non potest, vt perfectam, atque absolutam rerum harum mixturam assequatur, elaborantis tantummodo, explentisque hæc, seseque in eo exercentis, vnius Naturæ opus. Facimus autem nobis sæpe ipsi hæc, ac præparamus, quum marina destituimur; incoquentes aquæ salem, eam ipsam imitamur. Idem de alumine, sulphure, nitro, & reliquis.

Insessionis, Aspersionis, Irrigationis, Perfusionis, Humectationis, Fomenti, Cucurbitæ, in sanitate vsus.

CAPVT VIII.

HVc pertinent (extrinsecus enim admotorum hæc quoq; sunt, vsusque eorum in sanitatis tutela frequēs, magnúsque) insessiones, aspersiones, irrigationes, perfusiones, humectationes, fomenta, cataplasmata, cucurbitæ, detersio cum spongijs, strigili, infossio in arena. Spongias, ac strigilem ad balineas referamus, de quibus tum suprà dictū, tum dicendū fortasse posteà.

Insessionis ex oleo facultas, lassitudines demendi, neruorum doloribus subueniendi, qui ad profundum sunt; refrigerata diu calfaciendi : in totum ἀρωγὴ τῶν ὀδύνων τὸ ἔλαιον, & intus melle, foris oleo, dictum olim longæui maximè senis, hic repetendum, in adhibitione olei ad sanitatem extrinseca. Nam alij quoque huius vsus interiùs sumpti, & quidem curatorij. Idem munimentum est aduersus frigoris iniurias; inunctum, calorem custodit, quem inuenit, ne euaporet : idem pro materia conseruandæ alienæ sæpe qualitatis, ad agendum : inductum eo cum puluere, corpus siccari, cum aqua humefieri potest. Si qua in corpore pars torpescat, tremat, conuellatur, palpitet, motus sensúsve deperditionem aliquam experiatur; calore olei fota iuuabitur. Sed hæc iam à Salubri in Therapeuticen partem abeunt. Insessus item ex vnius, pluriúmve sæpe herbarum decocto, ad hygijnem attinent, quibus partes roborari, attemperaríve in sanitatis parte soleant, suis, ac proprijs quæque: Vterus, artemisiæ, parthenij, saluiæ, lauri decocto: Renes, sij, sisymbrij aquatici, seu cardaminæ, ononidis, saxifragiæ, maluæ : Vesica, item maluæ, prærerque rutæ, fœnigræci, seminis lini, camomillæ : ad sedem, quæ hæmorrhoidum fluxione infestetur, plantaginis, polygoni, rosarum, hippuridos, malicorij, minoris semperuiui alterius, seu illecebræ, cui quoniam vis inest acrior, credibile est ea, velut cauterio inducta crustæ similitudine, adstringi venarum oscula : sed emplastratione meliùs. Ex ijsdem ac similibus ad eadem parari fomenta, cataplasmata, perfusiones poterunt, quas recentiores Tutias nominant.

Aspersionibus, quæ ad faciem maximè fiant, in sanitate refrigerationem quærimus, aut æstuantes, refocillationem quandam.

Irrigationibus, quæ ad caput fiunt, somnum nobis conciliamus, in peruigilijs, quibus in sanitate quoque sæpe tentamur, incoctis aquę, oleóve calycibus papauerum, chamæmelo, aneto, aut huiusmodi; & aut irrigatu affusa capiti aqua, aut per lanam, linteúmve humectatione facta, quæ Embrocatio nostris est : idem molimur pedū, manuumque lotionibus, ex eisdem.

Iam Cucurbitularum in sanitate vsus multus hoc tempore, nationibus præsertim quibusdam, auertendo, euocando, calfaciendo, doloribus tollendis : podagra tueri se posse persuaserunt sibi quidam hoc vno.

Arena alij abdunt se effossa, totos sepelientes se præter caput : alij tanquam in volutabro versantur, sani etiamnum: asperguntur alij, hoc etiam palæstritarum: priora cutanearum, subiectarumque cuti partium humores exiccantium : quod marina maximè præstet. Cæterùm hæc alterius iam negotij, nempe quo sanamus, in quod affinitate rerum, tractantibus hæc, facilis paratus sit lapsus. De Exercitationibus, Frictionibus, lauacris, balneis, alijsque huc pertinentibus quibusdam, satis hæc, ad Sanitatis quidem tuendæ negotium, sint.

De affectibus, Exercitationem, superiúsque enumerata omnia, sequi solitis.

CAPVT IX.

VSus, facultatesque rerum superiorum attulimus: nunc persequamur incommoda. Est enim natura id ferè comparatum, vt in tempore, vsúque recto adhibita quædam vtiliter; eadem errore, aut præuaricatione aliqua, noxia statim fiant. Eademque sæpe est, ex qua sanitas petitur,

& quæ morbum inuehat, materia, vt hæc ipsa Exercitatio, de qua tot antea dicta, Frictio, Balneum, Insessio, Inspersio, Humectatio, si quo tempore, si quantum, si qualiter debeant, adhibeantur; salubria meritò habebuntur, sanitatemque defensam tuebuntur : sin secus, insalubria, morbum enim facient. Siquidem eorum, quæ ad aliquid referuntur, in numero sunt, vt idem respectu vnius aliud, alteriusque aliud futurum sit, nocens, iuuánsve : atque verissimè ideo materia hæc sint, dicantúrque faciendarum rectè rerum, quibus nisi recta vtendi ratio, modus, tempus accedat, quæ materiam vagam, & in diuersum latam, propensamque ad malum, ipsa è contrario ad suscipiendum bonum, tanquam forma coerceant ; pro materia tantummodo rudi, informique habeantur : artificij autem ratione, ac directione adhibita, bono futura semper sint. Quoniam in artis finem, quem assequuntur tandem, directo ita, atque accommodato tendunt progressu : contrà verò, fine omni euagata frustrantur. Hocque modo Exercitatio, vnde tantum ad sanitatis tutelam peti materiæ consueuit, vt totam aliquando veterum nonnulli Salubrem artem huius ipsius partis tantùm vnius nomine insigniuerint, Gymnasticen appellando, nisi præcepta diligenter custodita seruentur, ne aut nimiùm, aut non in tempore satis ineatur, aut non cuiusmodi debet, aut qualiter, aut quouis alio demum modo minimè conuenienter tractetur : noxam statim allatura sit, cùm alterius interdum generis cuiuspiam, vt febrem, sæpe, vt siccitatem, vt affectus alios quosdam, quibus causam haud dubium dedisse Exercitationis errata videri iure possint ; tum vel inprimis lassitudinum genera, quæ tam facilè exercendo incurrimus, aut quum opus fortè aliquod facimus necessarium, conficiendis tam sæpe in vita peregre itineribus magnis, negotijsque multis alijs obeundis, quæ cursitando, aut corporis defatigatione omnino aliqua peraguntur. Quanuis qui sibijpsi tantùm vixerit, nec seruitutem omnino vllam seruiuerit, solamque corporis incolumitatem curæ habuerit; hunc verisimile est incommoda hæc non facilè exercendo incursurum. Eam enim seruare tantùm poterit Exercitationis rationem, quam futuram sibi vsui autumet, & in qua ante lassitudinis suspicionem desistere, quum in animo habuerit, possit : non autem instantis negotij alicuius necessitate vrgeatur; ne, quum fortè in opere aliquo, quod non minùs ad vitæ munia vtiliter, quàm ad corporis tutelam salubriter aggressus fuerit, ad iustam Exercitationis metam peruenerit, vlteriùs progredi cogatur, ad lassitudinis vsque alicuius incommodum. Sed non omnibus tantum concessum, maiórque hominum pars, quocunque illis modo degatur vita, negotiorum multitudine implicita, in errata necessariò incidit, quæ euitari degentibus ita nequeant; quum vel in otioso sæpe, nec negotio cuipiam addicto, sibique vni vacanti, idem vsu plerunque eueniat, vti sanitatis tantùm causa exercens se, adhibito etiam pædotriba, postquàm omnia exactè se præstitisse existimârit, aberret tamen, atque solertiam humanam omnem, vt in multis fit, vincat tandem erratum. Quapropter eo quoque diligentiùs tractanda hæc, quibus expositi tam sæpe volentes, inuitique occurrimus.

Κόπον, Latini lassitudinem interpretamur, dolorem, vt opinor, labore, qui Græcè πόνος sit, contractum significantes : quanuis non parum sæpe authoribus Græcis πόνος dolorem pariter, laboremque significet; idque M. Tullius testetur, qui quàm immeritò ob hoc inopem appellârit Græcam linguam, quòd duo vno nomine appellet, quæ duobus nos significamus, laboris dolorisque, nominibus, quasi voce, quæ significanter dolorem vnum notaret, destitueretur, redarguerint Medici, quorum in libris frequentissimus κόπος vocis vsus, pro dolore tantummodo. Κόποι, inquit Hippocrates, αὐτόματοι φράζουσι νούσους, nimirum dolorem, lassitudinisque sensum solum indicans: laborem autem exercendo, aut alio quouis pacto factum, nullum. Huic enim prorsus vox αὐτόματοι repugnat. neque enim rectè hoc quidem Hippocratis sensu laborem spontaneum dixerimus, & dolorem dixerimus, lassitudinisque sensum, ex labore subortum. Atque ita non sanè minùs Græci duo habituri sint, quibus dolor laborque significentur, vocabula, κόπος & πόνος.

Verùm enimuerò lassitudinum genus multiplex : tribus tamen tantummodo fastigijs inprimis diductum. nam quartum, quod assignatur, non lassitudo est, sed siccitatis affectus, quum exuccum, squalensque, ac contractiùs apparet corpus post exercitium, resolutumque quiescere cupit, nullo lassitudinis sensu, vt in alijs, quorum triplex haberi diximus discrimen. Primum, vlcerosi sensus : quo

quasi

quasi acuum, infixarumque carni cutique spinarum, suboritur doloris cuiusdam species. Neque enim aliter sic affecti, quàm veluti acubus, aut aculeis quibusdam pungi se fatentur, itaque sensus sui imaginem explicant. Alij partium se quarundam persentire tensionem aiunt, idque quibus maximè inter exercendum laborârint musculorum tendines, neruique. Tertij sunt, qui infractas, inflammatasque queruntur partes. Atque hæ de communi hominum intelligentia ductæ lassitudinum differentiæ, tres sunt, quibus indita non minùs è notionibus ipsis nomina fuerunt: Vlcerosæ, Tensiuæ, Phlegmonosæ: communi omnes vocabulo Italorum lingua, crepatæ creuatæ've carnis appellatione, circunfert, quasi quæ crepuerit: quod quidem conuenire omnibus possit: quoniam omnium veluti solutæ continuitate sua partes sint, vlcerosæ dubio procul omni, quæ non sanè reipsa minùs, quàm voce, significationis suæ naturam referat. Tanquam enim exulceratio sentitur partium manifesta, punctim infestans, quam acria ac tenuia quædam excrementa exercitatione nimia fusa, attenuataque, vel eliquata calore eodem pinguedine, aut etiam eandem ob causam tabefacta molliuscula carne, faciant. Quæ planè superfluitates non totæ exercitatione discussæ, si mediocriter tales fuerint, nec magnopere commoueantur, (immotæ enim lassitudinis sensum exhibent) horrorem; commotiores autem factæ, sumptáque acrimonia, & tenuitate maiore etiam, rigorem efficient. Non enim fieri aliter potest, cuti carnique occurrentibus illis, ac qualitate sua vellicantibus.

Hæ vlcerosæ lassitudinis causæ, hæ notæ: Illæ tensiuæ: distentio quædam sentitur defatigatorum musculorum, non quacunque in parte, sed qua potissimùm laborârint. Laborant autem rectis maximè fibris. nam quæ obliquè feruntur, tenduntur illæ quidem quoque, at non adeò, vti restare in his tensionis veluti reliquias, post exercitium, non commoto quicquam corpore, necessum sit: id quod nihilominùs rectis fibris eueniat, quæ, quia potissimùm inter exercendum contentæ laborârunt, vel discedente exercitatione, impressa retinent præteriti laboris vestigia, remanetque affectus qualitas, priori quum fieret, non dissimilis. Quemadmodum ferè sensorijs corporis nostri instrumentis oculis sæpe, auribúsque, rerum visarum, aut auditarum, species remanentes insistunt aliquandiu, hic coloris, illic soni.

Iam Phlegmonosæ indicium, contusarum, fractarúmque, aut inflammatarum partium obortus sensus: quod tunc fiat, quum circunfusorum excrementorum quippiam arripuerint ad se, excalfacti plùs iusto musculi; hocque, quum non valde altè agitur lassitudinis eiusmodi sensus, feréque in musculis, vt dixi, qui sub cutim sedem suam posuêre, subsistit. Nam quum neruos interiores, tendinesque ossibus semper adhærescentes, occupat, profundæ magis affectionis sensus percipitur, vnde complures ossibus se dolere arbitrentur, itaque affirment. Quapropter Medici, à communi hac intelligentia non abhorrentes, meritò ὀστοκόπον appellant: quum tamen membranæ tantùm doleant, ossa ipsa tegentes.

De quarto affectu, qui siccitatis cuiusdam potiùs, quàm lassitudinis est, dictum suprà.

Miscentur autem hæc, & nunc vlcerosæ tensiuæque, nunc vlcerosæ & phlegmonosæ, nunc tensiuæ & phlegmonosæ, nunc omnium vnà signa, causæque adsunt, vt, additis quatuor his connexionibus ad simplices tres, septem in vniuersum existant lassitudinis differentiæ; secreta quarta illa, quam lassitudine verè non contineri, sed esse obortæ ab exercitatione siccitatis affectum, diximus: quæ si admittatur, vt cohærere cum alijs possit, longè plures necessariò fient. Sed reliquæ fortasse inuicem ratione haud obscura connectentur. Nam quo minùs & tendatur, & inflammetur, & vlceroso sensu pars eadem vellicetur, nihil magnopere obstiterit: at non perinde, vt cum his vnà exarescat quoque. Quomodo nanque exulcerantem humorem aliquem, aut phlegmonem facientem quæ sentiet, eadem siccitate etiam corripi poterit pars? actu quidem, quando potestate deinde id fieri demum posse concedimus, vt facultate sicco humore siccescant partes. Faciliùs cum tensiua lassitudine consenserit affectus is: quippe quam excrementum nullum efficiat effatu dignum, esseque ideo in eodem, non valde inter se repugnando, possint squalens siccitas, atque partium earundem tensio. Sed ita: si tensio tamen hæc ab exercitatione proueniat nimia. Nam vbi tensionis sensus suboritur spontaneæ, plenitudinem, quæ πληθώρα est, causam habet. Itaque alia omnino ratio sponte sua prouenientis lassitudinis, hoc genus, atque exercendo se factæ: vlcerosæ verò, vtrobique omnino eadem. Tam hîc

enim, quàm ibi, mouentibus se molestus suboritur in corpore stimuli, aculeive fodicantis, ac peruellentis sensus; vel qui cutem tantùm occupet, quum mediocriter; vel subiectas cuti carnes, quum paulò vehementiùs; vel vtrunque, quum fortiùs, validiusque vrgeat. Quanquam tam esse parum materiæ, aut ea vaporosa flatulentaque potest, & ob eam rem citissimè diflabilis, vt motum interdum ferant sic affecti. Simul etiam Symptomata hæc efficiunt vtrobique tenues, acresque, ac calidi humores, quorum tenuitate, acrimoniaque, ac calore veluti perfodi, atque exulcerari sensiles partes, pungique verisimile sit. Acres porrò, ac calidos, pro eisdem hocloco deputamus. Itaque alibi, ἐκ τῶν λεπτῶν καὶ δριμέων, alibi ἐκ τῶν λεπτῶν, καὶ θερμῶν χυμῶν fieri hoc idem, scripsit Galenus. Nec Symptomata igitur in hoc, nec erosionis, vlcerisque affectus, nec, qui affectum hunc faciunt, humores variant: quanuis hi (humores dico) ibi Exercitationis vehementia tunc fiant; hic, facti iam antea aliqua de causa, infestent, & vt author idem ait, ἐπὶ κακοχυμίᾳ τινὶ λεληθότως ὑποτραφείσῃ, quæ latenter, minutatimque succreuerit in corpore, succi malitia. Dissimilimus autem in tensiua affectus, quæ spontè fit, & quæ Exercitationem nimiam insequitur, vt interim Symptomata eadem sint. In vna enim, siccitatis, aut nullius certè humoris præsentia: in altera, contrarius maximè siccitati affectus, πληθώρα est. At in phlegmonosa, ab Exercitatione inflammatæ, contusæ, confractæque partes sentiuntur quidem, vt & in spontanea; nec sanè diuersus admodum affectus, ex affluxu in sensiles partes eas humoris factus, quem in altera auctus exercitio calor ex vicinis circùm partibus attraxerit ad se; in altera ex plenitudine idem vitiosoque succo constet, dicique ideo, atque etiam existimari posterior is affectus, quem sponte sua, nullo labore præeunte, fieri diximus, phlegmonosus, ex vtroque sui generis compositus, possit. Quoniam spontaneam lassitudinem vlcerosam vitiosus succus: tensiuam plenitudo ea constituat, quorum demum vtrunque in vnum coiens phlegmonosam creet. Id quod longè aliter se habere spectabitur in lassitudinibus, quæ manifestam præcedentis Exercitationis causam habent: vbi quoniam tensiuam humor nullus facit, vlcerosam autem facit; constitui ex vtraque phlegmonosa eiusdem huiusce generis haud quaquam possit, quippe quæ ex humore tota constet, nec parte sui vlla conflari queat, non humoris aliquid retinente, quemadmodum tensiua, id genus, nullum retinet.

Vt iam frustra in disquisitionem traxisse videantur Latini non incelebres Authores, (Concil. diffe. lxxvj. in appen.) num alia facienda nobis sit phlegmonosa, quàm vlcerosa, aut tensiua lassitudo; quòd phlegmonosa, quum vtriusque particeps sit, separatam per se speciem efficere non rectè videatur, sic in vniuersum quæsito hoc, quod quæri per partes potiùs debuerat. Quis enim non videt, ex spontaneis phlegmonosam, coeuntium in vnum duarum eiusdem modi generis mixtione, constare magis, quàm lassitudinis speciem ipsa, peculiaris alicuius, prorsusque ab alijs secretę, conficiat? Secus multo in alteris, quas laboriosas scilicet appellemus, quoniam exercitij laborem insequuntur, in quibus nec vlcerosæ, nec tensiuæ conueniens satis phlegmonosa; eoque nec composita quidem ex illis iure propriam efficere sola sibi naturam existimetur. His consentire arbitror, quæcunque à Galeno, sequutisque Galenum Authoribus alijs, super lassitudinum natura, locorũ vsquam scribuntur, dicunturque, modò rectè examinata perpendantur. Neque verò succedere Exercitationi non rectè peractæ affectus semper hi solent lassitudinis tres, quorum modò discrimina, indicia, causas tradidimus. Quartaque prætereà squalens ariditas illa, in qua nullus omnino lassitudinis vllius sensus, dolórve; nulla, vt in lassitudinibus, ad se mouédum pigritia; neque, quum mouentur, horror; hocque vnum tantummodo, tenuitas, siccitasque insignis, quam ipsam neglecta post exercitium nimium Recuratoria pars faciat. In corporibus enim exercere se consuetis, proborumq; succorum, quum vitiosi hi non sint, præbere vlceris sensum, quantumuis Exercitatione commoti non poterunt, & in gymnasticis, qui diu multumque semper exerceantur, temporis longioris mora ea consumpti facilè discutiuntur. Neque verò robustæ horum partes, & Exercitatione duratæ, illatam noxam vllam ferunt, quin longè statim à se propellant, vt hoc pacto nec tensiuam quidem, nec sensuri phlegmonosam sint; sicuti sanè neque vlcerosam, vnaque meritò ariditate corripiantur.

Cæterùm non hæ solùm Exercitationum errata insequuntur affectiones; verùm cutis quoque constipatio, quam στέγνωσιν Græci appellant, succedere potest, quũ scilicet aliquam ob causam occluditur cutis, vt spiracula ampliùs non pateant. Id bifari-

bifariam euenit his casibus: Aut enim Exercitationis vehemētia delata ad cutim excrementa, illius meatus obturant glutinositate, crassitie, plenitudine: aut occurrente extrinsecus adstringente re aliqua, refrigerátéve densabitur cutis eadem. Prius erratum non facilè incurret temperatū corpus, si iustis prætereà Exercitationis legibus tractetur. Non enim humorum vitia illa colliget, & seruata exercitij norma, multùm demet de suspicione futuræ affectionis alicuius. At huic, ab intrinseca causa hac ratione tuto, eidē extrinsecus ingruēte vehemētiore frigore, aut aluminosi, aut alioqui adstringētis balnei vsu, dēsari facilè cutis poterit. Quin, si quando post dulcis aquæ, cuiq; adstrictoria vis nulla adsit, balneum, sudorisve eruptionem, aut qua alia de causa laxata cute, flanti se auræ exposuerit: possit id non modò cutim densare, vt meatus eius conniueant; sed etiam eosdem obturare, incursu humorum balnei calore liquefactorum, sudorisque repercussu infarctos. Iam & puluere prętereà, & frictione duriter ac vehementer facta, & insolatione densatur sæpe cutis, contrarijs prorsus, quàm ex superioribus causis, nimirum eo casu frigidis, hoc calidis. Quod nō hîc tantùm contingit, neque in diuersorum solummodo generum contrarijs inter se causis, vt effectus tamen interdum idem sequatur: verùm etiam ex eodem genere, nihilominùs pugnantes inuicem causæ idem efficient, vt aquæ videmus non feruentis minùs, quàm egelidæ, seu glacialis occursu, hanc ipsam, de qua nūc sermo est, cutim dēsari. Veruntamen eodem in effectu contrarietatis tamen causæ signa apparēt non obscura: frigidæ, decolor, albensque cutis, durities, densitas, ægrè inter exercendum incalescēs corpus; sudor haud facilè erumpens, isque, vel quum vehementiùs vrgetur Exercitatio, longè minor, consuetóque frigidior, & ob hoc ipsum halituosus minùs, quòd caloris opere halitus semper plus vbique gignatur; cōtrà frigore etiam genitus coerceatur, retrò nimirum abeunte spirituoso, seseque interiùs occulente sanguine, vnde caloris quoque, qui spargi per cutim floridus soleat, priuatio: Calidæ, opposita omnia, primò, quod ad cutis calorem sudoremque, hujusque vnà ac cutis calorem attinet; pôst autem, vt & in frigida, durescat, densetúrque cutis, oportet, dictarum iam causarum vehementia. Quæ modicè aliàs si adhibeantur, modicum cutis statum seruabunt. Euocatur siquidem foras temperamento hoc calor, non refugit cōtrarijs causis pulsus. Ne tamen plùs iusto meatuum raritas ita, cutisque laxitas succedat, cautio est; quod quamlibet moderatum Exercitium, nimis tamē diu protractum faciet: sicuti frictio quoque nec dura, nec mollis quidem illa, sed multitudine excedens.

Atque eadem hæc noxa, laxæ dico nimiùm cutis, quemadmodum & constipatæ, non solùm Exercitationem, frictionémque, quomódo iam diximus; sed & balneum, humectationem, inspersionem, fomentationem, quæque antea enumerauimus huc pertinentia, sæpe comitabitur. Nam, quòd somno etiā interdum rarescere soleat corpus, nec minùs Veneris vsu, tum quibusdam alijs de causis, id verò visum fuit nobis, reseruandum esse ad Tractationem de rebus his, quæ posteriùs peragetur, quibus locis non hæc solùm, sed si qua præterea sequi incommoda alia res quasque soleant, aptè dicentur. Tum verò quæcunque superfuerint, in tractatum reijcientur omnia, qui morbosis Symptomatis ordine locoque suo dicabitur. Nunc alia aggrediemur.



IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER OCTAVVS.

Quantum præstet, alimentorum omnium vires ac facultates nouisse.

CAPVT I.



Tradendæ ab his alimétorum facultates, cibusque & potus, q̃ & rei natura ita admoneat, itaq; enumeratio Hippocratica, p̃cedat, atque huius ipsius præceptum quoq; illud sit, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν: quanuis Galenus in rerum harum censu, post Aërem, & Exercitationem, tertium fecerit Somnum & Vigiliam, antè admota, quæ ille προσφερόμενα vocet, cibiq; ac potus rationem continent. Sed nos naturę (vt diximus) sequi in hoc ordinem maluimus: quòd, sicuti post labores ferè, ductante nos sic natura, libéter reficimur cibo; ita cibo referti non libenter minùs nos ipsos somno committimus.

Pars hæc instituti nobis operis totius omnium maxima, eadem ac necessaria, tractatuq; inprimis iucunda, quamq; scribentium de rebus his non nemo solam, potissimamq; delegerit, in qua, tãquam in Summa degendę salubriter vitæ scribenda, tradendoq; documenta, versarentur. Et sanè, siue rerum multiplices differentiæ spectentur, quibus cætera cuncta superat, frugum, fructuum, plantarum, animalium tot generibus, quæ edendo sint; siue deperditæ quotidie, quin in horas potiùs, substantiæ nostræ corporeæ instaurandæ necessitas, cui non aliter, quàm cibi potusq; ratione subueniri liceat: iure materia hæc, prima, præcipuaq; vitæ appelletur, habeaturque, producendę salubriter, aut secus, pro rectè petita ex ea, seruataque, aut neglecta ratione. Nec alibi magis, crebriúsve peccatur: quo cautio quoque esse maior debet. Copia ac varietate rerum seducimur, quas natura producit, tum quas nos ipsi nobis facimus, tot tamq; anxiè quæsitis condimentis, saporumq; coaceruatione palatum gulamq; ad auiditatem irritantes. At neq; in ambientis nos aeris, neq; in exercitationũ, neq; vero vigiliæ, aut somni, neq; rerũ sex illarũ vllius, vnde materia salubritatis petitur, differentijs inquirẽdis, tam soliciti sumus; quippe quibus sorte plerunq; oblatis vtamur, aut nõ magnopere curemus, quo ea cunq; nobis modo contingant: intereà semper cibos, cõdimenta, obsonia in mensa quærimus, alij alia præferentes alijs, nec est ferè quisquã, cui non adlubeat hęc, illáve, magis minúsve sectari. Itaq; toti in hoc sumus, auideq; facimus: si cum delectu, directoq; ad salutarem victũ fine, nec inutiliter, nec iniucundè: secus, si nulla habita conseruandæ sanitatis ratione, vt quæque nobis gula suggesserit, & inordinati appetitus nequitia, nihil curantes aliud, expleamus ventrem tãtùm, quo aqualiculus tandẽ nobis subsistat. Quapropter quo maior materiæ huius copia, ac veluti sylua, ad quam quotidie necessariò ferimur, idque auidè, ac sicuti maiore cum voluptatis delinitione, ita manifestiore semper cum discrimine, errorumq; perniciosorũ periculo, in quos frequenter multis modis transuersi acti incurrimus: eoq; diligentior adhibenda rerum harum præceptio, ne videlicet accedens quoq; ignoratio præcipites multos de sanitate in barathrum ægritudinum agat. Fortissima res est scientia, etiam Plato ipse ipsum hoc testabitur; quæq; imperare, fortiterq; ducere, quò velit, vel quò potiùs ratio dictârit, qua illa tanquam machina ad deijciẽdum de ignorantia vtitur, persuasos solita sit. Hac igitur adhibita, sperandũ nobis fuerit, victum cohibitũq; iri voluptates corporis nõ necessarias hasce, morborum plurimorum cõciliatrices; mansurasq; tantũmodo naturales, quibus cum hilaritate ad extremũ vitæ perfrui incolumibus liceat. Abolẽdus igitur malorũ vsus inprimis, pro quo introducta cõsuetudo melior, spatio temporis non magno, etiam iucũditatem afferet: & accedens cum veritate rerum scientia, optimo nos loco, ad pugnandum resistendumque aduersus morbos, ex hac parte constituet.

Hocq; in re potissimũ faciendum ea, in qua nõ minùs ad animæ, quàm ad corporis bonũ proficere possimus. Non enim alitur corpus solũ cibis, sed alitũ immutatur sæpe, nutrimentique sequitur naturam victum, vincensque. Conficit nanq; alimentum corporis vis primũ: at deinde crebris actionibus ipsum quoq; perpessum superatur corpus, seq; in aliméti quadantenus naturam trahẽdum præbet. Neque hoc solũ: sed affecto ita corpori animulę quampri-

primùm consentit vis. Hinc irasci faciles, difficiles, concitati, segnes, alacres, mœrentes, temperantes, intemperantes, etiam iusti, iniusti, audaces, timidi, continentes, libidinosi, nihilque non huiusmodi euadimus, sępenumero deterioris tantummodò alimenti vsu, aut melioris. Quod vsque eò valet, tam ad corporis, quàm animi bona, vt author sit Macrobius, subditum vberibus capellæ agnum, vellere degeneraturum villorum duritie; contráque lactentis oues hœdi molliusculam, ac villosam futuram setam. Sed hoc corporis: illud animi, quoties atra bile percitos, tristesque, ac mœrentes quosdam videmus, esu inprimis rerum humorem hunc procreantium, vt non sanè minùs iam valitura sit ratio hæc Diætetices ad animorum, vt diximus, conseruandam sanitatem, quàm corporum; quoniam redundet ex ea negligentiùs tractata manifestò vsque adeò noxa. Sicuti è diuerso, puriore selectoque victu vsi, iuuamentum sentimus, purè ac syncerè ratiocinantes, discussaque, qua non parum sæpe offuscamur, caligine, mentis aciem, ad species rerum rectè ac subtiliter concipiendas, tenuem defæcatamque afferimus, hoc vno victus rationis beneficio, quam non defuerunt, qui ad vsum hunc diligenter nobis præscriptam traderent Authores, Græcorum non postremi. Non ita alia in materia factum inueniemus, vnde Salubris ars instrumenta ad sanitatem petere solita sit, vt indidem ad mentis quoque atque ingenij exacuendam aciem, aut exornandos mores, accipi tam commodè remediũ consueuerit. Quanquam enim ex multis nõ rarò animo virtutis, vitij ve aliquid concilietur, & ingenio solertia, acumenque, vel hebetudo, & stupiditas etiam addatur: (Nam & ab exercitatione quieteque, & à somno vigiliaque, & ab inanitione repletioneque, neque omnium minimè ab ambiẽte nos aëre, deriuatur in animorum vsque sedem aliquid: vnde Bœotica ingenia veterum, recentiorum Batava, prouerbio locum dederint) maximè tamẽ id in cibatu euenit, vt noxa ex eo, vtilitasque menti vnà, corporique contrahatur, non abs re. Etenim spiritus ipsi, quibus pro instrumẽto potissimo vtitur anima, quique sedem suã in sanguine posuêre, dubio procul sanguinis quoque naturam imitabuntur ipsi, & temperatum temperati, crassum crassi, tenuem cõtrà tenues subtilesq; insequẽtur. hinc mentis acumen: nam & animãtibus quibusdã hoc ipsum cũ prudẽtiæ opinione tribuitur, quę sanguinis inprimis tenuitate cõstent. Quapropter ad acuendũ ingeniũ delectu ciborũ vsos quosdã accepimus, nẽpe tenuibus faciendis, cõseruandisque spiritibus, quos animales vocamus.

Iam si fortes reddere velimus, si temperantes, frugique: non aliter meliùs possimus, quàm vitali nutritiuoq; spiritui temperamentũ suum si constet: quod vna demum cibi rectè ad id, commodeq; seligẽdi ratione assequemur. Itaque nostrates Poëtæ non inepti quidam, fortissimum futurum virum, neruis medullisq; leonũ enutritum initio, fingunt. Et vulgatum, receptumque illud est, Cerere nimia & Baccho incalescere Veneris munera: vt intelligere possimus, temperatis esse in hac parte nobis licere, temperato rerum harũ vsu. Zeno aũt ille, Vino sibi ariditatẽ senectæ, & tristitiã attẽperari, tanquam lupinis amarorem maceratione aquæ, roburq; tãquam ex aqua chalybi conciliari, professus sæpe est.

Ergo non Philosophiæ minùs, quàm Medicinæ, subseruiet pars hæc, seu quę inuestigandis meliùs naturalium rerum caussis ingenij acumen quęrit, seu quę vitę nostræ institutionem ad mores virtutumque exercitationem instruit. Nam quod ad disserendi de omnibus acutiem attinet, inueniendaque argumenta, atq; eadem disponenda, memoriaq; firmiter retinenda; nemo est qui nesciat, quantopere ciborum ad id delectu iuuemur, quantumque præstet, hos, illósve captâsse cibos; vt aut tenuiter alamur, quo penetrare meliùs in rerũ subtilitatem possimus; aut alimentorum crassitie tota mente torpeamus. Scimus, quàm cibo potuq; degrauatis, vel etiam vitiosa horum ipsorũ qualitate affectis, mentis sæpe acies obtundatur, segnesque prorsus, ac stupidi ad peruidenda acriter, quæ aut dicturi, aut commẽtaturi sumus, reddamur. Carneades certè, quũ responsionem ad Zenonis libros pararet, sumptitâsse helleborum dicitur. quid? homo aliâs tam acuti, vt historię ferunt, ingenij? nisi vt impeditum fortasse succis, quos non admodum obseruata victus ratio aliqua lucubrationibus suis aduersantes fecerat, cerebrũ repurgaret. At nobis meliùs, vt arbitror, ne fiant, ars adhibebitur: quod quidem cõsequi alia ratione non licebit, nisi in ciborum censu, quid ad hoc, quid contra facturum sit, sciuerimus: ne quando cum Catone erremus, qui tãtum, opinione sua falsus, in brassica vtilitatis reposuerit, vt atram inde bilem, quã potiùs frequens illius vsus in tantũ adaugeat, demi de corporibus arbitratus sit. Quantum igitur retulerit ad sedandos animi affectus, minuendosque, atque etiam initio, ne fiant, coercendos, hanc Salubris materiæ partem diligenter inprimis excussam tractâsse? Nam quod ad hosmetipsos, vnde Salubris quoque materia

ex

ex sexta parte petitur, affectus pertinet, ne aut pullulent primò; tum deinde insidentes iam, ne diutiùs inhæreãt, insitive fiant: rursus ad conciliandam alicubi ex his (incidunt enim sæpe eiusmodi casus) corporibus sanitatem, si quando vsus aliquis veniet, vnde quęso meliùs, aut paratiùs sumere nobis, quàm hinc, adminicula poterimus?

Cæterùm in morborum ipsorum curatione quantum valet Dięțetica? quem verò, aut quos potiùs vsus hæc adfert rectè cognita? An non partem hæc sibi tertiam fecit Curationis totius? nónne in morbis acutis, ac peracutis illis, in quibus generosi potissimùm Medici spectatur virtus, hac maximè, atq; vna sæpe ratione curatio absoluitur, Chirurgica in totum semper repudiata, Pharmaceutica autẽ ad minimas quasdam raró inter curandum operas adhibita? vt maximorum morborum, summique artificij indigentium, & ignauũ artificem spernentium, curationem hęc propè sibi vna vniuersam vendicet. Quo verò modo Diætetici veri erimus, ignorato, quantum cibus quisque nutriat, aut qualiter nutriat? Scire autẽ hoc quî possumus, non antea cognito, quantum, qualeq; particulariter exhibere alimentum esculentorum vnum quodque possit? Quapropter quum, pręter tot suprà enumeratos vsus, vtranque Medicinæ partem, tam morbos curandi, quàm sanitatem tuendi, bona ex parte impleat ipsa ciborũ tractatio: accuratè inprimis versanda, omnique adhibita diligentia in omnem partem indaginibus magnis examinanda erit, ex qua tot, tantorum, per vniuersos Salubris artis agros, vsuum veluti riuuli quidam deriuentur.

Alimenti natura priuata cuiusque, ac totius naturæ humanæ communis alia. Ratióque ostensa examinandi alimenti, quatenus à tota rei substantia, & quatenus à manifestioribus qualitatibus pendet. Tum alimenti diffinitio, & quomodo corporis partes rectè sanguine vno alantur: expositúsque hac de re Galeni locus.

CAPVT II.



EX hoc factum, vt tot propè dixerim Aurarios suos inuenerit, scribentibus de ea certatim innumeris ferè, nec spretis quidẽ illis Authoribus Græcis, ante, postque Galenum, huiusque ipsius tempestate, quorum restent hodieque plurimorum, apud Authores quosdam, nomina, abolitis intereà omnium propè ingenij monumentis, nisi concerptim paucula quædam ex nonnullis in aliorum libros transumpta legantur, tanq̃ ingentium, præclarorumq; operum relicta nobis, locisq; suis auulsa, ideoq; nec agnoscenda satis, fragmenta. Arabes deinde, fauẽtium tum studijs Regum quorundam opibus adiuti, atq; auxilio freti, plurimum sanè attulerunt lucis, non quidem inuentorum copia multorum, sed rerum potiùs dispositione, atque elucidatione. Profectò nanque inuexerunt splendorem hi quendam rebus, & vt extructæ iam ciuitatis pomœria haud protulerint, multum tamen intulerunt, veluti constitutis Reip. partibus quibusdam, ornamenti. Insequuti vtrorumque placita Latini, pro decretis habita receperunt vtriusque gentis dicta, scriptáque, in eo tantùm seduli, vt accuratè perpensa omnia examinarent; siq; controuersiæ in dictis diuersorũ, aut eiusdem quoque aliquando Authoris inter se, aliquid reperiretur, in dubium reuocarent, vtri standum potiùs esset parti. Atqui disputatione multa non fuerat opus in re, in qua libenter omnes experientiã sequimur: sicuti medicamentosa quæ sint, experimur inprimis, vt talia esse credamus; tum deinde ratiocinamur, non aliunde tamen petitis, sed de re ipsa ductis argumẽtis. Ita, quæ potissimùm vocanda essent alimẽta, experientia confirmandum fuit, vt ea eiusmodi esse dicerentur à nobis, ex quibus benè nos alitos esse sentiremus, hoc ipsum, videlicet tantummodo alitos, non etiam aut excalfactos, aut refrigeratos, aut humectos, aut siccos factos, accrescente nimirum priori sanguinis quantitate, minimè autem intereà immutata illius qualitate, alióque eo facto. Hocq; multo nobis semper factu facilius fuit in his, vt periculũ faceremus, familiaribus nobis, naturæque nostrę amicis, quàm vt in medicamẽtis experiundo periclitaremur, ob extraneæ rei alicuius repugnantiam. Hanc si sequuti essent maiores nostri vnam, hodiéve nos sequeremur rationem; nihil, aut non multum certè controuersiarum futurum fuerat in rebus his. Nunc, accedens rationum vis aliqua, (quarum persuasionibus vsque adeò seductos legimus quosdam, vti coacti nigrorem in niue inesse dixerint) aliò nos, quàm oportebat, seducit sæpe; quodque minimè decebat, experientiæ vsum aufert rebus, quarum summa in eo solummodo vertatur vniuersa, vt experiundo respondeant. Quamobrem reuocãda omnia huc: in quo quum constiterimus, tum firmandum rationibus, quod experientia inuentũ nobis fuerit. Atque hæc ipsa, sensuũ nostrorum fide, natura se sua habentium, non distor-

distortorum, non vacillantium, obiectorumque suorum species alio, quàm par sit, ordine admittentium, niti debebit ratio. Idque quum faciemus, præfigenda nobis erit, tanquam norma, in quam experiendo dirigantur à nobis omnia. Ea fuerit necessariò, quæ medium omniũ obtineat, nullam in partem vergens recta, nõ inclinans. Hæc nanque seipsam, tum quæcunque obliquè à se feruntur, dijudicet opus est: id quod præstare aliter sanè non queat, nisi rectitudine ipsa priùs nitatur. Humanam naturam quod nutriat, quærimus. Huius diuersitas magna habetur, particulatimq; sæpe alius alio magis ex eo, aut eo hoc, aut illo voluptatem capit, nutriturque vnà alimento temperaturæ conuenienti suæ, propriæque: de his intelligo, quæcunque lato illo adhuc Sanitatis campo continentur, quarum aliæ calidum, aliæ frigidum, siccum aliæ, humidúmve natura suapte exposcunt magis, quo meliùs alantur, cibum. His hæc alimenta habenda sunt, hoc est, horum respectu esse, dicique huiusmodi debent, suis quæque temperamentis quæ respondeant.

Simpliciter autem, nulláque prorsus ad particulares aliquos relatione, respectu nullo, alimẽtum humanum dicetur rectè, quod temperamenti exquisiti, aut nõ multùm certè ab hoc remoti, hominem alat. is est, Temperamento qualitatum omnium in medio collocato. Itaque quoniam nutrimentum in nutriti, aut nutriendi substantiam conuertatur, necessum est: eodem pacto nutrimentum, quod quidem verè nutriturum hoc sit, medio quoq; ex qualitatibus omnibus temperamento constet opus est, hocque vnum, quod diximus, rectè veréque dici, haberique temperamẽtum poterit: reliqua secundùm quiddam potiùs, non liberè, non absolutè talia meritò existimabuntur.

Nec me præterit, nõ semel à Galeno alimentum καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν, ex tota videlicet substantia statui alimentum esse, idque ab eodem Dioclis quoque testimonio, atque authoritate confirmari. In quo sanè nõ repugnamus, ac verissimum esse fatemur; experiendóque tãtùm primò, (quoniam aliter cognosci non possunt) tam alimenta ipsa, de quibus hoc tempore agimus, quàm etiam purgatoria medicamenta; quàm deleteria, venenatorumq; cum his animalium virus; quartóque demum loco horũ ipsorum remedia (nam his ferè quatuor, quæcunque à tota substantia agunt, continentur) indaganda esse contendimus: ac proinde de his non magnopere disputandum esse in eam de temperamento partem, quæ alimentorum nomine, aut secus appellanda nobis fuerint, quum experientia, vt diximus, discendum id nobis, inuestigandúmque priùs sit. Sed huic ipsi experientiæ nisi modus adhibeatur, & ratio etiam temperamenti quædam, ac nisi legibus id, & conditionibus suis fiat; non secus, atq; in medicamentis experiundis, plurima sæpe contingant, quibus falsi deceptique aliorsum à veritate deuij feramur. Illud inprimis, atque ante omnia considerandum, quod nemo non, opinor, fateatur, non esse vnum, idémque particularium omnium temperamentum; atque in diuersitate temperamentorum hac, vnum tamen quoddam haberi toti naturæ humanæ commune temperamentum, cuius quidem limites egressi, iam à natura humana desciscimus: vt nõnullos nostra hac tempestate scimus pannos lineos, laneosque vnà deuorâsse pro cibo; alios quosdam nunquam panem appetiuisse, solis carnibus vescentes; & illam, quam araneos consectari solitam fuisse dicunt, puellam ad vescendum: quos, quod quidem ad hoc attinet, prorsus hominem exuisse, & induisse feram, non immeritò existimemus. Nam quoniã ex proprio, peculiarique nobis, quodque secundùm substantiam totam conueniat, humano temperamento, panis alimentum tam cupidè appetimus, quàm vtiliter, commodéque semper nutrimentum inde sentimus, longè maxima omnium pars: qui hoc ipsum abhorrẽs auersatur, ne ille nobiscũ temperamento suo haud magnopere consentit. Temperamentum quum dico hoc loco, illud intelligo, quo forma, quam ex tota substantia dicimus, nititur, aut potiùs forma ipsum ea est, nobis hactenus ignotum, quòd quemadmodum haud dubiè qualitatũ quatuor mixturam inesse quandam credimus; sic, quantum cuiusq; coniectum in id sit, ideoque calidúmne, an frigidum, humidum, an siccũ, aut cuiuscuius tandem modi habendum, æstimandumque sit, ignoramus. Tale quiddã fuerit toti naturæ humanæ commune, quo hæc illáve, non autem alia alimẽta appetat: tale quiddam, quo equus, bos, sus, auis, σπερμολόγος, σκνιποφάγος, σκωληκοφάγος; apis item, formica, piscis, suam sibi quæque exposcũt propriam alimoniam. Nam & παμφάγα, quæ ita dicuntur, attamen non sunt: nõ enim omnia vllo absque prorsus discrimine vorant. multa nanque, vt pamphaga sint, carnium generis omnis, at non herbarũ: alia è diuerso, vt herbarum, non carnium. Atque, sicuti toti vni alicui naturæ, seu speciei, commune hoc est; ita proprietatem sæpenumero experimur in multis particularem quandam, qua alij caseum vtpute auersantur, alij abstemij sunt, nõnulli pomorum

morũ esum ferre nõ possunt, alij aliud vitant: etiam aspectum scolymi, seu cinaræ qui fugitaret, nouimus virum cum primis nobilem Hispanum: ijdemque hi, qui ab hisce abhorrent, alia quædam auidissimè admittent: nimirum rectè eadem prorsus existimari debet in hoc, & auersantis, & appetẽtis ratio, ex eodemque pendere credendum substantiæ totius capite, quod vtrũque faciat, vt & is conuenientissimus nobis sit cibus, & ille, vt ita dicam, reiectaneus. Quæ quanquam ratione ea formæ, nempe quæ substantiæ totius sit, constent; & propter abditas, latentésque rei huiusce ex Elemẽtorum quatuor, vt diximus, portionibus quibusdam compositiones, hactenus cognitionem nostram subterfugiant, obseruationéque tantùm, atque experientia rerum quadam propterea innotescant: alia tamen ex parte rationibus, & quidem fortibus, sæpiùs apprehensa tenemus. Vt enim proprietaté suã hanc obtineant alimẽta: at intereà necessariò vel calida, vel frigida, vel humida, vel sicca, aut etiam inter hæc attẽperata censebuntur: quando vel receptissimum, acceptissimumque corporis nostri alimentum triticum, calidum aliquantulum esse deprehensum sit. Atque ita alimenta ad artis vsum nostræ, quatenus quidem eiusmodi, experiẽtia tantummodo apprehensa, assequemur: addemus nihilominùs considerationes suas semper: eóque vnà experiũdi via cognito, esse alimentum; multa sese nobis deinde offerent vtilia inprimis, necessariáque posteriùs tractanda. Nam & quantus, qualisque eius esse vsus debeat, & quo id tempore faciendum, quæ've adhibenda præparatio, & huiusmodi quædam, diligenti nobis cogitatione, mente, animóque versanda erunt.

Illud maximum: quòd nõ ita facilè, aut potiùs neutiquam, vnum aliquem reperire cibum possis, qui pro alimento solummodo nobis cedat, nihil prætereà aliud, non aut calidus, aut frigidus, aut siccus, aut humidus, aut etiam cõiuncta hęc quædam inter se, sit; partibusque plerunque idem diuersissimis, atque adeò secum pugnantibus, confletur; aluum alia, vt in lente, vt in brassica, emolliente; adstringente alia; sæpe etiam cum alendi vnà facultate vim referente purgatoriam; quinimò vel venenũ cum alimento vnà ex eadem plantæ eiusdem origine ostentante, vtrunque præsentaneum, vt cuius alterius deploratum omnino auxilium sit: alterius materia in panificium optimũ succedat, illius gentis liquidem vera sunt, quæ de Hinca traduntur à scriptoribus. Quæ planè diligẽter expendenda à nobis cũcta sunt, vt, pręter peculiare priuumq; vniuscuiusq; tẽperamẽtũ, quod ꝓpriã priuamq; naturã facit, & vni Aesculapio Deo Medico explorandum relinquimus, etiam ex arte nostra habeamus, quæ tractemus, diuersa diuersorum temperamenta, notis nobis suis benè cognita, perspectáque. Quibus, iuxta Salutaris artis nostræ huius rationem, cognitas itidem, ac perspectas variorum alimentorum vtiliter accommodare temperaturas, pro eo, ac opus esse videbitur, vel concessas, vel denegatas in tẽpore possimus. Iam si corporum, quibus alimenta hæc exhibemus, tot, pro vniuersa specie, diuersitates, rursusq; ętatum, ac locorum, studiorúmque, ac vitæ institutorum, differentias adiungemus: nõ sanè parua futura ita sit accessio perpensionis, examinationisque iustæ, de cibariorum omnium temperaturis, præter experientiam, quo sua quibusque artificiosè, pro rerum semper varietate, aptata applicentur.

Et sunt quidem quoq; alimenta, quod ad illorum qualitates attinet, cùm manifestiores illas, tum verò insequentium quoque multas, experienda primùm: tum deinde rationibus quæque suis, vt ostendimus, inquirenda. At hîc (quod in alimenti solius qualitate occultiore illa peruestiganda non item) plurimùm aliorum quorũdam inquisitione iuuamur. Ex sapore, odore, colore, substantia, pondere argumenta ducimus. Nam & saporis acrimonia, & odor paulò vehementiùs feriens nares, caloris autem ruffedo, præter alimoniam, coliditatem prętereà arguent: rursus pondus, alimenti multitudinem: substantę inspectio, aut friabilitaté, aut viscíditatem, aut crassitiem, & huiusmodi facilè prodet, magis vt experientia deinde comprobanda hæc, & confirmanda habeamus, quæ nobis rationes modò allatæ dictárint priùs: contrà, quàm in alimenti hoc vnum scilicet tantùm indagatione, vbi necessariò præeuntem rei experientiam, tum deinde multa multarum rerum, atque ea diligenter examinata distinctione, excultam perficimus.

Hoc loco, quæ natura ipsa non seiungit, cogitatione nobis separanda sunt, & accipienda mente alimenti natura, quo nihil aliud, quàm alatur corpus, etiam si nihil intereà inuenire eiusmodi queas, vbi non (quod suprà diximus) additamenti semper aliquid inesse reperiatur. Eritq; nobis alimentũ, quod in corporis, quod alere debet, substantiam postremò omnium assimilatum transit, deperditam scilicet instaurans: si priùs tamen alendæ parti vniatur, quæ πρόσφυσις est, atq; antè hoc ipsum apponatur, à calore naturali nostro immutatum priùs, inque sanguinem conuersum

ſum, quo vno, aut certè humore, ſanguinem ipſum proportione quadam referente, in carētibus ſanguine animalibus, membra omnia nutriantur.

Profectò ſanguis eſt, qui nutriat, varius varia, diuerſus diuerſa, quo videlicet meliùs quæque aſſimiletur, amiſſumque quod fuerit, natura eadem reponatur. Sanguinem intelligo, humorum aliorum participem, non puriſſimum, ſynceriſſimumque illum, quo tam diuerſas inter ſe corporis partes minimè credibile nutriri conuenienter poſſe ſit. At hac, quemadmodum nos opinamur, ratione, communi medioq; caro, ſanguine; lien, oſſaque paulò craſſiore; tenui pulmones, ſenſusque inſtrumenta cuncta, cerebrúmque ipſum nutrietur. vnde etiam tanquam perfectiùs elaborato, ſurſumq; per longa venarum ſpatia acto, meliùs animalis ſpiritus tenuitas cōſtabit: ſimulque multis venarum ductibus immutatus veluti albeſcet ſanguis, qui nutriturus ſit cerebrū, vt exangues partes reliquas omnes, venam, arteriam, neruum, membranas, & eiuſmodi, quæ non niſi paulò magis diutina temporis mora conuerſo in albedinem ſanguine alantur; at ſanguine tamen: quemadmodum generationis quoq; primordia noſtræ ex ſanguine duci, eſt quando affirmamus, minimè quidem falsò. Etenim partiū quoque ipſarum ortus, quarum ex ſemine originis initiū eſſe creditur, rectè, vt opinor, ex ſanguine eſſe dicetur: quippe ſemen ſanguinis materiam habet, ex qua non tam nouum fiat, quàm colorationē accipiat dealbatum. Hoc pacto corporis partes noſtri, ſanguinis varietate, debitam ſibi ac cōgruam alimoniam ſentient vniuerſæ. Quòd ſi quandoq; contingat, in maxima fame, ventriculum, aliáſve corporis partes, ventriculum tamen inprimis, ob non ſolùm naturalis, ſed etiam animalis in eo facultatis ſenſum, arripere vndequaque, quacunque tandem ex parte poteſt, humores ad ſe nutriendum: trahentur illi quidem, ſed neque, ſi praui fuerint, (niſi ſi tamen ſanguinis inibi aliquid ſubſit, quod elici poſſit) partem enutrient, & vitium potiùs illi addent. Sanguis autem retractus, reciprocanſque, meritò nutriet tantū: ſimul & pituita, ſed ea non niſi ſanguis priùs facta. Eodemque modo, ſi qui ex vltimis inteſtinis, fæculentaq; ea materia, maxima attrahendi vi, ventriculique, quo tēpore rabida illa vrgetur orexi, exucta delati eò fuerint ſucci; non arbitror nutritas inde iri partes vllas corporis, niſi genito inde priùs ſanguine, quamlibet illaudato, vnde ſanè non minùs illaudatum accedat partibus nutrimentum.

Nam quòd videatur Galenus alicubi, (Aphoriſ. ij.) ex chylo, antequàm ſanguis ex eo fiat, nutriri ventriculū cenſuiſſe: id, ſi rectè expendantur, quæ ab Authore hoc his in locis ſcribuntur, nō pro nutricatione habendum, quæ ventriculi tunicis, venarum multarum ſanguinem eò deferentium diſtributione meliùs contingit, quas ipſas non ignorauerit Galenus; ſed exaturatio potiùs quædam, & tanquam latrātis ventriculi ſedatio, qua animalis facultatis moleſta illa ex fame ſenſus, qui reliquis corporis partibus non ineſt, tollatur. Itaque ἀπολαύειν τὴν γαστέρα, & reponi tunicis eius ſuccum, ſcriptum reliquit: non aūt vniri, non aſſimilari, quæ nutritio eſſet. Nec memini ſcriptum vſquam à Galeno, iuſtum ventriculo alimentum addi ex chylo, vnionemq; inde fieri, atq; aſſimilationem: ſed, ἀπολαύειν, ait, (Aphoriſ. ij. com. xviij.) ἐνεδείκνυτο ἡ γαστὴρ τῶν σιτίων αὐτὴ πρώτως τὸν οἰκεῖον ἐξ αὐτῶν ἕλκουσα χυμὸν, ἐναποτιθεμένη τε τοῖς ἑαυτῆς χιτῶσιν. & alibi, (De facul. natu. iij.) quū ἕλκει καὶ ἀπολαύει dixiſſet, ὥσθ' ἕλκει τῶν σιτίων, ὅσον χρηστότατον, ἀτμωδῶς τε, καὶ κατὰ βραχὺ. καὶ τοῦτο τοῖς χιτῶσιν ἐναποτίθεται, καὶ προστίθησιν: vtrobiq; eandem ſententiam iiſdem propè verbis protulit: neutrobi autem ali, nutririve dixit, alimentiq; aut nutrimenti vox nulla. Quid igitur venit in mentē homini, vt ea tempora tulēre, ſatis Græco, vt χυμὸν nutrimentum nobis redderet: num pro Conciliatore, cuius tueri nomen debebat, tituli ſtipulatione pollicitus, prǽuaricatorem aut falſarium exhibere maluit, quo cauſam ſuam aduerſus Galenum meliorem faceret, fide nō bona? Sed hæc fortaſſe longiùs à propoſito. Atque alimēti hæc eſt ratio, hæc natura, quam diximus.

Nutrientis facultatis, & huic ipſi ancillantium aliarum opera. Nutricationis finis ſuſtentando indiuiduo, & item alius eiuſdem procreandæ ſoboli, propagandæq;. Naturalis alimenti elaboratio qualis, quantáque ſit, atque inter excrementa vtiliſſimi omnium deciſio quò tendat.

CAPVT III.



IN id agit, vireſq; ſuas alēdis corporibus exercet facultas nutrix, altrixque, ſic dicta, quam eandē & informatricem corporū, & auctricem, nō abſque ratiōe exiſtimare poſſimus. Naturæ nanque vnius, quæ ſeſe per omnia longè lateq; fundēs explicat totam, vis ac facultas, mundanæ huic materiæ inſinuata miſcetur, informandæ, augendæ, alendæ; nunquam, niſi quum aut materia deſit, in quam agat; aut finem iam cōſequuta eſt ſuum, quò tendebat primò, ceſſatura.

Non enim semper informat, quippe informauit iam, & materia deest: at informat tamen, vel post primordia nostra, dentes restituit puerili ætate, benè rectéq; formatos atq; effictos, multo verò pòst tẽpore in adultis sæpenumero etiam genuinos. Nõ auget semper, etiam suppeditãte materia: nimirum auxit iam, finemq; in eo operi suo imposuit. Non est autẽ fas Naturę, quę ipsa sibi in hoc legem hanc cõstituisse in omnibus videtur, vt in immensum excrescere operum suorum nullum permittat, in infinitum abire, sinere nec supremã vnquam manum operi suo imponere. Hoc nos aliquando, quasi consiliarius eius quidã, monuit (De anim. ij.) Aristoteles. Eadem perpetuò, ac per totũ vitæ nostræ decursum, corpus nostrum alit, continet, fouet. Perpetuò dico, non enim feriatur vnquã, modò materia operi huic accommoda perficiundo non destituatur, quin continuè alimentum membris omnibus suggerẽdo, apponendoq; id, & vnum faciẽdo, ac postremò assimilando, exhalatam assiduis fluoribus substantiam reficiat; fluxæque, ac momentis temporũ omnibus lapsæ materiæ, assiduè aliam sufficiat.

Estq; operum hoc illius maximum, continuumque, ac necessariũ; quod nobiscũ natum, nobiscum etiam ad extremum vsq; spiritum comitans cõmoriatur: tum verò reliquorum omnium tanquam summa, ac caput; cui alię quędam ancillentur, nõ minimę tamen operæ, facultates semper, quæ alimentum primò attrahat, quæ contineat, quę mutet, quæ superuacanea expellat, vnius eiusdemq; omnia rei, quam naturã appellamus, opera. Non autẽ arbitror inconuenire, si ab eadẽ rei alicuius substantia diuersæ interim prodeant facultates, & functiones, atque actiones.

Supremum hoc habendum esse naturæ opus diximus, nutriendis quidẽ specierum indiuiduis. Nam quod eodẽ opere paratur, vltimæq; cõcoctionis excrementũ est, sed vtile inprimis; id concoctionis, quæ ante absolutam nutricationẽ peragitur, sequestre est, atq; inde decisum à natura, ad propagandas species, posteritatiq; consulendũ seponitur. Semen in animantibus habetur hoc, aut seminis vice quiddam: in plantis καρπὸς itidem semen, quod pericarpio plerunq; tegitur. Hinc specierum cõseruatio, & immortalitatis captatio, vt nõ minùs in hoc ipsum intendisse natura videri possit, tanquam finem instrumenti cõficiendi ad perpetuitatẽ, proptereà quòd naturæ proprium maximè, ac familiare sit, ex se sibi simile, seq; ipsum maximè referẽs, progignere; vt proinde ad hoc reliqua penè omnia naturæ opera, functionesq; comparentur.

Tuncq; demum naturã opus quoq; suum absolutũ perfecisse credimus, quũ eò peruentum fuerit, vt semen numeris omnibus expletũ gerat, viresq; illi suas addat ad procreãdum. Viros quidem ita factos dicimus, qui id præstare maximè valeãt; & animantibus omnibus ætatem designamus, in qua hoc vigeat, omnium maximè expetendam, iuuentuteq; & cõsistentia sua validã. Non immeritò igitur (vt arbitror) visi sum⁹ nobis affirmare posse, vtrunq; naturam satagere, atq; in eo solicitam esse, vt & indiuiduis cõseruandis studeat, quod assiduo illo nutricatu fit; & speciei propagandæ intendat, quod perfecta extremæ concoctionis elaboratione contingit, vnde semẽ existat, ad res omnes procreandas. Admirandũ vtrunq; opus, & ingentis artificij plenum, multorumq; iccirco, ac magnorum instrumentorum, ac facultatum, vt ad extremum perficiatur, indigens. Quod in absolutissimis quibusq; pręstantissimorum quoq; artificum operibus euenit, vt lignũ dedoletur primùm, ac veluti rudimentum deponat, ex quo facturus Mercuriũ sis: pòst etiã ascia admouenda expoliendo meliùs: tum diligenter manus vbiq; adhibenda ducẽdis rectè lineamentis, inducendaque partibus omnibus natiua rerũ, quascunq; repræsentaturus sis, facie. Aut si ducenda ex ære statua fuerit, delectu priùs materiæ habito, abijcienda excrementa, & superflua cuncta repurgatione aliqua demẽda, si qua impedimento futura sint, quo minùs omni nobis ex parte respondeat. Eadem est naturæ, sed longè tamen semper maiore artificio constans, ratio: quippe quę nõ superficiem tantùm operum suorum exornet, sed intimis se indat, & penetralia ingressa, nullam prorsus, ne minimam quidem, particulam amittat, quam, sese totã in eam insinuans, non summo vbique artificio elaboret.

Multa eodem modo detrahẽda alimento sunt, priusquàm rectè confici, corporeæque substãtiæ assimilari exactè queat, superuacanea. Vt enim similimũ alendo corpori sit, per totam illam substãtiam suam; at intereà diuersissimarũ partium aliarum quarundam additamentis constat, quę nisi resecentur priùs, circuncisæq; abijciantur, nulla elici inde cõmoda satis alimonia possit, vt addita primùm partibus, tum deinde vnum cum his facta, affixaq; illis atq; adnexa, postremò assimilata quoq; prorsus, benè nutriat. Hinc tot illa excogitata à natura, vt hoc demum vnum consequatur, instrumenta: primùm conterendus in ore cibus, incidendusque, ac commolendus, idq; paulò diutiùs, vt caloris inibi naturalis vim aliquam sentire iam incipiat, tum meliùs in ventriculo confici possit, quousque

tanquam

tanquam in cremorem ptisanæ quendam exactè subactus redigatur, quã χύλωσιν appellant. Ibi reponũtur intestinis recrementa crassiora, aceris instar. ipsum autem chylum, nimirum succum illũ, cremoremq́ue, quem diximus, iecur suscipit, sanguinemq́; ex eo facit, caloris natiui, dũ particulis sui omnibus diligenter elaboratur, extersione quadam, vt in alijs multis euenit, purpurascentem. Hîc rursus crassior alimenti pars deponitur, bilis atra, tanquam amurca, aut tanquam vini fęx: flaua, tãquam flos. Inde progressio fit per venas, imò nutriẽdarum partium attractio; purioris iam quidẽ, defæcatiorisq́; alimenti; sed cuius tamen, antequàm in nutrimentum absolutũ abeat, restent etiamnum decidendæ, separandęq́; superfluitates geminæ, quæ natura priores illas duas in iecore factas referant, crassitie tamẽ & tenuitate longè distent, vtpote rei iam syncerioris factę excrementa: altera tenuior, quæ tenuitate sua in auras semper euanescens, diflatione occulta, sensumq́ue nostrum fugiente discedat, nisi aut caloris imbecillitate dissipare non potẽtis, aut ciborũ multitudine nimia, aut paulò magis vehemẽti corporis commotione aliqua, in manifestum sudorem erumpat: crassior altera, nempe sordities illa, quę illotis sæpe corporibus, neglectæq́ue cuticulæ, situq́ue ac squalore oblitæ, insidens adhæréscit.

Per hasce vias, ductusq́; tot, atq; ambages tractum deducitur nutrimentũ, vt tandẽ alat, toties superuacaneis cunctis repurgatum; præter id, quod sub extremũ, magna quadam prouidẽtia, sicuti paulò antè dictum est, semen vasis suis inditur sequestre, ad vsum maximum, excrementum nihilominùs illud quoq; quidem existimatũ: cæterùm quod, quoniam magno ad posteritatem sustentandam cõsilio, summaq́ue artificij ratione, à natura reponi curatur, meritò nunquã eiusdem esse rationis ducemus, vt inter simpliciter dicta, habitaq́; excrementa numeretur. Alia siquidẽ materiæ potiùs insequũtur necessitatem, cuius iure excremẽta dicantur reiectitia: at hoc, mira quadã naturę, quasi dixerim, in posterũ cõsultatione, primò, ac principaliter maximè intentũ, conseruatur, vtilissimũ futurum.

Diuersa alimenti significata, & in quibus consideranda illius natura sit: & de alimenti cum alendis corporibus per temperamentum congruentia, & temperamenti eius excessu.

CAP. IIII.

Haec sunt naturæ nũquam feriantis opera, hæ præparationes alimenti iusti, exhalatę deperditæq́; substantiæ locum subituri. Tunc demum enim propriè censendum alimentum est, quum partibus se addit assimilatum enutritis. Nam antea, aut appositum solummodo, aut etiam insinuatum adnexumq́ue, impropriè, quasiq́ue alimentum tantùm fuerit; magisq́ue adhuc impropriè, quum venis etiamnum, iecoréve, aut ventriculo continetur. hoc οἷον τροφὴν appellat Hippocrates; illud μέλλον de Galeni sententia. Enimuerò etiam antequàm intrò assumantur, cibos alimentáque vocamus, vsitata quadã non solùm Medicis, sed etiam Philosophis interdũ, in multis appellatione, vt quũ causam nominant, nõ modò, quæ nunc facit, (quam iure, meritoque, ac propriè causam voces) verùm etiam quæ iam fecerit, factu ráque sit, hoc sæpe nomine significant.

Quoniam verò rei vniuscuiusque natura tum maximè expendenda, iudicandaq́; est, quum pura synceráque alicubi reperitur: (Simul nanq; veram quoq; tunc necesse est esse. sic quidem purum syncerumq́ue aurum, quippe obrizũ illud, verum quoq; aurum, verissimè (credo) censebimus, cui nihil prorsus extraneæ rei immixtũ sit) ita nobis de alimento faciendum, vt purioris primùm, nulláque alia qualitate infecti naturã inspiciamus, si quod tale inuenire nobis liceat. Quòd si non liceat, mente tamen id nobis tentandum, & cogitatione assequendum, quæ res plerunque coniunctas, commixtasque, separare ipsa, seorsumq́ue disiunctas intueri, considerandæ meliùs illarum ita naturæ, solet. Quapropter nõ solùm qualitatis omnis expers alienæ esse oportebit, in quo statuere puri, veriq́ue, ac proprij alimẽti rationẽ velimus: sed etiam plurimum, pro rata quantitatis parte, naturæ suę illius obtineat necessum est, vt nõ modò caliditate nulla, aut frigiditate, aut humiditate excedẽte, aut siccitate, aut crassitie, aut tenuitate, aut lentore, aut friabilitate, & huiusmodi alijs notetur nullis; verùm etiam, vt excremẽtis multis careat, plurimumq́; ideo de se corporibus alimentum exhibeat. In ouilla, si cum suilla cõferatur; in maza, si cum pane, longè minus inest alimenti: idcirco rectiùs, veriusq́; huiusce rei hîc, quàm ibi, examinanda nobis natura. Idem in oleribus, oleraceisq́; omnibus, cum pane puro, ouisq́ue, ac carnibus, collatis, expẽsum spectabitur. Quòd si hæc alimenti nobis naturam nõ satis referunt, in quibus tamen syncerior huius ipsius qualitas habetur, copia tantùm deest: multo sanè minùs, sicubi medicamentosi prætereà aliquid offendemus, id nos pro alimento, cuius quidem propria ea sit appellatio, existimabimus.

Et sunt tamen intereà rerum quoq; harum, quę alienę esse videntur, tractatus ne-

cessarij. Incidũt enim sæpe casus, in quibus non solùm quæréda corporibus alimonia à nobis fuerit; sed coniunctam quoq; adesse oporteat, modò tenuitatem siue attenuationẽ, modò crassitiem, modò friabilitatem, modò etiam quandoq; glutinositatem; & nunc multa, nunc pauca alendi facultate opus habeamus; nunc calidũ, nunc frigidũ, & huiusmodi quæramus. Sed nos prius, tanquam amussim quãdam, proponendum esse exemplum credidimus iusti proprijque alimenti, post quod etiam alia commodè deinceps tradantur. Eiusmodi, vt opinor, numerabimus suillas inprimis carnes, ætate alédi temperati hominis corporis ętatibus respondentes: cortaliũ auiũ oua, & phasianarũ: vinũ vinorũ omnium medium, idq; modicè dilutum: (nam aliàs exiccat, vt demonstraturos nos posteriùs spero) tum, si quid aliud adscribi huic albo potest. Nam suillus sanguis, qui laudatissimarũ hoc in genere carniũ materia sit, per se, solusq; sumptus, non cederet fortasse bonitate sui generis carnibus. Nũc accedẽs præparatio qualiscunq; illa (mandi autem, ediq; vlla absq; præparatione qui possit?) excrementitiũ eum, concoctuq; difficilem necessariò reddit. carnibus autem præparatio etiam temperamentum conciliat. Lac verò animantis quãtunuis temperatæ, vel si humanum ipsum velis, & de mamillis exuctum, est quidem maximè alibile: at frigidioris intereà temperaméti meritò esse existimatur; quippe hoc illi frigiditatis, nec multum tamen, compararũt mamillarum glandia, frigidioris naturæ ipsa. Atque alimẽtum huiusmodi, quod nunc quęrimus, syncerũ, nihilque, quàm alimentũ, aliud, ventriculum nactum temperati hominis, sibiq; per totam substantiã respondentem, totum propè, paucissimis superuacuis reiectis, in sanguinem abiens, corporis nutricationi cedet; nihil interim nec calfaciens, nec siccans, nec quicquã aliud tale faciens, vt quod nusquam temperamenti sui rationem exeat, totius quidem substantiæ quæ sit, ex temperamento tamen pendeat. Sicuti non minùs ventriculi, qui hoc ipsum rectè conficere debeat, ratio tota totius substantiæ habetur: sed quæ tamen téperamentum insequatur, sui quidem generis proprium, nobisque, propter ἰδιοσυγκρασίαν illam, tum qua species, tum qua indiuidua proprios sibi cõficiunt cibos, ignoratum; at temperamentum tamen. Galenus aliquando (De cau. Symp. iij.) sic, ὅτι γὰρ ἡ ἐκ τῶν τεσσάρων στοιχείων τοιάδε τὶς κρᾶσις, ἡ καὶ ἰδιότητα τοῦ τῆς γαστρὸς ἐργασαμένη σώματος, αἰτία τῆς ἀλλοιώσεώς ἐστὶ τῶν σιτίων, ἐπιστάμενοι. Sciẽtes, inquit, quòd ex quatuor Elemẽtis tale quoddam temperamentum, id quod ventriculi quoq; corporis proprietatem fecit, ciborum immutationis causa est. Temperamentum audimus Elementorum quatuor, proprietatem addere ventriculo conficiendorum ciborum illam, certum quoddam: illud est, τοιάδε τὶς. Temperamentũ enim esse, certũ est, ἐπιστάμενοι inquit: at cuiusmodi, incertũ. Scilicet ratas quatuor rerum inter se partes nescimus. Rursus, (De temper. iij.) ἅπας δ' οὗτος ὁ λόγος ἐκ μιᾶς ἀρχῆς ἤρτηται, διὸ καὶ φυλάττειν αὐτὴν ἀεὶ χρὴ, καὶ μεμνῆσθαι διαπαντὸς, ὡς ἕκαστον τῶν σωμάτων ἰδιότητά τινὰ κέκτηται κράσεως οἰκεῖαν μὲν τῇδε τινι τῇ φύσει, διαφερομένην δὲ τῇδε τινι. Cæterùm vniuersus hic sermo ab initio pendet vno, quod etiam perpetuò custodiendũ est, nimirum corporum vnumquodq; temperamenti proprietatẽ quandam obtinere, naturæ huic quidem alicui familiarem, sicuti huic rursus alicui aduersam. Etiamnũ hic temperamenti proprietatem audis vni alicui naturæ cõuenientẽ, itemq; aliam contrariam: clarum atq; apertum hinc esse cuiuis vt possit, rerum harũ ex tota substantia proprietates, nihil aliud, quàm tẽperamentum Elemẽtorum quatuor, esse, & temperamento niti. quod libenter crebrò, sed in transcursu tamen repetimus, tenaciùs vt hæreat. Ergo cõueniat alimento necesse est cum ventriculo hac in re, quod quidem ad substãtiæ totius temperamentum attinet: siquidẽ trahere ad se, amplectique, ac contentum immutare demũ cibum vẽtriculus habet. Porrò temperamenti conuenientia, & concordia hæc, cõgruentia, similitudo, non ea existimanda, quæ omni prorsus ex parte respõdeat, quando in cibo superfluitatis semper aliquid etiam exquisito, tanquam alienę, resecandũ inest: cõsensus potiùs, ac veluti quidam harmonicus cõcentus credendus is est, quo vẽtriculo cũ cibo benè cõuenit: vt, quemadmodum diuersæ plerunq; inter se proportiones musicæ cõcordant tamen, non solùm quę eædẽ inter se sunt, indeq; harmonia existit; non aliter arbitremur hic temperamenti conuenientiam plurium inter se rerũ, ex totius substantiæ proprietate ductã, in eo sitam esse, vt semper quidem Elementorum quatuor mixturam sequatur: posse autem modò ijsdem, modò etiã paulò diuersis, minimè tamen aduersantibus inuicem, quin concorditer potiùs consentientibus, quasiq; concinentibus illorũ ipsorum quatuor portionibus constare, credamus: futurumq; satis sit ad consensum, rerumque cognationem hanc, & affinitatem, vt maiori ex parte essentiæ cõueniat illis inter se; substantiæq; totius principia aut eadem, aut non valde in diuersum abeuntia, non contraria quidem, nec repugnantia, atq; in vnũ potiùs consentiẽtia, mutuò sibi inuicem respon-

sent,

ſent,ſymphoniamq; eam faciant. Cõuenientiſſimum igitur alimentũ,cibuſq; homini hominum reliquorum temperatiſſimo, cuius qualitatum aliarũ exceſſus nullus fuerit,ſolaq; ſubſtantiæ totius ratione appetendum ſe, conficiendumq; ventriculo exhibeat, quanuis interim particulis quibuſdam redũdet, inter elaborãdum deinde, dum meliùs alimoniæ inde copia elicitur, reſecandis. Eſtq; hoc totũ ventriculi ipſius munus, per ſubſtantiã totam vt cibus concoquatur, quum purũ, ſolumq; alimẽtum fuerit, nullo, vti diximus, exceſſu alio notãdum: modò in ventriculũ eadem attemperatione præditum inciderit; fueritque, qua debuit, quantitate, quaq; hora, quoq; modo, quaq; præparatione, ingeſtum. In quibus ſi erretur aut omnibus, aut ſingulis; vtiq; impedimento id erit concoctioni, ſequeturq; neceſſariò aut tardior iuſto concoctio, quę βραδυπεψία eſt, aut etiã corruptela. Sed in cibo, ventriculoq;, cuiuſmodi iam ſuppoſuimus, manifeſtiorum qualitatum nulla, ac ex tota ſolummodo, quę temperamẽtum ſuũ ſequitur, ſubſtantia agente, patienteq;, vna, opinor, nimia cibi quãtitas concoctionem tardiorem afferet; corruptelam nunquam, quod accidere ventriculo non ſoleat, niſi quũ aut ipſe quoquo tandem modo calidior, frigidiórve factus fuerit, aut ipſa demũ cibaria qualitatibus his exuperãrint. Quo caſu iactæ modò à nobis ſuppoſitioni non ſtabitur, prorſus vt nõ alibi faciliùs internoſcere liceat, quid ſit, quũ dicimus concoctionem à tota ſubſtantia, aut aliter fieri. Quippe in naturaliter omnino ſe habente ventriculo, iuſtus, iuſtaq; mẽſura, cibus concoctionẽ accipiet iuſtam: exuperans aliquando ægrè id aſſequetur; aſſequetur tamen tempore, aut ſuprà, infráve reijcietur, quantitate tantummodo, non aũt qualitate vlla moleſtus. In quo nulla, niſi totius ſubſtantię conſideratio, quã quantitas diuerſam non faciat. At ſi calor, frigúsve acceſſerit, vel vẽtriculi, vel cibi inter concoquendum: iam corruptela quoq; ſtatim vnà inuehetur, ex calore quidem nidorulentia quædam, in vniuerſum, ſed quę nunc viroſi neſcio quid, nunc cœnoſi, nũc crudiorũ piſcium, alteriúsve alicuius indicibilis putrefactionis qualitatẽ referat, vnicuiq; propria, prout is natura ſe habuerit, ὡς ἂν φύσεως ἔχει: vt excedẽtis caloris corruptela ad nidorem ſit, diuerſitas aũt de ſubſtantiæ totius natura ſpectetur, quã quoniã quiſq; propriam ſortitus eſt, ſic hactenus tãtùm variare in cõmuni corruptela cõtingit. Simplicior ad frigiditatẽ corruptio, ea enim ſolos acidos ructus adfert. Ergo totius ſubſtãtię, totiq; huic ſubſtantiæ cõiuncti caloris natiui, eoq; modici temperatique, opus cõcoctio, conuenientem atq; itidem modicũ cibum nacti: exuperantis aũt qualitatis, ſeu calidæ, ſeu frigidæ, corruptela. Simplex prior illa concoctio probáque, ac recta: hæc mala, vtiq; cõcoctio, at non purè, ſimpliciterq;: nẽpe totũ hoc mala concoctio, vitiat enim rectam naturæ functionẽ additus exceſſus: vt concoctio hîc quoq; quidẽ peragatur à calore naturali; impedita aũt, prauaque, à prętenaturali, vt in febribus. nam & ibi concoquitur alimentum: deteriùs aũt, quo vehementiore vrgebitur ventriculus, ac reliquę corporis partes, febrili calore. Eadẽ quippe deducenda eſt ratio & in concoctiones alias, quæ in corpore fiunt, non ſolùm quę in vẽtriculo. Ex hoc arbitramur in febribus, quũ opus appareat vtriuſq; caloris, vtrũq; neceſſariò ſubeſſe; & quũ illud profertur, Febrem natiui caloris mutationem eſſe in igneum; non ſic accipiendũ eſſe, nullus vt reliquus factus ſit natiuus calor, quaſi totus ignis iã factus: ſed vt alieni potiùs, atq; extranei additamẽto vitiatus videatur. Sed hæc ad aliam fortaſſe tractationem conuenientiùs relegabuntur: afferenda tamẽ huc, quo loco de cõcoctione alimẽti agebatur.

Quæ in alimenti examinatione obſeruáſſe oporteat, vel de Platonis ſententia.

CAPVT V.



Vnc poſtquã cibi veri ac legitimi quæ eſſet ratio, factũ apertum ſatis eſt, cognatioque, & affinitas, & conuenientia enutriẽdi inde corporis oſtenſa; hocq; ipſum, vt pro alimento aliquid habeatur, experientia explorandum, experientia cõprobandum ſit: age iam, ne fortè nos experiundo progreſſos falli, aut à recta via deflectere, inq; errores varios deduci, hærereq; ſæpe, aut offendere cõtingat, præſtruamus nobis viam rectã, planamque, quã inſiſtentibus aberrandum nuſquã ſit. Neq; enim temere, atque, vt fors tulit, quacunq; in re, aut quocunq; in corpore, aut quocunque tempore periculum hoc faciendum eſt.

Rectiſſimè, atque, vt mihi quidẽ videtur, in tantum, vt meliùs non potuerit Medicus ſummus aliquis, hoc pacto ad rẽ hãc ſcripſit aliquando (De legib. j.) meritò diuinus ſemper exiſtimatus vir ille Plato: Δοκοῦσί μοι πάντες, οἱ λόγῳ τὶ λαβόντες ἐπιτήδευμα, καὶ προσθέμενοι ψέγειν αὐτὸ, ἢ ἐπαινεῖν εὐθὺς ῥηθὲν, οὐδαμῶς δρᾷν κατὰ τρόπον, ἀλλὰ ταυτὸν ποιεῖν, οἷον εἰ δή τις, ἐπαινέσαντος τινὸς πυροὺς βρῶμα ὡς ἀγαθὸν, εὐθὺς ψέγοι, μὴ διαπυθόμενος αὐτοῦ μήτε τὴν ἐργασίαν, μήτε τὴν πρόσφοραν, ὅν τινα τρόπον, καὶ οἷς τισί,

λισι, καὶ μεθ' ὧν, καὶ ὅπως ἔχοντα, καὶ ὅπως ἔχουσι, προσφέρειν δεῖ. id est, Videntur mihi, qui oratione studium aliquod, aut institutum sumunt, idq; aut damnandum, aut laudandum sibi proponunt, si statim de eo pronũtient, sanè nequaquam rectè facere. Idem enim faciunt, ac si quis, cõmendante aliquo triticũ pro cibo, idipsum statim vituperet, nec præparationem eius, nec assumptionẽ interrogans, quonam modo, quibúsve, aut cum quibus, tum quo pacto ipsum habens, quóve modo se habentibus offerre oporteat. Quibus, ait, aut quo se modo habentibus: temperatis videlicet, an intemperatis; calidis, an frigidis, & id genus; tum naturaliterne tunc, an præter naturã affectis: alia est consideratio, quibuscum, aut quomodo habens exhibeatur, quod offerri debet. Præceptum autem primo statim loco allatum, quomodo faciendum id à nobis sit, vtrunq; amplectitur, vt & cui, & cuiusmodi exhibendus sit cibus, expendamus. Et de corporibus quidem alendis, atq; in quibus experiri ista libeat, illud affirmandũ; temperatissima ea esse oportere, naturamque humanam nusquam egressa, vt experimentum succedat, corporiq; accedat alimentũ, hoc tantùm, nempe alimẽtum; non autem aut calidum, aut frigidum, & huiusmodi. Quemadmodum enim simpliciter Salubre in his dijudicatur, vel de Aristotelis (Topic. vj.) sentẽtia, qui benè affecto sunt corpore: ita & alimentũ. Etenim iusto calidior aliquis, cibum, exacti quãuis exquisitiq; temperamenti, in sanguinẽ primò conuertet calidũ, quo deinde alatur quidem corpus; sed nõ simplici, & cum additione potiùs, ac secũdùm quid alimento: quippe totum hoc calido alimento. Suntq; aliæ non sanè paucæ corporũ differentiæ, propter quas variare ita, quasiq; à natura sua degenerare in alienam, contingat alimentum, quarum omniũ ex alijs tractatibus petẽdæ iustiùs notæ, atq; indicia. Ipsemet, qui laudato alioqui temperamẽto constat, potest aliqua de causa malè interdum affici, quo planè tempore aberrabit nobis ratio cõiecturæ inde ducẽdæ: potest, nondũ peracta priore cõcoctione, neq; dum benè satis repurgato excrementis suis corpore, aut exonerato rectè ventriculo atq; intestinis, ingeri cibus: potest inuerti ordo, vt iniectis priùs adstringentibus, extrema sumantur, quæ relaxant: potest intempestiuus, citò nẽpe, aut tardè nimis inchoatus, vel etiam non in iustum tempus protractus, somnus impedimento esse, quo minùs iustũ sumere ex his argumentũ liceat examinando rectè cibo. Sic quidem non imperitus rerum harum Plato (id quod colligere ex multis illius scriptis possis) de assumptione nobis interrogãdum esse cibi suadet, vt aut probemus, aut improbemus: tum, quonam id modo fiat, in tempore, an intẽpestiuè; ordine suo, an secus: tum, quinam assumant, ij ne, qui (quod ille vbiq; in iudicandis rebus seruandum esse monet) ad ferendum rectè de his iudicium directa aliorũ regula, & ceu amussis futuri sint, an iustos hos limites egressi aliqui, ac tãquam distorti, vt inde distortum quoq; sæpe necessariò iudicium sequatur: postremò, non minùs, quomodo etiam affecti assumãt, quum assumunt, hoc est, secundúmne suæ se eo tempore naturæ bonitatẽ, an secus habentes. Quæ quidem leges ac cõditiones, quanuis aliunde omnes, quàm ab ciborũ alimentorumq; natura petantur; examinandis tamen ritè his, expendẽdisque, ac dijudicandis necessariæ semper esse reperientur.

Frugum nomina diuersarum, & aptatæ rebus quibusdam voces, Siligo, Secale, Olyra, Typha, Zea, γόμνοκριθον, & veteribus indicta, ignorataq; quædam: Tum Adoreum, far, variæq; farris appellationes, Ptisana, Alica, Tragos, σιτάνιον, & item alia.

CAPVT VI.

ILla alimẽti rationem propiùs attingũt examinandi, quæ eodem Author idem in loco scripsit: animaduertendam esse præparatioñe, ac quibuscum, quóve ipsum se pacto habens, offeratur. Sanè quoniam præcipuæ inter alimenta cuncta conditionis, nõ immeritò habitum semper fuit triticum, estq; id eò loci allatum à Platone: exemplũ idem nos expendendum breuiter accipiamus. Proba materia est, si probum adhibes fabrum, ait Plautus. Faber adhibitus est, qualem probum, hac in materia, bonumque esse oporteat, ventriculus: nunc materiam versemus. Atque hîc demum apparet vera Salubris artis nobilitas, quotque illi famulentur artes, ac subseruiant. Non enim, quia egere alimento corpus nostrum sciat frumentator, frumentumque ad manus habeat, quod elargiri possit, non molitor, non pistor; salubrem Medicum rectè agent: famulantur potiùs illi, & materiarij quidam sunt, quemadmodum planè obsonator quoque, & coquus, & caupo; quorum nullus quisquam aliud, quàm materiã, suppeditat; plurimi autem vnam præ oculis sumũt sibi, quam sequantur, voluptatem, eamque venalem habent tãtùm. Nobis verò delectus semper habendus rerum harum, intendendumque in id oculos, vt nihil à nobis huc, nisi quod salubre futurum sit, admittatur.

Priùs de nominibus quibusdam dicendum, tum deinde etiam de rebus. Quod Græci σῖτον, nos frumentũ possumus; quod illi ϖυρὸν, nos triticum reddere, frumentorum omnium nobilissimum, præstantissimũque. Frumẽto cõtineri possunt triticũ, siligo, far, hordeũ, secale, olyra, zea, typha.

Olyram siliginẽ facere, vt fecisse nõnulli videntur, nõ debemus. Σιλίγνις enim Galeno nouũ, recensq; natũ nomen: at olyræ vetustissimũ, vt cuius mẽtionẽ fecerit aliquando Theophrastus, & Diocles, & Mnesitheus. Nec, quũ diuersis in locis, sed eiusdem tamen libri, vtriusq; meminerit Galenus, (siquidẽ vtroq; eadẽ res nomine significabatur) silentio procul dubio præteriturus hoc fuit, vt, quũ priùs siliginem scripsisset, siligineumque panẽ, mox haud ita multis interpositis paginis, rursus olyram nõ semel repeteret; nõ aut siliginis mentionẽ faceret aliquã, aut eandẽ cum siligine olyram esse diceret. Quocirca haud dubiè tanquam alterius cuiusdã frugis accipiendũ nobis erit olyrę nomẽ. Athenęus quoq; Galeni σύγχρονος, σιλίγνιν nũquam, nec σιλιγνίτιν panẽ; at olyram quandoque, & ex ea panẽ scribit: vt meritò nouæ rei nouũ nomen haberetur tũ σιλίγνις, neq; id Galenus, nisi priùs præfatus, tradiderit; tacuerit aũt Athenæus. Cẽseri posse existimarẽ, siliginẽ triticũ nobilissimũ aliquod habendũ esse, quale montanũ nostras est in alpibus Tridentinis, pretio excedẽs alia, chariusq; semper, vt ex quo optimus, laudatissimusque, & candore prę stans panis fiat, simul & vendibilior.

Ineptientiũ est, arbitrari, nostrã secalam veterũ esse siliginẽ, de qua modò diximus: quippe ex siligine candidissimus panis; ex secali omnium maximè ater, nisi vtriculi omnes demantur, & acere cũcto expurgetur: ac ne sic quidem candoris satis accipere, aut tristem illam nigritiem exuere potest. Mirum, ni secale Plinij sit, quod non notis minùs, quàm voce, conuenit.

Non desunt argumenta, typham, olyram, & zeam penè eandem rem esse, idque etiam de Galeni (De attenu. vic. ra.) sententia: apertè Mnesitheus typhas easdem esse censuit, ac olyras. Herodotus autem, tam multo antè, Aegyptijs dedecori esse scriptum reliquit, si aliunde, quàm ex olyris, vescerentur, quas (inquit) alij zeas vocant. Quin & Dioscorides ex eodem genere olyram fecit. Quòd si igitur verè Mnesitheo idem est typha & olyra; rursus Herodotus hanc ipsam olyram, etiam zeam nõ minùs rectè appellari scripsit: vincit profectò ratio, tribus hisce nominibus vnam, eandemq; rem censendam esse. Nam quod de Mnesitheo mirum visum fuit Galeno, nesciuisse illum olyræ typhæque discrimen: ipse sanè Galenus eodem in loco non magnum adfert: olyram præfert typhis; at intereà typhinos panes, ex bona typha, longè antecellere olyrinos fatetur ex praua olyra, præsertim calidos etiamnum, vt bonitate propè inter se vna certare videantur. Id, quod in vnius atque eiusdem generis frugibus vsu venire videmus, tantùm non quotidie, tritico, farre, oriza, panico, milio; vt triticum, triticum aliud superet hac ratione; panicum, panicum, cuius, vt milij, aliud maius, minus aliud propterea vocent: eodemque modo in reliquis. Quin vtriusque farinam, ad panificiũ subactam, tenacem glutinosamque euadere, affirmat, ideoque refrigeratos inde panes condensari magnoperè, typhæ autem magis: vt vel ex hoc trahere indicij non nihil liceat naturæ eiusdem, vel congeneris saltem. Hordeo tamen Galenus olyras similes facit, albas scilicet; typhas tritico etiam plusquàm flauas: quod mihi longè adhuc magis persuadet, hasce pro zea esse habendas, aut simillima certè fruge. Hoc enim in zea spectari manifestò satis potest, sed deglubita; cuius etiam granum tritico minus sit, sed colore, figuraque simillimum, deglubitæ dico, & decorticatæ. Atque hæc de typha ab Authoribus scribuntur, quæ inesse omnia in zea quoque videmus. Simul illud accedit ex Homero, qui equorum cibum aliquando fecerit triticum. Legitimum autem triticum, quo nunc vtimur, pro alimento perniciem sæpe equis adfert. Scimus enim equites semel quosdam milites, quum, quod iustum equis suis præberent alimentum, ad manus non haberent, penuria aliarum rerum coactos triticum apposuisse, atque ex eo equorum multos perijsse: vt optima proptereà vsi fuisse coniectura videri possint, quibus visum fuit, Homeri triticum aliud omnino quiddam, quàm nostrum hoc, esse. Porrò autem hac tempestate, in multo maxima Italiæ propè totius parte, zeam equis exhibent pro pabulo innoxiè, speltam vocant: vt iam ex hoc, Homeri triticum illud esse hanc posse, suspicetur quis non immeritò, quæ præsertim hodieque in panificium optimè cedat, & quidem pro tritico sæpe ipso: cuius rei libuit historiam breuiter hic subtexere, non ingratam legentibus futuram. Nouimus, quicunque illum noueramus, omnes, quanto ingenij acumine & perspicacia præditus fuerit Diuus Ferdinandus Augustus Cæsar, quàm magnus ille naturalium rerum omnium indagator, scrutator, excussor: vt in tanta nominis maie-

ſtate, ſummoq́; faſtigio, atq; ingenti negotiorum tot tantorumq́; mole, ſæpenumero mirarer tantam rerum, quæcunq; offerrentur, omnium naturæ inquirendæ diligentiam. Is, quum ei, vt ſemper, prandenti aſtarem, appoſitusq́; eſſet menſæ candidiſſimus panis, cõuerſus in me, Quid, inquit, cuiuſmodi eſſe panem hunc cenſes? ex qua materia? Ex qua, inquã, alia, quàm ex tritico? Ex zea, inquit, eſt. Atqui ex zea, inquã, panificiũ eſſe, ingenuè fateor neſciſſe me antehac: vt tamen factu facile id eſſe non negem, verùm non vſitatum credidi. Scire tibi ex me, inquit, hodie hoc certò licet, vſitatiſſimum eſſe toto hoc in tractu, vniuerſoq́; Norico, ac Vindelicia. degebamus autem tunc Auguſtæ. Quod quum mirarer, videreturq́; mihi nouum; ille, ad demendam mihi dubitationem omnem, Ne fortè, inquit, in hoc fallaris, triticumque, quod glubitæ zeæ ſimilimum eſt, pro hac accipias, ſimulq́; ne ſuſpicêre ſubeſſe fraudem; ipſe tibi Tridento exportandã, cum gluma adhuc ſua, zeam, ſiue ſpeltã, de tuo curabis, vt ex glubita hîc molitaque panis fiat. Feci ſtatim iuſſus, veriſſimaque eſſe omnia reperi. Ingreſſus deinde oppidorum aliquot horrea Germaniæ, vtriuſque aceruos ſpectaui, zeæ, triticique: nulla, primo quidem aſpectu, differentia, quę intuenti deinde diligentiùs apparet. Zea grano conſtat omnino breuiore, nec tam denſo, aut ἀδρῷ, & pondere aliquantum cedit: Keren vocant, ſimilimo Latinis, imò verò eodem prorſus nomine. Latini quidem zeam peculiariter ſemen appellant; eandem Germania Keren/quod ſemen eſt. Videntur autem vtrique ex quadam veluti dignatione nomen hoc illi tribuiſſe: vt hoc quoque ipſum ad fidem faciendam aliquam, pro tritico olim quoq; habitam fuiſſe zeam, accedat. Illud hac in re non parum ſanè mirêre: Annis ſuperioribus, in maxima annonæ caritate, quum fame non ſemel laborâſſet Italia, petereturque ſubſidium ex Germania, pręſertim verò ex Norico; mercatores, qui eo tempore ingentem horum omnium vim, tritici, ſecalis, huius ipſius zeæ importarent, ignorâſſe, pro tritico ſe plerunque zeam tractare, zeam emere, zeam vendere, plurimosq́; eorum adhuc eſſe, qui hoc ipſum ignorent. vt fallantur, cauſa: aſſueti nanq; alibi glumæ adhuc suę inuolucro tectã ſpectare zeã, ſicuti fuſtibus tũſa, primùm ex area ſumitur: hîc folliculis, integumẽtoq́; omni liberatã venalẽ iam intuentur, tritici, vt dixi, grano ſimilimã. Nã cæteræ fruges penè oẽs, quũ poſt triturã ventilãtur, corticẽ omnẽ abijciũt, tunicisq́; omnibus illis expoliatæ prodeunt, excepta, qua primùm veſtiũtur, furfuroſa illa, vti nullã iam, quàm molendini, operam expoſcant ad farinã. Solum hordeũ & zea piſtillis priùs, aut quoquo alio modo, contũdi poſtulãt, vt vſui nobis ſint huiuſmodi. Zeã verò Italia iumẽtis edendã proponit, rudẽ ſic, ex area primùm deſumptã. Porrò parauit ſibi Germania peculiariter ad vſum hũc quaſdã moletrinas pòtiùs dixerim, quibus zea, meliùs vt deinde venũdetur, deglubitur, nõ molitur: quo facto, tritico tenuius omnino, atque exilius prodit granũ, & id flauũ, cæteraq́; omnia tritici maximè æmulũ. Hæc eò allata huc à me fuêre, vt perſpici poſſit, in re tam vſitata quũ erretur, rerumq́; potiſſimùm ſimilitudine error contingat; non perinde videri mirum cuiquam debere, ſi Galeni vel tunc tẽpeſtate incerta res eſſet, nosq́; noſtra hac, Homeri exemplo, zeam alicubi pro tritico non tam nominamus, quàm habemus, vt ille typhã; quæ, quod ſæpe iã diximus, cũ zea eadem, aut nõ diuerſiſſima certè cenſeri propterea res debeat. Quis enim rẽ plerunq; rerũ duarum in medio poſitam, quarum vtri magis facie ac ſimilitudine accedat, neſcias; non pro ijſdẽ, quod quidem ad id pertinet, habeat? Aliqua reperta fuiſſe ſuo tẽpore ſcripſit Galenus, hordeũ inter & typham, rurſus typhã inter atq; olyram alia; nõnulla ab his ſimilitudine accedere ad triticũ, & quædã fuiſſe, quę panici & milij nominibus vocarentur. Confinia ſunt hæc rerũ ſimilimarũ, ac proinde non magnopere natura ſua diſcrepantium: in omnibus tamẽ, quoad eius fieri à nobis poteſt, inueſtiganda diligenter rerũ differentia, tenendaq́; diuerſitas; nõ ex colore ſolùm, formaque, & pondere: ſed ex guſtu quoq; atq; odore, guſtu aũt inprimis, tum verò deinde præparatione etiam, atque aſſumptione.

Idem Author bis (De alim. j. De attenu. vic. ra.) ſcripſit nobis γυμνόκριθον quoddam reperiri, quaſi nudihordeum dicas: id nos ſcilicet frugẽ habendã eſſe arbitramur, quã rura noſtra ſcandellã vocant, rẽ hordeo ſimilimã forma, colore, pondere, guſtu, magnitudine, eſu, viribus; excepto, ꝙ nõ tam adhæreſcente granis cortice veſtitur, fuſtibusq́; ideo facilè tunſa deglubitur ex toto, glumoſoque cortice omni euoluta ex area colligitur, vnde illi inditũ à Græcis nomẽ: quod in hordeo non fit. Illud inſuper diuerſum: Nã hordeũ autũno, ſcãdella vere ſeritur, vt hęc trimeſtre eſſe nobis hordeũ, vel æſtiuũ poſſit: quod genus & triticũ, & ſecale habemus, & ex adoreo fortaſſe alicaſtrũ. Audio à colonis, à quibus perquiſiui, genus prætereà eſſe hordei quoddã, quod inchoãte vere ſeritur. quod fieri poſſe nõ inconuenit, vt hoc quoq; fit. Quin ſuſpi-

cari etiam libet ſcandellam haberi pro olyra poſſe : quippe quam hordeo Galenus perquàm ſimilem faciat, albedine.

Gretij primùm in Stiria, quam Aureolam eſſe contendunt, frugem vidimus, edimusque, panico cætera omnia non diſſimilẽ prorſus, niſi quòd paruitate ſuperaret. Viſa eſt enim mihi inter fruges omnes, quæcunq; quidẽ alẽdo ſunt, grano omnium minimo : gens ea cœleſtis roris nomine dignatur, Himeltauw appellant lingua ſua : vſuiq; ſemper illis eſt ex iuſculo aliquo, vt panicum. Quum diligenter quæreremus, cuiuſmodi eſſet plãta, campi nobis oſtenſi ſunt pleni, facie ſimilima gramini, quod aliqui aculeatum appellauêre, fuitq; olim à multis falſò pro coronopo exiſtimatum. Iam igitur hoc ea ſibi regio inuenit nouũ frugis genus, quod nuſquã alibi, ad vſum quidem illum, quod ſciam, reperias, niſi inde iam aliò importetur ; ſed nec qua præstereà vſos vnquam fuiſſe veteres pro fruge alicubi, opinor, legas.

Sicuti ſanè nec frugis eius genus, paſſim iam, vbertimq; in Alpinis potiſsimùm tractibus prouenientis ; rura frumẽtonem vocant, frumentum Saracenicum alij : granum eſt, quum maturuit, nigrum, triquetrumque ; trimeſtre & ipſum, magno ſemper culturæ compendio commendatum, vt quod poſt meſſem ſæpe in Alpibus, vbi bis quotannis ſementem faciunt, ſeratur, leui tãtùm agri proſciſſione, nec ſtercoratione vlla. Ex molito pultem conficiunt, multi frequentisq; vſus : ipſi polentam vocant. Nonnulli gramen Parnaſi ſtatuêre, falſò. quod vt eſſet tamen: at nulla interim in veterum libris eius, ad alimenti quidem vſum hunc, mentio. Ita pereũt nobis alia, ſubeunt alia: rerumq; aliarum omniũ more fit, vt vices ſemper ſe vertant hoc pacto.

Et quoniam ſemel huc ingreſſi ſumus, perſequamur ſanè pauculas adhuc quaſdam rerum harum nomenclaturas. χόνδρον Græci appellant, Latini far, & adoreum. Sed huius vna tantùm ſignificatio, qua ſemen indicatur id, quo populus Romanus trecẽtis cõtinuis annis vſus fuiſſe dicitur, atq; ab edẽdo primùm edor, deinde ador, tũ adoreũ quoq; vocatũ eſt: at farris nomine cùm hoc ipſum rectè ſemẽ ſignificetur, tũ fruges prætereà quædã aliæ, ſed pinſitæ. Athenęus, (Dipnoſoph. iij.) Διὰ τούτων, ait, ὦ θαυμάσιε ὑπογράφει ὁ Νίκανδρος τὴν χρείαν τοῦ τε χόνδρου, καὶ τῆς ἐπτισμένης κρίθης. vſum dixit chõdri, & pinſiti hordei ; vt chondrũ itidem hoc loco pinſitũ accipiamus. Sicquidẽ Columella quoq; (lib. viij.) farris nũc triticei, nũc hordeaci, nũc adorei meminit, nõ mehercle ſola ſeminũ ipſorũ ſignificatione, ſed præparatione prætereà quadam ita notata, nempe contuſione in pila.

Hinc planè ptiſſanæ quoque nomen, ἀπὸ τοῦ πτίσσω. ſed hæc propria hordei eſt, quam tamen Columella, vt diximus, far hordeaceum vocat. Rurſus, Alica, inquit Dioſcorides, fit ex zea. hoc ſimiliter far eſt, zeicum, vt ita dicam, ſiue zeeum mauis. cæterùm hoc chondri ſibi nomen vſurpauit ; vt hordeaceum far, ptiſſanæ. Erit igitur, arbitratu quidem meo, Græcis χόνδρος propriè, quod Latinis adoreum pro ſemine : item χόνδρος, zeeum far, ex zea, hoc propriè Latinis eſt alica. Sicuti ex hordeo Græcis πτισσάνη : quod Latini nomen retinuêre, Medici præſertim. nam Authores alios docuimus hordeaceum quoque far appellâſſe, vt & triticeum ex tritico. Res erunt eiuſmodi explicatiùs ita poſitæ : Semen eſt cereale, frumentaceum, Græcis χόνδρος, Latinis adoreum : hoc ipſum ſemen pinſitum, Latini non iam adoreum ſic ſimpliciter, ſed adoreum far vocabunt ; Græci ζάγον. Zeæ pinſitæ Græci maluerunt chondri nomen accommodare ; hanc alicam peculiariter Latini Medici. Iam hordeum ita præparatum, πτισσάνην Græci, noſtrique eadem ptiſſanæ voce ſignificabũt ; ſed & far hordeaceum dicent. Idem in tritico, ſi vſu veniat vt pinſatur, Latini far triticeum vocabunt ; Græci eodem, quo adoreum far, nomine ζάγον. Atque ita hordei propriè erit ptiſſana tã Gręcis, iquàm Latinis : zeæ Græcis χόνδρος, Latinis alica : tritici & adorei Græcis ζάγος, Latini far triticeum, far adoreum communi magis nomine, vt & hordeaceum, & zeeũ. Quem propè vſum materna noſtra lingua ſequitur, qua, quicquid frumentacei generis in pila contuſum, leuiterque fractum eſt, & quaſi freſum, (tametſi freſum de leguminibus tantùm dici arbitrer, quum in geminas, contiguæ quæ antea erant, partes non continuæ, ſcinduntur) communi farris voce notant : additione autem priuatum faciunt, modò frumenti far dicentes, ſic enim vocant triticum ; modò ſpeltæ, ſic zeam ; eodemque modo in alijs. Adoreum autem, ſemẽ nimirũ ipſum, antequàm vllo modo præparetur, frumentum far dicunt.

Eſt & trimeſtre triticum σιτάνιον : nam bimeſtre Theophraſti nondũ vidiſſe contigit. Sed & ſecale eiuſdem generis habetur, & adorei, quod antea diximus, alicaſtrum, & fruges aliæ quædam.

Reliqui Cereales cibi noti propè omnes ſunt, vt qui vetus adhuc nomen ſeruent ſuũ, miliũ, panicũ, auena, oriza, faba, lens, cicer, piſum ; cicercula, noſtris ceſerchia ; eruilia, noſtris herbeia, quod genus ſunt phaſellus, ochros, lathyrus, aracus, nullo, aut paruo omnino, inter ſe diſcrimine,

mine, vt ſcire facilè poſſunt, qui frequenter ruſticantur, herbeiæ omnes dictæ. Nam phaſiolos, ſeu dolichos, multis notis vincunt noſtros eſſe phaſolos. Iam eruum notum ſatis, papauer, fœnumgræcum, lupinus, vitex, ſeſamum, linum, cannabis, vicia: quorum tamen omnium iamdiu multa deſierunt in ciborum cenſum venire, tanquam quæ vſu comperta ſint, pauciſſimum exhibere corporibus noſtris, & id improbum ſatis, alimentum.

Frugum probatio per notas. Tunicis ſuis exutarum vſus, aut pinſitarum, aut freſorum leguminum. Corrigendæ frugum malitiæ ex parte ratio, & ſorbitionum ex iiſdem vſus: Tum repetita, de ptiſſana quadam, eiusq; præparatio dicta, aliarumq; vnà, & facultates.

CAPVT VII.

HAc nominum ita explicatione diligentiore illud aſſequemur, vt minimè ſuppoſititijs rebus vtamur, neque in alterius altera locum irrepere facilè poſſit. Cui nanq; argumentis conſtiterit, quam veteres tragi, verbi gratia, vocabulo rem, quàm ve chondri ſignificârint; is planè, niſi inconſideratè omnino agere velit, hanc pro illa, aut pro hac illâ, ad vſum non aſſumet: quumque trahere in experientiam volet res, aut veterum de his dicta comprobare; nulla nominum ambiguitate, aut æquiuocatione deceptus, rectámque viam ingreſſus, tutò deinde progredietur: tantum faciet proprius vocabulorum vſus, diligenter ſeruatus. Nec, quum Authores audimus, præſertim verò Galenum, ſæpius inculcantes, nullam eſſe nobis de nominibus curam habendam: ſic accipiendum eſt, vt ſignificata prorſus, quæ quibusque nominibus propriè conueniant, negligamus: ſed, quum res ipſas tenuerimus, receptaq; iam, atque etiam vſitata habuerimus nomina ad eas ſignificandas, nobis, ſi rectè agere velimus, vtendum eſſe his exiſtimemus: permittendum autem alijs, vt quo quiſq; rem quamque velit appellâſſe nomine poſſit, modò rerum nobis cognitionem non interturbet. In eo verò nos non magnopere anxios eſſe debere ſcribunt, vt ſi alio vocare triticum nomine velit aliquis, vocet ſanè. De eo enim contentioſè agere non debere nos dicunt, modò de re conueniat. ijdem intereà hortabuntur, proprijs, ac conuenientibus, & quantum poſſumus, ſignificantibus vtamur ſemper vocibus.

Atque his hunc in modum traditis, & aptato ita alimentorum parti huic, quam de frugibus hoc loco tractandam ſumpſimus, recto vocabulorum ſuorum vſu, poſtquàm ſciuerimus hæc ipſa eſſe alimenta: quærendum reſtat, quantum ex quoque corpori proueniat alimentum, quale, quando. Nam aliæ quædam conſiderationes de his, vtendi potiùs modum attingere videntur: vt quum, quo aſſumendus tempore cibus ſit, qua hora, aut quo demum id à nobis faciendum ordine ſit, quærimus. Atque, vt alimenta eſſe ſciamus, experiundo id nobis indagandum eſſe, diximus: neque id in quouis tamen, ſed hîc quoque habendum eſſe delectum monuimus; vt in temperato, temperatique ventriculi homine, omnique ſe tunc ex parte benè, naturaliterque habente, fieret: non diſſimiliter alimentum, quod in experimentum veniet, purum, ſyncerúmque, nulla alia re infectum ſit, oportet; niſi qua quidque præparari ad aſſumptionem debet: ſed tunc non infici, ſed aptari potiùs, & accommodari dicetur cibus. Itaque triticum, aut quæcunque paulò antea recenſitæ à nobis ſunt fruges, vt legitimè experimentum ſuccedat, non ex quouis genere, neque ex quouis loco, neque ex quouis agro, neque ex quouis aceruo, neque quocunque indifferenter ad hoc tempore, capere nobis fas erit. Nam, vt veteres olim alia alijs meritò præponebant; ſic nos, noſtra hac tempeſtate, non ſanè paruo diſtare inter ſe diſcrimine videmus fruges, atque eas antecellere alias alijs. Italicum triticum Siculo, Siculum Germano, Gallicóque: atque etiam hæc ipſa inter ſe certare bonitate Italica, pro locorum differentia, animaduertimus. Montanum ferè (quod ſiliginem, aut pro ſiligine habendum eſſe, ſuſpicari nos poſſe, dictũ ſuprà) præſtat ſemper eiuſdem regionis alijs, tanquam perflatum magis, eoq; minùs excrementitium: & quod ex agro ſicco, ei, quod ex vliginoſo metas. Iam plurimùm retulerit, ex horreo'ne ſumere cures, in quo optimè, an ſecus, aſſeruari ſoleant fruges: inprimis verò, ſtatim'ne ex area batuitas, vt ita dicam, an matura quaſi ſui ætate iuſtáque poſt meſſem, an ſeneſcentes planè iam, quum euanidæ, rugoſæq; prorſus fiunt, ad panificium, alióſve quos vſus voces. ſuntque hæc frugum omnium communia. Quòd ſi nobis ignorabuntur cuncta hæc, aut eorum multa, vt aut natales illarum, aut loca, aut ſementem, aut tempus, aut ſimul omnia, neſciamus: indicijs, quod reſtat, ſuis inquirendum, ponderis, coloris, formæ, guſtus, odoris.

odoris. Quæ, vt etiam reliqua omnia, quæ paulò antè retulimus, cōperta nobis sint, nihilo tamen secius ad examen de his aduocabimus. Pondere suo commendantur fruges cunctæ. Nam quo quæque hoc ipso sui generis alijs præstant, eo sanè probandæ magis. Color in tritico cum nitore rufescens commendatur: qui in adoreo satur magis exigitur. Hordeū probatur candidum, sicuti & nudihordeum, quod diximus, siquidem id, vt credimus, nostra est scandella. Formam, siue fortè substantiam meliùs dixerimus, frugū intelligimus, constitutionem ac densitatē, ἀδρότητα scilicet, qua firmum, compactúmque, ac minimè rugosum granū præstare bonitate scimus. Deprehendetur id facilè, si dentibus mediȩ terantur. apparebunt enim intus aut solidæ coactæque, aut laxæ raræque: priores etiam maceratione intumescere citò solent, quod bonitatem arguat: posteriores minimè, aut parum, tardeq́ue, quod prauitatem. Gustus quoq; naturā deteget. nam aut exqualem illam qualitatem necessariò ostendet, aut alterius saporis aliquid. Ducere autem indicium ex omnibus licebit, temperamenti quidem cuiusdam ex saporum absentia illa; caloris autem, & frigoris, ex eorum ipsorū differentijs alijs. Hinc manifestæ quoque nobis fient tenuitas & crassities, glutinositas & friabilitas. Linguȩ maximè animaduersione, situm, & quendam ceu mucorē, ex mala repositione neglectáque ventilatione contractum, sapor statim prodit; vt equi ipsi iumentaq;, quibus indicia alia imperspecta sunt, hac vna sæpe cognitione moueātur, & appositum pabulum refugientes non attingant. Hoc delectu fruges censendæ, quas probemus, si prætereà loliū, quisquiliæq́; aliæ omnes extraneæ absint.

Hoc probationum genere veluti excussæ fruges, atque examinatæ, ad vsum veniunt, primùm, antequàm in farinā molantur, integræ, corticibus tantùm suis tunicísque omnibus euolutæ, aut leuiter in pila infractæ, pinsitæq́ue: quod far à Latinis diximus appellari, triticeum, adoreum, hordeaceum; etiam, si placet, zeeum: Græcis, duo priora τράγος, tertiū πτισσάνη, quartum χόνδρος, vt priùs significauimus.

Idem vsus etiam leguminū, priusquàm molæ tradantur, sed fresorum: vnde faba fresa, & cicer fresum: Græci, opinor, ἐρευγμὸν appellāt. Id fit, quum in pila diuiduntur media, duæq́ue ex eis partes fiunt, quæ priùs cortice vno tegebantur contiguæ. Neque id tamen in omnibus succedit. nam nec lens, nec panicum, nec miliū, & huiusmodi, frendi possunt; deglubuntur tātùm. Omnium ita ex iusculo aliquo vsus. Nam aut carnis alicuius, aut suo sibi incoquuntur proprio: macerantur aliquandiu priùs aqua, atque etiam sæpe nondum detracto cortice elixantur, faba, cicer, pisum, lens.

Tostarum frugum desijt iam vsus, antea frequēs satis veteribus. Cæterùm, quod illi inde quȩrebant, vt flatuositas ita demeretur, nos certè quoq; consequi possumus elixatione paulò magis diligenti. Itaq; non incommodè hodie vtimur cùm frugibus alijs, leguminibúsque elixis, tum tritico etiam; sed dilutioribus omnibus, magna quidem ex parte, quod multùm sanè faciat ad tollendam noxam, quam ex tritici elixi esu expertum se fuisse Galenus affirmat, degrauato inde, tanquam pondere aliquo, ventriculo, atque insequutā cruditate, & postridiana inappetentia; tum subortis quoque flatibus, capitisq́ue dolore, & obtutu caliginoso. Conferta, cōfarctáque, inque vnum coacta cūcta extitisse, verisimile est cibaria eiusmodi, quæ symptomata ea inferrent. Sic de tritico Galenus, (De alim. j.) παραχρῆμα τὶς ἀυτῶν ἐμβαλὼν εἰς χύτραν πυροὺς ἥψησεν, εἶθ' ἡδύνας ἀλσὶ μετρίοις, ἐσθίειν ἡμᾶς ἠξίωσεν. Coniectum, inquit, vnus quispiam eorum in ollam repentè triticum elixauit, conditúmque modicè sale iussit nos edere. Vides solius hîc tritici, non humoris facere mentionē alicuius, qui ferè coquendo semper absumitur, elixatu illo euaporatus.

Quod quū factum est, nostri iusculo insuper diluūt, vt meliùs edēdo sit, ac sorbitio potiùs fiat; eoq́; nocumentū vnà auferūt bona ex parte. Sic enim glutinositas illa, quæ frugibus alioqui multis inest, dilutione plurima aquosior facta, tollitur, vt non tātopere cohæreat tenax: ῥόφημα hoc Græci, & ῥοφημάτιον; nos sorbitionem, & sorbitiunculam dicimus: quoquo modo affectorum corporum cibum potiùs veteribus, (quanquam & sani vterentur) quàm benè omnino habentium, qui solidioribus potissimùm vesci solerēt, colligas ex capite de chondro Galeni: quod caput de alica inscribi, non placet. Est enim alica ex zea. Et vt ex adoreo quoq; tale quippiam fiat, quod far adoreū Latini nominent, Græci τράγον: at caput id adoreo simpliciter, proprieq́;, nō farri adoreo dicatū legi debet, vt id, quod hoc ipsum antecedit, tritico. Sed, qđ dicebā, animaduertas inde, ob insignȩ chōdri lentorē, quæsitū semper auxiliū aliquod additamentis alijs, multo ex oleo, & sale, vt citiùs subsideret; modò ex œnomelite, abstergēdo, attenuandoq́ue; modò ex vino cùm dulci idipsū faciēdo, tū etiā adstringēte; atq; hoc, quū vsus veniret rei huiusce, vtputa in cita nimis aluo, aut vētri-

culi

culi ſubuerſione. Propterea, ne ſubiret nobis admiratio, adijcit hæc, ἴδιος γὰρ ἑκάστου καιρὸς τῆς χρήσεως. quaſi dicat, propriũ eſſe debere vniuſcuiuſque, opportũnumq́ue vſum. Iubet deinde diligẽter aduertamus, intentiq́ue ſimus in ſorbitionibus, quæ ex toto chondro parantur, huncq́ue eſſe ait chondri ſuccum, aqua mixtum, qui, ne fallamur nimia feſtinatione iuſtam coctionem anteuertẽtes, diu multæ aquæ admixtione verſandus, perfecteq́ue elixandus ſit. Tum addit: ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἐν παρέργῳ λελέχθω θεραπευτικῇ προσῆκον. ſed hoc obiter dictum ſit, ad Therapeuticen, non ad præſens negotium pertinens. Sorbitionum iuſculorumq́ue præparationem, Therapeutices potiùs eſſe dixit, τοῖς δ' ὑγιαίνουσιν ὅταν ποτὲ κατὰ δῆξιν σφοδρὰν γαστρὸς, ἢ χολωδῶν πολλῶν διέξοδον, ἤ τι τοιοῦτο, δεηθῶσι ῥοφήματος. Sani autem, ſi quando in vehementi ventriculi morſu, aut bilioſorum plurimorum deiectione, aut tali quopiam, ſorbitione indigebunt: vt vel in ſanis medicatum eſſe ſorbitionum vſum intelligeremus, quum ſcilicet affectu aliquo tentamur. Quocirca, vbi nihil aliud ab elixis frugibus, quàm corpori alimentum ſano quæreretur, elixas quidem illas apponi ſolitas, ſed in maſſam ſpiſſatas, nulloq́ue, niſi quem inter elixandum imbibiſſent, humore fluentes, crediderim: ideoque non valde mirum eſſe debuerit, ſi ingeſta eo pacto maſſa illa, tanquam pondus quoddam ventriculo incumberet. Nos autem hoc tempore offenſionis eius ſenſum tam inſignem plerunque non accipimus, liquidioribus illis, & ſorbitionis potiùs cuiuſdam in modum, vſi: cuius tamen inſtar quoniam non ex toto explent, (ſolidas nanque fruges, quanuis ex iuſculis, neque in ſuccum ſolutas, quod ῥόφημα iuſtum eſſet, deuoramus) ne ſic quidem deuoratæ noxam omnem effugient, aut, quicquid obtinent glutinoſi, exuere prorſus poterunt: quippe quod vix domari fermento, ſaléque ad panificium addito, longáque & diligenti maſſæ ſubactione, verſatione, coctura queat: maximè verò in tritico & adoreo, quorum paulò magis frequens vſus, etiam more iam noſtro ex iuſculo aliquo, ſicuti & zeæ, tametſi longè minùs huius, inſignitè tamen nocens fuerit, his præſertim, quibus venulæ circùm iecur, meatúsque anguſtiores, facilè à viſcidis omnibus, obſtrui conſueuerint. Neque ferè alias reperias fruges, quæ quidem in vſum ciborum noſtrum veniant, ex eadem præparatione vitio eo notandas, glutinoſitatis dico. Nam aliæ quædam craſſi quidem ſucci, vt lens, lupinus, phaſiolus, quem cenſeri cum his poſſe experientia didici: at intereà viſciditatis expertia hæc habentur. Vtrunque adoreo, tritico, ſecali ineſſe videmus, vt & glutinoſi, & craſſi ſucci ſint. Vnde & primas ſemper obtinent partes in alendo, panisq́; ex his conſtitutione ſua durabilior, & vetuſtatem ferens, neque in puluerem, aut friabilitatem facilè ſolutilis ſit, vt aliarum nonnullarum frugum, cuiuſmodi hordeaceos, & miliaceos panes experimur, dierum paucorum ſpatio ad vſum obſoleſcentes ſtatim, defectu ſolummodo glutinis illius, quo deſtituti intra paruum tempus propè puluerantur.

Vtroque priuatur hordeum, vt neque craſſo, neque verò glutinoſo ſucco conſtet, contraq́ue potiùs tenuem, & abſtergentem obtineat. Quapropter meritò in præparationem hanc optimè ſemper ceſſerit, vt non ad veterum minùs, quàm ad noſtrum morem elixatum, futurum nunquam noxium ſit; hoc quidem nomine, vt aut infarctus aliquis, aut excrementi in toto corpore alicuius formidanda nobis inde ſuppreſſio ſit. Hinc eadem ratione, vt ægrotis æquè ac ſanis expeteretur, ſemper factum fuiſſe non dubito. Quamobrem ſicuti noſtra hac tempeſtate in morbis nũc integra vtimur ptiſſana, quoties affectus aliquis victus rationẽ eam admittit; nunc percolata, ſuccoq́ue illius, in morbis paulò magis acutis: ita ſanis modò integram concedemus, quum vnà alere, ac refrigerare conſilium nobis erit; modò percolatam largiemur, cuius ἐπικράσει & contemperamento, ventriculi, inteſtinorúmve morſus, præſertim à materia bilioſa factus, mitigetur, ſimiliter atq; in chondro fieri ſolere dicebamus. Priorem Galenus κριθώδη πτισσάνην vocauit quandoque, ſiue hordei, nondum in ſuccum chylúmve redacti, integritatem ex hoc ſignificans, ſiue ad diſcrimen id alterius alicuius ptiſſanæ fecerit. Erãt enim, qui πυρίνην quoque πτισσάνην dicerent, triticeam quidem ptiſſanam; quæ tamen ex adoreo, ſiue chondro, inter tritici genera & ipſo numerando, pararetur. Eandem hanc ob id ἐκ χόνδρου πτισσάνην dixêre, ptiſſanam ex chondro, quaſi ptiſanæ vox communis quidem eſſe poſſit multis. πεποίηται δὲ τῆς πτισσάνης τ' οὔνομα, ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, καὶ ἀνεῖν, ait (lib. x.) Athen. ſicuti, quod ſuprà quoque tetigimus, far Latini, maternaque noſtra lingua proferimus. At intereà apud Græcos id ſibi nominis vendicauerit hordeacea, vt πτισσάνη appellaretur peculiariter, ob inſignes ſemper vſus, ſiue integræ, ſiue in chylũ longa diligentiq́ue, ex multa priùs aqua macerati tumefactiq́ue, manibusque perfricti hordei, elixatione, vt meliùs inde exprimi ſuccus percolarique poſſet, redactæ. Nam in integra eadem

dem omnia fiebant, præter ꝙ in ſuccũ neq; exprimeretur, neq; percolaretur, & in maſsã tãtùm dẽſata cõſiſtensq; apponeretur edẽda; ſed cui ſemper initio ſtatim inter coquendũ porri, anethiq; momentũ, cõprimẽdæ, vt arbitror, meliùs flatuoſitati; oleique nonnihil, credo, vt ſubire vẽtrem meliùs poſſet; poſtremò, quum iam iam menſæ inferretur, etiam ſalis parum, idque ad condimentum ſolummodo, adijci ſolitum eſſet. Poterat autem ſolo quoque elixatu ptiſſana, ſed lõgo admodum diuturnoque, ſic excoqui, ꝓpè vt in ſucci cuiuſdam cõſtitutionem abiret. διὰ μαλακοῦ πυρὸς ἄρχι πολλοῦ χυλωθεῖσα. diu, inquit, (De alim. j.) ex molli igne ſuccus facta. Temporis requirit longitudinem, vt hoc ſuccedat, ignemque mollem adhibet, blandum videlicet, ac lentum, quo meliùs partibus omnibus ſeſe addat vis ignea. Nam vehementior ignis, confertimque & affatim nimius ingruens, exuſſerit potiùs: certè penitus ſe rebus non indet coquendis, à qua illæ vehementia veluti refugiunt. Eandem ſententiam ijſdem prorſus verbis repetitam legas ex libello de ptiſſana, ſed cui præfixa ſit alia, hac dictione, ἡ δὲ ἕρησις αὐτῆς γενέσθω τὸν δὲ τὸν ζόπον, ἵνα πρότερον μὲν ἐπὶ πολὺ ἀναγκάσῃ, ὕστερον δὲ ἐπὶ μαλακοῦ πυρὸς ἄχρι πολλοῦ χυλωθῇ. Vbi quid ſibi velit illud ἀναγκάσῃ, ariolari opus ſit: mendum ſubeſſe, valde veriſimile eſt in libello, in quo tam exiguo ingentes tamen ſpectantur lacunæ. Si fortè pro ἀναγκάσῃ reſtituamus, aut certè reponamus, ἀναβράζῃ, ſic, opinor, intelligi poterit, vt priùs plurimùm tanquam efferueſcens bulliat, aut potiùs ebulliat, effuſim nimirum, vt ſolet, quum ſubditi ignis vi bullans exilit, idque ad edomandam ita ſtatim hordei ſubſtantiam totam: poſt quod blandior illa ignis, placideque ſeſe inſinuans, vis accederet, intellectu effectuque, quem diximus. Hæc quanquam ptiſſanæ præparationis propria ſint, non minùs tamen pertinere videbuntur ad ſorbitionũ, elixandarumque frugum tractatum, quem nunc inſiſtimus; nonnullo intereà quoque, inſerentium ſe ſponte quaſi ſua, eodem diſcuſſionum eiuſmodi operæpretio. Atque id, vt ad ptiſſanam redeamus, quum factũ iam erat, vt diu ita multumq; elixationem paſſa ptiſſana, &, quod Galenus ait, χυλωθεῖσα, penè iam in ſuccum diſcederet; tota tamen etiamnũ, integraque, &, vt ſæpe author idem nominat, ὅλη ἄπτιστάνη eſſe dicique poterat: percolatione autem fiebat, vt ſuccus eliceretur iuſtus, partium craſſiorum cunctarum proiectione. Enimuerò idem trahi ad fruges omnes elixãdas vſus, modusq; poteſt, vt aut ſpiſſata maſſa cõſiſtant totæ, aut percolatu in ſuccum ſoluãtur: omnibus verò proprij ſemper aliquid condimenti addatur ad palatũ, nonnunquã verò non minùs ad vſum; vt chondro, caſtigando lentori nimio illo, acetũ, quædamq; interdũ id genus alia.

Retinent omnes ita præparatę fruges naturam ſuã, plùs, minùs, ſemper tamẽ. Totę nanque cùm valentiùs nutrient, tum glutinoſitatem ſuam maiorem obtinebunt: at paulò difficiliùs concoquentur. Succus minùs alet: ſed & faciliùs concoquetur, & liberiùs permeabit. Nam de qualitatum cæterarum differentia dicendum nobis paulò pòſt fuerit.

Elixabatur auena Galeni quoq; tempeſtate, alendi vi exigua: viſciditatis aũt, & cõtrariæ friabilitatis, ſiue ariditatis, in medio. Eodem modo milium & panicum parum alent, ac tenue, ſiccánſque alimentum exhibebunt; magiſque adhuc panicum.

Nam milium ad omnia potius: vt & acceptius ſit, & faciliùs concoquatur, & magis nutriat, ac minùs aluum ſiſtat.

Non diſſimilis ratio ſeminis eius, quod graminis eſſe diximus aculeati ſimile, ac meliùs panico aſſociabitur.

Itidem oriza; quæ ipſa quoq; concoctu non facilis, nutritq; minùs, & aluo ſemper adſtringendæ accommoda habita eſt.

In lente nihil ſtatui in vniuerſum, ob diuerſarum facultatũ mixtionẽ, poteſt: illud tamen certũ, abiecto iure elixam, totamque cõmanſam, craſſioris eſſe, terreſtriſque, & atrabilarij, adſtringentiſq; ſemper ſucci cibum, nec concoqui facilem, meatibuſque omnibus hærentem. Nouimus, qui huius eſu, atq; ex illius tamen, cumq; illius iure, comitiali acceſſione vehementer corriperetur ſæpe, ſemper autem ferè tentaretur.

Fabis flatulentia perpetuò ſua ineſt, quã nunquam ex toto amittant, quamlibet ad ſummum elixentur: minùs tamen in faba freſa hoc deprehẽdas, quàm ſi integra cum cortice elixa deuoretur. Abſterſoria, qua manifeſtò prædita eſt, facultas, laxiorque ſubſtãtia quædam, facit illam neq; concoctu rebellem admodum, neq; verò craſſioris, aut hæreſcentis in vijs admodũ, ac ſubeũtis potiùs facilè, aliorumq; viſciditatem detergentis ſucci. Villicus fuit tuſſi vehementiſſima corripi aliquãdiu iam ſolitus: is dum integræ ita elixæ, oleoq; tantùm & ſale conditæ fabæ catinum, qui meſſoribus tribus erat appoſitus, quartus ipſe accedens, ſolus propè vniuerſum euacuâſſet; veſperi toto inferiore ventre ſic intumuit, vt diſrũpi medius velle videretur; vnaque, quàm vnquam antea, acrior inuaſit tuſſis, ceu impetus quidã, quo vniuerſum corpus agitatum quateretur, donec vomitus quoq; acceſſit. Ibi verò, tuſſis vnà vomi-

mitionisq; eius vehementia, ingens pituitosæ materiæ vis reiecta: post quod nullam ampliùs ille senserit tussis, qua tantopere priùs affligebatur, molestiam. Id nos tunc coniectauimus insigni quadam edulij illius abstergendi vi factum meritò fuisse: verissimumq; ideo esse de hac Galeni dictum reperiatur, ἀναπλύσεσι μέντοι ταῖς ἐκ θώρακός τε καὶ πνεύμονος ἐπιτήδειον. expectorandę, educędęq; de pulmonibus per sputum materiæ aptam esse dicit: tametsi frequens hîc ad rem eam commendari illius vsus videtur; semelq; id tantùm factum à villico fuerit: ideoq; ratione insuper alia quadã, quippe excussa, violenti tussis commotione illa, materia, quam fabæ priùs vsus detersisset, id consequutus videri possit. Eadem si frigatur, flatuositatem illa quidem amittet suam, vt alia, quæ frigũtur, omnia: sed & concoctu difficilima euadet, & tardiùs permeabit, & crassum de se succũ præbebit. At huiusmodi iam desitũ esse vsum diximus.

Aegyptiæ fabæ, nisi quòd & humida, & excrementitia magis, cætera modus idem.

Verùm enimuerò nobis, his rerũ tractatibus, neque huius, neque alterius sanè vllius, quem aut de facie non agnoscamus, aut in vsum alioqui nostrum non veniat, cibi mentionem facere, consilium est.

Eodem huc pisum & cicer venient, sic præparata. Pisum minus adferet, quàm faba, flatulentiæ, & abstersionis minus: cicer flatus, quàm faba, non minus; abstersoriæ autem facultatis etiam plusculum, vsquedum infringendo euidenter renum calculo potentis. Ad eam rem quum hodie, vulgata passim iam, receptaque opinione, cicerum tantummodo iure vtantur; non est dubium, etiam succum, eo, quo reliquarum frugum, modo expressum, percolatumque, facturum.

Lupinorum, nostra hac ætate, & regionibus, rarus, atque haud scio an vllus prorsus sit vsus. Priùs benè macerari postulant, vt amarorem omnem, natiuámque suam illam insuauitatem exuant: remanet tamen dura adhuc, terrestrisq; substantia, quæ & concoctionem difficilem reddat, & crassum succum generet, siccúmque, tardi semper impeditique per corpus, nec facilè extricabilis progressus: aluum autem neque adstrictam magnopere ciebunt, neq; citam adstringent; licèt tardè permeare, hærentémque morari dixerimus succum. Hoc nanque crassitie illi, siccitatéque, & duritie euenit: vt autem citatior aluus sistatur, ad id verò adstringendi prætereà vis quædam requiritur. Quòd si durities crassitiesq; ea absit, & lubricitas accedat; iam tum aluum quoque emollire possit.

Vt in fœnugræco, quod quum aliâs easdem, quas lupinus, in cibis vtilitates adferat, hac lubricitatis dote vtiliter cibis alijs elixum præponetur, præsertim ex garo sumptum. At succus huius ipsius elixi, addito pauco melle, etiam contentos in intestinis humores educet, abstergendi ita vi pollens.

De phasiolis certũ proferre possumus, degrauari inde insigniter ventriculum, quocunque modo elixi assumantur; densatis tamen confertisque magis, liquidioribus minùs: cùm, quòd minor eorũ omnino ita quantitas editur; tũ verò maximè, quòd plurimum illis ex liquore demitur noxæ, vt in alijs omnibus. Ijdem difficilis meritò habentur concoctionis, succique crassioris: tum, ex quo promptissima sit crudi illius in venis humoris generatio, diu hærent, tardè omnino descendentes: flatum tamen non creant, quod verissimè dictum à Diocle accipi debet.

Cœptum & id seminis genus, quod nouum nouo nomine frumentonem appellari diximus, deglubi ad elixandũ, quũ antea pulti inde tantummodo conficiendæ pararetur. Candida est in decorticato substantia, mollis, laxa, leuis, ac penè flaccescẽs. Ex liquidiore iusculo elixum sumitur, facilè cedit concoctioni, descenditque: at alimentum itidem corpori præbeat laxum, molle, nec durabile.

Hactenus rerum ordinem & progressum quendam sequuti, hoc modo præparatarum frugum, pinsitarum scilicet, deinde elixarum, quæ esset cõcoctio, quantum inde expectandum alimenti sit; tum tenue id an crassum, viscidum an friabile, tardè an citò descendens, flatulentum an secus, & eiusmodi tradidimus. Quæ priora quoque sese nobis exhibent visenda, elaborandi à natúra cibi, opera.

Frugum facultates ab elixatione, & præparationibus alijs, déque earum Temperaturis: & nonnullarum damnatio, & quæ recipi magis ad vsum debeant, quáve id faciendum præparatione sit: & de refrigerantium ratione intrò assumptorum. Rursus de ptisana quadam, cui principatus assignatur meritò in his.

CAPVT VIII.

PRoxima erit consideratio, quod ad hanc ipsam frugum præparationem pertinet, qua quæque succi bonitate, aut malitia; quáve aut calefaciendi, aut frigefaciendi, aut siccandi, aut humectandi, facultate donentur. In quo planè ex præparationis diuer-

diuersitate spectare discrimen licebit nobis, alibi non magnum, alibi non leue. Nam elixæ fruges, vt paucula hîc quædam repetantur, quæ in massam coquuntur integræ, cùm paulò difficiliùs conficiuntur à ventriculo, tum confectæ plusculum largiuntur alimenti, neque eius diflabilis; glutinositatemque suam maiorem retinent, quæ bona ex parte succo, aut iure aliquo dilutior euadit; tum etiam diutiùs hærent, tardiúsque descendũt. At si ex eisdem plectus succus eliquescat, (siquidem diuersi generis non fuerint) minora cuncta expectabuntur. Iurulenta verò, cuiusmodi ferè hoc tempore vtimur, vbi post elixationem, integrę tamen etiamnum, totæque liquorem prætereà accipiunt fruges, & idipsum, quod modò dictum est, iurulentæ fiunt; medio se, hac in re, modo quodam habebunt. Cæterùm, quod ad flatuum inde generationem attinet, nullum euidens quidem satis apparet discrimen, integræ, an in succum eliquatæ, an verò iurulentæ edantur. Ita hîc quoque non multùm sanè retulerit, qua quæque ratione parentur, ad succi quidem bonitatem, aut malitiam. etenim eadem penitus elicietur ex omnibus virtutis, aut vitij qualitas; plus tamen, minusque: ex confertis, plusculum omnino; ex dilutioribus, minus. At plurimùm intereà ad humectandum, aut exiccandum retulerit; ad frigefaciendum, aut calefaciendum, non adeò. Triticum, nisi alterius alicuius rei additione, aut condimento aliquo immutetur, eodem semper modo potentia sua calefaciet elixum, siue totum, siue succus eius tantùm, siue verò, quo priùs modo diximus, iusculentum edatur. Ad eundem modum hordeum refrigerabit: at idem hoc natura sua quum siccum sit, maceratum priùs aqua, humescit; tum deinde longiore elixatione humectum adhuc magis fit: quo tempore addi illi calor, nisi actu, tantisper dum ignem sentit, non potest aliquis. At is, vtpote aduentitius, haud ita multo pòst discedit, sicuti alia eiusmodi cuncta solent; remanetque hordeo natiua sua, propriáque refrigerandi semper facultas. Aquæ verò humefaciendi vim benè ipsum humectum sentit, quam penitissimè per totum accepit, partibúsque omnibus additam retinet, semper quidem, seu calens, siue verò frigens sumatur, humectum facturam. contrà, frixo & ἀλφίτῳ ex eo, ἄλφιτον enim ex frixis, procul dubio ignis vi sicciotis siccandi conciliatur facultas maior, vt iam apertè siccando sit, quum priùs, vtpote primæ tantùm siccantium classis, leuiter id, atq; etiam leniter, id est, non vsq; adeò manifestè, faceret.

Idem expectabitur in alijs, vt elixata omnia seipsis quidem humidiora euadãt: at non sic tamen, vt humectandi statim omnia quoque vi polleant. Quandoquidem panicum & milium, in eorum, quæ exiccant, secundæ tertiæque classis confinio reposita, à quibus non multùm absit oriza, vt elixatu non parum de siccandi potestate remittant; non eò tamen peruenient, vt in medio positum temperamentum egressa, in illorum se, quæ humectum faciunt, contrariam classem conferre valeant. At hordeo, vt quod non tam siccitate progressum sit, facilior quoque paratus erit ad ea, quæ humectant, reditus. Quocirca hordeum semper elixatu humectabit, alia illa non item: & quanuis minorem, siccandi tamen quoquo modo vim perpetuò aliquam retinebunt; præsertim verò, si nec iurulenta, neq; in succum redacta sumantur.

Triticum diximus calidum, hordeum frigidum, primo vtrunque à temperamento abscessu. In medio reponunt zeam: nos cum hac, & typham, & olyram possumus, quoniam non diuersa existimanda esse docuimus. Sic planè fiet, vt (quoniam, inquantum triticum à temperamento iusto caliditate recedit, intantum frigiditate hordeum) zea in vtriusque confinio si statui debeat; iam exactum sortitura in hoc temperamentum sit, hócque nomine triticum quoque ipsum superatura, & ad panificium non pessimè factura; nisi & alimenti copia, & durabilitate vinceretur. Omnium nanque pronuntiare nobis licet alibilissimum triticum, vnde plurimum alimenti corporibus, idque perdurans, persistensque diu, addatur. Quæ conditiones duæ, alimenti, cibique naturam potissimùm commendare possunt. Nam propemodum carere insuper excrementis oportet, quod ita exhibiturum de se alimoniam corpori est, vt pro rata quantitatis parte quo alimenti plus exhibet, eo semper superfluitatis minus obtineat: & in re quacunque, quæ probatum operis sui effectum ad multum proferre temporis potest, bonitas certè inest. Nam calorem, qui in eo exuperare aliquantulum videri possit, (inest autem is illi, non tanquam alimento soli; sed vt alendi, ita calefaciendi quoque facultate prædito) paruum omnino, parúmque etiam durantem, eo quidem, quo ad vsum humanum venire triticum solet, modo, nimirum ad panificium, deprehendas. Quippe & farinæ addita inter versandum sæpe aqua, & subactione ipsa diuturna, quasi exercitio nimio debilior ille tritici calor ex parte recedet: & vt ex parte remaneat, tanquam

familiaris nobis magis, atque vt in tam paruo excessu, mitis adhuc illius & placida quædam qualitas, vel optato suscipienda, lucróque apponenda, cuius ope atque adminiculo caloris quoque ipsius natiui adiuta promoueantur opera. Fermento glutinositas nimia tollitur de tritico. Sal, non vt aut humorem demat, aut siccitatem vllam addat, cuius neutrius nota in tritico vlla; sed pro condimento tantùm additur, cuius rationem si excesserit, iam vitium quoque pani accesserit erroris culpa. Cæterùm hæc ad panificium meliùs pertineant, ea tantùm hoc loco à nobis gratia allata, ne præferendam tritico zeam haberemus, quæ alioqui superare triticum temperamento iusto videatur, vt alendi intereà tamen viribus vincatur.

Secale videri possit frigidius, argumento, quòd flatus multos confessione omnium gignat. Sed & indicio est color, caloris, vt arbitror, inopia nigricans: semen aliàs quoque frigoris longè, quàm triticum, patientius. Acorem panis inde citò contrahit, vt & hoc signi sit, naturæ frigidioris. In vsum iurulentorum, aut elixorum nondum venisse scio.

Auena cortice suo etiam interiori farinæ proximo, quod nusquam alibi vidisse memini, moletrinis quibusdam in Germania ad id fabrefactis deglubitur, & ex iusculo elixa mensis adhibetur. Frequentissimus autem ibidem pultis ex ea vsus, quam non ægrotis minùs, quàm sanis, edendam apponunt. Calidam Galenus (De alim. j.) facit, alibi (De simp. med. vj.) frigidam: quod nisi de ægylope dictum accipiatur, controuersa res sit. Calore tamen typhæ similem fecit, quæ si cum zea æstimari in hoc debeat, quæ tritico frigidior habeatur; iam non multùm à temperamento abscesserit auena, sicuti sanè nec typha, nec zea: nec prorsus ideo repugnanter scriptum à Galeno sit, de auena: ἐστὶ δὲ καὶ ψυχρότερον ἀτρέμα τῇ κράσει. Est, inquit, frigidiore parum temperamento. vno, opinor, verbo frigidiusculum dicemus Latini, quo dicendi modo paruus omnino excessus quidam notari solitus sit. Eadem, quam neque humidam, neque siccam affirmare possis, erit; nec quæ aluum emolliat, nec quæ adstringat.

Panicum, milium, orizam, sicca sine controuersia statuimus. Eadem, panicum & milium, frigida dicemus. Orizam ex Arabibus calidam alij faciunt; temperatam alij dixère: quocunque modo sumptam, diligentique à me animaduersione obseruatam, excalfecisse ventriculum effatu quid dignum non sensi, nec alios sensisse audiui, quum quærerem: temperatam in hoc crediderim.

Faba quatuor omnium in medio qualitatum reponitur, aut sic, vt proximè ad refrigerandum & exiccandum vergat. Quam quidem exiccandi vim tam tenuem, non secus ac hordeum, facilè elixatione amittat.

Pisa, vt & reliqua eiusdem propemodum generis eruilia, cicercula, siccæ omnia naturæ quum sint, & frigidæ; ex hac præparatione humiditatis non nihil acquirent, frigiditatem seruabunt suam.

Vt phasiolos calidioris esse temperamenti credam, facit quòd, quum bis auidissimè his vescerer elixis, semper vomitione porraceam bilem illam reiectauerim. quod mihi prætereà, inter iuuentæ meæ annos, herbularum esu ex acetario calidarum contigisse memini. Humidiores natura esse, vel Galenus nobis permittet: pituitosum humorem generant, atque eum crassum. Vnde crudioris humoris illius copia, qui ipse quoque cum pituita numeratur, ex insigni illorum crassitie fit; vt, quanuis ad calidum inclinent, crudi tamen pituitosique succi causa sint. Etenim aut paulò copiosiores ingesti, aut nullo alio accedente, quod attenuet, haud facilè à ventriculi calore euicta crassities superuacanea ea, promptè in cruditatem abit.

Non crassitudinis, nec terreæ substantię minus lens tenet: frigida & sicca, nullo, quod sciam, reclamante censetur: vt non iniuria, cùm ob temperamentum id, tum ob substantiæ qualitatem, plurimum semper inde exspectari atrabilarij succi debeat: quod & facit, sanè effectu plerunque non obscuro.

De papauere, lupinis, fœnugræco, sesamo, erysimo, eruo, vitice, lino, cannabi, hormino, vicia, non magnopere attinuerit hoc loco disputare; vt quæ partim in ciborum vsum iam diu venire desierint, partim pro condimento tantùm habeantur: quo pacto non multùm, ciborum reliquorum, calori, frigori, humori, siccitati, temperamentóve æquabili, additura de suo, quin demptura potiùs sint, siquidem rectam condimenti rationem seruare debuerint: qualitatisque alicuius in frugibus, quas antea recensuimus, corrigendæ mitigandæ've vsus aliquis inde veniet: nam non semper venit. Neque enim, si quando aut calefactio à nobis, aut frigefactio quæretur; aut suppressam ciere, aut citam supprimere aluum animus fuerit; cibis, quos idipsum præstare per se posse persuasum habuerimus, qualitates suas dememus: relinquemus, vt puto, potiùs

tiùs suos sibi naturæ illos, eo quidem casu, vt cum alimento vnà, quod tanquam cibi largiuntur, medicatam quoque secum ita vim adferant, tanquam medicamentosi cibi, totum hoc videlicet, iuxta Hippocratem ἐν τροφῇ φαρμακείη, vt sint. Quamobrem, hac quidem ex parte, non sanè vtilis admodum, quarum modò mentionem fecimus, frugum tractatus: tantum abest, vt futurus necessarius sit.

Intereà longè nobis alia instituenda erit de succi vitio, aut bonitate, ratio: quorum nobis bonitatem custodiendam semper, ad vsumque nunquam non vocandam esse iure existimabimus: vitium abigendum, pellendumque, aut certè quauis ratione emendandum esse ducemus; quippe cuius nullus vnquam vsus, à quo procul abest, & insigne semper nocumentum propè sit. Succi prauitatem intelligimus, non redundantiam solùm humoris alicuius, qualitate sua exuperantem nimis, biliosi, pituitosi, atrabilarij: sed etiam extranei alicuius saporis notam, nitrositatis, salsedinis, amaritudinis, acrimoniæ. Nisi si tamen has quoque ipsas qualitates rationibus suis in quatuor illarum classes deducere velimus; quod qui facere voluerit, possit. Neque in multis tamen, (præter paulò antè dictas, damnatasque iam à nobis) alijs, sed nec multum inesse vitiosi succi reperias, elixis quanuis frugibus. Nam in his, quæ ad panificium veniunt, sanè minus adhuc insit, nempe fermento valde & sale correctis. Sic triticum, aut adoreum, ab elixatione infarctum ventriculo, integrumque comestum, haberi quadantenus noxium potest, visciditate tenacitateque, ac crassitia sua ventriculi calorem euincens, ne confici rectè queat, atque ita ex cruditate improbi quoque secum vnà succi aliquid per corpus trahens: quod improbandum tamen omnino non sit, benè valentem ventriculum nactum, rectéque concoctum. Idem, panis factum, culpa omni vacabit. Sed & huic tamen extra panificium, tritico, inquam, & adoreo, & quem parari ex vtroque solitum esse diximus, trago, & zeæ; & itidem parari pinsendo ex hac consuetæ alicæ, seu chondro, adijciendum semper aliquid, quo glutinositas, sua sibi contraria abstergendi qualitate correcta emendetur, tum crassities non minùs attenuandi vi aliqua dissecetur, quum attenuandi facultati concoctionem quoque iuuandi potestas adsit. Nam quæcunque tenuem faciunt, inciduntque, nonnunquam calorifica vi, qua illorum multa prædita sunt; semperautem partium cohærentium compactarumque nimis disiectione, ventriculo concoqui faciliora ingesta exhibent. Sic eorum concoctio quoque iuuabitur, ne quid, aut minimum certè, crudioris succi colligatur.

In hordeo, ptisanáve ex eo, aut quocunque tandem hordeum paretur modo, nihil horum verendum. Nam siue integra ea, siue percolata, siue verò, cuiusmodi ferè nunc vsus est, iusculenta sumatur; nec crudi incoctique succi collectionem verebere ex crassitie, quam nullam habet; neque meatuum infarctum ex glutinositate, quam habet, sed innocuam; læuem quippe, continuam, mitem, lubricam, minimèque hærentem. nam reliquas ab Hippocrate enumeratas ptisanæ dotes non attinet hîc recensere. Iam ad succi bonitatem nihil illa præstantius, non sanis minùs, quàm ægrotis: etiam si quis se ea ad satietatem vsque ingurgitet, etiam si quotidie id faciat; de succi tamen malitia securo degere licebit. Consignatum fidei huiu. Galeni testimonium habemus (De sucs bonit. & vit.) his verbis: Πτισσάνην δὲ κἂν καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰς κόρον ἐσθίῃς, οὐδὲν εἰς ἐσχυμίαν βλαβήσῃ. Lentor igitur illi lubricus additus, γλίσχρασμα potiùs quoddam, vt Hippocratis verbo vtar, non autem κολλῶδες quiddam, facit, vt lubricitate distributioni alimoniæ per corpus præeat: tantum abest, vt impedimento sit, aut excrementa alicubi moretur, aliâs quoque abstersoriæ aliquid facultatis secum ducens. Atenim dices, frigiditate certè, si non aliud, quam ne Galenus quidem illi detrahat, nocebit: eoque non prorsus inculpata euadet. Veruntamen frigiditas ea, quantula omnino est, calori obuio facilè cessura natiuo: ipsa alioqui conceptam ignis vim ingesta semper retinens, acquisititiam quidem, ideoque abituram quamprimùm, nisi accedens innatus ventriculi, vicinarumque partium calor, in quibus, tanquam ἑστίᾳ focoque, sedem posuisse videtur concoctrix vis, viresque inibi potissimùm exercet suas, ptissanæ frigiditatem euinceret, caloremque illi suum adderet, actu quoque iam suo, eo tempore, calidæ. Exemplum ducamus documentumque ab horarijs fructibus, quorum qui frigidiores natura sunt, non nisi frigidi actu sumpti refrigerarint, idque modicè. Libet Galeni verba adscribere: sunt enim aureola, & sententiam auream habent, multisque Medicorum dictis scriptisque rectiùs per-

cipiendis accommoda. Feſſos de longiore via, æſtuque maximo, recreari ait fructuum quorundam aſſumptione: Τηνικαῦτα γὰρ, inquit, (De alim. fac. ij.) ὀνίνησιν τέγγοντα τὸν αὐχμὸν τοῦ σώματος, ψύχοντα δὲ μετρίως, ἤνγε τις αὐτὰ ψυχρὰ λαμβάνῃ. τὸ μὲν οὖν ὑγραίνειν διὰ παντὸς ἔχει, τὸ δ᾽ ἐμψύχειν οὐχ ἕξει, προσενεχθέντα θερμὰ, τοῖς, ὥσπερ εἴρηται, διακειμένοις. οὐ γὰρ εἰς τοσοῦτον ψυχρὰ ταῖς οἰκείαις κράσεσιν ἐστὶν, ὥστε κἂν θερμὰ προσενεχθῇ ψύχειν τὴν γαστέρα. δεῖται τοίνυν ἐπικτήτου ψύξεως ἐναντιουμένης τῇ θερμότητι τῶν κατὰ γαστέρα τε, καὶ τὸ ἧπαρ μορίοις, οἷς πρώτοις ὁμιλεῖ. Tunc nanque iuuant, ſqualore corporis humiditate perfuſo: refrigerantes autem modicè, dummodo frigidos quis aſſumat. Vt igitur humectent, ſemper habent: at vt refrigerent, non habebunt, ſi ab ita, vt dictum eſt, affectis calidi accipiantur. Neque enim proprio temperamento tam ſunt frigidi, vt ventriculum vel calidè ſumpti refrigerent. Accerſita igitur refrigeratione indigent, quæ partium, quæ circa ventriculum, iecurque ſunt, calori, cui primùm occurrũt, repugnet. Quam ille ſententiam non ſtatim abijcit, ſed, quum vſus venit, repetitam vult. Poſteà nanque de moris ſcribens, ſic ait: ψύχειδ᾽ οὐ πάντως, εἰ μὴ ψυχρὰ ληφθείη. non omnino refrigerat, inquit, niſi frigida ſumantur; quum de facultate eorum loqueretur. Ad hanc rationem cùm præceptum accipere nobis licebit, quo paulò frigidioribus natura vtendum ſit modo, tum innocuus prorſus apparebit ptiſſanæ vſus, etiam multus, etiam quotidianus; vt cuius frigiditas, qua ſola obfutura eſſe videri poterat, non magna ſanè illa, partium, quibus primò eſitata occurrit, calore immutetur, ipſa iam actu quoque calida. Eadem, eandem ob rem, non ſanè condimenta multa expoſtulat, porro ſæpe ſuo, & anetho contenta, ſed exiguis; quorum quoque ipſorum ope, frigiditate ſua retundatur. Cæterùm olim iſtuc: nunc meliùs, vt credo, pro porro, & anetho, aut cinamomum incoquimus, aut piper, aut caryophyllos; aut hæc ipſa puluerata iam eſui præparatæ inſpergimus, tunc etiam, vt in omnibus propè, ſalem. Aceti additamentum non neceſſarium, vt in chondro, multiſque prætereà alijs: niſi cui timor ſit meatuum infarctionis natura anguſtiorum. Bonitatem accipit, (quod & olim, & nunc vſitatiſſimum eſt) incoctis ſuillis pedibus, qui conuenientiſſimi ad hoc ſunt, ſimul ipſi teneriores ita longè fiunt, & cùm in ore, tum in ventriculo mandi, concoquique faciliores.

Quamobrem ob tam inſignes dotes, quæ in vnam omnes conſentientes conueniunt, benè, commodè, temperatè nutriendi, facilè per aluum deſcendendi, nuſquam in meatibus alijs hærendi, flatus nullos procreandi; ſuccum tenuem, abſtergentemque, non craſſum, aut viſcidum admodum gignendi, in quo bonitas adſit, vitium abſit: facilè in cenſu frugum, quales nunc tractamus, elixarum primas ptiſanæ tribuemus integræ, percolatæ, iurulentæ, partes: cuius præſertim non ægrotis minùs, quàm ſanis, meritiſſimò commodus habendus ſemper vſus ſit. Nam nec nutricationis facilitate, aut quacunque tandem alia, quæ ex vſu futura ægrotantibus ſit, commoditate, vlli alteri alimento cedet; & in ſanis, ſucci bonitate, tenuitateque modica, & abſterſione, cibos omnes vincet. Quibus duabus, tanquam ſummis, tota Salubris victus ratio continetur, vt alteram teneant, careant altera, qui commendari ita debebunt cibi: ſucci commendationem vt habeant, infarciendorum meatuum, impediendarumque viarum culpa vacent. Hoc enim nobis ſanitatem tutam faciet ſimul, ac ſeruabit, qualem Medici optamus; non periculoſam, multiſque, atque improuiſis mortibus expoſitam, moleque & pondere differtã, qualẽ Athletæ. Alijs alia deſunt. Triticũ extra panificiũ quidem, vt cætera benè alibile ſit; at craſſitie & glutinoſitate nimia notabitur: pariter odoreum, pariter zea, quanquam hæc minùs. Flatulentia fabæ damnantur, & cicera, nimia: minore, piſa, ſed & craſſitie quadam, vt & phaſeoli, quibus humiditatem ineſſe craſſiorem certò deprehendas. Siccitate milium, panicum, oriza, & quod prætereà granum diximus cœleſtis iam roris nomine circunferri: caliditate, auena: frigiditate, frumentum Saracenicum, (ſic enim vocant) ac quadam inſuper ſaporis ceu fatuitate, & inſipiditate. Sola ptiſana inculpata.

Bonitati ptiſanæ exaduerſum malitia ſua videtur oppoſita lens, in qua penè vna, præter frigiditatem, ſiccitatemque, ac craſſitiem, ingens ineſt ſemper κακοχυμία. Etenim cæteræ, quæcunque eſui ita parantur, fruges, ſucci, quem gignunt, omnes nec tanto, nec tam inſigni meritò damnari poſſunt vitio. De tritico, adoreo, zea, elixis diximus, quibus ſuſpicio potiùs quædam ſucci mali, quàm malus re vera ſuccus inſit, vtpote qui emendari, auferrique totus, attenuantium abſtergentiumque additionibus multis, poſſit. Reliquarum nonnullæ, quemadmodum de ſucci bonitate non commendantur, ſic nec

nec de vitio damnantur quidem, cicer, cicercula, milium, lupinus, faba, pisa, oryza: nonnullæ improbantur, phaseoli, eruilia, panicum: at non insignitè tamen. Sola est lens, quam arte nulla ex toto corrigas: vt in eam congessisse noxam omnem videri iure possit natura, frigiditatis, siccitatis, crassitudinis nimiæ, hęsitantis cunctantisque descensus, super omnia vitiosissimi succi. Itaque non sanè abs re insequuntur paulò magis frequentem eius vsum symptomata, qualia Authores tradidêre, ac tantùm non quotidie experimur. Nos suprà certissimam attulimus historiam, ad illius aliquoties esum vehementissima comitialis affectus accessione corripi soliti.

Hæc de alimoniæ tantùm ab elixis frugibus expectando succo dicta accipi debent. nam si medicatas earum vires persequi vellemus; hac quidem gratia, hæc ipsa lens, tam alioqui esitata damnosa, ad medicatos vsus quosdam multis quoque alijs vtiliùs adhiberi possit. Nam & prima integræ adhuc, necdum detracto cortice, elixatione procul dubio ciebitur aluus, si iusculo tantùm vtare: & eadem, decoctione iterata, totaque comesta adstringet, vnaque opera collectos in ventriculo atque intestinis humores siccabit, & partibus hisce robur addet: simul dispersum per corporis molem totam humorem nimium velut exuget, vsque eò, vt hac de causa obtusiorem visum iuuare queat; mediocriter autem se habentem, aut sicccioris alioqui naturæ, vt & reliqui corporis temperaturam eandem, siccitate sua pessimè afficiet. Conciliârit illi temperamentum, quod quidem ad hoc attinet, non sanè improbandum, addita ptissana, tum verò facultatum suarum omnium bonitate innocuam propè reddere possit. φακοπλισσάνην vocant, non quidem lentis, aut ex lente ptissanam intelligentes, quo priùs significato ἐκ χόνδρου πλισσάνην, aut πλισσάνην πυρίνην, ex Galeno nuncupabamus; quæ adoreum videlicet, aut triticum materiam habet, ptisanam, non hordeum: hîc autem lentis, hordeaceæque vnà, ptisanæ mistura accipienda nobis fuerit, qua lentis primùm siccitas nimia ptisanæ humore retundatur, crassities attenuatione dissecetur, succi malitia bonitate melior fiat. Sed hæc fortasse aptiùs in obsoniorum tractatum venient: nunc reliquas frugum præparationes persequamur.

Placentarum nomina quarundam, & compositiones, Bellaria, Lagana, ἄλφιτον, seu Polenta, Maza, ἄλευρον, pultes, & pulmenta. Quid λέκυθος, ἔγυγμος, ἴτριος sit.

CAP. IX.



OMnium primus meritò tractãdus nobis frugum vsus fuit elixarum: quoniam prima hæc illarum, antequàm molam subeant, præparatio, postquàm primùm corticibus inuolucrisque suis omnibus euolutæ, aut leuiter in pila pinsuntur, aut quoquo modo tundũtur, vt pistura illa elixationem meliùs sentiant. Restat, priusquàm panificium tractemus, alter earum vsus, operæ non minoris, quum ex farina πέμματα, & τραγήματα conficiebantur, πλακοῦντες, τηγανῖται, ῥυήμματα, λάγανα, quæ duo ἴτρια erant, μᾶζαι, ἄλφιτα, & huiusmodi. Diligenter priùs inuestiganda vocum harum significatio: vt, quoniam vires facultatesque rerum quærimus, quo quæque nomine res indicetur, sciamus: ne, hoc ignorato, (ignorari autem necessarium est, nisi rectam vocabulorum significationem teneamus) turpiter labi nos contingat, facultatesque diuersæ aliquando rei tribuamus non suas, sæpe etiam his, quas illa obtineat, cõtrarias. Τραγήματα, quæ eadem & πέμματα dicuntur, Galeno (De alim. j.) sunt, quæcunque cœnæ adhibentur, lacessendæ, irritandæque meliùs potus voluptati. Sumamus dein notiora: πλακοῦς. Sic enim nominandum esse censuit (Dipnosoph. xiiij.) Athenęus, à voce πλακόεις: sicut τυρόεις, τυροῦς, & σησαμόεις, σησαμοῦς: quæ planè voces, quoniam denominantis adiectiuæque cuiusdam esse significationis videntur, aliam habeant oportet, qua veluti subsistant; nisi per defectum sic proferantur. Voci πλακοῦς si ἄρτος addatur, totum fiet ἄρτος πλακοῦς, crustaceus panis: siquidem πλάκες Græcis crustæ. nos placentam, vocem Græcam sequuti, simpliciter & substantiuè dicimus, opinor, & libum, quod nostrum magis sit, & eiusdem significati: vnde Virgilio adorea liba. Ex Catone, de re rustica, libi compositionem petas, quæ placentam prorsus esse ostendat, ex similaginea farina, caseo, & ouo: vt nihil aliud sit, quàm panis, sed delicatior. Diogenes quidem placentam dixit, benè ac concinnè factum panem, ineptum. Nec sanè necessarium, genera omnia persequi ex Athenæo: res tantùm notandæ, & materia cognoscenda. Illud tamẽ, ἄμητες & ἀμηλίσκοι, quod genus aliter, q̃ ex farina cõcinnaretur, dicebantur enim ἄμυλες ἄμυλοι, ca-

ricæ sæpe, nucesque cum melle veniebant in compositionem massæ triticeæ; μελιτοῦται ex melle; οἰνοῦται ex vino; γλυκίναι ex dulci & oleo; ex cydoniorum carne læuigata, & cum melle cocta, μηλοπλακοῦς Galeno. Κριμνίτης ex vtriculis, siue crassiore parte farinæ: Σταιτίτης ex adipe, & melle; addebant & sesamum, & caseum in sartagine. Ex caseo & oleo νάνος priuatim, sicuti Galeno, ita Athenæo ταγηνίτης. ex oleo parabatur in sartagine, πλακοῦς ἐν ἐλαίῳ τετηγανισμένος, quod pro materia erat, cui iam benè concalfacto tritici addebatur farina cum multa semper aqua, atque in omnem partem versabatur, vt qua priùs sartaginis fundum tangebat, nunc superiùs esset, nunc iterum eodem infra reuolueretur, bis, térve, donec omni ex parte coctionem perfectam acciperet, quasique crustaretur in orbem protensa, & vt ad intimas vsque partes ignis vim acciperet, extenuatior facta. Erant ex desiccato tritico, melléque perfuso. Ex oryza, ὀρυζίτης πλακοῦς. Ex melle item, & siligine, caseique expressi succo, & per cribrum æneum transfuso, commalassatoque in vnum. Mustacia hodieque apud vulgus suum nomen retinent, ex musto: sicuti suprà γλυκίναι, ex vino dulci. Hoc tempore dulciaria ex saccharo plurimùm concinnantur ditioribus; alijs, compendium sequutis, ex melle, quæ melita appelles. Ea quoque certè Latina sunt, crustum Tabonianum, crustum guttatum, nimirum guttulis quibusdam aspersum, quædamque præterea alia; quæ quoniam compositiora sunt, omittemus hoc loco, quo de his, quæ ex farina simpliciùs pauculis additis parantur, tractamus.

Quorum tamen omnium summa veluti genera, πέμματα, & τραγήματα, nos bellaria dicimus: species cùm aliæ permultæ, tum placentæ, quarum innumeræ propè differentiæ, itriaque: ἐπίτε τῶν τραγημάτων ὁμοίως ἄμης πλακους, ἔντιλτος, ἴτριον, cuius duo facit discrimina Galenus, ῥυήματα, & λάγανα.

Laganorum rursus, ex Diocle Athenæus speciem affert ἀπανθρακίδα molliorem. ἡ δ' ἀπανθρακὶς ἐςὶ τῶν λαγάνων ἁπαλωτέρα. sic ex argumento dicta, quòd ignitis carbonibus imposita pararetur ad vsum. Nos lagana ex farina vtique & aqua subigentes, fermento nullo, in tenues ceu membranas rudicula, cylindri specie, diu complanatas formamus. Elixis infriamus caseum, etiam butyrum affundimus calens. Veteres piper præterea, & crocum, & cinamum ex iure pingui coctis addidisse constat: Galenus etiã mel ait, ad proritandam citiùs aluum.

Ἄλφιτα, si rectè ex Authoribus colligimus, ex frixis semper frugibus erant, maximè verò ex hordeo, cuius defectu, ex alijs parabantur: optima ex frugibus recentibus admodum, ac nondum planè maturis, aut certè, quarum nondum arista exaruisset prorsus. In farinam molerentur'ne, an (quod magis verisimile est, quoniam elici farina non nisi ex benè siccis potest) crassiusculè tunsæ, aut molà etiam confractæ consisterent; incertum. Polenta hæc erat, vnde pultes, pulticulæ, & pulmenta, & pulmentaria opera conficerentur. Nos hodie polentam, massam vocamus, ex milij inprimis, frumentique (sic Saracenicum frumentum illud vocabimus) farina, longa per rudiculam inter coquendum versatione densatam, coactamque; quando veterum, vt diximus, polenta, siue ἄλφιτον, materia potiùs pulmentorum omnium haberetur: sicuti & mazæ, quæ ex alphitis conficiebantur madefactis, commistisque, atque in vnum agitatione spissatis. γίνονται δὲ ἐξ ἀυτῶν ὑγρῶν φυραθέντων αἱ μάζαι. quo loco interpres φρυχθέντων videtur legisse: ex humidis, inquit, frixis; apertè repugnante duorum inuicem verborum sensu. Nec me fugit, ex modicè frixo hordeo parari solitum alphiton, ex quo máza: sed idem, alphiton, vt in mazam transiret, madefaciendum priùs erat, ac diu multumque subigendum. Haud enim ita multo pòst repetuntur hæc verba: μᾶλλον δὲ διαχωρεῖ κάτω φυραθεῖσα, καὶ τριφθεῖσα μέχρι πλείονος. magis, ait, descendit inferiùs, si diutiùs commisceatur, conteraturque. Mazam nos, parum deflexa inde voce, non inconuenienter, vt arbitror, massam appellabimus, significato tamen paulò magis communi.

Nam ita non solùm hanc ipsam, de qua nunc loquimur, mazam, vocare possis, quæ ἄλφιτον materiam habet: sed etiam subactam, versatamque ad panificium cum aquæ admixtione farinam, quæ ἄλευρον propriè Græcis est: coacta autem in vnum massa cum aqua, σαὶς: quin, quicquid in vnum veluti cumulum densatum, spissatumque cogitur, massam vocamus, fusiore adhuc significatione. Mazam autem panis genus facere, quod quidam tamen existimauêre, ex farina, oleo, & aqua, interdum lacte constans, inter placentas potiùs numerandam, consulto Galeno, non possumus; qui mazam ipsam non minùs ex hordeo, longè deteriorem alendo corpori hordeaceis

ceis panibus, tanquam rem diuersam, faciat.

Pultes & pulmenta, nostra sunt, mutuanturque à nobis Græci, πόλτον dicentes, & πολτάριον: quo genere etiam antiquissimi Romanorum, longo ante panis vsum tempore, vescerentur, ex farina & aqua simplicius; compositius autem, quum aut caseus, aut oua, aut mel, aut alia id genus quædam adderentur. Cuiusmodi id quoque erat, quod suo tempore parari à rusticis consuesse testatur (De alim. j.) Galenus, ex triticea farina multa, cum lacte cocta: hodie mosam vocant, frequentissimum Germanis edulium, etiam enutriendis infantibus. Atque ita tenuioris omnino substantiæ cuiusdam futura nobis sint pulmenta omnia, quàm maza, quantumuis ea de crassiore interdum farinæ parte, crimno videlicet, parentur. Quòd si pollinem conficiendo pulmento adhibeas, (nam & hoc fieri nihil vetat) sanè candidissimum prodit.

Pollinem accipimus, tenuissimam tritici molituram, sicuti florem siliginis, & zeæ atharam Dioscoridis testimonio: priuatim autem λέκυθον Græci appellârunt; sed in leguminum tantummodo molitorum farina, conficiendo ex ea pulmento, quod aqua coqueretur, addito semper pingui aliquo. Sicuti sanè ex leguminibus eisdem fresis aliud parabatur, quod ἔτνος vocabant, non illis quidem sic simpliciter coctis, mensæque appositis tantùm; sed (id quod ex Aristophanis expositore colligas) quibus iusta priùs elixatione emollitis, diuque, ac multùm crebra hastilis cuiusdam ad id parati, nempe rudiculæ versatione, circumactuq; in lebete dissolutis, ad pulmentumque redactis, alia quædam pro condimento adijcerent. Nos (nam hodie quoque pulmento eo vtimur) fabetam vocamus, quadragenarioque potissimùm ieiunio mensis adhibemus, oleum affundimus, & inspergimus passulas, pomaque frustillatim concisa in tessellas. Ergo lecythi materia, leguminum farina: eius verò, quod ἔτνος dicunt, hæc ipsa quidem quoque legumina, sed fresa.

Sic fresa vocabant ἔρυγμον, aut ἐρίγμην, vt Aristophanis interpres ait, cui etiam, ad conficiendum ἔτνος, solam frendi solitam esse fabam visum fuit. Nec sanè secus nostra hac tempestate facimus. Quum enim tam cicer, quàm faba frendatur, (quanquam Galeno cicer frendi non videatur posse, pisum videatur: nobis contrà) ex faba tamen tantùm fresa pulmentum, id genus, concinnamus hodie.

De pulmentorum facultatibus, vitióque eorum ac bonitate. De mosa, déque laganorum omnium potestate, itriorum, foliatorum, crustulorum, multorúmque talium viribus.

CAPVT X.



PVLTES, pulmentariumq; edulium omne, tum quæ ex farina parantur placentæ, quæque suprà retulimus huiusce generis multa, (nam bellaria reliqua, quæcunque aliam, quàm farinam, materiam habent, non est tractandi nunc locus) non est dubium alendo quidem esse, benè valentem stomachum nacta; sed succum progignere crassum, humoris certam crudioris, quem ὠμὸν vocant, materiam. Nam quum diutiùs hæreat, ægreque descendat, crassitiemque eam euincere naturalis calor non quiuis valeat: necessariò concoctionem non vsquequaque admittet. Quam quæ effugerint partes, is ipse crudus, quem dicimus, humor fient: qui succi cruditate sua corporis sæpenumero partes omnes repleat, simul inter eundum per corpus, vias, maximè verò natura paulò magis adstrictiores, infarciat; & modò iocineri grauitatis cuiusdam sensum inferat, modò imbecillum lienem augeat, & turgidum reddat, modò renibus calculi gignendi materiam præbeat. Quòd si crassitiem etiam viscìditas comitabitur, vt in tritici, & adorei farina; geminatum statim malum euadet. Non solùm enim crassities vacuam meatuum cauitatem occupans explebit; verùm etiam viscìditas, tenaciter nimis illorum angustijs adhærens, alimenti omnis distributionem, vniuersamque illam nutricationis œconomiam impediet, nec liberè fungi muneribus suis omnibus naturam permittet, & pessimorum semper affectuum causa, cunctanter admodum vias omnes corporis permeans, erit. Quamobrem edulia hæc, quamlibet alere egregiè possint, nec magnopere succi prauitate damnentur: vituperandus tamen semper assiduus horum vsus, quo nihil excogitari nocentius potest, his, qui renum vitio laborant calculoso. Fortasse nanque crassities sola durari in lapidem haud facilè possit, nimirum non cohæsura, nisi glutino coalita solidetur; hocque illi viscìditas ea facilè largitur, vt calore nimio interdum partium earum exassata materia eiusmodi consistens duretur.

Mosa vocatur, quod antea diximus, puls

puls ex farina & lacte in sartagine elixa, non quidem vsque dum consistens durescat, nisi qua sartaginis oras tanget, ea enim parte crustatur: liquidiori reliquæ, ac paulisper repositæ, ex ambiente inducitur statim Græcorum γραῦς illa. Germania tota propè infantes nutrit, etiam in cunis vagientes, etiam non multo antè in lucem editos, non solùm in nutricũ defectu: (nam id quidem fieri posset, & rerum sæpe casus interuenientes necessitate adductos facere id cogant) sed id, morem tantùm, opinor, suum quendam sequuti, faciunt, vt pulte id genus præterea alant, quanuis nec lactantes desint, satisque eæ de suo exhibere alimoniæ queant, lactentesq; nulla ratione, causa nulla plus, quàm lactis, exigere nutrimentum videantur. Audire licet illorum aliquos sic existimantes; non esse lactis cibum, sed potum, pro potuque tantùm habendum id: itaque potâsse puellum dicunt, & bibisse, quũ de mammis lac exuxit. Quod quum ita opinentur, necessariò cibi loco pultem reponunt, ne eo destituantur; vt potent, sugendum lac præbent, maximo semper misellorũ infantium incõmodo, qui sæpissimè errata hæc morte luant; sæpiùs infarcti alimento, ac penè iam turgentes, derepentè comitiales fiunt, hypochondrijsque distenti visuntur. Validiores natura fortesque, & robustiores, discrimen id euadunt; quos, tanquam periculo iam facto, postquàm adoleuerint, plurimos non admodum imbecillos, reliquum vitæ suæ tempus, maximo semper victus rationis omnis contemptu, vitæque suæ prorsus securos, degere videmus, donec viuendi cursu hoc aliquandiu ita peracto, morbos incurrant, quibus aut citò vitam finiant; aut in maximis, præsertim verò calculosi renum (cuius mentione hæc de mosa diximus) effectus, semper cruciatibus, paulò tamen diutiùs viuendum illis sit. Alij ouorũ insuper luteis pulmentum idem cõcinnant, mensisque inter fercula alia apponunt, palato quidem acceptius: at nihil intereà ad sanitatem melius. nam nihil propterea aut glutinositatis, aut crassitiei amitti inde credendum est.

Sicuti sanè nec qui laganis nostris lutea ea addunt, quicquam proficiũt, ad demendas quidem qualitates hasce: noxæ potiùs aliquid adijci crediderim. Vt enim gustui gratius id, perinde quoque à membris trahi vehementiùs, auidiusque accipi, & acceptum fortiùs implere, verisimile valde fit. Magis profici posse arbitror, si melle, aut certè saccharo cõdirentur pulmenta quæque, nostraque hæc lagana: quibus non minùs, dum ex aqua & farina manibus versata subiguntur, addi illa possent, vt in omnem partem venirent. Eo nanque modo plurimum sanè demeretur nocendi virium, ac longè quidem plus, quàm si, vt veteres quidam suis, horum ipsorum compositioni lac, aut caseum inderemus, quem nos (neque id semper) infriamus pro condimento solùm aliquo quidem: at non tam insigni tamen vitio, quàm si initio, dum primùm paramus, farinæ inter subigendum admisceremus.

Simplicissima est apud nos parãdorum laganorum ratio: ex farina tantummodo, & aqua concinnantur. Ea quidem massa versata manibus haud ita diu subigitur: tum rude, fustéve tereti pressam, inque prætenues membranas ductilem explanant, quam deinde manibus in ceu laminas quasdam inæquales concerptim dissectam, aut in plicas multas conuolutam, minutimque concisam, nihil deinde aliud, quàm elixant. Fortasse priora illa, lagana: altera, rhyemata nobis quoque sint, quando Galeno pariter ac nobis deterioris conditionis lagana habeantur. Sicuti & quum ex eadem massa discerpta bolos faciunt crassiusculos, & quum in tenues longasque quasi lineas productam, palmarique magnitudine diuisam, ratione eadem coquunt: ἴτρια omnia existimari iure possunt. Ijsdem membranis, rudibus, vt dixi, complanatis, massas, ne fluentes inter coquendum dilabantur, comprehensas inuoluunt alterius generis multas, herbaceas: has autem beteas potissimùm, sacchareas, amygdalinas, vueas, ex pyris, ex pomis, ex oriza, ex cucurbitis, plurimisque prætereà huiusmodi: vulgò tortæ vocantur. Sed totum hoc edulium compositius iam, & ad tractatum de obsonijs spectat.

Illud simplicioris adhuc rationis, quum illas, quas toties iam appellauimus, membranas (sed & triticeæ massæ folia dicere liceat, quoniam & foliata, & foliatula ex argumento hodie quoque habemus, inter lagana quæ nominemus) in quadras, orbes´ve, aut id genus formas exscindunt, oleoque aut butyro incoquunt, assata durataque prodeunt: crustula dicuntur, quæ siccũ prætereà de se procul dubio alimentum exhibeant.

Rursus farinam ouorũ luteis miscent, aquaque diluunt, nec versant diu, nec subigunt: sed liquescentem in formas transferunt, diuersissimarum imaginum sculptura, ligneas, æneásve, coquendam: vnde cunctarum propè rerum efficta nobis simulachra ostẽdantur, sed tenuissima. Crassior, ficciorque horum quoque succus; quanquam superiorum succo minùs.

Ean-

Eandē sic, vt paulò antè dictum, liquentem, per infundibulum angustioris canalis demissam, feruēte butyro excoquunt. Existunt inde multiplicibus, implicatisq; spiris glomerati orbes placentarij quidam.

Sed & de liquidæ exigua portiuncula, butyro, cuiusmodi diximus, immersa globuli fiunt, in maius semper, quàm pro iniectæ materiæ paucitate, extuberantes. Omnia habenda esse crassi, glutinosique, & impediti, cunctantisque vbique succi, nemini rem consideranti dubium esse credo. Vnde humoris semper crudi copia, perque corpus vniuersum obstructionū frequentia, maximè verò partium earum, quæ meatibus paulò angustioribus natura cōstant: vt iecur, vt renes, vt lien. Itaque, nisi attenuantium semper vi succurratur, aut doloris sensus alicuius suboritur, aut cū dolore vnà turgidiora quoque fiunt hypochondria. Multum demet noxæ mel additum, vel etiam saccharum; sed tantisper, dum sani tātùm degimus. Nam si aut phlegmone, aut scirrho tentari incipiant viscera ea; etiam nocentiora sic concinnata euadunt cibaria huiusmodi. Quod in caricis quoque euenit, & palmæ fructu, breuiterque, dulciore quocunque tam cibo, quàm potu: propterea quòd & cupidiùs, ac proinde plus iustǫ, attrahantur illa, & sic affectæ partes longè faciliùs obstruatur. Thoracem intereà & pulmones nihil offendet, cùm, quòd liberiores omnino inibi viæ, contentæque locis his materiæ dulciū vsu, vel cum lentitie aliqua, ad faciliùs excreandum iuuari soleant: tum verò, quòd tam longis viarū ambagibus, antequàm eò perueniant, vi naturalis vbique caloris euicta, elaboratioráque facta, multū semper, multúmque noxæ deponunt: nisi quæ tamen non solùm materia, sed etiam præparatione deteriore semper constant. nam ea plurimum semper secum deferent, vel ad extimas quoque corporis vniuersi partes, prauitatis. Quod genus sunt placentę, quæ τηγανῖται vocantur, & eiusmodi quædam, in sartagine parari solita, ex materia iam sæpiùs relata, diu multúmque, atq; in omnem partem versando, frixa. Quid enim, quęso, aliud nobis expectandum inde fuerit? quæ primùm ex materia cōstent planè illaudata; deinde cocturā eam accipiant, qua nulla propè excogitari deterior queat. Spissatur, densatúrque, atque in præaridam crustam abit superficies exassata tota: altiùs prætereà adigitur vis illa ignea cum empyreumate vnà suo ex sartagine, absumptáq; multùm humiditate, qua priùs paulò magis diluebātur, crassitiem glutinositatémque auget: vt etiam si ad experientiam hæc non trahantur, nec admodum quisquam experiens rerum harum sit, modò non expers ratiōis omnis habeatur, facilè sibi ipsi colligere notis his atque indicijs possit, ciborum id genus omniū malitiam. Sic quidem quoque veterum mazam illam, ac nostri æui pulmentum, polentæ nomine, cui dubium, rectè consideranti atq; expendenti materiam eorum, modúmque, improbi habenda esse nutrimenti omnia, concoctúque difficilis, crassi, praui, sicci? Melle cōdita, melleáve facultate aliqua, malitiam ex parte exuerint; aut alioqui accedens aliunde attenuandi, abstergendique potentia, efficere, minùs vt obsint, poterit: omnino bonitatem ex toto nunquam conciliabit, nisi alia omnino faciat. quod nec factu facilimū, nec vt fiat operæpretium vllum, in tanta rerum, quibus commodiùs nobis vesci liceat, copia.

Panis differentiæ multæ ex frugibus, ex coctura, ex molitura: fermentati, & fermento carentis, discrimen: item ex laudato, aut improbo frugum genere, ex terreni bonitate, ex iusto post trituram tempore. Quatenus molere farinam ad iusti panificij opera oporteat.

CAP. XI.



Summa summarum rationis alimentariæ omnis in pane: itaque huic loco reseruatus est, vt eo tanquā ad caput perueniretur frugum, eorumque, quæ ex frugibus parantur, omnium: quippe is ventriculo acceptissimus, vt alia pleraq; omnia, quamlibet condituris exquisitissimis cōmendata, sæpicule tamen fastidita respuamus: hūc vnū retineamus, à quo nunquam abhorremus, duntaxat sani. Omnium certè postremam panis appetentiam, neque semper tamen, morbum incursuri deponimus; primam sumimus sanitati restituendi. Quin sæpiùs in ipsis morbis constituti, deiectissimo ad alia appetitu, huius tamen retinemus semper nescio quid, quod non prorsus tamen non gratia aliqua appetatur. Idem succi optimi, durabilis, temperati, minimè excrementitij. Consensus in eo gentium omnium, panis vbique vsum admittentium; cætera non item. Nam quod de eo vulgò circunfertur, Cuiuscunque rei satietatem damnandam esse, maximè autem panis: quanuis id authorem nullum habet insignem, cuius existimatione moueamur: vt tamen demus verum esse, haud scio an id illi laudi potiùs cuidam dandum sit, quàm vertendum vitio. Nimirum hoc illi alimoniæ copia, pro rata eius parte, coniuncta cum durabilitate, conciliat, vt vsu illius nimio sangui-

ſanguinis exuberantia diſtendatur venæ, non fluidi, nõ diflabilis, ſed permanentis, duratíſque, quo alitum corpus, differtúmque, totum in molem maiorem ſurgit; impeditíſque ita diffarctu illo meatibus, perſpirabilitatẽ ſuam amittat; quo nihil periculoſius, promptiúſque ſubitaneis, repentiníſque mortibus concitandis, nempe tanquam in Athletica habitudine, quam panis inprimis vſu, ſuillæque, comparari ſolitam fuiſſe, legimus. Quæ duę res, ſui quæque generis, optimum omnium, durabiléque corporibus alimentum exhibent, modò modus ſeruetur. Qui ſi negligatur, mẽſuramque iuſtam exceſſerit, nõdum tamen vitioſi inde ſucci malitia vlla acceſſerit panis alimento, redundantia tantummodo notari poterit in eo, & nimietas, quæ vel optimis ſæpe rebus quibuſque officit: ne non hîc quoque ſeruatum velimus ſapientis illud, Ne quid nimis. Perfectionem notat vox Græca ἄρτος, nimirum ἀρτίως in eo effectum aliquid eſſe docens. Illud verò Auicenæ, Panis impedimentum magnum cenſendum eſſe, vbi non rectè conficiatur à ventriculo: eodem tendit. Nimius enim ſi ingeratur, cauſam habebit, malè vt concoquatur, nec parũ ſanè inde pituitæ quoque gignetur, quod ferè neceſſarium ſit in prima illa ciborum in ventriculo cõcoctione, vt optimorum quanuis, ſi ventriculi concoctionem effugerint, plurima colligatur ibidem pituita. Quod idem cauſæ ſit, vt hyeme, quo quidem anni tẽpore panis ſemper multũ deuoramus, is ipſe humor, nimio plus redũdet. Atqui in his, in quibus non ita multum alimenti, aut non ſolidi permanentíſque ineſt, non ſic fiet: neq; olera, neque legumina facient: panis & caſeus faciet, ſed nimij tantùm, quod diximus, vt non benè à calore euicti pituitam multam proferãt, quam alioqui denuò aggreſſus ventriculus, iteratò ſæpe cõcoquit, vt probus inde laudatúſque tandem ſanguis prodeat.

Panis ſimpliciores differentiæ ex materia, triticei primùm, ſiliginei, ſimilaginei, confuſanei, furfuracei; & ex alio genere ſecalini, hordeaci, fabacei, miliacei; aut, ſi ex materia alia parari panificium conſueuerit: quod non ferè vſu venit, niſi in maxima frugum meliorũ inopia, aut inſigni annonæ caritate. Primæ debentur ſiligineo, ex triticeę farinę flore, ſiue etiam polline: ſecundæ, ſimilagineo: (σεμίδαλιν enim ſimilã dicere, & ſimilaginem liceat) tertiæ, confuſaneo: quartæ & vltimæ, furfuraceo, meritò deterrimæ omnium notæ. Secundarium panem acceptum video receptiſſimis authoribus, pro eo, quẽ tertium fecimus: propterea quòd, vt exiſtimo, nullum his, aut non magnum, eſſet ſiliginis & ſimilæ diſcrimen, vt pro diuerſis haberentur. quæ ſi pro eodem ducerentur, meritò in ſecundum locum veniret confuſaneus panis, quem eundem ſecũdarium quoque appellemus. Factum deinde diligentiã maiore, vt, præter tritici nobilioris, ac minùs nobilis, notatum diſcrimen, exquiſitáque molituræ, & caſtraturæ, farinæque excuſſionis opera, & criborũ tenuitate, vt aliud facerent ſiliginem, ſimilam aliud. Teſtatur Galenus, ſiliginis ne nomen quidem auditum ſibi antea apud Græcorum vllos, qui rem, ſi quam habuiſſent, non fuerunt relicturi innominatam, præſertim natio vocabulorum propè prodiga, fœcunda certè, & abundans. Diu igitur quũ caruiſſent, inuentam ab alijs, aliorum quoque nomine proſequuti ſunt, vt σιλίγνιν aliam, ſiliginem; σεμίδαλιν aliam, ſimilaginem, vel ſimilam vocarent. Ex ſiligine & ſimilagine primarius panis, qui non niſi diligenti farinę excuſſione & ſuccretione, perque incernicul ũ ab vtriculis, craſſioriſque parte omni repurgatione, maximè verò ſiligineus fieret, planè ex flore, ſed optimi tritici, quod ipſum σιλίγνις ſit, eodemque flos eius nomine cenſeatur: ex paulò autem inferioris notę tritico, eiuſque polline, ſimilagineus: ſi qua tamen habenda inter hos differentia fuerit. Iam ſi nihil auferatur, totaque in vnum veluti confundatur molitura, inde ſecundarius nobis exiſtet panis: nobis, qui duos iam relatos primarios vnà numeremus, idem ex argumento confuſaneus. Cibarium quoque hunc faciunt, vilem ſcilicet, & incommendatum, reclamante Cornelio Celſo, cui alius αὐτόπυρος eſt, i. confuſaneus, atque alius cibarius. Hunc nanque omnium infirmiſſimum eſſe dicit; qualem nos furfuraceum exiſtimamus, ſordidum prorſus genus, exiguique admodum nutrimenti.

Accedunt differẽtiæ ex coctura, coctorum in furno, qui vulgatiſſimus, frequentiſſimusq; vſus eſt: in clibano, ſeu teſta, his nunc ſoli propè principes viri vtuntur: κλιβανῖται Græcis ſunt, nobis textuacei: ſicuti priores ἰπνῖται, nobis furnacei. In clibano coctionẽ accipiunt, per totum: in furno non æquè. Eſt ἀρτοπλιχίνος à coctura: deterrimi omnium ſubcineritij, vt pote quibus, præter alia, ex cineribus etiam malitia ſua conſtet: tum qui in craticula, tum qui in foci ſolo coquuntur; quorum extima ſuperficies, ignis vi nimij, affatimque incurrentis, partim teſtacea propè euadit, coctionémque excludit, ne intrò ſe adigat; partim ignis vim vix perſentiſcit, omnino autem interior illius pars, & ceu medulla, crudior manet. Ex oriza, vt olim, nõ memini

mini panificium hodie haberi, locorũ aut gentium vſquam: Turcæ hoſtes noſtri frequentiſſimè quanuis ea, multisq; ſanè modis parata, victitare dicantur. Cõmuniſſimus tritici, ſecalisque, & in Germania alicubi, atq; etiam alibi, quod ſuprà monuimus, zeæ vſus ad panificia: in Italia etiam milij, ex quo panem recens ex furno extractum venum circunferũt per plateas. Ineſt in calidulo dulcedo, cuius gratia eſitatur à multis. Panem ex hiucca non vidimus, ſicuti planè neq; ex maizo Indico: at granum id iam paſſim notum. Memini ante annos circiter triginta, quum ingenti illa fame per totam Italiam, caritateq; annonæ, ac rerum propè omniũ penuria laboraretur, ex furfuraceis panibus diu enutritam fuiſſe plebeculam, exque eo frugis genere, quod ipſi melegam, alibi ſurgum vocant: milium creditur eſſe Indicum ex Plinio, & lobas dici, herba tota arundinacea, inſignis proceritatis, coma in ſummo granulis referta ferruginei caloris, rotũditatis planæ, quibus columbæ potiſſimùm inescantur hyeme. Panis inde omniũ deterrimus, ac ſordidiſſimus, qualem vix credas à quoquam mandi poſſe. Atque intereà tamẽ illo, quo diximus, tempore victum ſibi ex eo quæſiuêre miſeri multi ex vulgo: nec credo poſſe illi gratiam vllam addi arte, aut mangonio, non, ſi de quantumuis exquiſitè molita farina, aut quibuſuis incerniculis minutiſſimum pollinem colligas: tanta eſt materiæ aſperitas, tam acerosus per ſe ex ea, diligenter licèt repurgata, panis. Longè, quàm in ſecali, aliter, cuius ex polline panem conficias etiam non poſtremæ notæ, triticeum illum ęmulãtem. Hunc in delicijs propè eſſe apud multos Germaniæ primates, menſisque ſæpe lautioribus apponi videas, nullo, aut exiguo admodum à triticeo, diſcrimine. Vulgatior ex parte ſecalis, quam veluti ſimilaginẽ eius dicamus, in familiæ cibatu, prægrandis, paulò iam triſtioris coloris, ea interdum magnitudine, vt facilè veterum inde μεγαλάρτια illa concelebrari poſſent. Viliore adhuc, iamq; atro, & tanquam ſui generis confuſaneo, inferioris notæ ſeruitia veſcuntur. Quæ eò attulimus, vt, quæ de tritici ſiligine, & ſimilagine, & huiuſmodi dicũtur, ea trãſferri ad alia quoq; non ineptè poſſe notetur. Nec facilè memini ex alijs hodie frugibus vllis locorum vſquam parari panes conſueſſe, per ſe quidẽ. Nam ruricolæ multi, & egentiſſimi quique, ad tolerandam famem, aut domandam potiùs, nouas ſubinde miſturas cogitant, & compendium ſequuti, ac triticeæ parcentes, plurimum interdum ex vilioribus conijciunt, ſecalis, hordei, nonnunquam etiam leguminum, potiſſimùm verò fabarum farinis: ſed & frugis interdum plurimum illius, quam toties iam frumentunũ appellari diximus. Veruntamen hîc, ſicuti alibi quoque ſemper, recenſendis rerum differentijs, ſimplices primùm perſequi diligẽtia omni debemus: quarum quum genera comperta habuerimus, & facultates; ſic demùm facilimum nobis deinde ſit, hęc ipſa, ratis portionibus ſuis expenſa, in compoſita quoque corriuâſſe.

Illud inſigne inprimis diſcrimen, fermentati, & fermento carentis: ἄζυμον vocant, frequentiore olim, quàm nunc, vſu, & athleticis maximè; nunc etiã Turcarum ſæpe nationi. Quæritur inde ſolidius mẽbris alimentum, minusque diflabile, quod lacertoſos robuſtosq; faciat. Ventriculum exigit conficere valentem, nam aliâs grauiſſimus paulò debiliori, etiam ſi aliorum nihil deſit, quæ tamen nõ pauca requiri antè diximus.

Hocque loco aptè transferri ad omnia debent, quacũque in panificium veniunt, ſemina vt ponderoſiſſimi ſui generis ſint, denſa, ſpiſſaque, dentibus frangi non ſtatim facilia: colore pro ſuo quæque genere conuenienti, qui in tritico fuluus; idemq; in zea, vel paulò quoque magis ſatur habendus ſit; in ſecali triſtis omnino ſemper facies, ſed in nigrore candor tamẽ aliquis; in hordeo albus; in milio itidem, ſed cum nitore; atque in alijs alij: in omnibus, vt farinæ plurimum, ſic furfuris ſemper minimum oſtentetur.

Nec parũ retulerit, in macro'ne, an pingui ſolo, humido & vliginoſo, an ſicco perflatoque prouenerint: quæ planè vitia ſecum plerunq; manifeſtò ſatis ſemina referant, aut arida nimis, tenuiaque, aut vuida, pinguique nimis humore denſata, vt cortice ceu corio furfurisque parte plurima, farinæ exigua conſtent.

Neque tamen ex area continuò ſumi debebunt ad panificium, neque ſerò nimis in farinam moliri: quòd hîc minor omnino, ex eadem menſura, farinæ copia; ibi pluſculum quidem, ſed aliquatenus tamen excrementitiæ, futurum ſit.

Conuenientiſſimum molendarum ad panificium frugum tempus habitum ſemper fuit, ante autũnale Aequinoctiũ haud ita multùm: rectiſſimè. Quoniam annuæ tantummodo quum ſint fruges, videlicet ἐπέτειοι; conſiſtentem, vt omnia, veluti ætatem ſuam habeant, opus eſt, in qua maximè vigeant. Ea in his iure cẽſebitur, quum generationi maximè accommoda eſſe exiſtimantur ſemina: quod ſationis eſt, ſementisque faciendæ tempus. Id fermè ante, póſtve multum temporis, ſi molantur,

ea molitura aut nescio quo pacto excrementitiã, aut tanquam siccescentẽ farinam exhibebit. Et alioqui suo, quo diximus, tẽpore sic molita eiusmodi cibaria, facilè annotina fiunt, atq; insequentis vsque anni durabiliter valde tempus idem expectant, vel cum compendio, materiæq; potiùs creméto, quàm quòd quicquam inde pereat, præter bonitatem, qua præ omnibus alijs meritò commẽdantur. Nam quòd zizania, noxasq; eiusmodi frugum, & quisquilias abesse omnes, incerniculisq; diligenter priùs repurgamenta omnia detrahi oporteat; etiam si nullus hoc loco moneam, esse tamẽ cuiuis in aperto arbitror. At illud intereà non sanè quibuslibet non ignotũ, qui existimare possent, quo attritior, molę opera longiore, farina euaserit, sic meliorẽ quoq; statim reddi. In quo planè falli contingit. Ea nanq; contritio graui materiam omnem imminuit pondere, partesq; in minutissima redactas inuicem cõfundit, vsq; eò, vt nec in tenuissimo quidẽ cribro hæreat, sed meatuum omniũ adstrictissimas quasq; angustias effugiant, atq; elabantur furfuraceæ partes minutissimæ factæ, quæ deinde inter subigendum incurrentes ad stæteam illam massam necessariò veniant, ac panificium reddant subasperum, pauloque magis scabrũ, tum cui omnino non desit abstergendi vis aliqua. Propè enim furfuraceum dicere ex parte farina ea paratum panem possis; non nullius tamen aliquando vsus futurum, quoties abstergentis alimenti facultas, non multi tamen, aliqua de causa quæretur. Fit id molentium quoq; sæpe fraude, dum in pollinis, quem furtim subtrahunt, locum furfures subijciunt, tritissimè affatimq; molendos. Nostri quoq; affata vocant, molituram confusaneam, confertim factam: colore statim deprehenditur, quippe furfurosæ partis ingressione candor illæ farinæ velut infuscatur. Purissima igitur farina ex flore, aut polline, siquidem electissimum panẽ conficere volemus, sumenda nobis semper ad panificium erit.

Conficiendi, parandiq; ritè panis ratio. Qui addendæ aquæ, fermenti, salis seruari modus debeat. Quàm subactum esse oporteat: qua magnitudine. Qualis adhibenda coctura sit: de tempore post cocturam, in quo & de recocto.

CAP. XII.



Onficiendi autẽ modus: vt multũ primò aquæ adijciatur, tum fermentum, tum sal. Aquæ multum, quoniam minus iusto si sumatur, solidescere nimis massa inde, pòderosusque ac citò durescens panis existere soleat. Fermentum, vt id maximè glutinositatem, crassitiemque nimiam demat. Sal, quo superflua humiditas siccetur quidem quoque, sed ad condiendum tamen magis. Et solidiores quidem panes, duratique magis, quales in plerisque Italiæ locis, alimenti plus omnino exhibent, & id quidem durabilius, ex quo familiarũ multarum parsimonia compendium plerunq; quærit: at intereà paulò magis concoqui difficiles meritò habebuntur. Contrà, densati minùs, & foraminosis meatibus spongiosi, leuesque, minimè omnium concoctioni rebelles sunt, quanuis nec tantum inde corpori alimenti suggeratur, nec tam permanentis.

Vtrunque assequimur paucæ, aut multæ aquæ ad farinam adiectione; nec minùs tamen fermento, cuius iusta portiuncula, diligentique deinde manuum, aut machinæ alicuius ad id fabrefactæ, subactione, assiduaque versatione elaborata massa, & in orbiculatos panes digesta, facilimè fermentescens excrescit; modò iustum tempus in fermento iaceat: attenuatisque inde partibus crassioribus, & victa glutinositate nimia, aëreæ quoque qualitatis nõnihil concipit, quæ leuem, raramque reddat, nec noxæ tamen vlli intereà sit, quin potiùs, vnde minimè posteà ventriculus degrauetur, vnaq; facilior semper sequatur concoctio.

Leuissimus, candidissimusque panis, cui nullum alium de candore atq; elegantia certare posse credam, apud Rhetos, to to eo tractu, qui inter Athesis Oenique fontes extenditur: nec materia, nec fermentatio, nec elaborata subactio, nec coctura, nec quicquã omnino aliud ad commendationem deest. Huic ex aduerso oppositum azymum esse arbitror, cum pondere crassum, glutinosumq;, cõfici admodum difficilem, hærentẽ, appositissimam crudiorum succorum materiam. In medio plurima, diuersissimaq; apud diuersas Nationes genera, prout huius, alteriúsve magis, minusque, confinio appropinquant, aut recedunt.

Commendabiliores omnino erũt, quicunque vitij notam fugerint, quod ferè in extremo semper positum visitur: sic quidem, vt hoc in negotio, quoniam iure moderatam tantummodo fermenti adhibitionem probamus, potiùs tamen in eo peccandum esse existimemus, vt id paulò supra, quàm infra modum fiat, presertim verò, si ex trimestri tritico panificium parabitur, vt in quo plus semper nescio quid glutinositatis inesse deprehẽdatur. Hinc certè sibi maiorem aliquando (De artic.) vim

quæsi-

quæsiuit Hippocrates glutinandi, dum huius stæteam illam massam cæteris præfert. Quòd si in eo erretur, vt iusto minus fermenti addatur, multa prætereà secum nocumenta id adferet, cruditatem præsertim, tardumque descensum, & meatuum propè omnium infarctionem, ad quæ sæpe morbi sæuissimi. In illo autem, qui fermenti plusculum acceperit, nihil, quàm paulò maioris alimoniæ, nimiam ob raritatem, defraudatio quædam, aliud inerit, quæ ipsa nihilominùs in tanta hominum nunc ingluuie sæpiùs commodo alicui futura sit; & alioqui id, quicquid tandem est damni, facilimè resarciri semper possit; maximè verò, vbi nec athleticis viribus nobis opus sit, nec fossoribus, aut messoribus, aut scalmo, aut eiusmodi operi addictis ad vescendum dabimus. Quibus planè si de Rhetico illo, quem diximus, pane demensum suum pendatur; vix ad paucos id dies suffecturum illis vires iustas sit, nec sanè toleraturi inde famem fuerint, aut operæ certè suæ pensum satis absoluturi. quippe deficient statim, & destituti viribus fatiscent. Immodico nimirū fermento raritas nimia additur pani, laxiorq; inde fit, quàm vt alere multùm, aut alimoniam non nimis citò exhalatam elargiri possit.

Sicuti sale etiam nimio plùs iusto siccescit panis, durescitque: vnde retorridus sępe in corporibus sanguis prouenit, quū modico nō solùm, quod diximus, humor nimius exiccetur, verùm etiam pro condimenti facultate, quam sal vbique obtinet, & palato gratia addatur, & ventriculo acceptior semper ita panis euadat. Qui salis nihil omnino addūt, (quod quidem moris nonnullis esse vidi: sed non sanè minùs sæpe pistorū quoque id fraude fit, vt pondere respondeat ad præscriptum) hi, si permansionem diuturniorem, vt quidam, in pane ex eo quærunt; frustrabuntur sanè. Mucidus enim citiùs fiet, tū prætereà ventriculo onerosior, non siccato humore, eoque concoqui difficilior. Quocirca modica semper hæc inijci debebunt, non nimia, non nulla.

Diligenter autem subigēdo id assequemur, vt illa in partem omnem versatione crebra, assiduaque, exactaque ceu confractione, quo quidem magis id fiet, sic magis magisque veluti infringatur victa humoris nimij viscíditas, disrupto glutino, (vnde benè solutilis panis, neque ori, neq; ventriculo tenacitate multa repugnans fit) simul etiam in vnū coactis ea diligentia particulis omnibus, vnus, æquabilisq; existat.

Diuidenda massa mox ad cocturā, concinnandique orbes manuum circunductu selibrales, aut, si multum, bessei: quòd maiores cocturam per totum nō facilè admittant: in minoribus, ignis violentia vndiq; crustæ pars iusto semper maior inducitur, certa exassatioris alimenti sanguinisq; materia. Simul altiùs adactus ignis, ob paruitatem, partibus omnibus etiam intimis siccitatem addet, quàm par sit, maiorem. Sicuti in prægrandibus, quum peruadere partes omnes non valeat, interiores incoctas adhuc, necdum benè absumpto humore, ineptas ad rectè commodeque alendum relinquet. Tutissimum igitur, vt in omnibus penè, medium.

Quod & in coctura seruandum, cui nisi æquus adhibeatur modus, in quantumuis iusta panis mole, necessariò vitia incurremus, aut exusti, exuccique nimis, aut crudioris. Coqui in clibano, aut certè in furno debēt. Nam aliter, vel ex parte tantummodo cocti torrentur, vt in craticula, focive pauimento, cætera crudi perstant; vel nulla prorsus in parte coctionis, quod satis sit, accipiunt, vt subcineritij. qui si prętereà fermēto suo careant, azymi, iam malitiæ ferè metam omnem excesserint. Rursus violentior ingruens, affatimque ignis, quāuis in furno, aut clibano, ostrei in morem exteriorem superficiem durat, interiùs cruda omnia, coctionisque expertia dimittit, vt quò peruenire cocturæ sufficiens calor, corticis testacei obstaculo, tanquam claustris quibusdam exclusus, nequeat. Sic igitur attemperādus ignis, vt neq; incommodum hoc sequatur, neque tamen debili nimis eo vtamur, atque ad coquendum inefficaci.

Est & id panis discrimen attēdendum, recentis eiusdemque diei, & inueterascentis. In calido etiamnū à coctura statim, dubio procul, quoniam calor is quoque accessit actu, necdum euaporârunt fumidæ superfluitates, de crassiore tenacique adhuc substātia exhalatæ, donec prorsus humidus vapor ille vehementiore calore excitatus, agitatusque resederit; flatulentia inerit, calorque extraneus, tenaxq; humor quidam, vnde & infletur sæpe vētriculus, & sitim contrahat, & ægrè concoquat, & subuersionem tanquam innatātis cibi sentiat, nec minùs corruptelam aliquando incurrat, viscera autem obstructionem. Pridiano summa laus debetur, vt in quo iam resederit calor: ferri & alterius diei potest. Triduano, aut quatriduano nulla gratia: inueteratior iam, noxius quoque, quippe cui nocumēta ex siccitate, duritieq; omnia adsint, quibus & tardus descensus fit in intestina, & quum descenderit tamen aluum durat. Quodque inde prouenerit alimentum, exustum erit, assatumque sanguinem gignet atrabilarium.

Id quod in recocto quoque euenit: sed ex iterata coctura hic, sicuti ibi tẽporis mora, durato nimis, siccatoque pane, qui facilè deinde materiam præbeat humorũ, contra naturam suam, quam (modò humores existimandi fuerint) benè fluxam esse conueniat, plus æquo crassorum. Cæterùm huiusce quoq; aliquando rei vsus venerit aliquis, quum labentes nimis in corpore succos coercere propositum fuerit.

De panis temperamento. Quomodo constare temperamenti ratio queat: eiusdem commendatio, & vsus multis modis, iurulenti, lotiq́, diuersaq́, alendi, ex eo facultates. Azymi item, triticei, hordeaci, secalini, fabacei, quæ vires.

CAPVT XIII.

Pani suum semper cõstabit tẽperamentum, ex quocũque tandem semine paretur, vt cuius relaturus semper naturã sit; nisi fortasse plusculum addi ex fermento & sale caloris arbitretur quispiam: quod perquàm tamen exiguum futurũ existimamus, si modicè id, vt debet, fiat. Qua planè gratia, neque hordeaceos credimus, sed neque fabaceos, (cuius tamẽ seminis natura propè est vt in medio sit, paululum nescio quid in frigidum, siccumque inclinans) tantum ex hoc caloris assumpturos, dici vt calidi iure possint. Quota enim quæque pars fermenti, salisque, ad addendum calorem de suo, in massam totam diducta veniet? Ita sanè fiet, vt, quoniam effatu id dignum nõ est, præsertim Medicis nobis, qui sensuum in his ductum sequimur, ne additum quidem fuisse, cuius ratio nobis vlla habenda sit, caloris quicquam, nobiscum deputemus: nisi, si quando supra modum factum id à panifice fuerit. Eo casu non negamus, immodica ea additione, vires quoque vnà concalefaciendi acquiri, tantoque magis exiccandi: quoniã facultas hæc in sale maxima, ac potissima, cuius additamento modico tota intereà massa exiccationis nonnihil iustæ, atque ad rem hanc satis, sensura omnino sit. Non enim salis in hoc vsus, vt siccitas inuehatur, sed vt humiditas nimia tollatur; quod præstare vel modicus possit. Simul aquæ admistione, quum partes omnes suum sibi satis futurum humorem conceperint, eum retinebunt: superfluus reliquus partim, vt diximus, sale modicè addito, partim elaboratione diligenti illa, postremò ignis etiã opera solutus abibit. Quumq; de frigiditate aquæ toti massæ nonnihil adijci necessarium sit, vbi tam auidè à farina imbibitur, totũ id, fermenti salisque calore repressum, sistet se, horumque vnà vice versa repressus frigidiore aquæ qualitate, sistetur calor, vt ad temperamentum vndique triticeo pani conciliandum factura satis sint omnia. Paulò plus caloris tritico inerat: hoc, aquæ additione, ex parte tolletur: quoniam integri elixique tritici haud dubiè manifestior quædam caliditas percipiatur, quàm triticei panis. Glutinositas item nimia, aquæ liquiditate, quasi diluta castigatur: hãc etiam fermentum emendat, sed ita, vt alimenti durabilitatem ex lentore tamen reliquo adhuc aliquo non demat. Rursus fermenti salisque vnà calor, eiusdem aquæ opera, corrigitur, quæ quoniam humore nimio poterat obesse, cuius tamen omnium maximè opportunus hîc necessariusque futurus erat vsus, vt eius ope velut societatem ineuntes cohærerẽt partes; quum hoc præstitit, iam tum quod reliquum factum, ac superuacaneum est, sale, subactione, igne discedit, secum quoque vnà, flatulentiæ quodcunq; inest, auferens. Eccum tibi panem temperatissimum vndiq; hîc existere triticeum, siue is sitanius etiam sit, certissimum, conuenientissimumque nostri, quocunq; loco, tempore, vitæ instituto, quacunque ætate, regione, cœli constitutione, nutrimentum: ex cuius congruo vsu alimonia corpori humano accedit, deperditæ substantiæ iustissima qualitate quantitateque per totum instauratrix, præter quòd in calorem pauxillulum omnino nescio quem exit, sed qualis, ex temperantia ea, vitæ nostræ longè magis commodet, quàm si tantundem frigoris inueheretur: succi autem proueniat semper, sanguinisque alibilis bonitas, nullo vitio, etiã mentem quæ non perturbet, vt vinum, vt euaporatio ex alijs rebus multa; nutrimẽtum maximum elargiatur, aliorum omnium condimentum, quo vitia ciborum reliquorum emendentur, virtutes iuuentur. Quippe bonitate illius discutitur malitia multa, & excessus attemperatur, non magnus quiuis: mediocritate, & temperaturæ affinitate, amica naturæ nostræ omnia, cõciliante eo fiunt: & reliqua, quæcunque per se iuuare solent, longè semper magis, hoc ipso adiuta, iuuerint. Meritò igitur vocem sibi eam vendicauit, vt de illo diceretur: cum pane futura omnia salubria.

Transit etiam in iurulenta, minutimq́; friatus, aut frustulatim concisus excoquitur, iure carnium aliquo, gallinacei maximè pulli, aut capi; optimus non sanis minùs futurus cibus, quum cruditatẽ senserit ventriculus, iuuãdæ concoctioni, tollendæque corruptelæ, per epicrasin; quàm ægrotis in longioribus morbis, aut etiam, si

consuetudo ita, reliquæq; conditiones ferant, vt nostra hac tempestate, in plurium tamen dierum acutis.

Nam in paulò magis acutis loto vtimur. Eluitur in hunc vsum maceratus aqua, & ea elutione crassitiem omnem, viscidita-témque deponit, vt nihil inde prorsus timeri in corpore toto obstructionis cuiusquam possit. Simul alimenti paucitate, idquod morbi hi maximè exigunt, victus tenuitas seruabitur.

Quapropter, quod ad alẽdi facultatem attinet, omnium minima in hòc ad hunc modum parato, minórque adhuc in amylo: contrà, omnium maxima in azymo, & subcineritio, siue is fermento careat, siue non careat: quanuis in carente maior.

At ijdem hi concoctu omnium difficilimi, vt valentissimum, robustissimúmque semper ventriculum expostulent. Quamobrem nullis alijs, quàm Athletis, ex vsu erant, & his quidem Palęstritis tantùm, & Pancratiastis, & Pugilibus, quos ab exercitationis argumento graues vocant. Nunc, simul cum exercitationum generibus his, desijt apud nos panis quoque harum ipsarum commodo quæsiti vsus.

Benè satis alimẽto sus triticeus, dotibus suis constans, idem concoqui non rebellis, descendit suo tempore opportunè; tempestiuum exhibet corpori nutrimentum, non citiùs, non, quàm futurũ æquum sit, seriùs diflatum: idque alimentum intra qualitatum omnium excessum consistit.

Hordeaceus refrigerabit, non satis alet, idque valde parum durabiliter: eo, quòd sicuti breui friabilis fit, penè vt in puluerem solutus recedat; sic nec cohærens quidem magnopere alimentum glutinis defectu largiatur. Subibit tamen triticeo citiùs aluum.

Longè plus alimenti inest in secalino, & eius quidem permanentis, ac solidi magis, minúsque solutilis; frigidioris tamen, flatulentíque & atrabilarij. Sed neque citiùs, quàm par sit, descendet: glutinũ enim suum habet, quo & conuenientem moram trahit in ventriculo, donec concoquatur, atque inde alimoniæ etiam satis distribuitur in corpus.

Fabacei (si qui tamen fabacei per se panes locorum vsquam conficiuntur puri) glutino carebunt, futurique ideo solutiles statim sunt, hordeaceorum in modum durescentes quidem primò, mox cohæsione propè nulla puluerandi: cætera, calidum inter & frigidum, neq; non parum omnino de se corpori nutrimẽti exhibituri, sed flatulenti inprimis. Neque enim præparatione, aut coctura vlla edomari in totum posse existimatur seminis huius flatuositas. Laxa inde, ac flaccescens habitudo, flatúque potiùs turgens, vt & ex eiusdẽ pulmento, fiet alimoniæ vitio minimè densæ, cohęrentisque, sed flatibus potiùs replẽtis, nec diu sanè morantis, ob abstergẽdi facultatem, qua pollet.

Rura diximus solere panificia sua miscella sępe conficere: itáque, quo cuiq; panificio, huius, illiúsve generis, plus minúsve additum de materia fuerit, sic valde necessarium est, tãtum quoque bonitatis, aut vitij retineat. Illud omnibus cõmune, vt sui quique generis panes ex purissima materia selectissimi habeantur: abiectissimi ex furfurosa, maximéq; ex acerosa: in medio confusanei. Selectiores (in sua quenque semper materia intelligo) magis nutrient, minùs descẽdent: è diuerso, viliores citiùs descendere, minùs nutrire solent: medio se in his modo habebunt confusanei: omnes tamen calefaciendi, aut frigefaciendi, aut vt neutrum præstent, vires de suo, cuiusmodicunque materiæ fuerint, seruabunt, reliquásque id genus qualitates, plùs, minùs: Itémque succi bonitatem, aut vitium; cuius in triticeo nulla prorsus suspicio, nisi in subcineritio fortè, aut azymo, aut in exusto, aut quoquo modo exassato: quòd ex altero, azymo, crudioris; ex altero, retorridi nimis timere succi copiã meritò semper debeamus. Sed nec in hordeaceo, aut fabareo malitia per se vlla, nisi aliunde, quod de triticeo diximus, acersatur. Vnus est secalinus, quem nõ iniuria suspicemur vitiosum in corpore gignere succum; pręsertim verò paulò magis impurũ, ac nõ ex polline eius factum. Ater est, crassusque, & acescit citò: vt & substantia sua, & calore, & qualitate, ipsammet prorsus, vel nondum mansus, referre bilem atram videri non immeritò possit.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER NONVS.

Olerum, oleraceorumq́ enumeratio: quibus, cuiusq; generis, partibus illorum vsitatiùs vescamur.

CAPVT I.



N censu atque examinatione frugũ, seu maiorum, seu minutarũ, paucissima cacochymię mentio, alimenti multa. Eteniim fruges sunt, quibus verè fruamur, in id nobis à natura ipsa constitutæ, vt alimẽtum inde corporibus præcipuum, potissimúmque quæreretur, raro admodum, eoque pauco, medicati ex his nutrimenti vsu. Itaque homines appellatos frugi opinor, vtiles vitæ humanæ, ac necessarios, virtuteque solida præditos, in quibus redundantium vitiorum, aut quod ad vsum humanũ facturũ rectè non sit, nihil: vt propè ex alimentis omnibus excrementosa quæque maximè semper damnamus, nec valde frugalia esse deputamus illa, quòd eiusmodi fruges non sint.

Nunc tractanda olera, oleraceáque, & hortensis vbertas, fructúsque arborum, diuersi omnia generis, ac cõditionis: nempe & paucissimi alimẽti, probi, rectique; mali autem, & medicamentosi, multi, malitiæque, & vitiosissimi succi plurimi: propè vt in toto hoc censu nihil omnino repertum sit, quod omni ex parte commẽdari de alimenti succique bonitate meritò debeat. Solę sunt ex arboreis fructibus castaneæ, quæ, si rectè in ventriculo conficiantur, succi malitia nulla, alimenti verò tantummodo crassitie damnentur. Et ex oleribus vna inuenta est lactuca, ex qua sanguis gigni probus existimetur, & is tamen intereà iusto frigidior: vt neque in hac non aliquid, extra alimẽti iustam, probatámque omnino naturã, vitiosi iure notetur. At in frugibus, sicubi vitij aliquid in earum aliqua, id tantùm vitium nimirum erit, non insignis malitia. Hic intantum sæpenumero procedere corruptela solet, vt non multùm sanè à veneni natura absit, imò veneni iam iam naturam ingressura (nisi aliorsum se vertat) meritò existimari queat. Quapropter vsus quæsitus ætatibus omnibus ex his à Medicis, non quidem corpora nostra nutriendi, verùm his potiùs medicamentoso aliquo vsu, intra sanitatis tamen latitudinem adhuc contentis, subueniendi; quoties aut refrigerare, aut etiam excalfacere, aut siccare, aut humectum facere, squalorémque corpori demere, aut duratam mollire aluum, aut emollitam nimis durare, aut quicquid tale peragere propositum nobis fuerit: quæ Salubria medicamenta vocamus. Olerum, hortensiumque multorum, vsus etiam tunc, quum satietatem, alimentiq; vnà paucitatem quæremus: quod sæpenumero contingere solet.

Olera, oleracéaque tractanda priùs sumemus, quòd horum partes fermè omnes in vsum sæpissimè veniant, radices, folia, cymata, caules, germina, fructus, turiones: quum arborum fructus solummodo, atque interdum etiam (quanquam id perquàm rarenter) turiones edantur. Sunt oleraceorum quoque, quorum fructus soli esitentur, melonum, melopeponum, cucumerum, cynarę. Radicibus vescimur, allij, ceparum, porri, rhaphani, bulborum, cepularum, raporũ: Veteres etiam asphodeli, & ari, & dracunculi; quanquã his medicaminis potiùs vice. nam tubera, & fungi, per se genus quoddam faciunt. Lactucæ, maluæ, brassicæ, attriplicis, spinachij, (sic enim vocemus) bliti, rumicis, portulacæ, vrticæ, rutæ, coronopi, foliorum tãtùm vsus. Folijs & radicibus vtimur gingidij, apij, fœniculi, Smyrnij, dauci, siseris, cichorij, betæ, raporúmque interdum; quorum non solùm folia, sed etiam, veluti cymæ quædam, expullulationes tenerrimæ esitantur; rapacia appellauêre propria voce Latinorũ receptissimi. Vescendo sunt, vt dixi, illorum quoq; folia cum cauliculis apud multos, neque verò in meliorũ solùm defectu id; verùm sic, vt non minùs edulijs his gratia quoque sua constet. Spinosarum plantarum germinibus tantùm vescimur, aut tum primùm pullulascentibus è terra; sicuti multarum herba-

herbarum aſparagis nouellis tantummodo. Aſparagos ipſos, ſic per excellentiam dictos, qui altiles & baſiliſci ſunt, non niſi tenellos menſis adhibemus, crudos, coctósve, ex acetario potiſſimùm, antequàm ſenteſcant. quod in locis calidioribus citò fit ; in frigidioribus, minùs. Nonnullorum genera quoque habentur agreſtia, vt lactucæ, vt intybi, vt betæ, cuius ſylueſtre genus rumicem facere nobis liceat ; ſicut intybi cichorium, & θρίδακος θριδακίνην, nimirum hortenſis ſylueſtrem, quam aſini, vt opinor, lactucam vocant, attriplicis pariter ſylueſtris & ſatiui differentiæ. Syluestrium omnium deterior natura, quod ad alendum attinet. minus nanque alimenti ſemper in his, quo plus quoque medicamentoſi. Ineſt in omnibus ſucci mali copia, aliqua præterea ventriculo inimica, vt lactucæ, attriplicique ſylueſtri. Nam cichorium, quod ſylueſtrem intybum eſſe diximus, domeſtico, ventriculo etiam vtilius. Sicuti ſanè eidem ſpinoſarum nouella germina non magnopere aduerſantur, tanquam omnium penè natura ſua calidarum. Scimus autem ventriculo (niſi quid aliud ſit, quod contrarium peculiariter requirat) paulò magis calida tam actu, quàm poteſtate, commodiora ſemper eſſe, vt quorum fotu natiuus ventriculi calor non parum iuuetur.

Multorum, quæ edendo ſunt, radices partibus reliquis vires ſuas efficaciores repræſentant, allium, cepe, porrum, rapæ, napi, & huiuſmodi : alijs contrà non paucis plus in caule, folijsque virium, pro naturæ ſemper inſtituto, in quamcunque illa vertere facultates ſuas partem voluerit.

Num, quòd radices concoctu difficiles ſint, id cauſæ eſſe putandum, qualem Mneſitheus attulit.

CAPVT II.



NON, quemadmodum Mneſitheus exiſtimâſſe viſus eſt, credendum, qui eſculentas radices cũctas concoctu difficiles eſſe, & ventriculum perturbare, ſcriptum reliquerit, eo quòd incocta ipſæ, necdum elaborata ſatis, humiditate conſtent, quam quoniam plurimam congerunt, eaque deinde in reliquas plantę partes diſtribuitur, inque eas digeſta ſummam demum concoctionis ſuæ perfectionem accipit : quandoquidem certiſſimum ſit, radicibus ſuppeditantibus cæteras omnes partes ali ; neceſſarium videri, exactè illam in radicum ſubſtantia concoctam inueniri non poſſe, quippe vbi primam tantùm concoctionis veluti adumbrationem ſuſcipiat ; cæterùm exquiſitè perfectéque, aliò inde in ſtirpium partes tranſmiſſa, concoquatur. Non negamus, confici contumaces eſſe radices omnes reliquis partibus ſuis magis : ſed non id cauſæ eſſe arbitrandum, neque propterea fieri exiſtimandum, quòd humoris redundantia vincantur, ne concoquere explerè queant. Accipiunt enim elicitam ex terra propriam ſibi alimoniam omnem quidem : ſed partem tantùm conficiendam ſumunt, pro naturæ ſuæ legibus iam olim deſtinatam, quam arreptam veluti in rem ſuam omnem vertant, alantúrque inde, plurimúmque trahant, ſi magnas natura eſſe oporteat ; minus, ſi minores, parua pariter, mediocri, aut maiore concoquendi vi, quæ calorem illarum innatum ſequitur, prout huius, illiúsve habendas eſſe ſaporis, conuenienter, primitusque inſtitutum à natura fuerit. Reliquum quod eſt humoris, per fibras quaſdam alendis partibus alijs attractum, ibidem, pro illarum diuerſitate, multipliciter quoque conficiendum, tranſmittunt : non ſanè diſſimiliter, atque corporis noſtri partes, quæ primò nutrimentum accipiunt, non illæ quidem, quum id abundauerit, alijs debitum ſurripient, ſuo tantùm contentæ, quod benè elaboratum immutent, vt dici inconcoctum non poſſit ; reliquum reliquæ conficient, temperamentoque ac ſubſtantiæ ſuæ adijcient. Sunt ergo radices natura potiùs ſua tales, vt aliæ quoque partes tales. Etenim ſi recipiendum id eſſet, quod Mneſitheus cenſuit ; iam, vt quæque pars à radice remotior, ſic quidem cùm alimento concoctiore, tum ipſa quoque non minùs concoqui ſemper eſſe facilior deberet. Atqui contrarium ſæpe experimur, tam in ſtirpibus, vbi ſentes, parteſque præterea quaſdam alias, longè plerunque radicibus ipſis duriores eſſe, contumacioréſque omnino animaduertimus ; quàm etiam in animantibus, in quibus cutis, extremæque partes, longè, quàm ſtomachus, & inteſtina, iecurque, in quæ omnium primùm alimentum venit, concoctionis difficilioris, deterioriſque alimenti meritò cenſeantur. Ergo alia eſſe huiuſmodi, alia illiuſmodi oportuit, radices, caules, folia, ſemina, quibus omnibus ſuus cuique modus, menſuraque conſtaret, & cum temperamento ſuo natura, alimento ad id ſemper attracto copia qualitateque iuſto.

De Raparum, Naporum, Rapunculorum, Rhaphani vtriuſque alimento, & facultatibus.

CAPVT III.



Aximus inter radices Raparum vſus, tanta apud pleroſque ſatione, ac cultura, vt vindemiam propriam fecerint, quam haberi omnium poſtremam conſuetum ſit, ſub Autumni exitum. Nec recentes tantùm vſui ſunt: in reliquum etiam anni tempus diligenter adſeruatæ reponuntur, modò integræ per pauimentum in vmbra ſub tecto expanſæ, ſiccatæque; (rugoſas factas paſſulas vocant, non ingratæ dulcedinis. ſed in minoribus hoc) modò maiores, deciſo craſſiuſculè in longas tænias acceu lemniſcos cortice, quem ipſum quoque ad ciborum vſum appenſum ſiccant, minutiſſimè, tenuiſſiméque conciſas dolijs imponunt, & facto tabulato ſaxorum pondere obruunt, vt exprimatur liquor. eo pacto aceſcunt, & veluti muria quadam ſua conditæ diutiſſimè ſeruantur, non inutiliter prorſus, nempe ex acore illo incidendi vi acquiſita, vt intereà tamen de ſucci malitia nihil remittant, niſi fortè plus etiam neſcio quid aſſumant ex ſemiputrefactione quadam ea, quæ nares quoque extraneo indicibilíque ſæpe odore feriat, præſertim hyeme vaporaria ingreſſis ab illorum eſu, tota iam Germania frequentiſſimo. Eadem eſt, apud nationem eandem, capitatæ Braſſicæ parandæ, reponendæque ad eundem quoque vſum, ratio; præterquàm non tam minutatim conciſæ, ſed in quædam potiùs veluti capillamenta reſectæ.

Omnia ſucco, vt diximus, prauo conſtant: recentiores etiam craſſitie damnantur, rapæ, dico: vt nimio eorum vſu, maximè ſi ventriculi concoctionem effugerint, copia inde colligatur crudioris per corpus ſucci, magiſque adhuc, ſi crudæ deuorentur. iam tum enim & concoctu difficiliores euadunt, & flatulentæ, & ſtomacho inimicæ, & eundem morſu quoque ſæpe vellicant. Itaque elixa eſtur commodè ex aqua rapa, aut ex iure aliquo; vnde, pro eiuſdem generis aliorum ratione, alimenti ſatis corporibus accedat, ſed quale tamen diximus. Aſſantur eædem ſub cineribus, eduntúrque ex acetario: tum per ſe quoque, magno interdum ad quartanas febres vſu, adſperſo fœniculi ſemine, aut potiùs fœniculi vmbella, antequàm maturuerit, ſiccata, atque conſperſa, non prorſus nulla cum ratione; quippe quæ calore atque humiditate (ſic enim cenſentur) melancholico ex toto humori repugnent, vt contemperare eum optimè, ſimul ciendi quoq; lotij facultate maxima, plurimũ per eas vias quartanam facientes materias educere queant. Venerem excitare creduntur, vtpote flatulẽtæ. Aliàs paulò deteriores aſſatæ, præſertim ſi flammam, aut fumũ ſentiant, vnde igneitatem (vt ita Græcorum ἐμπύρευμα vocem) concipiũt noxiam: meliores omnino elixæ. Iterata autem elixatione, & concoqui faciles magis, & flatuoſæ minùs, minuſque ventriculo inimicæ. Sed ne ſic quidem craſſitiem omnem exuent, vſque eò quidem, vt in attenuante victus ratione vſus eſſe illorum debeat.

Naporum eadem per omnia natura: omnino tamen acceptiores guſtui, craſſique minùs ſucci, minúſque ſtomacho aduerſantis; gutturis, pectoriſque aſperitatibus leniendis commodi. ijdem renibus calorem addunt, & Venerem ſtimulant.

In Bohemia ad Marcomanos plantæ genus frequens raparum facie, folijsque, tenuioribus tamen his, vidimus, radice craſſiſſima, longiſſimáque, vt hominis ſæpe proceritatem æquet, interdum etiam ſuperet: rectà ſemper in profundum tendit, filamentis, capillamentiſque in imo multis, tenuibúſque. Eam eſſe ſylueſtrem rapam, non ineptè exiſtimare liceat, quam Plinius radicem agere in longitudinem raphani modo ſcripſerit.

Rapunculum præcipuè acetaria commendant, dulcedinis non ingratæ, neque tamen multæ; ſubſtantiæ tenuioris, ideoque & minùs rebellis ſtomacho, ſucci tamen non boni. Elixatur leuiter, ex oleoque, ſale, & aceto proritandæ appetentiæ apponitur.

Rhaphanus medicamentoſa prorſus herba: pauciſſimum inde nutrimentum: flatus creat, & eructationes mouet olidas. itaque meliùs pro aliorum obſonio erit, quo multorũ frigiditas emẽdetur, & craſſities tollatur; quoniam vtraq; vi polleat, inſigniter calefaciẽdi, & attenuãdi. Radice tantùm hodieq; vtimur, eaq; cruda. Iocus eſt de parſimonia illorũ, aut ſorditie, qui radicẽ eſitãt; folia, & cauliculos famulitio apponũt. Menſarũ principio adhibetur freqnẽtiſſimè, teſſellatim conciſa: ſale primùm elicitur humor, ex quo ſalſugo exiſtit; tũ oleũ & acetũ addũt. Quocũq; modo dematur de ſucci acrimonia, quã multã obtinet, plus omnino neſcio quid exhibere alimoniæ poterit: intereà tantundem viriũ amittet, quas diximus, attenuãdi, calefaciendique. Iãdiu deſijt cõſuetudo, veterum quorundam, veſcẽdi eo ſub finem, tanquã quo iuuari concoctionẽ crederẽt, atque etiam expertos ſe id eſſe dicerent. Ea autho-

authorem habuiſſe videri poſſit Dioſcoridem, cuius deinde ſententiæ, non ignobiles ex Arabum ſchola, nihil aliud quàm ſubſcripſere: expertos fuiſſe, non ſit veriſimile. Addunt quippe, id potiſſimùm à foliorum poſt cibum eſu fieri, prætérque etiam appetentiam excitari. Porrò autem quorſum, quęſo, appetentia nobis ea quęrenda in fine? Num, vt illam alio rurſus cibo leniamus, rurſúſque rhaphanus ingeratur alius, ex quo appetentia alia, alius item cibus, rhaphanus alius, quoniam quidem hunc poſtremum omnino accedere opus ſit? Certior fuit eorum obſeruatio, quos Galenus, credulitatem hanc ſequutos, eiuſmodi vſu, aliquid inde ſemper nocumenti reportâſſe teſtatur: hodiéque experimur, non tantùm in hoc, ſed eiuſdem generis alijs prætereà cunctis, ſi quis poſtremò ſumat, ructus inde perpetuò cieri, pro ſumptæ ſemper eſcæ qualitate fœtentes; certum exagitati, ſuſpenſíque, inter concoquendum, in ventriculo cibi indicium. Contraria omnia experiemur, ſi cum reliquis vnà initio præſumantur eadem: præſertim verò, ſi potum præceſſerint, vt nec allium quidem ipſum, quod omnium tamen maximè graueolentiſſimum habitum ſemper fuit, ſuboliturum quicquam omnino ſit, ſi ita fiat. non iniuria. Nam & certior in ventriculi fundo, maiórque, conſenſu omnium, eóque efficacior concoquendi virtus, ob caloris natiui inibi veluti focum, tótque omni ex parte circuniecta, calore eodem abundantia, viſcera, & paratior ita illis via tranſeundi in inteſtina, ſeu concocta, ſeu corrupta deſcendant.

Rhaphanus, vt aëria omnia, euaporatione multa caput replet, oculos lædit. Acerrimus omnium ſylueſtris: ſapor eiuſmodi, vt, niſi additamento aliquo acrimonia eius mitigetur, nimis quàm linguam, palatúmque vellicet.

De Allio, Cepe, Porro, Dracunculo, Aſphodelo, Aro, Ampelopraſſo: quibus vnumquodque alendi viribus, aut vitio, aut bonitate conſtet.

CAPVT IIII.



Llij, porri, ceparum, ſi medicatæ, & ad morbos diuerſos facientes vires quærantur; alibi dicendæ. Hoc loco alimenti ratio, qualiſcunque his inſit, tractanda: tum, ſi quis prætereà horum vſus inter medicamenta reperitur, quæ quoniam ſanis adhuc, ſed affectu aliquo, citra functionum tamen læſionem, tentatis adhibentur, ὑγιεινά vocant: quorum vſus maximus, frequentiſſimúſque, calidorum, atque attenuantium, in hac quidem Medicinæ ſanitatis tutrice parte; maximè verò his regionibus, his moribus, hac viuendi ratione, quin potiùs ratione nulla, ſed erroribus ſemper multis; vnde tanta vbique frigidiorum collectio, craſſorumque, ac crudiorum ſuccorum copia, incidi, extenuarique, & concoqui poſtulans: quod non niſi calidioris alicuius ope cibi fiet, atque eatenus medicamentoſi. Frigidiorum his quidem in locis vſus rarior, atque in magnis tantummodo caloribus quæſitus, lactucæ, cucurbitæ, cucumerum, & huiuſmodi. Sed ne tum quidem ſine calidiorum vſu peragi videas radicum, ſeminum, herbarum, aromatum. Quamobrem horum ipſorum, aromatum nempe, magnus iam vndique ad nos importatorum prouentus, atque in prouentu tamen caritas, non modò ex Arabia, quæ toti noſtro huic orbi olim ſufficiebat vna; ſed & nouo quoque Orbe, Molluchiſque ipſis, quæ ne ipſæ quidem tamen breui ſuffecturæ nobis videntur, toties iam, tam longo maris terrarumq; interuallo, aditę huius vnius mercis gratia, vt ea Emporia noſtra implerentur. Nec aliũde quidem diuitiæ, quàm ex mercaturæ genere hoc, maiores, ingẽtibus, immenſiſq; mercium, id genus, pretijs; quas in vſum iam, vt dixi, omnium, infimæque etiam plebis, diſtractas inueniendi, habendiq; ſæpe penuria ſequatur. Quod quũ ſit, inſana plerunq; pretia rebus accreſcunt, nimirum tãquam in monopolio, ſuo pretiũ modo ſtatuẽtibus negotiatoribus. Quo tempore hęc ſcribebamus, Caſię, quę nobis pro cinamomo eſt, pretiũ erat in libras, inauditũ antea, aurei nũmi decem. Huc ſcribendo peruenimus, aientes tantum hodie in Septentrionali plaga aromatũ abſumi, vt in exuberante quanuis rerũ harũ copia, vndique ex ignotis quoq; antea locis petita, inopia tamen ſæpe laborare contingat; multáque, deficientibus illis, in eorum intereà locum ſubeant, ad quædam non inutiliter prorſus, quanuis non ea aromaticæ facultatis gratia. Si calorem, ſi ſiccitatem, ſi acrimoniam, ſi tenuitatem quęrimus; ſatis in piperitide, ſiue lepidio omnia; abundè in clematide altera, ſylueſtri raphano, draconcello, pyretro, ſinapi, naſturtio; ſatis ſuperq; in ſiliquaſtro, omnium acerrimo, tenuiſſimo, calidiſſimo, ſicciſſimo. Itaque meritò hæc ruſticorũ quotidie, aut mediæ etiã plebis, culinis expetũtur, ad cõdimenta, & intinctus parãdos. Hoc ipſum alliũ, de quo paulò antè inceperamus dicere, cepe, porrum, dracunculus, arum, quoniam radices

radices tractamus, multorum sæpe, magnorumque omnia vsuum, vsque eò quidem, vt horum inter alimentorum facultates meminerit Galenus, nulla aromatum mentione, vt ex quibus nihil nobis expectandum alimenti prorsus sit; quum ex radicibus, quas modò memorauimus, quoquo tandem modo possit, calidum videlicet, siccum, tenue, & huiusmodi, alimentum tamen; minus omnino ex crudis, plusculum ab elixis, aut præparatione aliqua depositis medicamentosis viribus, vel retusis potiùs. Inde enim cuncta alibilia magis fiunt, ac facultatis, quod satis sit, retinent. Nec sanè aliter quibusdam illorum vtemur, hoc quidem in negotio, quod Salubri tantùm dicatum parti versamus nunc. Dracunculus nanque, & asphodelus, & arum, præsertim si hoc eius regionis fuerit, quæ acre valde proferat: (variat quippe, & alibi ob mitiorem acrimoniam etiam rapis vilius habetur, alibi insignitè acre, vt proximè facultate ea ad dracunculum accedat) quòd si eiusmodi fuerit, (idem de asphodelo non minùs & dracunculo dictum intelligi debet) dissecandis educendisque, contentis pectore & pulmonibus, crassis, viscidisque humoribus elixabitur vtiliter. Excoquendæ ita quoque ex parte medicamentosæ nimis acrimoniæ, seruandæque partim, non satis licèt probandæ, alimoniæ, vt tandem medicamentosa esca fiat. Nam, quum integris horum ipsorum viribus, & medicamento tantummodo indigebimus, iam tum in aliena ab hac prouincia versabimur, difficulter atque erecta tantùm ceruice spirantibus, morbisque id genus iam correptis, affectisque, remedia adhibentes, extra sanitatis iam latitudinem. Eodem modo cepis, allio, porris, aut crudis, aut elixis, vtemur: scientes, attemperandum in his, accommodandumque semper esse ad rem præsentem vsum, vt pro eo, ac plus, minusve, aut alimenti, aut medicamentosæ facultatis requiremus, ab elixis alimenti plus, medicamenti minus; contrà, à crudis maiores ad medendum vires, minores multo ad alendum, petamus. Sic in elixo allio paucissimum alimentum, nullum prorsus in crudo, cum insigni calefaciendi vi, crassosque humores extenuandi, & glutinosos incidendi, & meatus infarctu liberandi, & per halitum digerendi; sed non sine succi semper prauitate, quæ elixatione illi tota, simul abiecta etiam acrimonia, adimitur. Idem in cepa, & porro: eadem bis licèt, terve elixa, vim tamen adhuc attenuandi retinebunt. Ex conditura quoque infringitur acrimonia: eo & acceptiora esui, succique minùs mali fient. Quocunque modo paratorum crebrior acrium vsus fugiendus omnibus: exurere quippe, exassareque potens sanguinem, præsertim in biliosiore temperamento præditis, in quibus addito calori calore, quasique igni igne, torrentur, siccanturque cuncta, non solùm sanguis: pituitosis, crudorum, crassorúmque, ac viscidorum succorum collectione laborantibus non incommodus: si ad temperatos referas, siccescent inde, calescentque omnino hi horum omnium vsu. Ex allio dolor præthereà infertur capiti: clarescit tamen vox, lenitúrque guttur decocto: tussim facientes humores excreatu educit, contractósque ex frigore pectoris dolores lenit: siticulosum semper. Mirum, aliquibus creditum fuisse, Venerem inde stimulari, quum visum ijsdem fuerit, flatulentiam omnem in corpore ex eo tolli, tantum abest, vt illam ipsam ad coeundi incitamentum gignat. Nisi verò id hac in re propterea fieri iudicemus, quòd, vbi pituitosorum humorum copia adsit, dissecta ea, facultateque allij calorifica concoctioni parata, proliciendo inde meliùs sanguini, atque ita demum geniturae largiùs procreandæ, vberior sæpe materia suppeditetur. Idem puerorum vermibus propellendis accommodum, maximúmque iter facientibus ad toleranda frigora munimentum, aquarúmque malitiam omnem corrigendam remedium. Quibuscunque locis deprehensi, aut de impura aliquando lacuna, aut de vitiosi, incompertique nobis, ac tetri sæpe saporis potare fonte necesse habuerimus: id nobis ad hæc antidoti datum, si priùs allij facultatem quoquo modo, antequàm bibantur, imbiberint ipsæ, vel maceratione aliqua, vel mistione qualicunque. Rursus, æquatis propemodum virtutibus ac vitijs, claritati oculorum officit, sensuúmque omnium instrumentis cùm deficcatione nimia obest, tum verò humorum in corpore exagitatione cùm hæc ipsa sensiteria, tum caput totum vaporibus, corpus nactum aut repletum, aut cacochymum, degrauat. Dein vitia quoque ex eo deprehendentur, & offensæ, si quibus corpora obnoxia fuerint: alioqui capitis dolores, reliquarumque partium omnium etiam sedaturo, si nec plenitudinem, nec vitiosi succi copiam inuenerit.

Maior in cepa, & porro, succi omnino prauitas; in porro etiam odoris virositas quædam; flatulositas in vtroque, vnde Veneris irritamentum, non ea solùm, qua de allio diximus, ratione,

sed ob temperamentum proprium, flatulositatémque. Ceparum discrimina, quàm porrorum, plura, non modò ex colore, sed & figura, & viribus. Oblongæ rubræque acriores: dulci quædam satis sapore reperiuntur, vel crudæ: incidendi omnes vi præstant, abstergendi, extenuandi, insigniter calefaciendi, vt & porri: vtique hæc in cepis maior, cum siccandi etiam facultate maiore; quãuis redũdans in vtroq; humiditas sit, maximè cepa, eáque crassior: sed nos siccandi potestatem accipimus ex humore. Amarore, & adstrictoria vi quadam cepæ detergere sæpe cibi fastidia, humore nimio in ventriculo contracta, possunt. Id quidem præstare porri haud tantum poterunt, infensi magis ventriculo; &, vt non nihil tamen præstent, maiorem semper capitis dolorem facient, somniaque adferent turbulenta, proprietate sua excitatis fumidis, nigrisque exhalationibus: dentibus quoque, & gingiuis, peculiari quodam vitio, noxij: acidum tamen ructantibus vtiles, & pulmonibus emundandis, cineribus calidioribus torrefacti, maceratique, leniunt aluum humorum dissecatione, & attenuatione expulsioni faciliori præparatorum, simul & virulentiæ nescio cuius extranea qualitate irritatam. Vt ex porris tumultuosa somnia; sic ex cepis soporositas, & somnolentia, & mentis functionum perturbatio, atque ex frequentato nimis vsu, etiam veternus quandoque. in senio commendationem habent, crassis humoribus extenuandis vtiles, abstergendáque eorum viscditate: modò ne quid nimis híc quoque, ob pericula iam enarrata. Eædem, vt quæ attenuandi dissecandíque facultate valeant, succos generant superuacuos multos, atque illos crassos, ex densiore substantia procreatos. Etenim vires illæ, quas diximus, attenuandi, incidendi, atque etiam abstergendi, quum partibus harum omnibus insint; tenuiores tamen, & humidiores magis occupant, ac tempore quidem manent, &, quæ diximus, omnia præstant; mox operatæ, terrei multum post se, crassique ac duri, in humoribus relinquunt, euanescentibus, vt in omni re, inter operandum viribus, vincentéque calore innato, & siccante. Quam etiam ob rem elixa antea, magisque, si iteratò id, aut tertiò fiat, vtraque, cepe & porri, plurimum de acrimonia, viribusque suis omnibus remittent, calore illo eodem edomita, quasique excocta. Sed & malitiæ vnà exuent multum, alimentumque exhibebunt durum, crassumque, & id perpaucum. Quocirca de his, cunctisque acrimonia insigni hac præditis, illud pronuntiare in vniuersum possumus; (quod de alijs fortasse multis non liceat) aliquid semper secum hæc nocumenti adferre solita esse: vt intereà, in quibusdam ætatibus, regionibus, temperaturis, vitæ rationibus, institutisque, non prorsus inconuenire videantur. Sua tamen vtrique semper adhibere remedia, & veluti antidota opponere possis. Quod & vsu propè iam apud plerosque receptum videmus, vt cepæ cucumis associetur, quoniam alterum alterius omnino auxilio egeat. Et cum porris commodè estur portulaca, & lactuca: altera, vt calorem reprimat; altera, non solùm vt calorem, (quanquam & hoc ipsum) sed etiam, vt porri virulentam malitiam, glutinositate sua interceptam, frenet.

Sunt Ampeloprassa syluestres porri, domesticis per omnia similes: cæterùm longè quoque in omnibus deteriores meritissimò habendi, alimoniæ tum paucitate, tum prauitate, tum virositate, tum ventriculi offensione maiore: Curatrici Medicinæ parti omnino accommodatiores, quum paulò magis aut excalfacere, aut deobstruere, aut vrinam, aut menses ciere, propositum habuerimus; quæ cuncta multo, quàm domestici, promptiùs, efficaciusque edere munia valeant, vsque eò, vt & in venenatorum ictu esse hosce præstet.

De Bulbis, & Ascalonijs, de Tuberibus, de Fungis, & Boletis, cuiusmodi inde expectandum alimentum sit.

CAPVT V.



Controuersam nobis hactenus rem fecère Bulbi, veteribus notissimi, incomperti nobis: vt non parum mirum esse debeat, tam vsitati quondam oleris tanto ad salacitatem præcipuè vsu, Poëtarum etiam carminibus celebrato, hac nostra tempestate, non minùs fortasse luxuria diffluente, notitiam perijsse.

Hoc argumento persuasi nonnulli, & quòd Auicennas bulbum fecerit paruum cepe, naturaque huic proximum; nostra Ascalonia, quæ sic vocantur, veterum esse bulbos existimârunt, quamlibet reclamantibus celebratissimis rerum harum, nostræ ætatis, experientissimisque indagatoribus. Non attineret, vsum, viresque rei adscribere, cuius nullam certam cognitionem tenemus: omnino autem, quoniã (quantum qui-

quidem conijcere nobis licet ex Authoribus de his scribentibus) non dissimiles valde cepis, nec natura, nec facie, vt & Ascalonia, eadem à nobis classe, vel proximè ab ea, meritò reponantur. Flatu inprimis abundant: vnde illis tanta accesserit ad Veneris desideria gratiæ commendatio. Plus in his, quàm in cepis, nutrimenti, nec siccitatis tantum, ac longè minus caloris, in esculentis quidem: constant ex amara, atque austera facultate, quæ sæpe in vnum conueniunt duæ, non inutiliter. Quapropter hîc quoque ex his languens interdum stomachus excitatur ad appetendum meliùs; præsertim si crudi deuorentur, tunc & ad expectorandas de pulmonibus materias non incommodi. Crassior nanque illarum substantia, contraria amara facultate attenuatur. vt præstare hoc possint, decoctis, quo magis vires suæ decedent, eo semper magis alendi vis accedet, succusque inde proueniet crassior; magisque, si bis decoquantur: at in reliquis acceptior. Crudorum enim succus minimè quidem probandus.

Nisi loco huic adscribantur tubera, & cum tuberibus fungi, non facilè, nec aptè in alium ordinem recipientur. Tuberibus quidem, sicuti bulbis quoque, sua nostro hoc tempore constat gratia, ex Veneris stimulis: magnum tamen in eo discrimen, quòd nullam, vt bulbi, insignem referunt qualitatem gustata; vt, nisi piperis, salisque additione commendarentur, non magnopere responsura palato fuerint, propè insipida. Plura illorum genera in Pannonia prægrandia vidimus, maximorum volemorum magnitudine, ac propemodum in lignum durata, meritoque ad vllius escę vsum damnata. Reliqua sunt frequentiora genera duo, alba, & nigra: nostri hęc triticea, illa secalina vocauerunt. Ex colore nigra, sunt qui existiment, non esse proprium genus, sed superuenientibus frigoribus ex candidis nigra fieri: in quo falluntur. Eodem nanque tempore plurima tam candidi, quàm nigri reperire coloris est. Galeno non omnino improbantur: crassi enim vtique succi facit, at non mali. Nulli non videri iure queat, plurimũ contineri pituitosi, crudiorisque illius, quem ita Praxagoras vocabat, succi: nimirum natales ostendent, rei sub terra radice nulla, vnde alatur, nitentis; vaporosa tantummodo ex materia, necessariò in eam substantiam densata, minima caloris elaboratione, inque terrestri, crassoque & obscuro infernè de terra exurgente vapore conclusa, miniméque ex liberiore cœlo attenuationem vllam experta. vt non immeritò Authores quidam mala de succi illius, crudiorem quem diximus, materia oriri solita, hîc quoque timenda nobis esse præcipiant. Proferunt Tridentinę Alpes alterum, sed eadem tamen colorum diuersitate, genus: substantia tantùm longè magis laxa lenique, cortice, ceu membrana, tenuissimo, vt facilè delibrentur, & fuluescẽte, pulmonum ex toto fermè carnem referunt, elixa. nam priora in duritie quadam, friabilitatem retinent tamen. Viliora habentur hæc, tanquam quærentibus magis semper obuia. Ex his alimenti minus expectandum, nempe tenuioris substantiæ, citiusq; difflabilis. Reliqua eadem habenda erunt, nisi quòd tamen frigidioris hæc succi, dilutiorisque materiæ, ideoque calidioris quoque semper condimenti alicuius indiga.

Longè frigiditate, glutinositate, & crassitie superat ex fungorum esu succus, sæpeque venenositas accedit exitialis prorsus: mirari vt maximè subeat, tantam fuisse semper, hodieque esse auiditatem, imò amentiam, edendorum, necessario cum timore semper, animique suspensione, & præsentis mortis suspicione. Neque iuuet arbitrari, periculo omni vacare ex his quosdam.

Boleti ipsi, omnium maximè innoxij existimati, notati tamen sunt à Galeno, non nemini ingens suo tempore discrimen intulisse nimij comesti, nec cocti satis; ventriculi nempe ore compresso, de grauatoque, atque ex angustia laborante, tum spiritu intercluso, animoque deliquescente, & frigidum sudante, vixque deinde crassitiem humorum dissecantium vsu seruato. Notum est illud de lethi sui causa boletos culpantis, etiam veneni materia inde quæsita securiùs dandi à Claudij Imperatoris vxore, naturæ per se venenosæ prætextu, ne compositum venenum intelligeretur. Tam verò prompta, tamque ex multis, veneni in his conceptio, clauorum potissimùm ferreorum, aut ferreæ alioqui materiæ cuiuscunque rubigine nascentibus proxima, lacerive alicuius panni, lanei, lineive, marcescentis iam, vicinia, serpentium afflatu, attactu, morsu, lethiferi. Oliuæ arborem habent nocentissimam, si sub ea nascãtur. Vespæ, muscæ've, aliunde venenum quoquo modo depastæ importare his poterunt. Et tamen venenorum, morborumque omnium securi, his subinde vescimur: nec spontè tantùm sua nascentibus contenti, alterius generis accersitos habemus, vnde domi quoque, (quoniam foris non satis fuerat nobis vitæ discriminum) sæpe periclitemur, enascentibus inter parietes nostros nobis sæpe momento temporis boletis, lapidum

quo-

quorundam aspersione. Esitamus hos, atque etiam in delicijs habemus: rarũ quippe, nec vulgatum. Nam quid aliud esse causæ dicam commendationis tantæ, nisi vt exotica quædam nobis faciamus domi nostræ de nostro? Atque his tamen minore semper vitæ, sanitatisque nostræ discrimine vescemur, (ne prorsus desipientiam hanc habendam esse arbitremur, & verum lubentes fateamur) quando his nullus marcor propè, cuius contagione inficiantur; nulla omnino, si cautum id nos velimus, rubigo; ac longè quidem minùs venenatorum animalium afflatus vllus. Qui nihilominùs, vt veneni suspicione careant, noxa illa nunquam carebunt fungis omnibus propria ac peculiari, frigidissimorum, viscidissimorumque humorum procreandorum, crassique, ac mali succi, insignisque sæpe in vẽtriculo corruptelæ gignendæ, ex qua cùm incommoda alia multa, tum cholera quoque nonnunquam. Remedio sunt, iniecta inter coquendum pyra, cum origano, ocymóque: alij panis offam addunt triticei. Recoqui, multoque aromate commisceri opus habent, butyroque, oleóve toti tessellatim concisi quasi innatare. Sed hæc alterius iam negotij, nimirum eius, quod obsoniorum rationem tractat.

Spongiolos vocant inter hos quosdam, ex re. Sunt enim verè spongijs similimi, rari, leues, foraminulenti: exeunt momento è terra Vere, sed paulò magis adulto, ingruentibus pluuijs roridis, atque inter eas exerentibus se interdum, vt fit, solaribus radijs: vt calorem, humoremque causas habere iure existimari debeant, minusque ideo quoque frigidi, crassi minùs viscidique, nec vsque eò praui habendi succi sint, si cum alijs conferantur. Conduntur in hyemem siccati: quod & ipsum indicio sit, non tanta constare eos humiditatis malæ redundantia, maceratione ex aqua, parua, similitudinem nuper è terra erumpentium assumunt, imbibitoque ita humore facie sua priore illa redeunt, saporem quidem cocti, esitatique natiuũ æmulantur suum, prorsusque referunt. Bohemia fungos maximos edit, colore albescente, aut subcineritio, quos crudos quoque sæpe vorant: aliâs etiam siccatos, pulueratosque reponunt hyemi, pauco adsperso sale, parandis deinde ex his multorum generum pulmentarijs, aut iurulentis alijs, haud dubiè minore semper discrimine, minoribusque nocendi ita viribus, exhalata tempore, conditurâque ea, succosæ illius malitiæ magna parte, ac remanente tantùm crassitie, & frigiditate, atque his tamen ipsis multo retusioribus. Fungi, etiam arborum accipi debent: boleti, terræ tantùm, vt opinor. Hosce pratenses appellâsse fungos, videri rectè possit Horatius, quum ait:

-- pratensibus optima fungis
Natura est: aliis male creditur.

quoniam vtique innoxij habeantur boleti, & vescendi his securitate commẽdentur, maiore.

De Apij, Fœniculi, Anethi alimento, viribúsque: incidentium, & attenuantium vsum quæ sequantur incommoda: quáque id ratione fiat. De Smyrnio item, & Gingidio, & Intybo, & Oxalide, & Beta. De Carotis, Caro, Sisere, Dauco, Pastinacis. Qualis omnium in alendi ratione, & Salubri Medicinæ parte, vsus.

CAP. VI.



Edeundum ad radices iustioris naturæ, quarum magna ex parte cum folijs, cauliculisque interdum etiam, vsus. Eæ sunt, sicuti fœniculi, apij, Smyrnij, & huiuscemodi: vis his calidior, attenuatoriaque, sed vrinam inprimis tamen ciendi, quod facultatibus ambabus illis facilè præstant. Inest eadem & reliquis plantæ partibus. Horum ac similium medicatus omnium vsus potiùs, quàm alimenti. Medicatam vim intelligo, in hac Medicinæ parte, quæ sanis quidem, sed nonnullis inualetudinis, neque ad functionum tamen vsque oblæsionem tentantis causa adhibetur. His vtemur, quum vsus venerit nobis excalfaciendi, aut extenuandi, aut vrinam eliciendi, paucissima semper in hoc nutrimenti spe: neque tamen non & pro obsonio commodissimè sæpe cedent, quoties alijs, ex quibus expectanda nobis iusta alimoniæ copia fuerit, corrigendæ illorum frigiditati, vel interdum etiam glutinositati, adijciemus. Sæpe pro conditura erunt, iurulentorum præsertim.

Iam tantùm non vbique condiri carnes, iusculáque earũ videmus apio, folijs, & radice: hodie petroselinon vocamus. Absque anetho olim haud parari poterat ius illud album, tam veteribus frequens.

Fœniculum oxyporis addimus, & acetarijs, eo pacto, aut cõdimenti semper, aut obsonij, aut intinctus alicuius vsum ex his quærentes; nullum, aut minimum alimenti, per se quidem. Fœniculo sicuti magnum inesse vsum ad conciliandam oculis claritatem affirmant omnes, copiamque lactis suggerendam: ita sunt, qui è diuerso apium damnent eo nomine, quòd hoc ipsum extinguere credatur, simul

mul etiam Venerem impotenter aliquando stimulet: quibus de causis lactantibus vsum eius interdicunt; simul quia comitiales facere creditur, ne addito inde eadem malitia lacti, obnoxios aliàs malo illi infantes, etiamnum expositos magis reddat: animæ graueolentiam emendat tamen.

Nutrimentum ex omnibus his prouenire corporibus perquàm exiguum diximus: nunc addimus, vitiosum præterea id esse, succumque gigni ex illorum frequentiore vsu crassum, densumque valde, quamlibet incidendi viribus polleant, eadem, qua de alijs diximus suprà, ratione. crassities nanque succi in sanguine remanet ex illis procreati: imò sanguis ipse, crassus, exustusque fit iam, abeunte dissecandi vi omni facilè, vt quæ constitutioni tenuiori inhæreat. Sic quidem experimur nimio attenuantium vsu exarefactos propè quosdam, artuúmque iuncturis vsqueadeò humore suo illo destitutis, nonnihil vt inde omnino mouendi quoque functionibus accederet nocumenti. Sic fiet, vt modicus horum vsus, cùm multis alijs, tum etiam obstructionibus quibuslibet, renúmque vias occupantibus, crassis, glutinosisque humoribus, aut etiam calculis ipsis dissipandis, futurus vtilis sit: immodicus verò noxius, procreato ita crasso densoque succo, sanguineque, parata nimirum calculi materia. Etiam illud insequi sæpe incommodi videmus exuperantem nimis, vel intempestiuum quoque eorundem vsum: quippe si cruditas, aut repletio subsit, cuncta statim veluti præcipitia ferri de ventriculo, primisque illis vijs, quas sic vocamus, in iecur, renesque, manifestum est; partésque illas infarciri magis ita, magisque, vnde doloris quamprimùm sensus ex obstructione: in renibus verò etiam doloris irritatio vehementioris, si paruus priùs præfuit. Subortos ideo sensim primò sæpissimè, ac tantùm non quotidie animaduertimus, renum dolores adaugeri vrinam cientium exhibitione. Quod fit non tam quidem attenuandi, calfaciendique vi, quàm hoc ipso, quod sunt, nempe vrinam promouendi facultate, ob quam multi, crassique humores ad eas potissimùm partes deducuntur, confertim, vehementerque acti.

Smyrnij eadem in omnibus, quæ apij, quoque facultas: maior tamen, & medicamentosior, eoque minoris nutrimenti.

Nec sanè minùs Gingidium (quãdo nobis hoc loco gingidium cerefolium sit) facultatibus suis apium refert, sicuti & facie: exigui admodum ipsum quoque alimenti, ventriculo intereà longè acceptius: duabus in vnum coeuntibus facultatibus maximè probandum, adstrictoria atque amara: vnde & stomacho, quod diximus, gratum inprimis, idque vel crudum, aut feruefactione etiam non multa; quippe longiorem cocturam non perfert. Ex aceto appetentiam faciet: sumere ex garo quoque possis, oleóque interdum, & vino. Radices, & folia in vsum veniunt, veluti intybi quoque, & betæ: vtriusque gemina fecimus antea discrimina, syluestre, & domesticum, si modò rumicem ad betæ genera admiserimus, quæ agrestis nobis fit.

Intybi notiora, iamque in vsum recepta discrimina: Endiuiam, deflexa, vt videri possit, aliquo pacto ab intybo voce, hodie domesticam vocamus, cuius foliorũ vulgatior vsus; cichorij radicum æquè, ac foliorum. Endiuiæ folia, sicuti cichorij radiculæ, ad hyemem seruantur in cellarijs, quo tempore remissioris multo amaritudinis esse inueniuntur, ideoq; & viriũ, frigidiorisq; vnà censeri naturæ possint: aliàs accommodatiores vsui, quum amaritudinis aliquid retinent, cuius gratia agrestem ad salubritatem meritò præferimus, in temperato quidem ventriculo: nam æstuantem domestica meliùs refrigerârit. Eadem, humoris adundantia vim siccandi amittit omnem, quæ syluestri alteri inest: ea propter in magnis caloribus commodissimus illius vsus, quum videlicet calorem, atque ex eo squalorem demere corporibus tentamus. Syluestris, iecinoris vitijs ex bile commodior, quam facilè eò perueniens detergit, decocta priùs, eiusque etiamnum magis decoctum.

Rumicis, hoc est, lapathi, quem pro syluestri quadam beta haberi posse diximus, in sanitate vsus nullus, quod sciam: oxylapathi, quæ nobis hodie acetosa est, & oxalis, frequens inter acetaria. Pueri meminimus, sæpissimè collecta ad riuulos vesci: pratensis herba est, fœminis expetita vtero gestantibus in pica. Eiusdem generis alia, eodemq; sapore acidula, folijs rotundioribus, paruis, frequens inter decidua arborum folia, in syluarum densitate: maximi vtraq; vsus, grassante pestilitate, tum per se, tum cum alijs, tum expressi inprimis succi commendatione; vt nonnulli in maxima pestilentia his solis salutem retulerint acceptam. Frigidiore temperamento, sed partium tenuitate constant. Quod ad alendi vires attinet, nullæ in his, aut perquàm exiguæ: alioqui quę ne in id quidem à quoquã mensis adhibeantur, vt magnopere alant, ac pro condimento tantùm, aut obsonio ad vsum veniant.

Betæ domesticæ, si rumex pro syluestri

beta

beta recipiatur, duo maximè genera: album, & nigrū, vel nigricans potiùs, atque ex nigrore viroréque saturrimè purpurascens. Albæ receptissimus, frequentissimusq́; vsus; foliorum maximè, quę elixantur, iurulentáque comeduntur. Ex nullis meliùs oleribus ferculum conficias, quod nostra lingua Tortā vocamus, addito veteri caseo, & butyro, & aromate. Eiusdem elixi cauliculi ex acetarijs sumuntur; sicuti nigrescentis radiculæ. Vtrique abstersoria inest vis non exigua, qua venter quidem subducitur, interim tamē paulò frequentiore illius vsu noxa infertur ventriculo, id scilicet ex salsilaginositate, ac nitrositate quadam adeptæ sunt: tametsi in altero genere nigriore, multo id inesse minùs creditur, vt propterea ne aluus quidem his magnopere, vt alijs illis, emolliatur. Expressus ex radice albæ succus eliciendę per nares pituitæ efficax, ad caputpurgia, ob nitrositatem: vel iecur, vel si lien obstructionibus tententur, eadem ratione vtiles; tum etiam, quòd calidioris, siccioris que temperamenti quum sint, liberiùs multo permeāt. Ventriculo, vt diximus, inimicæ, cui sæpe morsiunculæ alicuius sensum adferunt; nec sanè alimenti multum largientes: atque id tamen, quantumcunque fuerit, vitiosum erit.

Colore purpurascentes illas betas referunt maximè Carotæ, quas sic vocamus: sed radicis ex acetarijs potissimùm frequésque vsus: videntur enim purpura quoque sua inuitare. Elixantur nihilominùs, & vt carum, siser, daucus, ac pastinacæ reliquæ albæ, luteæque, ad vsum mensarum veniunt. Omnibus vis calefaciendi, & vrinam prouocandi certa; nutriendi exigua, idq́; cum succi semper malitia aliqua.

Peculiaris inest dos Pastinacis proritandæ Veneri, ob flatulentiam aliquam: vsus elixarum, frixarúmve inprimis ex butyro, oleóve, obuolutis antea illis farina. Dauco & caro Galenus, & staphylino aromatici nonnihil concedit. Sed staphylini hodie vsus nullus: Cari autem maximus, vel seminis in Germania, frequentissimo eius in panificijs vsu: cuminum ipsi vulgò & dicunt, & credunt. Radix minùs & mali succi simul, & stomacho vtilior.

Siseris duo genera notauimus; alterum, vnica radice; pluribus alterum, ex eodem capite pendentibus, asphodeli in modum: gratissimus vtrisque sapor coniunctus cum dulcedine quadam, Ieníque amaritudinis, adstringentisque facultatis sensu. Eadem vis, temperaturáque, quæ dictarum modò, radicum aliarum eiuscemodi.

Lactucæ commendatio: tum, non benè sensisse de ea veteres quosdam. Maluæ, Portulacæ, Attriplicis, Bliti, Spinachij, Braßicæ quæ ad alendum vires, & aliás eorum facultates, & de Braßicæ temperamento

CAPVT VII.



Sequitur olerum reliquorum ingens numerus, quorum vsus potissimùm ex folijs. Primum locum, durante tot iam seculorum consensu, meritò sibi vēdicat Lactuca, vt ex eo numero, omnium iudicio, esset, qua non solùm medicata vis aliqua; sed plusculum etiam semper alimenti eliceretur, atque eius, si non laudato prorsus succo, at neque improbo tamen: quod oleribus cæteris denegatū est, vt quæ paucissimum alimentum contineant, idque illaudatum semper.

Videntur existimâsse veterum nonnulli, multum, plurimúmque ex hoc olere sanguinis gigni: quo etiam nomine improbaretur ab illis ijsdem, id quidem apertè ex Galeno colligas: simul illud (modò paulò magis pensiculatè verborum sensus excutiatur) animaduertas, eos in illa fuisse sententia, vt genitus inde sanguis, hoc tantùm sanguis esset, nulla humoris alius accessione, non pituitæ, non bilis vtriusque, qua propè significatione sanguinem accipimus, ipsissimum (vt ita dixerim) sanguinis succum, sequestratis bile tum flaua, tum atra, tum etiam pituita. Adductos ad id existimandum opinor, quòd nihil in ea gustu deprehenderent, neque austeri, neque acerbi quicquam, nec acris, nec amari, nec salsi: purum vt propterea, syncerúmque ita prorsus sanguinis progigni inde succum debere persuasum haberent. Quod non ita est: frigidum nanque omnino generat; neque praui tamen succi. Quòd si neque frigidum generaret: non iccirco tamen non cum sanguinis succo vnà ipso reliqui quoque humores ab ea generarentur, qui cum eo semper generantur, nunquamq́; illis caret genitus sanguis. Aestuanti ex bile stomacho accommoda inprimis lactuca: demitur squalor ille æstatis tempore ex siccitate, vsque adeò, vt eadem ex causa auriginosis (cuiusmodi, locis prę sertim calidioribus, fieri sæpe ex bilis tantùm copia videmus) maximo semper adiumento sit, frigiditate atque humiditate sua. Eadem vigiliæ tolluntur. mirum enim, quàm concilietur inde somnus, si à

cœna vtare elixa; tametsi cruda etiam possis. Nullum quippe olus tam innoxiè suo tempore crudum estur, quàm lactuca. Cautio est, ne nimia ablutione aquam sentiat, quando inde illi flatus nescio quid addatur, quod idem in reliquis non minùs natura frigidioribus euenire consueuerit. Teneritudine semper sua minimè ventriculo rebellis ad concoquendum, facilè in sanguinem mox abit, perque venas ita distributa, commoditates suas toti corpori, non multo tempore partibus, quas attingit, omnibus præstito iuuamento, impertitur. Etenim ingestam aliunde in ventriculum, aut, quam ipse quoque interdum generauerit, repressam attemperat bilem, humorem demendæ appetentiæ maximè idoneum. Itaque & hanc ipsam hac de causa reuocare appetentiam poterit, atque ex eadem sæpe bile morsus sensum in ventriculo tollere; capitisque ex bile, biliosóve sanguine, dolorem ortum leuare. Mox quum inde discesserit, inter eundum quacunq; permeârit, præcordiorum, iecorisque simul æstum leniet, simul efferuescentem sanguinem refrigeratione coercebit; renibus calorem nimium demet, atque ita pollutionis nocturnæ sæpe causam auferet; humorum reliquorũ omnium acrimoniam cohibebit; fugientem somnum reducet, repressa exhalatione calida siccáque, caput impetente, immissóq; eò loci sanguine frigidiore, atque humidiore, placidóque & leni appulsu cerebrum humectante, dissipatósque spiritus colligente. Suo autem omnia tempore, locóque fieri debebunt, atque opportunitate. Nam si vsus nullus quum fuerit, aut non in tempore ista fiant, etiam nocumenta sequentur: primùm oculorum claritati officiet, sed tum tantùm, quum temperamento suo constiterint, crassefactis nimiùm vaporibus: (nam hebetiores, ex caliditate, siccitatéque aucta, vt interdum experimur, etiam iuuerit) tum seminis copiam minuet, imminuet & calorem naturalem, pigrósque ac torpidos obeundis negotijs reddet. vsque adeò refert, quo quidque modo, aut ratione, aut tempore fiat.

Ad frigidum spectat Malua quoque, quàm lactuca tamen minùs. Etenim manifestior multo ex lactuca refrigeratio, intus forisque: obscurior ex malua, vt erysipelati paulò magis feruido nequaquam par futura sit malua refrigeratione sua, quam imbecillem satis, qualique cum tepore potiùs quodam, qui roseus sit, habet, non sanè magno à temperamento iusto recessu. Itaque eodem excessu calidum affectum aliquem ex aduerso ipsa posita refrigerârit: auctum, quique in calidum nimis abierit, non possit. possit autem paulò magis lactuca, quanquam ne hæc quidem ipsa magnis, multóque calore vrentibus erysipelatis factura satis sit, minoribus, leuioribusque tantùm accommoda; sed sic tamen, vt, quæ refrigerare malua nequiuerit, queat ipsa. Verùm sicuti frigiditate malua à lactuca vincitur; ita illam humiditate æquat, inque eo vincit, quòd adiunctam præterea secum obtinet glutinositatem, vt inde temporis mora, quadámque veluti adhæsione longiore extrinsecus admota, cùm humectare, tum etiam refrigerare meliùs possit. Nam intrò sumpta, lentore eodem, qui lubricum semper faciat, promptè aluum subducit. Quocirca calore siccitateque adstrictæ paratissimũ inde auxilium, refrigeratis vnà, humefactisque, quantum morula illa fieri potest, atq; exoneratis ventriculo & intestinis. Quod multo magis succedet, addito largiter oleo, & garo, vt, quum aliâs subducenda nobis aluus est, facere solemus. Alimoniam tum per se exiguam præbet; tũ lubricitate ea fit, vti non diu sanè manens, ne nutrire quidem concocta valde possit. Quin detractis secum vnà de ventriculo cibis ita alijs ante tempus, sic quidem, quod huc spectat, nutrimento quoque suo priuabit. Cruda non estur: sicuti nec attriplex, nec blitum, neque olus propemodum aliud vllum, olim quidem. Id enim vni lactucæ datum erat, vt cruda iuxtà elixaque commodè ederetur: quod hodie quoque vsitatum retinemus, potissimùm quidem in lactuca, quibusdámque præterea alijs.

Vt & in Portulaca, quam æstatis feruoribus non minùs sæpe ex acetarijs crudam, quàm coctam elixámque ex iusculis esitamus, longè malua frigidiorem, æqualiter propè humidam, lentorisq; non diuersi: vnde meritò expectari possit alimentum corpori lentum, humidúmque, ac benè inprimis frigidũ, quo in maximis, æstuantissimisq; caloribus sanguis, corpusque vnà totũ facilè deferuescat. Exemplum omnes adferũt dentium stuporis, qui αἱμωδία est, sedandi portulacæ vsu, ex peculiari proprietate. Quod lentore licèt suo miti, nec morsus vllius, glutinosoq; humore præstare dici existimariq; possit, ficciore partium illarũ, quam acidioris alicuius succi vsus fecerit, asperitudine læuigata, æquataq;: quia tamen in quibusdam alijs, facultate eadem præditis, idem non succedit; proprium hoc portulacę ipsi, peculiareq; concedendum iure fuerit. Perquàm exiguum inde alimentum, nec succi prauitate vacās.

Quod idem dici de Attriplicis, Blitique, eiusque

eiusque, quod Spinachium vocamus, oleris alimonia possit, praua, paucaque. Sed non in hoc his, alijs' ve similibus, valde vtimur, vt magnopere nutriamur: medicatum sæpiùs vsum hinc poscimus, quoties rectè, atq; ex ratione agimus; & aut refrigerationem cum humectatione quærimus, aut modicè adstrictam aluum elicere cupimus. Quorum alterum, vt refrigerent, & humectent, attriplex & blitum facient; humectum æqualiter faciendo altero à temperamento abscessu, frigidum non item. quippe in blito pauló maior frigefaciendi vis, ad secundum vsque, vt & humefaciendi, ordinem; in attriplice primi limitibus contenta subsistit. Eam Galenus χλιαρὰν θερμασίαν appellat, qualis rosæ, rosaceique olei. Alterum, vt ventrem moueat, id quidem leuiter præstabunt, sola humectatione viscriditateq; lubrica, non salsilaginosa, aut nitrosa facultate aliqua, vt in betis; aut acri, vellicanteque, vt in alijs quibusdam. Nempe fatua prorsus sunt olera hæc, saporisq; per se, aut gratiæ nullius: vt blitteam proinde appellauerit quandoq; meretricem Plautus, vilem, insipidamque, cui nullæ Veneres, Gratiæque omnes infensæ. Hinc ob aqueam humiditatem nimiam, nisi commendatio aliqua accedat acrimoniæ alicuius, aut alioqui conditurae, prorsus respuantur. Optimè respõdere videntur elixa priùs, tum expressa, multoque in sartagine oleo, butyróve inter frigendum versata, inspersoq; demum pipere, & infriato benè caseo, vt nonnihil sint.

Maior iam vbiq; gratia acquisita Spinachijs, frequētissimo apud omnes vsu, nullo ferè non tempore, vt & media hyeme, vel cadentibus niuibus copia sit: defendūtur tegeticulis superimpositis, aut scādalis, aut alio quouis, durantq; aduersus frigora, quorum iniuriam perferūt, seruato ad extremū virore. Eiusdem, cuius attriplex, & blitum, naturæ: refrigerant, humectāt, alunt, leuiter omnia: insipiditas tamē non vsq; adeò tanta, nec nullius prorsus saporis, vt multorum iam iudicio nitrosi quoque referre aliquid videantur. vnde alui subductio, accedentibus præsertim humiditate & lentitia. Stomacho, nisi cinamomo, aut pipere, aut acrimonia aliqua, multoque præterea sale condiantur, non innoxia, nimis crebro illorū vsu languescente eo, & nauseabūdo: succi omnino tamen, quàm attriplex, & blitū, minùs improbati.

Et Brassicę natura frigidior existimatur, sed cum siccitate. Duo eius prima genera: alterius, expansis folijs; alterius, compressioribus, inq; orbem mutuò se superuenientibus, quæ capitata Latinis est. Eadem, altera candidior, sed duritia quadam, & substantiæ crassitie deterior: nulla tamen Germaniæ toti expetita magis, nec cuius vsus maior ad mensas omnes veniat, summorum, infimorū, mediocrium. Primùm recens multis modis, tum concisa, suoq; sibi succo tanquam muria condita, contracto acore, ad insequentis vsq; anni congeneris sibi alterius prouentum durat, maximo vilioris plebeculæ, ad sustentandas plerunq; ita magna ex parte familias suas, vsu, fructúque: multis gratissima habita palato: qui non initio assueuēre, auersantur multi. Commendatur aciditate illa: sed odoris est mali, vt, vescentibus concluso sæpe in loco, intolerabiliter nares offendātur adeuntium. Ex vtraque, confessione omniū, atrabilarij succi per corpus totum copia, sanguinisq; generatio melancholici, crassiq; expectanda, ex quo facilè fuliginosi vapores caput impetere, mētemq; perturbare, ac turbulenta somnia facere possint. Oculos quoq; sæpe tenebricosos reddere, & videndi facultatem offendere visa est. dictam ideo κράμβην, quasi κοράμβλην autumant: fit nihilominùs id, & illius præterea siccandi potentia. Quamobrem si humore nimio laboret videndi sensoriū, etiam quandoq; profuerit. Eadem facultate ebrietatē arcere creditur, sed præsumpta: ac pòst tamē quoq; si fumatur, crapulę omnino vires, siccata repressaq; exhalatione, minuet. Sistit aluū eandem ob causam, vt sicca omnia facultate; sed recocta solùm, aut alioqui diu multumq; elixa, elicito ita omni propè ex ea succo, quo emolliri, relictaque substantia densiore, qua sisti aluus solet. Leuiter cocta aluū quoq; deijciet, vel integra sumpta. remanet enim, leuiore elixatione, emolliturí adhuc aluū succi satis. Sic quidē attemperare ad vsum sibi suū quisq; hanc possit, seu ciere aluū iusculorū elixatura, siue verò eādem supprimere substantiæ soliditate velit. His vsibus, opinor, adductus, tantū brassicæ suæ illi tribuit olim M. Cato: sed antiquior ille, ἀρχαῖος πάνυ τὶς, hoc quidem in negotio, & verioris Medicinæ sicuti rudis, ignarusque, ita osor quidam ineptus. Frigidioris naturæ fecimus, Arabū opinione quorundā, præsertim Auenrois: calidæ dixēre alij, ex eadem gente quidam: Græci locū huic non dedēre calidi, aut frigidi; siccā tantùm fecēre vetustiores. Ex his aūt, quę de ea scripta nobis reliqua facta sunt, suspicari possumus, calidā credidisse. Et profectò ita est. Etenim non ineptissimus quisq; caloris cuiusdā sensum percipiet ex comesta: ego quidē obseruans percipio. Et quid esse causæ dicemus, quāobrē æstatis tēpore vsum huius Authores de ea scribētes interdicant; iamq; hoc trāslatitiū apud omnes sit, vt, nisi pruina priùs ta-

ùs tacta, cōmoda, vtilisq; futura nō sit brassica? hoc certè ipsum est: caloris inibi animaduersio, cum siccitate cōiuncti, id persuasit. Vnde aūt in succo acrimonia proritandæ aluo, nisi ex calore? non enim glutinositatis alicuius lubricitate id fit, quam nullā habet. Vnde ebrietatis prohibendæ, aut minuēdæ crapulæ dos? Opinor ob facultates, qualitatesq; easdē, vt in Persicorū nucleis, vt in amaris amygdalis, siccandi simul, & excalfaciendi, ad discutiendū melius. Iā induratas phlegmonas, erysipelataq; sanādi potētia, abstergendiq; vis; & exustæ cinis tantis discutiēdi viribus pręditus, vt διαφορητικὸν ἰσχυρῶς φάρμακον dici meruerit, nō āliunde (quantū videre possum) accedet. Quālibet enim in cinere suū semper ἐμπύρευμα: at nō tanta vis, nisi ex materia calidiore, vt ex ficu, aut tithymallo, & huiusmodi; quorū cinis, exurentis iam facultatis, quæ καυστικὴ est, habetur: à qua ne brassicæ quidē cinis abest. Quapropter nō sanè immeritò Authores, flauę primùm bilis copiā inde timent, æstate præsertim: tū atræ non minùs, ex maiore assatione, eiusq; deterioris illius; quoniā bilem alteram, flauam scilicet, materiam habet. Commodior incipientibus autumni frigoribus huius esus, ad Ver vsque; quo tempore cymata sua profert tenerrima, quæ quasi κυήματα, nimirū partus suos quosdam edit, & cauliculos teneriores, quos & autumno sæpe suggerit; sicuti cymas quoque, plerunque & tertio, raro plātæ vllius tam crebro pullulatu. Reliquo tempore foliorum vsus, copia semper, exuperantiaq; insigni. foliosa nanq; inprimis planta est. Itaque tota exfoliatur, exutaque, nudatos in totū caules relinquit. Cruda neutiquam edi debet: nec sanè estur, nisi quandoque candidiores capitatæ brassicæ partes in minutias sectas, crudas apponi vidimus edendas ex acetarijs, etiam quorundam palato commendatas.

De Buglossi facultate alimentosa, de Nasturtio, & Cardamine, & Sio, & Sisymbrio, & Mentha, & Eruca, & Apiastro, & Ocymo, & quibusdam alijs: tum Lupus salictarius, Citriorumq; & plantarum multarum turiones, quos vsus præstent.

CAP. VIII.

BVglossus, quam iam diu eruditi censuerūt nostram esse Boraginem, calens, humésq; est, affini maximè nostro temperamento: ideo adaucta nostri substantia, & cōuenientibus nobis spiritibus procreatis, hilaritatē facere credita, in vsum ciborū recepta est, antea medicatis tātùm herbis adnumerata. Vino easdē facultates aliquandiu macerata cōciliat. præcipuus illius vsus in acetarijs. Flosculi vbiq; gratiā addunt ferculis inspersi: ijsdem inest roborādi cor facultas. Pro nepenthe iam habentur aduersus tristitiam animi, quæ ex toto inde abolita discutiatur: certè plurimùm cōtemperata mitigetur. Sanitatis nobis hac herba coronandæ aræ, quasiq; cōsecranda vita, tantos inde vsus expectantibus, vt & vsuram eius producamus calore atque humore, & hilarē inprimis traducamus, alacritate, iucunditateq; introducta, quę vita demū iusta habenda sit. Illud verum compertumque: tussientibus ex gutturis fauciumq; asperitate conferre; quippe commanducata glutinosum succū manifestò remittit, quo leniri exasperatæ partes haud ita difficulter possint. Sed & eadē succi lentitię, & lubricitate contingere potuisse crediderim, vt (quod vsu venisse non postremi ordinis, aut eruditionis (Medicis scriptū legimus) nimio illius vsu, dum gaudium inde aliqui captant, malum aliud incurrerint, citæ nimis alui. Radices saccharo diligentissimè condiuntur, vt & cichorij, & aliquot prætereà, ad eosdem vsus, adhibentur. Sedandæ quoq; siti, mirum quantopere Hispania tota. (Medicis ita suadētibus, an sponte sua) victu hoc vtatur in morbis, parata semper ex olere eo ægrotantibus esca in vniuersum, ferè absque discrimine omni. Sibi sua illis fortasse ratio super hoc constat: nos aliam sequimur, ac succi, præter alia, prauitatem etiam inde timendam esse ducimus, nempe ex olere, quanuis laudato, sed olere: nec, nisi quum, pro morbi alicuius ita exigentis modo ac ratione, paucitas alimenti quæretur cum satietate, concedendam credimus; vel quum frigiditatem & siccitatem, parum à temperamento egressam, attemperandam sumemus. In morbis acutis, (quod illi faciunt) aut alioqui febribus, non magnopere vtendum nobis ea esse existimabimus. Sed aliò hæc fortasse spectant. Post lactucam secundæ illi tribuuntur ad alendum partes à multis: etiam succi malitiam ne vereamur ex ea, persuadere nobis conatur Auicennas, quo demum authore nimium additum herbulæ fuisse existimationis crediderim. Audacter, inquit, age cum buglosso, neque malitiæ inde quicquam tibi formidato, edens, bibénsq; vtere. Videlicet hāc Authoris huius, Arabū Scriptorū principis, sententiā libētissimè arreptā insequētium ætatum studia, familiæ eiusdem retinuerunt, cuius, quod diximus, hodieq; visendum in Hispanijs vestigiū habeamus.

Celebre

Celebre olim Persarũ, vnumq; obsoniũ, Nasturtiũ, inter calidioris sicciorisq; temperamenti, quę quidẽ ad mensarum vsum veniãt, herbas prima: (nam sinapis semine tantùm vtimur) tertiũ obtinet qualitatum illarum à temperamẽto iusto abscessus ordinẽ, meritò inter obsonia tantummodo, aut condimenta, cum sinapi, quibusdamq; prætereà eiusmodi alijs, numerãdum, cum nulla quidem, aut perquàm exigua, nutrimẽti inde alicuius expectatione. Quęcunq; nanq; à medio discedunt, in quamcunque tandem partem, plantæ; eę nondum prorsus primos discessionis inde factæ limites egressæ, vescæ adhuc benè haberi, esseque possunt: vlteriùs si tendant, quo magis magiq; tetẽderint, sic minùs semper, minusq; nutriendi viribus prædicabuntur: vti iam, quæ tertium in his ordinem attigẽre, præsertim verò calefaciendi, aut frigefaciendi; sicuti calefaciendi Nasturtium; nullatenus censeri pro alimento debeant, vt quibus medicata solummodo inesse substãtia credi iure possit, exuperãtibus tam insigniter ibi facultatibus, longè ab alendi facultate alienis; nutrimento autem ibidem eandem ob causam nullo, aut paucissimo, intantũ, vt extraneis saporibus obscuratũ minimè appareat; ac proinde non comparens, sic Medicis, sensuum fidem sequutis, ne vllius quidem, ad nutriendũ, vsus habeatur. Atq; hoc dictum in commune de omnibus his accipi debebit, quod ad alimẽti, medicatiq; in his vsus rationem attineat. Hac ratione, vt arbitror, Galenus Nasturtio locum non assignauit in libris de alimentorum facultatibus, ac vix tandem viride, humescensq; etiamnum, humoreq; suo acrimoniæ minus præ se ferens, cum pane, pro obsonio edi posse concessit. Alij insequuti addiderunt, rebelle id stomacho esse, ęgreq; confici, maliq; prætereà succi fecerunt: vtiq; discutere flatuositates, dissectosq; in ventriculo pituitosos vnà crassosq; humores, expulsioni paratiores facilioresq; reddere, & appetẽtiam humoribus his tardatam excitare possit. At temperato ventriculo officiet; longeq; magis calido, siccoque; morsusq; his sensum adferet. Veneris irritamẽta quærentibus proderit, vt quidam tradidẽre, humorum dissectione, quos inuenerit, frigidorũ crassorumq; meliùs ita calorifica prætereà illius vi concoquendorum, vt in seminis deinde eo pacto promptiùs naturam abeant. Non proderit, vbi nulli in corpore humores tales: oberit etiam, seminisq; generationi aduersabitur, factumq; exiccando imminuet semen, congener sibi temperamentum nactum.

Huic affinis, gustuq; non dissimilis, etiã mutuato inde nomine, Cardamine: hodie aquaticum, seu nasturtiũ, seu sisymbrium vocamus, diuersum omnino à Sio; cæterũ ijsdẽ penitus locis, quippe irriguis, prouenięns, atq; earundẽ vtrunq; prorsus facultatũ. Vulgò iam Cressiones appellant, acetarijs expetitos frequẽtissimè, media etiam hyeme virentes in fontanis riuulis, natura eo tempore tepidioribus quibusdam. Calidioris apertè temperamenti sunt, quanuis virẽtes minùs: vrinam egregiè inprimis cient, renesq; expurgant, in quẽ potissimùm vsum ab omnibus iam sumuntur. Scimus nonnullis renum dolores subortos priùs, horũ vsu ex acetarijs etiam crudorum statim leuatos.

Easdẽ vtilitates prę stabit & Sisymbriũ vulgatius illud, menthę hortensi simile, nimirũ benè calidæ, siccæq; naturæ, & partiũ prætereà tenuitate cõstans. Hinc planè ciborũ auiditati quoq; nonnihil addere creditur; quam quidem frigidiorum, crassorumq; humorum copia deteriorem fecerit.

Paulò minùs hoc calida Mentha: sicca aũt longè minùs ex hortorum cultura, vt proptereà accedẽte ita humore calori consociato, nec prorsus nullo cũ flatu, ad Veneris opera, non inter postrema cõmendetur. Licèt diuersum quiddã de hac scripsisse, sensisseq; videatur Aristoteles: quod aut de siccata nimis, aut incultiore, aut de Sisymbrio quoque fortasse accipiendum sit, multo, quàm hortensis Mentha, sicciore: tametsi nõ desint, qui hoc quoq; ipsum Venerem inprimis excitare tradiderint. Mutauit nomen, quum priùs μίνθη esset, vt, aromaticum nescio quid spirãs, ἡδύοσμον vocaretur, videlicet suaueolens: sanè ad multa prætereà vtilis, vt omnia propè, quæ coniunctum cum adstringẽdi facultate amari aliquid habent; tenuissimarũ insuper partium, si quod olus aliud, vt iam tenuitate hac facilè meatus omnes transeat, obsistentemq; humorũ crassitiem incidat, amarore cùm hoc ipsum præstet, tum etiã siccet, putredinositatiq; resistat. Stipticitate partibus, quocunq; peruenerit, robur addet. Itaq; stomacho mirum in modũ subuenit nauseabundo ex pituita: ex eodemq; humore fastidia demit, atq; inde singultũ ortum sedat. Diligẽtiùs culta, minùs siccitate nocebit, fietq; humidior, & flatulẽtię aliqd accipiet, ex quo dos illa ad Veneris munia.

In eundẽ censum necessariò venerit Eruca, ipsa nõ minùs stimulandæ inprimis Veneri, feminique generando, & addendis in prælia eiusmodi viribus insignis, ob multã caliditatẽ cum humiditate non multa, quę flatibus materiã præbeat excitãdis: conuenientior tamen huic muneri, vbi pluscuiũ erit in corpore pituitæ, quàm vbi bilis, aut tẽperamentũ alioqui calidũ, in quo addito

calore alio, veluti exustas iri feminis partes multas credibile sit. Omniũ certè consensu ob hoc capitis dolorẽ facit. Vrinã hęc quoque cit, & lacti copiam addit, etiã ventrem emollire à nonnullis existimata. Hæc iure sociam sibi semper vnam aliquam asciscet, qua nimius illius calor fractus mitescat, lactucam vtputa, intybum, portulaccam, acetosam, & eiusmodi: aliàs obseruatum, non sine noxa mandi solam.

Apiastro Galenus easdem, quas marrubio, vires concedit, efficaciam solummodo tantam adimit; illas, quas nos hodie illi tribuimus, non agnoscit: maximè verò hilaritatem faciendi, vt in buglosso, corroborãdi cordis aduersus palpitationem seu tremorem, melancholicis subueniendi, odoris boni in ore commendandi. Herba æquè, quàm eruca, calida; sicca autem magis, vt mirũ sit coeundi eam desiderium augere. Sed hoc flatulentia aliqua præstat cum calorifica illa vi, præcipuo quodam odore, saporéque in ea grata, acceptaque: estque hoc illi cum mentha commune non solùm, sed eadem vomitũ, singultumq; ex pituitosa materia sedando, appetentiamq; faciendo, mentham non minùs æmulatur.

Horum nonnulla Ocymum quoque præstabit, nec diuersi temperamenti, nec minore odoris fragrãtia: vt & melancholicis, cordisq; palpitationi, itidem vt apiastrum, succurrat; tristitiam, animique solicitudinem abigat: frigiditate laboranti ventriculo non inimicum: amicum capiti, cuius impeditiores meatus aperire, collectamq; pituitam discutere, perque nares elicere creditur. Hanc scilicet illi commendationem Arabum suffragia addidêre: atque ijdem tamen rursus damnârunt, quòd capitis dolorem faceret, oculos hebetaret, lactis, seminisque copiam minueret, flatu repleret. Græci infensum stomacho scribunt, & superfluam humiditatem adscribunt, néve intrò sumatur, cauent; ventriculo aduersum, concoqui difficile, succi improbi: extrinsecus ad vsus aliquos admoueri posse, concedunt. Pro obsonio intereà Schola vtraq; concorditer habet; vt nec in alijs tamen discordes magnopere ferri videantur. Nam ne Arabes quidem ipsi de alimẽto eius quicquam, nisi damnato, dixêre, pro cibo certè nõ circunferunt scribentes: virtutes tamen inuenêre aliquas in eo, prioribus ignotas; id quod vtique non erit contrarium dixisse, sed nouum quippiam inuenisse.

Neque hîc tantùm factum id fuit: innumera propè sunt, in quibus Arabes, quod ad instrumentorum præcipuè supellectilem attinet, accessionibus quibusdam materiam Medicam auxerint, partim nouis, vt in Casia fistulari, Caphura, Moscho: partim, non numero quidem adaucto, sed priore vel exornato, vel ad vsus insuper alios vocato, translatoque, vt in Rhabarbaro, Manna, his ipsis, quæ nunc tractamus: quorum omnium facies, quæ antea, numerusque; vsus tãtùm, qui latebant, insequutarum ætatum studio, & diligentia, inuestigationeq; assidua, (nec abolitis quidem prioribus) eruti.

Nõ dissimili ratione in rem cibariã multa inuehere talia potuêre, vt de Ocymo ab his factum, de Sampsuco, Serpillo, Origano, Thymo, Satureia, Hysopo, Pulegio, Saluia, Pyretro, Ruta, Rosmarino, Hydropipere, Piperitide, Siliquastro, veteribus incognito, eiusdemq; classis alijs, à Medicorũ antea nemine, vt alimẽti inde corporib⁹ iusti aliquid proueniret, ac nõ nisi ab aliquibus eorũ pro obsonio, cõdimentoq; semper adhibitis, inq; vsum receptis.

Ex eadem familia, Arabum dico Schola, eademque lege, antea Medicorum officinis infrequẽs, incompertusque, Lupus salictarius ad vsum primùm Medicũ venit, mox etiam accessit ad mensas, frequentissimo iam eius vsu inter acetaria: sed tũ primũ ex pullulantis, tenellisq; asparagis, cauliculisque commendati. Dos ei prima, repurgandi sanguinis, clarificandique: alimenti laus nulla. Coquitur, & modò ex oleo, sale & aceto sumitur; modò elixus ex pinguiore iusculo, calidioris omnino naturæ opera, argumentaq; edit. Nam & largiùs sumpti calorificam quandam vim sentimus; & ceruisia, quæ plusculũ modò de hoc, dum decoquitur, acceperit, non vino minùs ipso inebriat.

Iam Citriorum quoque asparagi, tenellaque germina auidè eduntur, cruda, coctáve leuiter. Decerpi cum foliolis mos est, intermiscerique flosculis eiusdem arboris; tũ ex oleo, saleque, & aceto sumi. Mirè redolent gratissimum aroma: vnde quæsita illis apud omnes iam gratia. Excalfaciunt dubio procul; & iuuare cõcoctionem, aucto ventriculi calore; hocque ipso, quod tanquam aroma spirant, tũ præterea subamaro quodã, sed grato, austeroq; vnà sapore auiditatẽ capiẽdi cibi facere possunt, vt in bulbis. Sed id crudi magis præstabũt: neq; aliter fermè esitari video: duriores tamen, vt cõcoquantur, præsertim flosculi.

Multi præterea arborũ multarum, fruticumq; Turiones esitãtur, ita teneritudine tantùm sua accepti, plantarum semper, suæ quisque vires referent: minùs efficaces tamẽ, vsq; adeò, vt insigniter acres quẽdã, quarũ exurens ꝓpè vis sit adultarũ, tenellæ edendo sint, humore multo acrimoniã illã germinatione prima retũdente, necdũ siccitate,

citate, quæ postremò tantùm accedit, absumpto: vt in vite tum alba, tum nigra, ambabus bryoniç quoque nomine cognoscendis, prior licèt propriam sibi hanc vocem magis fecerit: vt in capparis frutice, quibus ille cunque locis proueniat. E contrario in frigidioribus natura fiet, vt tenellæ stirpium, id genus, partes adultioribus frigefacere magis possint, humiditate adiutæ, quæ frigiditati auxilio semper esse soleat.

Cinaræ fructus, & Capparis, & Cucurbita, & Anguria, & Pepones, & Melopepones, & Cucumeres, quas facultates hac in parte gerant, explicati. Tum de Melonibus, quos nos vocamus, excussa quædam.

CAP. IX.

RESTANT herbarum fructus quoque quidam hoc loco dicẽdi, hortensium, olerumque. Cinaræ fructui, seu Cardui, seu Scolymi, primas cogimur dare, tam expetito iàm illius vsu, tamque in mensas lautiores omnes recepto, tam varijs iam generibus, culturæ tantùm diligentia. Præcipua differentia leuium, & aculeatarum: neque tamen saporis gustúsve discrimen magnũ vllum. Crudus, coctúsve estur fructus: coquitur ex iusculo carnium meliùs: nisi multa piperis salisque assumptione, nõ respondebit palato. Ventriculo non aduersari, quin illi robur potiùs, & appetentiam addere, existimatur: nihilominùs alimenti semper pauci, sed & praui. non enim effugere potuit communem oleribus fermè omnibus culpam hanc, tametsi aliâs non mediocriter commendatus. Ad Veneris verò munia tuberum etiam æmulus, vti iam hîc quoque, in humoris superfluitate, flatuosi subesse aliquid oportere cõcedamus. Redditur ex hoc multa sæpe vrinæ copia, & eius, æquè ac ex altilium asparagorum esu, fœtentis. Nullus vsus, quum aut semen iam proferre, aut dehiscere in pappos inceperit. Inuenit gula, vt sabulosa terra obruti hyeme autumnóve caules seruarentur, qui, sumpta insigni, cum candore & tenuitate, magnitudine, deliciæ mensarum essent.

Cappares nonnunquam translatos ad hortorum macerias benè creuisse vidimus, fructúmque protulisse: aliâs sale adseruati importantur ad nos aliunde fructus ex clementioris cœli regionibus, quorum vbique iam vsus. Nam in Arabia qui proueniunt, tantum concipere ex locorum feruoribus acrimoniæ dicuntur, vt exurentis facultatis non parum obtineant. Neq; tamen reliquarum fruticis partium, in hac Medicinæ parte, nisi fructus, vsus: folia autem, & caulis, radixque, huiusque inprimis cortex, Curatrici meliùs parti dicatur. Atque solus, vt diximus, fructus vescendo erit: alendi tamen spe minima; demendæ de ventriculo, abstergendæque, atque etiam educendæ pituitæ; demortuúmque appetitum suscitandi, liberandarúmque lienis ac iecoris obstructionum, maxima: ad quæ omnia non postremæ huius vires, nisi fortè escarum omnium præcipuæ, longa experiẽtia, communique iam assiduè vtentium consensu confirmatæ, circunferuntur. Sale dempto, quod facilè assequimur maceratione ex aqua, plusculum omnino alere possunt; magisque etiamnum recẽter virentes; vtrobique ob humoris plusculi præsentiam, qui sale, temporísque mora absumitur totus propè. Vis illi abstersoria, dissoluenque, ac deobstruens: tenuibus quippe partibus constat, & temperamento est calido, siccóque, ad secundum vsque abscessum: siccũ alij posuére in tertio. Ex hoc menses commodè ciet, atq; insuper, leui quanuis, amaritudine quadam vermes interficit. Quoties deobturandi, aperiendique vires quæremus, vt in iecoris, lienisque obstructionibus, aut mensiũ prouocatione; aceto conditis vtemur, aut certè ex aceto summemus; id quidem priore loco. Sal relictus ventrem sine dubio meliùs irritabit, ad pituitç, quam ex ventriculo capparis absterserit iam, inciderítq; , expulsionem. Falsum vidi aliquando opinione sua Medicum, concitatiore animo, ad non infimi Principis mensam, fructus huius vsum qui damnaret. Interrogatus, quamnam ob rem: respõdit, inde tandem, per aluum sanguinem quoque excerni; supina nimis ignoratione, fructui attribuens, quod de radicis cortice scriptum nobis reliquêre consultissimi rei Medicæ Authores. Antè haud ita multo adferri cœptus pusillus admodum fructus, rotunditate integra, cõclusus, exiguo valde extante petiolo, recèns nuper erumpẽtis in florem, fructúmque, necdũ satis explicati fœtus origo, vt mollior, delicatiórque; ita minùs præstandis viribus, quas suprà memorauimus, efficax, cæterùm ex quo plus paululum nescio quid expectandum alimenti sit. Ex olerum fructibus, capparis macerijs, ruderibúsque veteribus, & parietinis inprimis gaudet, serpénsque plerunque hæret.

Cucurbitæ, nisi firmiore pedamento aliquo olitoris industria nitantur, prorsus humi iaceant: palos, longissimasque ridicas perticales, clauiculis suis comprehensas scan-

ſcandunt. Tecta ita domorum aſcendiſſe vidimus, ibique multum ſpatij occupâſſe, pendulis intereà de ſummi tecti imbricato margine fructibus. Vidimus in Pannonia Superiore pondere æquâtes quinquaginta libras: aliæ etiam ſuperâſſe quædam dicebantur. Fatuum omnino olus, ſi verum dicendum eſt, & quod per ſe nihil ſapiat: nõ caule, non radice, non alia parte vlla, ne ſemine quidem ipſo, niſi ad Curatricis partis opera, ad vſum venit. Eſturq; non niſi cocta: quum Melones, Cucumereſq; potiſſimùm crudi vſui ſint: argumento, nõ habere per ſe ſaporis gratiam vllã, niſi aliunde quærat, vel ex coctura. Ne crudam prorſus edamus, cauebimus diligenter illius exemplo, quem Galenus author eſt ex cruda, inſignis cũ frigiditate ponderis ventri incumbentis ſenſum percepiſſe, concitatumque ad vomitum cum ventriculi ſubuerſione fuiſſe. Frigidioris, & humidioris temperamenti cenſetur, aquoſiq; ideo ſucci, & exqualis, nimirum promptè ſuſcipiendis aliorum facultatibus materiæ, vt quædam alia, quę quum ſapore omni careant, facilè omniũ qualitates induunt; non ſecus atq; oleum, quo magis inodorum, eo alienos odores cùm promptiùs recipiet, tum retinebit omnes firmiùs, ac diutiùs. Quumq; Cucurbita hac ipſa de cauſa, ſaporis ſcilicet fatuitate, quæ nihil aliud quàm priuatio quædam, & vacuitas ſaporum ſit, ſapores omnes, tam quos frigidæ, quàm quos calidæ habendos eſſe naturæ arbitramur, in ſe recipiat: commodiùs tamen ſemper, tum, haud dubiè, etiam ad ſanitatem conuenientiùs, ſalubriuſque, calidiorũ additamentum accipiet, vt acri aliquo ſemper, aromatéve, ſaleque multo, aut aliâs ſalſura quapiam condiatur. Multũ illi quoque demi humoris nimij, frigiditatiſque, ex præparãdi modo poterit, vt ſi aſſetur, aut in ſartagine frigatur, aut quoquo modo alio torreatur: quemadmodum videmus hodie farinæ priùs polline obuolutam ex ſartagine frigi. Sic quidem ſuccũ generabit frigidum humidumque minùs, improbũ tamen ſemper. non enim malitiam ſuã exuet prorſus, quanuis multùm de ea ita pręparata remittat. Multoque adhuc magis proficiemus, alterius rei alicuius acrimonia adiuncta, vt ſinapis, vt origani, quibus inprimis gaudet, humiditatem illius nimiam emendaturis; idque vel ex intinctu aliquo inter edendum, vel ſi inter coquẽdum adijciantur, quod & melius eſſe iudico, quũ videlicet ſuillæ quoque ſalſuræ fruſtum incoqui nec ineptè, nec inſalubriter, veterum etiam de more, receptum ſit. Succus hinc in corpus permanans caloris plerunq; manifeſti ſenſum adferet, ſuperata cucurbitæ frigiditate, penè vt eo pacto ſucco quoq; non improbanda cucurbita ſit. Galenus quidẽ hanc inter non mali aliquando ſucci cibos numerauit, cũ malua. Nam ſi cum aut auſtero aliquo, vt cydonijs; aut etiam acido, vt oxalide, alióve huiuſmodi quopiam coquatur; ſic quidem quoque gratia illi acquiretur, vt & ſuauiùs ſumatur, minuſque nauſeæ moueat: ſuccus tamẽ corpori inde accedet qualitatem eandem referens, aut auſteram, aut acidam; proinde & ſucco damnandã. Elixa ſolùm, nihil aliud, vtique partem noxæ deponet ex frigiditate officiẽdi, ob caliditatem, quam tum primùm ſumpta, atque impræſentiarum præſtat: cæterùm mox ad naturam ſuam rediens, cùm hoc ipſum præſtabit, vt licèt non tantum, frigefaciat tamen; tum humectum ſemper faciet, atq; exiguum & diflabile perpetuò de ſe corporibus alimentum largietur. Etenim alimoniæ paucitatem, eamq; cito ſolutilem, quæ duo inprimis faciunt, ſubſtantiæ ſucciq; tenuitas, ac fluor aqueus; ea ambo in cucurbita conueniunt, vt & tenuitate citiſſimè permeet, & fluore minimùm perſiſtentem alimoniã producat, ob idem non minùs cõcoqui facilis, ac mox de ventriculo delabens. Quod niſi contingat, moramque ibi diutiùs trahat, tum corruptelam ſubibit omnium peſſimam, non ſanè multùm à veneni natura abhorrentẽ, quæque choleram ſæpe prompteque inferat. Periclitantem meminimus quendam ex huiuſmodi edulio cucurbitæ, elixæ, emollitæq; primùm, tũ folioſa σαιτὸς, quam Paſten vulgò dicimus, membrana inuolutæ, ac ſub teſta coctę, ſed ærea, vt Tortas ſolent, quas vocant; cita vſque adeò inde aluo, tantaque vomendi vehementia, vt conuelli videretur, multiſque opus habuerimus medicamentis, quo remitteretur affectus, ſiue id vnius cucurbitæ corruptela, ſiue abſcedens æruginis aliquid ex teſta fecerat, non antea ad vſum ſatis emundata.

Vſus eius maximus ſedandæ ſiti, quam præſertim bilioſus humor excitârit, demendoq; corpori ſqualori in ſummis feruoribus, magniſque ambientis ſiccitatibus. Ex humiditatibus contractã ſitim calidis, vt in hydropicis, aut alioqui pituita ſalſa, non magnopere ſedârit. Id quidem, vel nullo proferente, eſſe cuiuis in aperto poteſt, ſi frigefaciendi vim paulò maiorem ex ea quæremus, quum alioqui inſuaue olus ſit, & inſipidum; condiemus citoniorum incoctione, aut acidorum Punicorum, aut etiã omphacij, aut huiuſmodi; quæ, pulſa inſuauitate, gratiam palato addant, vimq; illius vnà augeant. Nam calidiorum conditura, gratiam quidem ipſa quoq; addet; vim aũt demet refrigerandi, cõtrariámque

illi

illi naturam induet, atque contemperârit ita ad multa. Sic escarũ multarum materia euadet, etiam diuersarum, vt quarũ in medio posita facilimè reliquarum suscipere qualitates, perq; corpus illas deferre secum queat. Veteres concisas, siccatasque seruabant: hodie meliùs saccharo condiuntur, ad eosdem, ad quos recentes, vsus.

Anguriam & batecham dixêre Arabes, cucurbitæ viribus, temperamentoque valde affinem: ijdem eâdem Melonum etiam nominè vocant, nunc viridem Melonem dicẽtes, (vtique enim viror illi herbaceus) nũc minus illi dulcedinis, quàm alijs, concedentes: vt, si quid aliud certi esset, nostrã hanc Anguriã suspicaturi fuerimus Græcorum habendam esse Melopeponem, vel certè σίκυον; nostratesque hos vulgatiores Melones, eorundem Authorum Pepones credituri. Eius autem quoque, quod diximus, temperamentum idem, Anguriæ inquam, quod cucurbitæ; vires eædem, atq; etiam noxæ. Nam & siti sedandæ, flauæque inprimis bilis calori, siccitatique, ac febrium feruori coercendis accommoda: ac, nisi hæc quoque corruptelæ obnoxia esset malignæ, nihil ea præstantius inter olera quidem inueniri potuit, calidæ siccæque ventriculi, ac iecoris, vicinarumque partium, intemperaturæ corrigẽdæ. Ad quod si acidis vtare, refrigeres quidem; at non humectes, quin fortè exicces magis: sin austeris, adstringentibúsve; idem contingat, siccitasque indubitatò maior introducatur, quanto magis eo sapore prædita omnia, partiũ succos vel penitiores facilè expressos veluti sugunt; præterq; etiam obstructionis alicuius, præsertim verò in mesaraicis, iecorisq; tenuissimis venis, non obscurum periculum inferunt. Solus est fatuus iste sapor, qualitatisque omnis expers, aquosusque, qui sicuti nomine, ita re non minùs, aquæ, ad refrigerandum atque humectandum, vires referat non paruas. Quapropter, modò id vnum vitemus, corruptelam in stomacho, quod illi cum cucurbita commune, aptissimè vtranque ad vsus hosce adhibebimus: priuatim verò Anguria renum calculis proliciendis, vrinæque promouendæ vtilis; quod temperamento suo, & lubricitate præstat, cõtrarijs qualitatibus affectas partes siccatasque, & exuccas humefaciẽdo, quasique irrigando. Nulli dubium, in principio sumendas, quod pòst de omnibus his in vniuersum dicetur.

Hoc ipsum meliùs etiamnum prestabũt Pepones, vt humefaciant, dico, renesque repurgent, & vrinam cieant; intantum, vt Authores sint, qui spondeant renum calculi, arenarumq; collectionis securitatem, horum vsu, iusculóve ex his; nimirum ob abstergendi potentiam, quam nõ exiguam sortiti sunt.

Hoc loco dicendum, considerandumque, quoniam controuersam adhuc rem esse videmus, dicique hoc atque existimari de Anguria, ea, quã paulò antè attulimus, de causa, non potuit: num fortè veterum Melopepones nobis esse Cucumerum genus vnum quoddam debeant, aliud, quàm hi fortè fortuna sint, qui Citrulli nobis sunt: (nam plura haberi in Hetruria genera audio) Pepones autem pro nostratibus, quibus vtiq; iam vescimur, Melonibus habeamus. Galenus quidem ipse altero statim à de Peponibus capite, quod de Melopeponibus inscribitur, hosce eiusdem penitus temperamẽti, virtutisque, cuius σικύοις quoque, scribit; qui Cucumeres ipsi sunt. Nam vtrunque, Melopeponem dico, & Cucumerem, Peponibus ipsis minùs & humidum, & vrinam minùs elicere, facit. Quod autem de Melopeponibus dixerat, minùs esse illos succi mali: de Cucumere, minùs facilè, ait, Cucumerẽ corrumpi in ventriculo, quàm Pepones, ob minorem humiditatem: vnde non solùm, minùs esse praui succi, sed etiam ob idipsum minùs quoque subire aluum, intelligamus, humoris defectu, qui emolliendæ aluo satis sit. Quæ planè quum ita ex vtroq; in vnum conueniant, vt magis non possint; cogunt nos suspicari, Græcorũ Melopepones longè magis ad naturam accedere Cucumerum, qui illis σίκυοι sunt, quàm Peponum, vt proxima omnino, sibique inuicẽ affinia duo illa inter se genera sint, σίκυος, & μηλοπέπων: quemadmodum nobis fermè Anguria, ac Cucumis, siue Citrullus. Sunt enim, quæ Anguriam nunc quoque Cucumim appellent, nationes: vt, tametsi, vtri adscribendam Anguriã habeamus, σικύῳ ne, an μηλοπέπονι, incertum sit; paulò tamẽ illud certius se offerat, alterutrius omnino aliquid ducendam esse. Quæ si ita sunt, sicuti esse profectò credimus; necessariò rursus Græcorum Peponas, pro Melonibus Arabum, habebimus, nostrisque, quos sic iam vocamus. Et sanè, quæcunque scripta à Galeno de Peponibus sunt, videre est, illa ad vnum omnia Melonibus suis tribui in Arabum libris, quicunque de rebus his exarati sunt; frigiditatẽ cum humiditate multa, abstergendi, prouocandique vrinæ vim, descensum per aluum, quàm Cucurbitæ, faciliorem, contra calculosos renum affectus auxilium: λιθιῶντας dixerat renes Galenus, Arabum aliquis ægritudinem arenarum dixit. Iam alius, maiorem inesse in Melonum semine abstergendi facultatẽ, scripsit; idem, quod de eodem disertè scriptum à Galeno

antea

antea fuerat. Accedit ad hęc, quo vno contẽdi possit, tum Melopepones aliam prorsus, diuersamque rem à Peponibus ducendam esse, Cucumeriq; potiùs associandam; tum etiam, veterũ Pepones nihil aliud esse, quàm Melones nostri temporis posse: quippe sicuti non edi solitam Peponũ interiorem, atque intra carnem positam partem, in qua semen, quæ tanquam ἐντεριώνη illorum est; Melopeponũ autem sua tempestate esitari solitam, scripsit Galenus: ita hodieque Melonum partem eam nullus prorsus attingit, vt edat; semina quidem interdum ad vsus quosdã medicos seruantur: quum intereà Cucumeris, siue Citrulli, quem vocamus, atq; Anguriæ, detracto tantùm cortice, reliquum quicquid est, libenter esitemus. His argumẽtis persuasi, arbitramur, (ita tamen, vt aliorum, qui de hoc afferre aliquid in medium conabuntur, arbitratui mihi quoque standum esse ex ho cloco profitear, si meliora monstrabuntur) opinamur dico, quæ de Peponibus scripta nobis relicta fuère ab Authoribus Græcis, ea de Melonibus, quorũ nunc hoc nomine vsus, accipienda esse: sicuti de Cucumeribus, seu Citrullis, & Angurijs, quæ de Melopeponibus, & σικύοις. Sed hæc in medio posita esse legentibus volumus.

Melonum genera multa: omnia tamen saporis dulcedine, & humiditate insigni, nec sine frigiditate, commendantur; præsens optimumque feruente æstate caloris, siccitatisque, & squaloris totius, ac sitis remediũ, nisi tam parata sæpe inde noxa deterreret. Non deessent exempla, si referre vellemus, eorum, qui in manifestum periculum adducti sunt, solo horũ esu, oborta statim in vẽtriculo corruptela, corruptisque inde vnà eodẽ modo alijs humoribus; & aut insequutis febribus non malignis minùs, quàm alterius generis alicuius; aut sæua vehemẽtique intestinorum difficultate, quæ maxima hac quidẽ de causa ægrotantium pars est; aut affectu alio quopiam correptis: plurimi choleram incurrerunt. Atque interim bona quoque hominũ pars innoxios experitur: nimirum consilium multis est, vt cibos alios inchoent ipsi, tum statim ab his melioris semper succi eduliũ aliquod ingeratur, iusculũ magna ex parte, aut cum iusculis vnà incoctum aliquid, quo Peponum malitia retundatur, attemperęturque. Idque quum nullus non propè hoc tempore faciat, nec mirum quidem videri debet, si (quod tamen Galenus de his euenire suo tempore consueuisse affirmauit) nullam nunc horũ vsum insequi vomitionem notemus. Sic enim ait: nisi boni succi eduliorũ aliquid superindatur. Ergo superueniente statim melioris succi esca, cùm per ἐπίκρασιν Peponum tolli malitiam verisimile est; tum, si qua tamen inde corruptela sequatur, eam, quia priore loco sumpta, faciliùs in intestina delabi, vt ad vomitum non impellat; tum verò, si maior eadem, deteriorque, maiorisque corruptionis euaserit, iam tum illam vomitum vnà aliuique inferre deiectionẽ, facta cholera, posse. Omnino nanq; pessimi, vitiosique inprimis succi sunt, & qui in stomacho corrupti, veneni cuiusdam nõ solùm naturam referant, verùm etiam eadem tractari ratione modoque postulent. Etenim, quemadmodum cicuta, venenum in confesso, repugnantem sibi vini naturam habet, quo nocẽdi prorsus vires suas amittat omnes: (siquidẽ rectè, atque ordine, quantumque vsus exigit, sumatur) atque eadem tamen, eodem vino cicuta aliter exhibito, ad citiùs etiam interficiendum adiuta promouetur: Sic diuersas hîc quoq; ferri sententias videmus, contendentiũ, Peponum esui meraci potum conuenire; rursusque idem hoc negantium. Quod alibi in Medicina plerunque, sicuti de ptisana, vel Hippocrate ipso authore, alijsque quibusdam adhiberi solitis, vsu venit, vt controuersa res alia, atque alia semper, multo diuersorum inter se cõsideratione, oriatur. Nimirum hîc quoque idem factum: ex cicuta si quis internicionem eius, cui dabitur, quęsierit, vt Athenienses olim, qui noxios suos morte hac mulctabant; is planè, nec generoso ad hoc vino vtetur, ac tantum modò miscebit, quantum deuehẽdo ocyùs ad cor veneno futurum satis sit, nõ quod vires illius extinctas superet. Cõtraria omnia euenient, si aut initio generosum addiderimus multum, aut idem, sumpta iam cicuta, faciemus, dum succurrere animus est. Ex generositate enim, iustaque prætereà, qua quidem speremus præstari id posse, quãtitate vini, proculdubio victoria erit, victaque cedet, ne lethalis esse possit, cicutæ frigiditas, nobili illo, atque insigni vini calore absumpta: multoque magis, si paulò pòst assumptam id cicutam bibatur. iam enim partium, quascunq; permeans transierit, actione debilitatam, vinum, celeris alioqui natura sua per corpus distributionis, priusquàm cordis domicilia attingat, anteuertens assequetur, ac iam semicõfectam facilè vincet. Nec aliter existimandum esse videbitur rectè consideranti, de Peponum esu, quos alij, quum viderẽt noxam aliquibus attulisse, vino cum his, aut ab his epoto, alij nihil tale notarent: in diuersum abiêre, opinatique sunt, statuendum de hoc sibi in vniuersum id esse, quod statui in vniuersum nõ potest. Etenim partim nocebit vinum, si vile aliquod, & minimè vi-

nosum,

nosum, parumq; nimis fuerit, nec exuperandæ Peponum malitiæ, vincendæque illorum frigiditati & humiditati, caloris ac siccitatis, quod satis futurũ sit, secum adferens; nec aliud quicquam, quàm de ventriculo in proximas, pauloq; magis semotas partes, cruditatem, succorumq; vitium omne deducẽs; hoc pacto, ac ratione oberit: illo autem proderit, si generosum inprimis vinum fuerit, ac multum, multique caloris vnà ac siccitatis secũ deuehens, quibus Peponum malitiam omnem, aut comitans, aut mox subsequens, exuperatam absumere valeat; non autem, vt paucum & ignobile vincatur, inque alieni succi malitiam trahatur ipsum, partium aliarum factum. Sicuti non parum sæpe experimur, quoties, oborto doloris sensu aliquo ex corruptela, aut quum aliàs ἐπίκρασιν humorum contemperamẽtumq; quærimus; modicè, atq; etiam intra modũ nimis adhibitis, quæ alioqui præstare hoc ipsum soleãt, nihil nos proficere, contraq; potiùs augeri dolores sentimus, nempe adaucta corruptela accessione rerum, quę quũ profligare illã deberent, in partes eius transierint corruptæ ipsæ; donec maiore, sed tamen iusta ad vincendum, remediorum copia, ex toto superata cedat humorum id genus causa. Sic verum ab vtrisque prolatum, diuerso tamen modo, videmus; simul, quo nos in hoc gerere modo debeamus, admonebimur.

Alij inuenti sunt, qui, vt controuersam rem hanc vitarent, aut non magnopere fidentes iustum in rebus his seruari modum posse, vini, hoc casu, vsum abdicauerunt, accersiẽrunt aquæ. Qui si ex hoc faciliorem prætereà de ventriculo exitum Peponibus quærunt, rectè eos facere existimamus, modò id consequantur. nam manentibus illis, proculdubio duplicari malum posse videbitur, coniunctis Peponum atque aquæ qualitatibus ijsdem prorsus, nulloque intereà Peponum malitiæ, tamque illorũ facili in corruptionem transitu, adhibito remedio.

Superiorem sententiam nostram de Citrullis, seu Cucumerib⁹, & Angurijs sycijs, & Melopeponibus nimirũ, sequuti, eodem loco, atque ijsdem versibus dicendũ simul, pronuntiandumque esse credimus, vtrosq; Peponibus & vrinam minùs ciere, & humidos minùs, minusque etiam mali succi, nec qui tam facilè corrumpantur in stomacho, habendos esse: tardiùs tamen descendunt, quo quidẽ humoris quoque minus, quàm Pepones, ad lubricitatem obtinent. Quæ planè nimia quædam in Peponibus humiditas, promptum quidem illis delapsum in intestina largitur, vnaque faciliùs ventriculo concoquendos exhibet, viam tamen pręstruit ad corruptelam paratiorem: proptereà quòd, quæcunque corrumpi facilia sunt, ea quo humidiora, sic quoq; corruptum semper iri faciliùs videmus, vẽtriculum præsertim nacta in vitium id propensum. Vnde Cucumeri minor ea, quàm Peponi, culpa, quòd minùs quoq; humescat; atque eandem hanc ob causam cõfici quoque in ventriculo difficilior. Quin peculiari quadam sui natura (nisi fortè ventriculo ingestus, qui proprietate rursus sua quadam cõcoquere validè talia solitus sit) priuatim id habet, vt, sicuti alia quædam, minoris quoq; humiditatis, ac teneritudinis, ipse non minùs ventriculo interdũ ad concoquendum cõtumax satis euadat, sic, vt postridie etiam sæpe, quàm assumptus sit, Colosyncrasiæ, quam pridianam corruptelam dicimus, alicuius notam, eructatione atq; exhalatione, remittat. Hinc sanguinis per venas deterioris, succorumque semper improbatorum copia, multarum ac pessimarum ægritudinũ causa, febrium inprimis malignarum, ex humorũ redundantia putrescere, febresque inde accendere facilium: pituitosi prætereà plus hinc omnino, crassique ac crudi, vitreique succi generatio, quàm ex Peponibus, qui si probè in ventriculo concoquantur, nec tam crassum, nec tam crudum humorẽ gignẽt, ob fluxã humiditatem benè multa, tenuemq; substantiã, quæ in Cucumere durior, crassiorumq; partium sit: ex qua tandem concocta, eiusdem penitus modi, rationisque succus prodeat. Vsus erit horum, qualem Cucurbitarum diximus, aliquando ad refrigerandam, restinguendamque partis alicuius inflammationem; ac sitim, ex paulò maiore siccitate, caloreque ortam, sedandam.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DECIMVS.

De arboreorum fructuum in alendo facultate, & de Malis primùm, eorúmque ex sapore differentijs.

CAPVT I.



ACTENVS fructus recẽsuimus, sed herbarum, olerumq́ue: quos, quoniã illorum partes sunt, tractandiq́; ideo cum illis vnà fuẽre, meritò tractationi quoque illi consociatos adiunximus. Nunc initium rursus faciemus ab arborum fructibus. Hi in duo potissimùm fastigia omnium primùm diducuntur, pomorum alterum; nucum alterum: vt Poma intelligamus, quæ teneriore cortice; Nuces, quæ duriore integuntur, omnia, vsitato receptóque ita Latinis omnibus, Grammaticisque inprimis, significato. Ex Græcis alioqui prius genus ὀπώραν appellârunt; posterius, ἀκρόδρυα.

Poma priùs tractãda sumemus. Sub his, ea ipsa primùm, quæ totius sibi nomẽ vendicârunt, poma, tanquam quæ cunctis alijs in genere hoc excellerent. Sed hoc vulgare fortasse potiùs significatum, vernaculæq́; huius nostræ, ac maternæ linguæ, qua nec pyra, neque eiusmodi alia intelligimus: sed ea tantùm, quæ Latini mala vocamus, sicuti Græci μῆλα. Quorum quorsum attinet hoc loco tot veteribus recensita discrimina adferre? non solùm cognitionis propè iam omnia euanidæ, sed etiã nomenclaturæ exoletæ; quando ne nostri quidem temporis differentias omnes tot diuersas nominibus persequi nobis, Medicæ tantummodo hîc, aut certè ad Salubritatis rationes accõmodè, rem omnem tractantibus; minimè verò in rerum vocabula inquirentibus, necessarium esse videatur, præsertim antiquatarum iam rerum antiquatis vnà quoque vocibus, nisi quatenus rerum inde cognitionem aliquã lucrifacere nobis liceat. Et, qui omnibus, quantum quidem fieri possit, communem tractationem instituimus: vocabula autem sciamus rerum harum apud alias plerunque alia gentes esse, vt alij easdem aliter res appellent, haud magnopere sanè iuuari nominibus his possumus. Itaq; prę stat rerum primùm discrimina adduxisse, saporúmque potiùs notâsse differentias, vnde maximus rei, quam nunc tractamus, vsus; hasque ipsas aliquando tamen rerùm quarundam exemplis insigniuisse: vt, quum de vino, exempli causa, quum de oleo, deque huiusmodi alijs multis institutus tractatus est, vinumq́ue esse dicimus aliud austerum, aliud dulce, exempláque afferimus vnius alicuius in Italia austeri, dulcisve, atque alterius alibi: itemq́ue olei, adstringentis exemplum, Istricum, aut Hispanum, vel Galeno nos ita monente, constituimus; minimè autem talis, Sabinum: sic nobis facere in tractatu hoc licebit, vt necessarias rerum differentias exemplis quibusdam illustremus, notásque faciamus, particularibus magis.

Malorum discrimina iuxta saporem (quam potissimùm spectandam nobis hoc loco differentiam esse diximus) sunt acidorum, dulcium, austerorum, mixtorum ex his. Nam dulcis quandoq; cum adstringente in his miscetur sapor, interdum cum dulci acidus manifestò satis, & item acerbum alibi cum dulci commixtum sentias: sed non minùs aliquando inesse ijsdem dulcis, acidi, adstringentisq́; sensum, animaduertere apertè satis liceat. Quod adstringens, acerbum, austerum diximus, eiusdem qualitatis significata accipi volumus, eo modo, vt adstringens nobis pro genere sit: acerbum, & austerum, plùs minùs qualitatẽ hanc referant; austerum minus, acerbum magis: quæ Græcis semper sunt στύφον, ἀυστηρὸν, στρυφνόν. Inuenio apud Authores, inter fructus, vinosos quosdam dici: quod odori potiùs illorum, quàm sapori, tribuendum esse arbitror. Maxima omnium acidorum copia; tum austerorum, acerborúmque; minor omnino dulcium. Sunt exaquei saporis multa, quæ vacuitas saporum omnium est, nisi huius ipsius, quem ex aquæ gustu percipimus, πλατανίστινα Græcis vocari dixit Galenus, à platani folijs, quorum saporem gustatu referunt. Dulcia, habentur apud nos, qualia

qualia calãmanica vocata, & museola, & apiola sunt: museola, oblonga, reliqua orbiculata potiùs: sicut & orbiculatorum genus, quod rugoso sæpe cortice conspicitur, prædulce, vt in pomis: item aliud, ferruginei prorsus coloris, sapore gratissimo: in his tamen ex subaustero dulcis sapor. Reliqua ex neglectu tanquam passim prouenientia, ac fastiditæ propè copiæ, sicuti consideratio semper eorum minor: ita ne nomina quidem inuenerunt, quibus notata insignirētur: acida omnia sunt, austera, acerba: quanquam is sapor omnium sit, vel nobilissimorum ante maturitatem: at in his, quæ modò retulimus, etiamnum maturescentibus, etiam maturrimis, austeritatis semper aliquid, acerbitatis, aciditatis reperire est: vulgatissima sūt, contemptim semper habita, aut vilissimæ plebeculæ secundæ mensæ, aut etiam saginandis sæpe suibus expetita, corruptioris interdum tantùm stomachi, ac reliqua fastidientis, cibus, prægnantiúmque potiùs malaciæ idoneus: tum verò, ex quo non iustam plerunque corporibus alimoniam, sed medicati potiùs aliquid additum corporibus cupimus, quoties aut adstrictionem alui ex austeris, acerbisque; pituitosæ verò materiæ alicuius, aut crassioris alioqui humoris dissectionem ex acidis, aut etiam refrigerationē aliquam ex omnibus his quæremus; sed cum suspicione semper vitiosi succi colligendi, conciliandæque ventriculo, & neruosis partibus, noxæ. Sunt, qui horum vsu obliuiosos reddi existiment, nempe frigiditatis humorisque nimij, & eius vitiosi, culpa. Nec perinde mirum hoc: quando tantam gigni posse ex fructuum esu, qui communi pomorum genere continentur, in corporibus nostris frigiditatem testetur aliquando (De præcognit. ex pulſ. j.) Galenus, vt durities in pulsu sentiatur, tanquam congelata arteria. Rursus ex his, qui vinosi quid referant, etiam delirium induci, idem nobis author est: minùs vt mirum videri debeat, si obliuio quoque sequatur.

Quomodo accipi, quod scriptum reperitur apud Authores quosdam, debeat: Ex pomorum esu pthoe corripi solitos esse multos: deq́ illorum vsu & facultatibus diuersorum diuersis.

CAPVT II.



ILlud potiùs inquirēdum, ex Arabū quorundā sententia prolatum, quid habere causæ possit, Poma phthisim facere, tum hecticam. Quòd dixerit de hectica, si phthisim, non mirabimur: quanquam hoc ex accidenti potiùs futurum sit, non autem primò, ac per se, vt hecticæ poma causa sint, principaliter quidem. Quomodo nanque calidi siccissimique morbi causa meritò censebuntur, per se, frigida humidissimáque ipsa? Sed tabem, vt dixi, phthisim ve si absolutam fecerint, & hecticam facient. phthisim autē quomodo? Hoc ipsum inquirēdum esse dicebamus: pomorum hoc esse potiùs existimandum vitium arbitror, communiter ita dictorum, quos Oporæ nomine Græci significant, non priuatim eorum, quæ poma quidem quoque communi generis voce; propriè autem magis, mala nuncupamus, sicuti Græci μῆλα. Itaque arbitror Arabas aut falsos fuisse, (siquidem de malis solùm intellexerunt) aut non intellectos ab his, qui hoc speciei tantùm huic tribuerunt, quod ipsi, vsitato fortè linguæ suæ significato, de toto pomorum genere, quæ Opora, vt diximus, Græcis est, protulissent. Oporæ autem hoc tribuit Galenus, cùm putrefactionem insignem, vnde noxiæ plerunque febres, acutique morbi, id videlicet expertus in se ipse non semel; tum verò distentionem ventris ex flatibus, ventriculi compressionem, vomitum, citatiorem aluum deiectionibus crebris liquidisq́, hoc scilicet, corruptis in ventriculo illis: ex qua eadem corruptela morsicatio non minùs eodem in ventriculo sentiatur quædam. Quæ si eiusmodi corruptela est, vt morsus sensum inferre partibus succi sui malitia possit, iam sanguinem quoque non diuersi generis fecerit, erodentemque, vnde soluta continuitas venæ, sanguinisque ex eo extra venam suam exitus, sequatur; qui quanuis paucissimus sæpe, transfusus tamen ad asperas arterias, ibi tēporis alicuius mora putrefactus in pulmone, phthisim creet. Πολλάκις, ait Galenus, (De præcog. ex pul. ij.) καὶ ῥῆξις ἀγγείου κατὰ τὸν πνεύμονα γενομένη, προχεῖ τι τοῦ αἵματος εἰς τὰς τραχείας ἀρτηρίας, ὃ δὴ σηπόμενον ἐν τῷ χρόνῳ φθόην ἐργάζεται. vt nō solùm erosa vena, purulentóq; inde vlcere, sed emissi quoque sanguinis putrefactione, quæ in pulmones deriuetur, phthoen gigni posse credamus. Promptiùs autem citiusque putrescit, qui ob vasorum erosionem effusus fuerit sanguis, iam scilicet antea corruptela sua vitiosus, maiorique corruptioni proximus. non enim aliter venas arrosione exisset. θᾶττον, inquit, εἰς τοῦτ' ἔρχεται τὸ κατὰ διάβρωσιν τῶν ἀγγείων ἐγχυθέν. Arabes rei huiusce eam attulisse causam videntur, ob quam dicunt, in secunda, ac tertia concoctione ab his flatum gigni crassiorem, cuius peculiari quadam proprietate pulmonum arteriæ infe-

ctæ ſuccendantur. Hoc verò priuatum quiddam fuerit ex ſubſtantia tota prodiens, ac pulmones demum inficiens, tanquam ſi lepore marino tangerentur: aut fortaſſe etiam tabem illam veram non faciet, quam ſimpliciter ita intelligimus phthiſim, exulceratorum pulmonum affectum, ſed totius corporis tabeſcentis emaciationem, ex ardente tantummodo, accenſaque pulmonis ſubſtantia, eoque pacto ſiccata, ſecumq́; ita in affectionis ſuæ conſortium trahente vicinum cor, non etiam vlcere aliquo correpta, quæ propriè partis eius tabes ſit, Græcis φθίσις, & φθόη, propriè ac peculiariter in pulmonum vlcere intelligenda. Fuſiore nanque ſignificato nemo neſcit hæc de partium etiam quarundam conſumptione dici ſolere, quas abſque manifeſta ferè cauſa attenuatas conſumptasq́; tabeſcere videmus. Sic quidem ad oculorum phthiſim, quæ pupillæ inprimis eſt imminutio, ſine vlcere, ſcripta remedia legimus: & φθίνεσθαι brachia, tibias, crura dicimus in atrophia.

Atque hæ ferè malorum noxæ, præſertim eorum, quæ acido, auſteróve, aut acerbo prædita ſapore ſunt; vel etiam nullo, vt aquoſa, omnium deterrima, quoniam natiuæ malorum omnium, vel dulcium ipſorum, humiditati, noxiæque ſuam ipſa addunt nimietate quadam, ideoq́; inſigni malitia nocentiſſimam, fatuam, inſipidamque, aquoſam, & corrumpi facilem, qualem propè corruptelam ex herbaceorum, quos priùs retulimus, eſu ſentimus, neque vllius prætereà illorum vſus.

Nam in auſteris, acerbisque, vt hanc quoque noxam agnoſcamus: at corroborando ſæpe ventriculo laxitate nimia fluenti, & æſtuanti quandoque refrigerando, vſus aliquis tamen: acida cùm ad hoc ipſum vtilia, tum verò pituitoſo humori, craſſoque diſſecando non incommoda, præſertim verò ſi non admodum frigidus is ſit. tunc enim acrium vſus.

Malis alijs omnibus, præferemus dulcia, minusque ineſſe in his malis dicemus mali, vt ex quibus paulò temperatioribus, iamque ad calidum ſpectantibus, pluſculum alimenti ſperari poſſit corporibus, eiusque non tam illaudati, ac refrigerantis minùs; eoque paulò magis calido ventriculo non improbanda. Nam in vehementiùs æſtuante acida quæremus: ſique vnà laxitas adfuerit, auſtera, acerbaq́;, nō in ſanitate ſolùm, ſed etiam in morbis plerunque, atque acerba magis: quoniam auſtera, vtpote minùs adſtringentia, roborādi adſtringendique vim inter coquendū amittant omnem.

Coqui autē ac præparari quoquo modo neceſſariò ſemper debebunt, Galeni conſilio, ſiue farina priùs ex aqua ſubacta circunuoluta, inductaque inde cruſta ita coquantur; ſiue ſub cineribus macerata aſſentur modicè; ſiue etiam ebullientis aquæ fumido vapore excepto elixentur ipſa. In imbecillo ventriculo, ac ſubuerſionibus obnoxio, cibumque auerſante, atque ægrè concoquente, dari à cibo ſtatim conueniet: nec minùs in inteſtinorum difficultatibus, & diarrhœis: ſed in his cum pane cibandi initio, aut etiam per totum. Matura, in genere quocunque, ſemper deligenda, ad vſum quidem ciborum: quando in immaturis nimis noxius ſemper ſuccus, vel ſi dulcia habeantur. Quæ, quum per ſe longè minùs cæteris noxia exiſtimentur, ſi immatura fuerint, nocentiſſima fiunt: maximè verò, quia his pro cibis magis vtimur, vt maturuiſſe prorſus oporteat; reliquis, tanquam medicatis potiùs, vt non multùm ſanè referat, imò præſtabilius aliquando futurum ſit, immatura, ideoque auſtera, acerbáve magis, ad vſum medicum delegiſſe, quoties res ita poſtulare videbitur. In dulcibus, ſicuti adſtrictoriæ facultatis minimum, aut nihil etiam interdum; ita liberior per aluū tranſitus, quam emollire quoque creduntur benè inprimis dulcia.

Mira in multis odoris commendatio, præſertim ſylueſtribus, aut aliâs auſteris, atque etiamnum acerbis. Odora ſunt, referuntque ſimul adſtringentis nonnihil: quod maximè gratiam illis conciliat. Eſt & dulcibus ſua in hoc dos, odore quidem quoque, quem gratum, iucundumque inprimis, naturæque noſtræ amicum ſentimus; potiſſimùm verò ſapore, ſuccoque inde non poſtremi ad corroborandas cordis vires nominis, & in melancholicis affectibus hilaritate concilianda.

Odores an nutriant, & excogitata ſuper controuerſia hac ratio, qua non valde diſcordes à Philoſophis, Medici de rebus his ferantur.

CAPVT III.



FAbuloſum eſſe opinor, neque tamen factu prorſus impoſſibile, gentes quaſdam pomorum tantùm eſu victitare ſolitas; ſicuti fictum, dierum aliquot inediam toleratam ſolo mali odore, fugientemque iam eo pacto animam reuocatam: poſterius tamen hoc creditu facilius, quippe experimur tantùm non quotidię in animi deliquijs,

liquijs, quàm præsentaneo auxilio ex odoribus succurratur. At hoc subitanea quadam spirituum vitalium, tum verò etiam animalium, in quos ab odorum bonitate facilis est transitus, generatione, quasique recreatione, ac refocillatu fit. Ijdem verò, odores dico, num nutrire quoque possint, vsque eò, vt inedia, nutritione hac sola, ferri longioris alicuius temporis possit, sicuti de Democrito, à quibusdam magnis in Medicina Authoribus proditum, controuersa res est. *Veri ac legitimi id Medici non, vt opinor, contendent: qui tamen in ea esse sententia possunt, vt nutriendi quidem vim esse in odoribus, sed spiritus tantummodo nutriendi vitales, atque animales, existiment.* Ac quoniam hosce malus aliquis, tetérve aliquando odor perditos destruit; bonus è diuerso instauratos enutrire non sine ratione dicatur: (quippe etiam carnosarum solidiorumque partium nutricatio nihil esse tandem aliud reperietur, quàm amissæ ex parte illarum substantiæ instauratio, in cuius locum alimentum nouum succedat, repleturum, quod absumptum naturali dissipatione discesserat) pari modo affirmare nobis licebit de spiritibus, quorũ alimentum, & quidem proprium, affineque esse dicemus odores bonos. Analogica vtrobique ratio seruata, substantiæ primùm deperditio, solidioris ibi partis, hîc spirituum: vtrobique instauratio, ex ea re, quæ in deperditi locum, substantiamque facilè transeat: vtrobique, sicuti solidiorum ibi partium alimento, quo tanquam familiari, atque affini maximè nutriuntur, aduersissimum sentiant pharmacum, aut deleterium quoque, quibus aut destruantur, aut immutatæ alterentur; non secus hîc odorũ bonitati, qua maximè alantur spiritus, contraria maximè malitia, eaque gemina. Nam aut alterantur immutati, aut etiam interdum ad internicionem destructi pereunt; vt in locis, quæ mephitim aliquam exhalant, tum quæ χαρώνεια vocantur, ex quo nobis charogna vox & charogne, loca, quæ obturatis semper diligenter naribus, nullaque, quantum possumus, ambientis nos tum aëris intromissione pertransimus. Etiam si partes quærimus, alimenti præparantes quas dicimus, non destituemur prorsus in vtroque similitudine, pluribus quidem, quum corpori subministratur, præparatum confici alimentum dicemus ore, ventriculo, iecinore, genere venoso omni, appositione ad partes nutriendas, applicatione adglutinante, demum mutatione vnum faciente. Sed & hîc meatus, anfractusque quidam non desunt, asperæ, venosæque arteriæ primùm, quibus velut infractus, quem inspiratu attrahimus, qualitatum suarum qualiumcunque tandem deferre ad cor vires aër nequeat, nocituras omnino, si vitalia nullo priùs inuento prorsus obice impeterent: tum pulmones, quibus id inprimis muneris delegatum à natura fuerit, vt & auram exciperent, exceptamque ita, ac conceptam laxitatibus suis reponerent, tum verò immutatam, iamque *alteratione aliam factam transmitterẽt* ad spiritus vitalis alimoniam meliùs: non secus, ac iecoris beneficio sanguificantis, alimentum carnosæ substantiæ, solidisque inde quoque partibus præparari videmus. *Illud intereà inerit in re discriminis*, quòd non, quemadmodum in nutritionis genere hoc fit, quo solidæ partes aluntur, vbi ex sanguine non minùs gigni possunt perpetuò, singulisque propè temporum momentis, spiritus tum vitales, tum animales; sic quoque in aëris attractione, spirituumque inde nutricatu, vsu veniat, vt sanguinis inde copia vlla enutriendis corporis partibus vllis accedat, per se quidem, ac primò. nam ex accidẽti quodã continget, vt, quatenus periclitantibus spiritus odorum meliorum inspiratione subuenimur, vitamq; ita conseruamus; eo pacto nutriendis quoque sanguine membris causam aliquam tribuisse videri possimus.

Hæc nostra de rebus his consideratio, in eam accipiatur partem velim, vt quanuis obiter dicta, neque tamen extra rem prorsus, quoniam mediam se inseruit disputationi de pomorum odore; conciliationis tamen aliquid polliceatur, ne tam discordia ferantur Philosophorum, ac Medicorum inter se, de re hac, dicta. Neque repugnaturum Aristotelem crediderim, aut sectatores eius: vt acriter interim contendant, non nutriri odoribus solidas, carnosasque partes. Nam rectè perpendenti, atque examinanti, eò illorum tantùm tendere argumenta omnia videbuntur; non etiam, vitales vt inde spiritus nutrimentum nullum sentiant: nisi tam nullo præditum sensu Aristotelem fecerimus, aut etiam communem illi rerum omnium demamus, vt non aliquando reuocatos ad vitam animaduerterit, qui maximè periclitarentur, vna plerunque odorum admotorum ope: quod quî fieri aliter vnquam poterit, quàm abeuntium, prorsusque iam pereuntium in animi deliquijs, spirituum reuocatione, restitutione, generatione, idque ex odoratu? vnde subitanea quadam nouorum spirituum procreatione, in horũ ipsorum defectu discedenti

denti iam animæ, veluti instrumento suo destitutæ, succurritur, quod aliud sit nihil, quàm alimentum spiritibus exhibere, eorum amissionem instaurare, substantiam restituere, alere, nutrire, nouam facere. Quod quidem à natura institutum fuisse arbitror, magna, vt in omnibus, prouidentia, ne semper gignendos nobis de sanguine spiritus expectare necessum haberemus, sed aliquid esset, quo in temporis sæpe articulo deprehensi, periclitãtes, aut quacunque tandem ratione deficiẽtes, momento restitueremus.

Rursus verò Medici non tam obstinatè acturi mihi esse videntur, vt, quum hanc ipsam ex odoribus spirituum nutritionem, ac generationem elargiti fuerint, etiam carnosæ, solidæque partis largiantur. quod non possunt. Nam Hippocratis illud in libro de alimento, quo propè vno, aut certè potissimo confirmari sententia posse videtur opinantium, odores nutrire; non sic arripiendum fuerit, vt certo certius statuamus, intelligi id de solidiorum partium nutrimento, spirituumq́ue ex sanguine ita generatione debere: nempe ita scriptum reperitur, ὁκόσοι ταχίστης προσθέσεως δέονται, ὑγρὸν ἴημα εἰς ἀνάληψιν δυνάμεως ἄριστον, ὅκουδὲ ἔτι ταχυτέρης, ὀσφρήσεως. quicunque, ait, celerrimæ additionis egent, his humidum remedium ad virium resumptionem optimum: vbi verò etiamnum celerioris, tum olfactu opus habebimus. Sed locũ hunc παραφραστικῶς interpretari nobis licebit: Quicunque viribus resoluuntur, citissimumq́ue ideo auxilium postulant, quo quamprimùm resolutioni additionis alicuius exhibitione subueniatur, vires statim resument potu aliquo, quàm celerrima ita per corpus totum distributione facta, generatisq́ue ita extemplo spiritibus. Quòd si, concidentibus prorsus viribus, resolutisq́ue adhuc magis, maior quoque necessitas incumbat, vt temporis momento succurratur, ex odoribus id assequemur, non expectata per longiores corporis meatus alimenti, citissimi licèt, productione, vnde spiritus demum generentur; sed rectà per pulmones ad cor inducente sese odorum materia, ex qua statim spiritus viriumq́ue subitaria, ac de improuiso, refocillatio.

Hac dictione cohærere videbuntur omnia, idemq́ue, quod Philosophi, Medici dicent; &, quod Medici, Philosophi: eritq́ue vtrisque in confesso, nutrire quidem odores, sed spiritus tantummodo ipsos, subitò confestimq́ue, atque in instanti, refectos recreatosque; non etiam ex sanguine illos tunc gigni, alitis ita enutritisq́ue solidioribus partibus, vt in nutriendi ratione communi vulgataq́ue euenit, vbi ex solidiore primùm cibo, tum deinde liquidiore quoque, ac potu demum ipso, generantur spiritus. Sed potus, qualis quidem vini odoriferi est, quemadmodum naturæ vtriusque particeps esse reperitur, ita vtrunque plerunque referet, vt & in sanguinem priùs mutatus spiritus vitales creet, & odora sæpe tantùm facultate hos ipsos refectos confestim genitosq́ue instauret. Quod genus vinum sit, præsertim verò odorum, vt dixi, ac generosum, quod cùm præstare vtraque hæc facilè possit, tum verò intra corpus sumptum eodem penè tempore facultate sua in partes corporis omnes, maximo sagacis solertisq́ue naturæ, ac mutuæ partium inter se omnium conspirationis Hippocraticæ illius beneficio, latenter, confestimq́ue delatum etiam ad vitalia, intimaq́ue cordis penetralia, refocillandis restituendisq́ue spiritibus permeet.

De Pyris: & quomodo marcor in aliquibus damnatus fructibus ex toto, in alijs non inutilis prorsus quidam expectandus sit: tum rursus de Pyris, déque illorum differentijs, & parandi, vtendiq́; rationibus multis.

CAP. IIII.

REdeo ad tractandum de pomis, in quibus, post mala, Pyra numerentur: quæ partes sibi secundas meritò vendicant, quin potiùs, quæ cum malis certent vsu, nobilitate, frequentia, generum plurium varietate. Omnia turbinata, atque in oblongum ferè exeunte figura spectantur: sicuti mala orbiculata propè cuncta, quibusdam exceptis, quæ protensiora quidem quum sint, orbe tamen suo in maius acto statim mala agnoscuntur. Etiam petiolo diuersa, qui in malis breuior, minorq́ue ferè: in pyris maior, ac longior visitur. Pyrorum vsus longè, quàm malorum, acceptior, mensisq́ue expetitus magis; tum verò maioris etiam semper, re vera, in omnibus vsus, succi bonitate inprimis, iuuandique ventriculi commendatione.

Nomina indidêre diuersa, suis quique: nos hoc tempore, omissis veterum vocibus, quarum quæ, qualisve accipienda sit, nostra hac tempestate significatio, ignoramus, potissima Muschatula habemus, Iuniola, Iaceola, Sarracenica, Glocia, Vergomata,

gomata, quædamque præterea alia apud varios varia, varijsque nominibus notata. Glociorum & Vergomatũ, quibus tamen omnium consensu palma cessit, incerta nominis ratio. Nam Muschatula haud dubiè ex Moschei odoris, quem tam suauiter referunt, gratia nomen inuenêre: Iuniola, quòd eorum prouentus Iunio maximè mense fit: sicuti Iaceola, quòd penè vt glacies, oris quamprimùm calore eliquescant: Sarracenica, à calore dicta, eadem & rubiginosa. Sunt inter Pyra quæ perennent, præsertim in Germania, & frigidiore alioqui cœlo: maxima tamen eorum pars fugacium habetur. Vergomata, quum bonitate succique suauitate, cum Glocijs contendant, etiam durabilitate vincunt. Muschatula sacchato condita, dempto priùs cortice, diu, necdum amissa prorsus saporis sui gratia, durant. Aliorum alia seruandi ratio. nam & melle seruantur integra, & inter paleas conduntur, & fictilibus includuntur, etiã picato operculo, vt aër omnis excludatur: idemque vasculis quoque ligneis assequuntur non magnis, diligenti asserculorum, ex quibus constant, consertione, & circulorum cinctura, additoque vtrinque operculo sic constrictis, vt ne qua ambienti aditus intrò pateat: hac ratione aduersus aëris iniuriam, quo tandem cuncta putrescunt, maximè tuta fore credunt. Sunt, qui pice illinant petiolos, & surculos, ex quibus pendent, atque ita seruari credant, siccatione eo pacto, nescio qua, fructibus cõciliata, & impedito aëris, aut alterius rei humore, ne per pediculum transeat. Alij tritici aceruis obruunt, alij sapæ, aut vino dulci immergunt, alij in furno torrent. Vidi, qui filo ex pediculo appensa, trabi, aut laquearibus suspenderent, ita, ne se mutuò tangerent, diducta. Cæterùm hæc aliò spectant omnia: in nobili tamen cumprimis fructu exponenda fuit ratio permansionis.

Quorundam ea perennitas, vt marcorem tamen interim quendam sentiant, sed qui edendo etiamnum sit: quod in malis non eueniat, quæ quum primùm marcorem eum contrahunt, sic statim extraneus quidam illis sapor accedit, à gustuque nostro abhorrens.

In pyris, mespilis, sorbis vtrisque, (tam vulgatioribus, quàm torminalibus, sic existimatis) quibusdamq; alijs, durior omnino paulò solidioris carnis substantia facit, vt marcoris genus hoc non inutilis prorsus sentiant, qui pro maturitate potiùs habeatur fructuum horum perfecta: mizza quidem appellant, quasi mitia dixerimus, & quæ ad iustam, sibique debitam maturitatem peruenerint. Id ferè in decerptis ab arbore vsu venit, vel paulò immaturis, etiam caducis nonnullis, sed omnibus natura suapte austeris, acerbisve: ideoque in mespilorum genere altero id potissimùm intelligitur, quæ quum seram nimis, aut nullam quoque plerunque iustam maturitatem accipiant in arbore, decerpta, paleisq; inuoluta, maturescant, quo diximus, modò, vt mitia fiant, atq; ita demum edi possint, deposita austeritate, adstringendique vi nimia. In alijs, quæ nec tam austera, nec tam compacta densaque substantia sunt, neque verò mixtionem sui tam exactam, elaboratamque à natura sortita fuere, marcor ille, qualem diximus, in corruptelam statim abit. Hanc enim quamprimùm ac statim sentiunt, maturitatem antea, quam potuêre, adepta, si quo dein pacto maiorem illis conciliare velimus, quam non ferunt, substantiæ suæ tenuitate, infirmitateque, ac mixtura non admodum solidè cohærente, eoque facilè putrescibili, vsque adeò, vt naturalitatem statim omnem abijciat suam. Nam paulò densiora, qualia attulimus, vt marcorem illum incurrant, (marcida enim procul dubio dici possũt) at in denso, solidoque paulò magis substantiæ robore, firmitatem tamen aliquam naturæ suæ retinent, atq; alimenti adhuc alicuius saporem exhibent.

Pyris omnibus adstringendi vis quędam inest, quanquam in maturissimis optimi generis minimũ nescio quid huius, quum perfectè videlicet maturuêre, restare deprehendatur. Triplicis hæc quoque, vt de pomis diximus, saporis discrimina retinent, austeri, acidi, dulcis: tum verò etiam aquei nonnulla, sapidæque qualitatis alicuius expertis, quæ ignaua prorsus, & abiectissima habentur: plurimorum aquosa quædam dulcedo reperitur, magnopere in multis gustum prouocans. Inæquale horum temperamentum quum Galeno statuitur, non de fructu solo accepisse videri potest, quod Eruditorum quidam arbitrati sunt. ἀνώμαλος τὶς ὑπάρχοντα, inquit, κατὰ μόρια, nimirum κρᾶσις, inæqualis secundùm partes: priùs autem eodem propè versu foliorũ meminerat, turionumque, & fructus seorsum vtrorumque, vt non de fructu id, sed de folijs potiùs, aut turionibus dictum defendi possit.

Neq; tamen inficias iuerim, in fructum quoque deriuari inæqualitatem eandem posse, quando re ipsa ita experimur, ijsdem sæpe in pyris frigiditatem ex aquositate quandã, atq; ex dulcedine temperamẽtum; rursus partes inesse terrrestres quasdã, itéque aquosas, vnde nõ minor sedãdæ sæpe

 sitis

ſitis vſus ob frigiditatem, quàm corroborandi ventriculi commoditas, propter terreſtrium partium auſteritatem, obfirmandique atque adſtringendi vim, & ſtipandæ alui, ſi præmanſa ſumantur; ciendæ autem, ſi à cibo deuorentur: frigidæ ac humidæ tamen in vniuerſum temperaturæ adſcribenda. Quippe vincit aquoſitas dulcedinem, vt frigidum omnino ex parte faciat. eadem obſcurare ſiccitatem poteſt, vti iam frigiditate potiùs & humiditate ſua noceant, quàm iuuare dulcedinis temperamento, ex aquea ſubſtantia multa factæ poſſint, aut eadem ratione terreſtrium partium quarundam ſiccitate corroborare, aquoſitatis multæ acceſſione dilutiore. Atque ideo, quod pauló autè dicebamus, rectiſſimè inæquali nobis temperamento quodam conſtabunt non ſolùm folia turionéſque, à fructibus vario; ſed ipſi etiam inter ſe fructus, diuerſis tamen partibus quibuſdam. Non effugêre ſucci malignitatem hæc quoque, vt boni tandem rectè ſucci dici haberique poſſent: quanuis abolendo fungorum veneno, tam ſæpe noxio, nihil vſquam expeti iuuantius his queat, incoctione tantùm eorum, ſi præſentiam fungi ſenſerint aduerſæ ſibi pugnantiſque qualitatis; non frigiditate, aut humiditate, aut manifeſtiore aliqua vi id quidem adepta, (nam hac vtique ratione potiùs nocumentum auxerint) ſed peculiari magis ſubſtantiæ totius dote quadam: præcipua tamen illa, ac potiſſima roborandi, ventriculi ſiue oris, ſiue imæ eius partis velis, tum verò ignauioris plerunque in conualeſcentibus à morbo appetentiæ excitandæ.

Eadem, quum crebro nimis vſu colicos dolores adferant; ſæpe etiam choleram, ſi pauló magis corrumpantur, in ventriculo, facient: cui tamen ipſi ſiccata remedio futura ſint. Siccantur furno fruſtillatim diſſecta, aut media; humorémque ita omnem abijciunt, & ſiccitatem retinent, augéntque: iccirco adſtingendi tum, roborandíque vi pollenti, præſertim aliâs temperamento quoque ſuo auſtera. *Melioris omnino in totum*, quàm poma, ſaporis, ſuccique; ſi auſtera, *auſteris malis*, *pyra*, *acidis acida*, *dulcia dulcibus*, conferantur. Noxam inferre creduntur, inprimis tamen acida, neruoſis partibus ventriculi, inteſtiniſque omnibus: demitur noxa, ſi quoquo modo cocta mandantur, aſſa, elixáve, aut præparatione tandem aliqua, vel ſi ex melle ſaccharóve condita ſumantur.

Auſtera, quod quidem ad hoc attinet, minùs omnino lædent, vt quæ reſoluto ventriculi ori maximè neruoſo vel robur addere, emendata laxitate, poſſint. In dulcibus pluſculum ſemper alimoniæ, quàm in alijs, ſaporis, temperaturæ noſtræ grati acceptique, affinitate. Ea gratia Moſchatula, quæ diximus, apud omnes commendantur: ſaporis tamen inprimis ſuauitate, ſed quæ multis valde ſæpe imponat nimio eſu, dum appetitum laceſſunt ingurgitata, corruptáque ita caloris & humoris exuperantia. Quæ duæ qualitates quum in vnum conueniunt, putreſcibilitatem facilè pariunt, locum nacta calidum itidem, atque humidum in corpore, qualis ventriculi eſt, ambientiúmque partium, vbi calor quanuis naturalis multus, euincere tamen humorem fructuum nocuum illum non quit, quin corruptus febres putridas gignat: quod & in vuis eiuſdem ſaporis, quas ex argumento eodem quoque nomine appellant Moſchatulas, contigiſſe non ſemel obſeruauimus, concitata ex nimio illarum, aut inopportuno eſu, febre. Sed de his poſteà: nunc obiter hæc à nobis dicta accipiantur.

De Cydonijs, & Strutheis, eorúmque facultatibus: ac mira quadam aduerſandi illitis veneno ſagittis vi.

CAPVT V.

Diuerſa eſſe Struthiorum, & Cydoniorum genera, vel ſpecies potiùs quaſdam, minimè dubitandum: quoniam id maximis Authoribus placuiſſe videas, Theophraſto inprimis, & Galeno. Is quidem caput inſcripſit περὶ τῶν κυδωνίων, καὶ στρουθομήλων, tanquam diuerſa re. Et eſt reuera non eadem omnino ſpecies: non enim magnitudine ſolùm diſtant, (quoniam magna, paruaque videmus) ſed etiam ſapore, & facultatibus. Quoniam maxima quæque, dulcia magis; parua verò, acida, auſteráve *ſenſu experimur: non vt in malis*, pyriſque, vbi nullum eiuſmodi, inter parua magnáque, diſcrimen; quin vtraque triplicem referre ſaporis ſenſum illum poſſint, acidi, auſteri, dulcis. Struthea pro maioribus accipiemus; Cydonia, pro minoribus, Medicos in hoc Græcos ſequuti, Aetium, Galenúmque, qui Cydo-

Cydonia minùs suauia faciat, & adstringentia magis. Sic quidem maioribus plus omnino inesse dulcedinis cuiusdam; adstringentis autem facultatis in minoribus, gustu percipimus: vt necessariò ideo Struthea habenda hæc sint, sicuti Cydonia illa. licèt non nesciam, Authores esse, qui Struthia minora intelligant, eadem, quæ plus quoque fragrantiæ iaciant.

Omnium quidem, sed Cydoniorum inprimis, potissima ea facultas maximeque commendanda, qua plurimum semper roboris additur ventriculo; tum verò, si reliquos cibos præmansa anteuertant, constringendi, ne inferiùs ante tempus labatur cibus, potentia; si post edantur, protrudendæ ciborum massæ, ciendæque adeò alui ipsius: quæ quum horum ipsorum virtute constipatur ante cibum sumptorum, lotij quoque sequitur copia paulò maior. Qua nimirum ratione, in suppressa aluo minore deiectionum frequentia, ex accidenti & secundariò moueri lotium solet paulò magis, eliciente natura ita, ex retenta hoc pacto cibariorum materia, faciliùs maiorem sæpe lotij vim. Contrà, si à cibo sumptis proritetur ventriculus, sæpe, nondum perfectè concocta cibaria, tanquam ambabus manibus supernè ventriculi oris adstrictione, impulsúque reiecta, protrudentur: vnde colici interdum cruciatus, cùm hanc ipsam ob causam, tum verò frigidioris succi generatione; maximè, si cruda edantur. Omnino naturæ frigidæ & siccæ deputata, magisque Cydonia, quo quidem austera, acidáve magis. Nam Struthia, quod diximus, sicuti dulcedinis plus præ se ferunt, ita hoc nomine minùs semper noxia fuerint: quin ob hoc ipsum minùs quoque semper resoluto ventriculo roboris addent, nec vires facilè referent, quas Cydonia, adstringendi refrigerandique.

Omnium maximè præcipua eorum dos, imbecillitati cordis quacunque de causa subueniendi, venenáque retundendi, ac noxarum omnium cor impetentium vires infringendi ex omni parte, carne, succo, conditura, odoratu etiam plerunque solo. Illinit sagittas Hispania succo hellebori albi: id est in venatione venenum ceruis, si modò ad venas venerit, vt sanguis id vel minimus combibat: pereunt, concidúntque haud ita multo interiecto tempore, vel ex minimo vulnere, modò cruori leui etiam contactu occurrat. Inde quippe à minutissimis venulis per maiores subinde delata ad cor veneni vis, spiritus confestim destruit omnes vitales. Eadem, (mirum, sed certum) sola mali Cydonij fragrantia, si præsentis sentiat vim, sic hebetatur, sic euanida fit, vt nocendi extemplo potestatem omnem amittat, exhaustis statim viribus omnibus languescens.

Tot hodie Cydoniorum conditur æ, vt numerare facile non sit. Diligens in eo spectatur vbique iam Matrumfamiliâs opera, quæ plerunque vel Salgamarios artifices ipsos superent, etiam certatim sæpe contendentibus de hoc nobilissimis, ac principibus maximè fœminis. Melle veteres exceperunt primùm, ac diutissimè conseruârunt succum: nos hodie saccharo, sed & melle, non succum solùm, sed saccharo incoctam carnem, atque integra plerunque Cydoniorum frusta, integram cum sapore adhuc facultatem propè omnem retinentia, quam conditur æ Cydoniorum reliquæ bonam sanè partem amittant, eædem stomacho tamen gustus inprimis iucunditate non inutiles.

Succus ex his exprimitur leuissima coctura, longi sæpe temporis patiens, vt in annum duret, mensis iam nobilioribus magna gratia illatus, commendationeque ea, vt veneni vim gustu abigere credatur omnem, ac securitatem ita vescentibus adferat, ne potionari se posse existiment. Hispania hodie quoque, vt Galeni olim tempestate, μηλοπλακοῦντας placentas nobis mittit, sed ex saccharo tantùm, & Cydonijs. nam meloplacunta triticeam fuisse opinor placentam, quæ Cydonium reciperet. Placentarum nanque olim ferè materia triticum, triticeáve, aut alia alioqui farina talis: vnde Galeno admiratio durabilitatis in ea materia, nihil planè admiraturo, si in saccharo, aut melle vsu id venisset.

Cydoniorum magnus, variúsque aliâs in parte artis *Curatrice* vsus, qui quidem à nobis tractandus hoc loco non est, in quo sanitatis tantummodo tutelam spectamus.

De Persicis, quantum ex eorum esu sperari commodi, vel timeri incommodi debeat: & de Nucipersicis, & de Præcocibus, & de Armeniacis.

CAPVT VI.

Persico-



Ersicorum duo inprimis discrimina; Duracinorum, quæ carnis cum nucleo vel osse adhæsione intelliguntur tenaciore: & aliorum, quæ dissecta, liberum statim emittunt nucleum, impressis tantùm carni figuræ, quæ diuersimodè striata in eo spectatur, vestigijs, non etiam pertinaciter adhærescunt. Omnium caro frigidior, & humidior iusto, magisque duracinorum; quo quidem succi magis plena noxij, & corrumpi valde facilis, nec sanè alimentosi valde. Idcirco consulunt omnes, à cibis ne vescamur, corruptum videlicet ituris, secúmque in corruptelam tracturis reliqua, ingesta quæ antea fuerint,& choleram sæpe facturis. Minùs in hoc noxia, quæ libera nucleo esse diximus, tanquam quæ, sicuti succi minus obtinent, ita minùs officiant. in succo enim inprimis noxa: proinde duracina, vtpote succosa magis, malis semper his paratiora. Cunctorum tamen commendatio illa non sanè exigua, qua cardiacis inprimis subueniunt, odore suo, orisque fœtorem vitio stomachi factum corrigunt. In quo rursus duracina præstant odoris iucunditate, quem gratissimum semper de se iaciunt. Ita quemadmodum succo suo nocentiora reperta sunt, è diuerso odoris bonitate, gratissimè animæ halitum commendantis, laudatiora fuerint. Si ignis vim, cineribus calidis macerata, aut alioqui cocta sentiant, acorem maiorem exhibebunt: exhalata, vt existimo, ita facilè dulcedine, quæ illis parua, paucáque, atque ea in superficie fuerat; humoréque eo pacto, ignea vi, aqueo terrestrique, tenuiore facto, vt acorem induat. Siccantur quoque furno, durántque, vtilia sæpe futura stomachi subuersionibus, ac cibum fastidienti. Vidi, cui, ex maris iactatione, quum continuis vomitionibus, ac propè conuellentibus laboraret ventriculus, nec alia proficerent; Persicorum esu siccatorum, quæ tum fortè ad manus fuerant, sedatum fuerit malum, demptáque anxietas. Incoquunt etiam vino, nullius ita, aut certè minimæ, minorisque noxæ spe: nec falli existimo, modò vinum prorsus acceperint, tota scilicet per totum vt illud imbibant, victa supereturque eo modo succi noxa, non vt vincens, & in venas vini allectamento citiùs distracta, maius quoque ita, ac celerius nocumentum inferat.

In vniuersum mali, corruptibilisque succi habentur Persica, pituitosique humoris, eiusdemque generis febrium sæpe causæ: calido tamen æstuantique stomacho non inidonea existimata; etiam febrientium nonnullis concessa, biliosioris materiæ feruori restinguendo, modò corruptelam ex eis in ventriculo sentire soliti non sint, qui sumunt. Sæpe etiam aluum leniter subducent, si cruda, & recentia comesta fuerint. Nam quoquo modo cocta, vel etiam passa, (Etenim hoc quoque pacto expansa priùs ad Solem, & dissecta media, siccatáque seruantur) etiam adstringent. Sunt autem hæc vilia ferè quædam, inter hæc, substantia sicciore, & amaritudinis omnino nonnihil referente, quæ in nucleis apertissima sentitur, quanquam mangonio propè, ac culturæ, & insitionis cuiusdam diligentia etiam dulcedinem exprimant ex parte.

Nucipersica vocantur, osse intus, quale Persicorum, carnis sapore inter nucem, & Persicum medio: figura nucis fructum iuglandis referunt, sed in arbore pendentem, corticéque suo vestitum, qui glaber vtrique est, lanugine, vt in Persicis, nulla; etiam virore suo quodam non absimilis iuglandis cortici; purpurei licèt nescio quid sæpe contrahat ex Sole, in obuersa illi parte; in maturissimis autem lutei quoque aliquid. Minùs hæc experimur nocua, licétque colligere id ex sapore, subamaro quidem, sed qui tamen quantum natura sua siccitatis adfert, tantum semper humoris quoque nimij auferat, proinde etiam noxæ. idem plus ijsdem apud multos conciliare solet gratiæ, vt etiam gustus iucunditate sæpe magis placeant.

Eadem videri poterant Præcocia, quæ Persica: nisi magnitudine distarent. Multo nanque minora sunt, & proueniendi celeritate longè anteuertunt Persica, tempestiuiùs maturescētia: figura aliâs eadem, gustus, succus, color: nocendi tamen vis longè minor, vt quibus impunè vescamur sani; nec minùs sanè ægri quoque interdum, si in tempore, & modicè, atq; ad rem sumamus, ventriculi nempe fastiditi leuandi quandoque causa; præsertim, si bile paulò magis acri infestetur, quam pomi huiusce succus retusam mitigat, minima malitia, vt qui neque acescat tam facilè, neque promptè corrumpatur.

Diuersa ab his faciunt Armeniaca, vt mirer eruditos aliquando cum Præcocibus deputâsse: colore distant, carne, nucleo,

nuce seu ossiculo. Color in Armeniacis ex luteo ruffescens, humectior molliórque caro; dulcis, certè, non amarus nucleus; ossiculum glabrum, quod in Præcocibus scabrum; sicuti virescens, vel pallescens potiùs color, caro solidior, & subamarus nucleus. Errorem versari in nominibus existimârim, vt Armeniaca à quibusdam Præcocia etiam dicerentur, res eadem duobus nominibus: Præcocia autem ab alijs, quæ vera nos habemus, eadem ac Persica censerentur, similitudine deceptis. etenim simillima sunt: at diuersæ tamen rationis, prouentus, vt diximus, tempestiuitate, & tum magnitudine, tum succi quoque bonitate. Quocirca meritò Galeno quoque diuersa fuere: tametsi sua similiter tempestate non defuisse scribat, qui, quum Præcocium vocabulo vti nollent, innominata priuatim, communi tamen Armeniacorum nomine comprehenderent.

Præfert Armeniacis Præcocia Author idem, sicuti Persicis Armeniaca, quòd nec tam facilè in ventriculo corrumpantur, neque acescant, sed neque subuersionem stomachi faciant, neque vomitum. Atque ita deteriore loco ac conditione Persica erunt: proxima ab his in melius Armeniaca tendent: summum occupabunt Præcocia, quippe acceptiora semper stomacho, vt propterea cùm meliùs ea amplexetur, tum promptiùs etiam conficiat. Exigui tamen omnia nutrimenti, & illaudati, vt in fructibus propè omnibus: refrigerandi, humefaciendique vi pollent: minùs tamen Præcocia, quàm Armeniaca; &, quàm Persica, Armeniaca.

Eadem horum quoque sumendi opportunitas, vt cibos reliquos præcedant, corrumpenda, corrupturaque cibos alios, si pòst edantur, venásque priores illas inprimis vitiosæ pituitæ succo impletura; vnde modò venenosæ ferè qualitatis cuiusdam malitia existat, modò febres suboriantur malignæ. Insignis refrigerandi vis in Armeniacis, quam ventriculus sentiat: longè minor in Præcocibus, Persicorúmque nonnullis; quæ quo plus amaritudinis nescio cuius referunt, eo minùs etiam existimare frigida debemus.

De Punicis malis, Mespilis, Sorbis: quid in his, ad alendum, & Salutaris artis rationes, vsus: & de Terminali Sorbo, quæ Mespilorum potiùs adscribenda generibus esse videtur.

CAPVT VII.



MALI Punici nulla propè commendatio mensis, atque haud scio an fructus alius quisquã, ex pomorum quidem genere, minùs dapes appositus iuuet, aut condimento, aut intinctu: caro eorum nulla, aut paucissima, & ea succosa valde, totus imò succus. Ferè ambigere posse videntur Punica mala in quem censum veniant, cortice corioque veriùs, quàm cute aut membrana, vestita, vulgò certè Malicorium dicimus: tam multis autem intus acinis, tenuissima vndequaque multis in partibus discludente membranula, distinctis, nucleo in alijs lignoso, multóque, in alijs nullo propè, aut certè minimo: vnde apyrina. Hoc loco adscribenda mihi fuisse visa sunt, ob saporis vicinitatem, quem paulò quoque antè relata pariter obtinent, acidi, dulcis, austeri, mixtique sępe, vt dulcacidi, sic Authoribus quibusdam dicti. Quorum medica vis omnium, vsúsque, aliquando tamen sanis in stomachi, & grauidarum malacijs expetitus, leniendæque sæpe siti æstatis caloribus contractæ. Mensis non admodum inferuntur, quod diximus, cruda, ac longè quidem minùs cocta, assatáque, aut aliquo modo elixa, aliáve vlla ratione præparata: quippe paucissimum inde alimentum, aut nullum potiùs expectandum. Acidorum magnus vsus ad ea, quæ diximus: nam dulcia stomacho inutilia, etiam sitim augere inflammatione facta creduntur, quã calefaciendo excitant.

Vinosa eadem multis, & dulcia, & apyrena accipiuntur: quanquam vinosa, Punica, genus omne, intelligi nõ ineptè posse videntur, ex quibus vini in modum exprimitur vbiq; succus: qui si acidus, austerúsve fuerit, aut ex his mixtus; conuenientissimũ resoluto, æstuantiq; stomacho esse compertũ est, vt addito robore etiam propellere vinũ id genus noxium à se humorem tunicis contentũ queat. Vitãda tamen satietas, qua facilè exundare ventriculus soleat, innatante aquositate. Sensi ipse aliquando languidius mihi factum ventriculi os, ad insipiditatem, aqueique humoris fluctuantis sensum vsque, paulò liberaliore horum esu, in refectione à morbo. Sed hoc ex acinis. Succus non sumitur solus, aut sumi certè non debet in sanitate; sed aut, vt apud Hippocratem, polentæ cibóve alteri alicui aspersus, aut ex intinctu, aut conditura, aut huiusmodi. Sunt nihilominùs, qui acinos membranis suis euolutos apponant, vnà cum

tostis aut carnibus, aut piscibus comedendos, mixtæ præsertim dulcedinis cum austeritate acoréve; aut, si acidi austeríve fuerint, addunt saccharum: eo pacto multum de sapore demitur acido, austeróque, minoríq; stomachi noxa eduntur. Omnibus, præter adstringentiam, inest abstergendi vis.

Dulcia meritò pectus leniunt, etiam palpitanti cordi amica: sicuti acida, austeráve, exasperant, & ventriculo, intestinísque frigiditate sua inimica: eadem tamen reprimendæ bili idonea, cohibendæque, vt intercepta subsistat, ne vlteriùs ꝓgressa viscera impetat. ea gratia febricitantibus damus, quibus aduersa credimus dulcia, ob inflammabilitatem ex substantiæ tenuitate facilem. Sed nos meminerimus, ciborum hîc à nobis rationem tractari, non etiam remediorum, nisi quatenus tamen ciborum sæpe rationi immixta remediorum ratio inuenitur: vt perquàm difficile sit scribenti de rebus his sic attemperare calamum, ne in alterius alter tractatum, rerum affinitate pertractus, incurrat; inprimis verò, quoties res tractamus in confinio aliarum positas, vnde minimus pateat in aliena excursus, vt hoc loco de Punicis malis, quæ propè tota Curatricis partis sunt, parum sibi Salubris vendicant: aliquis tamen illorum, vt antea quoque dictum est, & in Salubri parte vsus, si non vescendo, (quoniam minimum inde alimenti corporibus accedat) at cibis alijs contemperandis, refrigerandi vi sua, tenuisque substantiæ ratione indendi se altiùs, exhalatósque sæpe sursum vapores reprimendi; tum verò humorum putrefactionibus resistendi, infarctósque meatus liberandi, demendique ijsdem humores, & abigendi aliò: qua acida potissimùm facultate commendantur. Eadem & lotium commodè nonnunquam mouisse existimata.

De Mespilis scriptum inuenio, vrinam ea ciere. Mirum: nisi, quo ferè modo & Cydonia, sicuti antea dictum, alui adstrictione, qua maximè pollent, longiore, vrinæ materia trahentibus renibus suggeratur multa diutiùs, contingatque ita hoc veluti ex accidenti. Ideóque nec perpetuò id sequetur, ac non, nisi quum adstricta nimis aluo plusculum meiere cogimur, si modò serosam sanguinis partem renes fortiter ad se traxerint. Aliâs haud dubium, Mespila, quemadmodum Authoribus alijs placuisse video, sicuti alui, ita vesicæ cohibere excrementa posse; vt paucissimum tamen intereà alimentum corpori elargiantur, frigidumque id ac siccum, ex quo ventriculi calore aliquo resoluti roborandi, bilisque transfusione ad vomitum subuersi restituendi, vis aliqua.

Marcescentia hæc, sicuti quædam prætereà alia, edendo tamen sunt: mitia tunc vocat vulgus. nec talia decerpuntur ex arbore, sed quum tardissimè maturescere incipiant, decerpta priùs conduntur paleis, quibus implicata tempore maturitatem eam acquirunt mitem, quam diximus, atque in marcorem tamen iam quendam tendunt. Adagio occasionem dedit hæc maturitas celebrando, quo festinatio nimia peragendis rebus damnatur, admonemúrque expectandam esse semper temporis in eo opportunitatem, aliquid tamen agentibus: Tempore, aiunt, & paleis maturescunt mespila.

Quæ de Mespilis diximus, eadem de Sorbis intelligi dicta omnia velim: nisi, quòd minora in his cuncta, qualitas naturáque eadem cùm sit.

Terminalem Sorbum, sic ab omnibus existimatam, quæ frequens in Viennensi sylua superioris Pannoniæ visitur, libentiùs inter Mespilos repono, à Plinio, ac Theophrasto, generi illarum tertio adscriptam. Proceritas quidem spectatur in arbore iusta, longè primi generis, quod dubio procul Azarolli in Italia vocati nobis sit, magnitudinem excedens: folium, quale huius ipsius Azarolli, inspicienti idem, aut non multùm certè diuersum videbitur, apij in summitate incisura, vt vel ob hoc ipsum vnum (quoniã Mespilus Azarolli, apium folijs maximè referat) adscribi Mespilorum generi possit: quumq; esse Azarolli non possit, quæ pusilla satis arbor est, hæc autem procerior; tertium id haberi Mespilorum genus oporteat. Iam quod Theophrastus notauit, folia priusquàm decidant vehementer rubere, rubent in hoc, etiam post exutas folijs suis arbores multas alias, aliquandiu: fructus oblongè orbiculatus. Hęc persuadere non nemini queant, primum, quod diximus, Mespili habendum genus esse Azarollum: alterum Epimelidem, seu Setaniam, vulgatum nostrum, folijs longè diuersis, fructu maiore: tertiũ id haberi ipsum, quod pro Terminali alijs Sorbo commonstratur. Quę quomodo esse possit Sorbus, non video, quum Theophrastus Sorborum generis vtriusque folia in versum, ordinemque condita lateribus inuicem modo alæ respondentia faciat, quod longè à Mespilorum omnium, simúlque Terminalis illius, folijs abest.

De Prunorum differentijs, hac Medicinæ in parte vtilibus: Ziziphorum item, & Ceratiorum, & Cerasorum: & qua ratione in alium saporem hæc transeant siccescentia.

CAPVT

CAPVT VIII.

PRunorum quoq; vis refrigeratrix, humefaciénsque. Innumera propè horum genera, sed quæ duobus veluti fastigijs discriminentur; albi, & nigri: album vilius, nigrum commendatius semper, & vsu expetitum, receptúmque magis. Nescias hodie propè, quæ Damascena nobis, quæ've habenda Hispana sint, quibus veteres palmam tribuêre: Hispanis etiam emolliendæ alui. Non dubium, Damascena tunc dicta, quæ ex Damasco Syriæ; Hispana, quæ ex Hispania afferebantur. Quod nunc non fit: Damascena quidem vocamus, sed nostratia iam facta, vt interim tamen originem, ortúmque suum ex Damasco duxerint, seruéntque adhuc nomen, ipsa primùm insititia fortè, tum deinde cœli quoq; alieni consuetudine Europæa facta. Feracissima prunorum Pannonia, vnde ad proximas quasque, ac paulò magis longinquas etiam regiones exportentur: in mensas veniunt frequentissima iam, leniendæ inprimis alui nomine, & quûi calorem, squalorémque demptum ventriculo cupimus. Recentia nemini dubium esse debet prouocatura magis ventrẽ: sed & siccata idem præstãt, humiditate, & glutinositate quadam, quæ esse etiam in siccatis potest; præsertim verò, si ex iusculo sumãtur, sacchäro, vti iam fieri vbiq; consueuit, incocto. Ita nanque cùm ipsa humidiora glutinosáque magis fiunt pruna, vt emollire aluum possint; tum verò iusculo has easdem qualitates reponent, vt idem præstet. Desorbuisse igitur iusculi illius aliquid præstiterit, deuoratis priùs prunis. Saccharum quęrendum tum, ad rem hanc, tertiarium, propter abstergendi in eo facultatem maiorem, vt mellis in vicem subeat, cuiusmodi vtebantur olim ad hoc mulso emolliendæ aluo parato. Item deligenda dulcia ad hoc pruna: nam acida, austeráve, per se quidem minùs aluum subibunt, nedum vt alijs viam præstruant, nisi iusculo suo ita parato adiuta. Hanc planè ob rem prætulisse Galenum alijs omnibus Hispanica videmus, vt in quibus dulcedinis plus reperiretur. Nec defuerint hodiè talia. Morauia mittit orbiculata, ꝓrsus, reliquis minora, ex vrbe, in qua totius semper prouinciæ conuentus maximi peragũtur, Marcomanorũ Pryna, vt à prunis accepisse nomen videri possit; dulcia inprimis, gustúque iucundissima, succi, saporisque optimi plena. Cum surculis decerpta (nam racematim sæpe inter se hærentia pendent) seruantur: lignum circunuestiunt bicubitale, alligatis circunquaque surculis, vt interea pruna dependeant ex petiolo ampliùs latiúsque diducta, ne se mutuò arctiùs contingant ad corruptionem: corrugantur deinde pensilia, ita & dulcedinem accipiunt melleam, nihil adstringentis, nihil acidi. His subducunt sæpe aluum crudis, coctisve. Cruda inprimis inferuntur mensis, sapiditatis sæpe potiùs, quàm salubris vsus alicuius causa.

Vilia diximus haberi alba. Sunt inter hæc Cerea, quæ meritò Poëtæ cerea pruna dicta sint, nec sanè mala, nec ingrati saporis; earundem, vt reliqua, facultatum, minùs licèt efficacium. Sunt Verdachia, sic à colore denominata virescenti, ex lucido: Myrobalanos etiam appellitant, voce ita ad nobilitandum quæsita, vt simul cum vocabulo rem inesse crederemus, à qua tamen absunt: succosissima sunt, vt mansa repleant statim os succo sapido, ac benè dulci, minùs certè, quàm reliquorum, acido, austeróve; ideo minùs quoque frigido existimato, temperatiore quidem. Membrana vestiuntur tenuissima, cuticulæ ritu, qua detracta, iam emanat succus repleturus, vt dixi, os suauissimo liquore, iucundissimóque. Angustum prunis officulum, pressúmque in longum, latúmque: intus nucleus admodum exiguus, seu nucleolus potiùs, saporis, quem dicere subdulcem possis, magis, quàm insipidum prorsus.

In hunc ordinem venient & Zizipha, Serica Galeno dicta, quæ non esse Zizipha, siue Iuiubas officinis, frustra addubitari video. Variãt Arabum sententiæ, alijs frigida, calida alijs facientibus: ea, si gustum consulimus, detegente sese in illis dulciculo quodam sapore, temperata dicemus potiùs, vel leuissimè ad calidum tendentia; sicuti inter humiditatem & siccitatem constituemus, humida tamen magis dicemus. Substantiam sortita sunt ventriculo lentitia quadam aduersantem, vnde nihilominùs commendatio ad gutturis, faucium, pectorisque, ac pulmonum asperitates. Eadem facultate sanguinis acrimoniam retundunt lentitie illa cohibitam, ac bilis, biliosique sanguinis feruorem leniunt, veluti dulcoratis humoribus. Alioqui concoqui difficilia, vnde pituitæ statim, naturali calore euicto, copia, omnino, scribentium de his omnium iudicio, à ciborum censu abdicanda, minimi nutrimenti, eiusque vitiosi, & officinis relinquenda, neque ibi tamen ad valde multos vsus.

Eadem prędicatio de Ceratijs, quas Siliquas vocant. Recentia magis ventrem soluerint,

uerint, ob humiditatem, quam adhuc obtinent, ſicuti in ceraſis vſu venit, multisque alijs: ſiccata potiùs adſtrinxerint, humiditate eadem euaporata. potiùs, dixi: quia ſi non contingat, neque ſanè mirum perinde videri debebit. Neutrorum nanque magna vis, recentium, aut ſiccatorum: certa tamen durities ex lignoſitate, atque ob id neceſſariò, & ad concoquendum contumacia, & vitioſi ſucci generatio. Quòd lotium moueant, vt authores quidam ſunt, id ea ratione fieri poterit, (ſicuti bis iam antea dictum memini) quoniam adſtricta ſiccatorum vſu interdum aluo, materia ex hoc largior ſemper, ac maioris temporis ſuggeratur renibus, eliciendæ paulò copioſius vrinæ. Mirum, quàm puerili ætati hodiéque, ac muliercularum nonnullis, expetatur is fructus, dulcedine illius allectis: proſtat vbique venalis non in aliam gratiam. neque enim ad alios adhiberi vſus vllos memini. Apparet Galeni tempeſtate non fuiſſe Italiæ regionis Siliquas, quæ nunc in agro Neapolitano frequentes viſuntur.

Ceraſorum leniendæ alui facultatem paulò antè attulimus recentium pro exemplo, quod humoris redundantis beneficio fieri dicebamus: ſiccata, è contrario eadem ratione adſtringêt, ſed acida potiſſimùm. Nam dulcia non facilè Sole, aut furno ſiccitatem accipient, vt ferre temporis paulò longioris diuturnitatem poſſint, ſimpliciter ſic, niſi ſaccharo, aut alia quapiam ratione condiantur: non valdè tamen dulcia ſiccari, ſeruarique, atque eadem ſiccata aceſcere; ſicuti è diuerſo acida priùs, dulcoris nonnihil ſiccitate ea acquiſiuiſſe vidimus. Quod contingere arbitror propterea, quòd vtrobique, aciditas hic, ibi dulcedo, in ſuperficie miſturæ poſitæ, & eæ quidem tenues, tempore facilè euaporantur. Manet autem in dulcibus aciditas, dulcedine priùs occultata ac deliteſcens, ſimul tempus maturitatem quandam attulit, partésque terreſtres auſteras, quæcunque inerant, Solis, aut furni calore ad tenuitatem deduxit, hoc eſt, ex auſteris acidas fecit, quæ eſt acidi ſaporis generatio. Contrà, acidis priùs, eodem temporis beneficio, eiuſdemque caloris vi abeunte aciditate, perficiundæque ſubinde magis maturationis opera, dulcedo meritò acceſſerit aliqua, quæ tamen non magna percipitur.

Magnus vbique iam ſiccatorum vſus ſedandæ ſiti, reſtinguendæque bili, ſanis ægriſque iuxtà: adduntur ad intinctus, quæritúrque ex his ſapor dapibus multipliciter, haud dubiè gulæ inprimis irritandæ, & exacuendo palato; ſed non minùs interdum ſalubriter, quoties videlicet temperamentum quærimus rerum calidiorum, & bilis feruorem timemus.

Sunt inter hæc auſtera, ac carne ſolidiore Duracina, colore nigricante; coloréque eodem teneriora alia: hæc, quæ prouocare aluum; illa, quæ cohibere queant, niſi putreſcant in ſtomacho; quod facilè illis euenit, auſteris licèt; omnium verò facilimè dulcibus, vt corruptionem ſentiant, quæ niſi aluum ſtatim ſubeat, (nam ferè corruptelam eam abijcere à ſe inferiùs ventriculus ſolet) parata ſæpenumero febris ſit putrida aliqua. Ceraſa magna ex parte habentur coloris paulò dilutioris rubri, quæ vino nomen dederunt: Ceraſiolum appellamus, à Ceraſi id genus colore. Rara, ſed inueniuntur tamen, lutei coloris quædam: rurſus alia, ex luteo in albidum euaneſcentia. Succi in vniuerſum, maximáque ex parte, vitioſi, & corruptioni proximi: iccirco abdicanda vſu eiuſmodi omnia, niſi, quum æſtatis tempore æſtum, ſqualorémque demere ventriculo, refrigeratione, humectationéque ea neceſſaria cupimus.

De Moris vtriſque, Celſi, Rubique: de Ampomalis, & Fragis, & Canis rubo; num habendus pro vero ſit, quem vulgò tenemus: ac de horum omnium facultatibus, hoc in negotio.

CAPVT IX.



Ori fructus duplex, albus, nigérque: minor albus, atque infra nigri magnitudinem multũ, & quum maturuit multo dulcior. Nam in nigro, quanuis maturrimo, acidi tamen, auſteríve ſemper aliquid deprehendas. Alba Mora non inferuntur menſis, ſuntque puerorum tantùm eſca, animi cauſa. Etiam arboris facies diuerſa: procerior alba; nigræ Mori folia maiora nigrioráque. Hæc verè Mora intelligimus, quum de Mori fructu diſputamus ad ſalubritatem, medicamento quoque ſtomatico nobilitata: ſed nos hoc loco de alimenti tantummodo ex his vſu dicendum habemus. Alimentum ex Moris exiguum ſanè, ac vitioſum valde, non ſolùm vt prauitatem ſucci faciat vulgatam magis, ſed etiam qualis corruptorum cucumerum, aut cucurbitarum, aut peponum eſt, quam habendam eſſe peſſimam corruptelam ſcimus. Id illis accidit propterea, quòd qualitas ineſſe quædam in Moris exiſtimatur paulò magis acris, quaſique purgatoria,

toria, quæ irritare ad excretionem possit: quæ si inest, & in corruptelam discedat, valde verisimile fuerit, ex acrimonia ea, eidem illi corruptelæ plus quoque adijci malitiæ debere. Remedio vna est qualitas acrior ipsa illa, vt citò descendat, antequàm corrumpantur, simul vt corrupta quoque subeant, naturali insuper humore suo, quem planè non paucum obtinent, (succosa enim sunt) ac lubricum faciente lentore quodam ad hoc adiuta. Itaque præstat, omnium prima sumpsisse, puráque ea, ac sola ventriculo ingessisse initio, sic non solùm aluum citò subitura innoxiè ipsa, sed etiam cibis alijs viam eò, descensúmque paratura. Nam aliter posthabita, alijsque superingesta, paulò longiore in ventriculo mora, corrupta corrumpent reliqua; tum verò vitiosum aliquem ibi succum nacta, ipsa facilè in eiusdem vitij consortium trahentur mora, materiæ affinitate. Abluere priùs semper operæpretium fuerit aqua, vinóve: vino proculdubio meliùs adimetur noxa meraco, si quam in extimis partibus retinent; simul succi aquositas nimia illa vini aliquatenus siccitatem sentiet infracta. Vsus ex his in sanitate refrigerando, humectandóque, vt de cerasis diximus, ventriculo, vicinisque partibus, quum opus fuerit. Id quod in maximis præcipuè æstatis caloribus vsu venit, squalido tum, arescentéque ventriculo, ac iecore. Idipsum videlicet meliùs præstabunt nondum perfectam maturitatem adepta, vt quæ tunc frigefaciendi magis vi polleant. Matura enim ad temperiem accedunt, quo tempore magis quoque aluum emolliunt, & putrefactioni obnoxia tunc magis. Sed vrinam etiam ciunt, plùs, opinor, serositatis causa, quam multam de succo suo iam paratam exhibent, colligendo inde faciliùs lotio, quàm quòd inter verè diuretica censeri debeant, quæ caliditate insigni, & siccitate multa sequestratis, prolectisque serosis partibus, vrinam mouere consueuerint.

Celsi hæc vocantur: alia Rubi Mora, adstrictoriæ qualitatis, maioris semper, si Celsi Moris immaturis immatura, aut matura maturis alia conferantur. Itaque nunquam hæc aluum emollierint viribus quidem tantùm suis: neque enim humiditatem eam obtinent, qua præstare id queant, aut lubricitatem ex lentitia, aut purgantis facultatis quicquam. Abluenda hæc quoque, si edi debebunt. Etenim, vel quia adstringendi facultate nimis diu morantur in stomacho, vel succi vitio; capitis dolorem, si aliter sumantur, facient: quibusdam etiam ventriculum lædent. Fragrantissimus horum odor, vt moschum sæpissimè redoleant: paucorum tamen iam esca, nisi voracium fortè puerorum.

Est Rubi genus aliud, fragrantiæ quidem non eiusdem, aut nullius potiùs, sed quod vescendo magis fit: fructum Ampomala vocant: per se, Fragisque sæpiùs commixta inferunt mensis. Sit'ne Idæus is Rubus, ambigere video Authores. Argumenta sunt, vt non magnopere probari possit esse, neque non esse: notis quippe paucissimis descriptus. Vt esse possit, inclinat animus, quòd facies, naturáque tota prorsus, omnique ex parte Rubi sit, nec aliud omnino quàm Rubus existimari queat: qui quidem quum vulgato magis illi non adnumeretur, necessariò in proximum genus veniat Idæi, ita dicti, non tanquam qui nusquam alibi, quàm in Ida monte, proueniret; sed qui tum copiosior ibi, ac frequentior, tum fortè melior, laudatiorque. Ijdem apud nos ferè Rubi huiusce natales, hoc est, montium, quorum in syluis, aut sicubi noualia in illis sementi nouę fiunt, insequentibus deinde annis, lętissimus Ampomalorum inter vepreta, ac senticeta prouentus expectetur: in planitiem apertam facilè certè non venient. Vis eorum subacida, & refrigeratrix: succo suo redundant elanguido prorsus, præter acoris cuiusdam sensum. Humescere inde ventriculus solet, si nimia sumantur: sitim ideo arcere aliquando possunt, feruidámque bilem restinguere.

Idem præstabũt Fraga, magisque fortasse, quo tenuem quoque magis succum nacta sunt; ideoque penetrabiliorem, fortiùs altiusq; facultatibus suis in particulas adigendis, sed neque tam putrescibilem, vt existimo. Sicca nanq; hæc, & frigida habita video: adstringens certè horum qualitas. Sed si stillatitiam inde aquam elicias, quod vsus medicus multus demonstrat, supprimẽdo inprimis mananti vndequaque sanguini magni plerunq; successus ea fuerit. Verùm renum quoque inde calculi comminui creduntur, tenuitate partium insigni, vt opinor. Nam sanguinis suppressio frigiditati, & siccitati accepta referenda est. Quæ duæ qualitates altiùs in partes, vnde fluit, fluxurúsve sanguis est, tenuitate promotæ, addere se ad profundum possunt, eaq; potissimùm ratione sanguinis profluuia cohibere, de Hippocratis, Galenique sententia, qui non vbi emanat, sed vnde fluit, primùm frigido nobis vtendum esse iubeat, profluẽte sanguine.

Rubus Canis hodie de facie non agnoscitur, si Eruditis credimus, res tam vulgaris olim notitiæ. Quò se abdidit, quæso? aut

aut quomodo cognitioni se nostræ exemit, qui passim rusticis ederetur? hoc quidē testatur Galenus. aut quid demū persuasit, non esse, quem vulgò esse arbitramur, respondentibus concinnè satis notis? Nam in eo, quæso, num aut folia non spectantur latiora myrto, aut non horret totus spinis perquàm robustis, latéque ab imo sessilibus? aut fructus non oliuam prorsus similitudine refert; & vel baccam ipsam magnitudine, si mediocris oliua; vel nucleum, si paulò maior sit; aut non maturus fuluescit? non etiam insunt flocculi quidam intus, arteriam statim exasperantes? Insunt quidem, & sunt hæc omnia. Nam magnitudine quoque longè Rubum ipsum superat, sepes, inter quas sæpe inuenitur, perquàm altè excellens. Iam fructus tanta adstringendi vi, vt pueri Strenzicul appellent, voce quidem turpi, sed ex argumento efficaciæ, qua sedes, seu anus vehementer adstrictus constipatur. Vnde igitur nostrę ætatis omnium maximè materię Medicæ peritissimi argumenta collegerunt, diuersam rem esse, ac controuersam prorsus rem fecerunt? Nihil hîc dico: neque enim locus postulare videtur, alimentorum facultati proprius, quæ nulla in hoc, aut paucissima, & illa quidem agrestibus tantùm quibusdam, aut puerili ætati voraciori, aut corruptæ appetentiæ quæsita. Ampliandum esse censeo, donec melior ratio aliqua constet ferendæ de rebus his sententiæ. Illud tamen pauxillulum intereà de hoc: Si Dioscoridæ Cynosbatos, Plinij Cynosbatos est, cur alteri Dioscoridæ Cynabatos fructum fert nuclei oliuæ similitudine; alteri Plinio vuæ nigræ specie, cuius in acino neruus insit, dissimilima prorsus ita rerum inter se harum facie? Rursus ex alia parte Theophrastus Punico malo similem facit fructum, folium viticis tribuit: sed de fructu subrutilum dicit, Punico malo similem, vt coloris tantummodo similitudinem voluisse videatur. Est sanè ita: idem Canirubi fructus, qui Punici mali: colos omnino, vt hac in parte perquàm dicere liceat similē; nisi cætera obstarent, & summorum in hac prouincia virorum iudicium.

Cedri baccæ, & Iuniperi, & Oleæ, Colymbades, Halmades, Caducæ, Conditaneæ omnes: harumq; hac in parte vsus.

CAP. X.



MEritò medicamentis potiùs adscribantur ea, in quibus tam exiguus corporibus alimoniæ vsus accedit, vt illorum, quæ iam retulimus, quædam, vt Cedri quoque baccæ. Maioris vidisse non memini: minoris, quæ Oxycedrus esse debeat, missas mihi vidi cum ramusculo ab experientissimo, ac eruditorū iam omnium consensu totius rei herbariæ, Medicæque materiæ coryphęo toties iam meritò iudicato, Petro Andrea Matthiolo. Quas quum maiores esse viderem, quàm communis Iuniperi; minores autem Galenus faciat: tam autem surculi illius facies Iuniperi referre faciem videretur: suspicabar, num fortè hæc quoque Iuniperis adnumeranda esset arbuscula, quæ baccas proferret maiores, paulóque diuersi coloris, nimirum flauescentes, vt in multis prętereà euenire plantis experimur, cætera verò similima esset: præsertim verò faciente Galeno Cedrinas baccas, quæ κεδρίδαι illi sunt, ad medicamentosæ vsque acrimonię naturam: hisce autem dulcedinem magis quandam, Iuniperinarum instar, gustanti offerentibus. Cæterùm sint hæc exotica, & vltramarina, nec quæ magnopere ad nos his temporibus importentur, vt proinde nec valde laborandum nobis de his sit scribendo; præcipuè verò, quoniam nullus inde, aut perquàm exiguus, alendis corporibus vsus, vel si ad manus quotidie haberemus.

Iuniperi verò baccæ sunt assiduæ nobis, nec sanè non plurimos ad vsus, repurgandis renibus, liberando pituitosis materijs ventriculo ac iocineri, lotio mediocriter eliciendo, concoctrici virtuti iuuandæ calorifica vi quadam, aduersus contagiosos morbos securitati parandæ, si tantùm circunferantur ore, mandantúrque. Iam cubicula, concameratique loci, ac vaporaria, fumida horum exhalatione lætantur, nocuique semper aëris iniurias emendant. Obseruatum in multis, capitis grauitatem facere & dolorem, si multæ sumantur: septem, nouémve, summū, baccas satis præstare posse existimant. Id verò pro sumentis temperamento dijudicandum erit, si cui robustum, aut imbecille natura caput fuerit. Acrimonia, quæ gustu detegitur, & aromatica vis, gustu odoratúq; percepta, calidas esse omnino ostenderint; vt & replere caput propterea, & morsum inferre ventriculo facilè, præsertim nimio vsu, possint. Multus, magnúsque semper horum vsus medicamentis Salubribus additorum: Salubria intelligo, quæ medicata licèt ex parte, commodè tamen sanitatis tempore, aut conseruando, aut tuendo, aut præcauendo, aut reficiendo se à morbis, aut quacunque tandem Salubris artis in parte, vsurpamus. Qui quidem quo maior ad hæc omnia vsus fuerit, vt in huiusmodi omnibus; ita in alendo semper minor

nor erit. Gummi innascitur Iunipero, nonnullius sæpenumero, hac quoque in parte, vsus; inprimis quoties grauedinibus tentamur, suffitu ad nares, aut puluerati inspersione circùm coronalem capitis commissuram. Proprium huic nomen Vernix: nam Sandaracæ vocabulum (quo, quomodo vocari nomine debeat, non video) commune illi cum Græcorum Sandaracha venenosissima, vt cauendum semper in his nobis esse admoneamur, ne nominū similitudine decepti, in discrimen interdum aliquod imprudenter aliquem vocemus.

In Baccarum censum, quarum in parte hac Medicinæ vsus, vel maximè Oliuæ veniunt, frequentissimo vbique harum iam, & ad omnes propè mensarum missus, vsu. Itaque non indigenis sæpe Italiæ tantùm sumus contenti: etiam ex Hispanijs importandas nobis curamus, vt oneremus mensas peregrinis, exoticisque, atque vltramarinis; quum non deessent intereà, quæ vsu, bonitate, sapore non inferiores essent, plurimæ etiam vincerent, magnitudine tantùm vincerentur.

Multæ variæque olim condiendi rationes, iam penè desitæ. Maximus hodiè vsus Colymbadum, quas ita ab innatationis argumento vocant, vt ἁλμάδας ex salsugine. Decerpere, priusquàm maturescant, conuenit, quales ferè Drupas vocauêre. Caducarum nostro tempore perquàm infrequens, & apud paucos vsus; neque omnino tamen nullus. Vidi alicubi importari mensis nigricantes corrugarique iam incipiētes, quas scio eruditis quibusdam Drupas veras videri esse. Oleo olim innatabant Colymbades: nunc etiam in muria. Sic enim accipere nobis liceat Colymbadas: quas nihilominùs si propriè ἁλμάδας quis esse contenderit, non repugnabo, dum illud non ignoremus, ad vsum quidem nostrum, differentiam in eo spectandam inprimis esse, primùm quidem ex maturitate; tum deinde ex condiendi modo, vnde omnino virium nonnihil accipiant, pro conditurae ratione. Condiuntur magna ex parte sale, hacq; ipsa muria sua conseruantur diu virides: priùs tamen binis, ternis've, ad nucleum vsque incisuris veluti aperiunt, recipiendæ meliùs muriæ, simul remittendæ faciliùs, citiusque austeritati: tum profluenti inijciunt, muriæq; demum remittūt. Alij integras, virentesque, bidui aut tridui spatio calce ex aqua maceratas, vescentibus apponunt. Ex aceto non commodè minùs seruabuntur, roborādo plus omnibus alijs ventriculo, excitandæq; appetentiæ idoneæ: immaturæ ad id sumuntur, quæ adstringendi, quasique corrugandi oris ventriculi vi polleant, ex quo appetentia statim ita lacessito stomacho.

Minor intereà tamen alimenti semper copia; sicuti vel maximè in caducis, quæ Græcis Authoribus δρυπεπεῖς sunt, atque etiam addendi ventriculo robur in his, & ad appetendum suscitandi, longè minor facultas, pinguitudinis vitio, quam maturæ obtinent, facilè ventriculi os relaxantis, inferentisque languorem: ex quo alimenti paucitas, ventriculo hasce nec amplexante valde, nec multùm conficiente. Subibunt tamen aluum per se priùs deuoratæ, lubrico pingui suo, viam sibi, reliquisque cibis præstruentes. idem præstabunt aliæ ex garo. Error est, Oliuis temperamentum calidum attribuisse, quarum succus Oleum æquo naturæ nostræ temperamento censendum esse luculenter disertéq; demonstratum à Galeno sit: Oliua porrò ipsa immatura, quo austera, acerbáve magis, ita haud dubiè frigidior habenda semper sit: matura autem, vt succo sit corporibus nostris temperatissimo, quum expresso vtimur; at temperamentum idem tota simul non retinebit, carnis substantia impedita, paulò magis frigida, siccaque. Cōditanea, ex sale acrimoniam acquiret, inde & siccitatem, ac adstringentiæ parum; ex aceto tenuitatem; sic quidem ex calce nonnihil, quod prorsus naturæ nostræ aduersetur, qua nuis elui vis illa aduersans possit alterius aquæ affusione: ac si quid intus tamen receptum est, exiguum id erit, nec ad nocendum satis, itaque estur impunè.

De Palmulis, atque earum cum alimento malitia, & Palmæ Cerebro, & Cephilione, & Elate.

CAPVT XI.

Palmarū fructu non vescimur recenti his regionibus, magno nostro cōmodo, quādo noxium inprimis esse consensus omnium probat. Siccatæ importantur ad nos palmulæ, capitis dolorem peculiariter facere à Galeno dictæ sępe, priuata quadam efficacia potiùs. nam neque dulcedo in his, neque adstringendi vis fecerit: multo plura enim huiusmodi seorsum non faciunt: adstringendi forrasse vis faciet cōmixta dulcedini, vt quum per se videlicet quæ adstringunt, cùm ipsa morā diutiùs trahentia in stomacho, tum cibos alios morantia, immissis vaporibus capiti inferre nocumentū soleant: tū verò idipsum contingat magis, si putredini aliqua ex parte obnoxij cibi fuerint, quibus associata adstrictoria facultas ea sit. Vt hîc

in palmulis dulcedo facilè in corruptionem abit, naturæ, credo, suæ proprietate quadam, cuius corruptelæ exhalationibus perculsæ necessariò doloris sensum percipiant capitis partes, concoctu alioqui non minùs sanè difficiles omnes existimatæ quum sint palmulæ, vt hoc etiam addat ad capitis dolorem faciendum ex diutina hac quoque de causa in ventriculo mora. Nam quum duo inprimis sint receptis Authoribus fastigia Palmularũ; siccum & adstringens, quale Aegyptium; humidum & dulce, quale Cariotarum: inter hæc autem plurima habeantur permixtarum qualitatum genera, humoris ac siccitatis, adstringentiæ & dulcedinis: omnes tamen ad vnam Palmulæ concoqui contumaces, capitisque dolorificę plùs, minùs habentur: nempe plùs minùs semper humidæ, siccæ, dulces, adstringentes repertæ, nullum vt sit illarum genus, in quo non commixta dulcedini adstrictoria vis, atque ideo humori quoque siccitas, inueniatur: qua quidem repugnantia inter se & concoctionis difficultas, & capitis dolor ille contingere haud difficulter, maximè verò ex multo horum vsu, possit. Nec desunt inter has, quæ morsionis cuiusdam sensum ventriculi ori inferant. Calidæ, quæ paulò magis dulces, omnes: frigidæ, quæ austeræ, adstringentésque: cunctæ autem in vniuersum crassi omnino succi. Quòd si pinguitudo prætereà, vt in Cariotis, adsit, etiam viscidi nonnihil præ se ferent. Quæ duæ qualitates quum in vnum conueniunt, visciditas nimirũ, & crassities, multarum magnarumque semper obstructionum causæ sunt. Iam quia dulcedo addita sentitur, auidiùs semper à iocinere, lieneque attrahentur, promptiusque infarcient viscera ea, & infarcta augebunt, vsque dum phlegmonas efficiant, aut scirrhosos tumores inducant, magno semper laborantium ita discrimine. Tantus autem esse potest interdum recentium esus, vt crudi maximè humores in corpore redundent, rigoresque sequantur, vix ad calorem reuocabiles illi, neque successu etiam febris vllo plerunque, Hippocratis tempestate incogniti. Hinc credi par est, quoniam quidem humor in corpore ab his crudior ille gignitur multus, ex quo concocto tandem sanguis prodit, siquidem rectè conficiantur, primamq; ac secundam concoctionem non subterfugiant, quin exactas eas subeant, multùm quoque nutrire posse, atque in tertia cruditatem bona ex parte deposituras, corporisque partes nutrituras non prorsus malè. Hylarionẽ certè narrant nobis historiæ, desertis olim Aegypti in locis, & Paulũ, & Antoniũ, sanctissimos viros, multosq; prętereà eiusdem instituti alios, inter palmeta vitã diutissimè, atq; incolumiter vno hoc cibo, aut hoc certè maximè victitantes, sustentâsse; fame conficiente omnia, ac conficiendũ se præbente ad plenum semper simpliciore cibo.

Dulciores Palmulæ in bilem citò transire creduntur, sicuti adstringentes in pituitam; dentibus omnes & gingiuis obesse: itaque abluere os, diligenterque abstergere præcipimur post comestionem.

Magnum discrimen, sicut inter recentes siccatásque, (omnino nanque recèns decerptæ Palmulæ nocentiores) ita ex saporum differentijs, quod in his regionum inprimis diuersitate accidat. Frigidior quippe regio vix arborem produxerit, fructu sæpe nullo, aut inchoato tantùm: si paulò tamen calidi magis cœli clementia arriserit, edet: hac ipsa calidior aliqua etiamnum maturescentiæ signum aliquod ostendet, nondum tamen ad perfectam maturitatem excoquet, eámque, qua citra corruptionis suspicionem tutò condi, reponique ad vsum queant: feruentissima, æstuantissimaque sit, oportet, quæ exactam, atque absolutam maturitatem adeptas nobis Palmulas mittat, quamlibet maturas, non magni tamen ad suggerendam corporibus succorum bonitatem vsus, quin nocituras potiùs, ob causas, quas diximus: vt iam in vniuersum propè vniuersas, diuersis quidem, sed suis quasque rationibus, ob succi in omnibus malitiam omnino aliquam abdicare esu, præsertim liberaliore, conueniat. Nam aut virides adstringentesque, necdum maturæ, aluum adstringent, succum sanguinemq; crassum inprimis generabunt, ac frigidum, vnde crudioris semper humoris copia; aut pinguiores etiam viscidi aliquid adijcient; aut dulces maturæq; promptissimè, magisque alijs, infarcient: cæterùm concoqui omnes contumaces inprimis, ac capiti infestæ, cui dolorem priuatim conciliant. Ex adstringentibus tamen vsus aliquis ventriculo aliquando addendo robori: ex dulcibus, si valentem, quod diximus, ventriculum nactæ, iecurque, optimè inibi conficiantur, alimonia suppetere corporibus poterit, non illa quidem laudata, sed non exigua.

Palmæ Cerebrum Authoribus esse videtur medulla in cacumine dulcis, quæ edendo sit, adstrictoria tamen, vt & arbor ipsa, facultate.

Rursus Cephilionem Sicilia inprimis nominat, & in cibos admittit frequenter. Pumilũ Palmæ genus, poterat credi ἐγκέφαλος, nominis allusionẽ sequutis Cephilio, nisi iustæ Palmæ medullam in cacumine

ἐγκέφα-

ἐγκέφαλον Authores priùs fecissent. meliùs igitur per se pusillum Palmæ cuiusdam genus statuet. Estur deliciosè tegumẽtis suis exutum, quibus innumeris vestitur, ac secundas ibi mensas nobilitat inprimis tanquam germen, aut germinãtis plantæ, caulisque prodeuntis carnosa magis pars, vt in scolymo, plantisque quibusdam alijs videmus.

Eiusdem, cuius Cerebrum, Elate temperamenti, tenerum nempe iustæ Palmæ germen. Nam huius ipsius tegimen, quod & ipsum Elate nominatur, iam in medicatos tantùm vsus cesserit. Ex Palmulis, quod non vsquequaque in alijs vsu venit, & vinum fit, nuper decerptis; & cõfici panes possunt, feruoribus nimijs æstuque vsque adeò siccatis, vt, velut ex polline, panificium succedat.

Citriorum nomina, vsus, nobilitas: Aurantiorum item, Limonium, Adamicorum.

CAPVT XII.



Omniũ prima fuit nobis de pomis tractatio instituta, quæ tenui, leniq; tanquam cute tegerentur; intus semina haberent membranis inclusa, vt mala, vt pyra sunt, & eiusmodi: tum deinde ea quoque percurrimus, quibus pericarpij pars eadem, aut non multùm dissimilis; intus autem nucleus, ossiculo munitus, quod genus Persica, Armeniaca, pruna haberentur. Citria in hunc vsque locum distulimus, cùm ob diuersam omnino ab alijs faciem, tum verò vt cum vuis vnà ficubusque hoc loco à nobis tractarentur, nobilissimis nobilissima, antegressis statim Palmulis, ne ipsis quidem ignobilibus.

Videtur nobis Citriorum nomine comprehendi posse, quæcunq; aureo quodam cortice vestiuntur mala, fortasse Poëtæ quoque ipsi aurea ita appellata. Petemus à Galeno, permittat nobis, Medica vt vocemus aliquando mala hæc, quoniam Media primùm illa tulerit; aut ne Persica quidem vocemus Persica, quoniam ex Persia primùm allata; nec Armeniaca, quoniam ex Armenia: quanuis & Persis non minùs Medicum hoc malum primùm tulerit, miseritque, & Assyria, vnde malũ Assyrium: nec desint, qui Hesperidum hortis accepta hęc referant, dicato etiam rei huic patrum nostrum memoria nobilissimo poëmate. Decantata fuêre Vergilio Medica mala, elegantissimo carmine, simul traditę illorum dotes senibus inprimis anhelosis medicandi, animæque graueolentiam auferendi, nec minùs ad venenata. Plura eorum nomina: Aurantia, Limonia, Adamica, Citria, quæ totius sibi generis nomen vendicâsse videntur, ob nobilitatem insignem, vt alibi sæpe.

Omnium cortex aroma insigniter redolens, gustuque idem referens: optimus in Citrijs, sapore iucundissimo, viribus, quæ cordi maximè opitulentur. Condimentum sacchari optimè sentit, ac diu durat sapore integro. Elicitur inde prætereà vis illa aromatica maceratione, si diu maduerint, tumque decoctione excipiantur Zulapijs, quę succi nobis instar sint expressi cortice. itaque vtimur ad eadem sępe, ad quæ olim Galenus succo. Catapotia quidem deuoramus Syrapij, ex Citri corticibus linctu: eodem miscemus purgatoria medicamenta, quæsito inde ventriculo, robore, aduersus pharmacorum vitia, si quid timeri potest, ex particulis, quæ his plerunque insunt, venenosis, naturæ certè nostræ inimicantibus sæpe. Conditus venit in mensas sæpissimè cortex: & vt ægrè concoquatur ipse ob duritiem, (quanquam conditurae beneficio exuta non parum hac, ac tenerior factus, faciliùs quoq; conficiatur) vtcunque tamen iuuare semper concoctionem calorifica vi sua, inprimisque aromatica solet. Nõ multus sumendus: ne caliditate, & siccitate, quibus pollet, incalescant siccescantque plùs, quàm par sit, partes. Virtus eius aduersus putrefactionem, & corruptionem quamque, ex eo quoq; deprehenditur, quòd vestes à tineis defensas arcis inclusus reddat, & pestilitatis vim abigat, cubiculorum cœnaculorumque aëre emendato, si odoris vires susceperit.

Aurãtia, quæ, quòd hæc maximè colorẽ auri referant fului, sic dicta putamus, cortice sunt aroma quidem redolente & ipso, subamaro tamen, ac benè calido, palatumq; & linguam vellicante: vt conijcere liceat, plus omnino inesse partium calidarum in hoc. Ex contorto resilit succus, oculorum aciem repurgare, aspersioneque claritatem afferre existimatus. Siccatũ Dulciarij obducunt saccharo, vt coriandrum, vt amygdalas, multaq; alia: deposita ita amarulentia, estur iucundiùs, frigescenti aut languenti ventriculo nõ incommodus. Succosa Aurantijs pars (nam carnosa nulla) sola inter hæc saporibus distinguitur acidi, austeri, dulcioris, qui omnes vires exhibeant, pro qualitatis semper suæ ratione. Discissa media conuiuę manu comprimũt, succumq; qui non paucus ita remittitur, affundunt assatis carnibus, piscibúsve, suauioribus ita & sapidioribus gustatu futuris.

Limonia, quasi florida dixeris, aut floriditatem & iucunditatem locis afferentia, luteo,

luteo, sed diluto magis colore, spectantur: tota propè succus sunt tenuissimus, acidissimusque. nam caro paucissima in his, inutilis cortex. Succo, succique præparatione ex saccharo, restinguendæ bili, sitique mitigandæ ac domandæ efficacissimè ægri sanique vtimur. Incoquuntur Limonia carnibus concisa, abitque vis illa in iusculum facilè, gratissimũ ita palato futurum, neque inidoneum repurgandis renibus, comminuendoque eorum calculo. Inest quippe facultas succo huic dissecantissima humorum, atq; attenuantissima, acerrimi fortissimique aceti ritu: vt macerata ex his oua, emollitis tenuefactisque testis, tractabilia, & ad manuum compressum, ductúmque quacunque sequacia reddantur. Itaque paulò magis obtusi saporis acetum, additione huius, acidum magis fiet. Vt autem Citriorum quoque idem, aut non multo minùs præstare valeat succus: excipimus tamen libentiùs ad medicatos tantùm vsus, aduersus putredinosas malignásque, & acutas maximè febres, laborantisque cordis affectus reseruatum: tum verò pro condimento sæpe, parandisque ex eo intinctibus, cum aromate aliquo & saccharo.

Adamicis, quæ diximus, infixa adesse dentium vestigia videntur, vt demorderi cœpta apparere possint. Vilia omni propè ex parte habita: nam nec cortice, aut corio potiùs suo, probantur admodum; nec carne, quæ nulla quasi, aut flaccescens admodum est: nisi succi fortè vsus aliquis, in aliorum penuria.

Omnium in vniuersum horum succi frigidum & siccum temperamentum est, tenuiumque inprimis partium: nullumque inde corporibus alimentum accedit, sicuti ne ex corticibus quidẽ, nisi perquàm exiguum. Estur Citriorum tantùm caro: nam aliorum, paucissima, fluxaque & incompacta: sed nec Citriorum magnopere probanda, ignaui prorsus saporis, nec, nisi alterius rei alicuius acrimonia acoréve irritetur, ferenda; concoctu præthereà difficilima; frigidi crassique, ac crudi succi, flatusque materia certa, nec sanè minùs ventriculo inimica, longioreque ibi semper mora infesta: corruptioris tamen appetentiæ interdum, prægnantiumque inprimis malaciæ, aut fastidiétis reliqua ventriculi, quæsita multis esca: vt vel hoc ipsum extranei cuiusdam, atque à salubritate alieni, esse argumẽto succi debeat. Cauendum esse dicunt, ne in ciborum aliorum cõsortium eodem tempore Citria admittantur: id, si tota deuorentur, dictum interpretor: pro cõdimento, & obsonio, nihil vetat. Semen inest omnibus succi in medio, magni ad putredines omnes vsus, & inter alexipharmaca receptum, contraque venenatorum morsus, priuatim verò scorpionum, faciens: calidum siccumque, nullo prorsus alimento, medicatum vt totum sit, nihil Salubrem hanc partẽ augens, hac quidem gratia; salubribus nihilominùs medicamentis adscribendum, quibus ad symptomata multa, nondum sanitatis campum egressa, vtimur, posteriùs loco suo tractandis.

De Ficubus, & Grossis, & Caricis: tum quales horum omnium potestates in re cibaria.

CAPVT XIII.

FIcus bifera, alicubi & trifera arbor: florem vocant nostri maturescentem primò fructum: paulò magis serotinus alter, Autumno cum vuis maturitas. nec alium temere fructum inuenias, qui vtriusque horæ, & oporæ tempus impleat, reliquo cessans. Nam alia quædam, vt Citrus, & Iuniperus, continuato quasi successu, perpetuò ferunt, maturescẽti iam fructui subnascentibus alijs, alijs adolescentibus, etiam flores tum primùm emittente alicubi arbore.

Grossos suos, Grossulósve habet Ficus, indomitos ad maturescẽdum. Eodem vocabulo significari video maturescentes primò fructus messis tempore, quos nostri, vt diximus, flores. Non alibi inter fructus tanta maturitatis, aut immaturitatis differentia, vt immaturrimę Ficus omnium nocentissimæ euadant; maturrimæ supra alios fructus cõmendandæ, Medicorum omnium rectè sentientium suffragijs omnibus primas verissimè partes adeptę; sed impertita tamen vuis quoque hac laude, ne solæ occupent. Lactens liquor in causa, feruidæ, ac paulò minùs, quàm exurentis naturæ, qui maturitate excoquatur omnis: inde tamen caloris adhuc in fructu aliquid, & abstergendi vis, & descendendi facilitas, qua quidem plurimum auferatur noxæ. nanque aliâs, si paulò diutiùs immorentur ventriculo, flatus gignitur. Alia laus, totam promptè corporis molem pertranseundi, nusquam hærente succo; non quidem, vt reliquorum, noxio, sed qui tamen nõ prorsus malitiæ naturam omnem effugerit. Alimentum ex hoc corporibus accedit, quàm ex arborum fructibus vllis alijs, maius: at vnde caro nec firma, nec densa, sed inaniter laxa generetur. Abstergendi facultate Ficus, qua non parum valere diximus, repurgandis renum

num vijs vtiles inprimis, vt illarum esu, renum vitio laborantibus, sabulosæ sæpe materiæ multum excerni videatur: Galeno hoc, plurimisque alijs compertum. Lactis ficulnei vsus in sanitate nullus, in Curatrice parte nõnullus: κεγχραμίδες granula concoquendo non sunt; cortex seu cutis, seu corium, ægrè conficitur: sola superest caro, quæ facultatibus, quas diximus, prædita sit, tum ex qua nutrimentum sentiamus, quale narrauimus.

Siccatæ Ficus, Caricarum vocabulo intelliguntur. Eę crebro nimis multoque esu nõ admodum laudatum sanguinem, quin putrescere sæpe paratum gignent, vt inde pediculis etiam generandis materia suppeditetur, & corpus totum pruriat. Eædem additamento aliquo minùs noxiæ fient, vt si cum nucibus, aut amygdalis edantur, iam non improbandus inde expectandus succus fuerit. Si ruta prætereà addatur, tũ verò etiam aduersus putredines, venenataque habituri alexipharmacum simus: ac, sicuti recentes sitim sedare, nec ventriculo propitiæ creduntur, ita Caricæ vtiles, sitimque vel augere existimantur; calidæ quippe, & siccæ redduntur, & abstergendi præterea vim maiorem, aperiendique, attenuandi, & dissecandi induunt. Quibus planè quum viribus polleant: viscera tamen, iecur præsertim & lienem, infarctu laborantia, aut duritia affecta, non sanè valde iuuabunt, quum maximè deberent; neq; nocumentũ tamẽ inferent. id nimirũ inprimis his dulcedinis ratione cõtinget, ob quam nimis quàm auidè à visceribus his arripiuntur, vt, etiam si prodesse facultatibus suis possent, paulò tamen maiore copia impediantur, qua viæ, meatusque illi, nec crasso tamen, nec glutinoso succo replentur; vt, si non deobstruere, at nec obstructiones quidem augere debeant. Emendabitur vitium, aut, veriùs vt dicam, vsus semper maior, euidentiorque, atque insignis inprimis facultates hasce sequetur, rerum additione incidentium, attenuantium, abstergẽtium, cuiusmodi plurimæ habentur. Nam & Ficuum dulcedine facilè attrahetur mixtura ea, atque eædem viribus alienis adiutæ Caricæ, cùm ipsæ facultates suas meliùs proferent, tum alias secum adferent, producendo promptiùs efficaciusque operi. Id quod nihilominùs in phlegmone tentatis visceribus his minimè faciendum, vbi periculosior, maiorque obstructio, adaugendique simul accensi iam caloris suspicio. Quòd sine noxa diximus, iecoris aut lienis obstructione laborantibus, citra febrem tamen, aut ijsdem etiam visceribus in scirrhum tendentibus, edi Caricas posse: id, si crassarum, aut glutinosarum partium essent, non succederet: vt de Palmulis diximus, in quibus cum crassitie, sæpe verò etiam visciditate, dulcedo. Vnde neque aluum facilè subeunt, quod vtræque faciunt, virides aridæque Ficus, ea quoque gratia commendabiles: alioqui gutturi quoque, asperæ arteriæ, & pulmonibus aptæ inprimis, atque amicæ; vnde & tussientes iuuent, & pectoris, partiumque illarum omnium, dolores leniant; maximè verò, quum ex rebus his auxilium ceperint, quæ per se aliàs præstare vsum eundem solent. Ipsæ nanque facilimè præterea dulcedinis propriç allectamento, succique partibus accepti, suauisque iucunditate ea, eodem pertractæ, opus egregiè præstabunt suum. Quumque ad salubritatis totius rationem præstantius nihil sit, quàm vt expeditæ infarctuque omni liberæ viæ, corporisque meatus seruentur: suspicionem omnem obstruendorum meatuum demet additum Piper fortè, aut Thymus, aut Satureia, & id genus alia; tum verò etiam plurimum eadem opera flatuositatis demetur, quam Caricæ quoque, minùs quidem quàm recentes Ficus, sed gignunt tamen. Itaque cùm ob hoc, tum ne tumultum excitent in ventriculo, natura sua ad exitum properantes, conuenientissimè cibos reliquos omnes præibunt.

De Vuarum varietate multa, ex sapore, ex conditura, ex diuersis illarum partibus, ex colore: Ac de Paßis eodem modo, déque alimenti omnium horum facultate.

CAPVT XIIII.



Roxima cessit bonitatis succi laus Vuis. Prima earũ differentia, saporis dulcis, austeriq;, atq; acidi; quanquam is in benè maturis, qualiscunque tandem generis, vix percipitur. Nos autem, non solùm tractatu hoc de Vuis, sed in omni præterea de fructibus disputatione, intelligi maturitatem eorum volumus, quum de his aliquid in vniuersum profertur, nec priuatim quicquam additur, quo res pronuntiatis vniuersalibus nominatim excipiantur. Acidas nouimus vuas quasdam, quanuis maturitatem suam acceperint; plures austeras, omnium multo maximè plurimas dulces. Et acidæ quidem nobis erunt, quales sunt, quas Varouas vocamus: Austeræ, quales, quas Taroltecas, apud alias gentes aliæ: rubescentes illæ, hæ nigricantes. Prorsus dulces reliquæ propè omnes, inpri-

inprimis autem Sclauicæ, Vernaciolæ, Verdalbariæ, ex quibus Tremenicum vinum Germaniæ decantatissimum, quæ ad Oenum est, partemq; Norici totam, quam Danubius alluit: dulcedo his caliditatem pariet, sicuti acidus, austerusque sapor frigiditatem. Addunt vinositatis saporem, cuiusmodi in fructibus multis alijs deprehendas, calefaciendi, frigefaciendique virium in medio. Ab odoris qualitate, quam latè fragrãtissimam Moschus iactat, etiam saporem fecimus vuis, Moschatulis ex re appellatis, vt Moschatula pyra nuncupauimus: mansu detegitur quamprimum, odor prorsus moschi quidam: sapor inter moderatè dulces reponi meretur, vt vinosus esse is quoque ideo possit: moderatus nanque & calor, cum humore nõ pauco, minimè tamen aquoso, inest, quod, vt arbitror, vinositatẽ illam faciat. Hinc paratæ putredinosæ febres nimiùm vescentibus, eodem, quo de pyris, idem genus, antea dictum, caloris atque humoris malo. Hæ ad maturitatem perueniunt suã, cum dulcedinis, odorisque incremento. Acidæ natura, vt omnium maximè maturæ fiant, acorem tamen nunquam prorsus omnem exuent. Austeræ, austeritatis plurimum deponent tempore, penitusque dulcescent calidioribus locis, & constitutionibus: quin pensiles idẽ assequentur eædẽ temporis tractu: acidę verò minimè, aut nõ peręquè, nempe vt tẽpore seruatæ dulcescant: sed ne acerbæ quidẽ quæ priùs fuerint; qui summè adstringens in vuis sapor est, idem & nocentissimus. Etenim facultatem demit'is succus vuis (qua quia dulces prædita sunt, cæteris commendabiliores habentur) descendendi per aluum citò, neque diutiùs moram trahendi in ventriculo. Quam si quando trahent, cuius tandem cunque generis fuerint, (aliæ tamen alijs magis; acidæ austeræque, quàm dulces) vniuersæ nec probè concoquentur, & flatum parient; dumque per iecur ac venas distribuuntur, succum progignent crudum, non sanè facilè in sanguinem conuertendum: acidæ autem, austeræque, etiam hanc ipsam distributionem morabuntur. Quo planè vitio carebunt dulces, vt ita primùm perquàm facilè aluum subeant, tum fortè detentæ crudum tamen tantùm succum gignant, non etiam ægrè diducantur. Sitim nihilominùs facere creduntur calore suo. Multos certè memini Vuarum esu sitibundos, quæsisse causam, cur id ita fieret. id ergo esse causæ dicemus, Vuarum paulò magis calidum ex dulcedine temperamentum, præsertim si non haud ita multo pòst descenderint, vel biliosum fortè ventriculum offenderint. Anteuertere orientem Solem mos est his, qui emolliri sibi aluum cupiunt Vuarum esu, vt cum rore colligant, sudo serenoque antegressæ noctis cœlo: magisque id fiet, quo succi plus Vuis inerit, ac carnis minus: sed vnde tamen alimenti quoque minus expectandum sit. sic, uti è diuerso, in quibus carnosæ partis plus, succi minus, vnà quoque plus nutrient; minùs autem per aluum solubiles erunt. Tales nobis sunt Zibibiæ, prælongis digitorum propè in modum acinis, vnde & dartyli dictæ, duracinarum genus, ac perinde carnis multæ, succi paucissimi. Quapropter edendo tãtùm sunt: succum exprimi non memini.

Generosæ hæ habentur: reposuerunt que eas in hyemem veteres conditaneas, multis modis, etiam vt ad insequentem vsque Autumnum perennarent, musteo inprimis liquore suo conseruatas: modò vinaceis implicitas ollis incluserunt purissimis, perfectissimæ operæ figlinæ imperspirabilibus, operculatis diligentissimè, picatisque circunquaque, excludendæ prorsus auræ omni. Conditanea huiusmodi roborando illis erat ventriculo, fortè resolutiori facto, excitandæque appetentiæ; nulla intereà subducendæ alui commoditate, vltroque dolorem quoque capiti inferendi incommodo, si paulò plus voraretur: idq; longè adhuc magis in conditanea ex musto. Tum hæc autem, tum ex vinaceis illa facilioris, quàm aliæ, concoctionis vtræque. Vinacea voco, expresso iam, defluxoq; in lacum musto, quod sub prælo exuccum penè totum restat, abijciendum; ouium tamen, boumq; hyeme interdum esca. nam vinacea, quibusdam γίγαρτα ipsa sunt. Nobis hodie pensilibus vti licet innocuè ex parte capitis, cui infestæ non sunt: neque magno tamen vsu vllo, vt quæ nec ventrem laxare, sed nec cohibere solitæ sint; ita nec appetendi vim lacessere sopitam, nec validam deijcere. vtrunque meritò, succi, tempore iam euaporati, defectu, qui fluxam facere aluum poterat, necdum tamen exuccis vsque eò carnosis partibus, vt adstringant. Eadẽ ratione, neq; appetitũ retundet pensilis eiusmodi vua humore nimio, aquosoq;, qui iã absumptus est; neq; excitabit magnopere, nonnullo tamen carnis adhuc succo: qui si nullus, aut paucissimus supersit, vt in furno siccatis, (nanque & hoc pacto velut excoctæ diutissimè seruantur) nõ parum inde appetentiæ excitari sentimus, absumptis igni reliquis partibus omnibus, atque adstringendi tantùm vi remanente, & subdulci acore, vellicando ventriculi ori ad appetendum satis; vnaque, membrana siue folli-

folliculo, quo reliquæ partes vestiuntur, caro, succus, semen, seu vinaceos appellare mális, sic ignis iam vim experto, ac sentiente, vt confici facilior reddatur ventriculo, ac nutrimenti iam aliquid de secum carnosa simul parte exhibere valeat. Simul liberantur acini racemo, seu scapo, & exemptis γιγάρτοις, quæ semina illis sunt, arculis ligneis compressu multo includuntur. biennium, ita facilè superatur. Vincuntur alimenti copia Vuæ, ficubus collatæ. Deligendæ, quarum tutus esse in hoc vsus possit, carnosæ, ac benè maturæ; siue per se maturitate absoluta decerptæ, siue eam, postquam pendulæ aliquandiu fuerint, adeptæ. Reliquæ, quę nec austeræ, nec acidæ fuerint, succique præterea plenæ, ad subductionem alui edi copiosè poterunt. Subducitur aluus & musto, vel acinorum suctu, exputa membrana, & seminibus, atque ita musteo tantùm liquore illo exsucto.

Notabitur differentia ex colore præterea: emollientibus semper propè aluum albis magis, & lotium mouentibus; neutrum magnopere præstantibus nigris: illis facilius semper concoquendis, citiusque subituris aluum, sed nutrituris minùs; his diutiùs immorantibus, & concoctioni rebellibus magis, concoctis autem elargiendo alimento pluri melioribus. Sunt & Rubellianæ, sicuti colorum, ita facultatum quoque omniū, in medio. Cæterùm ad vnum omnibus, flatulentiæ in ventriculo multæ excitandæ, Vuis natura, ad stimulandæ quoque Veneris sępe effectum vsque. Corpus Vuarum esu carne constabit, quàm ex ficubus, minore, eaq; laxa, ac minimè densa, citoque ideo subsidente, si ab earum esu cessetur.

Quod in ficuum genere Caricæ, id in vuis Passæ habentur: à patientia Passas dictas autumant. Passam dixère aliquando faciem, rugis flaccescentem iam, veteres Comici, sequunturque Itali vernacula sua lingua, quum carnem passam intelligunt, qualis senescentium, laxatam ac rugosam, quæ contenta & benè curata cute turgescenti contraria est: hanc σφριγῶσαν Græci dicunt: Latini vescam, vt opinor, possent, quemadmodum alteram vietam. Cæterùm passas non minùs dicimus manus, quàm expansas sæpe; passos item crines, passa vela, rei semper inuolutæ expāsione quadam intellectu ita accepta, vt hoc pacto Passas etiam dicere nobis liceat vuas, quòd in tabulis priùs expansæ, porrectæque, hac potissimùm ratione passæ fiant. Ex Passis vinum protropiū, sed his potissimùm, quæ in vite seruarentur, donec rugas cōtraherent. Præcipua Passarum differentia, vt & Vuarum, in sapore. ex hoc enim bonitas semper, & vitium. Dulcium magna copia, acerbarum minima, acidarum nulla: maxima earum, quæ mixto austeritatis dulcedinisque sapore cōmendantur, commixtis quoq; pro saporum ratione facultatibus: vt, qua austeræ, ventriculum roborēt; qua dulces, inuentos humores ex parte cōtemperent, & abstergant: geminaque hac potestate, contemperandi dico, & abstergendi, illatas, humoris alicuius vitio, ori ventriculi lenire morsiunculas facilè queant, leuiculas quidē: nam paulò magis infestæ, detersione maiore, aut exiccatione, aut fortasse etiam subductione opus habuerint. Quod quum dulces inprimis præstent, sic, ad rem quidem hanc, dulcissimas, quibus austeri, acerbíve immixtum nihil fuerit, delegisse præstiterit. nam austeræ, acerbǽve, nil aliud, quàm ventriculo robur addiderint, humores per se non deiecerint. Simul, dulces plus semper exhibuerint de se alimenti, & illius quidem dulcis: sicuti ab austeris tum minus, tum austerum quoque expectandum alimentum fuerit. Præcipua illa Passarum, præsertim verò dulcium, aut pauxillum omnino quid de austeritate referentium, commēdatio; præter alui subductionem, & demēdi ventriculo morsûs sensum, humorumque malitiam contemperandi, hosque ipsos crudiores concoquendi; vt vesicæ, ac renibus pręterea conferant, intestinorumque dolores sedent, nec sanè non pectori, pulmonique accommodæ, vt tussim sæpe mitigent: ventriculo amicæ: Iocinori autem vsque adeò propitiæ, vt conuenientissima illius alimonia censeantur, ex quo substantiæ totius affinitate quadam, quam obtinent, ali maximè viscus id tradiderint Græcæ Scholæ coryphæi: etiam pinguius inde idem reddi addiderint Mauritanorum quidam, vt pinguitudinem intelligeremus in iecinore, quum insignem quādam alimoniæ ex hoc vim senserit. Itaque cōmuni omnium eorum, qui nobis de medicamentorum compositionibus libros reliquerunt, cōsensu, receptas in antidotos Passas legimus, ad iecoris intemperies frigidas: vnde eadē operra, (quo præstabilius nihil cēsendum, quora, quidē assequi nobis id liceat) & ementies quidē intemperies, & insigniter ali pars posset. Nomenque ideo dedisse videmus nobilissimo medicamento Cyphoidi, vt officinis iam Ellectarium de Passulis esset. Pręferendæ, quibus cum dulcedine pinguiusculi aliquid insit, & acini callo molliore, eoque enucleato, deiectionem quidē alui expectantibus. nam cum nucleis, plusculū omnino roboris adferent ventriculo, nucleis exemptis. Quæ hodie ad nos importentur,

tentur, Corinthiacas habemus: maceratæ aqua turgent: eędem vinum quoque imbibent, frigidiori ventriculo vtiles, insitæ Passis dulcioribus caliditati modicæ, vini quadatenus quoque addita. Non perinde referre arbitrantur, quo colore spectetur, aut qua magnitudine. Potissimas nanque differentias in his, vt alibi quoque ferè, sibi vendicauit sapor: tum magis minúsve callosa substantia; tum præsens adhuc exemptúsve nucleus.

Discrimine, quo diximus, vincebantur à ficubus Vuę, quod antea attulimus, in eo, quòd paulò diutiùs moratæ noxæ satis inferrent ventriculo: nunc Passæ, vincent. nulla enim ex his offensa ventriculo, vsusque semper; ac iuuamentum, quàm ex ficubus, maius: maior simul, quàm ex Vuis, nutrimenti copia Passis. Periculum rei huius æquum fiet, si æquas Vuarum, Passarumque, exemptis nucleis, pinguium dulciúmque, diuerso tempore portiones edat aliquis, plus omnino ex Passis sensurus, quàm ex Vuis, nutrimenti: abstergendi tamen potentia, ficubus; subducendæ autem alui facultate, tum his, tum Vuis etiam ipsis, cesserint.

Nucum, Auellanarum, Amygdalarum, Pistachiorum, Pinearum, ad alendum facultates, vsusq; alij complures.

CAP. XV.

NVcũ appellatione, fructus intelligi arborum debere, qui duriore tegumento operiũtur, suprà memorauimus: hoc tamen sibi intereà nomen, tam multis cõmune, desumpsêre priuatim, quas aliter quoque Iuglandes, tum Regias, tum Persicas etiam nuces vocant; Græci κάρυα, expresso partis significato, cui maximè infensæ esse credũtur, capitis. nam Latini Nuces sic in vniuersum, quòd noceant, id quod verius est. ex his nanq; non soli capiti plerunque offensa, sed spiritalibus prætereà partibus accesserit, ac ventriculo, biliosioris præsertim temperamenti. Calidæ nanque omnino & siccæ sunt: ideo & iuuenibus inprimis damnatæ, & æstate: senibus contrà, ac hyemis tempore cõmendabiles, quumque prætereà frigidioris naturæ cibis vesci contigerit. Nullus certè nescit, quando id iam vsus obtinuit, quasi ex præcepto, esum piscium finiri nucibus debere, tametsi à multis intereà ignoretur ratio: quæ nihil aliud est, quàm frigoris humorisque nimij, ex piscibus, aut id genus alioqui esculẽtis, excalefaciendi atque exsiccandi facultate castigatio. Id videlicet egregiè præstiterint media sui ætate Nuces. nam recentes, donec cuticula, quæ nucleum primum vestit, facilè detracta discedit, humiditatis plus satis obtinent, nec caloris tamen, vt hoc præstent, satis. Vetustiores autem oleagineo quodam succo replentur rancidiore, qui vehementer sæpe linguam vellicat, excitatisque pustulis dolorem infert. Tunc neque edibiles sunt, & ciere vomitum possunt, ac perquàm facilè in bilem vertuntur: à quo longiùs recentiores absunt, humoris præsentia, cuius quoque beneficio emollire nonnunquam aluum consueuerint esitatæ, si tamen cibos alios præeant: Paulò deinde progressæ, hunc ipsum amittunt, adstringendique, quanquam subobscuram, facultatem induunt, quam rursus tempore euanescentem, assumpto sapore, quem diximus, pinguitudinis rancidæ, deponunt. Sunt inter Mauritanos, qui resolutionem linguæ inducere Nucum esum scriptum nobis reliquerint: atque ex iisdem alij, qui ascarides, aliásque intestinorum inde tineas detrahi. Sitim Nucibus, inculpatæ quanuis ætatis, generari, augerique haud dubium, magisque in calidiore ventriculo; tum fumidos, dolorificósque vapores ex biliosa materia in caput trãsmitti, & oculis caligĩe inferri. Non est tacenda hoc loco potissima earum, multorum iam clarissimorúmque Authorum testimonijs confirmata, commendatio, lethalibus medicamentis omnibus repugnandi, si cum caricis, & ruta pręsumantur. Qua planè non minùs dote securitatem nobis de piscium quoq; esu polliceantur, quorum corruptelam in ventriculo tantæ esse malitiæ scimus, vt meritò cum venenis deputatam apud celebratissimos Scriptores legamus, adscripto sanè ex Nucibus remedio pro antidoto. Mos fuit multis cum melle edisse, opinor ad deiectionem faciliorem, quumque siccandi viribus additam abstergendi quoque facultatem cuperent. Ex Nucibus alimentũ corpori nec multum sanè, &, quàm ex Auellanis, minus, laxiusque: faciliùs tamen hæ, quàm illæ, concoquentur, hanc eandem ob laxitatem, qualem quidem substantiam promptiùs conficere ventriculi facultas possit. Si quis aridis vti nollet, aut ex vsu sibi esse non animaduerterit, is, calida biduum ferè maceratas, facilè tenui tunica illa, qua teguntur nuclei, exuet, & pro recentibus vtetur, eodẽ penitus propè non solùm sapore, sed facultatibus, & vsibus: quod multis alijs non contingit, vt nec Amygdalis; quæ, detracta quanuis eodem pacto tunica, ob soliditatẽ tamen substantiæ recentiorum succum nõ recipient. Nucibus, in maceratione ea, putaminum tanquam

quam valuulæ recludendæ parum, nō auferendæ prorsus, vt hient tantùm. Eo pacto humescētibus membranis priùs omnibus, & inuolucris, humorem faciliùs sentient nuclei, & vsui erunt. Ex his delicatiores suum sibi cōcinnant Alliatum, nescio an vsum, in quem paratur, expleturum. Etenim quemadmodū cepæ, ita allij quoque vim noxiam, additis Nucibus repressam leniri, persuaserunt sibi: idipsum aridas Nuces meliùs præstituras crediderim, succi quippe noxij exiccatione maiore.

Ponticas nuces, scimus, quæ Auellanæ sunt, reliquas alimoniæ copia superare, vnaque difficiliùs confici. Harum paulò liberaliore esu, bilis vim ęruginosæ in ventriculo genitam, eandemque vomitu reiectam nō semel compertum habeo, vt ideo calidioris has habendas esse naturæ ne dubitemus, sicciorisque, præsertim syluestres. Itaque, quod quidem huc spectat, idem de his existimandum, quod de Regijs nucibus esse censeo, vt non multùm sanè intersit: exploratæ tamen magis facultatis intereà habeamus semper Regias, dotibus suis illis, crebriore certioreq; vsu iam receptis, spectandas.

Sequūtur Amygdalæ, nobilitate, quod fatendum sit, atque vsu iam apud omnes præferendæ, non solùm ad vsum medicum, qui multo maximus ex his capitur, olei pręsertim expressione ad cruciatus colicos, renumque affectus, & innumera ferè alia, lacteóq; sæpe emulso succo; (nec dum de amaris loquor) verùm etiam iuuando sanitatis totius negotio. Latini, Græcum nuci nomen fecêre: nam Gręcis ipsis Amygdala est, sic dicta, quòd delibrata, instar scarificatus, incisuras quasdam ostendat, quæ ἀμυχαὶ sunt. Nutriendi vis nondum satis tum (quod credam) Galeno comperta, qui quidem exiguam illam faciat: nos hodie multam quotidie experimur, tam multis ex Amygdalis ferculis, tam opiparis, & modò in iusculorum liquamenta contusis, modò compressis in succum, modò minutiùs concisis ad intinctus, modò sorbitiunculis inde paratis; sæpe verò obsonia, lancésque multas gemmeo quodam nitore, ac gratia distinguentibus integris, ijsdémque aliâs confractu priùs multo eliquatis fercula, dapésque varias veluti occulentibus; nunc totæ conficiendo celebri iam lautioris culinæ Leucophago cessuræ, nunc confecturæ bellaria multorum generum: ac quæsito intereà semper ex omnibus, atque etiam (quod vsu iam comprobatum tenemus) acquisito iusto corporibus alimento, at ex parte medicato, quod non negamus; non sic tamen, vt caliditate immodica, aut frigore, aut siccitate, aut humore damnare possimus. Attenuandi quidem, & detergendi vi pollent: quæ partium potiùs tenuitatis, moderata sæpe caliditate contentæ munera sunt, vti hoc ipsum alimento bonitatem potiùs addat distribuendo per corpus, nec vsquam facilè in vijs hæsuro; contráque, si quid viscidioris offenderit, detersuro, vt meatus omnes expediat, qui plerunque infarcti distributionem morantur, quo minùs diduci in ambitum totius, enutriendis partibus, alimētum queat. Hinc sanè emaciatos iuuandi, & obesitatis addendæ video facultatem illis tributam ab Authoribus, non solùm ob alimentum, quod de suo exhibent non contemnendum, sed quòd alieno quoque viam præstruant deferendo in partes. Iam leni quoque placidóque ad cerebrum, cuius quoque ipsius substantiam augent, appulsu somnū conciliant suauem inprimis, oculis claritatem addunt; & quum facilè venas, meatusque omnes peruadant, extremis tamen potissimùm venarum osculis impactos paulò tenaciùs succos detergent. atque, vt difficiliùs, quàm Nuces, conficiantur in ventriculo; alimentum tamen largiuntur permanens satis, succique probi, ex quo sperari impinguatio, vt diximus, possit, seminææque materiæ non parum, exercendis Veneris operibus meliùs. Nondum delibratæ si edantur, maiore quadam abstergendi vi dement ventriculo, quidquid aut nimij, aut viscidi humoris adhæserit: ideo parti huic Nucibus ipsis longè commodiores. Cæterùm delibratas promptiùs omnino confecerit ventriculus: citiùs descenderint, si mel adhibueris, aut saccharum, aut etiam hoc ipso incrustatis ciborum initio vtare. Rancorem tamen vetustate hę quoque sentiunt, longiore quanuis multo, quàm Nuces, temporis mora. Ex recentibus, dealbatisque melior etiamnum succus speratur, quem lacteum prorsus ita emittunt, leniendo gutturi, vrinæque difficultati accommodum, quam ipsam quoque vi sæpe sua eliciant. Pinguitudinem in his si quis nocuam credet, & iccirco demptam volet, facilè id torrefactione assequetur: intereà tamen improbati magis succi faciet, bilem nimirum suggerentis in corpore. Atque is sanè dulcium vsus, sanis totus propè, vt videre est, dicatus.

Nam amararum in Curatrice Medicinæ parte potior. Ebrietatem nihilominùs, quod de Salubribus tractationi non inconueniat, arcere, eius diei, existimatæ semper sunt quinis, senisve nō plures præsumptæ. Cuius planè rei causam anxiè quæsitam eruditioribus quibusdam video. Opinari libet, siccantissimam esse ex

amaritudine vim in causa, sed in re, quæ edendo fit. Nam amariora alia pleraque, quæ meliùs præstare idem fortè possent, edi commodè tamẽ non possunt; aut certè non æquè, vtpote ab alendi natura maximè aliena, in venas vi sua diducuntur, absorbendæ exugendæque vaporosæ inibi humiditati; id quod Amygdalæ vtique præstent, cum amarore suo sub alimenti specie ab attractrice facultate correptæ. Cùm igitur humores ita, vaporesque, quorum plenitudine temulentia constat, exiccauerint; tum partium tenuitate, & adaperiendi facultate, atque obuia quæque dissecandi, expediendique insigni, viam ijsdem molitæ, aliò bonam partem auerterint, vt aut in membra ferantur, aut delabantur in intestina, potissimùm verò per lotij vesicæque vias foras mittantur, aut non minùs occultæ transpirationis beneficio ex parte diflentur: valde verisimile fit, absumpta hoc pacto multo maxima materiæ, quæ temulentiam facere poterat, copia, non magnopere fieri temulentum posse, qui se ita aduersus illam muniuerit.

Eadem dote præditam esse Brassicam legimus, & quidem eandem, vt existimo, ob facultatem, nempe exiccandi. Sed in hac præterea est, quod partim abditæ nescio quid ex tota substantia prodeuntis potentiæ causemur, proptereà quòd, quum manifestò viti, si iuxtà seratur, infestam esse brassicam, compertum sit, vt de bonitate viribusque demat; existimari minimè absurdum debeat, eodem in corpus delatam vitis quoque ipsius soboli vino aduersari inprimis posse. Id prætereà causæ si transferre in Amygdalas quoque libeat, vt latenter, & peculiari quadam dote resistere malo huic credamus, nihil, vt arbitror, rationis erit, quamobrem facere commodè non possimus.

Falsos fuisse, qui Pistachijs refrigerandi vim tribuerunt, sapor indicat subamarus, & aroma aliquatenus referens; tum deobstruendi facultas, renesque ac vesicam repurgandi; pulmones, partesque eas, quibus spiritum ducimus, humorum expectoratione iuuandi: neque tamen calefaciendi, siccandique potestatem maiorẽ, quàm Nucibus, concesserimus; quod veterum quidam fecerunt: eorum sententiæ stabimus, qui in modico hæc ad calidum & siccum recessu constituerunt. Amaritudini quippe temperatæ coniuncta adstringendi quoque facultas est itidem temperata, quæ non magnum esse ad calidum discessum sinat: vt proptereà non immeritò (quoniam ambæ eæ facultates quoties in vnum conueniunt, magno esse vsui semper videmus) tanta commẽdatione dignemur; simul deobstructos, iocineris verò præsertim, meatus, viasque omnes expediendi facultate donemus; simul his ijsdem partibus, humore aliquando nimio difluentibus, robore suo firmandis, redolente aroma vi exuctis humiditatibus, non paruo esse commodo sciamus. Idem ex his iuuamenti pectoris quoque partes sentient.

Ventriculo aduersarentur'ne, an suffragarentur potiùs, ingenuè testatus est Galenus nondum sibi compertum. At sequutæ ętates Arabum obseruatione vires agnouère, nauseabundo, subuersoque ventriculo succurrendi, huiusque ipsius potissimùm quidem ori firmando, cæterùm emolliendæ supprimendæ've alui virium neutra in parte. Pollere aduersum venena, consensus multorum est, vt Nuces, vt Auellanas. Ali inde corpus benè satis, certũ iam, receptis tantùm non ad omnia cum Amygdalis, & nucibus Pineis, alijsq; nonnullis, quibus pinguescentiam molimur corpori; siue ob alendi potestatem non exiguam, (exiguam quanuis fecerint Scriptorum plurimi, nondum sibi fortasse satis de hoc explorato) siue ex tam certè iecori propitijs, vbi parandæ, corpori deinde toti, alimoniæ sedes, ac domicilium, focusque ac fomes est, id fiat; ideoque appositas, auxiliaresque fouendæ semper sustinendæque sanguificatrici facultati vires, benè alendorum corporum causam, subministrent. Atq; ita ex sanguinis prouentu multi, nutrimenti feliciter sanguificati copia egregiè quum fruãtur corporis partes, sic alimentum quoque insignitè sentient, atque ijsdem his Pistachijs genituram augeri, non desunt, qui nobis spondeant.

Non dissimilis Pinearum nucum vsus viresque, alimenti etiam consensu omnium multo plus, neque improbati tamen. Sed concoctu paulò magis contumaces, valentem ventriculum exigunt, vt exquisitè confectæ priùs, valenter deinde nutriant. non enim dubium, quin durans, neque admodum distabile alimentum præbeant, partium suarum crassitie, quibus constant. Resinosus sapor, qui in fructu quoque ex arbore remanet, aliquid addere detersoriæ facultatis potest, vt cum alimento vnà medicatas quoque secum per corpus vires deuehat. Hinc creber, receptusque passim ad omnia asperæ arteriæ, pectorisque ac pulmonum ferè vitia, nec sanè minùs expurgandis renum & vesicę vijs omnibus, illarum vsus: sic quidem, vt mira quadam virtute humorum redundantiam detersam auferant, suamque partibus addant, & natiuam adaugeant facultatem, qua enutritæ firmitatem sentire, ac genitalem

lem vim assumere, addita simul geniturae copia, possint. Eisdem viribus, computrescentes in corpore humores tollent, laxasque corporis partes solidabunt, & fluxas adstringent; etiam trementes firmabũt cùm resinosae facultatis viribus, tum caloris siccitatisque temperamento, quo donatae à natura fuere. Sed haec partim ad Therapeuticen, partim ad Tuendae sanitatis rationem pertinent. Morsionis tamen sensum vellicantis stomachus accipiet. Quod ne fiat, madescent priùs calida: sed & frigida saepe deponent noxam, si aliquandiu in ea maduerint. Neque hae effugere potuerunt ranciditatis vitium, quam tamen seriùs quàm alia multo incurrunt.

Sunt Authores, qui nuces, genus omne, quoquo modo torrendas priùs ad vsum iubeant: sic enim absumpto humore nimio, eoque saepe nocuo, vsum meliùs proferre suum retorridas. Excipiunt ab hoc Amygdalas, quibus nulla adhibita praeparatione vesci quocunq; modo detur. Nos ex tostis non ibimus inficias, vsum capi nõnunquam meliorem posse, ad quaedam: alimenti tamen multum detrahi, & malitię praetereà non nihil addi credemus, tum commoda alia amitti, ad quae paulò magis succulentis opus habemus.

De Castanearum, ad alimenti vsum, differentijs, ex coctura potissimùm ductis: & de Glandium hodiéque apud gentes quasdam esu.

CAPVT XVI.



Astaneas postremò tractandas sumpsimus, quae esse omnium primę debuerant, alimenti humanę naturę primitus exhibiti recordatione: glandes enim sunt. Sed quum de pomis primùm, deinde de nucibus agendum esse videretur, quas primas intelligimus, quibus supra nuclei tenuem ac membranosam tunicam lignosus cortex pro tegumento est, & ex disrupto putamen: veluti primam in his classem cunctis his attribuimus, glandibus secundam adscripturi. Quas inter Castaneę primum locum occuparunt, nucum quidem nomine, & quidem Iuglandium, ipsae quoque nuncupatae, quod glandibus caeteris non contigit. Nam & Poëta Castaneas nuces protulit, & Scriptores de his Iuglandes ferè vocant: Gręci quidem saepe διὸς βαλάνους: nostri pariter nonnunquam Iuglandes, eadem significatione, voceque, quàm nucibus, accommodatiore, quibus quidem cum glandibus nihil simile: eaedem Sardianae Graecis aliquibus authoribus dictae. Reliquas glãdes, Iuglandes appellatas Scriptorum alicui legisse non memini, ceu hae solae Iouis nobis glandes habẽdae essent. Operimento teguntur omnes coriaceo, callosoque, lento ac flexili, post tunicam, quae illis pro interula est, & pertinaciter nucleo adhaerescit, nec, nisi tostis, elixisve, aut aliquo pacto siccaneis, deglubi digitorum tantùm ope potest. Castaneae etiam erinaceis suis, echinisque muniuntur aduersus animalium iniuriam, maturitatem ante: maturescentes enim hiscent intantum, vt hiatu eo erinaceorum inuolucris sponte sua euoluantur saepe.

Prima laus Maronibus: sic enim vbique iam vocãt, magnitudine & sapiditate praecellentes: reliquae propè degeneres, insitione tamen, quanquam aegrè, magnitudinem sumũt, & bonitatem. Coctura diuersa, torrentur, elixanturque: ac redduntur vtraque ratione molles, elixatu tamen magis. Quas torrere voles, eae vulnerandae priùs, vt flatulẽtiae exitus pateat: aliter inclusus spiritus, ignis impatiens, dum erumpere tentat, tormenti propè in modum displosas attollet, & proxima saepe feriet. mandantur cineribus calidis, & occuluntur. Alia torrefaciendi, seu frigendi potiùs ratio in sartagine, subtus foraminulentijs multis flãmam excipiente. sic tostae frictae've minùs respondere existimantur, quasi ignis vi confertim nimis ingruente, nec peruadente totas, fumidaque ita materia concepta: cineribus mollitudinem meliùs acquiri, veluti maceratione quadam per totum domitis, ac seposita eo pacto flatuositate omni, existimant: proxima laus elixis.

Crudis quoque vesci multos videmus. inuitat quippe dulcedo gustatu nõ insuauis: sed robusti, valentiorisque ventriculi qui fuerint, hoc facient. hunc enim valentem requirunt, vt benè confectae, deinde valenter quoque nutriant. Succum gignunt probum, alibilem, multum, si tantùm benè concoquantur: concoctioni nanque, quod diximus, aduersantur, substantiae crassitie. Moratur insuper alimentum progressu per corpus tardiore, sed alimoniam largitur durabilem, infarctibus tantùm, si nimia fuerit, obnoxiam: vti iam primores humanae naturae ortus nostrae, Latinorumq; Aborigenes, & Gręcorum Arcades, hac esca vitam tolerãsse, ante repertas fruges, credere nobis liceat, simul caeterarum etiam Glandium vsu.

Neque enim hac quoque tempestate de-

esse gentes audio, vt in Hispanijs alicubi apud Cantabros, vbi Quercalium glandium, quæ plurimæ, maximæq; ibi proueniunt, (qualis apud nos Castanearum) sæpe vsus vigeat. Harum tamen, Glandium dico, haud obscurè austera, adstringensque magis, quàm Castanearum, natura: frigiditate verò non multùm infra mediocritatem, sed tepidiore illa, qualem sæpe ostendit nobis Galenus, vix temperamentum egressam: vti, qui frigidas nobis Castaneas fecêre ex Arabibus, quas gustu longè magis dulces, minusque adeò adstringentes deprehendimus, eorum hîc authoritatem repudiemus: neque tamen aliorum intereà recipiamus, qui calidas recessu primo statuunt; vt ex eadem Schola nonnulli, meliùs temperatas, aut vix ad calidum de temperamento iusto progressas. Eodemque modo humidum inter & siccum, cum eiusdem familiæ alio, statuemus. Flatuositate damnantur, quam coctura abijciunt, & assatione sub cineribus, quàm elixatione, magis. nam crudæ quin flatulentæ inprimis iudicandæ sint, & concoctioni aduersæ magis, nemini esse dubium debet. Hinc colicis cruciatibus materiam præbent ex flatuositate, & caput dolore sæpe tentant, emissis fumidis eò flatibus: tum viscerum, meatuumque aliorum infarctus sequentur facilè esu nimio, vel quoquo modo coctarum, nedum crudis impunè vesci licere ineptè persuadeamus nobis. Incoctæ vino Castaneæ dulcedinem accipiunt duratione quadam perenni, sed assari ampliùs ineptæ duritia nimia: elixantur tantùm.

Molitura ex Castaneis in magnum iam alicubi vsum recepta: implentur arcæ, doliáve capacissima farinæ inculcatione maxima, atque arctissima: tum inducitur miliaceæ farinæ incrustatione superficies digitorum quatuor crassitudine. Eo farinæ genere longissimi temporis obsidionem (etenim diuturnitate reliquas omnes superare creditur) toleratam esse narrant. Rusticis hyeme panificium ex molitis Castaneis sæpe, sed miscellum, non ex solis: secalis plurimum, paniciq; interdum, aut milij, Castanearum accipiet farinam portionibus quas voluerint. His panibus rura duriter, sed familias tamen suas hyeme plerunque tota sustentant.

IVLII



IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VNDECIMVS.

De alimentorum diuersis viribus: quantum intersit, diligenter has quocunque in statu obseruâsse, Sanorum, ægrorum, neutrorum. Et de animalium alimenti præstantia in hoc: & de optimi alimenti conditionibus, cuius exemplum statuitur in Suilla.

CAPVT I.



PLantas, fruges, fructusque reliquos persequuti, alimenta deinceps trademus ex animalibus petita; quæ Tractationis huiusce pars reliqua, eadem ac potissima. Etenim, paucissimis quibusdam exceptis frugibus, vnaque inter olera Lactuca, & ex arborum fructibus Castaneis, succi omnia propè vitiosi, aut medicabilis potius, quàm alibilis sunt: nonnulla porrò tam aduersantis nobis naturæ, vt humorem ingesta emittant peruitiosum semper; interdum etiam venenosum, & perinde lethalem, affecto ita sæpe corde, vt insigniter laborantis in arteriarum pulsibus signa appareant, & modò durities tangentibus manifestetur, frigefactis inde arterijs, ac penè gelu duratis; modò stomacho, ventriculoque (Stomachum ventriculi tantùm os intelligo) horum esu humefactis nimiùm, laxisque, ac difluentibus, amissaque appetendi, ac concoquendi vi, dissolutione roboris ea: & vt incommoda omnia euitentur; paucitas tamen alimenti damno semper erit, destitutis ita nutrimento iusto suo corporibus, cum nôn contemnenda sæpe vitæ totius iactura. Scitum iam illud (Epidem. vj.) ab Hippocrate, Τὰ ἀσθενέστερα σιτία ὀλιγοχρονίαν βιωτὴν ἔχει. Quos porrò imbecilles cibos dicamus, nisi vnde alimentum corpori paucum, non habebimus. Nam si plurimum nos nutriunt, (vt certè nutriunt) quæ valenter, & diu alunt: parum nutriant necesse est, quæ imbecilliter, & breui. Diuersa omnia in animalibus, Terrestrium, Aquatilium, eorum, quæ volatu fidunt, genere vniuerso: plurimum in omnibus ferme alimenti, si cum superioribus conferatur, & diuturnum; vitij medicatæque rei minimum: quod rerum inprimis conuenientia faciat, idemque ferè temperamentum aliti, alentisque; materia certè eadem sanguinis in vniuersum, aut rei proportione semper sanguineæ naturæ respõdentis.

Quantum autem referat, in omni Salubris artis parte, (mitto enim hoc loco Curatricem, in qua non postremus sæpenumero rei quoque huius animaduertitur vsus) cibatus rationem habuisse, atque obseruâsse, deligendi, cauendi, ac prouidendi, prout necessum visum fuerit, humoris huius, aut huius generationi, vel extinctioni; pro Medico, legitimo quidem ac vero, non habebimus, qui se nescire fateatur. Nisi fortè Erasistratei derepentè quidam facti, non valde referre arbitrabimur, de humorum in corporibus generatione tractâsse; aut minimè solicitos esse oportere credamus, quibus vescamur cibis: rursus Asclepiadei, quoniam nulla omnino sit humorum redundantia, quæ euacuari, aut malitia, quæ repurgari postulet, sed purgantia solùm medicamenta hanc faciant: ac non tantùm non quotidie, imò singulis propè horarum omnium momentis, videre manifestò sit, cùm in benè se ac salubriter habentibus, quantum intersit vitâsse, quibus de statu illo suo deijciatur, alimenta; tum, si qui sibijpsis displicent, quos δυσαρεστοῦντας Græci vocant, & iam iam incursuri morbi aliquid, succi alicuius vitio, sint, huic ipsi veluti infringendo adhibuisse cibos, partim reprimendæ qualitati, partim substantiæ toti attemperandæ idoneos, nec minùs sanè subtractione eorum, quæ illum ipsum adaugere solita esse obseruârimus, imminuisse; tum verò in his, qui se à morbo recolligunt, aptissima delegisse.

Nutrimenti diximus rationem, substantiæ totius propriæ, ac familiaris, ratione constare. Ea familiaritas nusquam alibi, quàm in animalium genere, intelligitur maior, materiæ propinquitate, vnde alimentum

mentum corpori prouenire debeat, longè ſemper hîc, quàm in ſtirpium, aut quicquid ex ſtirpibus exit, genere, maius. Quippe ex carne hîc alimentum nobis, quæ ſanguinem materiam habet; nec multa ad alendum nos tranſmutatione indiget, nec naturæ noſtræ valde laborioſa. Etenim ſimile oportere eſſe alimentum alendo corpori, edocti ſumus, ſubſtantia ſua, quæ temperamentum illius eſt, ex parte licèt repugnet. Quæ quo minor ſemper repugnantiæ pars inuenta in re fuerit, ac ſimilitudinis plus; eo minor quoque in conficienda ventriculo laboris accedet, & alimenti ſemper vnà plus elicietur, excrementorum autem minus redundabit.

Iam intra temperamenti iuſti metas demonſtrata fuit conſiſtere natura humana: aut, ſi malimus, caloris humorisque, ſed æquabilis prorſus, quique ad frigida ac ſicca corpora potiùs calor humorque dicatur, participem facere poſſumus. Ad hanc naturam, ſi alimentum appoſitum quærimus, calidum itidem atque humidum ſit, oportet; ſed æquatum moderatumque, minimè qualitatibus hiſce exuperans, nimeque vitioſi ſucci. non enim intemperie magna vlla notari debet, aut malitia, quæ vitium facit; ac longè minùs extranea aliqua, atque abhorrenti prorſus à noſtra, qualitate veluti infici: qualis in fructibus ſæpe multa, venenoſæ potentiæ particeps, reperitur. Idem tenuem inter & craſſam ſubſtãtiam medium fuerit, ſi nec hac quidem improbari in parte debeat: glutinoſi tamen neſcio quid continebit, ſed non ſupra ventriculi noſtri vires, ne quid ad concoquendum rebelle ſe præbeat, vt non ſolùm bonum, ſed etiam glutinoſitate ea perdurans, perſtansq; alimentum fiat. His conditionibus ſi inuẽtum fuerit, iuſti alimenti numeros omnes impleuerit.

Hæc eſt ſuilla caro, & ex alio genere triticum, tum fortè caſtaneæ quoque. Sed hæ flatuoſitate nimia damnandæ: triticum iiſdem, quibus Suilla, ad alendũ commoditatibus deputatum, idque Athletarum obſeruatione, qui prandium Suilla, cœnam pane abſoluere ſoliti eſſent: maior tamen tritici, hac quidem in parte, commendatio apud multos, non quidem ob temperamenti aut ſubſtantiæ propriæ rationem, quum & temperamento paulò calidius ſit, & benè viſcida ſubſtantia conſtet, humidique ad hæc non parum obtineat: ſed quòd, multæ ſemper operæ panificium quum ſit, quo plus in eo ponitur laboris, eo magis de alieno creſcere ad cõmendationem ſui videtur: molitura primùm, præeunte tamen aſſeruatione diligenti, ne corrumpatur, neceſſaria eſt: tum ſubigendi diuerſus modus, miſcendique aquam, fermẽtum, ſalem: tum cautio poſt ſubactionem, ne citò nimis, aut tardiùs coctũram ſubeat: tum in coquẽdo, furno ne id, clibano, aut cineribus fiat, & huiuſmodi; quæ omnia multum ſemper tritico ſicut vitij adimunt, ita bonitatis addunt. Siquidem humiditatis ſi quid ineſt, aut aëroſitatis, coctura abſumptum, euaporatumque diſcedit: fermento dirimitur glutinoſitas, fortaſſe nimia: ſale tum hæc omnia quoquo modo iuuantur, tum adſtringentis prætereà neſcio quid accedit, quo roborentur partes, vt iam per ſe nihil futurum triticum ſit ſine his. Itaque ſimpliciter ſic grano tãtùm ſuo elixum quanuis, ignisque vim paſſum, noxium tamen experimur, expertumque ſe fuiſſe teſtatus eſt Galenus aliquando: & in Indica planta Hiuca, quę illis pro tritico eſt, tum ex qua gentibus illis panificiũ, ſuccus noxius detrahitur artificio: reliqua pars molitur in farinæ panisque vſum. In Suilla nihil tale, ac præter cocturam, quæ aſſatione, aut elixatione perficitur, nihil. Quippe frugibus, tanquam plantarum partibus, & longiùs à temperamento noſtro poſitis, atque ad naturam animalium inchoatis tantùm, antequàm panificium iuſtum fiat, vnde ali commodè poſſimus, multa demenda ſunt; introducenda multa, ac propè alia facienda. Carnis temperamentum proximè hominis temperamento eſt, & Suillæ maximè, vt nõ multæ ſanè operæ ope opus ſit, qua rurſus ſanguis fiat alendis nobis: carnem nempe caro gignit, vel vulgi ſententia trita iam ac vulgata. Nec ſolùm hoc: verùm etiam pars partem ſæpe, eadem hac affinitate, iuuat: vt renes, exempli cauſa, renibus non modò nutrimentum addant, ſed etiam affectis adiumento ſint, & ſanos roborent: ſic iecori iecur auxilietur, & ventriculus ventriculo, ac reliquis partes omnes reliquæ, propria quadam ſubſtantiæ totius dote, qua cùm alantur partes, tum penitiſſimæ alitæ robore ſemper ſuo firmentur magis: tanta eſt carnis cum carne affinitas, conuenientia tanta.

Contra opinantes, melioris ſucci crudas carnes habendas eſſe. Pauciſſima reperiri, quæ mandi cruda debeant, & ea, ſi non igni, at, niſi quoquo modo tandem correcta, nunquam ferè: nanque vt quæque alimentoſa magis, ita plus ſemper operæ in præparatione requirere videntur.

CA-

CAPVT II.



QVòd si nostræ temporis Eruditos quosdam audierimus, crudas quoque vorabimus: meliùs nos, aiunt, ac valentiùs ita nutrituras. Sic quidem nullius prorsus præparationis indigebunt, vt conueniens homini nutrimentum fiant: quod tamen falsissimum esse arbitror. Mitto seculis iam omnibus (non enim contrarium legimus) elegantiorum gentium consuetudinem in hoc, quæ quum in alijs omnibus, bonorum, rectéque sentientium consensus sit; non minùs planè hîc ex humanioribus gentibus, non ferinis, ducenda, petendáque est. Porrò quas vnquam gentes, præter omnino paucas, & illas ferinas, crudis carnibus vesci solitas esse, aut legimus vsquam, aut hodie scimus? Quis reperietur inter cultiores, politiorésque nationes, tam vnquam Polyphemus, qui hoc sequatur? Dictata nempe naturæ sequimur, qui rationes ignoramus. Ea nobis ab initio (quoniam initio nobiscum natum ignis semper vsum fuisse opinor) indidit considerationem, vt, quemadmodum frigoris iniuriam hoc ipso depellere nobis liceret; ita animaduersa Elementi efficacia, ad multos alios vsus adhiberemus. Quumque crudas carnes natura abhorrens aspernaretur, nec fortè gustatæ responderent, humiditate nimia, ac duritie; vel etiam omnium primùm crudis vsi, ferre diutiùs eiusmodi esum non potuerint, ac successum negaret experientia: auxilium alicunde petiuêre, idque ab igne, cui tantum inesse actionis viderent. Puerilem mehercle ætatem ipsam, non multæ adhuc rationis, ausim credere, rudemque, atque agrestem aliquem, appositas sibi crudas carnes, nunquam antea animaduerso ab alijs hoc, non esurum primò; deinde quum mandere tentauerit, nec conficere dentibus possit, aut palatum, osque totum aduersam sibi ex humore cruditatē quandam senserit, remedium aliquo modo petiturum ab igne. Dirū hominum genus Cannibales, nostri temporis, sed cœli tamen illius tantùm, ἀνθρωποφάγοι, tam barbari, tam feri, humanas carnes aut torrent, aut elixant: coquunt certè semper: non vescuntur crudis. Nos vescemur, meliore videlicet ventriculo, & viribus ad conficiendum crudiorē cibum maioribus? Scythæ, efferi maximè homines, calorisque innati plurimi, quo & regionis suæ ingentia frigora euincunt, & durissima sæpe cibaria conficiunt, & cruda multa alia deuorant, concoquuntque deuorata; carnes tamen, quas edendas proponunt, quum igne non possunt, sub equi ephippijs circunferre, ac tantisper calore atque agitatione ea macerare quoquo modo dicuntur, donec coquantur, vel cruditatem ad edendum, quod satis sit, deponant: vsque adeò etiam bestialibus, sed naturæ ductum quendam sequutis, cocturæ carnium modus semper animaduersus aliquis, inuentúsque est: vt iam fictum esse existimem de Crudiuoris gentibus. Et si quæ tamen vel antea fuêre, vel nunc sunt; duci inde, quod diximus, argumenta ad rem hanc nulla prorsus meritò debeant. Facti autem ratio ea: Dulcia esse oportet, quibus alamur. τὸ γὰρ πικρὸν ἄπαν ἄβρωτον, vt existimauit Galenus. Dulcia sic accipio, non mellei quidem, aut saccharei semper saporis, sed quæ proportione quadam temperamento nostro respondeant, dulci existimato; cuiusmodi dulce intelligimus, quod temperamenti mediocritate consistit. Eiusmodi animalium multorum caro fuerit, quam si apponere nostræ liceret, vt in deperditæ succedere locum posset, nullo alio negotio vna prorsus eadémque facta, qui nutritionis totius finis est, optabile id (siquidem hoc vnum spectaremus) foret. Nunc, quum sanguis omnino primùm faciendus sit, vt nutrimentum ex eo corporibus accedat, in carnis naturam transmutato; spiritúsque prætereà procreentur diuersi, tam vitæ humanæ necessarij, animæque instrumentum, qui nòn aliunde, quàm ex sanguine, meliùs, copiosiusque generari queant: maximo quodam summi Opificis consilio instituta nutritionis œconomia fuit, vt alimentum appeteremus primò, qua parte conueniens nobis est, idque rude quidem atque inchoatum tantùm inderetur ventriculo, quibusdam tamen priùs circuncisis, concoctioni, quam ventriculus peragat, obstaturis: tum deinde confectum ita iecur exciperet ad sangiuficandum, generandusque inde spiritus: postremò arriperent partes ad se alendum: semper autem in actione omni particula aliqua deperiret superuacanea, vt vndequaque caloris nostri, nobisque insiti, tanquam ignis opera obrizum aurum, elaboratum transire in alendæ tandem partis substantiam purum putúmque posset. Sic enim cogitandum, quum necessaria esset nutriendi

endi dispensatio hæc, alibilem partem nunquam per se inueniri solam potuisse, nullo additamento alio; & modò coniunctam cum his esse, quæ penitus naturæ nostræ inimicentur, & venenosa sint, vt de Hyuca diximus; modò primarum qualitatum, aut secundarum quoque interdum, consociatam alicui reperiri; modò constitutionis duritie, ac crassitie notari. Quæ, cumque his quædam prætereà huiusmodi alia, si modica sint, nec nimis valde alimentosam partem obscurent, sanè non respuet gustus, & sumpta nutrient: sed aut frigefacient, aut humefacient, aut siccabunt, excalfaciéntve, aut tale omnino aliquid medicatum inuehent corpori. Earundem qualitatum nimietate afficietur gustus, & abominabitur; interdum indicibilem aliquam qualitatem exhorrescet, sæpiùs duritiam tantùm respuet, aut cruditatis inesse omnino aliquid rei gustatæ persentiet, quam tamen ademptam cupiat, vt frui possit, deprehensis alioqui, ex naturæ sagacitate quadam, alendi ibi viribus, si ea modò dempta circunscribantur, quæ impedimento esse videri possint. Eadem deinde naturæ indagine, rationisque, ad rerum inprimis necessariarum vsum rectè semper nos ductantis, filo, eò peruenimus, vt artificio adhibito cuncta propè auferre nobis liceret, aduersantia, aut impedientia; solámque plerunque, exutis alijs omnibus, assumere, quæ alendo esset, substantiam minimo sæpe negotio, interdum paruo, sæpe paulò maiore depuratam possemus: sunt etiam, quæ nullo.

Fructibus quidem plurimis, atque oleribus sæpe vescimur crudis quibusdam: sapientiores tamen cocta hæc ad vsum adhibebunt. Sed non necessum in multis: edendo nanque esse possunt, & alendo quoque, cruda; aut, si tamen demptum aliquid aliquando noxæ velimus, non necessarius semper ignis. Fructus plurimos vt esse tutò possimus, quoniam humore semper obsunt nimio, eóque facilè putrescente, sæpe etiam frigiditate multa; salis aduocamus facultates auxilio, aut saccharum, aut vinum, & huiusmodi. Olera perquàm rarenter per se, aut nunquam potiùs, vsitatè quidem, cruda; sed ex acetario, tanquam ex garo, sumi solita sunt, quæsito ita quoque remedio. quasi enim conficiuntur aceti viribus, argumento, quòd paulò pluscululum temporis relicta continuò flaccescant. tum, oleo malitiæ omnis suspicio cessat. Iam ex sale idem, qui in fructuum esu crudorum suprà dicebatur, vsus: vsque adeò etiam confici facilima quæque, substantiæ suæ tenuitate, ac teneritudine, ne cruda prorsus esitemus, qualicunque tandem præparatione corrigimus, addita veluti cocturæ cuiusdam specie: nedum carnium nobis vsum crudarum persuadere hi conentur. Eadem fuerit in reliquis ratio, vt, quemadmodum hîc frigus, atque humorem ex parte aliqua remitti additionibus his solere diximus; ita alibi calorem fortè, ac siccitatem emendemus; modò constitutionem rebus meliorem conferamus, attenuata, exempli causa, crassitie, aut detersa viscíditate, idque nullo interdum ignis beneficio, atque alterius rationis correctione leuiore aliqua, si eiusmodi fuerint, vt qualitate insigni vlla, aut extraneo sapore, aut substantia non valde repugnent. Et temperatissimus quidem aliquis, mediumque occupans prouinciæ Salubris totius campum, qualem superiorbus libris finximus, non solùm æquato benè temperamento, sed Polycletea etiam partium, inter se, omnium proportione iusta, vt, sicuti foris sub aspectum commensuratæ spectantur, partes; ita intus membra suo sibi constare omnia modulo, ac mensura, auguremur: is planè (modò, sicuti natiuum temperamentum natura sortitus est optimum; ita de statu suo nullis prorsus incommodis deturbetur, ac qualitercunque tandem affectus exire iustos temperamenti sui limites cogatur) quum appetet; nihil aliud, quàm deperditæ, transpiratæque iam substantiæ corporeæ suæ instaurationem naturaliter quærens appetet, animalis tum facultatis vi, ac ventriculi oris sensu in ea propensus, quæ hoc vnum tantùm, nempe nutriant; minimè verò aut excalfaciant, aut refrigerent, aut siccent, aut humectum reddant, hoc est, tota sui substantia in aliti substantiam vertantur: decisis tamen priùs, ablatisque superfluis omnibus, ex quibus alimenti corporibus nihil accedat, ventriculi primùm opera crassioribus partibus in alui excrementa abductis, atque in chylum emollita substantia, quam deinde iecur excipiat, inchoatamque priùs tantùm sanguificatrice facultate sua recoquat; simul deposito bilis vtriusque repurgamento, & ex ignea innati caloris vi terrestri in materia detersi, addito purpureo colore, sanguineque facto:

cto: paulò pòst sequestrem sibi serosi inde humoris partem arripiant renes, hancque vesicæ reponant, diducto intereà per venarum canales, tanquàm per riuulos, in omnem corporis molem nutritioni demum perficiendæ sanguine, non sine excrementitiæ partis alicuius hîc quoque repurgatione tamen; alterius tenuioris, in benè constituto corpore, in tenuissimas auras sensúsque nostros fugientes abituræ; sordidioris alterius, hæsuræ quandoque cuticulæ, & facturæ situm. Quę eò à nobis hoc loco allata sunt omnia, vt sciremus, frustra quæri alimentum aliquod omni prorsus ex parte aliturum, vt non antea detrahi multa oporteat superflua, præcidi auferrique multa; partim arte, cocturæ generibus varijs, & ante cocturam præparationibus multis, quasique interpoli quadam opera; partim, sed maximam tamen hîc partem, caloris natiui, tanquam fornacibus, tripliciter excoquendum sit, repurgatissimúmque ita, magna caloris vbique nostri, variáque elaboratione, velut ex officina purum, vt ita dicam, putúmque prodiens, tunc demum alendis rectè partibus corporis nostri omnibus addatur.


Alibi tamen pluribus videmus, atque alibi minùs multis occultari alimentum diuersæ, aut contrariæ naturæ rebus; & quædam inueniri, quibus natura sua perfectis vti, nulla prorsus culinæ opera, liceat, alimenti tamen vsu non magno, maximaque ex parte medicato; commoda his futura, qui corruptiore gustu exposcent talia. Rursus alia experimur maximi ad nutriendum emolumenti; sed quæ multo maxima indigeant, diligentique inprimis, vt iusta inde elici alimenti copia possit, præparatione, vt quæ, nisi ignis priùs vim aliqua tandem ratione experiantur, alimentum de suo exhibitura nō sint, multum id nihilominùs interea copiosúmque sortita. Non enim ita censendum, vt quodque offertur nobis, quo vesci arrepto statim liceat, sic magnam pariter inesse in eo, multámque alendi vim: contráque sæpiùs fit, vt, quo plus interdum in aliquo ponendum necessariò laboris ac diligentiæ ad vescendum eo commodè fuerit, maiorem quoque ex eo nutriendi facultatem vsúmque persentiamus. Fructibus, & oleribus non semper necesse est ignis vim admouisse: crudis vescuntur, nullo sæpe, vt aliquo pacto præparentur, labore; at alimenti vtilitate minima, sæpenumero autem noxa etiam multa.

Nihil ad alendum, seu copiam, seu bonitatem consideremus, tritico, & suilla, sicuti antea memorauimus, carne, vtilius. Quorum alterum, nisi diligenti inprimis præparationum multarum studio tractetur, elargiturū alimentum suum nō sit: altera, vt ea diligentia nō indigeat, neq; tantum laboris reposcat, at nisi ignis tandem quoquo modo vim subeat, nunquam, vt opinor, commodè inde alemur. Quum enim alimenti commendatio ex eo spectanda sit, vt benè alat: hoc ipsum autem benè alere, omnium primùm, maximeque in eo positum sit, vt cognata quadam homini, affinique ac familiari substantia constet; tum vt hoc abundè satis quoque præstet, quod ipsum non minùs bene alere fuerit, si conuenienter, & multum nutriuerit: neutrum oleribus, fructibúsque plurimis, ac frugibus nonnullis, alijsque multis inest, quæ & alimenti exigui sanè sint, & id quicquid est succi, semper (exceptis, vt sæpe iam dictum, paucissimis) malitia aliqua, aut qualitatis vi medicata vitietur. Carnibus in vniuersum ferè alterum, vt plurimùm alant, adest; alterum, vt qualitate medicabili nulla sint, aut vitiosi succi suspicione prorsus careant, deest. Multæ nanque, præter id quòd nutriant, calefaciunt, quædam refrigerant, aliæ siccant, humectum reddunt aliæ. Etiam visciditate damnabuntur, aut constitutionis fortè crassitie, interdum tenuitate quoque aliqua. Vt autem praua omnino, aut maligna, aut venenosa qualitate infectæ notentur, earum quidem, quæ ad hanc vsque diem vescendo nobis fuerint, non est facile aliquam reperire: medicatum vsum excipio viperarum; tum, si qui venenis à teneris, aut venenatorum animalium esui assueti, consuetudinem iam in naturam verterunt, vt, miraculo Naturę maximo, non solùm impunè facere hoc illis concessum sit, sed alimentum inde quoque iustum sentiant. Triticum alimoniæ nostræ vsu donatum fuit à Natura maximo, copiosóque, & duraturo: quædam tamen illi intereà demenda, & adiungendus labor. nam & caliditate paululum quid exuperat, & glutinis nimium sortitum attenuari postulat; & tanquam planta, paulò longiùs à sanguineæ materiæ temperamento ac natura quum absit, per paulò quoque plures tum artificiosi, tum nostri quoque caloris immutationum operas transeundum illi, vt sanguis inde existat; simul cruditas excoquenda, & auferendus superfluus humor. Quæ quum omnia assequuti fuerimus, tum detegitur alimenti qualitas laudata inprimis, multa, alibis, perstans, prorsus commercij familiaritatisque nostræ. In Suilla nutrimenti inest (quod Athletarum diutina ac diligenti obseruatione

uatione compertum) non minus, & caloris qualitas abest, aut eiusmodi alia quæpiam; visciditas, quæ permansionis laudem conciliet iustæ, non meatus infarciat, nisi copia fortasse nimia: vnum est constitutionis durioris, atque ex incocto succo vitium, quod ignis omnino alicuius opera tollitur, emollita domitáque, vt ventriculi promptè concoctionem nostri subeat, substantia, humoréque nimio absumpto: ne videlicet nullo id prorsus negotio fieri posse existimemus, vt mandere protinus crudam nobis liceat, quam gustus primò auersetur; tum deinde conficere ventriculus nequeat, non antea deposita cruditate, & inuecta, extrinseci alicuius caloris adminiculo, partium, in quas induere sese caloris nostri vis debeat, tenuitate.

Præstabile esse, atque ad vitæ nostræ munia necessarium, vt per omnem nutritionis œconomiam alimentum pergat, priusquàm extremam nutritionem peragat: alioqui suus corporibus sanguis, spiritus sui defuturi erant. Rursus de carnibus crudis non vorandis. Et triplicis alimentorum, iuxta Hippocratem, significati explicatio.

CAPVT III.



Atqui igne, dicunt, corrumpuntur. Præparatio ista est, ô boni, non corruptio. neque enim corrumpitur ea tum ratione, nec putrescit, nec dissipatur, nec euanescit caro, sed manet adhuc integra. Tosta quippe, elixáve, aliquóve tandem modo cocta, caro tamen, non μόλυνσιν, aut σάπευσιν passa. tunc enim veriùs corruptam nobis dices, quæ vsibus nostris incommoda euadat. Quæ verò commodet, seséque vtendam præbeat, magnis vsibus, corruptam dicere qui poteris? præsertim cuius, antequàm calor eam noster attingat, elaboratio diligens auxilio calori nostro, aptam se, & idoneam exhibens, veniat, vt formam inde sanguinis citò rectéque accipiat, carnisque ita demum naturam induat. Non enim continuò sic, nullo præeunte alio, ex carne caro, sed intermedia sanguificatione existit, quam necessariam esse diximus œconomiæ nutricationis toti meliùs perficiendæ, fouendæ; spiritibus, quibus nutricamur, quibus viuimus, quibus mouemur, generandis; reponendisque suo quemque loco humoribus, quorum si vnus aliquis ex toto pereat, quamprimùm nos quoque vnà interire necessum sit; breuiter, insito nobis calori, cui non aliunde quàm ex sanguine alimentum, sustentando, ideóque & vitæ, operum perquàm illi necessariorum distributione, muniendæ. Atqui nihil horum succederet prorsus, si, nulla penitus interueniente ventriculi, iecorisve, reliquarúmque partium immutatione alia, vt quodque alendæ parti appositum alimentum est, sic in illius statim substantiam abiret: ne fortè ineptè existimet aliquis, carnem carnis statim appositione alterius meliùs gigni debuisse, similitudine deceptus rei, cuius facilimus sit in proxima natura, rerumque facie, transitus. Estque omnino ita: sed non, vt addita id tantummodo rei re perficiatur: immutatio præcedat oportet, quæ carni cum carne nulla, ita quidem, vt in eius statim naturam discedat. Et similitudine quidem naturæ, substantiæque totius affinitate opus est; ne, si repugnauerit prorsus, auersetur eam quod immutaturum est: vt crudas quidem carnes auersamur, tanquam nondum ventriculo accommodatas nostro, quas conficiat: neque tamen non dissimile rursus quoque ex parte sit oportet, si quid est, in quo perfici actio debeat, quæ contrarietatis semper cuiusdam ratione fit. Hasce in partes, quascunque repererit, sese addens calor noster, agit, immutat, conficit, attenuat, cùm per se primò quasdam calore proprio, Solisque, aut temporis quoque beneficio maturitatem indeptas eam, vt materia esse possint calori natiuo nostro eliciendo alimento, constitutione tenues, nec magnis tamen alendi viribus, vt olerum, fructuumque plurimorum partes, sed quæ non magnopere repugnaturæ sint ventriculo, vt conficiantur, factóque sanguine enutriant nos: alia valenter alioqui multumque alitura, in quibus insignis alimoniæ copia, superfluitatibus quibusdam, potissimùm verò cruda, contumacique substantiæ duritia, occultata, nisi priùs impedimentis his exuantur, euincere illa rectè hominis quidem ventriculus nequeat, qui, nisi naturæ suæ respondentem cibum, non appetet; nec, si appetat, paulò magis crudum, durumque aggredietur, aut aggressum concoquet.

His argumentis, atque hac rerum ratione, ad carnis crudæ esum appetitu nullo ducimur; refugimus potiùs ea specie. Sed nec serratos sortiti sumus dentes, quales καρχαρόδοντα animalia, leones, lupi, pantheræ, carniuora omnia, simul & crudiuora, quibus discerptam facilè duritiem tantam minutim diuidamus;

mus; indicio maximo, non esse nobis crudas deuorandas carnes, qui instrumento incidendi eas, concerpendique primo ac potissimo destituamur: nec eo sumus ventriculo, aut ijs innati caloris nostri viribus, qui æquabilis in nobis, moderatissimúsque est, vt ignea prorsus vi, cuiusmodi calidiorum ficciorúmque naturæ animalium est, horum quoque ipsorum more, cruditatem eam superare euictam, perfectáque concoctione immutare possimus. Attenuari igitur eo pacto cruda duráque, aut emolliri, aut qualitercunque domari priùs postulant. Nam & qui fumo suspensas carnes veluti macerant, & qui sale condiunt, & qui ex minutim concisis, aromatéque multo, & sale confertis farcimina parant, concoctionis omnes aliquid carnibus ita moliuntur. Crudas certè non ampliùs rectè appellaueris, quas sal, acetum, sæpe etiam minutatim facta concisio, fumus, tempus, ex parte confecerit: & attenuari tamen hæc quoque vtcunque volent, priusquàm ventriculus accipiat, ignis tandem alieni vi aliqua; nedum crudas accipere, ac conficere nos posse arbitremur, vt duriores particulæ emollescant, crudæ coquantur, excoquantur superuacanea ignis efficacia absumpta, pereant superflua omnia. Nam tenues nimis in his, & aëreæ, inutilésque eiusmodi partes omnes euaporatæ discedunt, quæ nutriendo non erant; & qui inerat succus ab alimenti nostri natura remotior, tenuitate nimia, crassitudinem iustam adeptus, aptissimus ad nutriendum, glutino prætereà quodam accepto, fiet: duritatem autem cruditatémque particularum ingressus ignis emolliet, emollitámque, & attenuatam concoquet aliquanto meliùs, vnáque succum ex omnibus eliciet, prolectúmque ita κόσμῳ naturæ donabit, & constitutione iusta induet, vt ventriculo primùm ad primorem concoctionem, tum in iecoris quoque officina ad sanguificationem, affectus ita subire naturam alimẽti rectissimè possit. Neque enim caloris aut alieni, aut nostri facultas, crassas rerum, ex quibus alimentum quærimus, partes attenuat, aut emollit duras, aut crudas coquit, hoc solum: sed humorem præterea inde, ac succulenti quicquid inest, prolicit, prolectique ita illius inutiles partes vi sua absumit, partim latenter euaporatas, partim secretas abijcit: reliquas, vnde vsus capi alimenti queat, transmutatas potentia magis magisque semper propinqua induit, vt iusta alimenti vltimi materia fiant, propriè nimirum, veréque dicti.

Siquidem, iuxta Hippocratem, τροφὴ τὸ τρέφον, hocque maximè propriè: sed τροφὴ τὸ οἷον, τροφὴ quoq;, καὶ τὸ μέλλον; quod videlicet futurum est alimentum, aut iam, aut paulò pòst. Quò antequàm perueniat, vt iam iam nutrimẽtum sui exhibiturũ sit, partibus primùm addatur, tum adglutinetur, tum vnum fiat atque assimiletur tandem, opus est. Ac naturæ artisque ita κόσμον, atque, vt verbum verbo reddatur, ornatum quendam, qui calorifica inprimis potentia peragitur, requirit. Quapropter τὸ μέλλον illud, etiam in oleribus est, etiam in fructibus, frugibúsque, ac carnibus, crudioribus omnibus. Longè omnium maximè, quo longiùs à præparatione iusta, qua ventriculi concoctioni conuenire debeant, absunt. Τὸ οἷον τροφὴ in chylo, arbitror, & sanguine. τὸ τρέφον hoc verò eò iam deductum est, vt totum se propè corporibus addat, adglutinétque vniendum, ornatu omni ad hoc accepto, partium primùm attenuatione crassarum, plus iusto duriorum emollitione, cõcoctione crudiorum. Quæ quoniam natiui rerum caloris opera perficiuntur, aut qua alia ignis vi artificio quæsiti, quod carni pariter crudæ necessariò euenit, sic concocta semper, absumptis euaporatisq; tenuioribus particulis ignea vi, crassi nonnihil induere, simul & glutinositatis aliquid accipere videmus: vti iam hoc pacto conditiones omnes alimento accedãt, quibus naturam extraneã omnem exutam, ac propriam indutum, iustissimam alimenti rationem subeat; primùm, vt coctionibus transmutatum in alendi substantiam facilè abeat; tum, vt crassitie molem augeat, glutinositate vt perstans duret. Quæ quidem omnia perquàm esse experimur necessaria constituendæ omni ex parte alimentorum, ne qua his commoda decedant, bonitati.

Concoctionem crassescendo fieri: ostensáque ratio, quamobrem id ita existimandum sit.

CAPVT IIII.



Atque ita (vt obiter de re controuersa, diúque, ac multùm quæstionibus agitata admoneamus) statui nobis ex hoc loco illud posse videbitur, concoctionem omnem crassum faciendo constare. Primùm rationum dictata cogent nos ita fateri, propterea quòd concoctionem autor ignis succos omnes crassitudine misceat, tenuiores partes absumat, caloris efficacia attenuatas, exhalatásque: modò ea sint, quæ accipere crassitudinem apta sint, hoc est, modò τα ἀντικείμενα παθητικα (quæ

Aristo-

Aristoteles vocat) adsint, constitutionisque aliquid subsit ficcioris. Nam aqua, aut prorsus aquea quædam, subditi ignis violétia, tota sæpe in auras, tenuissima facta, euanuerint: quod concoctio non est, deperditio potiùs prioris substantiæ, & consumptio, atque in aliam mutatio est. Concoqui autem rectè, opinor, ea dicentur, quæ ignis vim passa constitutionem retinent, minimè deperdita ipsa, quanuis immutata crassitiem suscipiant iustam, nempe cui æquus moderatúsque ad ista calor terminos iustos imposuerit. Quorum alibi finis natura, vt in plantarum, quæque ex terra proueniunt, fructibus, naturali proprióq; calore suo perficiundis, quam maturitatem appellat: alibi, vt assis, elixisque, varijsque huius generis modi, perfectæ coctura terminus à calore ex arte, nobis à natiuo proprióque nostro, concoctionis finis in nutritione, alimentique forma, ad hanc ipsam statim parata, quam esse illiusmodi oporteat, qualé descripsimus, quum materiam naturalis calor nactus fuerit alibilem. Nam idem in materia, ex qua alimonia nulla corpori subministrari possit, vires tamen profert suas, & victoriam exercet, vsque eò, vt nutrire quanuis nó valeat materia ea ob difformitatem, perfectum tamen accepisse à calore concoctionis suæ terminum dicatur, constitutionis, coloris, odoris. Vbique autem naturalis caloris, aut arte quoque tandem aliqua parati, victoriæ signa apparent, inuecta iusta substantiæ constitutione, idque animaduertere in fructuum omnis generе licet, quibus maturitas iusta non aliter acquiritur in elixis, assis, frixis, quomodocunq; igne paratis, ventriculi, iecoris, concoctionibus, quas perfectas iudicabunt alui excrementa constitutione sua, humores item nec fluidi nimis, neque exassati. hoc enim caloris cuiusdam nimij indicium adferet; illud debilioris, qui adumbratam tantummodo concoctionem edat; explere perfectè, atque ad constitutionis suæ æquabilem statum deducere, nequeat. Quid igitur? an non attenuando quoque concoctio perficitur? dicet hîc aliquis. Crassa quidem quæque, ac dura nunquam aliter, neque noster, aut naturalis rerum, propriúsque, neque alienus calor, nisi attenuata priùs coquendo conficiet. Hoc nos (dicemus) pro præparatione tantùm habebimus, necessaria quidem, sed in qua concoctionis specimen nullum adhuc omnino, ne adumbratæ quidem, aut inchoatæ, insit: quæ tunc tantùm incipit, quum calor primùm calorifica vi sua agit, attenuans quidem quoque, fundenque, ac dissecans; sed tunc tantùm verè concoctionem exercens, quum caloris vim sui materiæ immittit, quam hac inprimis potestate agens immutet. Nam attenuatio, fusio, dissectio nouam, atque aliam prorsus rei substantiam non inuehent: calor inuehet, & in aliam transmutatam ducet, vt calidam faciat ex frigida, ex carne sanguinem, ex hoc rursus carnem.

Incidas licèt, attenues; (quæ tamen caloris opera fiunt omnia) nihil egeris, manebunt in natura sua cuncta. Calfacias aut innato proprióque calore, aut alieno, & arte: iam transmutâris. At hoc semper crassum facere est: eóque inciduntur, & attenuantur primò, vt profectò potiore succo, secretisque inutilioribus, crassescat demû. Quod in caloris nostri opere omni visitur: qui, vt transmutet, id verò præstare haud sanè facilè queat in multis, nisi attenuatis antea, aut dissectis, vt in quæ faciliùs sese viribus suis indat ita, succique semper vim, copiámque eliciat, quam crassam iterum, dempta cruditate, faciat. Sic quidem nó est facile videre ciborum concoctionem vllam, nisi profectò priùs ex omnibus ventriculi caloris opera succo, hoc est, vt verbo dicam, chylo facto; qui concoctionis huiusce primæ finis est, quò quum peruenerit, actio ea cesset. Excipit hunc iecur per mesaraicas, tanquam per manus, succúmque ex succo facit aliû, hîc quoque attenuatis priùs crassioribus particulis, quæ ventriculi operam effugêre primò, rursúsque his ipsis, sanguificantis caloris vi in sanguinem sequestratione, simul bilis tum flauæ, tum nigræ, crassitie omnino quadam accepta, conuersis: quippe secreta iam bile, seróque, tenuissimis partibus, plurimisque. nam nigræ, præ his, bilis terrestris crassiorisque quota portio est, toti vt omnino sanguini, discedentibus tenuioribus chylosi succi partibus, caloris opera crassitudo sua quædam maneat? Atque ita aliud omnino extenuatio sit, concoctio aliud: & extenuatio concoctionem quidem iuuet, concoctio tamen non sit, neque hercle concoctionis finis, quæ crassescendo magis procedat: tenuitas præcedat concoquendæ quidem rei, sed cui concoquentis caloris opera crassitudinis semper aliquid acquiratur. Nec sanè minùs eandem caloris actionem animaduertere possis concoctione tertia, quæ nutritio est, vnio nimirum & assimilatio: nec aliter vnquam perficientur ista, quàm conuerso in succum eum sanguine, qui vniri, atq; assimilari valeat. Nam hoc quoque in opere, quòd alimentum apponatur particulis, attractricis facultatis opera fiet: quòd adhæreseat, glutinositate assequetur: quod hîc quoque decidantur superflui-

perfluitates reliquæ quædam duæ, attenuatio præstiterit: vniri & assimilari vna caloris opera poterit, qui omnia quidem hæc præstat, at concoquendi vim tantùm tamen admouet succo, quem immutatum assimilet, partésque ex eo iam alat. atqui fieri id, nisi crassi, glutinosique aliquid addendo, nequeat. Idem in fructibus spectabitur, in quibus acerbitas austeritate exuitur primùm, inuecta pluscula humiditate, & paulò magis tenui facto terrestri: tum acor accedit pluri iam humiditate, magisque tenui, caloris quidem adminiculo, sed hoc solum tenui magis facta, non etiam concocta: quod tum demum succedat, quum operato calore introducetur maturitas dulcedine, aut sub sapore alio, qui maturitatem indicet. In carnium elixatione an non ignis vi elicitur succus, eliquatúrque (vnde, opinor, elixatio dicta) in iusculum, & substantiæ carnis impactus euocatur igne, ac tenuissimis meatibus dispersus excoquitur, affecta simul mollitudine ac tenuitate, eóque pacto ad ventriculi concoctionem subeundam ita parata, carne, vt succus deinde prolici totus faciendo chylo possit? Extrahitur igitur, elicitur, euocatúrque succulenti quod inest, vt concoquatur, diductis, digestisque superfluitatibus, in excrementa: vnde digestio aliquibus, qui ita concoctionem vocent, ex accidenti, quòd dispertiantur partes concoctione, dispescantúrque, & diductæ digerantur. Alij meliùs digestionem, alimenti per corpus distributionem appellant: caloris autem viribus peractam ciborum transmutationem, (sicuti quoque est) concoctionem. Iam quæ assantur, modò non torreantur nimis, succum exhibent, dum assantur, interiùs ex carnis substantia eductum, quem excoqui assatione aduertere possis. Semiassatas, aut semitorridas sæpe carnes si de veru demas, & incidas medias, succum inesse videbis, qui concoctionis iam faciem assumat, ac succosas itidem adhuc animaduertes carnes, nondum euocato humore vniuerso. Is est demum succus, hæc materia, cui concoctio incumbit. Etenim ex hac alimentum corporibus, potissima tantùm parte, & alere apta: reliquæ omnes aut tenuissimæ factæ coquendo dissipantur, aut secretæ dispertiuntur in excrementa; aut crudæ, terrestrésque prorsus ac duræ, cocturæ vim subterfugientes, manent: ipsa sola alimentum tandem, crassitie accepta, fit. Licebit, cuicunque in animo fuerit, vt experiatur, periculum in eo facere; & fit tamen frequenter admodum: Aquam carnis appellant, alij distillatum, consummatum alij. Inijcitur ollæ, aut cacabo, dissectus in frusta capus, diligenter operculato, stæte (nempe subacta in massam farina) circunlinunt, ne quid exhalet: alij frustulatim concisum reticulo inclusum suspendunt, transmittunt filo alij, alij aliter: ex omnibus elicitur succus stillatitius, coctura ex duplici vase. Hac ratione euocatus succus, ignea vi, concoctionem subit haud ita multo magnóve negotio, ob partium tenuitatem, quæ facilè ita carnibus detractæ per se concoquantur: simul ipse, ventriculi calore euictus breui, iecoris quoque sanguificam facultatem promptè suscipit succus, ac perquàm citò alens sustentat labentes sæpe iam vires: iccirco insigniter debilibus datur in morbis, magno plerunque vsu. Quod facturus igitur ignis primùm, tum & ventriculus fuit, vti commodè elicerentur ad concoquendum partes; id, artificio hoc factum iam, paruo vt labore concoquat: præparatas ita ventriculus excipit, paucisque tantùm quibusdam segregatis, totas in alimoniam, crassiusculam necessariò futuram, vertit: vt appareat duritiam rebus semper primùm auferri in concoquendo, attenuarique eas insinuatione caloris; quo per omnia penetrante, tum demum & crassescere cuncta, tenuiorum partium, ignis opera, consumptione ac dissipatione, remanentibus vtilioribus consistentiæ iam necessariò maioris. Hunc eundem succum de carne cruda, priusquàm ignem vllo modo experiatur, (fieri enim multis modis potest) extractum, expressúmve, quoti cuiusque, quæso, ventriculus libenter admittet, aut admissum conficiet? Respuiturum quamprimùm credo abominatione quadam repugnantem sibi rem, aut cruditatem sensurum insignem, noxiámque: vt vel hoc obiter hîc quoque indicio esse possit certo, ignis alieni alicuius adminiculum omnino requiri in carnibus, vt alimentum inde proueniat corpori: propterea quòd vel tenuissima illius pars, succus, qui ideo confici meliùs, faciliúsque deberet, nisi cocturam aliquam passus priùs, nequaquam profuturus sit: nedum crudas carnes existimemus constitutione maiore, longéque magis vinci rebelli ob duritiam, ac crassitiem, superari à ventriculo nostro posse: quod erat primò nobis propositum. Cui planè, opinor, quum ad refutandum non valde multa, aut exquisita argumentatione opus esset, inseruimus de alimenti & concoctionis rationibus quibusdam pauca, sicuti rerum vicinitas tulit, fortasse non incommoda legentibus futura.

Vnam haberi inter carnes conuenientißimam ad alendum Suillam, idq́, nobis: nam Anthropophagis etiam humana fuerit. Quadrupedum, auium, piscium alimenti comparatio: deinde particulares differentiæ ab ætate, sexu, pabulo, & huiusmodi ducta plurimæ, Suillæ & Aprunæ. Exempla de his: & de animalium pinguedine.

CAPVT V.

SCopum nobis constituemus in Suilla, quã intuentes, aliorum omnium animalium aut calidas habendas esse carnes dicamus, aut frigidas, aut siccas, aut humidas: hanc enim vnam temperamento simillimam statuere nostro liceat: quod ad alimenti iusti, æquatique naturam declarandam, terminandámque, primum ac necessarium semper est. Reliqua enim omnia, non solùm carnes, sed ex quibuscunque tandem alimentum capimus, si prætereà qualitatum quatuor harum recessu à temperamento iusto notabuntur aliquo, alimenti continuò puri synceríque naturam amiserint, atque aliam simul induerint, vti iam non alimentum, hoc videlicet vnum, sed medicatum, medicabiléve alimentum, totum nimirum hoc simul, dici mereantur. Iam succi insuper malitia addita, aut crassities, aut viscìditas, aut tenuitas, nimia omnia, noxam quoque alendi viribus addiderint, meatuum sæpe, quos apertos seruari decebat, obstructione; interdum reclusione non minùs nimia, magno semper damno, vsúque nunquam vllo. At calidi, frigidíve, humidi, sicciq́ue alimenti natura, quanuis æqui iustique temperamenti homini futura commoda, conueniénsque satis non sit: reliquis intereà tamen omnibus ex vsu erit, pro temperamentorum diuersitate, nutriendis vnà, excalfaciendisq́ue, aut refrigerandis, aut siccandis, aut humefaciendis.

Vnam Suillã diximus culpa, hac in re, omni carere, videlicet nobis, hominiq́ue, quem pro homine verè deputes: non Cannibali alicui, aut extremo Scythæ, cui feritatis tantum sit, vt immolatas etiam humanas hostias vescens non fastidiat. Pessimorum quandoque Cauponum scelere factum fuisse, scriptum nobis reliquit Galenus, vt hospitio suscepti, ignari primò appositis vescerentur humanis carnibus, detecta deinde fraude, saporem retulerint, qualis Suillæ: in qua quoniam, vt sæpe iam diximus, conuenire videntur, quæcunque alimoniæ bonitatem constituunt, omnia, primas meritò huic concedemus partes inter Quadrupedes, ideoq́ue inter carnes reliquas omnes.

Reliquæ autem habentur Auium, Piscium, siue Aquatilium, postremò eorum omnium, quorum caro proportione tantùm quadam veræ sanguine præditorum animalium carni respondet, vt exanguium omnium. Quo penè modo non sanè frequenter minùs, fructuum quoque, ac multorum prætereà aliorum carnem appellamus: quanquam hoc impropriè longè magis, ac propè vocabulo hoc abusi facimus. Nã exanguiũ, sanguinis licèt, vnde generetur, materiã nõ habeat, caro; at succum proportione maximè respondentem habet, vnde constet, animaliũ reliquorum more. Atque hæc tamen nihil attinet conferre Quadrupedibus, vbi de alimenti bonitate disputatio est, tanquam natura, temperamentóque suo valde diuersa: sicuti sanè nec Aquatilia, sanguinis licèt materiam obtineant illorum multa; nec Auium genera, eadem ratione, minori tamen multo. Diuersa enim licèt omnino, at conuenire tamen nobiscum multo, quàm exanguia, magis, nemo negauerit. Aquatilia frigiditate, & humiditate vincent: Aues calore, & siccitate, magna ex parte; nisi Aquaticæ fuerint. Eæ nanque, vt piscium genus omne, eorum quidem, quos in cibatum recipimus, quum frigoris, humorisq́ue superflui qualitate damnentur, etiam excrementitiæ existimantur. Aues contrà reliquæ, quas rectè volatu fidere dicimus, præpetes, & alarum pennarúmque nisu fidentes, excrementi non sane multum; at nec multum intereà durabilis alimẽti elargiuntur.

Generum hæc differentia: illæ in vnoquoque genere non minimæ, ab ætate, sexu, locis, alimonia, habitudine, partibus, exectione, præparationibus multis, & id genus alijs quibusdam, ductæ: vt in Suilla non parum relaturum sit, qua id animantis ætate esca nobis sit, recens'ne natus sus, an annorum iam plurium, an ætatis mediæ, an nefrendes potiùs iam, non lactentes scilicet, vt χοῖροι Græcis, sicuti iisdem συάλοι, qui ætatis iam medium pertransierunt, omnium pessimi: è diuerso, nouellorum prorsus humecta nimis caro, atque hoc nomine damnanda, & quòd ideo quoque excrementitia, nec persistentis diu alimenti: adultæ mediæq́ue ætatis, probatissimi; sed benè habitis iuuenibus, aut valde exercentibus se, aut negotiosam quoquo modo vitam agentibus, accommoda, quos va-

lido inprimis esse ventriculo, robustisque viribus, & alimenti egere soliditate, minimeque citò solubili, ferendis laboribus, necessum sit. Quietioris vitæ genus sortitis, aut non multi laboris negotijs implicatis, qui adolescentibus etiamnum annis fuerint concedendi. Sus fœmina deterior, longè magis scropha, effœta scilicet nuper, aut partus adhuc suos quæ alat. primum, sexus, temperamentum iustum demit frigiditate & humiditate: partus autem, aut lactatio, etiam vitium addet carni euanidæ, exuccæque toti, abeunte nimirum in lactis humorem corporis alimento. Sed quis his vesceretur? Vsus maximus anniculorum, aut non multo supra ætatem illam: frequens non minùs depulsorum nuper à lacte, quos nefrendes dicimus. Συάλυς qui efitent, id est, vetulos iam, non reperiri multos puto: non enim parcitur illis tam diu.

Iam si quis humoris minus in hisce ad vsus suos inesse cupiat, is commodè Apruna carne vtetur: tunc minus quoque in recèns admodum natis, ac nuper editis, (si cum domesticis alijs ætatis eiusdem comparentur) noxæ: quia, vt in syluestribus omnibus, humoris excrementique minus.

Cæterùm si quis exquisitè persequi rerum harum discrimina velit, inueniet aliquantum quoque interesse, montium'ne incolæ Apri sint, an conuallium, locorumque palustrium: quemadmodum Athi montis apros fœminas summa pascentes Aristoteles maribus animositate ac viribus superiores pronuntiauit, eóque temperatura diuersos, his, qui ad radicem montis degunt, vt cœlum id quoque faciat, non solùm pastus.

Pabuli discrimen, quod alimenti diuersitatem notatu dignam faciat, non perinde magnum in syluestribus Apris: eadem omnibus propè esca, erutæ rostro herbarum radices, syluestria poma, pyráque, glandes. Domesticos saginamus maxima carnis differentia, substantiæ, saporis, bonitatis, alendi viribus. Fungosæ enim alijs laxæque, solidæ alijs firmæque, alijs in medio carnes, pro cibariorum ratione. Cibatus his quidem quoque herbæ vulgò, ac effossæ radices, & immũda sępe multa, non tamen ad saginandum. Pinguescunt colluuie primùm, qua patinarum, lanciumque, & scutellarum reliqua facta sordities pinguior, abluitur calida à culinæ ministris, frustis eodem congestis missuum, omnium reliquiarum indiscretè miscellaneis. Commendatior saginatio ex pomis, pyris, sorbis, mespilis, rapis, castaneis, alijsque id genus vilioribus, syluestribus pariter ac domesticis, leuiter coctis: coctura nanque meliora facit, & pinguescentia inde certior. Ficubus nemo, vt opinor, hodie saginat: ita ne ficatum quidem habemus. non enim aliter συκωτὸν Græcis olim constabat. Delicijs saginationem in Suibus nimiam adscribas potiùs, quàm salubri vsui: Laridi tamen ex eo copia non ineptè quæritur ad multos vsus.

Pinguitudo nimia obest. Etenim, quum animalium propè omnium Quadrupedum, quibus vescimur, (quæ natura ferè sicciore sunt) humidissima sit Suis caro: verendum maximè, ne pingue additum humoris plus iusto conciliet. Quippe pinguioris animantis pinguior simul statim caro; quæ quo pinguior, necessariò quoque semper humidior: tenerior tamen multo, sed humiditate oberit pingui ac ventriculi villos laxante. Sicuti sanè pinguedinem etiam omnem sui semper generis carne deteriorẽ esse experimur, soluto quasi ventriculo, & laxata fibrarum contentione, & ob idipsum stomacho, qui huius ipsius os est; ablatáque ita illi appetendi facultate, exuctionis, quæ vellicatu quodam ad appetendum excitet, discussione ob pinguitudinem, ac, ne se corrugare ad hoc possit, prohibito. Itaque quærenda pinguedo cum carne in siccioribus natura: temperamentum enim inde proculdubio siccitati acquiretur pinguiore succo, (si qua tamen sperari in siccis pinguedo potest) certè, vt laridi, aut adipis non speremus multum. In his pinguem carnem existimabimus esse benè habitæ animantis, quæ succi plena sit; tum, cui superabundet sæpe alimentum, villique interdum, ac musculorum filamenta, glutinosa atque albicante materia quadam referta visantur, iam iam partes nutritura, vt in piscibus, præsertim Truttis, Carpionibus, Salmulis. Sed in his, natiuæ aquatilium, addita pinguedinis humiditas noxæ fuerit: Quadrupedum substantię quorundam bono esse poterit, temperamento carnis facto. Quod Suillæ non continget: quam sicuti ætate media, medijsque alijs multis; ita obesitate quoque mediocri esse conueniat, vt commodè, atque aptè inprimis, culpáque omni carens, alere hominem, ætatum itidem, temperamentorum, habitudinum, cæterarúmque rerum omnium, quæ huc tendunt, in medio positum, possit. Ac, si normam hac in re iustam sequemur, rata ætatum non minùs aliarum habenda

nobis erit ratio: vt, ſicuti ætate conſiſtentes, adultæ iam, conſiſtentisque ætate huiuſce generis animantis commodiſſimè aluerit; ita adoleſcentes, annis ſuis adoleſcentis adhuc, teneriorem ætatem, teneræ nouellæque, alere aptiſſimè caro debeat: ſenibus ſemper, vt in multis alijs, exceptis, quos iuuenculorum carne alemus potiùs, quum tamen vetulorum deberemus. Sed temperamenti ſiccitas, iam propè extra ſanitatis metas delata, contrarium perſuadebit, quæ humectari poſtulet: ſimul inclinatæ iam ætatis imminutus calor, conficiendo alimento iuſto non erit ſatis, & tenerius expoſcet. Quapropter largiemur his annis porcellos nefrendes, quos diximus, ſi prouecti maximè ſint anni: ſin tum primùm inclinent, iuuenculos, & adoleſcere iam tum incipientes. Nam decrepitis, & ſilicernijs, etiam lacteos, nempe lactentes adhuc, rectè conceſſeris, tenerrimè, quantum fieri poterit, præparatos.

De Caſtratorum animalium temperamento: & an fœminæ Animantes temperamentum ex eo mutent caſtratæ. Et de corporis temperamento communi nobis cum Suibus, in tanta animæ diuerſitate.

CAPVT VI.



CASTRatorum caro omnium, non tantùm Suum, in alterius ſexus temperamentum degenerat, fiuntq; melioris ſtatim ſaporis omnes: vt capum gallo libenter, gallinisque omnibus præferas; Suem, qui Verres non ſit, (Maiales vocabant veteres) verri, ac ſcrophæ, quas & ipſas quoque caſtrant; ſicuti canes fœminas nonnulli, ad tollendum conceptum. Caſtrari debebunt in ciborum quidem vſum, ſi deducere ad temperamenti æquabilitatem cupiueris, quæ calidioris & ſiccioris naturæ fuerint, animalia. Demitur nanque vnà ſeminis viroſitas, quæ per vniuerſum corpus vi ſua diffuſa odorem ſaporémque tetrum adfert; & frigiditatis atque humiditatis tantum inuehitur, quantum alimenti æqui probique bonitati, ac viribus futurum ſatis ſit. Non enim, vt dixerimus degenerare in alienum ſexum exectos, caſtratósque mares, eiuſdem prorſus fieri diximus naturæ. retinent enim omnino temperamenti adhuc ſui, proprijque aliquid: exceſſus tantùm repreſſus tollitur, virilitate, aut maſcula potiùs potentia, (de Animantibus enim in totum ſermo eſt) ablata, nondum tamen transmutato penitus ſexu. Quin & arrigere, & coire interdum poſſe, compertum multis in noſtro genere, quibus non ſolùm vitiati teſtes, vt ſpadonibus, & thlaſijs; ſed etiam, quibus exempti, exectique toti: in alijs omnia pereunt vnà, equis, bubus, veruecibus, capis. Non enim inire videmus fœminas exectos rectè ſemel mares, imaginatricis, vt arbitror, facultatis imbecillitate, ſopitæ prorſus in his; in nobis autem, ad minimum quenque ſæpe, exterioris alicuius obiecti, occurſum, excitatæ; ſæpe verò non minùs paulò ſuperioris facultatis adminiculo adiutæ, quam Philoſophorum nonnulli huius ipſius Phantaſticæ, Dianœticesque illius, in medio ſtatuunt. Itaque obuiàm itum ab his, qui Eunuchos alerent, penis abſciſſione tantæ, vt, quod relinqueretur, ad meiendum ſatis, ad coeundum non ſatis, futurum eſſet. Perit vtique virilitas igitur, & temperamentum maſculum: at caloris tantum manet (quod coeundi deſiderium ac facultas oſtendit) vt temperies æquetur, necdum ſubeunte frigiditate, quanta muliebris ſexus præditus eſt.

Fœminæ caſtratione an & ipſæ temperamentum immutent ſuum, quæri poteſt. Non valde arbitror: tametſi hæ quoque fœminæ eſſe hactenus deſinant, vt, quemadmodum virilitatem viri, eodem modo fœminitatem ſuam fœminæ, (ſanè ita appellâſſe liceat) aut, ſi magis arridet, molliúsque hoc videtur, muliebritatem mulieres, exectione deponant. Attamen quia non ea his facultatis vis in teſtibus, aut ſemine exili, tenuique, & frigidiore, quàm vt immutare corporis molem totam inſigni qualitate poſſit, defectáque omnia ſunt; & caloris potiùs priuatio, quàm cauſæ alicuius iuſtæ præſentia, ſexum hunc facit: teſtium exemptione, non putârim aliud magnopere fieri temperamentum poſſe, vt frigidius euadat, ſicuti ſanè neque illius præſentia calidius multo. Viroſitas tantùm demitur parua quædam, qualitercunque transfuſa in corpus occultiore qualitate: vnde guſtatu ſuauiores, terioréſque ſæpe fœminæ ſues, iam & alicubi gallinæ, qualitatis ex caſtratione tantummodo huius, vt opinor, ademptione. Simul Veneris imago aboletur in totum: neque enim vlteriùs admittunt mares: (& hoc enim non parum addere poſſe ſcimus bonitati carnis) ſimul

ſicuti

ſicuti non concipient ampliùs, ita ne parient quidem, aut incubabunt gallinæ & excludent: vt nec effœtæ verè dici poſſint ſues, (quod peſſimam ſemper carnem facit) nec gallinæ incubatu longo, aut alendis deinde pullis, macreſcant.

Animal Sus, quod animam pro ſale habeat, ad nihil aliud à natura factum, quàm vt eſca nobis eſſet, eiuſdem nobiſcum propè, vt diximus, temperaturæ; eiuſdem, aut certè non diuerſæ admodum, formæ, figuræque, ventriculi, inteſtinorum, iecoris, lienis, partium ex toto, fermè dixerim, omnium nutriendi œconomiæ deſtinatarum: vt argumento eſſet, quæſiſſe Naturam, ſummam inferiorum rerum harum opificem illam, animal, quod temperamento nobis reſponderet, animæ viribus diuerſiſſimum eſſet: vti commodo inde alimento frueremur, animæ noſtræ facultatibus non oblæſis; ſumereque nobis liceret vel ex hoc indicium, atque argumentum maximum ducere, non eſſe temperamentum animam, neque verò ex temperamento prodire noſtram, temperamento quanuis inſideat, tanquam in domicilio, ſedem ibi collocans, non omni autem; ſed quod rerum rata quadam inter ſe parte mira, exquiſitâque, tum cognitionem noſtram ſubterfugiente conſtet, qua pereunte, inhabitare ampliùs nolit. Eſt autem temperamentum notius illud Suum, noſtrúmque manifeſtum, ſimiléque inter ſe ſatis: æquabile vtrunque dicimus, ſignisque colligimus apertis. Analogica illa proportio, vt ſuprà quoque dixiſſe meminimus, in temperamenti tamen genere eodem, longè alia: cuius diuerſitate, immunditie omni gaudent Sues, his perpetuò volutati, alimentáque inde ſua capientes; nos alium ſequimur ciborum delectum: illis anima, vt vita ſeruetur, donec in alimenti noſtri vſum cedat caro, idque pro ſale tantùm; noſtra alia. Nam ex differenti maximè rerum analogia, differentes quoque omnium maximè ſpiritus, animæ inſtrumentum: atque etiam ipſi plerunque inter ſe differentes in hoc homines, rata partium ratione varia, ſed intra humanæ tamen ſemper conditionis terminos: vt eiuſdem chori diuerſiſſimos ſæpe concentus videmus, multis, varijsque harmonicarum rationum modis, ſed concentus tamen, & quidem eiuſdem, quod diximus, chori. De partium diuerſarum alimento, quoniam magna in his varietas, dicere ſuperſedebimus, donec ſpeciatim, particulatimque percurrerimus priùs animalia, quorum caro nobis pro cibatu. Præparandi autem modos neceſſariò differendos habemus in Tractatum de obſonijs, quem ab hoc ſtatim trademus.

Hœdorum temperamentum calidum, quanquam aliter ſenſerint Arabes: Hircorum itidem, & Caprarum: ſed harum, ob ſexum, minus; Hœdorum autem humidius; aliorum ſiccius.

CAPVT VII.



HOEdinas carnes qui frigidæ naturæ facerent, inuenti ſunt inter Arabes, ſicuti & Suillas. Minùs mirum de his, & tamen falſum. quum enim temperamento conſtare proximo nobis, ſimilimoque, oſtenſæ ſint: minùs lapſi videri meritò poſſunt, qui frigidas haſce ſtatuêre, quàm qui hœdinas, quo quidem minor eſt ab æquali temperamento, quàm à calido, in frigidũ receſſus.

Calidum habendum eſſe ſiccumq; Hircum animal, nemo, opinor, ambigat. Si nihil aliud, teter ille odor, vnde hircoſi dicti, indicio ſatis ſit, quem non aliud facilè, quàm calidũ, tam latè iacere temperamentum queat. Sed & arroſarum Capro vitium interitus, quem ideo Baccho veteres ſacrificauerint; & emiſſus ore ſpiritus vrens propè, & tactus animantis ipſe, qui tangentibus ſæpe febriculæ cuiuſdam ſignificationem exhibere videatur, (ex quo creditum multis, Capras non minùs ipſas, quas tamen ſexus ipſe frigidiores facit, perpetuò febrire) cuncta, inquam, hæc calidam animantis huiuſce naturam manifeſtò ſatis demonſtrent. Quòd ſi calidam: ſic in vniuerſum. Sanè nõ exiſtimabimus Hœdos (mares, an fœminas, non refert, quum de animantis ſpecie vniuerſaliter pronuntiatur) à caliditate. Nam ſi eadem in animantibus omnibus valere debet de calore ratio, ac, poſt multas variasque de hoc diſputationes, eò tandem deuentum eſt, vt Medicorum rectè ſentientium conſenſu, eodem eſſe, quo iuuenes, adultosque, calore præditos pueros, recensque natos exiſtimaremus: eodem neceſſariò calore præditos eſſe Hœdos, quo adultos iam Hircos, fatendum: horum licèt humidior materia primò, quæ connatum nobis, inſitumque cõtinet, molliter hunc ipſum nobis & ſuauem tangentibus referat, quæ deinde inſequentibus magis ſemper magisq; ætatibus exareſcens, paulò acriùs manum feriat, eodem tamen ſemper caloris vtrobiq; gradu, in materia tantùm diuerſa, ſeſe nobis offerente: vt calidum ſæpe vaporariorũ noſtrorum aërem diuerſe, parum, mediocriter, ſummè ſentimus; nihil planè tunc ali-

ud (si nihil accedat aliud) sensuri, aut pronuntiaturi, quàm caloris remissiones hasce, & intentiones. Iam verò fumidus prætereà si fiat aër idem, caloris temperamentis ijsdem, (vt fieri sæpe contingit) erumpente de fornace aliquo pacto fumo, nec maiore tamen calore; infestum quidem sentiemus, mordacemque, tum oculos quoque feriet, & eliciet lachrymas sæpe, deque hoc queremur tantùm: maiorem se sentire calorem, aut, vt propriè magis loquamur, qualitate sua intẽtum magis, aut plùs ob id incalescere, nemo, vt arbitror, dicet: quia non succenso maiore igne, & fumido tantùm facto aëre, nemo calidiorem sensu vllo percipiet, eo quidem casu, rerumque harum exemplo. Quòd si hæc ita se habent, sicuti profectò habent: calidæ natura animantis, calidus dicendus nobis fœtus, partus calidus, tenellus, iuuenculus, adolescens, adultus: neque minùs temperatæ, temperatus; & frigidæ frigidus. qui tamen calor adhuc animantis quidam intelligitur, de quo paulò pòst dicendum. Atque hæc est caloris in animalibus ratio, mediocris, tum supra infraque mediocritatem positi, perpetuò autem, ad cõsistentis vsque ætatis exactum tempus, eiusdem, diuersa quanuis in materia, primùm sua, sibique connata, insita, prorsus natiua, sed & naturali; tum paulatim semper, sensimque suam sibi materiam hanc depascente, conficienteque calore, aliena, atque ascititia; ipso quoq; iam alieno, atque ascititio, hac ex parte, calore facto, siccitate tantùm. Nam caliditas eadem, donec inclinante ætate, ac continuè exarescente corpore, pabuli iam defectu, minutatim quoque calor natiuus ille abiens pereat, & frigida membra relinquat, siccitatis ratione, quæ ab origine, aut potiùs à conceptione statim ipsa ingruat. vt primùm enim concipi cœptus fœtus, sic siccitas inchoat, caloris vi necessariò ita operati introducta.

Redeundum ad rem: Malè sensisse Arabas Authores, qui de his scripsêre, quòd Hœdinas carnes frigidioris naturæ statuerint, dictant hæc omnia, fusiùs à nobis hîc paulò, atque extra rem, sed ex re tamen, vt meliùs perciperentur, recitata: malè item, quòd Suillas: (temperatæ enim sunt) benè, quòd humidiores hasce, licciores illas, & ætatem commẽdârint ad vnum omnes, temperamenti in Hœdis boni, quæ tenellorum adhuc est, necdum ab vbere depulsorum, quos lacteos voces. Quippe naturalem siccitatem, quæ in adultis reperitur, teneritudo ætatis emendat, & ad temperamentum quoddam ducit: simul lactentes, minimè quidem ætatis ratione, verùm alimenti potiùs beneficio, (frigidum enim lac, vt in temperamento animantis suo) de natiua caliditate aliquid remittent, & humectiores teneriores que fient. Nec sanè alius hodie, quàm lactentium, vsus: quos si diutiùs protrahere lactando velis, vt bimestre aliquando tempus, nullo prorsus herbarum pastu, expleant; (quod fieri vidi, & gustâsse volui) experiere carnem multo quidem, quàm eiusdem ætatis herbas depastorum, meliorem; cæterùm durescentem iam, quæque virosi omnino nescio quid resipiat. vsque adeò, quanquam alimento affici corpora didicerimus, vincere tamen naturam videmus ipsam, vt olidam tandem graueolentiam suam illam induant, præsertim quum non longè iam aberunt, vt caprire incipiant. Simile spectamus de Gallinaceis pullis, qui pipientes potiores: vlteriùs, quum iam fœminas conscendunt, aut Galli cantum edere incipiunt, damnantur. itaque pullastras præferimus.

Sed Hircorum calida, & sicca nimis caro, olensque; illaudati semper succi, & cõcoctu difficilis, flatuosaque: nec editur, nisi præpinguium aliquando: sunt, qui in hunc vsum castrent.

Caprarum eiusdẽ generis temperamentum, sed non intantum, & oliditatem non habet. Ob hoc igitur, tum verò, quòd caliditatem & siccitatem Hircorum nimiam sexus alter ex parte attemperatus emendat; præferri debebit, paria cætera si fuerint. Choleram tamen facit, vt suilla quoq; caro, si torrefactæ circùm partes edantur, accepta succi ita acrimonia, quæ venarum oscula, in ventriculum intestinaq; tendentium, morsionibus suis vellicet, deque corporis partibus omnibus fluxiones eodem concitet. Cautio est, ex Hippocratis præcepto, non nimis calidam edisse Suillam: arbitror & Caprillam, quippe in promptu, parataque ex calore iam agente acrior vis illa vellicatrix, vnde cholera vtriusq; carnis esu. iccirco de vtraque hîc.

De Agnorum alimento, déque eorum ex regionibus diuersitate. De Ariete, Veruece, Oue, quid in his alimenti sit, & cuiusmodi.

CAPVT VIII.



QVA ratione Hœdos, in carnium delectu, commendauimus tenellos adhuc, toto vtputa bimestri spatio; eadem, sed à contrario desumpta, damnandi nobis venient Agni,

Agni, natiuæ speciei totius humiditati, non sanè exiguæ, ætatis quoque addita. Quapropter lentas, mucosasque experimur eorum carnes id ætatis, cum humore nimio; contrà, quàm Hœdorum, in quibus excedens speciei siccitas, humidioris ætatis beneficio, quasi ad contemperamentum reuocatur. Atque idipsum hoc, bonam partem, paulò prouectiores tempore assequentur Agni, nimirũ anniculi, quum nondum fœminas ineunt, neque tamen multùm abest, quin inire possint: quo tempore alimenti bonitate, ac copia valent, etiam aduersus atræ bilis iniuriam, multorum iudicio, commendabiles.

Non abnuerim, calidioris sicciorisque regionis incolas, etiam ante id temporis multo, commodè ac salubriter vesci his posse; scilicet cùm illos calido & sicco temperamento, quod contrariam frigidi & humidi exposcere interdum qualitatem videatur; tum verò Agnis quoque regionis eiusmodi, non sanè frigiditatis & humiditatis nimiæ magnopere futuris, non solùm ob cœlum calens siccumque, sed etiam ob pabuli sæpe naturam, facultatum earundem: vt in Hispanijs audimus pascua esse odoratissimarũ sæpe herbarum, quarum pabulo animalium carnes longè, quàm alibi, sapidiores, & solida compactaque magis substantia, euadant. Tum obseruatum referunt, eidem carnis quantitati plus inesse alendi viriũ, vt libra (exempli causa) tantum ibi alat, quantum alibi fortè fortuna sesquilibra. Ea propter, pabuli eiusmodi beneficio, illarum regionum Agnos teneros adhuc, sed qui tamen herbas depascantur, minùs humidos, minùs & mucosos reperiri. Quin & in lactentes adhuc, vim tamen lactis transire ex pabulo, ac ambientis prætereà beneficio qualitatem referre, quàm aliorum ætatis eiusdem, potiorem. Verùm hæc posteriori tractationi reseruari debent omnia. Castrantur, & à castratione meliores semper euadunt, deposita, ætatis progressu, humiditatis redundantia; simul & sapore odoreque viroso, exemptione testium, donec vetuli siccescere nimis incipiant.

Veruex fit, exectis testibus, ex Ariete, cuius caro succi vitio, & odoris fœditate damnatur inprimis; collatis laudibus omnibus in Veruecinam, quæ, nisi vetulorum admodum, sanè non iniuria laudari meretur. Nam & non improbi succi est, & nutrit satis, & substantiæ (si culinæ rectam rationem subeat) teneritudine concoctu minimè contumax: paululùm quidem, sed de quo non valde cures, refrigerans: cætera omnia temperatæ prorsus, iustæque alendi facultatis. Itaque integram Turcarum nationem libentissimè his vesci videas, frequentissimeque: nec alia ex quadrupedibus frequentiùs illorum mensas onerat caro, vel quum opiparè victuros se credunt: non id facturi, nisi comperta tam longo, diutinoque vsu, atque etiam reportata semper ex vsu commoditate, vtilitateq; insigni. Nec planè contrariam prorsus rationem sequitur magna pars, ijsdem commoditatibus atque vsibus edocti, viliori quoque semper, ac facilè parabili coemptione inuitata plebecula.

Est Veruecum genus montanum, aut Alpium potiùs, non procul à Carnorum gente, pusillum, tenerrimæ carnis: Bornachinum ex loco appellant: hosce tu non illubentiùs edas, quàm Gallinaceos pullos, quàm lacteos prorsus Hœdos.

Restat Ouilla ex genere hoc, deterrimæ carnis, conuenientibus in vnum frigiditate atque humiditate, & temperamenti totius vitio, ex specie sexuque, in vitium idem tendente, & partuum frequẽtia, quæ effœtas citò reddat. Mucosi igitur multum in carnibus, lentique, ac viscidi humoris. Iam si annosa quoque sit ouis, nihil deterius: humor simul redundans inter musculorum fibras glutinosus, frigidusque; simul durior caro, illaudati in totum succi, vnde temerè vescentibus paratæ sæpe febres, ex nutrimenti malitia; & ex corruptela, concita aluus interdum, ad intestinorum vsque difficultatem.

De alimento Boum, per ætatem, & castrationem, & sexum valde diuerso. Inter hæc disputatum, Hœdi'ne, an Vituli præferri in alimenti bonitate debeant.

CAP. IX.



Vbulum genus Galenus non semel, insequutique hunc Authores Caprino siccius fecêre: Arabes etiam frigidum: falsò. Sic enim scribit Galenus, (De simp. medic. facul. xj.) cui maior in hoc adhibẽda fides: οὕτω δὲ καὶ κατὰ θερμότητα λέων μὲν κυνὸς θερμότερος, κύων δὲ ταύρου, ταῦρος δὲ τοῦ τοὺς ὄρχεις ἐκτετμημένου βοός. temperamenti semper nostri comparatione (eam nanq; ibi rem agit) dictum id accipiens. Ita ne exectus quidem Bos frigidus, quanuis Tauro calidus minùs, & æquato temperamento propinquius magis. Præcipua Boum differentia, quod quidem ad alimenti vsum attinet, ex ætate, eâdem, quam suprà attulimus de Hœdis, ob causam. Et huius enim animantis siccitas, te-

nerioris ętatis humiditate naturali ad temperamentum æquata, salubriorem carnem elargietur, quam Vitulinam dicimus.

Cæterùm plurimùm interest, lactens'ne Vitulus sit, an secus. Nam lactens, (mas, an fœmina, nihil planè, aut minimum quid, retulerit, id ætatis) tam alibilis succi bonitate, quàm copia, quàm etiã carnosæ substantiæ teneritudine, certare meritò possit cum Hœdo, etiam delata huicà non iniquis iudicibus nonnullis palma. Ac, si qui inuenti sunt, qui Hœdinam prætulerint, (quam ipsam quoque reficientibus se ex morbis concedant, Vitulinam non concedant) hosce ego arbitror lactentes semper Hœdos intellexisse, quum illa proferrent, non intellectis eiusdem conditionis Vitulis. Propterea, quòd Hœdorum vocabulo non alios ferè accipias, quàm lactentes, quum de cibatu loquimur: Vitulos, non sanè minùs, quàm hos, etiam depulsos iam ab vbere, quibus frequẽter vescimur; Hœdis autem, nisi lactentibus, perquàm rarenter, fœtidum iam aliqua ex parte propter odorem, carnisque duritiem, quam statim contrahunt, quum primùm lactis vsus cessat; manente in Vitulis teneriore omnino carne, nec dum ingrato sapore, castratis, non castratis, modò facti nondum iuuenci sint: scilicet in ficciore quanuis animali, at ætatis tamen longioris, adolescentia quoque maior, & veluti pueritia diutiùs protracta, tam breui, vt in Hœdis, tempore duritiem ex ficcitate accedere non sinit, non accedentibus annis, quibus exiccandi, ac proinde durum quoque faciendi, vis maior.

Et alioqui, non parua Vitulinæ carnis commendatione, vel sub vbere ipso castrari sæpissimè vitulos mares videas: quod ipsum quantum teneritudinis afferat, seruato humore, nemo ignorat: Hœdos minimo minus nunquam. Absumũtur enim, & in victum nobis cedunt, exceptis, quos in spem gregis alũt, masculæ sortis omnes: quos tamen si quando execant, id sanè in his post lactis demum vsum fit, iam durescere incipiente carne, primoris ætatis breuitate. Quæ ratio eiusdem quoque temporis Capellas damnet. At non idem in Bucula, seu potiùs, quæ eundem dierum, quem Capella, numerum agat, Vitula, in qua quum tardiùs peragantur ætates, durabilior quoque meritò cum humore teneritas: Ternieram quidem appellat Hispania, non ob aliud, crediderim, quàm ex teneritate. Accedit id, quod quorundam experientia comprobatum addere hoc loco libet: excogitauit gula, Vitulorum aliquos totum semestre spatium, quosdam integrum etiam annum lacte vt alerent, carne delicata, iucundi gratique saporis, qualem in nutritis tanto temporis spatio lacte Hœdis sperandum expectandumque non habeas. Simul illud dispiciendum, quantumuis ficcioris naturæ statuatur Bos Caprino genere; at longè calidum minùs statuere nobis licebit, in collatione hac specierum duarum mutua: at ad medium rerum omnium, quod humanum ipsum est temperamentũ, paulùm modò supra hoc. Cuiusmodi planè temperatura, nec ficcitatis tantum tam citò carni addet Vitulorum, quantum, quamque citò Hœdorum carnem intentior caloris vis ficcescentem iam faciet, durescentemque, & odorem prætereà pessimè olentem illum conciliabit. His argumentis persuasi, Hœdinæ minimè posthabebimus Vitulinam.

Sequitur Iuuencorum ætas, Iunicumque, alterius ferè anni initiũ. Quum enim propagandæ iam soboli destinantur Tauri, bimatus totus abijt, deinde & trimatus succedit, quum aut collum iugo subdunt coloni, aut in cibatus nostri vsum pascuntur tantùm execti. Quorum pleni Pannoniæ campi adeò, vt non vicinis solummodo regionibus sufficiant, sed ad longinquas etiam expellantur, in macellorum vsum, sæpe velut triumphali pompa coronatos excipientibus regionum lanijs, exantlatis longioris viæ laboribus.

Iam hîc in sexu discrimen. Taurorum damnatum gentibus omnibus vsum esse video: Tauras, steriles scilicet fœminas boues, (nam eæ propriæ Tauræ sunt) vel eas, quæ nondum marem admisêre, quæ Iunices dicuntur, admittunt multi in cibos: ab his bimas, trimasq; maximè, meliores tunc & salubriores, quum nondum fœturæ destinantur, superiùs dictis de causis. Neque enim, si pariant, sufficere possunt simul fœturæ, simul lactis deinde copiæ effœtæ ipsæ, simul corporis habitudini ad enutriendam, in alimoniam nostri, carnis bonitatem ac copiam. Eam ob rem deterrimæ omnium, hoc in genere, Vaccæ post trimatum, quæ marem admittunt. Nam nec incommoda hæc absunt, & ætatis insuper accedit vitium ficcescentis, quæ exuccam omnino, aut mali succi, ac duram, & concoctu difficilem carnem faciat, melancholici prorsus succi, deque succo hoc progenitarum affectionum procreatricem, sæpe lienis tumorosi causam, ex infarctu, hærente ibi venularum & minutiorum arteriarum in angustijs atrabilario sanguine multo, crassoque. Quamobrem, exceptis Vitulis, in quibus nihil, vel non multum esse discriminis diximus, mares sint, an fœminæ; mares semper prætulerit iure quisque ad vsum quidem

idem nostrum, in reliquis ætatibus omnibus: sed castratos iuuencos, nouellos quos vocant. Boues enim vetulos tantùm multi appellant. Qui pari semper ætate fœminas alimenti copia, succi probitate, temperamenti laudibus, vincant: id si tamen in consideratione priùs retinuerimus, (quod, vel indictum, animaduerti tamen à prudentioribus debet) sicuti par ætas, ita paria reliqua quoque vt habeantur in comparatione; ne bouem fœminam, cuiuscunque ętatis eiusdem illius itidem ętatis mari, pinguescentem emaciato, benè habitam flaccescenti, & huiusmodi, iniquissimè conferamus. Sed hæc, vt diximus, esse cuiuis paulò magis in rebus his versato obuia, atque in aperto debent. Ita sanè nec expectandum id à nobis, vt tradamus, quibus modis pinguescant, saginenturque Boues: videlicet id à rei rusticæ Scriptoribus petendum. Nos satis habebimus, oblatis vti, & iudicium feremus de his, notis certis ducti, boni malíve habitus: non quidem, quòd hæc quoque non aliqua tandem ex parte Salubrem Medicinæ partem hanc attingant, (attingunt enim: & Galenum scimus, nec sanè minùs Hippocratem etiam aliquãdo ipsum, quo pabuli genere, quóve anni tẽpore animalia quædam commodiùs, atque ad corporis, quod carnem ipsam intelligimus, habitudinem meliùs vterentur, obiter tamen, tradidisse) sed nos operis breuitati consulimus: ne, si huc allata omnia vellemus, quæcunq; minimo quouis, tractationis huiusce, vsu, neque necessario tamen, adduci huc possent, in nimis altum excrescat opus, & tædium molestiamque legentibus ita afferamus, præsertim quæ prolixiùs, exactiusque apud alios tradita inuenire sit, quàm tradi hîc à nobis possint, aut debeant, videlicet id illi vnum egerunt. Nos hoc loco si hæc quoque intromitteremus, quasi aliud ageremus, in id vnum intenti, vt Salubris artis iactis iam fundamentis, tum extructis parietibus, ac contignationibus factis, superinducamus postremò tectum; ruditer quidem omnia, sed exædificandæ, pro virili parte nostra, toti necessaria. Dealbandorũ autem parietum, aut tectorio opere aliquo eleganter incrustandorum, ornandæque, atque expoliendæ superficiei totius curam alijs relinquemus: qui & de pastionibus, & de saginandis varij generis animantibus, & huiusmodi alijs tradent: fortasse autem & nos, si otium supererit, idem facturi simus.

Asinorum minimè recipiendum esse vsum, ad alendum, nec Buffalorum, nec Canum, nec Equorum, nec Felium, nec huiusmodi. Syluestrium deinde, cuius in alendo vsus, caro, Aprorum, Caprearum, Capreolorum: & de Coctura carnium in oleo: tum Damæ quales habendæ sint.

CAPVT X.



Est is ferè homini alimentorum vsus ex Quadrupedibus domesticis. Nam Asinos, quamuis authorẽ magnum habeant Mœcenatem, qui primus eorum pullis vesci instituerit, quoniam insequutarum ætatum vsus non retinuit, nec nos sanè retinebimus.

Buffalos vocatos ablegabimus aliò, penè syluestre genus, nec quos valde commendemus, siue palatum, siue salubritatem cõsuluerimus, tenacissimæ carnis: qui quidem, vel boues ipsos domesticos, quorum simillimi illi, non sanè magnopere (nisi, quibus paulò antè diximus, conditionibus) probandos esse iudicemus.

Equis libenter parcemus bellatoribus, caballis, & cantherijs, ob vsus nostros tot ac tantos, quos ex illis quotidie capimus. Scimus eos, non nisi in necessitate maxima, fame aliquando aliquam ob causam oppressis vsum præstitisse cibi, qui retulerunt tenacitatem carnis insignem, multi & insipidi glutinis, plurimo tantùm sale quadantenus domabilem, & commendabilem: proinde quæ nec succi esse probi queat, & obstructionum periculum adferat visciditate.

Iam sicuti castratos Canes olim iuuenes, pinguesque, (retulit enim Galenus) esitârunt gentes aliquæ; Felium tunc nulla hac in re mentio: è diuerso hodie Canem, Catulúmve vel pinguissimum, comederit nemo; Felium esus, apud perpaucos tamen quosdam, etiam in delicijs propè, sed præpinguiũ, media hyeme in profluenti per quindecim minimũ dies maceratorum. Caro illis sicca, duraque inprimis, ac virosa: improbi omnino illaudatique succi.

Nunc de Syluestribus ferinisque carnibus dicendum. Primas occupauit Aper partes, cuius antea meminimus, etiam recensitis laudibus, quas domestici quoque ipsius obtinet propè omnes, additis de suis, exercitationis maioris commendatione, & cœli melioris comoditate; quorum beneficio, carne nos nutriet, minùs excremẽtitia, ac paulò ficciore, cætera perquàm domesticæ simili, nutrimẽti copia, temperamẽti nostri affinitate, cõuertibili in nos substantiamque carnis nostram alimonia, ex chylo, quem (modò nõ inualidus prorsus

ſus ventriculus) confectum, ſanguificandum deinde iecori tradiderit.

Ouem feram, ſcimus dici Chamelopardalim, quæ vulgò Giraffa eſt: ſed de qua ferre iudicium nobis non liceat, quod ad alimenti bonitatem, aut malitiam attinet, tam rara inuentu apud nos beſtia: tum, quam noſtrûm nemo, opinor, eſitauerit. Animal aliâs nomine tantùm ouis, re diſſimile valde, vt cuius caput vnũ penè pecudis aliquid habeat, reliqua corporis alterius omnino figuræ, formæque, ac faciei omnia ſpectentur.

At Caprarum genus eſt ferarum, Capreæ, noſtris per omnia non diſſimile, ac præter has Capreoli diuerſa ſpecies. Hæ quippe montium tantummodo incolæ, nunquam deſcendentes in plana, imò prę altis ſæpe rupibus inſidere viſæ, vnde nomen traxêre, Rupicapræ: illi poſitas in planitie ſyluas amant, ſæpiùs eodem quo cerui pabulo, eademq; locorum frequentia vſi. Cornua his ſimplicia, ſuperiori tantũ parte inflexa, incurua, nigra: porrectiora illis, veluti in ramulos exeuntia, extremitate tantùm ſua, non, vt ceruis, per totum, quibus prælonga, vaſtaque. Capreolis breuiſſima, ſimplici, vt diximus, ramificatione, ac veluti ceruorum inchoata tantùm. Diſtinxiſſe paulò diligentiùs voluimus, ne (in quo deceptos fuiſſe aliâs non ineruditos video) bonitas, quæ Capreolis attribuitur, Capreis quoque, confuſis ſpeciebus, tribueretur. His nanque durior omnino, ſicceſcensque magis caro, vnde melancholici ſæpe ſanguinis multũ, & concoquendi difficultas, nec non ſyluatici (vt ita dicam) odoris ſaporiſque cuiuſdam, quo ſylueſtrium fermè omnium caro laborat, tædium. Capreolos excipiunt, Aproſque, quibus par alimenti bonitas, & copia: in Apruna alimenti permanſio maior, ſed difficilior concoctio, non quæ temperati hominis ventriculum vincat, ſed Capreolorum carnis reſpectu dico, concoqui facilioris, alimenti tamen citiùs fugientis. Iuſtius ad nos Aprunæ temperamentum: Capreolorum, paulò in ſiccum inclinat, vt ideo non prorſus nulla generandi atrabilarij humoris culpa damnetur. Cætera, vno propè Scribentium conſenſu, Sylueſtribus omnibus prælata, ſaporis, alimentique bonitate, conſtitutionis tenuitate, concoctionis facilitate, excrementorum paucitate; ex temperamento primùm, quod à natura ſortitum eſt tale; tum, irrequieto ſemper motu, & ſaltibus multis, quos frequenter molitur. Itaque haud mirum, exercendi ſe aſſiduitate ea, præter natiuam temperamenti bonitatem, ſyluaticum illum, quem alijs inhære-re diximus, amitti in his ſaporem, & enumeratas iam dotes acquiri: ſiccitatis tamen ſemper aliquid natiuæ adijcitur, non multum quidem, ſed ad damnandum ſatis.

Inuentum Arabum, demendæ ſiccitati, oleo eas incoxiſſe: tunc & reſolutis partibus adiumento futuras carnes eas eſſe cenſent. Incoxiſſe autem oleo, vt inde humeſcant, haud ſcio, quàm cum ratione id fiat. Dioclis quidem Archidamus, & cum Archidamo Galenus, (nam in hoc ſubſcribit, aduerſatur in alijs) quod in oleo coquitur, ſiccum euadere, & conſtitutionis glutino amiſſo, ſolutile cenſet, ψάθυρον nimirum, & κραῦρον: in aqua minimè, niſi ſi coctura modũ aliquem quæramus, qui humectum conſeruet, fortè duplicis vaſis vſu, vt prioris, cui cum carne oleum inſit, innatatione capacioris lebetis, in aqua elixatio peragatur. Nam ex oleo frixiſſe in ſartagine, aut taliter, id verò cui dubium, quin ariditatis potiùs ac duritiæ aliquid addat, & humorem, ſicciore ignis vi abſumptum, auferat?

Error eſt eorum, qui exiſtimãt, eaſdem Damas eſſe. Diuerſa admodum ſpecies eſt, πλατυκέρωτες ſunt, & caro diuerſa, veruecis ſæpe in morem pinguis; eiuſdem, aut non alieni admodum temperamẽti, saporiſque, vt, quum primùm guſtâſſem, veruecinam ediſſe me crederem. Itaque ex ea ducemus argumenta in hanc, & numerabimus facultates: pinguis tamen neſciò quid ineſt laxi, ac diſſoluti, quod diuerſam faciat; & inſipida paulò magis caro, vt neque hæc Sylueſtrium vitio prorſus careat, & craſſiori, melancholicoque ſanguini generando obnoxia exiſtimari meritò poſſit.

De Ceruorum alimento, Hinnulorum, & adultorum. Tum, rectène viuacitatem nobis promittere ex cibatione horum poſsimus.

CAP. XI.

INter epulas quæſitus honos & Ceruorum carni. Prȩſtãt Hinnuli, quanquam & vetuſtioribus laus, neq; tamen vetulis: ætatis longitudo in cauſa, vt vel in trimatu cõmendari poſſint. Diutiſſimè enim quũ viuant, prima illis in bimatu adhuc ætas, & veluti infantia, quo tempore nondum temperamenti ſui ſiccitatem iuſtam accepiſſe videri poſſunt; minuſque ideo, tenerioris humidioriſque ætatis adminiculo, ſucci mali, & acceptiores palato, ſint, minuſque ventriculo aduerſentur. Tum conſiſtendi ætas longiſſima, eadem & deterior, creſcente ſemper ſiccitate, & duritia

duritia carnis: vnde concoquendi difficultas, crudi, ac crassi, & improbi succi, melancholicique sanguinis prouentus, paratusque interdum in Quartanam incursus. atque hæcmet ipsa reliquis quidem ætatibus quoque mala insunt, at minora tamen semper. Bubulam hæc refert, vt Veruecinam Damarum dicebamus. Excindi de ventre nondum natos, & potentissimis Principibus maximis in delicijs esse, mirari licet, mucoris adhuc plenos, & haud dubiè crudioris succi certam materiam. Eadem admiratio de cornibus: quæ exorietia primùm, lanugine quadam obducta, mollia, nondum siccata, in vsum mensarum verterunt. Quis hoc primùm excogitauit? quorumnam inuentum hoc? Quæ tanta gulæ libido? aut quod potiùs tantum, tam salubrium, tam sapidarum rerum aliarum copiam auersantis stomachi, fastidium? vt ista expeteret, in quibus nec salubritas vlla, glutinosis, aut crassis, ac terrestribus; & sapor, (gustâsse nanque libuit) qualis fungorum ferè, in exciso fœtu: in cornibus, tuberum, sed solutili magis, minusq; concreta materia. Mirari hæc liberet: nisi in tanto iam luxu, & portentosæ flagitiosæq; ganeæ licentia, nihil iam factum esset nobis reliqui, quod miraremur.

Quicunq; vitam sibi longissimam polliciti sunt Ceruinæ carnis esu, ob tantum æui, quod animal degit, (nam & hos habuit ætas aliquando aliqua) eorum ex numero fuêre, vt arbitror, illiusq; hominum conditionis, qui immortalitatem captare ausi, perpetuare se æuum suum posse crediderunt, vt nunquam inter homines esse desinerent. Vtrique longè opinione sua falsi. Nam & hos frustra id sperâsse, multo antè, ni fallor, apertè satis demonstrauimus: & illos, qui de Ceruina sibi blandiuntur, ignorare videri nobis dicemus alimenti naturam, cuius in vno viuacitas transire in alium, tot antea immutationibus aliud factum, nequeat; neque spiritus eos procreare, quos in Ceruo, temperamenti diuersitate, quod rei totius τὸ τί ἦναι vocat Aristoteles, vitales queat. Quippe nobis idipsum hoc aliud est τὸ ἦναι, temperamentum aliud, totiusque substantiæ natura alia, vt alij quoque glutino meritò inhæreat calor nobis insitus noster. Et iuuari quidem alimentorum vsu ad viuacitatem possumus, quod ad rationem hãc attinet, si benè concoctilibus, beneque alibilibus nutriemur, conuenientibus nobis, perdurantibus, nulla non ex parte laudatis: sed sic, vt in[illegible]ra destinatas nobis vitæ nostræ metas cor[illegible]sistamus. Etenim nũquam quisquam, toto licèt, quo vitam traducturus suam sit, tempore Ceruinis carnibus vescetur tantummodo, hominis tamen exuet temperamentum, vt Ceruorum induat: quanuis aliquando permagnam in eo fieri mutationem fateri necessum sit, sed ad manifestiores qualitates illas primùm quatuor; tum verò ex parte insequutas hasce alias quoque aliquas. Vt, quos perpetuò enutritos venenis ferunt, verisimile est, venenosam simul non parum induisse naturam: cæterùm intra naturæ, temperamentique humani conditionem adhuc, quam nõ omni prorsus ex parte, neque in vniuersum semper sic venenis repugnare didicimus, quin illorum aliquando naturam subeat, vt in quibus sponte sua ex insigni aliqua humorum malitia veneni vim generari compertũ est. Hinc fascinantium vis, eiaculantibus venenum hominũ quorundam oculis, naturale: & ad hominis morsum remedia, tanquam venenosum: hinc venenatæ sępe materiæ, vt modò diximus, origo in homine, succorum tãtùm vitio, sed in hominis tamen natura: hinc menstrui sanguinis virus illud, ad tot efficax, ex homine: & quædam prætereà alia, à naturę prorsus humanę conditione non abhorrentia. De viuacitate diuersa omnino ratio, quæ temperamento quidem constat, sed animantibus solùm nõnullis proprio, quibus ex temperamento peculiari eiusmodi, humoris pręterea glutinum, cui natiuus calor inhæret tanquam pabulo, non facilè solutile reperitur. id quod nostrum illud, sicuti docebamus, τὸ ἦναι, ac temperamenti nostri ratio, ratione nulla admittere vnquam queat, duntaxat vt humana ratio aliqua id inquirens inuestiget.

De Lepusculorum, & Leporum alimento: calidáne, an frigida eorum natura existimanda sit. De Cuniculis, damnatusq; Syluestrium multorum esus.

CAPVT XII.



FOEcundi leporis sapiens sectabitur armos.

A Catio'ne dictũ hoc accipiemus apud Horatium, Gulone tantùm, an & Medico? Sapientẽ sectari, ait, debere fœcundi leporis armos. Num, cui sapere Lepus debeat gustatu, an qui sibijpsi sapiat, vt innocuè edat? vtrunque opinor, conuenit hîc: eodem, sicuti alibi plerunque, cibi suauitas, & alimenti bonitas, quæ quidem ex lepore expectanda sit. Cursu valet Lepus, qui armos, lumbosque exerceat maximè: vniuersus ingruit partibus illis, ac circùm spinam omnem musculis, in cursu, saltuque labor, (nam pedum pauca caro, & ea fibrosa) vt benè

benè exercitæ partes illæ, solutiores, sapidioresque fiant, eoq; concoqui faciliores; & crassum minus, minusq; melancholicum sanguinem gignant.

Calida (quod tamen tribuisse ei videmus Arabum coryphæos) quonam modo magnopere esse possit, non video, timidissimi omnium animalis caro: vt λαγῶ βίον ζῶν prouerbio dicatur de his, qui formidolosissimam vitam degunt. Deinde, quomodo ex ea melancholici sanguinis tantum, si calida? quum vel in hac ipsa carne, ad demendam atræ bilis suspicionem, ne inde generetur, vel ipsorum Arabum quorundam monitu, pro condimento habeamus aromatum facultatem, attenuandæ fortasse quidem carnosæ duritiæ commodè; calorificæ potentiæ addendæ caliditati non sanè commodè. Siccam inprimis esse constat, iccirco semper & ab omnibus atræ bilis gignédæ formidine, ob frigidum & siccum temperamentum, damnatam: iuuenculorum tamen minùs, quos Lepusculos vocamus, palatoq; meliùs semper respondere, & minùs esse nocuos experimur.

Hyeme exalbescere Lepores, & candidos totos fieri, vt & Vrsos, & auium genera prætereà quædam, Alpium incolis notum. Niuis pabulo id fieri, nemo existimabit, qui, quàm parum, aut nihil potiùs in niue alimenti sit, nouerit. Quasi Lepori alimenta deésse possint, in præaltis licèt niuibus, extantibus alicubi tamẽ semper virgultorum ramusculis, quorum cortices morsu delibrant; aut non subtus, quò niuis sæpe vis nulla ingruit, arbustorum stipites arrodant, & detectarum circùm herbularum radices pascantur. Immensa, ingentique frigoris tunc vi fieri existimandum, vt caloris naturalis retrocessione intrò pulsi frigoribus, extimæ partes nutrimenti minimum sentiant, & eius pituitosioris, ex quo candor pilis, facilè eo tempore canescentibus, alimenti inopia, & pituitosi humoris, putrisque frigiditate. alioqui non difficilis ex pullo transitus in candorem pilis. Itaque minùs suauis tunc caro, tanquam frigore nimio durata, abacto expressoque humore.

Pulchritudinem addi Leporum cibatione, & die septimo finiri, olim iam facetissimi Poëtę carmine celebre circunfertur. Ratio non apparet: possit fortasse quidem pallor inde ex pituita corrigi, consumpto humore, siccandi vi. Etenim corporis habitudinem siccare cupientibus, humiditate nimia fluxam, non desunt, qui leporinę vsum carnis commendent. Sed quis se speret Leporis (quod illi innuere voluisse videntur) vel integri vnius esu formosum reddi posse eo pacto? frequentiore id vsu, & temporis mora sperandum.

Cuniculus (κουνικοῦν Galenus appellat) animal Lepori simillimum facie formaque; magnitudine inferius, & diuerso colore, qui in Lepore pullus semper, in Cuniculo varius, atque etiam variegatus. nam & candidi toti, nigri, rutili, cæsij, & singuli sæpe versicolores spectantur. Carne sunt, quàm Lepores, albidiore, ac non peræquè sicca, tanquam altiles magna ex parte apud nos. nulli enim in Italia alij, paucissimis exceptis. Prouinciæ aliquæ agrestes alunt, magna copia, magnaq; eorum inibi captura. Idem de his, quod de Leporum bonitate, ac vitio, dicendum: tenellorum, itidem vt Leporum, commendatio tota; reliqui abiectiores omnes, nullo nec salubritatis, nec iucundi saporis alicuius vsu.

Quid hîc Vrsos, quid Vulpecularũ carnes afferam? Improbi omnes succi, & concoqui contumaces. Quid Glires, Sciuros, Mures montanos, Erinaceos? quid Onagros, Camelos, Lupos quoque interdum ipsos? & huiusmodi humani, vrbanique cibatus monstra? Quæ omnia, miremur sanè, quomodo non intentata, prorsusque inexplorata reliquerit humani ingenij vana penitus & curiosa nimis sedulitas quædam, quum nõ deessent intereà, mitto domestica, quorũ tanta copia, sed syluestria tot ac talia, probi satis succi quædam, alimenti alia non pauci; omnia autem iucundioris, quàm ista, saporis, odorisque. Fastidientis profectò nimiùm stomachi est, corruptique, & vltra iustum humanæ appetentiæ modum delati, nec cõuenientem satis naturæ nostræ cibum accipientis gustus, Apris, Capreolis, Capreis, Hinnulis, Lepusculis reiectis, Glires, aut montanos Mures ad cibum quæsiuisse, Vrsos & Vulpes appetiuisse: videlicet, non modò vt tales euaderemus ex parte, alimenti vsu immutati; sed etiam, vt argumẽto hoc ostenderemus, antea quoq; non dissimiles prorsus his esse nos, quando certissimũ sit, non appetituros talia fuisse, nisi aliquatenus temperamento nobis conuenientia, quæ alimenti natura est, nõ aliter, nisi nõ prorsus difformes, nec dissimiles sibi, nutrituri. Meritò igitur, ac (vt alia semper) ad rem hanc apposite scripsisse videri potest Galenus, damnatis priùs vetulorũ Asinorum carnibus, tanquam pessimi omnium maximè succi, & ad coquendum, concoquendumque in ventriculo substantiæ contumacissimę, cui maximè aduersentur; saporis prætereà iniucundi, minimeque palato accepti, hæc statim adijciens: καθάπερ καὶ τὰ τῶν ἱππῶντε, καὶ καμήλων, ὧν καὶ ἀυτῶν ἐσθίουσι δε ὀνώδεισ τε, καὶ καμηλώδεις ἄνθρωποι τὴν ψυχὴν, καὶ τὸ σῶμα. Illud nimirum intelligens, qui tam

diuer-

diuersi à nobis temperamenti feras appeterent, eos non dissimilis esse harũ oportere naturæ homines non solùm corpore, sed anima. Etiam qui Leonibus, ac Pantheris vescerentur, inuentos tempestate sua fuisse, retulit idem Author.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DVODECIMVS.

De alimento particularum ex animalibus, extremarum primùm partium, Auricularum, Pedum: tum Linguæ, Pulmonum, Cordis, Iecoris, Lienis, Ventriculi, Vteri, Intestinorum. Et de frigidiorum natura ciborum, itemq; calidiorum concoctione in ventriculo.

CAP. I.



NVnc de Quadrupedũ particulis quibusdam agemus. nam hactenus corpus tantùm tractauimus, quæ caro illorũ est propriè dicta musculorũ, sicuti viscerum παρέγχυμα. Dicendum in vniuersum illud priùs, hoc tractatu non repetituros nos frustra in singulis, quę antea prodita sunt de carniũ quarumcunq; Temperaturis: sed sic accipienda fore, quę scribentur à nobis hîc, vt animalium semper, quorum propriæ eæ partes sunt, temperamenti comparatione dicta intelligantur: ne, si hœdinos, verbi gratia, aut suillos pedes, hœdinúmve, aut suillum, agninúmve iecur, vel lienem, vel renes, vel intestina, vel sanguinem, & particulas cæteras, huius illiúsve temperamenti, aut constitutionis, aut alimenti talis tantíve, aut cuiuscunque tandem modi esse scripserimus; non aliter scriptum dictúmve, quàm corporis, in quo habentur, hoc est, carnosæ inprimis substantiæ comparatione, accipiatur: cuius deinde, carnosæ dico substantiæ, temperamentum referre vtiliter ad summum exactúmque hominis temperamentum, tum verò inter se quoque multorum, maximo Salubris artis totius, ex comparatione ea, vsu, liceat. Hac ratione extremas animantis cuiusque partes, quæ ἄκρεα Græcis vocantur, frigidæ esse siccæq; naturæ meritò statuemus, tanquam excarnes, paucique sanguinis, Cartilaginibus, cuteque, & neruosa tendinum quorundam, & ligamẽtorum substantia constantes, Pedes sunt, Rostrum, Auriculæ ferè: ex tendinibus, ligamentisque, & cute Pedes: sola cartilagine cum cute Rostrum, & Aures, quod deteriore loco partes hasce duas constituit, & aures quàm rostrum magis. Vix enim ex cartilaginibus sperare alimẽti quicquam possis: & aliquid tamen, si ætatis adhuc incremento suæ vigeat animans, si probè in ore primùm mansu multo leuigatæ, tum in ventriculo quoque conficiantur, elicietur alimenti: at ex perfectis animalibus nihil. inconcoctiles enim tunc partes illæ omnino, nullo alendi vsu inferiùs transmittuntur. Plusculum ex Pedum substantia alimoniæ prodierit, vbi nec siccitas tanta, nec terrestris partis tantum, & portiuncula sæpe carnis aliqua ad tendinũ initium in multis, prope suffragines. Cutis vtrobique, in Pedibus autem neruosa prętereà substantia; ex quibus ambabus, elixatione præsertim, glutinositas ac lẽtor quidam existet, qui leniendæ aluo satis sæpe futurus sit. Hîc iam si de Suibus intelligamus, partes eæ, carnis propriæ, quæ musculorum est, respectu, glutinosæ partim minimè, partim ægrè quæ concoqui possint: frigidæ autem omnes, & ad temperamentum nõ minùs humanum quoque esse eædem reperientur: alteri autem animanti cuipiam collatæ, meliores, quantum quidem huc spectat, ac temperatiores, quoniam animantis temperatioris; rursum quibusdam alijs deteriores, ex parte aliqua. Vitulinis enim, exempli causa, aut Hœdinis Pedibus comparati Suilli, quoniam hi à iusto temperamento paulò iam longiùs absunt, animantis quanuis temperatæ partes, tamẽ natura frigidiores: illi autem, Vitulini nimirum, atque Hœdini, ad temperamenti æquabilitatem, in animante natura calidiore, natiua partium frigiditate reuocati, propinquiùs temperamẽto nostro accedunt. Deteriores necessariò Hœdinis Vitulinisque Suilli, hominis quidem temperamento æquato iustoque, quò, tanquam in rectam considerationum nostra-

rum omnium regulam, ac normam, direxisse perpetuò, primoque mentis cogitata oportet. Nam alijs sæpe casibus Suillos præferas, vt quum in ventriculi, partiúmve aliarum aliquarum, intemperie calidiore ac ficciore Suillos ex ptisana Pedes non iniuria commēdari audimus, vtpote Hœdinis frigidiores & humidiores. Sed in hoc præparationis quoque tribuendum præterea aliquid modo: quoniam elixatio ex ptisana est, de cuius ratione commodiùs tradendum differemus in Opsartice. Eadem erit reliquorum quoque ratio in comparatione rerum inter se. Laxam enim densam've, fluxam aut compactam, friabilem solutilemque, aut glutinosam & crassam, dicere substantiæ cuiuscunque constitutionem licebit nobis, comparatione semper aliqua. Ac laxam, fungosam spongiarum ritu, animalium omnium, linguæ substantiā rem esse dicimus, substantiæ, quæ in medio horum omnium sit, respectu: rerū primò ita in vniuersum medio animaduerso, sic quidem rerum in commune constitutionem examinabimus. At quum linguam laxam, fungosamq; pronuntiabimus, aut densam cōpactámve, sic non rem vniuersè, sed linguam ad omnium maximè, solidioris ac laxioris constitutionis quæ in medio sit, linguam conferentes, dicemus, hominis opinor, vtpote animalium omnium temperatissimi, vno modo sic generatim de linguis: deinde speciatim quoque non minùs, Agninam nempe Hœdinæ si conferamus: postremò huic illíve, hanc illámve indiscriminatim ad obuium quodque: Bouinam vtputa vnam aliquam Ouillæ, aut Suillæ vni alicui, aut Bouinam etiam Bubulæ, & Suillam Suillæ, & Ouillā Ouillæ, vnam semper aliquam in omnibus vni alicui comparando. Quæ planè transire ad reliqua omnia comparādi ratio facilè potest. Linguam hîc accipimus, propriam ac peculiarem linguæ substantiam, non gutturis, aut laryngis, aut musculorū partes, aut neruos, arterias, & venas, aut glandulas; quæ vnà semper ferè eximuntur, estq; illorum omnium alia quædam substantiæ ratio, & per se eduntur. Venæ autem, & arteriæ, & nerui, per Linguę substantiam totam discurrentes, necessariò simul quoque manduntur. Quod in musculorum etiam carne vsu venit: quanuis in lingua pro rata linguæ magnitudinis parte maiora hæc habeantur, venæ, arteriæ, nerui. Sed ex laxa, fungosaque Linguæ substantia, alimentum proueniat corpori, necessum est, minimè solidum, densumque, neque sanè persistens diu. quoniā sanguis inde fluxus, ac dilabens generatur primò, ex quo necessariò eiusdem quoq; modi caro gignitur.

Quę planè causa rarā, laxamq;, ac leuem Pulmonum substantiam facit: talem enim esse oportuit, vt perpetuis flatuum & reflatuū reciprocationibus sufficeret. Atqui fieri id facilè non poterat, nisi sanguine aleretur subtili, leui, tenui. Facta igitur ex hoc caro etiam talis, ipsa deinde non minùs aliam factura vescentium, tenuem, laxamque, ac raram, sanguinis priùs generatione fluidioris, ac pituitosi, vnde alimentum corporibus nō diuersum valde. Concoctio tamen Pulmonum facilis, ob substantiæ laxitatem, quam haud difficulter ventriculus conficiendo superet.

Difficilior multo Cordis, visceris quippe duri, fibrosique, ad concoquendum caro, nec transitu facilis; sed vnde alimētum corpori sperari possit, si rectè conficiatur, nec paucum, nec prauum, nec fluxum. Rarò editur: non enim multum habet, quo inuitet.

Iecinora discriminibus multis distingui possunt, sicuti alia in tractatu hoc omnia, ne semper repetēdum id habeamus. Non solùm enim interest vescentium, cuius animātis Iecore alantur, sed etiam non parū ad rem facit, quo pabuli genere enutritæ. Par est quidem, quū caro Iecori conditionibus omnibus maximè respondeat, quippe ex quo materiam illa suam sibi sumat; Iecur, animātium cunctarum Iecinoribus, Suillum præferamus: quoniam carnem prætulimus. Et sunt quidem alia, vt Gallinarum, Caporumque, & (quoniā de quadrupedibus loquimur) Agnorū, Hœdorumque, quædamque præterea, cùm faciliora concoctu, tum crassi minùs succi, tum quæ progressus in corpore viarū non adeò morentur, futura aliquibus aliquando, quū res ita nata tulerit, quàm Suillum, ex vsu magis: sed quod excessuū omnium medium, ac benè habitum hominem, (quò velut ad dictorum, dicendorumque regulam spectamus semper) benè valenterque, ac pro Iocinerum conditione cōmodè nutriturum sit, Suillum profectò est. conditionem diximus, hoc est, quatenus Iecur. Semper enim in eo intendenda mentis acies, vt res quasq; non aliter, quàm pro natura sua, accipiamus. Quæ nisi memoria referentur, & cogitationibus exerceatur, cùm hîc, tum alibi: existent Sophismatum occasiones, ambiguitates multæ, tricasque ac pedicas ingeniorū suboriri vbique necessum erit. Suum Iecora diximus, bonum, robustum, commodumque exhibere alimētum, exhibet enim, sed bonæ habitudinis iuueni, bonæque temperaturæ: atque intereà tamen crassum id alimenti, concoctu difficile, tardè permeans fuerit. Quoniam hoc Iecinoribus omnibus commune, alij

magis

magis alio: verùm hoc bonitatem Suillo non adimit. vt enim hæc omnia fit: at succi vitio non laborat, & paulò difficilior concoctio, ac permeandi tarditas, alimenti perduratione facilè compēsatur: quæ duo probi laudatique alimenti quasi summam constituunt; si absq; succi vitio benè alat, id est, conueniens sanguinis inde quantitas eliciatur, probaque; nec tam citò diflabilis, quod non admodum laxæ constitutionis alimentum, ac proinde nō valde facile concoctioni se exhibens, largitur. nam vt diutiùs permanens res eadem, & confici benè promptum, alimentum præbeat, id verò, quoniam fieri non potest, ne quærendum quidem est. Differentia alia ex pabulo. Nam caricas depasti Suis lōgè melius, suauiusque: Græci συκωτὸν Iecur hoc vocant; nos ficatum possumus. Quibus caricarum abundè tantum non est, hi farinæ parte crassiore pinguefactorum Iecinora Suum gustu suauia, beneque enutritita experientur. Hæc autem libentiùs semper in Suibus persequimur, quorum viscera omniū maximè inter Quadrupedes eduntur nobis, sic nos ad id ducente natura, vt, cuius animalis carnē gustu nobis suauem, naturæque inprimis nostræ consentaneam sentimus, illius simul, præter alia, accepta nobis esse debere viscera arbitremur. Itaq; non alterius facilè Quadrupedis saginandum Iecur sumimus caricis, aut alia ratione aliqua. Et ficatum dicimus, vt Græci συκωτὸν: tametsi hoc nomine materna nostra lingua passim quorumcunque animalium Iecur appellemus, ex Suilli dignatione, quòd id primum vocem hanc meruerit.

Lienem qui nouerit qualem ad se attrahat sanguinem, vt inde partim quoque alatur, crassum nimirum, melancholicum, & fæculentum; non immeritò improbi statim esse succi pronuntiabit, quanuis nonnullis interdum, quibus ita palatum sapit, gratiam addat stipticus quidam in eo sapor, qui alios fortasse offenderit; certè ex cuius alimento crassus, ac atrabilarius expectandus sit sanguis.

Ventriculus, Vterus, Intestina, membranosa omnia, frigidiorisque ideo & siccioris naturæ, duriorisque substantiæ: vt necessariò, quanuis probè concoquantur, succum tamen gignant paulò magis frigidum, crudumque, neque inculpatū prorsus, neque sanguineum ex toto. Quod vt fiat, longi priùs temporis, exquisitaque ac valida, caloris naturalis elaboratione indiget, vt probatus inde sanguis prodeat. idq; tradi de partibus id genus omnibus frigidioribus natura, durisque, potest: quæ vt ritè primùm à ventriculi calore vincātur, fiatque chyli pars ex his; in pituitosum tamen succum abeunt, illaudati, pituitosique sanguinis materiam, nisi quum ventriculum nactę robustum, & conficiendis cibis validum, plurimumque caloris naturalis in præcordiorum foco, perfectam huius opera concoctionem subierint, integrè ad sanguinis iusti probique generationem confectæ, longiore temporis mora valido in hæc calore agente. Atque vt hic ita afficiantur frigidiores cibi; in paulò magis calidis natura, aut temperatis, & substantiæ tenerioris, secus eueniet. vehementior nanque calor exuret potiùs, quàm concoquet, alios dissipabit priùs, quosdam etiam putrefactos corrumpet: vt oua in calidiore ventriculo, incumbente nimia caloris vi, nec iusta, pro materia, proportione agente, facilè in nidorosam corruptelam degenerant.

Glandularum alimentum, quale existimandum sit, & Testiculorum, & Renum.

CAPVT II.

PEculiare genus est Glādularum quoddam, quod saliuam gignit; tum eorum, quæ in paristhmijs sunt: vtrūque cum lingua sæpe eximitur. Sunt & in faucibus, & mesenterio, alibique in corpore paruæ multæ, quibus vasorum diductio fulcitur. At Thymus glandula maior est, in nuper natis ac nouellis: minor fit in adultis. Glandularum, quæ in mammis reperiūtur, magnum ad alias, atque etiam inter se, discrimen. Aliæ nanque munere semper suo funguntur, aut gignēdæ saliuæ, aut vasa sustinendi, quibus substernuntur; aut ad alium aliquem vsum genitæ, in eo munia semper exercent sua. At mamillarum, generando lacti à natura factæ, in vtero tātùm gerentibus, aut lactantibus explent munus; gratissimo sapore, lactisque, quo replentur, dulcedinem referentes: reliquo tempore omni feriantur, ipsę tunc non sanè parum à seipsis distantes, quippe exuccæ iam, & expresso succo arefactis spongijs similes.

Glandularum omnium frigidius temperamentum: substantia eo à linguæ substantia interstitio, quo à carne lingua. Quę linguæ proximè adhærent, atque eam tangunt, quales mammarum censentur, quum nondum refertę lacte suo fuerint. Vniuersis gratus inprimis cum friabilitate inter mandendum sapor. Gratissimus, acceptissimusque, Gulonumque palato expetitus præ omnibus, refertarum lacte, præsertim verò Suum. Idem, quod de membranosis partibus paulò antea diximus, repetendum

dum hîc habemus, vt faciliùs memoriæ commendetur, vtile ad multa; permagni scilicet referre, quomodo cibaria hęc concoquantur. Etenim exquisitè concocta, calorisque nostri actionem perpessa in totum, vt nulla ex parte, quæ quidem concoqui, aut in alimoniam nostri confici à calore possit, vim eius subterfugiant, alimentū nobis exhibebūt probi satis, & laudati sanguinis, propè cuiusmodi sperare nobis ex carnis alimento liceat: at exactam concoctionem nondum adepta, ob caloris debiliter operati imbecillitatem, qui illam inchoet tantùm, non elaboratam perficiat; aut pituitosum succum gignent, si humidiora fuerint, cuiusmodi glandulæ quædam sunt; aut crudum, si duriora, vt itidem ex glandulis aliæ nonnullæ. Porrò autem succus huiusmodi vterque, pituitosus nempe & crudus, variè per corpus dispersus, maioris omnino caloris, siue natiui, siue artificio aliquo adiuti, opera indigebit: vt diligenter elaboratus, sumptoque naturæ, quem poterit, ornatu, aut caloris vi consumptus digeratur, aut attenuatior factus foras propellatur aliquò, aut etiam in partem alimenti sanguificatus cedat: de quibus posteriùs suo loco dicendum.

Vesicæ collo appositæ Glandulæ proximæ Testium naturæ sunt: nam & Testes ipsi Glandulis adnumerātur, quemadmodum & Renes à multis; eoque, pro testium in animalibus quadrupedibus (nam auibus nullæ hæ: quoniam ne vesica quidem) diuersitate, diuersæ. itaque dicto priùs de Testibus facilè intelligentur. Referunt Testes virosum quiddam in quadrupedibus, quod quasi semen redoleat: vt nec operæpretium sit edisse, ob tetrum quandoque odorem, saporemque; & si edātur, concoctu difficiles, & improbi succi euadant, taurorum præsertim, & hircorum, & arietum, omnium autem maximè adultorum. Quo quidem magis animalium carni eorum, per se deterrimæ, ætatis quoque additur noxa, qua maximè virosi seminis fœdum odorem simul, & extraneū quendam saporē contrahere Testes solent. Eandem ob causam deteriores minùs habendi animalium, quorum minùs mala caro: neque tamen hi ipsi sic laudandi, vt non interea ægrè semper conficiantur in ventriculo, & improbum succum exhibeant. Ex cōcoctis tamen alimenti satis accedet corpori, sed cuiusmodi retulimus.

Sicuti ex Testibus sapore detegitur, quod semen prodat; ita ex Renibus, quod lotium. Itaque meritò eiusdem penè bonitatis, & malitiæ, cuius Testes. Aduersantur enim concoctioni hi quoque insigniter, & illaudatum satis succum gignunt, malum, inquam, naturæque nostræ extraneum simul & crassum, alibilem tamē. Cuiusmodi non pauca reperias, quæ alendo satis sint; at alimenti quod exhibent, prauum, damnatumque habeatur. In nouellorum tamē, ac teneriorum quadrupedum Renibus, quum nondum fœminas ineunt, necdum coeundi desiderio tenentur, meritò minus quoque semper noxæ inerit: vt Hœdorum Vitulorumque vesci sæpe Renibus, non vsque adeò magno nostro incommodo, possimus. Eadem, quod ad hoc attinet, Glandium reliquarum ratio.

De Cerebri substantia, cuiusmodi inde alimentum prodeat, & cuius bonitatis id, aut vitij habendum sit. Eodemq; modo de Medulla, ossium pariter, ac dorsi, & Pinguedine, & Seuo.

CAPVT III.

IIsdem rationibus delectu vtemur partis Cerebri, prælato semper iuniorum, in quibus, ætatis nouellę beneficio, partis eius vitia quadantenus corriguntur: quæ sunt, succi crassities, ac permeandi mora; concoctionis difficultas, simul & repugnātia, qua particulariter ventriculo aduersatur, præter concoquendi difficultatem: sicuti quòd viarum meatibus diutiùs inhæreat, non ob solam crassitiem fit, sed pituitosus prætereà humor id fecerit, tardior natura, nec progredi trahique facilis. Atque hæc omnia ætate, vt diximus, emendari aliquatenus possunt teneriore, quæ crassitiei multum adimat, vincique faciliorem ventriculo tradat, duritia minore. Nam humiditas, pituitosusque succus, cuius id ætatis dominium maius, non humoris solùm nimij, & pituitosi succi, sed pinguitudinis prætereà vitio damnātur: quæ per id temporis semper maior, sicuti alibi in corpore, ita in Cerebri quoque parte. Qualis quidem inesse Cerebro pinguedo potest, non verior illa, adeps scilicet, aut Seuum, sed sua Cerebro propria vnctuositatis, siue vnguinis cuiusdam instar, quod appetentiam deijciat, & nauseabundos faciat edentes, nihil vt ciendæ vomitioni aptius hoc sit, quàm si pingui aliquo cōditum in postremis exhibeas; vsu interdum tamen aliquo euocandæ meliùs pituitæ vomitu, si incidentibus, & calidis condiatur, quæ simul pituitam faciliùs, vt diximus, eliciant, simul Cerebri crassitiem, partemque excrementitiam dissecent, promptiùs vt vomitio

mitionibus pareat; aut si vomitu non eijciatur, & concoquendum fuerit, minore difficultate id fiat, noxaque minore, quippe castigata iam alimenti malitia. etenim concoctum benè non parum tamen alet.

Pinguior ossium Medulla, gustuque suauior Cerebro, quod ipsum etiam capitis Medulla videri possit: sicuti sanè Spinalem non minùs medullam aliam appellant, quæ procul dubio ex Cerebro originem trahit. Sed ossiũ diuersæ omnino substantiæ, naturæque, & quam rectè Medullam voces, concocti sanguinis, atque intra ossium cauitates recepti, materiam, siue sobolem, seuosam in quadrupedibus, quæ superiore dentium ordine carent; adiposam in his, quę vtrinque dentata sunt. Pinguior, humidior, mollior Spinali medulla est, Cerebroque ipso, ac nauseam, vt Cerebrum, ciens, sed ex qua tamen probè concocta nutriri corpus satis queat.

Ad huius instar dorsi quoque Medullam appellârunt, colore veræ Medullæ similem, & ipsam non minùs ossium receptaculis contentam. Cerebro continua hæc est, eiusdemque naturæ, nimirum inde exorta, durior quanuis semper, quo magis ab origine sua discesserit; ideoque minùs simul pinguis, aut vnctuosa, vnde & nauseabundos faciẽdi culpa magis careat, atque eadem, si ritè conficiatur, abundè satis nutriat.

Inter hæc admittas Pinguedinem quoque, & Seuum: rectiùs tamen cum condimentis adnumeres. Sed & hîc de his dicendum, exiguum quanuis alimentum hæc elargiantur. Seuum crassiorum partium, Pinguedo tenuiorum: vt Seuo nutrimenti; adipi, siue Pinguedini cõdimenti, plus tribuamus. Natura vtriusque oleosa, concreti, temporis diuturnitate, olei in morem. itaque non magno semper calore soluuntur in liquorem. Appetentiæ demere multum possunt, erugato pinguitudine sua, vnctoq; ventriculi ore, ac veluti complanato, ne appetat. Cũ hac igitur de causa damnandus eorum vsus, nisi pro condimento; tum, quòd promptè in corpore calorem concipiat alimentum inde, quasique flammatum incalescat, magno sæpe eorũ, qui crebrò nimis vescuntur, incommodo, & facili in grauissimos plerunque morbos lapsu, Lepram, aut Psoram, aut Elephantiasis initium. Exuritur enim inflammatione ea sanguis, atque exassatus in atrabilarium degenerat, ac morbis his, eiusdemque modi alijs, occasionem præbet.

Atque hæc de partibus, vnde capi alimentum solitum sit: nunc de Sanguine, quæque ex eo prodeunt esculentis, agendum.

De Sanguinis temperamento. Num calidus Sanguis omnis. Et de Sanguinum diuersitate ad alendum.

CAPVT IIII.



Anguinẽ reperiri nullum posse, frigidus qui sit, pronuntiatum legimus à Galeno non semel, sic in vniuersum. Quid? num etiam vespertilionũ frigidum non dicemus, aut ranarum, aut piscium multorum? Videtur quidem. Frigidum quidem qui crediderunt vespertilionum, ac ranarum, quę virides, & βρέξαντες, Galeno vocantur, rubetæ differentia alterius coloris, ac mutæ; deinde sperantes posse sanguinibus his frigidioribus euulsos pilos, ne renascerẽtur, prohiberi, aut mamillarum in virginibus, aut in maribus pueris testiũ incrementum cohiberi, & huiusmodi frigidioris medicamenti effecta opera præstari; experti, falsos se opinione sua fuisse viderunt. Sed piscium, dices, quarundamque prætereà quadrupedum, vt agni, vt leporis, quos frigidioris naturæ esse narrauimus, an & horũ calidus nobis dicendus sanguis? Dicendus, si rectam inierimus nobiscum rerum harum rationem. Neque id hoc loco dico, quod dici tamen verè posset, in animali viuo sanguinem benè semper calidum reperiri, caloris natiui assiduè in eo operati præsentia, ac vitalium spirituum, multorum opinione animatorum, quos calidos esse oporteat, ope: nec cõtendam, in hunc rerum sensum rapiendum esse Galenicum de Sanguinis calore dictum: quanquam non deesset nobis subscriptor haud sanè gregarius Aristoteles Author, qui hac propè ratione Sanguinem calidum existimandum esse scripserit, ex accidenti vt crederemus talem, cæterùm per se frigidus haberetur verè, vt rectum ferre cuiuscunque iudicium potest, opinatus ea philosophici operis (De par. anim.) in parte, in qua calidi afferendas sibi differentias sumpserat, quas sensu percipimus, vbi non pauca reperire facilimum sit, tangentibus actu tum suo frigida quæ offerantur, calida nihilominùs alio potestatis sensu dicenda. Nobis medicè potiùs agendum, cõsiderandumque diligenter, quo loco, quo tractatu, quid've tunc mentis habens, dixerit hoc, scripserítve Galenus. Profectò non aliud inueniemus cogitâsse, quàm vsum ex Sanguine medicum, medicamẽtosum partim, partim alibilem, aut vtrunque quoque simul, qui planè iugulatæ iam animãtis Sanguis est, educti de corpore, refrigerati iam

 spiri-

spirituum omniũ euaporatione, & insito calore deperdito: vt pronũtiata tã cõstanter (bis enim id repetit) Sanguinis caliditas non aliter accipienda sit, quàm in de corpore iam extracto. Non enim ad vsum nostrum sugimus è viuentibus, aut emissum statim calidum adhuc potamus. Columbæ propemodum solus, cerebri membranis instillatus calens etiamnum, ex vsu est: reliquo vtimur amisso calore naturali omni, exhalatisque spiritibus. Iccirco de caliditate illius disputandum, quæ potentia naturaq; sua, ac per se talis habeatur, idq; (quod semper monendum ducimus) ad iustum hominis vnius alicuius temperamentum respectu: nũ videlicet intrò sumptus pro esca, animantis, cuius modò edulis nobis caro sit, qualiscunque Sanguis, hoc ipsum tantùm, esca nimirum, futurus nobis, an excalfacturus præterea nos sit. Quod ita censendum esse mihi quidem videtur, vt frigidi licèt animalis Sanguine non modò nutriri nos debere, sed insuper quoquo modo calefieri arbitremur, si illud priùs nobiscum considerârimus, rem ab omnibus existimatã semper fuisse calidissimam Sanguinem, caliditatem quidem hanc sortitum ex corde, sed priùs insiti nobis caloris opera diu multumque elaboratum; vt igneę facultatis accipere ea ratione non sanè parum, nec aliter induere purpureum colorem illũ potuerit, quàm caloris multi validique, in materia, quæ ventriculi quoque haud ita multo antè calorem experta sensisset, detersione Sanguini inhærente: mirum vt videri minimè debeat, si ex tot iam natiui caloris veluti focis atque officinis plurimam semper calidioris temperamenti vim reportet vnà, ac retineat, fiatq; calidus ita humor, non solùm accepto à corde calore, sed ipse quoque suum, qua diximus ratione, adeptus, sibique conseruans, huncque, post amissum actu illum, sæpe facultate sua proferens. Continet enim relictum sibi iam caliditatis aliquid ex toties repetiti caloris feruore, vt ignis vim quæ senserunt omnia solent, quibus ἐμπύρευμα illud restat, cinis, calx; animaliũ multorum excrementa, quibus caloris plurimum inesse experimur, alui, vesicæque longè magis: vt in Sanguine euenire idem posse existimemus, nempe in quo impressa caloris non leuis vestigia appareãt; color, qualem in rebus multo sæpe calore elaboratis videmus; materiaque eiusmodi, in quam potissimùm incumbens calor, ornandæque illi, & perficiendæ primitus intentus, faciliùs cùm imprimere, tum impressam relinquere virium suarum facultatem potuerit multo, quàm in excrementis, in quibus nihilominùs non leuia sæpe caloris cuiusdam perspici signa solent. Calidus igitur Sanguis quisque (si temperamento hominis æquabili conferatur) potentia sua, hoc est, qui æquati hominem temperamenti nõ alere solùm, verùm concalfacere quoque intrò sumptus possit; siue qua alia ratione, intus, foris, corporis calore in actionem suam deductus. Atque etiam sui semper generis carne calidior. Non enim semper verum est, longiore diuturnioreque concoctione rem quamque calidam magis euadere, si formam aliam substantiæ suæ induat: vt Sanguis in ipso propè natiui caloris foco propriã sibi formam indeptus primò, factusque Sanguis, tum paulò vlteriùs progressus attractúsve, vt caro fiat, in venarum primùm canaliculos, tanquam riuulos suapte natura frigidos & ipsos multifidè diductus, partibus deinde occurrens à natiui caloris fonte focoque paulò remotioribus, ita demum nutritione nostri in carnis substantiam abit, facta haud dubiè caloris sui, sibique proprij, progressu eo, transmutationeque illa, iactura. Sic fiet, vt Sanguis in vniuersum, tantisper dum Sanguis permanet, siue in corpore, siue extra corpus, in alimentum nostri cedens, naturalem sibi caliditatem retineat: immutationibus autem, quibus diximus, multis amittere eam non difficulter queat: prorsus vt hac quidem ratione vel piscium multorum Sanguinem calefaciendi qualibuscunque viribus statuere liceat, quorum carne refrigerante vtimur.

Sed quis hodie piscium sanguine vescitur? cui ve vnquam in mentem veniet, vt id faciat? aut quem potiùs impetus animi capiet, vt magno, eoque inani labore (paucus enim piscibus sanguis, nec iugulare facile mittendo sanguini) alimentũ sibi quęrat, cuius alibi parabilior simul, & vtibilis magis, copia? Sed & hoc ad rem pertinere visum in disputatione de Sanguinis temperamento: iccirco addidimus.

Edulium Sanguis concoctu difficile habetur, crassarum præsertim partium qui fuerit, ac melancholicus, cuiusmodi Bouinus: verùm nullus huius, hoc tempore, politioris quidem vitæ gentibus, vsus, quemadmodum sanè nec Caprini, vt Penelope olim procis, insipidis, hircosisque hominibus, etiam Galeno damnati. Iugulantur vituli, hœdi, sues, agni in hoc, horum Sanguine vescimur: Leporum non memini, tantopere Galeno commendato, gustuque suauissimo dicto. cui libuerit, licebit, minùs & excrementitio, & concoctioni rebelli futuro, vti. In Hircino efficax, medicoque vsu comperta minuendo re-

num

num calculo vtilitas, in cibis nulla: Taurini venenata vis, qua totius Græciæ authoritate maximus vir perierit Themistocles. Itaque, quod dixi, Vitulino, Hœdino, Suillo, Agnino vtimur, tenerioris ætatis commoditate potioribus omnibus, vt & in ventriculo conficiantur meliùs, & excrementorum minus ipsi conficiant. Ceruorum, Damarum, & Capreolorum sanguinis idem modus, fibrosi scilicet minùs, minoréque ideo duritia spissati; ac proinde, si ætatis eadem ratio seruetur, vt hinnuli sit, nec commodè, nec vtiliter minùs nutrituri, nec vitio maiore.

Lactis naturam ex diuersis partibus constare, quarum peculiarem esse vniuscuiusque facultatem aliquam; Serosæ, Caseosæ, Butyrosæ, vario cuiusque temperamento.

CAPVT V.

IAM Lactis differentiæ ex sanguine notiores, quàm vt explicari à nobis hoc loco longiore scriptura debeat. Tametsi enim triplici quodcunque substantia constet, Seri, Casei, Butyri: in alio tamen pars alia maior, cuiuscun que horum, atque in alio alia, pro sanguinis, vnde generatur, diuersitate. Id, quod discriminis non parum adfert; ac multo magis alimenti ex eo vsum, quod nunc quærimus, varium fecerit. Mitto medicatam in vno partem maiorem, quàm in alio, quæ cum nutriente coniuncta est. Sed hoc plùs alere, illud minùs posse scimus; hoc longiùs duraturi copiam alimenti exhibere solere, aliud aliter: sicuti hoc corruptum faciliùs iri, illud difficiliùs, prout tenuiorum, aut crassarum magis partium. Secundùm animalium differentiam, aliud alio Lac, aut naturæ nostræ conuenientius, aut è diuerso alienum magis, experimur. Lac, totam eam substantiam, ex tribus illis à natura in vnam conflatam, nominamus, proprij temperamenti, substantiæ, ac facultatum. Nam partes inter se non solùm diuersæ, sed etiam aliquatenus contrariæ. Quomodo nanque non contrariæ sibi inuicem Casei, ac Seri partes? aut non oppositis viribus pugnant, altera aluum subducens, adstringens altera? Ex quo sanè, quoniam in eadem substantia mutuò sibi ipsis impedimento sunt, ac, si eædem vtriusque portiones, viresque fuerint, neutrum assequentur, nec cohibita, nec irritata aluo; quum alterutrum moliri animus est, alteram necessariò auferendam partem curamus, vt expeditiùs viribus proprijs suisque vtatur reliqua. Sic quidem, sequestrato Caseo, (multis autem modis id fit, quos qui volet, alibi, abundè vnde petat, habet) Serum, quod subducendæ alui partes sibi vendicauit, commodè id præstiterit, vt nihil, si grauissimis Authoribus adhibenda fides est, præferri, duntaxat leniter ac molliter proritandæ aluo, huic aliud debeat, vsque eò, vt vel in acutis morbis, de Hippocratis (De ratio. vic. acu. iiij.) sententia, aptissimus huius futurus vsus sit: nec sanè minùs sæpe, quum sani quoque degimus, (ne prorsus extra rem in hunc locum incongruè afferri hæc à nobis videantur) vtendum habeamus, per se quidem etiam; sed mellis optimi, salisque additione, multo & commodiùs, & vtiliùs: alterum, ne subuersionem sentiat ventriculus; alterum, vt subducatur aluus meliùs, quæ quo salis additum plus fuerit, largiùs semper subducta feretur, modò non insuaue id sumenti sit; quod in vtroque seruandum, melle, saleque addito, vt potaturi semper gustus consulatur, ne auersetur. atque ita Serum.

Caseus autem, seu caseosa pars eodem pacto separata, siccataque aliqua ratione serosa, primùm nullo pacto irritauerit aluum; deinde adstrinxerit quoque, ignitorum lapidum, aut efficaciùs chalybis ope consumpta serosa parte omni. Nam elixatio lactis sola id solum præstiterit, vt ne prouocetur vlteriùs aluus: candentem autem chalybem, aut ignitos silices intinxisse, etiam vt adstringatur. Inest quippe in Sero aquosa, tenuissimaque lactis totius pars, sed cum acrimonia, quæ ad deiectionem irritet; rursus ablata sistat, amotione tantùm causæ, vt in multis alijs. Quanquam & in Caseo crassior terrestrisque pars exiccatione ea adiuta sistere per se quoque valeat: periculum tunc, ne epotum cogatur in Caseum, sæuáque inferat Symptomata quædam lac. Occurritur haud ita difficulter (nisi si tamen aduersans prorsus sumentis naturæ fuerit: Sunt enim nonnulli huiusmodi, vsum vt lactis quouis modo parati ferre nulla ratione queant) melleque & sale, & affusa aqua, maiore securitate coagulationis, dilutione ea discussæ, neque tamen ad egerendum irritata propterea aluo; quod, quo inprimis proritari aluus soleat,

leat, Seri acrimoniæ desit. Itaque vbi Caseosæ partis non multum, Serosæ autem plurimum, vt in Asinino; ibi cogendi in Caseum lactis suspicio minor, certior autem soluendæ alui spes. Contrà in Bubulo, in quo spissamentum naturale Caseosæ partis multæ adstrictionem potiùs alui pollicetur, Serosæ paucitas suppressionem, aut certè prouocationem nullam. Sequitur Bubuli naturam, Ouillum statim lac crassitie, & pinguitudine: Caprillum in medio rectissimè statuetur, æquis Seri, Lactisque portionibus. Ab hoc iam Asininum tenuius, serosiusque, tum Equinum, tum Camelinum omnium humidissimum, minimèque pingue, aut crassum. Exempla tantùm colligimus ex his: quoniam vsus iam nullus, Equini, dico, & Camelini: sicuti ne humani quidem, hac certe Salubri Medicinę in parte, nisi quos referunt Lactis humani suctu longissimam aliquando senectam sustentâsse; quæ pars artis huius Gerocomice est. Illud igitur admonuisse, tractationis huius proprium: vt quodque crassissimum Lac, sic renum calculo obnoxijs nocentissimum haberi; hisque, quibus meatuum angustia iecoris, aut circa iecur venæ facile obstruuntur.

Est &, quam tertiam faciunt, Lactis substantia, Butyrum, pinguedo potiùs quædam, vnctúmve: quapropter eadem sæpe præstat, quæ oleum, aut adeps; siue extrinsecus adhibere corpori velis, siue aliud ex eo pinguedinis commodum, siue flammæ quoque alimentum ad lucernarum vsum quæras. βούτυρον dixêre, non quòd ex Bubulo solo, sed quòd ex hoc potissimùm fiat. Apparet, veteres nesciuisse illius, nisi medicamentosum quendam, ad cataplasmata, vel vnguenta, quibus emolliendi facultas quæritur; tum per se etiam ad leuiores laxiorum partium phlegmonas, vsum: inter alimenta (quod legisse meminerim) non recensuerunt. Nam quòd Galenus frigidiorum regionum homines, qui oleo destituantur, vice eius Butyro vti dixerit; de vnguine tantùm, χρῶντα λουόμενοι τῷ βουτύρῳ dixit, non taciturus, si esculento quoque vsi fuissent.

Atque ex triplici hac rerum natura, & facultate inter se diuersarum, Lac existit. Tenuissimum enim, & aquosum Serum, minimè hærens, vltrò ipsum emolliens aluum, frigidæ omnino atque humidæ naturæ; attamen ex parte acris, sed non intantum, vt frigiditatem vincat. Temperatius Butyrum, vt oleum, vt pinguedo, quod facilè flammas concipiat, vtcunque aëreum. Iam Casei portio terrestris, frigida, siccáque, hærens, impacta, infarciens. Ex his tribus veluti consit à natura lac; frigidæ ideo in totum, & humidæ temperaturæ, sempérque sanguine suo, vnde oritur, frigidius: atque iccirco ex temperato animali, ad temperamentum humanum æquabile iustumque, eadem ratione semper quoque frigidum. Nam calidioris animalis, Leænæ, verbi gratia, temperamento iusto huic collatum, calidum fortasse non iniuria existimaueris, dixerisque lac; quod idem tamen eodem Leænæ sanguine frigidius habeatur: vt ex Arabibus, qui caliditatem Lacti assignârunt, si in eam partem acceperunt, quemadmodum dictum à nobis est, de calidioris natura animantis lacte, ferendi fortasse sint. Sed quis hoc ita illos tueatur pacto, quos constat in vniuersum de Lactis temperamento ad eum modum pronuntiâsse? Quod quum sit, necessariò rei, qua de institutus sermo est, temperamentum intelligi omnium medium debeat, vt iusta comparatio fiat. Rursus igitur hoc pacto frigidum euadet nobis lac temperatioris animantis, Suis nempe, aut (quoniam huius quoque aliquando, vt diximus, vsus) non minùs hominis: frigidum dico, quod æqui, iustique temperamenti refrigerare hominem valeat. Supra autem temperamentum excedentium animalium ad calidum, quo magis excesserint, eo sanè calidius lac: sicuti si infra mediocritatem in frigidum tetenderint, longè frigidius.

Ne miremur autem, calidum aliquod statui à nobis lac posse, vt Leænæ, calidissimæ animantis, quanuis Galeni obstare alicubi authoritas videatur: quod quomodo accipiendum sit, dicemus statim, explicato priùs hoc. Etenim quum sanguinem quemcunque calidum antea statuerimus, quo tanquam demonstrato vti posse videmur: porrò autem à sanguinis temperamento in animali suo lac quodcunque, exiguo quodam interuallo, ad frigiditatem recedat, vtpote quod pituitam inter eiusdem animantis, & sanguinem, temperamento suo constet, sic tamen, vt sanguinem versus inclinet magis: sit autem Leænæ temperamentum benè calidum: sanè ex benè calido sanguine lac nunquam frigidum prodierit, sanguini licèt suo calidum minùs, at non sic tamen, iustæ vt temperaturę hominem refrigeret: qui multo infra Leænæ calorem positus, quotiescunque refrigerari cupiet, lactis alicuius ope, lac quæret animalis, aut temperamenti æqui, (nam & huius frigidum, vt ostendimus, lac) aut æqua bilita-

bilitatem illam infra, ad frigidum descendentis, supra autem ad calidum nunquam. Quæ non eò à nobis dicuntur, vt Leænæ, aut alterius alicuius calidioris, feræque animantis, lac vsui aliquando alicui futurum sperem: sed disputationis natura ita fert, vt inuestigandæ ritè veritati necessaria vndique afferantur.

De Serosæ partis temperamento, cuiusmodi sit, disputatio, qua frigidum statuitur, idq; cur ita censeri debeat.

CAPVT VI.



EAdem nos propè necessitas cogit, (quoniam id ad lactis temperamentum nō parum faciat, & controuersa res est) paucis quibusdam versibus, vt Serum dicamus cuiusmodi tandem sit, frigidum'ne, an calidum, grauissimi Authoris testimonio, super eadem re, diuerso. Frigidum primò Galenus (De simplic. medic. facul. iiij.) facit, aqueum nimirum, tenueque, quo loco tribus constare, qualitatibus suis inter se differentibus, substantijs scripsit lac: Caseosa, quæ crassa: Butyrosa, quæ pinguis: Serosa, quæ aquea sit. deque hac mox, τόδ' ὀῤῥῶδες περίττωμα ψυχρόντ' ἐστι, καὶ ὑγρόν. Serosum, inquit, excrementum frigidum est, & humidum. Huic sententiæ quæ magis aduersetur, non facilè inuenias aliam, quàm si quis, calidam esse partem hanc, sententia sua proferat. Et eccum tibi Authoris eiusdem dictum, scripto (De alim. facul. iij.) luculenter testatum: οὔτε γὰρ ἔτι τὴν θερμὴν, καὶ δρυμεῖαν ἔχει ποιότητα, καὶ δύναμιν, ἧς μετέχει τὸ γάλα, διὰ τὸν ὀῤῥόν. Lac, inquit, (nimirum acidum iam, de hoc enim loquitur) vlteriùs calidam, acrémque qualitatem non habet, cuius particeps est lac, ob serum. Hæc quidem enim Galeni quoque vox est, Serosam lactis partem asseueranter calidam pronuntiantis, quam alibi frigidam atque humidam dixerat. Torsit hoc, eadem prorsus de re tam discors inuentum grauissimi omnium Medici iudicium, viros paulò superiorum ætatum authoritatis magnæ. Qui, quum sibi vel ex professo depoposcissent, non valde cohærentia Authorum dicta in sententiam vnam, atque eandem ducendi prouinciam, præfixo quoque operi suo Conciliationis titulo, idque in multis præstitissent; in alijs quum perficere non possent, viam tamen præstruxissent rectam, planamque; in quibusdam conati tantummodo viderentur; in hac, quam modò attulimus, repugnantia ne conatus quidem suos attulerunt, saltem vt pro conciliatoribus se gererent, tentata concordia. itaque depositam prorsus reliquêre nobis alijs tentandā. Nam quod aiunt, acidi tantùm lactis comparatione calidum existimandum esse Serum, quod temperamenti æqualitati collatum frigidum sit: tergiuersatio quædam est, & conscientiæ dissimulatio, quæ nihilominùs veritatem inuitis statim exprimat. Sic enim mox addunt: Non ignorare se, Galenum cum Medicorum quibusdam in ea fuisse, aliqua operum suorum in parte, sententia, vt Serum calidum & siccum censerent: sibi tamen standum potiùs, & acquiescendum, loco illius alibi sententiæ, in quo frigiditatem & humiditatem Serosæ lactis parti tribuerit. itaque sancitum sibi tunc esse velle, aperto satis ex verbis his discordium adhuc sententiarum testimonio. Quas si quis tamen diligenter perpenderit, neque valde nimis oscitanter examinauerit; minimè dissentire, atque in vnum, eundemque vtranque sensum ferri, non ita difficili iudicio constituere possit. Neque enim rectè consideranti rei vlli contulisse videri poterit Galenus Serum, quo loco calidum id, & acre esse protulit, sed sic simpliciter potiùs: acidum lac in nidorulentiam neutiquam corrumpi, præsertim ventriculo ingestum calidissimo, biliosissimoque, propterea quòd qualitate iam, ac facultate calida atque acri destituatur, cuius particeps est ob Serum; simul nec pingue obtineat modicè calidum, soláque illi facta reliqua sit Caseosa pars, ne ipsa quidem, cuiusmodi ab initio fuerat, naturæ, verùm iam in frigidum inclinans. Nihil hoc loco quæsitum à Galeno videmus aliud, quàm vt insigniter frigidam veluti sub oculos nobis poneret acidi lactis naturam, idque calidiorum partium ademptione, quæ dulci priùs inerant, Seri calidæ atque acris, Butyri modicè calidæ; quæ duæ qualitates, quum adsunt, qualemcunque caliditatem addunt lacti, non quæ calidum in totum faciat, sed acido quidem calidius, nondum tamen calidum temperamenti æqui respectu habendum. Nam cætera frigidum lac totum, Serosa primùm ex parte calida quidem & acri, parte autem maiori aquea ac frigida; tum Butyrosa tēperata, quæ nec calidū, nec frigidum

gidum faciat; Caseosa verò per se frigida satis. At acidum lac, quod oxygala est, longè hoc frigidius, vt in quo calida acrisque pars abierit Seri, frigidior & aquosa maneat; ex Butyrosa insuper amissus exhalatúsque discedat calor; Caseosa quoque per se quidem antea frigida, sed tunc præterea, tanquam sociali partium calore destituta, frigescat magis: manentibus quidem illis substantia adhuc sua omnibus, sed euaporato calore. Non enim existimandum, acescente lacte, partes eius abire: manent enim, alioqui neq; lac esset. Quòd si manent: & Serum inerit, sed amissa calida parte, atque acri, Serum tamen adhuc. ergo duæ in hoc necessariò partes, aquea, & acris: simul in dulcis lactis Sero aquea maior, multo minor acris; aquea, frigida nimirum atque humida, in acidi tantùm: vt iam meritò Galenum dixisse appareat, calidam & acrem qualitatem, facultatemque sortitum esse lac, ob Serum, partem huius nimirum quanuis nō multam, eiusmodi tamen, qua rursus in acido recedente benè frigidum fiat. *Geminam hanc* Serosæ partis facultatem agnouisse Gale*nus visus erat, non ita multo antè*, quàm eidem calidam & acrem attribueret, quo loco lacti, in quo consumptum Serum to*tum cohibendæ aluo fuerit, ne in ventri*culo coaguletur, præter alia adijciendum quoque aquam esse consulit, ita scribens: ϰὴ μὴ θαυμάσῃς, εἰ τὸν ὀῤῥὸν ἐκδαπανήσαντες αὖθις ὕδατος ἐπιχέουσιν. οὐ γὰρ τὴν ὑγρότητα, τοῦ ὀῤῥοῦ φεύγουσιν, ἀλλὰ τὴν δριμύτητα, καθ' ἣν ὑπάγει τὴν γαστέρα τὸ σύμπαν γάλα. Scilicet vetat nos mirari, si lacti adstringēdæ alui causa parato, non immeritò, ne in caseum sumptum coeat, adijciatur aqua, quasi ineptè id fiat, vt absumatur Serum, vbi aqueæ humiditatis multum, quo deinde aquam superuacaneè rursus addamus. Cæterùm in eo non vitari Seri humiditatem ait, sed acrimoniam, qua videlicet irritari soleat aluus. Cuiusmodi, quæso, humiditatem? non quidem acrem, aut calidam, (nam hanc iam reiectam vult) sed contrariam potiùs, frigidam nempe, & humidam; quæ si sola fuisset in Sero, non erat quærenda alia. Itaque oxygalactis, quod acidum lac est, vbi calidior acrisque magis Seri pars illa perijt, & aquea remanet, vsus. Neque enim tam facilè in caseum cogetur humoris aquei præsentia, neque irritabitur aluus acrimoniæ absentia; sed nec in nidorulentiam abibit, ne si in biliosum maximè, feruidumque ventriculum inciderit.

Duæ igitur quum insint eadem in re, vt sæpe fit, qualitates, ac facultates, etiam contrariæ: quum quis alterius tantùm meminit, ad rem suam, de qua agit, non nescisse alteram conuinci potest, silentio quanuis præteritam, nihil tunc facientem ad rhombum, quod dici solet. Tantùm non quottidie Aloes repurgatoriam facultatem, & stercorariam quandam prædicamus, scribimus, dicimus, quoties res ita fert, aut vsus aliquis venit: rursus adstrictoriam vim eius profitemur, exigente ita rerum, quas præ manibus habemus, aut de quibus tractamus, commoditate. neque ibi adstrictoriæ facultatis, in sermone de repurgatoria, neque repurgatoriæ hîc in de adstringente, memorantes quicquam. non enim necessarium: sed neque in mentem venit sæpe intentis in rem vnam illam. Num propterea pugnabunt ista? non, vt opinor. Pariter in hunc modum, quid mirum, Galenum lacti scripsisse calidam acrémque facultatem accedere ob Serum, eóque acidum lac frigidum existimari; quòd hæc inde in eo recedat *qualitas, satis id effectui illi esse ex cau*sæ ablatione intelligendo? Rursusque, Authorem eundem alibi hoc idem Serum, *cuius iam duplex ostensa facul*tas, frigidum & humidum statuisse? τὸ δ' *ὀῤῥῶδες περίττωμα ψυχρόν τ' ἐστὶ, ϰὴ ὑγρόν.* Vincitur enim Serosæ partis eiusdem acrimonia qualitatibus aqueis illis, vt eiusmodi constituatur. Etenim minimè inconuenire videtur, vt in quo aqueam *inesse partem, calidamque simul & acrem* aliam, ostensum sit, & aquea acrem superet; frigidum ideo atque humidum denominari, vel nondum discedente acri, queat: tanto autem magis, quum discesserit. Rursus, propter eandem hanc acrem ac calidam, non multam licèt, portionem, quæ Sero inest, particeps lac (particeps enim tantùm fecit: non calidum absolutè Galenus pronuntiauit) dici caloris alicuius potest, sed qui tamen totam lactis substantiam æqui vndique temperamenti collatione calidam constituere nequeat calor, adeóque acido quidem lacte, cui iam demptum Serum sit, calidius; temperati autem hominis sanguine frigidius, eodem modo lac constituatur totum. Nec Serum quidem ipsum dici, haberique aliter, quàm frigidum, hominis eiusdem comparatione, debeat, vt cui longè maior aquositatis cuiusdam insit portio; alterius verò calidæ, atque acris partis portiuncula solùm quædam, cuius, vt narrauimus, particeps tantùm est. Ferè autem participari rem aliquam intelligimus,

gimus, non magnis detractis portionibus.

Examinatum Lactis temperamentum diligenter: & excussa loca Galenica, de re hac, quædam.

CAPVT VII.



Vippe in generatione Lactis ex sanguine, vt de huius quoque temperamento dicatur, serosa priùs huius ipsius pars, quæ lotio superfuerat, primò venarum, quarum tunicæ frigidæ sunt, & per longum satis corporis spatium trahuntur; tum glandularum quoque in mammis, naturæ eiusdem, nempe frigidioris, occursu; exuere non sanè magna difficultate caloris partem bonam sui potest, ipsa alioqui infra biliosi humoris caliditatem posita, vt benè frigida euadat, remanente nihilo seciùs caloris adhuc vestigio nonnullo, quod acescente deinde lacte discedat totum. Nec dissimiliter, easdemque prorsus ob causas, biliosam sanguinis partem, huiusque (sanguinis dico) propriè, veréque dicti, qui peculiaris, secretúsque ab alijs humor est, tenuem magis partem, in butyrosam verti verisimile mihi fit, quæsito biliosæ parti ex sanguinis parte temperamento, vt refrigeratior facta mediocritatem caloris acquirat, & butyrum fiat. Sic reliquas non minùs sanguinis totius portiones, partim natura iam sua frigidas, crassásque, vt melancholicus in sanguine succus est; partim calidas sanguinis proprij; vniuersas in caseosam substantiam abire, atq; ita lac totum simul existere crediderimus, acquisita partibus omnibus frigiditate aliqua, longissimo quodam venarum, quibus conficiendi lactis delegatum à natura munus fuit, tractu, multipliciúmque, vt diductus in portiunculas plurimas sanguis alius fieri meliùs queat; mox occurrentibus etiam mamillarum glandulis, refrigerato tandem parte ex omni sanguine, vt genitum ita lac prodeat, & calidior quidem sanguinis pars bilis, eiusque vnà tenuior portio, infracta illarum caliditate, ad mediocritatis temperamentum deuenerint in Butyro: in Caseo, seu caseosa parte, infra mediocritatem ad frigidum, nec multùm tamen, substiterint, sanguinis proprij veríque crassioribus partibus frigefactis, nigriorisque bilis succo, ac pituitæ, pituitosóve sanguini immutato additis: in Sero autem sponte iam, naturaque sua frigido per se antea, (etenim materiæ cuiusdam pituitosæ Serum est) inuecta refrigeratione, calidiori eius parti, neque tamen prorsus restinctæ. Hæc est, conuenientibus in vnum omnibus, Lactis substantia, hoc temperamentum frigidum atque humidum meritò: sed modicè, longiùs nimirum à pituitæ frigiditate, ac sanguinis sui semper temperiei propius; idcirco χλιαρᾶς, id est, tepidioris cuiusdam caliditatis dictum à Galeno, lenis quædam potiùs, & placidior frigiditas dicenda, cuiusmodi rosarum succi, rosaceíve olei, & aliorum quorundam est: quæ temperatum corpus, quoties se temperatè habet, & ab omni inæqualitate alienum est, refrigerare modicè possit; aliter se habens non possit, si à iusta temperamenti sui moderatione paululùm in frigidum declinauerit: tunc enim simile illi fiet, ex quo actio nulla. at vlteriore recessu prolapsum etiam calefecerit: is enim tepidæ *huiusce frigiditatis modus, vt temperatum refrigerare, paulò magis refrigeratum excalfacere possit. Itaque nullo sæpe* discrimine Authoribus tepor huiusmodi caloris non minùs, quàm frigoris, *nominibus vocitatur, vt Galeno: (De* simpli. medic. facul. iij.) οὕτω κἂν τοῖς φαρμάκοις ἔλαιον μὲν ἐκ τῆς μέσης ὑπάρχει κράσεως: ὁ δὲ τῶν ῥόδων χυλὸς ἐκ τῆς ψυχροτέρας μὲν, ἀλλ᾽ οὐ πολλῷ τινὶ, κατὰ τὴν χλιαρὰν, ὡς εἴρηται μοὶ καὶ προσθὲν, ὑπάρχον θερμασίας. Sic, inquit, & inter medicamenta oleum temperamenti medij est: rosarum succus frigidioris quidem, sed non ita valde, vtpote qui secundùm tepidam, quemadmodum dictum priùs quoque nobis fuit, caliditatem consistat. Vides, eiusdem rei, eodem sensu, de frigiditate, & caliditate, eodémque propè versu pronuntiatum? sic quidem, vt caloris tepiditas illa frigiditas potiùs habenda sit, & quidem vera ad temperiem æquam, tametsi parua paucáque. Facit autem id in lactis totius substantia Seri calida illa, non multa licèt, sed iusto tamen calidior, & acrior pars, simul & Butyri moderatior, vt refrigerare haud sanè valde queat; semper tamen generis conditionisque suæ sanguine frigidius sit, quem inter, ac pituitam, (sui semper generis intelligo) temperatura sua positum est, sed minore à sanguine, quàm à pituita, vt diximus, interuallo.

Hic rursus scrupulus, ad quem offendamus, aut salebra, in qua hæreamus, nisi cauerimus. Nos enim hîc frigidum potiùs teporem quendam dicimus in lacte, idque extracto de Galenicis dictis sensu, nõ vno in loco. Sed quid dicendum nobis fuerit ad Authoris eiusdem dictum, obuia maximè ope-

mè operis in parte, teſtatũ nobis relictum, vt transmiſſum mirer ininueſtigatúmq; ab Eruditis, qui in hæc inquirunt. ὥστε, inquit, (De ſimpli. medic. facul. iiij.) τὸ μὲν σύμπαν γάλα τοῦ συμμέτρου τῇ θερμότητι σώματος ἀπολείπεσθαι συχνῷ. Vniuerſum lac à temperati corporis calore diſtat multùm, ſiue, longo abeſt interuallo. Quis non benè frigidum credat, ex hoc dicto, primore conſideratione? Sed componenda in vnum verba ſimul omnia, vt integer inde ſenſus exiſtat, nõ diſcerptus, & magiſtri dictata à capite accerſita expendantur; non autem periodus vna reliquarum omnium demum prę-iudicium afferat. Triplicem lactis qualitatem ac facultatem quum expoſuiſſet Galenus, caſei, butyri, ſeri, ſic deinde addit: ἀλλὰ τούτων ἡ μὲν λιπαρὰ μάλιστα εὔκρατος, ἡ δὲ παχεῖα μικρὸν ταύτης ἀποδέουσα, τὸ δὲ ὀρρῶδες περίττωμα ψυχρόν ἐστι, καὶ ὑγρόν, ὥστε τὸ μὲν σύμπαν γάλα τοῦ συμμέτρου τῇ θερμότητι σώματος ἀπολείπεσθαι συχνῷ. Inter has, inquit, pinguis temperata maximè eſt; craſſa verò parum ab hac recedit; at ſeroſum excrementum, & frigidum, & humidum eſt: prorſus vt vniuerſum lac à temperatæ caliditatis corpore magno interuallo relinquatur. Cui nõ, quæſo, pugnare videantur hæc mutuò? frigiditas tepidior, imò caliditas, quæ tamen frigiditas quædam eſt, ea, qua diximus, ratione, & à temperati caloris corpore diſtantia magna. Sed ſi quis diligenter ſecũ conſiderauerit, qua hæc ratione, quóve ea loco à Galeno dicantur, næ is animaduertet ſtatim cohærere omnia, nec diſſidij quicquam eſſe. Affertur eo loci ab Authore eo nobis ratio, quî fiat, vti mel vetuſtate amareſcat, aut in paulò magis calido temperamento bileſcat; in frigido, benè ac commodè alat: non item lac, quod aceſcere potiùs videmus in frigidiore ventriculo; in calidiore concoctum optimè alere, corruptum autem ad nidorulentiam trahi: mel autem aceſcere nunquam. Id nimirum adfertur rationis ibi, mellis ſcilicet caliditas: contraque lactis multo infra illam poſita frigiditas. In comparatione enim tum mellis omnia dicuntur, quorum vtriuſque rationibus cuncta illa contingant. Ergo longè ab æquabili caloris temperie diſtare vniuerſum lac dictum, videlicet longiùs, quàm vt aut vetuſtate amaritudinem ſentiat, vt mel, quod ipſum temperati caloris ſit; aut ne in frigido ventriculo in acorem abeat, quod melli nũquam continget propter caliditatem illius iuſtam: lacti autem ob frigiditatem vſu ſæpe venit, quæ quanquam modica, atque etiam intra modum, propiórque ſanguinis, quàm pituitæ temperamento ſit; at eiuſmodi tamen eſt, vt longiùs à temperie, quam mel obtinet, ad calidũ, ad frigidum ipſa ſepoſita, frigiditatis potiùs meritò opera edat. Hæc eo paulò fuſiùs explicata à me volui, vt intelligerent rerum Medicarum ſtudioſi, conferenda eſſe Authorum loca ſimul, quorum videantur diuerſæ ſcriptæ fuiſſe ſententiæ de eadem re. Etenim collatione ea, diſſidere viſa ſæpenumero inter ſe quædam, ſi ritè examinentur cuncta, minimè diſſidere videbuntur, rerumque ita veritas, tanquam tenebris euoluta, apparebit meliùs, & conquieſcet mens.

Lactis vſus, & commoditas in alendo præcipua.

CAPVT VIII.

LActis vſus, cuius iam temperamentum quale, quæ've illius eſſet eſſentia, oſtendimus, omniũ ꝓpè maximus alẽdi facilitate, vbertate, bonitate. Idẽ alimoniam noſtri primò ſemper inchoat, ac poſtremò in multis ſæpe finit, ſed vberibus exuctum, quod maximè bonitatem eius iuuat: infantili ętati, ob temperamenti humiditatem, caliditatiſque, qualem ſæpe iam memorauimus, teporem commodiſſimum: Senibus, ac decrepitis, alimenti primùm facilitate (tanquam enim præmanſus cibus, de mammis ætatibus illis exuctus ventriculo ingeritur) vtiliſſimũ; deinde humidioris quoque alimenti vſu, quo ſiccior ſenum habitus totus, decrepitorum præſertim, intrinſecus humefactus fouetur: nec ſanè medijs temporibus omnibus non ſemper commodum, vtileque. Siue enim defectas viribus, alimentóque ſuo, partes nutrire ſtatim animus ſit, non aliud facilè inuenias, quod tot antea caloris naturalis concoctionibus elaboratum, quaſique confectum iam, porrigi pro cibo poſſit, quód ve temperamenti ſimilitudine, totaque ſubſtantiæ affinitate in alimoniam rapiatur partium, addatur, aſſimiletur, vnumque fiat. non immeritò. ſcilicet antea quoque minimo minus, dum lac fieret, abiturum in nutrimentum fuerat; & dum additur partibus, bis iam proximam nutrimento naturam ſortitum eſt; primò, quum ex ſanguine in lac conuerſum, propè iam erat, vt aleret; iterum, quum ex lacte ſanguificatum facilè alimenti veri, omniumque vltimi, quo nutricatio vera perficitur, naturam, ornatúmque ſubit, formaque glutinis ſuſcepta affigitur facilè, prorſuſque in membri ſubſtantiam deſciſcens, partium illarum fit, intrinſecus acceptum. Seu ſucci bonitatem quæras, non alia melior, quæque

quæque cùm ipsa prolixè bonitatem suam largiatur, optimo omnibus communicato succo, tum aliorum quoque malitiam sæpe corrigat, & humorum vitia contemperet: seu alimenti nobis copia, atque affluentia cordi fuerit, minimum ibi excrementorum, ideóque & nutriendi vis maior. Quæ licèt omnia vino quoque insint, at non vt soli, per seque insunt, nempe calidioris ac siccioris temperamenti, quàm purè alendo par sit; ac, nisi alterius rei additione, aquæ nimirum, non profuturo, contráque obfuturo potiùs interdum. Sed nec vino solo si alamur, tantum producere dierum nobis liceat, quàm si lacte: vt plus omnino alimentosæ naturæ in hoc, quàm in illo esse, hinc manifestò satis appareat, atque iccirco suffecturum quandoque cibo potúque lac credamus; non suffecturum vinum, aut certè non tantum. Itaque tam γαλακτοφάγυς, quàm γαλακτοπότας habent Græci, qui nimirum esu potúque lactis vterentur, quum vini potus tantùm sit, non etiam esus, nec dicatur quidem. Mitto hoc loco tot medicabiles huius vsus, tales ac tantos, sed alterius omnino negotij.

Lactis delectus ex multis, animantis genere, pabulo, anni, partúsque tempore, & huiusmodi: vsúsque, ac nocumenta inde, & quomodo vitanda. Lactaria deinde opera quædam in transcursu dicta.

CAPVT VIII.

Illud tamen inprimis cauendum, ne qua (sicuti in rebus euenire solet, quarum vt quæque nobilissima, cōmodissimaque, sic noxa sæpe maior cōtingat) incommoditas ex eo accipiatur, vsusque tantus accidenti aliquo, vel inconsideratione etiam nostra, vitietur. Quæ enim de lacte diximus, de optimo dicta lacte accipi cuncta debebunt. Fuerit autem optimum, ad benè, multumque alendum, quod crassum inter tenueque sit, hoc est, quod serosæ aut caseosæ partis superfluitate nō redundet; quod coloris candore commendari possit; virore, aut liuore nullo, odoréve tetro notetur; sapore suauiter dulci sit, nihil aut amaritudinis, aut salsi, aut acidi, aut extranei aliud quippiā referente; tum etiam æquabilis per omnia substantię. Huiusmodi lac multa facient. Nō enim aliunde temerè expectādum, quàm ab homine, conditionibus his simul omnibus præditū. Neq; huiusmodi tamen semper humanū lac erit. non enim à partu statim, ac non nisi vltra bimestre tēpus: nec cuiusuis habitudinis, aut ætatis, sed vtrobiq; mediæ: nec nullo prorsus discrimine vsæ in cibatū mulieris. Omnium nanq; potissimùm ex hoc lactis bonitatem, aut malitiā captare nobis licebit, si ciborum ad rem hanc delectum sequemur. idque inprimis, atq; ante omnia in brutorū lacte, cuius frequentissimus vsus, experiemur. Humani nanq;, in hac quidem Medicinæ parte, quæ Sanitati dicata est, non alius ferè, quàm in Infantiæ ætate, vsus necessarius, vt victus in eo rationem curandam habeamus; aut extremo quandoq; in Senio: quæ Salubris artis Pædotrophice & Gerocomice sunt, posteriùs priuatim tractandæ, partes. At Caprillo, Ouillo, Bubulo, tribus his ferè continuè, ac per omne tempus assiduè vtimur.

Omnia igitur hîc quoque, sicuti quum de humano dicebamus, dispicienda, præsertim verò pabulum. nā homini toto anni tempore idem propè; aut, vt pabulum variâsse aliquando cōueniat, hyemis, æstatisve, aut huiusmodi diuersitatem sequutis, copia semper eadem. Lōgè alia quadrupedum ratio. nam nec vbertas semper pabuli eadem, quum pascuntur, vere, æstate, autumno. Desit enim sæpe: hyeme rigent, & alimenti inopia emaciatæ, lactis non sanè multum exhibent quadrupedes, egestatemq; alimoniæ testantur paucitate lactis, & vitio insuper aliquo: adulto iam vere, optimū, laudatumque; & inchoante æstate, locis non nimis citò exarescentibus, per totum id temporis, teneris semper herbis, sed adauctis iam, necdū semen proferentibus. Mirū aūt, quū, alimenti facultas quanta sit, perspici ex alijs multis possit, quàm id tamen in lacte potissimùm apertū manifestumq; fiat. nec iniuria. Mox nanq; à sanguine, quæ secunda concoctio est, lactis generatio: vt abire in id seruariq; facilè pabuli sæpe tum odor, tum non minùs interdū sapor quoq; possit, quando vel in corpore nō raro, carnisq; substantia, tam longo à sanguinis generatione interuallo, idē nonnūquam eueniat. Hispaniarū quidem Verueces prædicāt saluiæ, thymi, rorismarini, herbularumq; sæpe odoratarū, quarū pleni ibi cāpi, vim quandā carnibus suis referre: & Coturnices scimus alicubi non rarò, quæ helleboro vescantur, cōuulsionis cuiusdā multis causam dedisse in cibis: vti iā fides Galeno adhibeatur, in Bœotia, Thessalia, Attica idem contigisse suo tempore coturnicum esu multis, qui musculorum tensionibus, τάσεσιν, inquit ipse, corriperentur. Musculorū tensiones dicit, non neruorū conuulsiones: & ita est. non enim conuelluntur hi, vt artubus distor-

queantur, deprauatúsque motus sequatur, quod in conuulsionibus accidit; sed contēdi his corpus, musculiq; ipsi, & carnosæ partes videntur, non autem motibus vllis manifestò corripiuntur præternaturalibus. Quòd si esitatæ Coturnices hoc faciunt, deuoratique hellebori vim aliquam referunt carnibus; nec desunt, qui sudoribus interdum quoque detegi alimentorum naturam ex odore contendant: tanto magis seruari in lacte, ostendique alimenti vires debebunt, sanguini chylosoque succo, quæ prima est alimenti in ventriculo immutatio, proximo. Γυνὴ, αἴξ, ἐλατήριον, ἢ σικύον ἄγριον βεβρωκυῖα παιδίοις κάθαρσις, ait (Epidem. vj.) Hippocrates, maximo argumento, explodendos contrà opinantes esse, vsuq; non paruo repurgandorum puerorum, si exigere id res ipsa videatur, non nutricis solùm, aut matris, sed capræ etiam medicato ita lacte. Quod post humanum, ad hosce vsus nō modò repurgandorum, verùm etiam enutriendorum (id enim quoque innui hîc videtur) infantium, si humano destituamur, Hippocratici huiusce dicti authoritatem sequuti, adhibebimus. Simul inde nobis rationem colligemus, cur proximum habendum nobis sit ab humano Caprinum, alendi quidem vsibus: quippe quod, Ouinum Vaccinumque inter crassiorum partium, & Asininum tenuissimarum, commodissimum sese alendis nobis exhibeat. Simul magnum discrimen ex pabulo intererit, quod nunquam ferè his desit, vel media sæpe hyeme virgulta tondentibus, & vescentibus libenter, quibus non tam fluidum lac faciendi potestas insit, quod vel Poëtæ ipsi notum sic in Georgicis suis canenti:

Pascuntur verò syluas, & summa Lycæi,
Horrenteisq; rubos, & amantes ardua dumos.

Quocirca lactis semper vbertas ex his, & eius quidem laudati: quanuis in hoc quoque idem, quod in alijs omnibus, seruandum sit, præter pabuli differentias, (quod quantum valeat, exempla ac rationes attulimus) vt anni insuper tempora spectemus. Quippe vere humidissimum, plurimúmque, ac benè liquidum: autumno, atque hyeme, iusto crassius est: ęstate, omnium in medio. Eadem propè, qua à partu, ratione tenuissimum primò fit, ex quo colostra, damnati alimenti: tum deinde sensim semper crassescens magis, magisque, eò vsque tendit, donec tempore fieri prorsus lac desinat, non suppeditata vlteriùs materia. Medio igitur hîc quoque à partu, finirique soliti lactis tempore, deligendum, si sequendas nobis optimi vndique conditiones esse duxerimus. Neque tamen tam anxiè & scrupulosè faciendum nobis id erit, vt (quod nonnulli censuerunt) Vaccinum præferendum esse ob id iudicemus, quòd gestationis vteri in vtrisque non admodum tempora distent, boue, homineque: nos nihil illud lactis bonitati addere posse credemus, propterea quòd eandem aliud alio bonitatem tempore acquirere sibi seriùs, ocyus, nulla præteritę iam gestationis ratione, lac posse persuasum habeamus, vt conditionibus optimis sit. Quæ vt nullæ in Caprillo lacte desiderentur, atque expectandum alimentum nobis inde sit, omnium maximè, ex quibus alimur, succi optimi: timenda tamen ex eo, cauendaque interdum noxa non minùs, atque ex alijs. Quoniam è diuerso, omnium quoque maximè pessima semper lactis in ventriculo corruptela, siue in nidorulentiam discedat, siue in acorem degeneret corruptione mala: deterrima autem, quoties in caseum, cōcoctionem omnem subterfugiens, cogitur, sæuissima sæpenumero inferens Symptomata, nec sine vitæ tamen interdum discrimine non obscuro. Facit hoc lac, opinor, tanquam sanguinis soboles, illius aliquid etiamnum naturæ retinens: quem quidem sciunt Medici omnes, corporis cauitate aliqua, postquàm venas suas exierit, contentum, atrocis semper, atque extraneæ nobis qualitatis efficaciam minari solere, vt idem contingere in lactis corruptela posse arbitremur, ob succi malignitatem; qui sicuti ex laudato ritéque concocto optimus, sic planè ex contrario pessimus. Hæc & Caprillo contingēt, probato quanuis, si inconcoctum corrumpatur. Sunt nanque lacti cuilibet communia ista, sicuti & illa: Caput lactis vsu infestari, nisi validum natura quod fuerit: Hypochondria item, inflationibus opportuna, noxam inde sentire. etenim flatulentia statim ex lacte in ventriculo suboritur, vt paucissimi sint, qui non hoc ipsum continuo eius vsu incurrant. Noceri dentibus, & gingiuis, his laxioribus factis, illis putrefieri & corrodi facilibus, exploratum.

Præstiterit, ab eius statim vsu vino colluisse diluto os, partesq; illas, addito melle, detergendis ita meliùs dentibus gingiuisque, & caseosa parte auferenda. Quòd si quis firmiore sit capite, quàm vt noxam ex meraci collutione concipiat, (ferit enim multis calidus inde acerque vapor caput, & replet) puriore tum vino commodiùs vtare: nempe abstergentur meliùs, siccanturque hoc pacto partes eæ; meliusque etiamnum, si vtrunque misceatur ad hoc, mel, vinumque. Nihil autem præstabilius, nec quod tam tutos ab hoc dentes reddat, quàm si, sumpto lacte, mulsa primùm colluas, tum & vino adstringentis facultatis

aliquo.

aliquo. Spiritalibus tamen partibus, pectoris pulmonumque, amicum lac quodque: & quo tenuius, vt caseosæ partis minus, serosæ autem plurimum obtineat, eo securior illius vsus, vel si futurus continuus sit.

Cæterùm securitatem hanc alimenti paucitas sequetur, cuius maxima semper, vbi caseosæ partis plurimum, copia; sed cum obstructionum periculo non obscuro, præsertim quibus natura angustiores viæ fuerint, quæ à sima Iecoris parte in gibbosam tendunt; quive generando renum calculo faciles, certam propè inde offensam vsu nimio ferent. Tale est, vt diximus, Ouium, Boumque: sicuti Asinarum tenuissimum, innocui quidem, sed minùs alibilis succi. Reliquorum vsus iam nullus. Exoleuêre enim, ita planè, vt ne facienda quidem illorum, super rebus his, mentio sit.

Neque lactaria huc afferenda opera, meliùs in tractatum de obsoniis differenda: illud tamen nunc. Fluit in lactis superficie recèns mulcti repositique, quum refrixerit primùm, supernatans palato acceptissima pars, ex partibus omnibus tenuius, & pingue quiddam supernè eflorescens: Caput inde vocant: ventriculo æstiuis caloribus, nisi paulò vnctius laxitatem quandam adferret, commodaturum. Sicut & aphrogala, cuius spumeus hodie vsus, vt veterum quoque, & raris iunceis fiscellis, percolatóque Sero in tenerrimam recens pressionem coiens lac, necdum in caseum duratum: Iuncatam vocant, ex argumento fiscellæ iunceæ: Scissile lac dixerim: omnia reprimendo æstu, squalorique corporis contemperando, & mitigandæ sæpe siti, idonea.

De acidi Lactis vsibus, & de eius scissura. Et quibus Naturis commodet Lac, aut incommodet: & de illius corruptela in ventriculo, quibúsque huic rationibus occurratur. Tum alia quomodo vitari inde nocumenta possint: & sumpti commodè Lactis vtilitates enumeratæ.

CAPVT IX.

NEq; tamen vsibus his horum quicquã tam satisfacere vnquam poterit, quàm acore iam contracto lac, Oxygala Græcis. Id enim calido ventriculo, æstate media, vrgente aliquando æstuantissimis diebus siti, commodissimè hanc ipsam demet, benè quippe iam facultate sua frigidum, vt in quo butyrosi quod inest, tenuis magis eoque calidior pars, in superficiem iam supernatans abierit: ferè nanque ita acescere lac solet, postquàm fluitans superiùs tenue pinguéque illud, quod Caput vocari diximus, demptum fuerit: ac Serum, calidi quicquid priùs, aut acris obtinuerat, immutatione ea amiserit; atque ita aquosa tantùm Seri huius ipsius, caseique, iam tum antea quoque sponte sua frigida, nũc verò etiam frigidior facta pars, reliquæ fuerint. Iam si potestate sua hac ratione frigido, alia prætereà arte aliqua, niue nimirum, aut qua alia ratione, refrigeratio acquisita addatur: sanè non parum frigefaciens medicamentum habebimus, atque insigniter tantummodo calido ventriculo tolerandum, cui quocunque tandem modo excalfacto vni esse vsui possit. nã paulò magis seu natura, seu casu aliquo frigidum læserit certè, dum non satis benè concoquitur, quando vel in temperatè se habente non admodum facilè cõcoctionem subeat. Neque aliam ob causam dentibus, (nam & hi tale aliquid habent, quo calidi, aut frigidi, aut huiusmodi dici possint) à natura contracta, vel acquisititia frigiditatis intemperie laborantibus, (vt frigidiorum vsus alioqui quiuis alius) infestum, præter id, quòd suprà quoque, dentibus cum lacte non valde conuenire, admonuimus. quocirca obstupescere hi quandoque acidi lactis, vt acidorum adstringentiumque aliorum, vsu solent: ἀιμωδίαν Græci vocant. Quo tamen Symptomate minimè infestabuntur, quibus mediocri temperamento præditi natura dentes fuerint. Nec intereà à mediocriter temperato ventriculo rectè satis cõficietur. Tuebuntur nanque sese mediocritate sua naturali dentes, ne quid lædantur: at peragere temperatior ventriculus concoquendi munus suum non facilè poterit, lactis frigiditate victus, vt interim tamen non magnopere inde lędatur: hîc nempe, ne offensam incurrat, ab iniuria veluti defenderit se, id vnum: at ibi, vt concoquat, actio prætereà necessaria fuerit, quæ confectum eiusmodi lac vincat, maiores iam vires postulans, ac, nisi validè id exactéque concoxerit, crudiorem succum gignens. Sed vt exquisitè quoque id fiat, non effugient tamen, qui calidiore qualitercunq; renum temperamento, nec pro caliditatis tamen ratione latis satis expeditisque meatibus, fuerint, (sicuti contingere non raró experimur, vt pars eadem diuerso, atque adeò contrario sæpe inter se, particulis quibusdam suis, cõposita à natura modo reperiatur) quin illarum aliquando partium calculoso affectu tententur, vexenturque interdum, ob

alimenti craſſitiem, certam propè ſemper mali, id genus, materiam; præcipuè ſi quis coactam partem, aut ſolam, aut plurimam; Serum autem nullum, aut minimum ſumpſerit: nutrimenti tamen is plus ex eo ſentiet concocto benè, verùm minore quoque alui ſubductione, vt ex Sero maiore: quod meminiſſe oportet, ne ad tædium vſque ſæpe repetere iſta neceſſum ſit, ſed vtilia tantùm relinquantur, quæ eo diligentiùs conſectemur.

Vt & illud hactenus indictum, neque hoc loco ignorandum, referre in lactis partium ſequeſtratione, quam multiplicem fuiſſe veteribus legimus, nunc ſimpliciore vtimur, quo quæque illarum modo fiat. Qualitercunque enim ignis vi facta, ignis vnà vim concipiet, & ex coagulo calida atque ignea vis accedit, quam deinde vſu referat caſeoſa pars, ſi quis ſolam ſumat, reiecta ſeroſa. ſeparantur enim eo pacto. Quemadmodum nulla quoq; coaguli alicuius ope Lacti (ait Galenus) prouenit, quæ σχίσις dicitur Græcis, nobis Sciſſio, vel Lactis ſciſſura eſſe poteſt, affuſo calefacto ſatis lacti frigido oxymelite; aut, ſi nihil omnino extraneæ qualitatis ineſſe in diductione ea partium velimus, à partu lac morabimur, vt veterum Comicorum πυριάςην, aut Aſiaticorum πυριέφθον habeamus, poſt emulſionē à partu calidis tantùm cineribus circundatum, breuique temporis mora concretum. Et hoc quidem exquiſitum lac habendum eſt, abſque vlla alius rei admixtione coagulatum. Nam quòd hodie cinara pleriſque in locis idem aſſequamur, id verò aliquid omnino huius quoque herbulæ virium addiderit, vt haberi ſimplex omnino non poſſit.

Mel additum, ſiue coagulo ſequeſtratio fiat, ſiue quocunque tandem modo alio, non parum ſemper differentiæ attulerit. Craſſius nanque mellis abſentia faciet, concoqui difficilius, & ad inferiùs ſubeundum pigrius; præſentia, tenuius, concoctuque & deſcenſu facilius: abundè quanuis ex vtroque, tam quod mellis additione conſtat, quàm quod vacat, toti corpori alimoniæ copia ſuggeratur. Tametſi enim melle addito citior deſcenſus paretur, vt breuiore ideo in ventriculo mora non parum ſubtrahi alimoniæ videatur: tamen & ipſum tantiſper dum manet alimentum multum de ſuo quoq; præter lac exhibere poteſt, mel, & per tot inteſtinorum ſinus cum lacte euolutum, ſemper aliquid elargitur, quod per venas eò deriuatas attractum corpus omne nutriat.

In hunc modum de Lactis differentijs, & bonitate, vitióque diſſeruimus, ad noſtram (quod perpetuò proponendum in diſputationibus his eſſe diximus) humani temperamenti mediocritatem, rerumque omnium in medio poſitam, tanquam amuſſim nimirum, reſpectantes ſemper. Et Caprinum in rei quidem cibariæ cenſu (nam humanum ad culinæ vſus nunquam venit) reſpectu hoc cæteris omnibus præponendum eſſe docuimus. Nam ſi alterius alicuius conditionis homines ſpectârimus, diuerſæ' ve aliquos habitudinis, macros videlicet, aut pingues: cui dubium, pinguibus tenuium partium lac conuenire magis, quale Aſininum, ne pinguedo partibus addatur non neceſſaria, & vt in meatibus ne hæreat paulò magis anguſtis: contrà, macris profuturum Bubuleum, Ouillumque, vt ex quibus longè ſemper maior pingueſcendi facultas; plurima quippe butyroſa in his parte reperta, craſſaque, ac pingui, vnde ſanguificato rectè alimento plurimum itidem membris pinguis proueniat, materiæ affinitate, quæ facilè ac citò in pinguedinem tranſire ſolita ſit, vt in carnem caro: modò expeditas vias inueniat, vt per alimenti meatus omnes liberè feratur, præſertim iecoris, renumque anguſtias, vbi, ſi craſſitie ſua eluctandum illi fortaſſe fuerit, diutiùs morata, hærenſque, aut doloris ſenſum iecori ex obſtructione, aut renibus calculoſæ affectionis ſuſpicionem inferet.

Hinc ſanè quoque euenit, vt in calidis ſiccisque naturis commendabilius ſit, non modò ob latiores ferè in his apertosque viarum omnium meatus, ſed ſi cui præterea mitigandæ immutandæ' ve intemperaturæ ratio fuerit, id quod lac non incommodè præſtiterit. Eadem autem ratione pituitoſis naturis inimicum lac, frigidis quippe atque humidis, quoniam intemperaturam eam auget; qua calidis & ſiccis amicum, quoniam corrigit.

Vtriſque autem aduerſans, ſi in corruptelam trahatur in ventriculo acoris, aut nidoris; frigido hîc, ibi calido. Notiſſimum enim eſt, calidam id ventriculi temperaturam nactum, fumidam ſæpe, nidoroſamque corruptelam indipiſci ſolere; ſicuti frigidam, acorem.

Cauebitur vtrobique noxa, (niſi tamen natura ex toto repugnet: reperiuntur enim, qui priui peculiariſque temperamenti cuiuſdam ratione auerſi prorſus à lactis vſu ſint) ſi ventriculo minimè impuro, humoréque omni libero ingeratur, ne trahi in corruptelam poſſit hanc, illámve; acidam, ſi pituitæ impuritas fuerit; nidoroſam, ſi bilis. Securi coagulationis eius in ventriculo reddemur, ſi exugemus ipſi, aut (quoniam id in

id in humano tantùm lacte, idque in pueris solùm; quandoque autem senibus fit, neque in hac Medicinæ parte ætate dein multa vsus rei huiusce vllus) si aliarum animantium emulsum statim epotabimus. Mirum enim, quàm corruptionem, si relinquatur, citò sentiat, quomodo & semen. Nihil autem certiùs coitionis in caseum suspicionem auferet, quàm si cum melle sal addatur, alterutrúmve: ea tutissima cautio.

Simul, hausto lacte, vitandus, multorum iam obseruatione, vini potus, siue additus alienus prorsus liquor lacti. Contrarijs maximè qualitatibus, caloris, ac siccitatis, totam illius substantiam destruit; siue citiùs, quàm par sit, atque omnino ante tempus, in corporis penetralia, per diuerticula cuncta diducit; siue (quod magis crediderim) illismet ijsdem qualitatibus facilè in caseum lac cogit, quibus alia præstare idem videmus, vt coagulum, vt alia omnia, quæ benè calida siccáque, vt efficere hoc valeant, vrinam cientium modo, oportere esse scimus. Quod quum contigerit, vt separatæ eo pacto caloris vi in ventriculo lactis partes per se subsistant, serosa, caseosaque: huius ipsius primùm intrinseca coagulatione ea, Symptomata sæpe occurrent, meritò formidanda maximè. Nam quæ coacta extrinsecus priùs ingeritur, mansu antea, aut quoquo modo discerpta ingeritur, ne cogi vlteriùs facilè in caseum quidem, nisi in chylum fortè, chylosámve materiam, possit. Tum, non pauca ex coagulato ciebitur ibi, ac diuersis inter se partibus in ventriculo pugna; descensuque in intestina, si cui fortè imbecilliores natura partes eæ fuerint, noxæ aliquid addetur, aut lubrica nimis aluo facta ex corruptela, aut torminibus cruciatibusque colicis inuectis; aut viscera infarcientur, vnde paratæ sæpe febres, aut tenebricosa quædam caligo inducetur oculis, aut etiam, deducta latiùs per corpus noxa, neruosæ interdum partes afficientur. Tanta fuerit interdum, ex optima licèt re, nisi commodo semper opportunoque vsu tractetur, offensio.

Itaque diligenter prouidendum, ne quid temere à nobis in eo erretur, cuius vsu, si prauè ineatur, non minus expectandum incommodi sit, quàm, si recta adsit vtendi ratio, emolumentorum. Quæ sanè nec pauca, nec parua habentur, ex recto lactis vsu, optimi primùm conuenientissimique naturæ nostræ alimenti conciliandi, idque nulla prorsus succorum malitiæ alicuius formidine; subducendæ alui lacte aliquo, si opus fuerit; rursus alio sistendæ, quum res postulârit; contemperandorum humorum omnium; demendę partibus asperitatis, lenimento placidissimo; humefaciendi squaloris, æstu nimio contracti; sedandæ sitis, pinguefaciendi, colorem bonum addendi; pectori, pulmonibus, vesicæ, vrinarijs vijs, diuerticulisque omnibus, insigniter subueniendi; & reliqua multa. Atque hæc, nondum artis, quam nunc versamus, Salubris terminos egressi, dicimus. Nam commoditates, quas Curator Medicus, Therapeuticus videlicet, capere ex hoc possit, alio meliùs dicendæ tempore reseruabuntur.

De recentis Casei temperamento, atque vsu: de vetusti malitia. Et de præparando ritè Caseo, conseruandóque: de differentia Caprilli, Ouilli, Bubulei.

CAPVT X.



Caseus interuallo nõ sanè magno à lactis natura abscedit recentior, nec qui salem acceperit. Frigidus enim & humidus is quoque, butyrosámque partem, (de ita nanque parato loquimur) caseosamque totam retinens, prę terque serosæ adhuc nonnihil, nec exemptæ vnquam prorsus, & necdum, breui ea temporis mora, in totum absumptę: quantumq; huic Seri magna ex parte amissione decedit, tantum ex coaguli viribus accedet, qua calidum & acre Serum fuerat; qua frigidum & humidum autem, iam tum caseosa pars alterius frigidi, alterius humidi butyrosa satis retinet. Ex quibus Caseus vt temperamento recens quidem, quoniam partes ac qualitates illius omnes refert, non multum abesse à lacte videatur. Quapropter quo origini suę propior, eo salubrior, laudatiorque: vt eadem die comedisse etiam ad salubritatem quidem pertineat, multáque is præstare, quæ lac ipsum, possit: sedare sitim, ventriculi æstum reprimere, enutrire. Quòd si prætereà, qualis Græcorum ὀξυγαλάκτινος, fit ex acidioris lactis materia, aut ipse contracti cuiusdam iam acoris; iam tum expectari ex eo eadem illa, quæ de acidi lactis natura, atque vsu dicta sunt, poterũt, nec vitiosi succi quicquam timeri, nec ex crassitię offensa, vt quæ in nuper coacto minima, eadem & minimè noxia, ob acoris attenuatoriam vim: minùs insuper idem, reliquis omnibus, concoctu & transitu difficilis, magisque palato ac ventriculo acceptus. Hæc re-

cēns coacti Casei bona, sic simpliciter quacunque ratione pressi, nullo aut sale, aut coagulo, nec in spem vllam diuturnitatis, aut augendi pœnoris parati; citoque aut esu absumendi, aut diuendendi. Atque hæc fuerit, nisi fallor, Vergilio pressi copia lactis: hocque alibi rursus eidem, quod ita cecinit:

Quod surgente die mulsêre, horisq; diurnis,
Nocte premunt: quod iam tenebris, & Sole cadente,
Sub lucem exportant calathis, (adit oppida pastor)
Aut parco sale contingunt, hyemiq; reponunt.

Hinc sanè & compressionem lactis simpliciorem notabimus, manè emulcti, nocte pressi, vt acoris quoque interdum nonnihil ita contrahat: exportationemque calathis à pastoribus in vicina oppida, non lactis, (quomodo nanque calathis exportaretur, viminibus laxiùs, quàm vt serosam lactis partem continere possint, contextis?) sed itidem ijsdem his calathis pressi potiùs percolatique, iamque venum exportati, necdum salem experti. Nam ad longioris temporis expectationem hoc demum: Aut parco sale contingunt, hyemique reponunt. Ne videlicet miremur, veteribus sale nondum conditi Casei vsum aliquem fuisse, quo recenti admodum vescerentur. ταλαρώδης, vt opinor, caseus is, qui ταλάροις pressus percolaretur, seruareturque ad insequentium statim tantùm dierum vsum, aut aliò exportaretur ad eandem rem venale.

Cæterùm multo maxima iam pars sale, & coagulo, aliòve aliquo, cui cogendi vis insit, ad ferendam vetustatem, præparatum formis includunt, alij alijs: vnde Formagij vulgò dicti Italis, & Formacei muri Plinio. Quorum structura hodiéque, audio, in Hispania, asserum formis inclusa creta fit, quam diu multúmque arietum supernè ictibus verberatam, ac duratam solident. Sed Caseus quo plus semper à formatione hac sua discesserit, vt apud multos maiorem commendationem mereatur, deterior semper fit, multorumque nocumentorum. Quorum maxima, succi vitium, igneusq; atq; acer calor, simul & crassities, deposito iam humore omni. Nec acrimonia valde iuuerit, qua vtiliter sæpe partium crassities discutitur, attenuatione facta, tamque sæpe prohibendo renum calculo accommoda, si minimus calor insit, vt in quibusdam; aut etiam sæpe nullus, vt in acidis. Casei acrimonia possit illa quidem succorum crassitiem dissectam attenuare, hacque gratia iuuâsse; sed quum coniunctam habeat accensi igneique caloris qualitatem, maior hinc noxa, quàm inde vsus. iam enim generando renum calculo nec materia, nec efficax ita inprimis causa defuerit, qui paratissimus esse soleat, (calculus inquam) vbi in corpore humores crassi, calorque vnà igneus, non modò renalium partium, sed etiam alimenti medicamentosi, aut aliâs medicamenti alicuius, conuenerint, quo partes eæ incalescant magis, simulque calore faciliùs attrahant, ipsæque promptiùs sequantur materiæ, iterum ibi in meatuum angustijs hæsuræ. Quocirca pessimi semper vetustissimi quique Casei. Acrimonia enim maior semper, maiorque tempore additur, & ignea propè vis accenditur ac calor, iamque humorem contrahit extraneum, ex quo putredo statim, & vermiculorum generatio, instar ascaridum, quæ ipsa quoque (mirum) Gulones suos reperit putredo. Vescuntur enim libenter, deterrimi omnino succi re, ac vitiosissimi, qui cum vetustate in Caseo maiorem semper malitiam assumit, ipseque seipso tempore deterior fit, vsque dum acrimoniæ interdum tantum acquirat putrefactus, vt discutiendis articulorum tophis futurus sæpe satis sit. Igitur ætatibus temperamentum suum prius exuet Caseus, proque frigido & humido, calidus ac siccus nobis fiet, pauculi iam alimenti, medicamentosæ autem facultatis multæ, mali damnatique succi, crudi & incocti, cruditatis videlicet concoctionem non admittentis: ventriculo infestus, sanguinem propè ipsum exurens, siticulosus, atrabilarius, alui vesicæque excrementorum retinens: idem fumidæ, biliosæque sæpe materiæ, & post hanc atræ quoque, generans, salis diu iam coagulique viribus euicta humiditate omni, penè exuccus. Nam, quam tempore indipiscitur, ea putredinis tota est humiditas, Casei substantiam totam abolens, ac putrefactionis inuehens, nec iam ipse tantummodo corrumpi facilis, si cum potu cibaria reliqua finiat, vbi quis se repleuerit; sed degrauato ventriculi ore, pessimumque edulium factum, reliqua in corruptionem trahet. Κάκιστον δ' ἐν τῷ ποτῷ φαγεῖν πεπληρωμένοισιν, Hippocrates (De ratio. vic. acu. iiij.) ait. Idem flatulentiæ Caseum condemnat. rectissimè, si recentem accipiamus, flatuosus enim is haud dubiè: vt, si vitandum nobis hoc incommodum, aliaque vnà nonnulla, quæ nouellis vetustisque nimis Caseis insunt, mala, velimus, vtrorumque in medio qui fuerint, deligendi nobis sint; quibus minore noxa vesci liceat, quod ad quædã attinet, vt quum frigiditatem inter & caliditatem contemperamentum quæremus, quum nec subductionem alui, nec adstrictionem, & talia

talia quædam: nam multa potiora alioqui esse nouellorum commoda, iam antea diximus.

Nec temporis tamen differentia solùm captanda, sed illud etiam addendum: quarum animantium lacte consistat nobis Caseus, quíve præparationis illius modus. Et præparatio quidem mediū quæret, vt nec nimis multo, nec nullo tamē sale cōdiatur: itidem, vt ex coagulo constitutio Caseo iusta acquiratur. modica hęc dico, vt ex altero conseruetur solùm, non exiccetur nimis: ex altero constituatur, non densatus nimis duretur, vel exuratur etiam tempore. Tum prætereà ad præparationis rationem pertinet, ne quid herbarum, vt apud quosdam fit, aut aromatū, aut tale aliquid adijciatur, quod casei substantiam immutet, atque aliam faciat, medicabilem magis, quàm alibilem.


Iam si animaliū discrimina sequemur, non eadem lactis, ac Casei ratio. Lac prętulimus Caprinū cæteris, totius quippe substantiæ simul, coniunctæque, vsu: de Caseo longè aliter Caprino id genus, cui serosa pars propè tota deperit. Quæ qua ratione bonitatem lacti addebat præsens, eadem Caseo auferet deficiens ipsa, solaque relicta caseosa, ac butyrosa, ijsque minimis, tanquam ex animali natura ficciore & calidiore, ideoque minus, quàm partibus his conueniat, humoris seruante. Ex materia hac Caseus, non valde post formationem diu, exarescet facilè, vesculusque & euanidus fiet, vsusque eam ob rem nouelli recentisque admodum adhuc tantùm aliquis erit.

E diuerso, Bubuli, Ouillique casei prima commendatio, quæ in lacte posterior fuerat. Nō solùm enim in horum lacte copia caseosæ, butyrosęque partis maior, sed & melior, naturaq; sua purior, crassiorque substātia, Bubulo præsertim. Quod quanquam ex animali sit etiam, quàm capra, ficciore: plurimum tamen butyrosi, quod Bubulo inest, & Caprillo deest, tam succi plenum reddet Caseum pinguioris, vt aduersus siccitatem diu satis humectior durare possit: quin pinguis sæpe nonnihil atq; oleosi non paruo deinde tempore resudabit. Idem spectabimus in Ouillo: ex lacte quippe, cui non adeò quidem butyri tantum adsit, sed animalis natura humidioris tamē, vt & inde Caseus nec Bubulo minùs ferre vetustatem quandā possit non exiccatus, & de bonitate sæpe cum eo certet; etiam nō parum multis commendabilior, saporis gustusque iucunditate, minorisq; noxæ fama, vtpote ex lactis materia minùs & crassi, & sicci. Quæ duæ qualitates quum adsunt, accepta coaguli salisque potentia, longiore temporis mora, igneam exurentemque facultatem Caseo addent, ac paulò minùs inflammabilem. Atque hasce cōditiones, illas dico, quas memorauimus, omnes si sequemur, vt nouello proximior sit, quàm senescenti; vt iustum præparationis modum sortitus; vt ex laudato lacte, cuiusmodi diximus; etiam bonitatem Casei assequemur. Tunc commendatio vnà quoq; omnis accedet, quibus potissimùm dotibus probari solitus sit, primùm substantiæ constitutione, qua tenerum potiùs experiemur, quàm durum; rarum, laxumque, quàm densum, confertum, compactumque nimis; glutinosi autem, & friabilis in medio: tum deinde gustatus, qui iucundi cuiusdam saporis habeatur, dulcescentisque potiùs, quàm insignem qualitatem aliquam aut insuauitatem prorsus referētis; salis nec plurimum, nec nihil obtineat. Idem is etiam ventriculo ingestus, ructus si quos mouebit, sensim marcescent illi, confecti iam penè Casei argumento. Nam quorum perdurans magis eructatio, hi sanè vinci se non faciles ostendunt, vtq; immutentur, alterenturque, ad concoctionem valde peruicaces: siquidem alimentorum qualitates hasce, quas ructus ciet, concoctione alteratas immutari omnes necessarium sit, vt, nisi immutētur, ne concoctionem quidem iustam subijsse alimentum existimemus.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DECIMVS TERTIVS.

Volucris significatum, & quid ὄρνις Græcis sit. Auium alimẽtum quale. Inter hæc repetita de Suilla carne quædam pro alimenti optimi exemplo, in quo cum alijs conditionibus coniuncta concoquendi facilitas, aut non magna saltem repugnantia, esse debeat. Et de auium temperamento, deq́, ætatis harum differentia ad alendum.

CAPVT I.



Volucre Latini vocamus, qđ πτηνὸν Græci, multi Volatile: nonnulli, quod volatu fidit, maluerũt, verìti Volatile ne significato Latinè satis responderet. Volucre omnia implet, quæ πτηνόν: sed commune hoc multis, apibus, scarabeis, vespertilionibus; etiam piscibus quibusdam, vt hirundini; etiam anguibus, quos volare in Aethiopia ferunt. Reliquũ volucrium, de quorum hîc nobis alimento tractãdum, Auis pennatum genus: nam alia aut pinnis, aut cute volant. Τὸ μὲν οὖν πτερωτὸν γένος τῶν ζώων ὄρνις καλεῖται. Animalium, inquit, (De histor.ani.j.) Aristoteles, pennatũ genus ὄρνις appellatur. Nobis auis erit, quo nomine, vt & Græci suo, Volucria, quæcunq; pennis volantes nituntur, vocamus. Vel sola Aristophanis Comœdia, ὄρνιθες, significationem hanc indicârit, in qua ex auibus constitutum chorum legimus, præter Aristotelis, quæ modò recitauimus, verba. Galeno tamen temporis sui vsu ὄρνιθες gallinæ tantùm significantur, quas ἀλεκτορίδας veteribus vocatas fuisse scribit, vt ἀλεκτρυόνας gallos. Atque ea recentissimis quoque Græcorum Authoribus seruata est consuetudo, vt gallinas ὄρνιθας appellarent: nos inter cohortales aues recensebimus, quo genere non gallinæ solùm, sed & anseres, & anates, & ciconiæ sæpe, & grues, & pauones, & alicubi perdices non minùs continentur. Hæc de significato.

De alimenti facultate illud: Auium alimentum in vniuersum tenue, neque multum, nec permanens diu, aut robustum: facilis tamen illarum concoctio, laudatique succi: neq; omnium tamen. nam quarundam durior caro, vt anserum, palumborum, anatum, turturum, turdorum etiam, & passerculorum, duntaxat eorum, qui in turrium, aut domorum fortè parietibus muralibus degunt, raroque admodum in mensas nostri temporis veniunt: cerebellis eorũ vtimur tantummodo πρὸς τὰ ἀνόητα quædam, iuxta Aristophanem.

Auiculæ minores aliæ, quæ seminibus, vermiculis, muscis, culicibus in syluis, aut inter vineta, dumetaque aluntur, (nemorales nunc vocamus) & teneriores valde, & concoctu faciliores sunt: alimentum autẽ exhibent, si cum quadrupedibus conferantur, propè minimũ, præsertim suillæ carni comparatæ, quæ omnium nutricantissima est: ac succi nunquam improbandi largiuntur, at nõ hærentis vsquam, progressique semper per vias corporis omnes, sanguinemque apprimè tenuem gigniturì, spirituum itidem tenuium animalium materiam, ex quibus, indagandis meliùs semper rebus omnibus, mens tota clarescat; defraudatis tamen intereà, iusta alimoniæ suæ permansione, corporis partibus. Non enim cohærent hæc, alimentum idem nutricandæ valenter corporeæ moli, & acuendis ingenij cogitationibus, ob animalium spirituum generationem benè tenuium, multorumque, satis vt facturum vnquam sit. Sicuti sanè non facilè conueniunt in idem, concoquendi alimenti facilitas, copiaque vnà inde magna, ac durandi tempus. Itaque quum non eodem contendant vtraque, deligenda separatim ad vsus proprios cuiusque, vt altero vtatur, qui copiosæ alimoniæ indiguerit; altero, qui facilè concoctibilis, spirituumq́; tenuium procreatione multa. In consideratione tamen de alimentis, quum planè alimentorum bonitatem & commendationem in cõmune quærimus, non ex hac illáve, vnius, alteriúsve hominis, conditione colligemus: sed amussim hîc quoque, normâque, ac regulâ, vt in artificio omni debemus, intuebimur semper, nẽpe tẽperamẽti medij, consti-

stitutionisque aliquem. Qui profectò si eiusmodi fuerit, vt per omnia mediocriter temperatus, constitutusque meritò habeatur; in eo censuram reponemus alimentariæ facultatis conditionum omnium: quodq; huius iudicio, sensuque, commodè concoquetur, benè alibile fuerit, succi laudati, excrementorum redundantia vacet, nullũ aut caloris, aut frigoris, aut humoris, aut siccitatis, alteriusve extraneæ qualitatis alicuius sensum inferat, summã summarum inter alimenta bonitatis obtinere existimabimus; non, quod calidioris, frigidiorisve, vel huiusmodi, aut inualidi, robustive ventriculi alicui visum fuerit.

Hanc rationem, rerumque iudicium hoc, si examinationi de alimentis adhibuerimus, vt ad normam referamus; inueniemus, vt opinor, quod numeros omnes impleat alimenti boni. Ea erit Suilla caro, de qua tot suprà, verùm & nunc obiter, omissa fortè tunc, dicenda, postquàm in sermonẽ de concoqui facili alimento incidimus. Et de temperamenti quidem mediocritate nemo ambigat, sicuti nec de bonitate, nec de copia, nec de excrementorum paucitate, nec de alienæ qualitatis vacuitate. Concoctionis facilitas in ambiguo est, quam fatemur in infra temperamenti mediocritatem posito ventriculo, eoque imbecilliore, timeri debere ne succedat: in modis omnibus temperato non debere, sed nec posse. Quid enim? Exquisiti temperamenti aliquis, idem exquisito ventriculi, conuenientique parti illi, temperamento non fuerit? & si fuerit, non optimè officium suum faciet ita paratus ventriculus, vt Suillã non minùs optimè conficiat, modicè pro corporis sui æquo alimento sumptam? Idẽ si structura corporis exacta, habitudineque optima fuerit, (nam aliter obtinere rerum omniũ medium haud possit) quæso, habitudine ea, non caloris natiui focum, & quæ circum focũ sunt partes optimè natura instructas habebit, calorisque multi retinentes, vt concoquere eandem commodè valeat? Rursus igitur conuenientes in vnum alimenti optimi conditiones omnes nacti fuerimus, vt iusta concoquendi facilitas, coniuncta cum alijs probi laudatique alimenti dotibus, in bene composito paratoque ventriculo sit.

Neque tamen abnuerim, huic quoque ipsi non pauca reperiri posse, quæ concoqui contumacia futura sint, eadem & alibilia valde: sed existimari de omnibus idẽ minimè debere contendo, si rectè in scopum, quò dirigenda de rebus hisce disputatio omnis sit, intenderimus, quàuis multo maxima pars eorum, quę multùm, & valenter, diuturneque alunt, etiam concoctionibus rebellia inueniantur: quemadmodum è contrario concoctionis facilitati coniuncta ferè semper est alimenti exiguitas, propè & diflabilitas. Quin plus quoque Suilla alere quædam, ac durabiliùs, poterunt, quæ eidem illi temperatissimo, vt diximus, concoqui rebellia quoque magis fuerint. Verũtamen Suilla ad temperatum hunc, sicuti alimenti dotibus omnibus accommoda, ita iustum, quodque corpori illi futurum abundè satis sit, alimentum elargietur, simul & concoctioni non repugnabit nimiùm: vt statuere exemplum in hac liceat iustissimi omni ex parte alimenti, cui alia collata expendantur. Non enim aliã ob causam eius hîc meminimus, quàm vt, constituto hoc, ferre nobis iudicium de alijs omnibus exactius liceat. Quapropter quodcunque ab hoc, quod modò narrauimus, defecerit, quo plures illi maioresque semper defuerint conditiones, eo minus naturæ bonitatisque alimenti retinebit: vt Triticeus panis, de quo ante Suillam tractatum à nobis fuit, omnes obtinet, excepto, quòd paucule cuiusdam caliditatis excessu non vsquequaque respondet: & ex Auibus, de quibus hoc loco post Suillam tractandum nobis erit, Gallinæ, Capoque, & Phasiano nullæ non adsunt, præter id vnum, quòd, sicuti concoctu faciliores sunt, (quæ alimenti dos quædam est) ita alimenti quoque minus, minusq; diuturni exhibent: vt præferendum ideo id meritò habeamus, cui, cùm alia omnia, tum temperamentum exactum, & iusta prætereà alimenti copia, iustoq; tempore duratura, neque iniqua insuper ad concoquendum difficultas insit, sed quam nec nimis multo tempore, nec labore nimis multo ventriculus superet. Hæc dicenda priùs fuerant in commune.

Nunc separatim memorandæ Aues omnes, quarum vsitatus iam cibatus: priùs tamẽ illud hîc quoque, sicuti de alijs antea in vniuersum dictum, notetur, non ampliùs deinde frustra repetendum: Permagni referre, non solùm, cuius quæque auis generis fuerit, (de quo seorsum nunc dicemus) sed quæ prætereà cuiusque esca, qua pinguescere, aut alimenti nõ multum sentire soleant; vbi locorum victitent, villaticæ'ne sint, & cohortales, an syluestres exercitatiores; quóve tempore in cibatus vsum veniant. Quis enim incubantem gallinam ederit, aut ducentem pullos? & huiusmodi quædam? quáve inprimis quæq; ætate fuerit. Veteres enim scimus gallinas, effœtasque, vix elixari posse, indomita propè duritia, fibrosaque, ac siccitate insigni, alendiq; ideo facultate minore. Contrà, exclusos

clusos nuper pullos si quis ederit, mucosos experietur, humidosque nimis, & excrementitios. Pullastrorum ætas melior. non enim expectanda media, ac longè minùs, mediã quæ sequitur, in auibus. Quæ, quoniam natura sicciores sunt, nouellæ ætatis humore siccitatem hanc compensabunt, temperamento facto. ἀυχμῶν, inquit Hippocrates, ἐπὶ γῆς οἰωνῶν γένος εὐθηνεῖ. quoniã siccitate, & squaloribus naturæ affinitate gaudent, iccirco vigent. Verùm siccior quoque victus indicio est, potusque minimus, quibusdam etiam nullus. Igitur quærenda ætas in his, ad alimenti nostri vsum, humidioris temperamenti, vt nostro respondeat. Eadem coget nos ratio, præparationis quoque modum considerâsse, elixare'ne, an torrere potiùs, aut quacunque alia ratione coxisse conueniat. Sed hoc ad Obsonatricis artis negotium relegabimus: nũc particulatim de Auibus exequemur.

Gallinacei generis commendatio, in alendi negotio. Castratio in his quantum faciat: quæ sexus differentia. Damnata sententia Caporum esum abdicantium, in podagrico affectui obnoxijs, quòd & illi interdum obnoxij: & de alimenti bonitate ex Capis.

CAP. II.

Primas partes tribuemus Gallinaceo generi, cui⁹ obuia semper vbique locorum copia, succique inprimis commendandi, & paucorum excrementorum, alimentum, simulque temperamenti optimi, si ritè ætatis, sexusque, aut castrationis differentias obseruabimus.

Nam & in his castratio bonitati suffragatur. Gallinas nanque compertum est, vel Galeni tempestate, castratas meliùs palato respondisse, non solùm Gallos gallinaceos, qui capi fiũt castratione, immutato iam temperamento ex calore siccitateq; in contrarium, aut mediũ potiùs. Gallinæ, quum sponte sua ex sexu tales propè sint, castratæ tamen iucunditatem saporis acquirunt, ex paulò maiore humiditate. Perit enim illis qualitas statim ea, qua Gallinæ priùs fuerant, vt ne subuentanea quidem edant oua, nec gallorum patientes sint, nec incubent, nec excludant. Itaque horum cessatione, carne meliore ac sapidiore fiunt.

Sexus non magna differẽtia, antequàm cantum suum exercere incipiant, quod illorum cucurire est: tunc vel maxima. Cucurientes enim iam siccescunt facilè, exacuiturque siccitate ea calor, fitque illorum quamprimùm dura, fibrosaque caro, vsque eò, vt salsugineũ saporem elixatione reddant pro vetustate maiorem semper, etiam leniendæ aluo efficacem. Procul dubio frigidioris temperamenti pullastræ, iccirco pullastris maribus prælatæ in febrientibus: in reliquis alimentum idem, boni, laudatique vtrobique succi, nõ excrementitij, non morantis diu in progressu, descensúve in intestina. Alimentum tamen exhibẽt nec multum, nec duraturum multùm: quippe ex benè tenui sanguine constat, ac fluxili, labilique; vt & citò abire alimentum inde possit, damneturque prętereà podagricis, vt alia, quæ fluxilis sanguinis generatione facilè affectis, ideoque imbecillioribus, partibus incurrunt, vel missa, vel attracta.

Eadem Caporum damnatio, eandemque ob causam: non autẽ propterea, quòd hos quoque podagricis affectibus obnoxios esse videamus. Quid enim? nũ Caporum pedibus vescemur, in quibus podagra? & si vescimur, non immutamus antè, aliosque facimus ventriculi, iecorisque concoctionibus? quin sanguinem, vt opinor, ex materia ea producemus crassiorem, eoque minùs facturum podagram. At Coturnicum tamen esu, helleboro vescentium, non nescimus tentari quosdam musculorum tensionibus, quasi conuulsionibus quibusdam, dicat hîc aliquis. Verissimum: sed longè aliam specta rationem. Hîc enim alimenti vis conuulsoria ex helleboro Coturnicum carnibus facultatem suam addit, quæ reliqua manensque alimentum conciliare alteri potest, nõ earundem quidem omnino, (immutatio enim concoctionis multùm demit) sed non dissimilium tamen prorsus virium. quamobrem tentari potiùs videmus eos, quàm rectè conuelli; specimenque esse conuulsionis tantùm, apparet. Ibi autem diuersus valde affectus, qui defluxionibus solummodo humorum constet, & suscipientium partiũ imbecillitate; vt in eo, cuiusmodi constitutionis futurus humor sit, referat tantùm, non alterius facultatis priuatæ alicuius, nisi tenuitatis, aut crassitiei, aut caliditatis prætereà, & frigiditatis, humiditatis, & siccitatis: ita vt contrarium potiùs expectandum nobis esset, ab podagra correptarum partium esu, crassi profectò, quàm tenuis, alimenti magis, neque proindè tam facile defluxuri. Quòd si ex carnium id comestione fieri dixerint, aliamque quàm tenuitatis, aut vulgatarum, notarumque quatuor illarum, quas modò numerauimus, vim qualitatemque attulerint, latentem vtputa, occultamque pro-

prietatem aliquam: non necessarium esse dicemus, quum manifestas ad manus habeamus. Contraque opponemus, reperiri quædam, quæ proprios, suique generis affectus sanent, atque abigant, tantum abest, vt creent. Et exemplum sumemus ex renum, vesicæq; calculo, cuius vsu, authores sunt, renum itidem & vesicę calculos frangi, imminuique solere: vt de Caporum esu id, podagra laborantiũ, quo podagricum affectum excitari dicunt, si sola hæc substantiæ totius proprietate euenire contenderint, habeant, quo contrarium potiùs opinandum illis sit, curationẽ nimirum eo pacto morborum contingere, non generationem, aut nõ magis hanc, quàm illam, debere. Sin tenuitate partium id fieri dixerint, vt pulueratorum exactè calculorum potus remedium adferat: tunc nobis quoque permittant, manifestiores hac in re, & quibus (nisi refractarius aliquis) contradicere nemo audeat, causas qualitatesque sequi: vel causam adferãt, cur puluerati id calculi illi præstent, multa alia non præstent, itidem puluerata.

Non igitur de hoc timebimus nobis magnopere à Capis, nisi qua diximus ratione, pullastris quoque, ac Gallinis ipsis cõmuni. Fluidum enim omnino sanguinẽ progignunt, sed laudatissimum, succique cùm ipsius per se optimi, tum aliorum quoque malitiam contemperamento emendaturi; atque ex quo non desint Authores, qui vel Elephantiasis, morbi talis tantique, mitigationem, & cerebri ingenijque robur, spiritusque animalis incrementum polliceantur, pullisque inprimis tum ipsis, tum eorum iusculo. Inde planè, & oculis claritas promittitur, & seminææ materiæ copia, augendique semper caloris natiui nostri vis. Ex Gallina non tanta. iam enim iusto siccior, vt diximus, & qua auis, & qua adulta: quorũ alterum quum pullastris quoque adsit, quod siccos faciat, auis; alterum, minimè adulta ætas, humoris multum largitur ad contemperamentum. Quo planè fiat, vt faciliùs descendant pulli, humiditatis sibi lubrico quodam viam sternentes: Gallinæ siccitate hæreant. Iccirco assis magis pullis, quanquam & elixis interdũ; Gallinis elixis potiùs vtimur: assatione enim siccescerent nimis.

Capos temperamentum egregiè commendat vndique æquabile, quod castratione quæsitum est. Alunt, vt inter aues, optimè, valenterque. Sanguinis inde multum, succorum copia laudatissimorũ prouenit, non tenuium, non crassorum nimiùm: tenuium tamen magis, sed nutrimenti ex æquo durabilis. Quoniam non sanè minùs ex æquo concoctiles habentur, senectusque his minùs properatur, quàm gallis: quippe siccescunt minùs. Itaq; nulla non ex parte probandi: omnia prestant, quæ pulli, eaque potiora cuncta: pinguescunt facilè optimeque, quod farciẽtes curant, vt Gallinæ quoque: non tam benè pulli, nimirum cibatus his copia in ætatis cremẽtum abit tota; tum calens magis ætas colligi pinguis tantũ non permittit, quantum adultis Gallinis iam Capisque. Sed vt non saginentur admodum pulli; attamen benè enutriti alimenti vbertate carne fiunt optima, succi boni plenissima, iucundissimi saporis, tenerrima, tota propè dixerim, sine vncto pinguis, mansuque leuissimo in ore solutilis. Pinguem diximus carnem sine vncto, benè habitam alitamque intelligi volentes: quæ commendatio carnis est. Bonitatem enim retinet, & vnctuositatis vitio vacat, quæ sagina nimia, adiposique multi infarctu redundans, vbique meritò damnatur, non solùm in auibus.

Gallorum caro durissima, ac penè ad elixandum, aliòve modo coquendum, indomita fibrositate & siccitate. itaque augendo tantùm ferè gallinario seruantur, rarò in mensas veniunt. Succus inest vetustiorũ carnibus salsugineus, nitrosusque, quo elixatione longa prolecto soluatur aluus, in frequenti vsu. Nam cibatui non respondẽt, vel horum ipsorum succorum vitio, præter carnis, quam memorauimus, siccitatem, duritiamque.

De Pauonum alimento nostratiũ, atque Indicorum, & Gruum, & Ciconiarum, & Struthiocameli, & Columborum.

CAP. II.



Ohors nobis Pauones quoq; alet, genus durũ, fibrosumque, concoqui contumax, improbique insuper succi, nam bilem augere atram creditur. Calidior auis iusto, atque humidior: vt fibrosam potiùs carnis substantiam melancholiam gignere existimemus, non temperamenti vitium. Grauis prætereà nec multus volatus, tum corpus iam magnitudine paulùm excedens, & concoctionis difficultas excrementitiam faciet. Iugulari æstate triduum, aut minimum biduum, antè oportet, vt paulò tenerior edatur; hyeme quatriduum, aut eo etiam plus. Simul pendentium pedibus lapidum onus appendunt, eo pondere duritiem carnis teneriorem factam emolliri, & fibras distractione laxari, vt confici deinde meliùs possint, credentes.

Aetate nostra peregrinam auem importatam Italiæ primùm, tum deinde alijs quoque regionibus vidimus, & cohortalem fecimus, Indici pauonis nomine, cœli iam quoque nostri patientem, nec tamẽ omnis: paulò calidius exposcit. Noua, miraq; alitis forma, vestiente rostrum carnoso additamento quodam, atque inde supernè pendulo, eodem sæpe reductili, quoties libuerit, aut pro escæ capiendæ commoditate, alijsque subtus dependentibus latè per collum veluti palearibus, eiusdem omnibus coloris, rubri, nisi quum iracundia tentatur, in quam prona valde auis: tum subitaneę purpurę discessu liuescit pars, mox cęrula quoque momento fit, multorumque simul colorum. Caudam expandunt mares, Pauonum nostratium more, sed longè breuioribus pennis, nec gemmantibus tamen. Hinc adscriptos credo Pauonum generi, quos & magnitudine æquant, sæpe etiam superant. Idem quoque propè sapor, atque alimenti facultas eadem, neque minor ad concoquendum contumacia, nisi benè maceratorum priùs ratione aliqua, quod ferè paulò maioribus auibus omnibus commune vitium; nisi multis, vt huic ipsi generi, nouitas, raritasque gratiam adderet. Itaque quærendum hîc semper aliquid, quo tenerescant meliùs; & vel iugulatione tempestiuè maturata præueniendum; vel, vt de Pauonibus vulgatis diximus, pendentibus adijcienda ad pedes pondera, aut tale aliquid excogitandum; vt si è ficu pependerint, vel perstringantur diutiùs, fricentúrve, & vapulent. nam & hæc factura affirmant ad discutiendã meliùs carnis duritiam, & dissipandum fibrarum tenacitatem.

Eadem ratio seruanda non minùs in Gruibus, nisi fortè etiam magis, quo quidem prædura fibrosæque magis sunt, temperamenti insuper frigidioris ac siccioris: vt maior meritò hinc timenda nobis ideo sit atræ bilis copia, excrementorumq; plus, & deterior improbi succi alicuius malitia, tum difficilior etiam concoctio.

Quę omnia Ciconias, atq; alienus prorsus extraneusque nobis cibus, quem illæ capiunt, (vescuntur enim serpentibus, venenatisque animalibus alijs) deterrimo omniũ loco constituunt, vt addito ad temperamenti earum natiui malitiam, fibrosamque ac præduram carnem, vitioso insuper alimento, pessimæ euadant. Et fuêre tamen olim, qui Gruibus hasce commendatas præferrent: sed nõ diu duratura pręrogatiua. insequutę nanque statim ætatis iudicio saniore posthabitæ sunt, vt ne attingendas quidem cẽserent multi. Edimus aliquãdo ex adolescente adhuc pullo, Cæsarei Archimagiri iussu operaque diligenti optimè parato, maceratoq; diu priùs, herbulis, & aromatum multorũ infarctu, condito: neque tamen exui potuit in totum syluestre, & abhorrens à natura nostra illud, vt non gustu paulò exquisitiore deprehenderetur. Pullum dixi: nam adultam Ciconiam ne gustari quidẽ sine nõ omnino tamẽ obtusi palati offensione posse crediderim. Quod quum in auiũ genere vniuerso valeat: in his præsertim valiturum est, durioris semper carnis, & corporis vastioris quæ sunt, vt ætatis delectum habeamus nouellæ. Hocque quum semel antea præfati fuerimus, de ætatum, sexusque differentijs, & huiusmodi: necesse non habuimus repetere in dictis, nec necesse habebimus in dicendis.

Quo vasta magis corporis mole aues, eo duriore semper carne, tenaciore, fibrosiore, ad concoquendum rebelli magis, magisq; & excrementitia; siue illæ syluestres, cohortalésve, siue aquaticæ fuerint, non sanè temerè Natura in vastitatem corporum, cuiuscunque generis, teneritudinem carnis distribuente, sustinendæ fulciendęque structurę haud facilè suffecturam. De aquaticis mox dicendum: de cohortalibus dictum ferè iam. Non enim Grue, Pauoneque vtroque, maior ex his vlla restat. nam Cygni, Anseres, Onocrotali cum aquaticis proculdubio numerandi. Ciconia, quam iam tradidimus, ex palustribus locis victũ quærit. Igitur tractandum iam de his esset, nisi priùs de Columbis percurrendum videretur, quę ipsę quoque cohortales sunt, aut columbariorum suorum incolæ, communium, singulorúmve.

De Struthiocamelo autem, vastissima omnium aue, si modò pro aui habenda est, (ambigit enim hæc quoque, cui eam generi maximè asseras) nihil aliud ab Authoribus accepimus, quàm vitandam omnino esse: ab alijs cõcedi nobis alarum esum inuenio tantummodo, reliquarum partium omnium vsum abdicandum esse suadent, tanquam maximè excrementitiarum, & concoctu difficilium.

Columbaceum genus calidum omne, siccumque, Syluestre inprimis, vsque eò, vt exassari credatur sanguis horum esu, nec sine noxa calidioribus naturis sumi posse, nisi refrigerantis alicuius additione, existimentur: Anginamque incurrisse quendam tradant, ex qua perierit, ter eadem die ingesta columborum carne. Credo, calidioris sanguinis secum materias alias trahentis defluxu penetrabili, gulæque, vel gutturis loca occupante, factum id fuisse. Iam febrium quoque sæpe occasio ex calido apprimè cibo, & capitis dolor, agitatæ à calore

à calore materiæ euaporatione superiora feriente; priuatim autem, ac rei proprietate quadam, colli, capitisq; comestione. itaque abscindi abijciq; partes eas iubent. Rarior adultorum vsus, nisi in penuria aliorum, aut quum medicamentoso cibo indigebimus: pullorum frequentissimus, quo præpingues alunt. Hinc humidiores, duplicata ætatis pinguitudinisque humiditate, & sagina iam graues, caloris tamen tum quoque sui. optimi habentur, secũdæ plumæ accessu, quum priorem nondum abiecerunt prorsus, cõcoqui nihilominùs difficiles semper, & excrementitij: refrigerato ventriculo commendabiles, aut qui sanguinis inopia laborant, corporis calore totius depauperati, vt à morbis se reficientes, quos calidi humidiq; sanguinis affluentia maiore iuuãt. Renibus robur addũt, proinde semen quoque augent, communi semper ferè causa: vt, quæcunque validos renes reddant, etiam Veneris stimulos adijciant, aucto semine. Minùs damnantur excrementorum redundantia, quæ turres, & domorum fastigia incolũt, Columbę, volatu fidentes maiore, & crebriore: vt alia omnia exercitatione semper sua meliora, quæque ea de causa superfluitatibus pluribus vacent, minoremque ideo noxam adferant esitata, si prætereà tenerioris ætatis fuerint. Itaque eodem, cum Gallinis & Phasianis, recensitas loco video iuuenes Columbas à Galeno in Ephemeræ curatione, sed exercitatiores, ob excrementorum paucitatem.

Anseres, Anates, Cygni, Ardeæ, Fulicæ, quale, quantumq; alimentum exhibeant: & de Aquaticis auibus in commune.

CAP. IIII.



Nseres inter cohortales numerari possũt, Aquaticæ tamen, vt Anates quoq;, aut amphibij generis, quoniam vtrinq; victum sibi quæritant, terra atque aqua: Anates magis. Nam Anseribus cohortalibus domesticisque maxima semper pabuli pars in terra: feris, ex aqua, circunuolitantibus gregatim stagna lacusque, qui & domesticis præferuntur salubritatis gratia. minùs quippe excrementis scatente alimẽto constare credũtur, tanquam exercitatiore carne. Vtrorumque, domesticorum ferorumque, illaudata caro, atque etiam damnata cõcoctionis peruicacia ex duritia, alimentique prauitate, & humoris superflui redundãtia inutili, vitiosaque, & putredini parata, vnde facilis sæpe incursus in febres: nec, præter alarum extrema, commendare quicquam in his magnopere ad salubritatem possis, ob partium crassitiem, meatus infarcientem, atque attenuanti victus rationi aduersissimam; duritiemque, nisi valido robustoq; ventriculo, propè indomitam, sed quæ, si rectè concocta vincatur, non parum alat: vt pleraque alia, quæ difficulter quidem, sed ritè tandem concoctione ventriculi iusta superata, egregiè nutriunt, benè, praueque, pro succi, quem elargiuntur, bonitate, aut prauitate. Neq; enim cum alimenti succiq; abũdantia coniuncta semper bonitas est, sed idem sæpe plurimum, idque malum vitiosumque, addere corporibus potest alimentum.

Nec diuersa admodũ Anatum ratio est, quàm Anserum esse dixerimus. Calidior tantùm Anas: nec, quemadmodum Anserum, ita Anatum quoq; altilium saginata iecora in pretio sunt. Omnino autem Anseribus Anas carne sua commendatior, quanquam humentiore, domestica, feraque, vt Ouillæ comparari possit de humiditate: vel columbarum autem caliditatem superet, atque esse nobis pro medicamẽtoso sæpe alimento queat, quoties calore humoreque fouendos, aut corrigendã intemperiem ex aduerso positam sumemus; humor licèt inde succusq; excrementosus valde, tanquã ex palustri aue, futurus sit. Cætera, grauis quidẽ illa stomacho, nec quam facilè conficiat: at non vsqueadeò, vt Anserum; tum quæ exquisitè cõfecta alimenti multum, attamen praui excrementosique, tribuat, quo vtcũque auctum corpus facilè pinguescat. Pectoris tantùm ac ceruicis in aue hac cõfectandas esse partes, iubet facetissimus Poëta, ac reliqua coquo remittẽda: nos nobis alas prætereà reseruabimus. Eadem, qua de Anseribus, ratione, video ventres quoque à quibusdam expeti, saporis suauitatem commẽdantibus; & iecora, priuatim ad fluxum vitio iecoris factum.

Bifariam damnabuntur Cygni ad cibarium vsum, & qua aquatici, quod excrementis nimijs scatentem carnem facit; & qua grandiores Anseribus, quod eo quoque duriores, & concoqui rebelles, peruicacesque magis promittit. Ex pullis scio lautiores quãdoque epulas instructas, raritatis existimãrim potiùs causa. Nam eadẽ referunt, quæ de Anseribus numerata fuere, ad victum incommoda, & quidem maiora omnia, quo illis quoq; maiores, vnde crescere semper vitia par est, crassitiei, duritiæ, cruditatis, excrementorum redundantiæ.

Onocrotalos nominabimus tantũ hoc loco. Quis enim ederit vastissimas, ac bestiali iam magnitudine Aues? horum pars es-

se nulla prorſus videtur, quæ futura edendo commodè ſit, quantum quidem iudicare poſſum nondum expertus. Voraciſſimæ, inexplebiliſque alitis, ingluuies tanta, vt piſces, genus quodcunque, tanquam in crumenã ſaccúmve, ꝓximè à roſtro, quin ad roſtrum appenſum, demittat; mox, veluti ex promptuaria cella, in ventriculi iterum penum reponat, concoquendos, diſtribuendoſque. Maximum vidimus è Pannoniæ ſtagnis allatum, quum Poſſonij eſſemus, inuſitata magnitudine, magnam, vt aiebant, piſcium perniciem.

Non attinet, (quoniam ne vſus quidem illarum in cibis vllus) reliquas huc id genus recẽſendas Aues afferre: quod alij quidam fecêre, quàm rectè, non diſputo: ſuperuaceneè certè.

De Ardea tamen, cuius creber, ob frequentem ex aucupio illarum capturam, aliquando in cibis vſus, in tantum dicendum: piſculenti neſcio quid ſubolere eam guſtatu; fibroſamque inprimis, ac præduram eſſe, niſi præparatione optima condiatur, benè macerata priùs.

Idem de Fulica: quanquã huic pinguedo (pingues enim ſæpe capiuntur) multum odoris, ſaporiſque extranei occultatum auferat; vt de odore etiam probari meruerit ab Ariſtotele, poſteriorem tantùm auis huius partem damnante, quæ lutulentum ſapiat.

Illud de Aquaticis omnibus, quæ circa mare, lacuſque, & ſtagna, & amnes verſantes victum quærunt, auibus, in vniuerſum addendum: humiditate redundare eas excrementitia multa, aduentitiaque plurima, & innatam paucam habere, ſiccitatem autem inſitam nõ paucam; concoctioni magnopere refragari duritia ſua, & quũ maximè concoctas, alere illas quidem poſſe non exiguè, ſed alimentum eſſe improbati ſucci, excrementitium, atræ bilis ſimul & pituitoſi humoris materiam ex cruditatibus. Iam ſi tetri prætereà odoris, aut ſaporis aliquid ſecum adferant, nihil deterius: vt aut abdicâſſe penitus earum vſum præſtet, omiſſum in totum; aut perquàm rarò adhibuiſſe ad vſum: ſemper autem non anniculis maiores delegiſſe cõueniat, nec niſi depoſita priùs duritia omni, & exuta extranea qualitate, ac velut laxatis antea maceratione aliqua fibris, coquendas mandâſſe. Coqui autem quomodo omnia debeant, quæ ve in eo ſeruanda ratio, modusque, id verò obſonia parantis artis eſt, quam ab his mox tractandam ſumemus.

De aui Tarda, & Tetraone, & Phaſiano, & Attagene, quid ex quoque alimenti expectandum.

CAPVT V.



Terreſtres deinde Aues, Syluestreſque, maiores minoreſque, quoniam de domeſticis & cohortalibus iam dictum, tra demus. Terreſtres intelligo, quæ è terra victũ capiunt, ipſæ volatu intereà ſuo aereæ, humiles, ſubliméſve.

Non facilè ſeſe in altum attollit, humi ſemper volans, ὠτὶς Græcorũ, Latinorum Tarda, vulgi Biſtarda. Huic maioribus interdum pluuijs corpus totum madeſcit, atque etiam madefiunt penitus plumæ, alęque ac pinnæ: vt, præter natiuam tarditatem, quæ nomẽ illis dedit, pluuia iam quoque degrauante madidæ, inſequentes fortè haud longis ſpatijs effugiant, donec breui defatigatione laſſatæ, dum nec prouolare, nec procurrere iam vlteriùs poſſunt, vltrò ſe capiendas præbeant. Latiſſimas planities amat: campeſtris quippe, frugum maximè appetens, vallium ac montium fugitans, auis. Mediam, quod ad alimenti facultatem attinet, Anſeres inter, & Grues, Galenus fecit: vt transferre ex his, quæ de vtriſque ſcripſimus, media omnia in hanc liceat. propiùs tamen accedere ad Anſerum naturam experimur. Appoſitas ſæpe guſtauimus potentiorum menſis lautioribus, Carnis guſtu, vt in aue magna, non peſſimo; durioris tamen, nigræque, vt & concoctu peruicax exiſtimari facilè poſſit, & excremẽtis redundans, & melancholico humore procreando apta, prauique ideo damnatique ſucci. Valenter tamen alet, rectã atque exquiſitam in ventriculo concoctionem adepta. Quod vt meliùs fiat, non ſtatim, vt aut capta, aut iugulata fuerit, culinę mandanda: ſed, vt de prędurę carnis omnibus diximus, quærenda ratio, quomodo craſſities priùs, durities que euicta dometur. Id cùm quibuſdam rationibus alijs aſſequuntur, tum temporis inprimis mora; ne, niſi veluti marceſcentes iam priùs dierum etiam pluſculorum ſpatio hyeme, æſtate nunquam pridianas minus, in menſas venire ſinant. Ita demum & edi, & confici ventriculi opera meliùs, & diſtribui per corpus poterunt; minuſque etiam inde expectabitur excrementorum, ſuccorumque vitioſorum minus. quandoquidem exactè perfecta, omni ex parte, atque abſoluta concoctio ventriculi prima, multum demere, prauæ licèt naturæ alimẽto, malitiæ, & bonitatis addere, obeundis abſolutiùs concoctionibus per corpus reliquis, poſſit.

Haſce Tetraones, Alpinæ aues, magnitudine æquant, ſuperant etiam ſæpe. Du-

ũm

ũm enim generũ, alterũ maius, hoc ipsum Tetraones, qui vulgò, parũ deflexa ab hac voce, Cetroni vocantur: alterum, longè magnitudine inferius, Gallinetæ dicũtur. Vtrunque summa montium iuga inhabitat, præaltis hyeme niuibus virgultorum extrema decerpẽs ad escam, pinastri inprimis, quibus sæpe refertam vidimus ingluuiem. Tetraonas esse, præter vocabuli vicinitatem, vel vnus absolutæ nigritiæ, quem illis Plinius tribuit, nitor ostenderit: sed ante omnia in superciliјs cocci rubor, quo laudatissimam purpuram facilè prouocent. Stolida natura in prægrandi corpore auis, multos sæpe aberrantium iactus expectantis, nec videntis se peti, nec balistæ, aut bombardę sonitu perterritæ: quin immobilem interdum deprehensam aiunt, frustrato alarum conatu corporis grauitate, atque excessu. Hæc, Tetraonas habendos esse, monstrabunt, quos Cetronos dicimus, natalium etiam indicio, quando Alpes eas gignant, ac Tridentinæ frequentissimas. Sed de alimenti harum facultate, non alia hinc expectanda, quàm qualem ex maioribus auibus omnibus diximus, crassi ac præduri, concoctu difficilis, excrementosi, succi mali, haud dubiè atræ bilis multum colligentis. Horum plurimis, qua parte pectoris ossa in auibus pulpis suis vestiuntur, caro inest candidior, ex qua minus quoque timeri meritò queat malitiæ.

Gustu saporéque iucundiorem Phasianam auem habendam esse, non soli Galeno credemus, experimur ipsi. Reliqua omnia eadem, quæ de Gallinaceo genere traduntur: vt paria semper referantur, ętate, sexu, pabulo, pinguedine. Sapor melior conditione potiorem omnino indicat. ex bonitate enim is, idem & faciet. Saporis nanque suauitate auidiùs arreptam amplexabitur ventriculus, & cõficiet. Hinc planè excrementorum iam minus, & alimenti plus, vt cuncta alia nõ dissimilia sint. Hacque gratia non iniuria meliore loco reponitur, non solùm ob raritatem, quæ nihil est ad alendi rationẽ, si rectè pensetur. rara enim multa non sanè optima in cibis. Sed & exercitatio, cœlumq; liberius, quatenus syluatici Phasiani sunt, gallinaceũ genus domuum parietibus includitur, plusculum veræ gratiæ, & bonitatis conciliat. Nec minus sanè ex castratione discrimen, quæ quum in Phasiano nulla sit, non enim Phasianicos capos audimus, vt gallinaceos: in Gallo, nisi castretur, detegat se malitia carnis, fibrositas, durities, succus malus, salsus, nitrosusque: non æquè in Phasiano, cuius etiam non castrati innocuus, quin gratus, acceptúsque perpetuò vsus. maximo bonitatis, consentientisque nobis alimenti, argumento id vnum erit, scilicet minimè futuri eiusmodi, nisi temperatiore vnà per totum, tempúsque omne, carnis substãtia, melioréque, & nutricandi vi potiore quadam, constaret.

Ionica auis Attagen, bonitatis cõmendatione Phasianis proxima habetur. Etenim hanc nobis Ionia olim, sicuti Phasianos Phasis amnis, misit. Diuersum Attagenum genus vidimus, magna diligentia allatum ex Hispania, paulò nostrate maius, longiore collo, & cruribus, plumæ non ijsdem macularum notis distinctæ. quod vt nostrum nõs, sic Francolinum vocant Hispani suum. In hanc nõ immeritò laudes omnes fermè congeras alimenti probi; siue laudãdus succus sit, ex sanguinis optimi generatione, vnde clari maximè illustresque spiritus gignantur; seu spectanda copia, quæ, vt in auibus, expectari hinc potest, idque paucissimo excremẽto, multa; seu cõcoctionis facilitatem sequamur, cum alimenti, vt diximus, non exigua copia coniunctam. Indicio horum omnium fuerit carnis inprimis candor totius, & teneritudo, fibris prorsus nullis, quæ manifestò bonitatem nobis alimenti hanc præstent, quam experimur.

De Perdicum vtroque genere, & de aue externa, quomodo controuersa fortè apud Authores res tolli aliquo pacto posit. Tum alimentum harum quàm in multis præstabile, & de Gallinagine, & Gallinula eodem modo.

CAPVT VI.



Ec admodum cesserit de alimenti bonitate Perdix huic, sed maior illa. Rubro rostro pedibúsque maior, & carnosior: Cothornos vocat Italia tota. Nec valde hoc loco contenderim, sit'ne hæc meliorum Authorum Aristotelis Plinijque vera Perdix, quando ambigi posse video; quæque ab his Perdicum generi tribuuntur, vulgato frequentiq; magis (Starnas Italiæ magna pars vocat, Perdices multi) conuenire potiùs videntur, nidificandi ratio, ouorum pullorúmque numerus, educatio, atque etiam eductio, (fouent enim, secúmque educunt gallinarum more) illarum captura, salacitas, malitia, pullus color, quo sæpe inter non dissimilis coloris terræ glebas occultatæ fallunt, à superuenientibus non animaduersæ; quædamque præterea cum coturnicibus com-

munia, tradita ab Authoribus de his, & nunc quoque obseruata. Eodem nanque modo nidulantur, incubant, excludunt, fœtus suos alunt numerosiores semper, quàm alterius generis, quod priùs diximus, rostri purpureo colore insignis, cuius raritas longè maior, nec is vnquam pullorum numerus, qui Perdicum minorum. Aucupes sæpissimè audimus, nidum se consectari Perdicum totum dicentes, decem, duodecim, aut his etiam interdum plurium simul volantium: quod in maiori genere illo nunquam visum, infrequenti valde, nec paulò rigidioris cœli patiente. Importatas fuisse nouimus Germaniæ, ac Bohemiæ; nec, adhibitis licèt blandimẽtis omnibus, ferre tamen diu alieni cœli plagam potuisse, ijsdem locis, quibus in media Germania introducti Phasiani iam feliciter sobolem suam propagent. Perdicum verò minorum, quas Starnas vocari diximus, vbique locorum copia vberrima visitur: vt vel hoc vnum, peculiare genus quoddam facere Cothornorũ posse videatur, quum vnicum tantùm prodiderint Perdicũ genus Authores hi, non tacituri alterum, præsertim insigniter vsqueadeò diuersum, vt eadem comprehendi specie haud possint, si quidem duo nouissent illarum genera.

Quumque hoc ab Eruditis pro maiore Perdicum genere constitui animaduerterem, legisseque apud Plinium (De natur. histo. lib. x.) aliquando meminissem, venisse in Italiam Bebriacensibus bellis ciuilibus nouas aues, easque etiamnum tum id nominis retinere, vt nouæ vocarentur, Turdorum specie, paulùm infra columbas magnitudine, sapore gratas: suspicabar, corrupta voce vernacula Italiæ lingua, sed significato eodem, Starnas dictas, quasi externas aues, pro nouis, aues magnitudine Columbas inter, & Turdorum genus maius: quum aliam non haberem Italiæ nunc familiarem, quę rectè reddi Plinianis nouis auibus illis, referrique ad eas posset, auem; viderentur autẽ pręterea macularum punctis quibusdam, vt Turdi, distinctæ, & sapore acceptissimæ Starnæ. Quod si reciperetur, iam esse nobis pro veterum Perdicibus, pedibus rostroque purpureo insignes illæ, possent; &, quas nunc Starnas vocamus, pro externis Plinij auibus deputaremus. Vel, si hoc non placet, sint sanè hæ, primumque illud rostri pedumque rubedine notandum genus, Perdices, itáque vocentur, quando nihil hîc aliud quærimus, quàm vt alendi ex his vires, potestatemque tradamus; quæ nunc quoque non minùs à nobis obseruatione diligenti, quæcunque tandem eæ veteribus fuerint aues, aut quo appellârint eas nomine, sciri possint, perquisitæque, ac rationibus de naturæ suæ essentia erutæ, spectari.

Maioris generis diuersa caro, albescens tota, solidior, durior, neque dura tamen. Duriorem diximus, minoris generis carnis respectu. Tenerior enim omnino hæc, proinde & tenuioris alimenti, & resolubilis, diflabilisque citiùs, simul & concoctionis facilioris: qua gratia prætulisse Gallinis, & Phasianis, Perdices Galenum legimus, eo loci, quo ephemera febre correptorum victus rationem instituit, minoris huiusce generis teneritate commodè ad rei, quam tunc tractaret, vsum captata. Cæterùm non æquè candida hîc caro, vt hac parte neque absolutam quidem ideo ex toto succi bonitatem, aut certè non qualem, quantamq; genus alterum spondeat, nobis promittere possimus. Maiorum corpus vt carne plenius solidiore, ac densiore; sic vberioris quoque nutrimenti in eo copia maior, eadem ac diuturnior: neque tamen ea in concoquendo carnis peruicacia, vt ventriculo aduersetur nimiùm, acceptæ statim atque attractæ, arctóque contentricis vndiq; facultatis amplexu, quo iuuari maximè, atque inprimis concoctrix facultas solet, fotæ, ac mox exquisitè concoquẽdæ. Color niuei prorsus candoris irreprehensus, optimi, laudatissimique omni ex parte sanguinis succique spem facit, simul & præstat. Hæc vtriusque generis priuata. Communia illa, excrementis multis vacare, pinguescentiam facere, Venereis operatos iuuisse, colorem corpori bonum addidisse, superfluas ventriculi humiditates exuxisse, restitisse putredini, solutiorem aluum cohibuisse; præsertim verò adultas, aut senescentes iam, hoc facere, siccitatis ac frigiditatis excessu, quanuis paruo, idque ætate tantùm accersito. Nam adolescentiũ adhuc ac nouellarum temperamentum mirum, calorque potiùs cum humore: sed modici ambo, ac frigiditatis tantùm & siccitatis, quæ senescentibus insunt, respectu. Vnde recolligentibus se ex morbis ad virium refectionem præstabilius nihil, vt hoc quoque obiter discordia tollantur Arabum de his dicta, modò frigiditatem & siccitatem his, calorem modò atque humorem tribuentium, ætatum diuersitate considerata. Temperamento nanque quum sint, ætatis tempore potiore, æquo, labente ea, inclinantéque se, facilis in frigidum siccumque excessus, atque is non magnus. Quòd si quis tamen est temperamenti in Perdicibus iusti, ætate quoque meliori, lapsus; is sanè minoris solummodo generis fuerit, per siccitatis exiguum aliquid, cui tenuitatem

tem

rem simul substantiæ maiorem adscripsimus: vnde minùs etiam permanens, quàm in maiore, alimentum, & ex siccitate suppressio alui, humiditatumque exuctio, & putredinis resistentia.

Distincta punctis quibusdam, in corpore Gallinagini pluma, ijsdem penè, quibus minori Perdicum generi, formáque non prorsus absimilis, nisi magnitudine superaret, prælongoque rostro spectaretur, vnde ex re Beccalongarū nomen inditum illis apud Italos: rusticam alij Perdicem appellârunt, ex similitudine, quam diximus. Aristotelis Ascalopa credimus. Sapor in aue non cōmendandus admodum, caro nigra, duráque: vt excrementosam, malique succi habendam esse, fides esse certa possit.

Alia, diuersaque ab hac, Gallinula fuerit, Italorum vulgò Gallinetta; non, qualem Tetraonum generi adscripsimus, verùm syluatica & ipsa auis, sæpe tamē campestris; albescente carne, melioreq; omnino, quàm Gallinago, sapore, sed ad Perdices nihil: vt, pro diuersitatis ratione, bonitatis ac vitij colligere hinc partes liceat.

De Coturnicibus, quæ aliâs helleborum non esitent, num inferre conuulsiones, aut Comitialem morbum queant, proprietate naturæ, an alimoniæ vitio manifestiore. Et de Turturum alimento.

CAP. VII.

Dictum suprà meminimus, Coturnicū esu, quæ Qualeæ nostræ sunt, tentari quosdam conuulsionibus, & musculorū tensiones persentiscere, seruata alimenti ex helleboro, quo Coturnices vescerētur, vi, transfusaque in edentium corpora: vel si etiam non eæ Coturnices essent, quæ helleborum esitarent, sunt, qui idem contingere posse frequentiore vsu, propria peculiarique quadam Coturnicum natura, affirment. Nos aliter existimabimus, idque alimenti tantummodo vitio, qua alimentum est, prouenire credemus, ex his quidem, quarum pabulum helleborus non fuerit, Coturnicibus. Nam si priuata hoc quadam, rationemque omnem fugiente, facultate fieret, in tanto, tamq; crebro, tantùm non apud gentes omnes, Coturnicum esu, quæso, num fieri posse arbitrabimur, tam pauci vt id morbi sentirent? An occultior potestas illa, ac vis, totaque ex substantia prodeuntis virtutis opera, in alijs sese perpetuò, impedimentum nullum nacta, detegunt; in hoc tam raro se detegent? Quod verò esse impedimentum potest, quod, quò minùs euenire id semper debeat, obstaturum sit? Coturnicum esus est, & quidem creber, omnimodus, pullorum, adolescentium, adultarum; humanus ventriculus, concoctio, sanguificatio, per corpus distributio: cur non conuellimur? aut tam rarenter conuellimur? alimenti tum, opinor, quoque tantùm culpa. aut cur non tensiones illas experimur? Magnes ferrū, quum propinquauerit, non rapiet? aut purgatorium pharmacum quodque, non proprium sibi humorem trahet? & huiusmodi quædam? Quæ si rerum proprietate cæca, abditáque, fiunt cuncta, euenire semper, aut perquàm rarenter cessare, oportet; quum videlicet vel agentis efficacia quoquo modo euanuerit; vel, quod perpeti debet, longiùs, quàm par sit, abfuerit; vel impedimenti tandem aliquid medium sese interposuerit. Quorum quum nullum in Coturnicum esu contingat, parata enim, promptaque omnia: profectò, si peculiaris proprietas aliqua causam daret conuulsionibus, aut musculorum tensionibus, nō tam id contingere raro videremus.

De Comitiali pariter affectu quod dicunt, iccirco damnatam mensis Coturnicem, quòd morbo illi obnoxia esse reperiatur: non arbitror facturam Comitiales auem hanc, ea quidem ratione, qua Comitialem ipsa morbum incurrat. Sed quòd plurimum esitata pituitosi, crassique, ac visci di humoris gignat, affectionis eiusmodi materiam, id demum esse, propter quod suboriri in corpore Comitialis morbi causa possit, par est, credamus. Solas autem animalium has, præter hominem, quod Plinius eodem loco adscripsit, Comitialem morbum sentire, bona planè fide testari falsum possum, visis à me boue caneque affectu eo haud dubiò corripi, boue semel, cane pluries, idque statis temporibus.

Cæterùm statui aliter reuera non potest, quin meritò, certisque alijs, nec paruis de causis, auium harum vsus, præcipuè verò crebrior, damnetur, caloris cuiusdam putredinosi intemperie, humoréque nimio, eoque pinguedine adiposa referto, cuiusmodi planè gustu huius ipsius esum experimur, grauem sæpe ventriculo, & pinguedinis vncto membranas ibi farcientem, laxantemque vnà, obtusiore etiam tum appetentia, & deteriore ideò concoctione, succi prauitate non pauca, occultante malitiam pinguedine in præpinguibus, autumni, in orbe nostro, tempo-

re. Nam aliter, quum ad nos vere ingentibus cateruis per maria delatæ, pabulique inopia macræ aduolant, qua sint alimenti conditione, ostendunt; duriore nempe, crassioreque, & fibrosa, quæ ventriculo repugnet, & cruditates faciat. Compertũ habeo, nullo alio æquè, quàm Coturnicũ, alimento faciliùs certiusque, quod quidem ad victus rationẽ attinet, paratas esse, conualescentibus à morbo, recidiuas. Quod non alia veriùs ratione contingere posse, quàm alimenti, succique ex alimento malitia, mihi ipsi libenter persuaserim.

In hac aui, quemadmodum & in Turturibus, quas nunc in manus sumimus expendendas, euenit, vt pinguitudinis infarctu nimio strangulentur: neque propterea tamen edendo non sint, quippe quæ suffocatæ tantùm pereant, intercluso spiritu, non etiam tabifico morbo aliquo, aut senecta confectæ. Cauendum tamen, ne præpingues nimis in mensas veniãt, potissimùm verò Coturnices, ob humiditatem natiuam, cui si præterea pinguedinis addatur humor noxius, laxãsque, damnosæ dubio procul vescentibus reddentur, humiditatis improbæ nimietate. Nam Turtures ferre innocentiùs pinguescentiam illam, modicum tamen, poterunt, ob naturalem siccitatem, qua cum calore benè satis à temperamenti iusti mediocritate recedunt. Hæc nanque pinguedine aliquantum humescens emendari poterit siccitas, temperatior facta, quæ durã alioqui faciat Turturum carnem, præsertim adultarum, longeque magis senescentium, nec sanè concoqui facilem admodũ; concoctã tamen, ex qua sperari possit alimenti non parum, sed crassi, sæpe etiã atrabilarij. Quare consilium fuerit, nouellas tantùm vsui adhibuisse, minimè anniculis maiores, nec nuper iugulatas, aut pridianis recentiores. Hac enim quoque temporis mora, præter ætatis, quod diximus, tenerioris delectum, veluti marcescens tenerescet insita illis durities, siccitasque; tum & promptiùs parebũt vẽtriculi officio, & sanguificationi meliori commodabunt, alimẽtumque elargientur corpori pro rata parte non exiguum, nec prauum, crassumque inter ac tenue, exuta partim, partim remanente natiua adhuc duritie, quæ diuturnitatis aliquid nutrimento addat. Idem siccitatis, humiditatisque in medio cõstituet: nam calore omnino exuperãrit aliquantum alimentum id, iccirco generando augendoque sanguini laudatum, qui calore atque humore, vel certè non multa siccitate, gigni, perficique multus solet. Iam ex sanguine multo, præsertim cum humore iusto suo calido, seminis sæpe sperari multum, ad obeunda fortiùs Veneris munia, poterit; & ex non valde crasso, quin modicè potiùs tenui, spiritus animales, peragendis ratiocinationis & intellectus cogitationibus aptissimi, solidè potiùs ac firmiter, quàm euanidè & inaniter perspicacibus, expectari.

De Turturibus, videri alicui fortasse possit, tractandum priùs fuisse, quum de Columbis ageretur, cuius hæ quoque esse generis videantur. Sed nos hoc loco facere id maluimus, inter de Syluestribus auibus tractationem: syluestres enim hę quoque. Coturnicibus adiunximus: quoniã vtræque hyeme occultantur, aut abeunt; vtræque saginantur mirum in modum, eadem prope victus ratione; vtręque pereunt sæpe sua sponte, saginæ illius pondere, ac obesitate sola, in farctuq; nimio, tanquam elisis faucibus, suffocatæ. quod haud scio an alteri auium generi vlli cõtingat. Et minores quidem magnitudine Coturnices, vt postponẽdæ Turturibus ob id fuerint. nam id quoque sequuti hîc fuimus, vt maiores primò poneremus. Sed non parua in multis cum Perdicibus similitudo, illis ipsis Coturnices meritò associauit. Nunc minores trademus, idque confertim, vno quasi agmine ad caput vnum aduolantibus.

De minoribus auibus, Turdo, Passere, Sturno, Alauda, & Nemoralibus auiculis omnibus, cuiusmodinam ex his alimentum proueniat corpori: deq; capturæ, & asseruationis earum, quod ad alimenti rationes attinet, modo.

CAPVT VIII.



Minorum auiũ laudatissima Turdus. Eadẽ cunctis aliorum quoque generum, Martialis Poëtę iudicio, antepósita, sed suo ipsius fortasse tantùm. Se nanque si certaretur iudice, primas deberi turdis, dixit. Triplex horum genus: Primum, maiusque, visciuorum Aristoteli dictum; idem Germanis, quòd plerunque iuniperi baccas voret, Cronabet appellatum, vulgò Italis Gardena: Alterum genus, medium, Turdi nomen retinens, frequentius vbique: Tertium, æstate in alsiosis, montanisque degens libentiùs, Autumno ingruentibus pluuijs in plana descendit agminatim, nec diu manet, loca subinde mutans. Medium pinguescit admodum pabuli copia, tuncq; meritò laudatissimum, non diu post capturam si assetur, ne exem-

exemptis quidem intestinis in præpinguibus, & recens captis, quoniam tota propè tum pinguedine constant, maxima in Germania hyeme tota captura. Horum, primique inprimis generis, caro quanquam dura à Galeno habita, dictaque: sapore tamen, gustúque grata, & quàm Merularum suauior: vt, Merulas qui prætulêre (fuêre enim qui præferrent) insulsi homines fuisse videri possint. Durior tamen non falsò Turdorum caro, ac siccior, si cum antedictarum multis conferatur, veterascétium inprimis iam, macrorumque: simul nigricans color, nonnihil omnino subesse atræ quoque bilis, demonstrat. Concoquit eam ventriculus haud ita difficulter, nimirum quia minorum iam auium est, quarum, pro corporis magnitudine, plus semper aut minus insit leuitatis carni, aërosæ à natura magis minúsve factæ: vt intereà tamen esse eadem siccior duriórque vnà possit, &, vt diximus, aërea, ideò solutili quoque magis substantia, in duritie quanuis illa, quæ aërei multum obtineat. Sic sanè nec alimentum, quod exhibet, durârit diutiùs: diflatúrque, vt minimè valenter alant. Imbecillioribus ventriculis aut natura, aut morbo, aut à morbo vires sumentibus, commendantur, concoctionis facilitate.

Temperamentum paulò siccius omnium, vt diximus: licèt sit & caloris in multis aliquid, in quibusdam vel plurimum, vt, qui omnium salacissimi habentur Passeres. ita nanque nunc vocamus priuatim, communi aliâs voce, auiculam turrium, domorúmque caua nidis suis occupantem. Horum, gustui semper ingrata caro, siccitate nimia, & calore: meliores tamen autumno: dos peculiaris ad Venerem: improbi alioqui alimenti, ventriculóque aduersantis, nec facilè descendentis. Ex quo malus & æstuosus sanguis, illaudatique succi, biliosi inprimis, tum etiam deinde atrabilarij.

Sturnorum conditio eadem, extraneus prætereà sapor quidam, vnde deterioris insuper succi alicuius suspicio: ipsi seipsis tamen, maturescentibus vuis, ac per vindemiam totam, pabuli melioris copia, meliores, & sapore iucundiores euadunt, vt edi non insuauiter prorsus possint. Sturnos tamen, & quos ante Sturnos memorauimus Passeres primùm, πυργίτας Græcis dictos, alimenti fecisse videtur (De tuen. sanit. vj.) Galenus, cuius Turdos, Merulásque, ac post Perdices, & Attagenas, cum his recensuisse: sequutus in eo, credo, (colligi enim ex ibi dictis potest) substantiæ leuem, aëream, & dissolutilem constitutionem, minimè hærentem, nec meatus vllos morantem, quos ille eo loci, ne infarciantur, cauet, de renibus veritus, aliâs non probaturus magnopere fortasse, si quærendum nobis insuper alimentum esset dotibus suis omni ex parte laudatum.

Alaudis, præter alimenti qualitatem auibus multis alijs communem, quam diximus, familiaris vis illa inest comperta, Authorúmque probatissimorum testimonio comprobata, cui impudenter refragari non liceat, colicis cruciatibus subueniendi, in Præcautrice artis parte non minùs, quàm Curatrice.

Sequuntur agmina auicularum insignium, frequentiúmque, quas nemora inprimis alunt, inde Nemorales dictæ; tum frugilegarum, has σπερμολόγους Græci dixêre, Fringellæ vtrunque genus, maius, minúsque, Carduelles seu Thraupes, Ligurini, & id genus, rostro omnes duriore, ac corneo prorsus, cibis suis captandis accommodo. Nam auiculis alijs, quæ vermiculis, aut insectis aliquibus victitant, & arbustorum, fruticúmque baccas ad cibatum decerpunt, pro molliore esca, quæ non frangenda illis, aut deglubenda, aut comminuenda, vt frugilegis, sit, etiam pro natura rostrum tenuius multo à natura datum, simul & tenerior caro, Ficedulis, Rubicillæ, Rubeculæ, (quas non easdem habendas esse aues existimo) Curucæ, Luscinìæ, Atricapillæ, quam item à Ficedula diuersam facio. Harum omnium facilior concoctio, sanguis tenuior; &, vt ex tenui, non multi sanè temporis, sed excrementis tamen multis vacans, alimonia.

Aues retulimus magnam partem, quarum vsitatus esus, vt non multæ ad vsum hunc dicendę supersint, & quę supersunt, deduci ad harum aliquam, rerum similitudine aliqua consociatæ, queant.

Visco'ne aues, an retibus, an pedicis, laqueísve, an accipitre capiantur, distare si quis dixerit; minutias esse arbitrabimur, quas diligens licèt Medicus, attamen prudentior, consectandas sibi esse non putet. Illud, vt in rebus his, considerabilius, cuiusmodicunque captura fuerit, non solùm differre, sed etiam referre non parum, viuæ'ne seruari, an examinari statim debeant: propterea quòd diutiùs seruatæ bonitatis multum amittunt, iamque contabescere incipient. Et macerantur quidem eo quoque modo viuæ, vt tenerescant magis, sed cum corporis sui, carnisque detrimento: ac teneritudinem hanc ex maceratione, in occisis quamprimùm, temporis potiùs mora quæsiuisse, longè præ-

ſtabilius ſit in paulò durioribus. Nam in teneris, & valde paruis, etiam nullius temporis ſæpe mora requiretur, quin, vt captæ ſtatim, & occiſæ fuerint, rectiſſimè culinæ mandentur.

De partium in Auibus nutrimento, Alarum, Colli, Ceruicisve, Cerebri, Linguæ, Criſtarum, carnearúmve membranarum, Ventriculi, Inteſtinorum, Iecuſculorum. Teſtium.

CAPVT IX.

DIcto de Auium carnibus, quæ corpus illarum conſtituunt; particulatim nũc dicenda reliqua breuiter, atque in commune, ſic, vt partes tradantur, non cuiuſuis generis ſeorſum, niſi priuatum aliquid inuitet, ſed omnium potiùs ſimul: ipſe ſibi deinde vnuſquiſque facilè diſcrimina fecerit, expoſitis prius à nobis diligenter, quod quidem ad alimenti vſum attinet, Auium differentijs omnibus.

Alæ omnium, quanquam hæ carne potiùs continentur, quoniam exercitatiores, ſic potiores quoque habendæ: vt quarundam carne ſua damnatarum, non damnemus alas, ſicuti Anſerum, tanquam non adeò concoctioni repugnantes, & alibiles tamen. Iam quoniam in totum Gallinas ac Capos Anſeribus meliores diximus, etiam alas meritò meliores ſtatuemus. Quod, ſemel hîc dictum, transferri cogitatione ad reliqua debebit.

Collum item auium aliquatenus carnoſum, Pedes excarnes: edimus tamen Gallinaceos, Anſerinósque inprimis, carnoſarum palmarum ſucco, ſi rectè parentur, guſtu non ingratos. Vana vulgi opinio, gallinaceorum Pedum eſu conciliari ſomnum, vt Colli oculorum claritati offici: niſi fortè pinguis in ceruice cutis vſu nimio, quam multorum gula ſectatur, id fiat.

Cerebrum in auibus, quàm in quadrupedibus, haud dubiè præſtabilius, ac ſalubrius, quo quidem ſiccius. Abeſt enim huic iam pinguis illa vnctáque humiditas, ſubuertendo in nauſeam ventriculo apta; & alendi commoda facultas multáque adeſt, nullo hîc infarctuum timore. Neque enim glutinoſum, ſicuti aliorum, Cerebrum: vti ex alimenti bonitate & copia, ſperari eiuſdem conditionis ſanguificatio non illaudata poſſit, ideo & ſeminis quoque ſtimulandæ Veneri ſatis; præſertim verò, ſi paulò natura calidiorũ auicularum fuerit, vt, quos ſalaces inprimis diximus, Paſſerum.

Portentoſi ſumptus, luxúsque potiùs deteſtandi, quàm alimenti vſus alicuius fuit, oneráſſe aliquando auium Linguis patinas. Nam quantum inde alimẽti, quæſo? aut cuiuſmodi tandem? tametſi ſalacitatem quidam harum alimento addi credant.

Criſtas, pendulaſque à mento purpurei coloris carneas membranas, diluti per ſe eſſe ſaporis reperies, ſucco non prorſus nullo. Culinarum artibus ſapere meliùs, alimentumque exhibere poterunt, ambiguæ bonitatis, aut malitiæ. Pituitoſum quidem ſuccum, craſſumque gigni inde, veriſimile eſt, & viſcidum partim, vtpote ex materia, cuiuſmodi penè fungi, & tubera molliora vilioraque, genus quoddam.

Plurimarum auium Ventriculus in cibatu noſtro non eſt: Gallinarum autem, & Anſerum, in quotidiano propè vſu; ſaporis per ſe non iniucundi, alimentique non illaudati vterque: ſed non vt tamen concoquendi viribus (quod perſuaſum habuêre aliqui) adijci inde quicquam poſſe credas, vt alia multa, quę concoctionem iuuant, aut calorifica vi, vt gingiber, cinamomum, piper, aromata quædam; aut calore atq; humore, natiuique caloris fotu, vt vinum; aut partium diſſectione, vt acetum, quod incidendi facultate minutim magis confecta alimenta ſubeundæ promptiùs concoctioni paratiora exhibeat. Horum nihil ventriculi Gallinarum, vt diximus, Anſerúmve, nõ ſanè magis, quàm aut Struthiocameli, aut Mergi, præſtãt. Quin ipſi per ſe in concoquendo pugnaces potiùs ſubſtantiæ denſitate quadam, niſi validioris ventriculi vires experiantur, tantum abeſt, vt concoctioni de ſuo hac cauſa opitulari poſſe exiſtimari debeant: nec alioqui peculiaris dos aliqua ineſt, cuius euidenti ſucceſſu aliquo periculũ factum à iuratis Authoribus proferri queat. Membranas tamen Gallinarum ventriculi, cuticulaſq; in hunc à multis ſæpe vſum præparari, medicamentiſque ad ventriculi imbecillitatem adijci ſolere, non ignoramus: quo vſu autem, aut ſucceſſu, quid tibi dicam? Experti affirment.

Inteſtina, quæ Galeni tempeſtate nullatenus veſca fuiſſe perhibentur, poſt eum edi cœpta, Gallinarũ ex acetario ſæpe: Anſerum pedes ſectos proſciſſis in longũ auis eiuſdem inteſtinis illigant, coquuntque, & vtriſque veſcuntur, ſucci expectatione pituitoſi, crudioriſque: ſed inteſtinorum tenuitas (non enim magnarum animantium, vt quadrupedũ) vitij multũ adimet, vt citiùs, atque exquiſitiùs conficiantur,

minusque

minúsque simul noxij inde humoris proueniat.

Iam Iecuscula auium quis non optimi esse saporis expertus nouit, Gallinarum, Phasianorum, Caponum? aut quis non probatissimi alimenti iudicârit, rationemque collegerit ex substantiæ teneritate ac tenuitate, æquabilitate temperamenti, succi bonitate, alendi vi? attamem diuturnitate non multa. quoniam vitio quoque carent iocinorum in quadrupedibus, quæ cum alimenti permansione nutritarum partium longiore, simul & pugnacia magis aduersus concoctionem sunt, & diuturniorem moram trahunt in ventriculo, tardato etiam per intestinorum sinus descensu, viásque paulò angustiores obstruendi nota non carent: quæ in auium Iecusculis nulla, præsertim Gallinarum, Caporúmque, quantumuis altilium. Porrò quæ cura Anseribus saginandis adhibeatur, cibatu inter alia lacte multo madescente, in id vnum, vt pandas sæpe lances implentia Iecora habeantur, nouimus, suauissimi saporis, plurimi, succóque laudatissimo præditi alimenti, cōcoctione non repugnante, nec morante diu descensu, æquabilissimo caloris atque humoris temperamento, vt ad bonitatis alimenti summam non sanè deesse multa videantur.

Eodem modo altilium Gallinaceorum, pullorúmque, cibarijs ex lacte enutritorū, Testibus vescimur, imbecilliori quoq; ventriculo concoctilibus, & vires à morbo resumentibus idoneis. Multum inest, quod alat, succóque vitij nullius alat. Sanguinis autem tantum gignunt probi alimentosique, si quis paulò plures sumat, vti & nutritionem suam partibus suppeditare, & id inde quoque superesse sanguinis possit, quo genitalia, refertis ac redundantibus semine vasis, sufficere coëundi desiderio sæpiùs valeant. Referunt, quibus ista curæ fuêre, exectorum fortè pullastrorum collectis Testibus exaturatum quendam, vsque eò in Venerem concitatum fuisse, vt plures delassâsse coëundi viribus fœminas potuerit. Tanta est semineæ materiæ, ex sanguinis copia probi repurgatique, his facultas; promptáque insuper, atque expedita in ventriculo concoctio, minimum vt in exquisitè confectis decedat ad excrementorum superflua, totique propè in alimentum abeant, aut alimenti excrementum vtile tantùm illud. Nec defuêre ex coryphæis, qui Gallinaceorum Testibus, madentibus lacte cibis educatorum, æquari pondere genitum inde sanguinem, sic opinantes quosdam sequuti, scripserint. Nos non excrementorum quidem nihil inde prorsus decidi credemus. quî enim fieri id potest? aut quod tandem alimenti genus inueniemus, alimentum totum quod sit, aut potiùs quis vnquam de æquilibrio hoc fidem nobis faciet expertus? vtemur autem meliùs, pro argumento minimè omnium excrementitij cibi, ea ita opinantium fide. Ex seroso, inquit Galenus, lacte parata gallinaceis esca laudatissimi Testes: ne, si aut caseoso, aut butyroso nimis, Testibus aduentitia potiùs adderetur, quàm insita demeretur, crassities. Demitur autem serosa parte, quantum vitandis infarctibus, conciliandæque iustæ alimenti constitutioni satis sit, vt appositè nutriat; & sicuti multorum se excessuum in medio sistat, ita aluum quoque nec moretur, nec cieat.

De partium in animalibus nutrimento ex Situ: Intrinsecarum'ne, an extrinsecarum melius; superiorum'ne, an inferiorum; supinarum, an pronarum; dextrarum, an sinistrarum. & quantum tribuendum sit rationibus in Arte Medica, quum minutiora quædam inuestigantur: & de comparatione partium inter se iusta. Quæq; in animantium generibus quibusdam, aut ætatibus potiores ad alendum partes.

CAPVT X.



Llud ad extremum addatur hoc loco breuissimè, post tractatum de Quadrupedibus, volucrumque genere omni, dicendum, (quanuis Quadrupedum propriū magis meritò esse hoc videatur: sed volatile tamen genus quoque tangit) Vtra animantium corporis pars, ossibus'ne, an cuti propinquior, in alimenti probi commodique delectu præferenda sit. Et præferendam quidem esse interiorem, non dubitandum, communi propè omnium consensu gustúque sapiditatem agnoscentium carnis ossibus proximæ semper. Sed qua id ratione contingat, quid ve esse causæ existimandum, id verò quoque non ignorâsse, minimè dedeceat nobilius illud Medicorum genus, Philosophica consuetudine, causarū semper inuestigans. Non arbitror propterea fieri, quòd hæ exerceātur magis, minùs illæ, exercentur enim vtræque pariter: aut quòd per harum meatus fumidæ exhalationi, & sudoribus exitus pateat, illis nō pateat. patet enim vtrisq;, neq; hæc discrimina sunt musculorū inter se, sed horum

rum potiùs & ventrium, quorum manifestæ cauitates visuntur in corporis trunco, capiteque, neque exercitæ, neque sudoribus aut exhalationibus peruiæ. Musculos autem, tanquam motibus destinatos, exerceri continuè, assiduáque sudorum, vaporosæque, atque halituosæ materiæ, reciprocatione percurri scimus omni ex parte omnes: quos quidem nunc bifariam acceptos, interiori, exterioríque ex parte, veluti in iudicium vocamus, vtráne harum bonitate superare in salubri alimentorum censu existimanda sit. iam enim hæc quoque incessere potest Studiosum aliquem libido, vt quærat, & sciat. Ergo proxima ossibus carnis, musculorumque, & corporis pars exercetur illa quidem quoque, ac seipsam exercet, modò contrahens se peragendo motui, quæ musculi propria, iustáque functio est; modò laxata in oppositi sibi musculi functionem concedens, accidentario quodam, ac secundario motu: sed exercetur tota tamen, neque hæc magis pars, quàm illa; totámque simul peruadunt sanguis, alimentum, concoctionis tertiæ excrementum quod superest, tenuius, crassiúsve, hæsuræ cuticulæ sorditiei, aut sudoris, fallentis've sensus nostros perspirationis, materia. Cæterùm extimas, cutique subiectas partes æstus frequentiùs coquit, Solesque exiccant, & vrit sæpe intrans penetransque frigoris vis: vt noxis tot exposita, durior ac siccior, minoréque ac minùs suaui succo, nec accepta palato, nec ventriculo æquè accommoda, nec pari in totum bonitate, censeatur.

Sed hîc quoque quæritur, Superiora'ne animantium, an inferiora potiora iudicanda sint? Quanquam paulùm minutior hæc quæstio: vicerit tamen ratio non absurda, vt priores partes obtineant priora, superiora nempe, quippe quæ tenuiore, ac repurgatiore sanguine nutriantur, quique calorificæ, vitalisque iam propè facultatis, ac spirituum aliquid à corde in transitu acceperit. Hæc cogere possit ratio non refractarium omnino aliquem. Hincque persuasos crediderim, superstitiosum hominum genus, sed ratione tamen in hoc nitentes aliqua, Aegyptios primùm, quos sequuti Iudæi deinde sunt, anxiè inprimis ac solicitè quæsito vbique ciborum delectu, inferiora quoque in cibatu suo abdicâsse.

Nam quòd perpetuo pectus motu, assiduaque spiritus vltrò citroque missi reciprocatione agatur, calorisque natiui focum contineat cor; id non tam superiora, quàm supinam corporis partem meliorem indicârit. Non enim in superioribus tantùm pectus, sed pectoris potissima pars thorax in supinis, sicuti in pronis metaphrenum, pectoris pars altera. Superiores & inferiores corporis partes in animantibus omnibus septi transuersi interuentu distinguimus: pronas & supinas faciliùs in homine, ob erectam staturam, anteriorum & posteriorum nominibus intelligemus, supinas anteriores, posteriores pronas accipiendo. Eandem rationem in animalium omnium seruandam esse genere cẽsemus, nisi desciscere à summo rerum harum magistro velimus Aristotele. Verùm enimuerò facessant hinc iam quæstiuncularum eiusmodi quisquiliæ.

Sicuti ne id quidem magnopere discussione dignum iudicamus, Dextra'ne sinistris anteponenda hoc in negotio sint. Anteponenda affirmant, quòd dextram occupârit partem Iecur, innati nobis caloris tam capax; sinistram Lien, fæculentiæ melancholicæ plenus: quasi non à Iecore in omnes corporis partes, sinistras dextrásque, tendat venarum canalibus missus sanguis, bonitatem vimque secum semper deferens ex Iecore acceptam; aut non melancholici itidem humoris cum sanguine vnà portio in totum se corpus fundat, quæ dextram simul, sinistrámque partem, hac causa reddere deteriorem possit. Sed esto sanè, vt viscerum vicinia, Iecoris dexteriora caloris innati maiores vires sentiant, Lienis sinisteriora ex melancholico sanguine noxam: faciente insuper, vti hoc ipsum faciliùs credamus, maxima illa quidem atque Hippocratica partium inter se corporis omnium conspiratione, nec minùs tamen magno, quin euidentiore sæpe ac manifestiore, earundem consensu, quo dextra dextris, & sinistra sinistris, tam sæpenumero in Artis operibus, ad voluptatis, dolorisque communionem trahi experimur. Quis vnquam autem tam exactè gustus, palatique, aut saporum differentias omnes calluit? quis tam minutatim persequutus est, vt gustandi viribus tantummodo dextra à sinistris, aut à dextris sinistra dignoscere potuerit, aut nunc distinguere se posse speret? Sensibus nostris nitentes, artifices sumus Medici. Si qua rationibus nobis demonstrantur claris, eáque experimentum comitatur sensus fide certum, firmata atque inconcussa sequimur. Sin subtilior ratio inuenerit, naturæ inuestigatione perquisita; sensui autem, quo genere confirmari ratio queat, non pateant: valere rationem sinimus. vtroq; modo, &

vt

vt valeat, firmáque robore suo maneat; & seposita valeat, aliò interim abducta, si aut aduersatura sensibus nostris sit, aut (vt minimè aduersetur) nihil tamen vsibus nostris commodatura. Perpetuos atque assiduos corporis fluores scimus, vt momentum temporis nullum sit, quo non inde aliquid decedat: quo planè intellectu assiduè nos ægrotare volunt quidam. Non vtimur hoc dogmate: etiam ridemus vtentes, quoniam artificij nostri rationem in eo statuimus, quum primùm manifestò sese nobis intelligendos exhibuerint, euidenti actionum nostrarum impedimento, fluores illi, tunc curaturi statim, vt succurramus. Alioqui necessarius in horas Medicinæ semper vsus futurus foret, quoniam perpetuæ passibilitatis noxa vrgeremur, quæ Græcæ ἀειπαθείας nomine circũfertur. Dextra itidem sinistris ad alendi vsum potiora existimanda esse, ratio persuadere videtur quædam, quam attulimus; cui nihilominùs reclamâsse non nephas penitus sit, alia, quam itidem attulimus, ratione. Sed sit sanè ita bona ex parte, aut in totum demus etiam id: sensus tamen nullus percipit, ne gustus quidem, vnus nobis à natura dignoscendis rerum harum differentijs aptissimè datus. Ergo ne sequemur quidem hoc, aut non valde sequemur, quoniam vsus nostros non valde iuuat: nec, vt aliquatenus persuadeat ratio, in vniuersum cogit. quæ si cogeret, tunc fortasse rationis illius habenda ratio aliqua esset, vt, quanuis sensu non confirmaretur, fidem tamen adhibendam esse contendere possemus, vt in multis alijs eiusmodi, in quibus falli sæpe sensum, vigere rationem experimur. Nunc de sinistrarum, dextrarumque inter se partium comparatione, quod ad alimenti rationem attinet, illud etiam dicemus, non vincere rationem in totum, vt dexteriores meliores sint, deteriores sinistræ: nisi fortè Iecur, vt dixi, vicinitate circuniacentibus partibus bonitatis aliquid addiderit; Lien autem, malitiæ. id quod proximas tantùm partes bonitate, malitiáve afficiat; in remotiores non penetret, quæ vtrobique eodem nutriuntur sanguine, ac proinde eodem quoque modo respondere gustui sentimus. Hæc semel huc obiter, sed breuiter, attulisse, operæpretium visum fuit, vt sciremus, quantum in re Medica tribuendum rationibus interdum sit, interdum sensibus, idem, aut diuersum ostendentibus, consentientibus, aut repugnantibus.

Considerandæ autem rationes semper, quantum valeant; &, an iusta vbique rerum comparatio fiat, videndum. Vt hìc, vbi, quantum valitura sit ratio ea, exposuimus, quę persuadere nobis conatur, dextra sinistris in alendo potiora esse, nisi rectè comparentur omnia, nugari statim necessum sit: vt si, quoniam de musculis tantùm carnosáq; substantia loquimur, musculos, exempli causa, dexteriores lumbares, cum sinistræ coxæ eiusdem animalis musculis conferamus, vicerimus profectò, meliores esse tunc dexteriores sinisterioribus musculis quosdam. Sanè & gustus testabitur idem. Sed non dextræ, aut sinistræ partium ratione id: nam è contrario, lumborum pariter sinistri musculi, dextræ coxæ musculis, meliores esse inuenientur. Substantiæ diuersitas est vna, vnicuique primitus à natura parti accommodè tributa, quæ hoc faciat: vt lumbi, verbi gratia, caro multarum partium carne delicatior, gustuique acceptior, eadem salubrior quoque sit: sed non, vt dextri lumbares, lumbaribus sinistris, præferri tamen eadem ratione debeant: quod quærebatur.

Hac partium diuersitate, quæ temperamentum, partisque constitutionem, pro rei natura, atque vsu, diuersam facit, perquàm certa ratione fiet, vt aliæ alijs animalium eorundem partes melioris in totum alimenti euadant, comprobante etiam gustu. Sic Vitulorum prona præferimus, Piscium supina, laudatioris & alimenti, & gustus, partibus reliquis, vulgata quoque dicti subscriptione, quo monemur, quærendum ad Solem Vitulum, in vmbra Piscem; dorsi partibus pronis intelligentia acceptis in Vitulo, ventris in Piscibus, quæ supina illorum pars est, & cæteris commendatior in piscium genere. Apagesis illam hinc rationem, quæ id argumenti adfert, deteriora habenda esse membra quædam, propterea quòd calore natiuo destituantur longiùs seposita, vt clunes, vt caudæ sunt. Quippe tributus partibus omnibus calor satis suus cuique: in substantia, temperamento, constitutione, differentiæ ratio est, alimentique probi, aut vitiosi argumentum: friuola illa ratio, nec aliud magis, quàm carnis substantia propria, bonam, aut malam fecerit, vti dictum. Exercitatio deinde accedit, & eorum, quę duritiem, aut teneritatem addere, aut crassam tenuémve reddere possunt, pauca.

In Quadrupedum tibijs, potissimùm Veruecum, extremis musculosa caro est, teneritudine tanta, vt conficiatur statim cõmãsu minimo oris, ac perquàm facili concoctione, alimento irreprehenso: Tertianarijs damus in deiectione appetentiæ vel quũ maximè, & cõualescentibus à morbo.

In Aui-

In Auium genere prima est commendatio alarum, tum ceruicis ac colli: reliquum corpus totum propè carne repletur supinæ partis, & sub alis laterum, prona dorsi cute ferme tantùm tegitur, exceptis pedibus: in pectore pulpamēta sunt optimi saporis, & alimenti, interiora præsertim cuspidis in morem circunscripta, hinc Sacrificulorum lāceæ, cuspidésve nomen retinent; & quæ supremæ pectoris parti circundantur, bifurcatæ, quod rectè iugulum censetur in auibus.

Ex Aetatibus discrimen illud, Pullorum pedes præferentibus cum coxis, Caporum Gallinarumque alas, non ad gustum solùm omnia, sed ad alimenti non minùs bonitatem. Exercitatio in pullis maior pedum, alarum in Capis Gallinisque, causa.

De Sanguinis alimento ex alitibus: & cur Leporinus cæteris laudabilior.

CAPVT XI.

Dicendus insuper hoc loco, ne quid tractationi desit, Auium quoq; Sanguis, cuius nullus iam, aut perquàm rarus aliquibus vsus; Suillo nulla ex parte deterior, vel ad sapiditatem, vel ad concoquendum, Gallinarum presertim, aut Caporū altilium, etiam tenuior, teneriorque meritò habendus Suillo, quanto quidem aëreę magis naturæ particeps, ac siccioris nihilominùs vnà carnis generans; ideo & concoctu facilior, quia leuior; minùs tamen nutriens, plurimúmque in hoc Leporini sanguinis commendationem infra, reliquis omnibus præferendi.

Quum alioqui animalium cunctorum Sanguis, quecunque iste tandem ratione præparatus sumatur, nec concoctionem facilè subeat, & excrementitius sit, quasi in quo inchoata tantummodo naturæ opera appareant ad alimenti perfectionem, quod iustum demum ex carnium vsu capimus. vt intereà absolutæ elaborationis Sanguis sit, qua Sanguis, &, quem potuit, formæ suæ ornatum acceperit: at alimentum tamen imperfectum, atque adhuc veluti in via progrediens, maiore paulò diutiùs operati caloris vi hoc ipsum demum futurum alimentum legitimum, facto iam in carnem trāsitu, id videlicet Sanguinem, genus quodcunque, infra alimenti iusti naturā constituere potest. Idem Leporis paulò magis cæteris commendabilem reddet, sed vt Sanguinem tamen: id fuerit dicere, malum etiamnum, alijs tamen minùs. Etenim Leporis caro benè inprimis sicca quū sit, nec sanè caloris multum retineat; poterit illius materiā Sanguis, caloris natiui inibi operati potentia, calidæ atque humidæ qualitatis tantum accepisse, quantum temperamento faciendo, aut ab hoc non procùl, satis sit, quod deinde vlteriore ad carnis generationem caloris eiusdem elaboratione diflatum, exhalatumque, ac partim cōsumptum perdatur: vt multa videmus temperatiora primò, ac constitutionis mediocris, calore deinde multo temperamentum amittere, & ob absumptam humoris partem, densatamque, naturam aliam induere.

De Ouis, Cuius Luteum, cuiúsve Candidum temperamenti sit, atq; alimenti: & de Oui totius temperamento, & nutrimento. Decipi, qui durescere concoquendo Oua arbitrantur, eóque alimenti durabilitatem promittunt, & in Senibus damnant. Coquendorum Ouorum ratio diuersa, & ex diuersitate alimenti quoque diuersitas.

CAPVT XII.

Prodeunt ex auibus Oua: at auium partes non sunt, vt, qué modò retulimus, sanguis: propagationibus earum destinata, simul escæ nobis futura, magna interim admiratione reputantibus, quanto opificis Naturæ artificio inclusum eadem Oui testa fuerit, ex quo & generaretur pullus, & quod genito alimentum foret, donec excluderetur, intersepientibus tenuissimis membranis testam, Luteumque, & Candidum. Origo vtrique ex sanguine, sicuti lacti, ac semini; eo discrimine, quòd animal parientium foetus sanguinis parte nutritur in vtero ex prægnante ducto, lac edito in lucem seruatur: exclusus pullus escam quærit accommodam obuiam quamque, atque in Ouo iam tum quoque extra generantis corpus, incubatu tantùm fotus, genitusque, alimentum trahit ex Luteo, quod sanguinis illi cuiusdam instar est, temperamento distans, terrestre nanque. Admiranda hîc quoque Naturæ prouidentia, nunquā eorum educationi, iustisque alimentis deficientis, quæ semel educanda, atque alenda susceperit, vel ab initijs ipsis. Ita hîc quoque paratum à Natura, siccioris temperamenti animali meritò alimentum siccius terrestreque, quo simul ac formatū animal fuit, commodè vesceretur. Sunt tamen, habenturq; ita ab Authoribus, ęquabilis satis temperamenti Oua, Gallinarum inprimis ac Phasianorum: magnarū auium,

um, vt Struthiocameli, non immeritò deteriora censentur, iusto ficcioris nempe temperamenti, iam simul extranei odoris saporisque aliquid reddentia. Anserum autem, vt Aquaticarum auium omnium, è diuerso, ob humiditatem nimiam, illaudata. Hinc Vitellos videmus humiditate difluentes, Luteoque multo dilutiore.

Temperamenti æqui Oua diximus Gallinarum, ac Phasianarum auium, atq; huiusmodi, Vitellum maximè intelligentes. Nam quæ de Oui totius temperamento disputantur ab Authoribus, si rectè excutiantur, non valde cohærere videbuntur. Nobis illud dici, statuiq; in re hac posse videretur, Vitellum benè temperatũ habendum esse. est nanq; ex sanguine, vicemque pullo sanguinis menstrui, vnde viuiparorum fœtus alitur, præstat, imaginemque adhuc sanguinis cuiusdam retinet, paulùm modò terrestrior factus, alimenti auium pullis nondum exclusis congrui magis commoditate, atq; id non sanè demere de temperamenti æquabilitate multũ possit.

Et Album quidem ex sanguine, seminis naturam referens, quod ipsum quoque ex sanguine: sed sanguinis materia hæc multis longisq; venarum atq; arteriarum ductibus, vt in lacte quoq; fit, elaboratior facta, necessariò frigiditatis aliquid, tunicarum natura frigidiorum occursu, colligit: eoq; & semen, & Oui Candidum hac ex parte frigidum statuere liceat. quanuis ex Aristotelis Philosophi (De gener. anim. iij.) sententia, quum generandæ auis initium in Candido insit, calidum simul necessariò obtinet, vt semen quoque. ἐν ᾧ τῷ θερμῷ ἡ ψυχικὴ ἀρχὴ, inquit. Sed calidũ id Philosophis non solùm animalium viuiparorum seminis, aut Ouorum Albuminis, sed plantarum etiam est, omniumq; in vniuersum, quorum generatio: quæ aliter fieri illis, nisi caloris alicuius vi posse, haud visa fuit. Sicuti planè, & quòd in cremẽtum suum sumeret plantæ, & quòd in tam altũ attollerentur tellure, quòd germinarent, fructus ederent, ac concoquerent, non aliunde omnia quàm caloris opera meliùs fieri debere, arbitrati non abs ratione sunt. Atque hoc ipsi placita sequuti sua dicunt, plantasque calidas proferunt, ratione tantùm colligentes id, minimè verò desumpto ex his, quæ manifestè appareant, argumento. τοῦτο δ᾽ ἤδη δόγματος ἐχόμενοι λέγουσιν, οὐκέτ᾽ ἐκ τῶν ἐναργῶς φαινομένων λαμβάνοντες. caloris quippe opera quum animaduertere, calorem inesse arbitrati sunt. Et inest quidem, dominiumque exercet multis, quos diximus, modis operatus semper, generans, producens, augens, concoquens, nutriens, plantas, atque animalia, vel quæ frigidissima ab iisdem ipsis censeri Philosophis meritò queant, Salamandrã, Scorpiũ, Cicutam, Papauer, quæ Philosophorum nemo non frigida habenda esse, hoc est, frigefaciẽtia nos, dicet, vt Medici quoque habent, dicuntque. Hocque rursus loco hi, Medici nimirum, Philosophis concedentes, ipsi cum illis agnoscent vnà, & rationibus notabunt calidi actiones, effectusq; ex principio, quod rebus omnibus adest, gignendis, augendis, germinandis, concoquendis, maturandis; modò in materiæ corporeæ mole, quæ nos ipsos calefacere, modò quæ frigefacere etiam queat, hoc enim ipsum quærimus Medici. Simul fatebimur (cur enim non fateamur, quod ratio nos non inepta monet) caloris inesse principium, in quamlibet corpus nostrum refrigerantibus, sed quo caloris generantis, concoquentis, & huiusmodi proferantur aliquando tantũmodò opera; non etiam subiectam semper materiam, in qua est, calefacientẽ nos, quod vnũ in rebus his quærimus, efficiat. Ad hunc rationis modum attributus ab Aristotele Oui Candido calor aliquãdo fuit, ob animæ tantùm principium, quod inesse illi viderat, ac necessariò calori inhæret, sicuti plantis quoque omnibus, frigidis æquè ac calidis, suus, animaliumq; frigidissimæ Salamandrę suus, quam nemo vnquam sanæ mentis aut principium non habere animale suum dixerit, quod calido nitatur; aut non frigidam reputandam esse, quæ quidem frigefacere possit: quando minimè incõueniat, aliqua eiusmodi esse, vt principium caloris animalis id retineant, tota autem substantiæ ac materiæ suæ mole maiori ex parte frigidæ qualitatis excessu notentur, sicuti alia calidæ, quibus deinde corpori nostro admotis extrà, intus, refrigeramur, aut incalescimus. Ita Oui quoque Candidum manifestò refrigerat, cum caloris tamen animalis sui parte, sed mediocritatem temperamenti infra, nec qui partibus omnibus caloris tantum indiderit, vt concalescere inde nobis liceat: meritissimoq; ideo, sicuti Galeno placuit, ex terrestri, aquosaque, & aërea simul substantia commixtum iudicari debeat Oui Candidum; quarum in aërea, reliquis duabus calidiore, animæ initium, ex qua actiones illæ prodeunt, consistat; terrestris autem & aquea, frigiditatis vtraq; propriæ excessu, temperamenti æquabilitatem superent, & frigefaciendi corporis nostri facultatem addant.

Huic Albuminis naturæ accedens Luteum constituere Ouum totum temperamento propè æquo, aut certè non multùm infra hoc ad frigidum inclinans, possit,

ſed temperatiorum auium, ac recens editum: à quo quanto longiùs aberit, tanto ſemper frigidius fiet, amiſſo animali calore illo toties iam dicto tenui, & in tenui ſubſtantia exhalato, breuíque diſſoluto, donec temporis proceſſu egreſſo hoc, & intrante alieno, putrefacta corrumpantur, aut κυνόσουρα, & οὔρινα Græcis vocata fiant, quod æſtate maximè contingit, incubatione derelicta. Iccirco temperatiora Oua, quo ortui ſuo proxima magis; ſimul, quæ marem continent. Quoniam nanque paulùm iuſto frigidiora diximus, duo hæc temperamentum facient, partus proximus, & ſexus maſculus, caloris vtrunque ratione,

Marem quæ edunt, rotundiora ſunt Ariſtoteli, Plinio & Columellæ oblonga. Ariſtotelem ſequutus eſt Horatius Poëta, qui rotunda, calloſáque, quæ marem continerent, protulerit, gratioris tamen ſaporis oblonga nobis faciens fœminea, quaſi marem cohibentia minus promereri gratiæ deberent in cibis.

Quòd ſi minutiùs reliqua quoque huc ſpectantia perſequi libeat, iam id quoque non prorſus nihil ad rem fecerit: vt iuuencæ prætereà Gallinæ marium patientes ſint, quæ Oua nobis pariant, quod coitu eo procul dubio maior gratia accedat Ouis, conciliato ita illis maſculæ qualitatis calore, & vel de Ariſtotelis ſententia ſubuentaneis iucundioris ſaporis ſint. His cõditionibus ſi offerentur nobis Oua, quæ Gallina, aut Phaſianus fœmina, aut Perdix ediderit: Sed quis ex Perdice, aut Phaſiano illã Ouorũ multitudinẽ, qua alimentũ ſentiatur per tẽpus aliquod iuſtũ, expectet? Guſtâſſe ea interdũ nobis tãtùm licebit, nunquam dierum pluriũ eſca fuerint: ſupponimus potiùs ad incubandum, & ne ſubtrahantur, cauemus, quo plures excludantur. Sed horum ſi copia, vt dicebamus, eſſet, de bonitate non quereremur: vt Anſerum, Struthiorum, & ſimilium multorum nec copia, nec bonitas, qua cõmendari admodum queant, vlla. Itaq; Gallinarum ſatis eſt dixiſſe Oua, ſi præſcriptæ à nobis leges ſeruabuntur, omnium optima eſſe ad alendum, optimumq; inde corpori alimentum prouenire, citiſſimum, plurimum, totũ penè alimentũ. totũ quippe in alimentum ferè abit, minima ſuperfluitatum redundantia, proinde alimenti inde quoq; neceſſariò plurimum, quia non excrementitij: nec multo pòſt, quàm ſumptum fuerit, alibilis affinitate naturæ, eſſentiæque tenuitate, celeriter arreptum, confectum, diſtributum, irreprehenſo prorſus ſucco nutriens, alimentum id eſt: celeriter tamen quoque enutritas partes deſerens, communi citò affatimque nutrientium omnium conditione, quorum ſecundùm Hippocratem ſicuti citæ veloceſque excretiones, ita citum veloxque nutrimentum, neque diu ſanè ideò perdurans: ſed quo tempore nutrit, tantiſper dum nutrit, inculpatè omni ex parte id facit, nulla aut vitioſi ſucci vllius, aut craſſitiei, aut viſciditatis, aut obſtruendorum vſquã meatuum ſuſpicione. Sæpe etiam cibi vnà potuſque vim præbere dicuntur Oua. Oonas legimus ex argumento dictam gentem, auium Ouis victitantem. vt, ſi nutrimenti præterea diuturnitas Ouis accederet, non facilè habituri fuerimus, quod conferri cum his meritò poſſet, eſculentum aliud vllum.

Nam quòd excogitâſſe videntur quidam, vt hanc quoq; Ouis dotem adderent, alimenti permanſionem diuturnam: valde vereor, vt reperiri verum poſſit. Aiunt, quemadmodum extrinſecus quotidie experimur durari caloris proceſſu Oua, ad eundem modum cogitandum eſſe de corpore: vt ſorbilia licet, aut tremula ingeſta, procedente concoquentis tamen ſemper caloris vi, denſata durentur tandem. Hinc fieri deinde autumant, vt & perſiſtens, duranſq; diutiùs alimentum inde exiſtat; fallaci captioſóque argumento vſi, non animaduerſa, aut diſſimulata caloris vtriuſq; differẽtia, extrinſeci, natiuique. Quorum alter extrinſecus, cùm alia, pro materiæ diuerſitate, multa, tum hæc ipſa ſpiſſare Oua poteſt: alter natiuus, ſpiſſata illamet ſi ſumantur, ac concoquenda illi fuerint, attenuare priùs neceſſe omnino habeat, atque emollire, vt chylus inde ſuccoſus, tum ſanguis quoq;, tenuia omnia fiãt. Contraque ideo potiùs iudicandum fuerit, intrinſeci inſitique nobis caloris vi duratorum ſubſtantiam attenuatam diſſipari, ſuccumq; inde demum elici, circuncisis excrementis omnibus, quo alamur, craſſiore quidem iam ad alimenti iuſti formam effecto, glutinóque aliquo accepto; ſed non ea tamen, qua priùs duritia, plus autem, minuſque, pro ingeſti ſemper cibi ſubſtantiæ qualitate. Atque ita ex duratis Ouis ſperari quidem poſſit meritò durabilius nutrimentum, ſed vt ex alijs concoctu pariter difficilioribus: non autem, qua illi aſſeuerabant ratione, vt ex tremulis, & ſorbilibus, liquidiſque, ac tenuibus antè, durari, craſſioraque fieri, ſicuti externo, calore ita interno quoque opinemur, quaſi prærogatiua quadam, vt ex his conſtitutione ſua tenuibus ingeſtis, eóque concoctu facilimis, alimentum tamen expectari debeat craſſitudine ſolidiore ſua benè durabile. Et craſſitudinem quidem quandam, glu-

glutiniq; nonnihil accipit: (non enim aliter aleret) ſed non qualem ab extrinſeco calore, neque eo modo, neque vt durabilitas inde maior fiat, quàm pro ſubſtantiæ prioris, dum ederetur concoqueretúrque, ratione. Vt enim ſimilima aliàs habenda ſit elixationi, ventriculi concoctio: in eo tamen differt, quòd in elixatione vnicus proponitur elixandi finis, nihil præterea: at in ventriculo elixationis modò concoctio quidem fit, verùm non vt hoc ſolum fiat; ſed vt, quodcunque ineſt in ingeſtis alimenti, concoquendo eliciatur præterea, & in chyloſi ſucci materiam tranſeat. Idcirco ſi quid ingeritur, durum quanuis, modò alibile: emollit, ſeparat, conficit, alimentoſam inde extrahit partem, ſuccum facit, quem chylum nominamus. Eo modo durata elixatione oua (quę ſi elixari vlteriùs pergant, adeò non tenereſcent, vt magis ſemper, magisque dureſcant) accipiens ventriculus tantùm non imbecillis nimis, quæ diximus, omnia faciet, emollita, ſeparata, confecta, chyloſa. Quòd ſi durata priùs, ita verſabit: quid erit cauſæ, vt mollia, tremula nempe, aut ſorbilia, ingeſta duret, quin continuò de præparatis iam non magno inſuper concoctionis opere, alibile quod ineſt, eliciat?

Quamobrem his rationibus non facilè mihi perſuaſerit quiſquam, quanuis in ea eſſe ſententia benè & egregiè eruditos Medicos quoſdam nunc audiam, Senibus denegandum tremulorũ & ſorbilium Ouorum vſum eſſe: quòd concoquendo durentur, & obſtructiones faciant. Nam Galeni authoritas, quam huc ea de re allegant, genuina Authoris eius cenſenda non eſt: vt pro ὀυῶν, ὠῶν eſſet, factu facilimum, vicinitate literarum tanta; argumento, quòd in eodem verſu πυρῶν etiam pro τυρῶν ſcriptum inuenias: quum iam hoc eodem tam manifeſto, atque inſigni errato animaduerſo, recentiùs excuſa, & mendoſa minùs, exemplaria ita repoſuerint, διόπερ οὐ χρὴ πλεονάζειν τοὺς γέροντας, οὔτε χόνδρων, ἢ τυρῶν, ἢ οὐῶν, ἢ κοχλιῶν, ἢ βολβῶν, ἐδωδῆ: non autem, πυρῶν & ὠῶν. Quapropter nec ſorbilibus, tremulisque Ouis abſtinebimus Senes: & alimenti tamen his diuturnitatem non concedemus, ſuásque ſibi laudes, dotésque habere ſinemus, quas non paucas enumerauimus; alienas, quas ratione nulla poſſumus, non tribuemus. His obiter ſic dictis errorem monſtrare voluimus, vitari meliùs vt poſſet: ne fortè Studioſorum mentibus inoleſceret, actis altiùs, niſi ſtatim in tempore extirpentur, radicibus.

Maximum hac potiſſimùm in materia diſcrimen, quam, ad cibatus noſtri vſum, culinæ rationem ſubeant, dum coquuntur: plurimúmque intereſt, non ſolùm, tremuláne, an ſorbilia, an durata ſint oua; ſed quo factum fuerit cocturæ genere, id quoq; aliquantum refert, elixatione, aſſatione, frixuráve; quando modis his omnibus triplex illud, ſorbilium, tremulorum, duratorum, diſcrimen áſſequemur. Elixationis potior ſemper ratio. aſſata nanque, vt conſtitutione eadem ſint, maiorem tamen ignis vim ſentientia, plus quoque ob id ſtatim natiui calidi ſui amittunt, & cum calido humidi. Elixationem hoc loco accipimus, non integram illam, qua durantur ſemper Oua, quoque modo accepiſſe Authores multi videntur: ſed feruenti, ebullientique impoſita, momentóque temporis extracta: quo modo & tremula facere, & ſorbilia licebit. Hanc quoq; pro elixatione habebimus, quoniam quidem in aqua fit: vel quum meliùs hoc ipſum duplicis vaſis vſu, vt in multis alijs, perficiemus, integro putamine: qua ferme ratione πνικτὰ deſcribuntur nobis à Galeno, ſed quæ fracta iam, & putaminibus ſuis educta, oleóque & garo, vinóque pauco accepto, & operculato vaſe contenta, calidam habenti cacabo inijcerentur, ſubditóque igne ad mediocrem conſtitutionem coquerentur: vt appareat, hoc quoque cocturæ modo mediocrem acquiri conſtitutionem poſſe in Ouis, ad vtiliter, & ſalubriter veſcendum; meliora autem cenſeri, quòd ea vaſis ſiue ollæ alicuius obturatione, & alterius vaſis elixatione, minimum temperamenti ſui amittant, & cocturam tamen iuſtam patiantur, quæ teneri in quouis coquendi genere exactè poſſit, vt & mediocrem craſſitudinem hanc, hacque ipſa, vt libuerit, minorem, qualis tremulorum, aut ſorbilium eſt, & expletam præterea duritiem ſeruâſſe liceat: quanuis ſorbilia non niſi ex putamine; tremula, in putamine, ſeu teſta propriè ſua intelligantur. At craſſitudinem eandem, vt voles, & quamcunq; voles, diligenter tractando ſeruabis, ſiue elixis, ſiue aſſis, ſiue duplicato vaſe vtare. Elixamus quidem plùs, minùs, pro conſtitutionis, quam quærimus, ratione. Aſſamus pariter, & in cineribus calidis ad ignẽ verſamus temporis momento, donec ignis tantùm vim perſentiſcant, ſi ſorbilibus; paulò diutiùs autem, dum exudent, (quod in recentibus tantummodo vſu venit) ſi tremulis vti voluerimus: iam longiore citatioreque ignis motu durabuntur. atque hæc rurſus proprio elixorum, aſſatorumque nomine ſignificantur. Quin & in ſartagine ſi frigantur, conſequi cuncta poſſumus: vt nunc ſæpe addito butyro conijci in patinam oua, fractis abiectisq; teſtis,

plura interdum, candido luteóque suo impermixta, videmus, constitutionemque accipere Lutea, qualis nobis cunque visa fuerit vt accipiant, adhibita ignis moderatione: tunc, quod obseruatum Aristoteli (De genera. anim. iij.) quoque fuisse legimus, conuenire in vnum sponte sua Albumina experimur, quasique ambitis Luteis, vt intra putamen etiam suum quodque pro fulcro substerni, ipsa quidem duriora statim facta, non sanè multa ignis vi, superstantibus Luteis, modò liquescente adhuc, tenuique maximè substantia, modò crassitudine maiore, modò absoluta quoque duritie. Sed hæc fortasse ad Obsonatricem artem spectent magis.

Illud tractationis huius proprium, quantum ex quoq; genere alimenti, quid succi, cuius bonitatis aut vitij, quàm durabilis, & id genus, expectandum nobis fuerit, dixisse. Ex sorbilibus igitur sicuti alimenti minus, nec valde duraturi, ita concoctio, descensusque & digestio horum facilior, quæ breui omnino peragitur, præterque magna leniẽdis faucium asperitatibus commoditas. Ex tremulis nutrimentum maius, ac durabilius, quoniam nec tam citus eorum descensus, nec digestio per corpus tam permeabilis, eòque diutiùs partibus hæsurum, quàm ex sorbilibus: neque tamen non prompta satis in ventriculo concoctio. Quouis modo duratorũ longè quidem alendi facultas maior, sed concoctionis peruicacia superat, bubuleæ carnis ritu; sequuntúrque incommoda tardatæ subductionis, distributionisque, ac meatuum obstructionis: præsertim verò, si aut cineribus, aut carbonibus accensis spissata, aut sartagine fuerint. quippe cũcta plus ita igneæ facultatis concipiunt exurentis; ex sartagine verò etiam fumidæ qualitatis multum, qua facilimè in nidorulentiam transeunt, dum concoquuntur, succúmque gignunt non solùm crassum, sed & prauum, & excrementitium, & meatus infarcientem, & putrescibilem, & colicos sæpe cruciatus cientem. Quocirca elixa semper præferuntur meritò, etiam in duritiem eandẽ spissata; & elixis πνικτὰ, nempe suffocata ollæ beneficio operculatæ, & secundi cacabi feruescentia, aut quũ oua, ollarum ori superimposita, subtus ebullientis aquæ vapore coquimus. nam & in his seruari iustæ crassitudinis modus debebit, & poterit. Quoniam verò dupliciter elixari, aut cum putamine suo integra, aut fracto hoc euoluta possunt: potior habenda euolutorum testis suis ratio, quæ tenuem crassitudinẽ ex modico aquæ calore acceperint. Quoniam testis suis inclusa, inter coquendum, aut elixandum, fumidi vaporis, aut si quid inest excremẽtitij coctura alioqui dissoluendum, superfluitatem non facilè, vt quæ disfracta testa elixantur, remittunt, nisi si recèns admodum edita fuerint. tunc enim testæ raritate maiore, ac mollitie, non modò elixatione sperari potest superfluitatum dissolutio, verùm etiam in versatis ad ignem, prunas inter & calidum cinerem, euocari elicique sudore manifesto videmus, quod superfluum inerat: quæ propè iam inualuit, parandi ad cibum recentiora quæque oua, apud multos consuetudo. Verùm enimuerò huc iam iterum appulsi, quoniam ad tractatum de Obsonijs spectare ista animaduertimus, qui post hunc statim à nobis instituetur, eò meliùs diligentiúsque examinanda ded ucemus.

De Limacium alimento: & qua ex parte tabidos, atque emaciatos iuuent.

CAP. XIII.

IN confinio Terrestrium, Aquatiliúmque, propiùs tamen Terrestribus, natura sua positi videri possint Limaces: neque aberraturos magnopere à vero credo, qui terrena hæc Ostrea esse dixerint: effigie certè formáque marinas cochleas referunt. Itaque in confinio quoque de his dicendum tractationis nostræ, finito de Terrestrium alimentis, antequàm Aquatilia aggrediamur. Duxêre argumentum commendationis alimentosæ ex Limacibus, quòd tabe consumptis dentur, non modò phthisicis. Sed emaciatis valde, dantur: sed non toto corpore suo, aut carne, quæ contumacissima ad concoquendum habetur, vtpote prædura: & vt concoquatur, succum tamẽ generat crassum, & atrabilariũ, quanuis nutrientem diu. Quod in his macie summa, aut hectica febre tabescentibus, confert, positum totum in eorum iusculis est, partéque ea Limacium posteriore, quam ab Aristotele (De histor. anim. iiij. De part. anim. iij.) μήκωνα dictam credimus, id est, papauer, & mutem. Huic glutinosam crassitiem inesse dicas, eandem & solutilem, dentibusque statim cedentem, caseosæ substantiæ paulò magis duratæ, aut, rectiùs, expressis fauis factæ nuper ceræ, necdum ad vsus alios adhibitæ, in modum. Quæ nec confici admodum pugnax est, ob teneritudinem; & valenter tamen, diúque alere potest, ob substantiæ in teneritate ea glutinositatem quandã crassiusculam. Color propè in diaphano leucophæus, dilutior. nec magna quantitas, quota ferè pars

est totius Limacis: sed quum necessum, ex multis colligitur, quod præstãdo id, quod volumus, facturum satis sit, seu decoquere, seu tota vti materia ea libeat. Ac totum quidem Limacem decoquimus, diuque elixamus ad eosdem vsus: corpus edendum non damus sic habentibus, quòd valentem magis ventriculum exigat. Solo iure vtuntur, nec prioris tamen elixationis, sed iteratæ, in qua longior decoctio plurimum elicuerit glutinosæ simul & alimentosæ substantiæ; non vt in priore, vbi profecto succo, qualis ex Testaceis, cui subducendæ alui facultas inest, etiam superficiaria visciditate in iusculum deposita emolliri aluus soleat. Corpus autem, carnemque Limacium non temerè quisque ex priore tantummodo decoctione ederit, nisi longè, diùque elixam, ac ferè elixatione præparatam priùs. Huiusmodi factos Limaces craticulæ demum imponimus, oleoque, aut butyro, & aromate addito coctis ita vescimur.

De Testudine, & an temperamentum eius optimum, quòd cortice vestiatur siliceo: & de Fibro.

CAPVT XIIII.

Iam & terrestris Testudinis esus non infrequens apud multos. Cortice hæc tegitur silicis modo præduro, quo caro continetur, frigidę humidæque naturæ: substantia verò constitutionis non duræ, saporis tamen aliquantum extranei. Harum medicatus potiùs vsus, sed cum alendi tamen viribus non obscuris. Parantur Electaria, additis multis, quæ medicabilem earum facultatem augeant, ad tabe macieque consumptos, manifesto plerunq; successu.

Harum carnes collegerunt aliqui (Conciliat. diffe. lxviij.) optimas esse temperamenti sui qualitate debere; argumento, quòd propulso in corticem excremento, minus ipsæ redundantiæ retineant, eoque temperamentum æquabile sortitæ, bonitatis quoque plus acquirant; vt in Cancris, squamatoque cortice contectis piscibus, qui ideo reliquis omnibus commendabiliores fiant. Quod non vsquequaque verum est. Omnia nanque Aristotelico illo τῷ cuiusque εἶναι continentur, vt diuersa quorumcũque substantia, atque essentia, primitúsque concessa natura æstimanda semper sit; Cancrorum, pisciúmque, verbi gratia, frigida atque humida, in quorum multis non sine ratione abducta de carne, durataque in squamas, humiditatis nimiæ redundantia, temperamentum melius omnino addere potest; auferre illis naturam suam, atque alios, quàm cancros, aut pisces, facere non potest. Adeò etiam cornigerorum plerisque omnibus, & excrementi multum in cornua absumitur, & pro natura tamen cuiq; sua temperamentum restat, non valde cibatui nostro accommodatum, quæ recensere hoc loco non debemus. Erinaceis ipsis, quibus aculei pro pilo sunt, plurimumq; semper consumitur in hos excrementitiæ materiæ; at caro sua manet cibis non conueniens admodum nostris, & qua non libenter vescare, abhorrente à gustus communis sapore. quippe hoc illi τὸ εἶναι suum est, vt, multis licèt & ingentibus aculeis vestiatur Ericaneus totus, proque rata corporis parte nihil propè superesse illi excrementi videri ideo possit; excrementitia tamen carne sit, præduraque, tum verò ab hominis gustu aliena, ac medicamentosa potiùs, quàm eduli, aut esculenta: quippe ex qua conueniens assiduè generandis nutricandisque aculeis materia, in terrestri, natura sua, corpore nunquam defectura, subministretur.

Fibri, qua parte tantùm piscis, quæ cauda illius est, vsus in cibis, & posteriorum pedum. Specie squamarum constat, potiùs, quàm squamis, cauda: cætera corporis pars pilo tegitur tota, plumæ mollitie, quæ in concinnatis ad suffulturam sæpe vestium pellibus apparet. Visitur in pilo aqueus quidam rectè animaduersus nitor, naturam facilè animalis ostendens amphibij. Edimus aliquoties, dum summorum Imperatorum mensis, quarum diu inspectores fuimus, hoc quoque interdum cibi genus nobilitari videremus. Sapor præpinguis, extraneusque, nec nisi præparatione priùs multa, acetique & aromatum additione, palato responsurus. Humorem inesse deprehendas, quo laxari ventriculi tunicas, huiusque subuerti os, stomachum nempe, in nauseam quandoque ex carne, pinguitudineque ea excrementitia, succique improbitate, par est.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DECIMVS QVARTVS.

Neglectum olim videri posse fluuiatilium piscium ad alendum vsum veteribus. Differentia piscium marinorum, atque amnicorum, & in stagnis degentium: & cur deterius piscium in totum alimentum, cuiúsque qualitatis, & cur sitim sæpe faciat.

CAPVT I.



Inc ab aquatili ex parte animali trãsitum nobis facere licebit ad aquatilia ex toto. Quorũ non necesse habebimus hoc loco species oẽs enumerare, quod quidam tamen facere conati sunt. id enim rerum naturalis Historici officium sit: Nos alimentorum nunc facultates tractandas sumpsisse meminerimus. De quibus dicendum id in vniuersum priùs, veteribus Medicis, quorum hîc authoritate nitimur receptissima, marinos tantùm propositos fuisse, de quorum alimenti facultatibus disputarent, nulla fluuiatilium mentione, nisi, qui ostia fortè fluuiorum subirent è mari, eoq̀ue ex marinorum semper genere habendi essent: siue amnicorum cura tunc nulla maritimis ciuitatibus, in tãta marinorum copia; mediterraneis autem ignorata diu captura fuerit, fluuijs præsertim non admodum piscosis in calidioribus regionibus, in quibus ferè extitêre rerum harum tunc Scriptores, vt nunc Hispaniarum amnes audimus paucissima piscium genera alere, neque vsquam ibi fluuiatiles Cancros, Gamarósve reperiri: siue sponte sua omisêre, salubritati in totum consulentes, damnato penitus, (vt tunc illis visum fortè fuit) piscium, hoc genus, alimento. At nunc non multo pauciores habemus Fluuiatiles, quibus nec iucundè, nec valde salubriter minùs quotidie vescimur: de quibus omnibus dicendum erit, si priùs de marinis dixerimus.

Piscium omnium quũ diuersum à nostro temperamentũ, Elementi, in quo degunt, natura, habeatur, neq; proinde magnopere alimentum conueniat: Marinis tamen laus in eo, quòd frigiditate, & humiditate sua, nocumenti minus inferunt, marinæ aquæ salsedine adiuti, ambabusq; qualitatibus ex parte retusis. Hoc certè fluuiatilibus deest: quum è diuerso vitæ conditionibus alijs præstent fluuiatiles, fluminum semper cursu exercitatiores, sæpe etiam aduerso fatigati. subeũt enim multi, & (mirũ) rapidissimos amnes aduersos natatu nixi superãt, visis nonunquam Trottis præcipitem defluentis per canales, circumagendis molendinorũ rotis, aquæ impetũ ascensu [n]ando euicisse. Cibũ præterea ex limpidissimis sæpe amniũ aquis capientes, aut fontanis fluuiolorũ, aut lacuũ minimè stagnantibus, fontiumq; subter erumpentiũ scaturigine tẽperatissimis, lucidissimisq̀ue, laudatiores euadũt. Stagnorum, aut lacunarũ pisciũ improba omnino cõditio. nã & laudibus fluuiatiliũ, marinorumq; carẽt omnibus, & frigiditati atq; humiditati pessimã, gustuiq; nostro extraneam, qualitatẽ addunt, cœnũ, limosamq; residis ac semicorruptæ aquæ escam depasti. Itaq; quũ piscium reliquũ genus, marinorũ ac fluuiatiliũ, cibũ largiatur medicabilem quendã, non parũ sæpe naturis aliquibus, calidis vtputa siccisq̀ue, vtilẽ, si in tempore id fiat, futurũ; hoc extraneæ qualitatis cuiusdã, prauiq̀ue, atq; improbi succi, exhibet: minimeq; ideo tutò id vti medicabili qualitatũ illarũ beneficio nos sinet. Eodẽ vitio laborabũt marini, fluuiatilésve, vt ex optimis pessimi fiãt, quicũq; ascẽsis fluminibus, inter ciuitatũ oppidorũq; plerunq; repurgamẽta, cloacis sese in præterlabẽtes fluuios exonerantiũ, escam quærunt, aut alioqui limosis, qualitateq̀ue mala præditis, herbis pascuntur.

Marinorũ prima, eaq̀ue, quod ad alimẽti rationẽ attinet, maxima differẽtia: Littoraliũ, Pelagiorũ, Saxatiliũ: altera, sed cum hac cõiuncta tamen, ab escæ diuersitate. aliam enim alia escam capiet piscium natura. Discrimẽ in eo tantùm, quòd eiusdẽ quidem generis cibis aluntur multi, cæterùm pro locorũ conditione longè aut melioribus, aut deterioribus: prorsus vt hoc vnũ, iuxta Galenum authorem, communem pisciũ quorundam mari atq; amnibus na-

turam, vt Mugilū, diuersi generis constituere videri possit, eorū, qui aut ex mari, aut fluminibus, aut stagnātibus, latrinarumq; sæpe excrementis infectis aquis victū quærunt. Quæ planè differentia in omni animalium genere magna, in piscibus maxima habetur. neque enim tam mutari in alijs euidenter carnis saporem, gustumque ex victu, facilè animaduertas, quàm pisces alimenti, quo vescuntur, odorem saporemq; mirè sæpe referunt, inenarrabili interdum qualitate, & quam sensus nostri auersentur, detecta, gustatis illorū carnibus, etiam coctis, igneq; domitis, nec dum tamen malitia omni deposita, si malignior, aut praui alicuius succi esca fuerit. Itaque vel sic venenositatis sæpe naturam referunt quandam, cocturæ quanuis præparationibus adiutæ, piscium eiusmodi carnes; & morticinæ, crudæque, non longam temporis moram tolerant, quin facilimè, pessimeq; putrescant, & teterrimum fœtorem cōtrahant, sæpiùs æstate, vix binis trihorijs Ausonij illis toleratis. In concoctione causa, non valde elaborata, atque instrumentorum, quibus naturalis vis conficiendis cibis vtitur, non tam exquisitè, vt in multis alijs, sed vt eorum tamen natura ferebat, instructa officina. Integras deuorant escas, minimeque commansas: quippe serratis omnes dentibus, præter vnum Scarum. Visus est quandoq; Lucius lucium alium non multo se minorē deglutīsse, suprema tantùm adhuc cauda extantē, quum iam prior pars ventriculi calorē sentiret putrescens: quod in capto, discissoq; apparuit. In tam festinata concoctione, nec magna aut diligenti admodū excrementorū omnium sequestratione, (nō enim ea hîc, vt alibi, pro animalium conditione, artificiosa repurgandi alimenti præparatio; minoraque, & inferiora omnia) pariq; per corpus distributione, qua alimentū in carnis statim substantiam discedit, mirum videri nō debet, si quidem plurimum odoris saporisq; retineant piscium carnes, escæ, quę ingesta primò fuerat. Erucas, & id genus insecta quædam, videre est, quæ plantarum folijs viuūt, herbido prorsus colore, eandem ob causam, vt in quibus, non magna aut multa immutatione, alimento statim suo nutriatur corpus totum. Quodq; in nobis, ac valde benè sanguineis animalibus vsu venit, vt longiore temporis processu vincamur tandem alimentorum facultatibus, si nimijs, solisque vtamur, in quibus tamen, superando cibo, domandoque, Naturæ multo instructius opificium habetur: id breuiore temporis mora in exanguibus, vel pauco sanguine prēditis fit, longè pauciore naturalium partium, alimento destinatarum, numero, ex Naturæ instituto, suum cuique tribuētis. Ita pisces videmus, pro rata corporis parte, paucissimi omnes sanguinis, quoniam sanguificādi vis pauca; quosdam exangues ferè, donec in genere eorum aliquot nobis occurrant species, sanguine prorsus carentium, mollium, Cartilagineorum, Testatorum, Crustatorum: quibus pro sanguine, proportione respondens, humor frigidæ omnibus humidæque naturæ sit, caroque vel in sanguine præditis piscibus exanguis penè, atque alba tota, calorifica sanguinis vi intra præcordiorum tantùm septa, atque in ipso innati caloris foco contenta; foras autem prodiens, & in partium alimoniam distractus, vt caro fiat, sanguis in candidam exanguemque, frigiditate assumpta, immutatur statim. Hæc à me hoc loco, obiter licèt, prolata, non præter rem tamen omnem accipi dicta posse existimârim: id antea quoque fecimus, & facturi postmodum sumus, quoties dicendorum vsus exposcere videbitur, minimè quidem quæsitis diuerticulis his, sed oblatis, occurrentibusque per se, ac sponte sæpe sua quasi venientibus ad tractatum, rebus quibusdam inuitati: ea tamen semper lege, ne septa temerè transiliamus, paratumq; habeamus in viam reditum, recursu ad priora facili.

Atque hæc frigidum, humidumque piscium temperamentum faciunt, qualitatibusque ijsdem alimentum, eorum quidem, qui in cibatus vsum veniūt, omnium. Scimus enim Stellam, & si qui prætereà eiusmodi in mari pisces reperiuntur, feruidæ inprimis naturæ esse, sed quæ edulis non sit magnopere. Neque facilè in hoc genere reperias, quod iustum statui æquabiliter temperati humani corporis alimentum queat, vt triticum inter Fruges; sus, aper, ve, hœdusque, ac vitulus, inter Quadrupes; ex Auibus, gallinæ, capi, phasiani: quę pro cibo habemus, veræ, simplicisque naturæ, omnia ad iusti temperamenti hominem relata. Ex piscibus verus, simplexque, ac syncerus, huius respectu, cibus nullus: sed hoc totum potiùs, medicamentosus, medicabilis, alterans, immutansque qualitatibus suis corpus cibus: iccirco iusto atque æquo temperamento humano, quo se tempore benè habuerit, incommodus; calidioris, ac siccioris intemperaturæ qualitatibus corrigendis vtilis aliquādo, commodusque futurus. Sed hîc prauitatis succi timor, gignendique crudi crassique humoris; ac mucosæ materiæ multæ, nisi delectus habeatur, & is quidem exquisitus, suspicio non parua. Sunt nanque omnino, si ritè deligantur, qui hoc vnum,

pituitosæ materiæ, frigidum nempe atque humidũ alimentũ exhibeant; neq; crudum autem, neq; crassum, neq; vllo pacto prauũ humorẽ gignant, neq; difficulter præterea concoquantur, de quibus posteriùs particulatim dicemus: illud nunc, id prætereà vitij piscium alimento inesse, vt excrementitium valde sit, concoctu sępe contumax, descensus in intestina ex ventriculo tardi, corrumpi facile, neruosis partibus maximè noxiũ, articulorũ podagricisq; doloribus obnoxijs paratum, ex aquosæ simul viscidęq; sępe inde pituitę copia nocumentũ.

Iam siti vrgeri esu pisciũ multos, quàm carnium, aut contrariæ piscibus naturæ esculẽtorum, longè magis, quoniam compertum iam diu est; quæri meritò posset, quî fiat, vt, quibus qualitatibus tolli consueuerit sitis, ijsdẽ illis augeatur, piscium comestione, frigiditate & humiditate pollentium, tantum abest vt auferatur. Scilicet putredinosa inprimis eorũ omnium natura est: corruptionem enim citò sentiunt etiam extrinsecus ab interitu non diu, non leuem aliquam, sed à qua maximè natura nostra abhorreat, tetri cuiusdam, penitusq; extranei, varijsq; modis virosi, quos non facilè verbis vllis explices, odoris plenam. Quæ vt non semper tam grauis sit: at non rarò, nec admodum difficulter euenire, materiæ tam ad putrescendum propensæ facilitate, leuior quædam in ventriculo quoque inter concoquendum poterit. Quod si fit: haud sanè mirum, ex putredinoso calore eo, in materia quanuis frigida, ori ventriculi qualitatem addi, qua sitis excitetur.

Quæ Pelagiorum alimentum bonum faciant, quæ item Littoralium malum, maiori ex parte: & dicendorum ratio.

CAPVT II.

PElagios primùm diximus pisces, non parua, ad alimẽti bonitatem, differentia: quoniã & victum capiũt puriorem ex mari, quò fluuiorum aqua nõ pertingit; & ingentibus sæpe fluctibus agitati exercẽtur, procellisq;: Littorales contrà, præcipuè verò vbi ad ostia fluminũ terrenũ littus, molleq; fuerit. Necesse enim tũc importatis, & flumine delatis, rerũ multarum recrementis vesci, mollemq; sæpe algam, & limosas, prauiq; succi herbulas pasci, deterioresq; ideo fieri: nisi quum glareosæ arenæ plurimũ subest, rupiumq; potiùs, aut saxorũ asperitas littus facit. Quòd si hoc ipsum ad Boream, ventosq; Septentrionales insuper conuersum spectàrit; nõ multùm abfuerit à purissima marinæ aquæ natura pars ea, piscesq; nobis dabit Littorales, nõ multo Pelagijs, in alto degentibus, peiores. Nam & victus tũc illis continget siccior, longeq; excrementosus minùs; & ventorũ flatibus exercebũtur salubriũ, sudumq; semper facientiũ, vt ijdẽ parte maris ea concepti, factaq; cõmotione immixti venti nõ minùs natura sua purã, illustremq; reddere aquã illam, ac veluti serenare possint: vnde maxima piscibus alimẽti succiq; melioris cõmendatio accedat, quandoquidẽ non alia hos ipsos magis damnẽt, quàm cõtraria; immota resesq; prorsus, ac stagnans, impuraque, & turbida aquæ cuiuscunque natura; victus limosus, cœnosusque, mollior iusto; natatus, vt in tali victu aquaque, minimus.

Hinc planè bonitatis principatum, inter marinos, Saxatilibus Medicorũ omniũ consensus tribuit: quòd semper inter saxa purissimo mari stabulentur, purasque sibi inde escas petant, lucidæ liquidæque aquæ natatione assidua gaudeant.

Verùm seorsum de vnoquoq; breuiter tractandum: nec de omnibus tamen, (infinitũ enim id propè) sed sic attemperandus stylus, vt nec potiores omisisse, nec nõ necessarios attulisse; quosq; inprimis tantùm vitàsse in his, aut ad vsum adhibuisse, expediat, persequuti videri possimus, ea moderatione, vt multa, quæ non rectà in propositũ de alimẽtorum viribus nostrũ tendũt, & dici de rebus his posset, missa omnino faciamus. Scilicet hæc nostri temporis Eruditi inprimis viri, sicuti reliquorum quoq; animalium genus omne, diligenter sibi tractanda desumpserũt, perfeceruntq; eleganter, doctè, copiosè. Nos particulã nobis delegimus hanc, hoc tempore, in qua sic tenuiter alendi tantũ vires manifestarẽtur.

Saxatilium piscium commendatio ad alendum, & enumeratio, Scari, Merulæ, Turdi, Iulidis, Phycidis, Percæ.

CAP. III.

SAxatiles omnium primùm dicendi, non solùm quòd primæ illis tribuantur, benè sentientium Medicorum iudicio omnium, ad alimenti ex piscibus vsum, partes: sed etiã, quòd facilior semper eorũ captura, & (quę bonitatis potissima his causa) quòd perpetuò in purissimo mari degentes, inter saxa, rupiumque crepidines, vnde ortus illis victusque, versantur; naturalemq; locum suum frequentant tantummodo, nec temerè alienæ se aquæ immiscent, aut fluminum ostia

ostia subeunt, aut marinas lacunas, stagnaque intrant: quod ex littoralibus Mugil & Gobio, atque ex pelagicis Lupus & Mullus, tum reliqui non pauci faciunt. Itaque Saxatilibus perpetuò laus sua constat; manetq; integra semper, nulla, quod ad hoc attinet, exceptione, ad alimenti salubritatem commendatio, in eo videlicet, quòd frigidior licèt, atq; humidior, (id enim piscibus omnibus cõmune esse diximus, qui in cibatum hominum veniunt) at constitutione sua æquabilissimus sanguis expectandus nobis inde sit.

Hi Galeno potissimi habentur: Scarus, cui inter pisces soli ruminandi cõsuetudo; Merula, Turdus, Iulis, Fucca, Perca. Scarum dentium nota notissimum facit, qui minimè huic, vt piscibus alijs, serrati, latiq; potiùs ac plani sunt, cuiusmodi homini, atque ad ruminandum apti. Tenera, friabilisq; eorum caro, gustu saporeq; non iniucundo; ad concoquendum, subeundum, alendum facilis. Vnde sanguis ex Saxatilibus omnibus crassitudine iusta, nec tanta, quæ infarciat; neque tenuitate ea, aut aquositate, quæ dilutũ nimis alimentum reddat.

Scaris proxima à carne commẽdatio ex iecinore: si ganeam consuluerimus, etiam maior, quãdo Vitellius Imperator patinas suas Scarorum iocineribus instruxisse dicitur; & Athenæus authoritate Epicharmi, Scari Sparique ne Dijs quidem ipsis fas esse abijcere stercus, scripserit, scilicet, vt cũ intestinis stomachoq; ederetur præpinguibus. Nos, in vnum Salubritatis scopum intenti, bonitatem carnis præferemus, nec damnabimus iecinora, intestina comedemus; maiore semper frigidioris, crudiorisque, ac crassioris succi suspicione, quãtumuis violam redolere dicãtur, vt Thymalus piscis thymum, de quo posteriùs dicemus.

Merulas eos esse pisces, quos nunc Itali Tincas marinas vocant, ambigere nemo debet, tot id ostendentibus argumentis: victu, qualis Merulis à veteribus tribuitur, hodieq; in marina Tinca animaduerso sæpe; colore, colorisque, variante anni tempore, mutatione; carnis friabilitate, ac teneritudine. Priùs Merulæ vocatæ ne sint coloris cũ aui Merula similitudine, siue potiùs, vt quibusdam placuisse video, Merulam auim à pisce nomen acceperit, non esse de eo valde solicitos nos oportet. Colorem eũdẽ, qui in vtroq; purpureus, exaturatus, nigricans est, cõmune ambobus nomen dedisse valde verisimile: posteà Tincas marinas vocãrunt, ad fluuiatiles lacustrésve, coloris itidem paritate. Et harũ igitur, pro carnis substantia ac conditione, nutriendi nos facultas inculpata, sanguinis, succique boni; laudibus, quæ in Scaro, *ijsdẽ*, verùm in secundis tamen partibus: quoniam primæ Scaris concessæ. Sed & alimenti in Merulis minus: nec eam habet commendationem iecur, multoque minùs intestina.

Turdis, qui ipsi quoq; signis iam certis suis innotuerũt, minor gratia: quanquam in Salubris victus ratione par propè laus, concoctionis facilitate, succi generatione probi, sanguinisq; substantia, ac cõstitutione sistẽtia mediocris: nisi quòd non æquè iucundus sapor, ex nimia ferè carnis teneritate, ac mollitia, gratiæ quoq; aliquid in gustu demit.

Paruus pisciculus Iulis, coloribus multis variegatus, pulcher, vt virgunculæ nomen promeruerit apud Italos, pulchritudinis aspectu: eo Donzellã vocant. Demittentes se in mare vrinatores, aut quauis alia de causa natantes, infestissimis morsibus excipiunt, vndiq; impetu facto aduolãtes, venenũ inesse dixêre, auiditate potiùs mordendi, credo, quæ inimicã pisciculi vim ostendãt. Verùm & demorsos ab his pisces quoscunq; gustantibus perniciosos esse, Authores habeo, qui affirment: vt, si qua tandem veneni vis est, (quoniã tutò alioqui eduntur) aut in ore haberi, facileq; euomi; aut in viuente tãtummodo pisciculo reperiri, dicendum sit, quę in demortuo euanescat: maneat autẽ in his, quos momorderit, piscibus, morsu reposita & transfusa. Sic & Torpedines edimus, & marinũ Scorpium, & Dracones innocuè, quos viuos vitamus. Barbi aũt fluuiatilis oũa non semel ingentem cholerã fecisse vidimus, cuius carnem liberaliter sumpsissent conuiuæ alij, nulla illata noxa; & quædam præterea eiusmodi alia: vt nec de Iulide videri id perinde mirum debeat edulẽ esse, atq; adeò boni laudatiq; succi piscem, abeunte veneno qualicunq;, aut morte, aut morsu, aut venenosa tantùm parte noxium, cętera probandum. Iulidi peculiare, vt elixæ iusculo emolliatur aluus, quod alioqui ex piscium multorum aliorum iusculis contingere solet: reliqua, quę Saxatilibus, eadẽ; carnis teneritudo & friabilitas, concoctio facilis; alimentum, vt ex piscibus, mediocre, nempe crassum inter & tenue, quantitate nec multum, nec parum nimis.

Phycidũ eadẽ omni ex parte ratio, quod ad carnis substantiã, alimentiq; vires, ac facultates attinet. nam & hæ inter Saxatiles locum suum obtinẽt. Phycides autẽ quæ habendæ sint, quemadmodum de plerisq; iam omnibus piscibus, diligenti quorundã nostri temporis Eruditorũ peruestigatione patefactum, obseruatis cum quibusdam alijs, quibus facilè cognosci potuêre, notis, compertum iam; tum verò, quòd nidum

sibi

ſibi has ex piſcatoribus, in alga ſemper, atque ex alga parare, atque ibidē parere, vnde illis nomen, perquirentes didicerūt. Phycidum ius, vt & Iulidum dicebamus, leniendæ aluo accommodum: neq; tamen vlla hîc veneni, vt ibi, formido: caro ſalubris quidem, at non perinde guſtui grata, niſi condimenti alicuius acceſſione id fiat. Salis & aceti plurimum poſcent, quoquo modo condiantur.

Contrà Percis marinis (nam fluuiatiles quoq; ſunt, de q̄bus poſteà) maior in guſtu gratia, etiā nō maioris alicuius condimenti beneficio, ſimplici coctura. Veteribus tamen olim ad ſartaginem potiſſimùm emptæ hæ, vltimoq; inter Saxatiles ab Authoribus loco numeratæ, ac benè hodie notæ, piſcis Perſegi nomine Italis, ſaporis iucunditate multis, nō minùs quàm alimenti ſalubritate, commendabiles, quæ illis cum reliquo Saxatilium genere communis eſt: de quibus, inſtituto quidē noſtro ſatis, dicta hæc in tantum ſint. Nam ſi reliqua de his huc afferantur à nobis, quæ multa poſſent: ipſi extra præfixos ſuſcepti nobis, quod in Salubritatis tantummodo vſum cōtendit, operis cancellos feramur.

Littoralis piſcis Gobio num recipiendus inter Saxatiles ſit: deq; huius, & Mugilum differentijs, quæ nutrimenti diſcrimen faciunt: Capitonum exempla de his, & quos λευχίσκους vocant.

CAPVT IIII.



Vnc poſtquàm de Saxatilibus diximus, qui ſedibus ſuis è mari ferè non exeunt: tranſire nobis licebit ad eos piſces, qui marini quū ſint natura origineq; ſua, loca tamen ſæpe mutant, quaſiq; ſolum vertunt, incolæ aliquādo fluminum facti; alij indiſcriminatim tēpore quouis, alij ſtatis anni temporibus, dulcis aquæ amore, ac pabuli ſæpe nouitatem ſequuti: & alij inter fluuiorū tantùm oſtia verſati, aut non multo longiùs prouecti; alij valde longinqua peregrinatione ſuſcepta, longiſſima aliquando ſpatia natatu emenſi, vt capti dicantur aliquādo Huſſones, quos vocant, in Danubio, ad Ratisbonæ Superioris Germaniæ ciuitatis ripā, ſuperata ita è Ponto, eouſque, amnis totius curſus, qui illi omnium Europę fluminū longiſſimus eſt, parte longè plus dimidia, multoq; fontibus, quàm oſtijs, propiùs: alij item marina præterea ſtagna frequentant, hocq; cùm pelagici, tum littorales faciunt: Pelagici minùs, tāquam in alto libentiùs degentes, eoq; commendatiores, ſcilicet minùs extraneo victu infecti.

Ex Litoralibus Gobio notiſſimus piſciculus, maxima bonitatis differentia, modò in arenoſis littoribus, ſaxoſiſq; crepidinibus capitur, optimi tunc & ſaporis, & ſucci; tum verò cōcoqui, perq; corpus diſtribui facilimus: deterrimus è diuerſo omni ex parte, cuius cœnoſis ex locis, aut ſtagnātibus marinis aquis, aut fluminis alicuius, vrbiū plerunq; ſordes omnes euolutas deferentis, oſtijs victus.

Video amiciſſimos olim noſtros, quorū manibus benè precamur, (obierunt enim iā diem ſuum, magna Studiorū quidē omnium, potiſſimùm verò Medicorum iactura) exiſtimâſſe, Gobionum genus aliquod Saxatiliū haberi, idq; de Galeni non ſanè minùs ſententia. Dioclem ſcio, & alios præterea quoſdā πέτραίους κωβιοὺς dixiſſe, id eſt, ſaxatiles. an etiam arbitrati ita ſint, Saxatiles veros eſſe, ſtatim viderimus: Galenū ita opinatum, non ſatis memini. Littoralem nanq; initio ſtatim facit, quū de hoc ſcribit, & loca quidem frequentantem arenoſa glareoſaq; littorū, aut ſaxoſa promontoria, cauteſque; hiſq; qui aut amnes ſubeūt, aut maris ſtagnātes aquas inhabitant, facilè præfert: addit ſequenti ſtatim verſu, hoc genus diſcriminis meritò in Saxatilibus piſcibus non ſpectari, vt bonitate inter ſe ob locorū diuerſitatem eiuſdem ſpeciei piſces differant, quādo in puriſſimo ſemper mari victum capiāt, vitatis dulcibus, aut ex dulci marinaq; commixtis aquis: totum vt ita Littoraliū piſcium genus, Gobionū exemplo, cum toto Saxatiliū cōparari verbis illis intelligamus: non autē Gobiones Gobionibus, littorales ſaxatilibus. εἰκότως οὖν, inquit, ἐν μὲν τοῖς πετραίοις ἰχθύσιν, piſcibus petroſis, ſiue ſaxatilibus, accepto toto hoc genere, non Gobionū ſaxatili, quod nullum eſt. Quòd ſi littorales (vt hi videri volunt) Gobiones tum ſaxatilibus itidem Gobionibus cōferendi Galeno ratio aliqua erat, poſtquàm littorales Gobiones dixiſſet, diſcrimen mox allaturus ſaxatiliū, non addidiſſet ἰχθύσιν, piſcibus: ſed ſimpliciter potiùs protuliſſet ita, εἰκότως οὖν ἐν μὲν τοῖς πετραίοις, parata ſtatim ita Gobionum ſubintelligentia lectoribus, qui paulò antè littorales Gobiones legiſſent. nunc verbū ἰχθύσιν additū, ad cōmune magis aliquid intelligendum neceſſariò lectorē trahit. Nulli igitur Galeno ſaxatiles Gobiones? Profectò nulli. Quid? iiſdē propè verſibus, quibus duo capita coniunguntur, de Saxatilibus, & de Gobionibus, quū priore capite diligenter Saxatiles enumeráſſet omnes, ordineq; ſuo digeſſiſſet, bis eodē ſeruato, quid fuiſſe dicemus illi cauſæ tum, vt non adſcriberētur cæteris Gobiones? aut tam fuiſſe obliuioſum credemus, vt, quum mox poſt Saxatiles

les de Gobionibus traderet, nõ fuiſſe tunc à ſe prætermiſſos meminiſſet hoſce, ſi cum Saxatilibus cenſeret? ſic ne μνημονικὸν quidem ἁμάρτημα excuſari hîc poteſt, vnius tantùm verſus intercedente rubrica, idq́ue verbulis duobus περὶ κωβίου. At Diocles Saxatiles cenſet, & Dioclem ſequuti alij. Hîc ſi Scriptorum reiectione vtar non noſtræ familiæ, quibus non æquè perſpecta ſupellex noſtra, aut certè non is, qui nobis vtendi modus, diuerſaque omnino perueſtigandi artis noſtræ documenta ratio fuerit: cur id facere non poſſem, nõ video. Neque hoc tamen dico: illud dico, Diocli, aut quicunque de; Dioclis propriáve id ſententia dixêre, Saxatiles dici Gobiones potuiſſe, qui inter glaream littorum, ſaxaq́ue verſarentur, quum alij ſpecie eadem multi è cœnoſis locis, amniumq́ue ſæpe oſtijs, repurgamenta plurima exonerantium in mare, cibum ſibi quærerent. Horum reſpectu Saxatiles nuncupare cuilibet fas ſit: quod quum in verè ac propriè Saxatilibus dictis non contingat, vt differentia ea locorum pabuliq́ue tam diuerſa notetur, ſitq́ue id illis proprium: non ſatis diſpicio, quomodo venire cuiquam in mentem potuerit, vt Saxatiles, propria ita voce dictos, Gobiones faceret, quibus potiſſima Saxatilium conditio, ex petroſis ſemper locis pabulum capiendi, quo veluti inſigni donantur, vniuerſumq́ue eorum genus conſtituitur, deeſſet. Non facilè igitur nullo prorſus diſcrimine Gobionibus omnibus veſcemur, quod tamen facere in Scaris, Merulis, Turdis, Saxatilibus reliquis omnibus licebit: ſed, vt antea traditum, pro locorum paſtusque ratione, aut admittemus, aut abijciemus. Eadem cuſtodienda nobis in Littoralibus cunctis ratio fuerit, quoſcúque vti magis his illiſve eſcis animaduerterimus.

Vt vel omnium maximè in Mugile: neque enim facilè piſcis alius inuẽtus fuerit, qui æquè locis vtriſque gaudeat, Littoralis tamen quum ſit vel Ariſtoteli ipſi. Littorales, inquit, (De hiſtor. anim. viij.) ſunt Dentex, Scarabeus, Cernua, Aurata, Mugil, Mullus, Turdus, Draco, Pulcher, Gobio, atque omne ſaxatile genus. Quo loco (vt obiter ſcrupulus quoque is eximatur) Saxatiles Littoralibus adſcriptos piſces legimus ab Ariſtotele, differentiam eam ſolummodo ſequuto, qua marini piſces omnes, aut in alto tantùm degunt, qui Pelagij Authori illi ſunt; aut in littoribus verſantur, q Littorales eidẽ, & πρόσγειοι quandoque vocãtur, inter quos & Saxatiles habeantur. Neque tamen ignorat, ex Littoralibus quoſdam fluuios & lacus petere ſolere, quod de Mugilibus affirmat, ſatisq́; hoc Philoſopho viro adnotâſſe, actiones, moresq́ue, ac piſcium vitã, victúmque inquirenti: Medico, cui propoſita prętereà cibatus inde ſalubritas, non ſatis. Quocirca differẽtiam ſibi fecêre aliam ſtatim ex his Medici Saxatilium, nunquam non eodem pabuli inter rupes ſaxáq; quęſito genere qui paſcerẽtur, nec ſtationem vnquam ſuã deſererent: nulláque ideo differentia tutò his veſci ſemper liceret nobis, minimè peregrinæ aquæ locíve vitio aliquo infectis; Littoralibus alijs non liceret, locorũ, aquarúmque, ac victus mutationibus naturam propè aliam ingreſſis: id verò in Mugilum genere animaduerti maximè, atq; inprimis poſſet. Itaque non hoc Ariſtotelicę diuiſioni repugnare eſt, ſed aliam ſibi inde, ad artis ſuæ res, vtiliter atque accommodè elicuiſſe: id ſcilicet artificis Medici boni munus fuit.

Tam autem ſpectabile inter Mugilum genera diſcrimen hoc viſitur, ex locorum inprimis, paſtúsque diuerſitate, (tametſi paſtus diuerſitas locorum potiſſimùm diuerſitatem ſequatur, qui alius in mari, alius in amnibus, aliꝰ in lacubus, alius in ſtagnis, marinis, dulciorísve, aut permixtæ aquæ; atq; alius in fluuiorum oſtijs, & his aut puris, aut latrinarum ſpurcitiam excipientibus, eſt) vt Galeno diuerſæ ſpecies videri meritò potuerint eorum, qui in mari, fluminibus, ſtagnis naſcerentur: Ariſtoteli autem, Authoribúsque alijs, ex profeſſo etiam ſint, κεστρεῖς, κέφαλοι, χελῶνες, μύξονες, quos Mugiles, Capitones, Labeones, Myxonas ſeu Mucciones vocãt. Quorum Mugiles, quoniam latiùs interdum à littore, vlteriusq́ue euagantur, περαίας dictos opinor: ideo Tranſlitoranos verterũt. Et Galenus, Capitonis tantùm mentionem faciens, cuius exemplo tãquam omnium optimi, reliqui quoq; intelligãtur, (nam & Hiceſio, apud Athenæũ, iudice principatus inter hos Capitoni ſaporis ſuauitate præſtantisq́; ſucci bonitate debetur) Pelagium aliquando vocat: vt Authori huic vel eiuſdem ſpeciei piſcis, diuerſis in locis origine ſua repertus, victuq́; diuerſo vagè captato, varium edere genus, quod ad alendum attinet, quoddam poſſe videatur. Et id quidẽ diſcriminis eſt, vt pelagius Capito, aut glareoſi litoris, ſaxoſiq́; incola, loci pabuliq́ue optimi beneficio, ad alimenti bonitatẽ optimus euadat ipſe, tenera, friabili, cõcoctili, ſaporis iucũdi, ſanguinis ſucciq́; boni, breuiter, om̃i ex parte ſalubri laudataq́; carne; vnde ali corpus, vt ex piſcibꝰ, nec tenuiter, nec craſsè nimis, minimáq; excremẽtorũ redũdantia, poſſit. Contraria omnia primũ ex mari nõ admodũ puro captis. nã & hîc diſcriminis aliqd, quò ſe fluuij multi

magniq́;

magniq; exoneret, vt Potus est; aut vbi nullis, raris ve, & his Austrinis, ventis perflatũ, aliáve quauis de causa vitiatæ aquæ mare. Ab his deteriore loco statuentur stagnantium in mari aquarum, quas amnes inuehunt, stagnaq; sæpe efficiunt; aut, vt non stagnent, vbi permiscentur dulcibus salsæ, vitiumque inde accipiunt, natura sua corruptæ aquæ, quæ pisces nobis reddent, eodem pacto fluuiatiles inter marinosq; bonitate vitioque suo medios. Post hos fluuiatilium, vbi nullus iam marinæ aquæ sapor, deterior conditio, magisque adhuc, si placidus nimis, immotoque similis amnis cursus, aut limosis arenis turbidus fluit. nam cõcitatior, puriorisque vndę melior, quo magis exerceri in eo pisces, escamque synceram magis capere, necesse est. Superant fluuiatiles, etiam inferioris notæ illos, malitia sua palustres, residumq; aquarum, aut lacunarũ alumni Capitones, nec sanè minùs pisces alij. Nam lacuum, qualis aut Benacus, aut Larius, aut Sebinus, & innumeri regionum multarũ alij, de alimenti bonitate etiam cum fluuiatilium optimis contendere posse arbitror, vt posteà docebimus. At lacunarum, paludumque incolis nihil iam addi potest ad malitiam: grauis virosusque horum odor & sapor, quem obtusi quoque sensus palatum auersetur sæpe. Iam quantum insit malignitatis, ac vitij in alimento, ex odore saporeq; conijcies.

Atque hoc quũ piscibus omnibus commune sit, vt locorum pabulique diuersitatem sapore, odoreque referant, quicunque vtraq; aqua vtuntur, dulci, salsaque: quia tamen hoc potissimùm Capito, atque inprimis facit, exemplo vti maluimus huius clariore futuro. Nam piscium reliquorum multo maxima pars non ambigit, natalibus suis contenta: nec fluuiatiles in mare deferuntur, nec marini fluuios subeunt, aut stagna intrant magna, vti diximus, ex parte. At omnium maximè Capitones naturæ vtriusque participes sunt, quorum fluuiales pauci in mare descendunt, quum ingrediantur amnes marini cuncti, longissimaque ita, valde à mari procul, aduersis fluminibus spatia transmittant. Fluuiatiles coarguet tenuium spinarum frequentia, quibus ferè alij quoque id genus scatent: Marinos esse testabitur earundem illarum spinarum vacuitas inprimis, tum præstantioris quoque gustus caro, acriorque, pinguedine nulla: pinguis verò dilutique saporis, cùm minus ad palatum faciunt, tum verò ad concoquendum quoque deteriores, stomachoque aduersi, malique succi sunt. Hęc fuerint Capitonum discrimina, alimentique illorum differentiæ: sic tamen, vt minimè plura horum genera faciamus, nec diuersas statuamus species Fluuialium & Marinorum, natalibus tantùm suis victuque differentium, quod nequaquam speciei diuersitatem præstet: plurimùm licèt interea, quod ad alimentorum rationes attinet, afferat discriminis.

Ita sanè ne λευκίσκους quidem, qui sic vocabantur, alios esse, quàm Capitones, dicemus, albido solùm colore, & capite minore distantes: quorum alendi facultas, qualis omnino fluuiatilium Capitonum, sapor tamen acidior. Neque ideo pro inconuenienti habendum esse arbitrabimur, vti non tantùm genere, verùm etiam specie eadem contineatur Littoralis, Pelagius, Fluuialisque piscis aliquis, quod de Capitone diximus, à quo deduci in congeneres species Cestreorum, seu Mugilum, Mucconum, Labeonum, dicta omnia de eo debebunt.

De Pelagiorũ alendi nos facultate, & Lupi piscis, eo in negotio, differentia, ex victu diuersis in locis capto, optimi laudes: Tum qualis ex huius ipsius, probatißimorumq́, piscium esu expectandus sanguis sit.

CAP. V.



Minor Pelagijs in eo animaduersio adhibenda, neque tamen nulla prorsus: quoniam minùs quoque ex alto litora amnesq; petant, petunt nihilominùs: ideo nec securitas, quanta in Saxatilibus, & quàm Litoralium tamen maior, vt tutò his vescamur, non priùs animaduerso, vnde nobis illius captura fuerit; Romæque si fuerimus, perquiramus, inter duos ne pontes captus, an ex alto ad nos venerit; vt hunc retineamus, alium gulonibus remittamus Lupum, pinguiorem quidem illum, pabuli vndique ex sordibus, rerumque omnium purgamentis collectitij copia; at stomacho grauem futurum, excrementosæ carnis vitio, vnctæque, pinguedine laxiore tunicas ventriculique vnà robur resoluentis: vt in multis experimur, vncto pinguique sapore, palato ac gulæ mirè blandientibus cibis, quorum esu, neque nimio tamen, degrauatur quamprimùm ventriculus, ac præcordiorum sæpe partes. idque vel maximè in piscibus manifestum, vt Trottis, Salmonibus, hoc ipso Lupo, quorum quanto quidem à nostro longiùs temperamentum abest, tanto eorum quoque pinguedo, extraneæ iam atque alienæ nescio quid qualitatis referens, ab alimenti nostri iusti, æquiq; abesse meritò bonitate, ac temperamento

existi-

existimari debet. Simul immixtam per totum piscium carni, non, vt in quadrupedibus, atque auibus, separatam pinguedinem, totamque toti confusam, vel potiùs ex vtraque vnam factam carnem, videmus: vt eapropter ne vitare quidem nobis pinguis vnctæque in his substantię nocumenta liceat; & saporis suauitate decepti, nec imposturam agnoscentes, damnosè sæpe vescamur. Non enim, vt quodque palato lenocinatur, sic certa nobis inde statim alimẽti probi, laudatique succi spes: quum contrà sæpe eueniat, cùm in multis alijs, tum vel pręcipuè in piscibus, dictis de causis; & corruptam semper ferè, maxima vitæ nostræ iactura, eruditorum ad gulam appetentiam consulimus, probeque ganeosæ culinę artibus instructorum iudicium tantùm quorundam, nostri quoque temporis Apitiorum, sequimur: qui si consilium super rebus his ab exacti iustiq; temperamenti homine vno aliquo peteremus, cui sicuti reliqua in corpore omnia ad normam facta, ita incorrupta quoque gustandi potentia attributa sit, huiusque nobis iudicio standum esse iudicaremus: non dubitarẽ, paucissima superfutura, in quibus non & saporis iucunditas cum salubritate consensura, & palato responsura vtilitas quoque semper fuerit. Huic nõ temerè excidisset illud luxuriosè nimis de pisce, luxu nimio corrupti, Philippi dictum, vt piscem non putaret, qui piscis erat: & Lupus Lupum sapuisset illi, opinor, vt Fluuiatiles alij puriore fluenti totius parte nutriti, & Pelagij reliqui, & Littorales, & Saxatiles, quos incorruptior multorum gustandi facultas admittit; gulonum, lurconumque quorundam, respuit.

Quapropter, vt in alijs, ita hîc quoque fluuiales Lupos marinis posthabebimus, iure deteriores ad sanitatem existimatos omnes: sic tamen, vt, qui inter hosce minùs cœnoso aut sordido amne vtuntur, diuersa fluuij in parte victitantibus præferantur: tantum abest, vt inter duos pontes captus Lupus marinis commendatior habendus sit, quò vrbis videlicet multo maxima sordium, ex latrinis cloacisque confluens, pars deriuetur, ac reliquis Tyberis Lupis insalubriores faciat, odore sępe quoque ac sapore diuerso ab alijs, inculpati gustus palatique hominibus visos, lutumque redolere sæpe, & cœnosi aliquid mucosique deprehensos, pinguedine fastidienda, citoq; putrescibili. Quod de omnibus in vniuersum, amnium piscibus, similibus in locis è recrementorum colluuie omnium victũ capientibus, intelligendum: contrariũ verò in alijs, præcipuè verò marinis, aut nunquam, vt Saxatiles; aut rariùs, vt Pelagij, fluminum ostia, stagnantesque maris aquas intrantibus; aut etiam Litoralibus, qui in saxosis, arenosisque libentiùs stabulantur. Sic quoque Lupi piscis caro huiusce conditionis, & gustu suauior minimè corruptè dijudicanti, & friabilis, magisque concoctilis; minùs citò putrescibilis, minusque excrementitia, pinguedine item aut nulla, aut minima, minimè quoque grauatura ventriculum, aut appetentiam deiectura.


Sanguis autem inde, & ex sanguine alibilis succus tenuior. Tenuiorem quum dico, eum intelligo, qui tamen serosæ partis redundantia nõ difluat; vt sæpe videmus, misso de vena sanguine, vasisque excepto, plurimũ innare aquei liquoris, postquàm coiuerit; ac longè quidem minùs, qui picis alicuius, aut bituminis crassitie conspiciatur. Extremè vitiosus vterque is est: à quorum malitia longè abest, quem tenuiorem diximus sanguinem, exactè atque exquisitè medio proximior, qualis ex laudatissimo, optimeq; præparato pane, ac quadrupedum nõnullis, auiumque plurimis, corpori nostro prouenit. Hunc inter, nimiaque illum tenuitate & aquositate damnatum, ex piscium quorundam alimento sanguis acquiritur, tenuior quidẽ cunctus: at circùm medij tamen constitutionem, Pelagiorum, Saxatilium, laudatorum piscium omnium. Nam alteram crassitiei partem, medium vltra, summéque ac picis more spissam, ex Quadrupedum multorum, crassiorisque substantię Auium quarundam, arbitror & Cetaceorum alimento, sanguis meritò occupauerit, alius alio vtrobique medio, summè exquisitéque ita dicto, extremóve propinquior, atq; adeò sæpe extremi quoque vitium ingressus, & aquositatis, aut crassitiei summæ malitia culpabilis. Lupi igitur piscis, reliquorúmque Pelagiorum, addo & Saxatilium, tenuioris iusto, neque multum tamen, substantiæ sanguinem, alimentum gignet, qui nec valenter nos æquè vt Quadrupedum alat, ac citiùs solùm euanescat. Dicere tamen sanguinẽ hunc substantia quoque medium possis, vt Saxatiliũ dixit Galenus, nihil tum inspecto exquisitè vereque medio, quale nos proposuimus; sed sic crassiore (vt ita dicam) intelligendi modo, quum eorum, quæ longiore extremitatum duarum ambitu continentur, latiore quadam linea, non puncto circunscriptum medium statuerimus, &, vt verbis Galeni ipsis vtar, πλάτος ἀξιόλογον ἔχον. Qua ratione omnium, quæ circa medium sunt, non solùm, quæ medij punctum attingunt, alimentum sanguinem nobis largie-

tur constitutione & substantia medium: modò propior medio, quàm picis instar crasso, aut aquæ in modum fluxo, sanguis sit. καλῶ δὲ, inquit (De facul. alim. iij.) Galenus, μέσον, ὃ μήτε πάνυ λεπτόν ἐστι, καὶ ὑδατῶδες, μήθ' ἱκανῶς παχύ. Nobis in rebus his potior visa est prior ratio, vt erroris minus sit, vereque affirmare tandem liceat, alimentum ex Lupo, Pelagijsque reliquis, sed laudatioribus illis, accedere corporibus paulùm iusto tenuius, nec valens admodum, & citò abiens: succi tamen boni, frigidi quanuis, atque humidi, quod succi bonitatem non demit, nisi aut nimium adsit, aut mala prætereà qualitas, vitiosaque, atque extranea aliqua addatur vt: hoc quoque ad extremum addidisse non abs re fuerit.

Lupus quis hodie habendus sit, nulla iam controuersia, tot eum manifestantibus notis. Piscis est hianti propè semper ore, edax, voraxque; vnde illi nomẽ Græcum, Latinumque: Veneti Varolum appellant, alibi aliter. Tantæ apud veteres nobilitatis, vt hunc vnum piscis absolutè nomenclatione dignarentur; & piscem quum dicerent, Lupum dici, intelligique vellent. Hinc illa vox, degustatum, ignobilioremque sibi visum, quòd fortasse inter duos pontes non esset captus, despuentis, vt paulò antea diximus, Philippi: Peream, nisi piscem putaui. gulosi, ventrique dediti hominis, dictum.

De Mulli piscis carne, quam in partem accipienda eius durities sit: & alimentum cuiusmodi ex hoc habeatur: & de iecore eius, & capite: & alia quædam.

CAP. VI.



Nuenio tamen, Galeni tempestate prælatos Mullos iucundioris saporis cõmẽdatione, hos quoque Pelagios, carne friabili valde, & reliquis Pelagicis propè omnibus duriore. Friabilem quum dico, nec pinguis, nec glutinosi quicquam retinentem accipio: id quod non sanè parum his conciliat gratiæ, quippe (quod pinguia & glutinosa faciunt, vt suprà quoque monuimus, piscium quorundam exemplo) nec grauatè ventriculũ extemplo replent, nec subuersam appetendi facultatem auferunt, sic vt multorum quoque deinceps dierum tolerare esum horum ventriculus, atque etiam appetere seruata semper capiendi cibi auiditate aliqua, queat. Hocque friabilitas his præstat, pinguedinisque & lentoris vacuitas: illud durities, vt cæteris Pelagicis copiosiùs ac durabiliùs nutriant, quando alij, quo molliores, humidioresque, carneque ideo fluxa, eo alimenti minus, nec diutiùs duraturi exhibent. Mullorum durior, eo & laudatior, quod quidem ad hoc spectat: durior autem reliquorum Pelagiorũ, non autem eorum, quæ exquisitum duritiei & teneritudinis medium occupârunt, carne: vt hic rursus considerationis eius admoneamur, quam in Luporum mentione attulimus, adstricti pressique medij, & alterius latitudinis maioris; tum verò vtriusque non minùs extremi, duritiæ, & teneritatis: quorum alterius, teneritatis scilicet, respectu durior Pelagiorum multorum caro, quàm Saxatilium; ac Pelagicis alijs Mullorum durior. Eadem, si vtramque hinc, atque hinc teneritatem, & duritiem, quæ cadere in esculenta possit, summam respexerit, media: quod quidem medium plurima occupent longiùs inde ab extremis abeuntia. At pressioris significationis, exquisitiorisq; medij comparatione, tenerior Mullorum caro, vt & Pelagiorũ aliorum: propiùs tamen medio exacto illi Pelagij, quorum collatione duri Mulli, vt ad iustum medium teneri: à quo tamen minimum quid qualitate ea recedunt. ἐγγὺς δὲ τούτων εἰσὶ καὶ τῶν θαλαττίων οἱ πελάγιοι τῶν ἰχθύων. Proximè his, ait Galenus, ex marinis sunt pelagici pisces. qui priùs crassitiæ, & tenuitatis, ex optimè parato pane perdicibusque, medij verè alimenti meminisset: vt eadem duritię & teneritudini applicari non ineptè, vt opinor, ratio queat.

Valentiùs ergo alemur Mullorum carne, quàm cæterorum Pelagiorum, hoc est, & copiosiùs, & diutiùs; nec, vt diximus, euertet nobis capiendi cibi, pinguedine lentoreque, voluntatem: & saporis gustusque suauitate familiarem nostræ experiemur illorum substantiam, temperamentúmque: & quanuis Pelagijs reliquis duriores, nondum tamen, vt docuimus, verè riteque duros, quoniam iustissimum medium ex parte teneritatis attingunt: conficietque ideo ventriculus haud ita difficulter, præsertim auidè exceptos. Diximus non semel antea, quantopere referat ad alimenti nostri commendationem ex animalibus, qui sit illorum cibatus, laudatus, an secus, inspexisse: ita hic quoque quascunque fert Mullus laudes, auferet illaudatus omnes cibus, sic vt qui cancellis pascuntur, & concoctioni rebelles, & praui prætereà succi fiant. Olfactus illos statim extraneus quidam, & ingratus sapor prodit, vel ante cocturam; aliquando, dum exenterantur, deprehendentur, recluso ventre,

tre, varia ciborum genera, ex quibus bonitatem aut malitiam carnis côiecturis haud dubijs assequare. Hinc sanè lutariorum quoque Mullorum nomina.

Mulli iecur caputque, quod quidam sui temporis faciebant, non videntur præferenda reliquæ piscis carni esse Galeno, nec palati commendatione, nec Salubritatis vsu. Sed de his inter obsonia melius.

Et Mullus piscis non incognitus hodiè nobis, barbularum indicio inprimis: Veneti ex argumento Barbonem vocant, Barbum alij; alicubi etiam Triglam in Italia, veteri Græcorum renouato nomine, & Latinorum antiquato. Authores habeo, frequenti horum esu hebetari oculorum aciem, & neruos offendi. Quæ de veneficijs, & philtris traduntur, & Veneris extinctione, quoniã incomperta, & ab Authoribus prodita non receptissimæ fidei, nec iuratissimis; omittenda esse censui, sanè neque ad rem nostram magnopere facientia.

De glutinosi, & detergentis, & friabilis significato: & durioris carnis piscibus, & tenerioris, & inter has mediæ. Et de Asello, & Muræna, & Myro, & Vmbra, & Rhombo, quod ad alimenti rationem attinet.

CAPVT VII.

PIscium alios teneros, duros alios esse, diximus: item, crassos alios, alios tenues. Sed friabiles non minùs sæpe memorauimus, & friabilibus contrarios, glutino scilicet pinguiq; aliquo constitutum corpus habentes. Nam friabiles erant, quibus nec pinguitudo nec lentor vllus, friabilem, solutilẽ, arenidam, putrem, substantiam faciebat: quæ nomina pro diuersitate illarum applicanda semper rebus sunt. Nam in succis glutinoso, quod γλίσχρον est, detergens facilè opponas, ῥυπτικὸν nimirum, authore nobis huius sententiæ simul & nomenclaturæ, in hac quidem significatione, Galeno ipso: in solidis autem corporibus χραῦρον, & ψάθυρον vocabula habemus, constitutionem nobis corporum solutilem, vt diximus, & arenæ modo dissipabilem indicantia: putrem etiam appelles. Sic Virgilio Poetę putre solum dictum aliquãdo: & putris gleba, quæ resoluatur Zephyro. At Medici dum glutinoso detergens ex aduerso opponunt, actionem potiùs spectàrunt, ad artis suæ opera appositè, qua viscidi glutinosique tenacitatem detersoria facultate dimouerent. Atqui huic non facilè in liquidioribus succis coniunctam friabilitatem illam inuenias, dissipatu facilem, & arenidam. Melli quidem, vt hoc exempli tantùm causa afferatur, friabilitas hoc pacto nulla, & detergendi vis non pauca. Rursus in piscibus friabilitatem intelligimus, vbi nec lentities, sicuti diximus, nec pinguedo vlla: vt necessariò contraria ratione glutinositatem nobis non lentor solus in eisdem his, sed cum pinguedine quoque semper faciat.

Et oppositæ quidem inter se qualitates geminæ illæ, crassi & tenuis, duri & teneri, sæpe inter se conueniunt: vt, quod durum, crassum quoque; quod tenerum, tenue simul futurum sit, nec magnopere discordent ista. Non idem in glutinoso, & friabili visitur. quum enim friabile teneri potiùs esse debere videri possit, non minùs duri quoque sæpe fuerit. Teneritas & friabilitas in Saxatilibus, durities cum friabilitate in Pelagijs omnibus, præsertim Mullis: nisi aut vitiato pabulo, sordidaq; & spurca esca inficiantur. tunc enim friabilitatis laudem perdunt.

Hos inter, & Saxatiles, quod ad teneritudinem ac duritiem attinet, Gobio littoralis piscis, medius idem, & friabilis: nisi hic quoque in cibatu peccetur, quem inter sordium omnium repurgamenta ex amnibus diuersis in locis petunt.

Sic & Aselli vel cum Saxatili piscium genere contendere carnis bonitate queant, capto purissimo in mari, probo laudatoque cibo, teneri & friabiles fuerint: deteriore verò vsi, aut ex mixta dulci aquæ salsa, aut alioqui vitiosa, teneritatem quidem & mollitiem non abijcient; at lentitiem, & pinguedinem adijcient, fientque gustu insuaues, & excrementitium alimentum largientur. Merlucius is est, piscis haud dubiè febricitantibus quoque interdum, vt alij quidam mollioris & tenerioris carnis, concessus. Ex eius genere salitus, siccatusque, toti Germanię importatur, tunsusque diù priùs fustibus, ferreo etiam malleo vidimus, & in frusta sectus, maceratusq; aqua, ita demum cocturam subit, vix aliter domandus ob terrestrem siccitatem. Quem tamen recentem valde verisimile est, & tenerum, & friabilem esse: atque ita aiunt, quibus recenti vesci contigit.

Inter mollis carnis pisces & Amiam, & Murænam reponunt, celebrem illum, & qui familiæ aliquando Romanæ cognomen dederit, piscem, Hortensio oratori dilectam, defletamque: L. verò Crasso murenæ morte tristi, quam atratus etiam luxerit. Molli pinguique carne Muræna est, anguillæ ferè alimento, qua etiam nõ magis alit: longè autem minus Congro, vt po-

te tenerior, ideò alimento minùs quoque copioso: nomine adhuc suo, quod apud multos retinuit, notissima. At σμύρον, Myrúmve, Muræne nimirum marem, ignari multi serpentem credũt, dicuntque. Huic apud Athenæum Dorio miram teneritudinem tribuit, & nullas per corpus sparsas habere spinas dicit, coque totum esse vtilem. Murænis si qua veneni vis inest, tota in ore est, dentibus, & morsu: vt in moriente discedat, nec Murænæ propterea carnem venenosam, aut deteriorem faciat, Iulidum, vt diximus, exemplo. Longè magis animaduertendum, quo in loco captis vescamur. Nam quæ optimæ habentur purissimo in mari, eædem ad fluuiorum ostia pastæ, per quos populosarũ vrbium retrimenta quæque exonerantur in mare, deterrimæ fiunt, quanquam nõ longiùs flumina subeant, nec in stagnis gignantur, cibúmve inde capiant: id tãtùm, si circa amnium ostia pascantur, viles illaudatasque dabit.

Tenerioris carnis Vmbra quoque, Ombrina vulgò: at non ad Saxatilium tamen teneritudinem accedit.

Tenera & Rhombo: sed infra Asellorum teneritudinem multo, qui ipsi à Saxatilibus in eo vincuntur, vt non longè à verè mediocris constitutionis conditione abesse videatur Rhombus, vt mox ostendemus.

De mediæ constitutionis piscium alimento, Cithari, Amiæ, Lacerti, Soleæ, Passeris.

CAP. VIII.



OCcupârunt iustum inter tenera carne præditos pisces, quos diximus, & dura, quos dicturi sumus, medium alij: Citharus, quem Græcorum literatioribus κάνθαρον quoque dici volunt, vulgo autem σκάταρον, Galenus non dissimilem Rhombo facit: figura, formaque, intelligo: non teneritate, quæ in Rhombo maior, in Citharis autem iam intra medij exquisiti magis limites reuocata mediocris constitutionis carnem reddit. Etenim si Citharo teneritate similis Rhõbus accipiatur, aut etiam (vt aliqui opinati sunt) ijdem sint: quî fieri poterit, vt Rhombus & Citharus, qui esse eadem substantia eo pacto debeant, alter mediã prorsus, teneram alter occupauerit? Nec distinguẽda hîc venient læuis, spinosiq; Rhombi, discrimina: quoniam à Galeno Citharum, Rhombumque simplicissimè nominibus vtrunque suis prolatum scriptumque legimus. Citharum igitur meliùs in vniuersum inter duræ, mollisque, seu teneræ constitutionis piscium carnem medium statuemus, atque in vniuersum rursus Rhombum non magno ab hoc recessu: inter teneros tamen pisces locabimus, omninoque Galenum, quàm Philotimum, sequemur in hoc magis, qui tenerum fecerit.

Citharo Hepatum adiungemus, Amiam, Lacertum siue Saurum, Soleam, Passerem, duos hosce eiusdem cum Rhombo generis. Plani enim pisces sunt omnes: sed minùs tamen tenera carne, vt qui cõsistentia iam medij sint, nec dissimiles omnino inter se, vt videri alicui eiusdem possint, reuera diuersæ quum sint, speciei. Paulò adstrictior corpore Solea: eadem gustu quoque suauior, molliorque: sed quę mediocritatẽ tamen non excedat mollities. omni ex parte laudatior Passere hæc. Omnes autem concoctu partim faciles, qui teneri habentur; partim nõ difficiles, qui constitutionis mediæ: alibiles satis, pro piscium conditione, succi boni, non excrementitij.

De duræ carnis piscibus, Dracone, Cuculo, Scorpio, Mustellis. Et de Galexia Galeni, quis piscis censendus, & de Trachuro, Orpho, Glauco, Caniculis, Lamijs, & Cetaceis, & Cetis, & Congris, cuiusmodi ista alimentum largiantur omnia.

CAPVT IX.



HInc relicto medio, discessuque in contrarium facto, dura carne præditos expiscabimur. Dracones primùm, & Cuculos, & Scorpios: Cuculos notis suis manifestos satis, Scorpios itẽ suis: Dracones eosdem, quos Araneos Plinius appellat, & hodie Venetijs etiamnum maioris minorisque Aranei nominibus ostendunt: dura omnes carne, his qui degustârunt, manifestò.

Γαλεοὺς & γαλεωνύμυς eodem pisces Galenus adfert, quasi Latinè Mustellos, & Mustellinominos diceremus, eodem generis vnius significato notissimos hos. ijdem enim & κύνες, Canes, Græcis quibusdam authoribus dicuntur, hodieque vulgò apud multos Canes marini, sed Mustellorum & γαλεῶν nominibus notiores. Dura cuncti carne, & ventriculo in concoquendo repugnante, cetacei, nõ cetacei. duplex enim illorum genus.

At Γαλεξίας, siue γαλαξίας, quis Galeno fuerit, quærendum, celebratissimus Romanis tum piscis, contrà quàm Galeorum reliquo-

reliquorum, teneræ, mollisque, & existi-
matissimæ carnis: vt alium omnino esse
oporteat, quàm vulgatos tunc Galeos, vi-
les satis, nec nisi in minorum ordinū men-
sas receptos; carneque ad vnum, vt dixi-
mus, prædura, atq; ægrè concoctibili con-
stâtes, crassi succi, prauique simul, ob sub-
uirosum odorem, saporemque. Melior,
vt inter ambigua, ac diuersa sentientes, mi-
hi quidem sententia videtur opinantium
ὀνίσκον hunc esse posse, non omnem, sed
γαλλαρίαν seu γαλλαρίνη, quem eundem vete-
rum Acipenserem, nostrumque haben-
dum esse Sturionem contendunt, omni-
um maximè in pretio habitum piscem: vt
hinc iam primùm ex vocum similitudine
prima suspicionis huius fides appareat,
immutatis (vt quotidie in multis fit) in-
uersisque nominum syllabis tempore, vul-
gi semper vsu omnia corrumpente; vel eti-
am totis sæpenumero dictionibus decur-
tatis, aut productis. γαλαξίας autem & γαλ-
λαρίας, rursusque γαλλερίης, & γαλλερίδες, non
admodum dissono, inter se, sono audi-
untur. Illud maximum de cartilaginea
dorsi spina per totum ὀνίσκου, i. Aselli, ex
Dorionis dicto, quæ in Sturione visitur,
ac conuincere ideo possit Asellum esse, &
Acipenserem. Simul os repandum, hians-
que valdè, ἀνέῤῥωγος, quod Asello datur,
Sturioni quoque mirè conuenit: vt, si Ga-
leni γαλαξίας is ipse γαλλαρίας ὀνίσκος sit, com-
mutatione inter se vocum facili tantùm,
significato autem eodem manente semper,
accedente insuper pretij æstimatione non
vili, qua ille dixerit piscem esse perpauco-
rum hominum, & piscis vbique nobilis,
Romæque inprimis, existimatione, Gale-
ni quoque tempestate celebri, fuerit; nihil
iam deesse nobis videri possit ad fidem fa-
ciendam, γαλεξίαν Galeni, veterum esse
ὀνίσκον γαλλερίδαν Græcorum, & Dorionis,
Latinorum autem olim Acipenserem, ac
nostri temporis Sturionem, delicatæ, tene-
ræ, sapidæ, concoctilis, alibilis, friabilis,
nisi pinguis aliquando aliquid obstet, car-
nis. Inijcit nobis manus hîc, & tanquam
remoram ex pisce hoc facit, vetita, ne vl-
teriùs tendamus, velificatione, id quod
proditum à Galeno est, ὄνον & ὀνίσκον no-
mina tantummodo esse diuersa, at rem
eandem significari, Asellorum scilicet ge-
nus, quod cum Saxatilium genere certare
de principatu possit, quod ad carnis com-
mendationem attinet. atqui Asellorum
genus, aliud à Sturionibus nostris esse,
nulli non manifestum esse satis potest.
Quumque Asellorum seorsim, quos ὄνους
& ὀνίσκους vocari dixit, meminerit Galenus
in tenerorum piscium censu, rursusque
γαλαξίου separatim insequenti statim capi-
te, de duræ carnis piscibus, inter γαλεοὺς,
id est, Mustellos: quam, quæso, rationem
inibimus, qua existimare nobis liceat, Ga-
laxiam suum illum cum Asellis Galenum
deputâsse, qui cum Mustellis eundem de-
putauerit: vt interim non aduersemur
opinantibus Asellum Galleriam, Acipen-
serem, & Sturionem esse; idque solum-
modo disputemus, quod illi suspicari se
tamen affirmant, Galeni Galaxiam pro
Asello Gallaria non facilè habendū. Fieri
nihilominùs posse non iuerim inficias,
neq; inconuenire prorsus existimauerim,
vt ὄνος & ὀνίσκος vocabula Asellorum ge-
neri accommodarentur, pariter & speci-
em vnam aliquam aliam significarent,
quando vsitatè satis diuersis sæpe rebus
nomina eadem imponantur: nec desint
Authores, qui aliud ὄνον, aliud ὀνίσκον signi-
ficare velint: & illud γάδον, quo Asellorum
genus vniuersum indicetur; hoc μάξεινον,
& γαλλερίδαν, & γελαρίην, & γαλαρίαν vocent,
quo priuatim species hæc notaretur. Po-
tuit igitur Galeni tempestate vtrunque
nomen Asellorum generis esse, ὄνοσ, &
ὀνίσκος: atque is, quem ipse γαλεξίαν vocet,
quoniam alijs quoque nominibus appel-
laretur, facilè transisse in generis significa-
tum, cum ὄνῳ simul vt ὀνίσκος quoque esset;
& speciei alteri de alijs vnum reliquisse
γαλλαρίαν, ex quo factum deinde γαλλαξίας
siue γαλλεξίας fuerit, magno affinitatis vo-
cum argumento, qua voce veluti vsitata
iam nuncupatus sit à Galeno, à quo etiam
inter Mustellos numeratus reponitur, qui
γαλεοὶ Græcis sunt, propter non paruam
cum Galeis similitudinem piscis huius, car-
tilaginei, longique vt Galei corporis, si
tuque oris eodem. Vnde non dubitârim,
tot illi à Galeis deducta omnia, indita fuis-
se, sumpto inde initio, nomina, quę retu-
limus, atque ideo adscriptum fuisse qui-
dem Galeis nominis & figuræ vicinitate,
carnis verò constitutione longè diuer-
sum monstratum, quæ Galaxiæ, hoc est,
Sturioni nostro, (iam enim in piscium
censum veniat nobis hoc nomine) tene-
ra est: vt hac de causa inter mollis potiùs
carnis pisces & cum Asellis, quibus magis
conuenit, recensendus fuerit, nisi huc dis-
tulissemus ad sermonem de Galeis.

Trachurum, Saurum facere, id est, La-
certum, non possumus, cum Galeno qui-
dem, qui Saurum inter mediæ carnis pisces
reponendum dederit nobis, Trachurum
inter duræ: sed neque Trachinam hunc,
quæ Draco est, Trachurus piscis alius. Qui
qua facie repræsentatus hodie sit nobis ab
Eruditis, videmus: magna illi cum Scom-

bris societas, capturaque sæpe vnà, quibus corpore etiam non valde dissimilis. Scithacum qui dicunt, coloribus suis non depingũt, nisi verò Lacertum, Saurúmve genus faciamus, Trachurũ speciem, qui dura carne constet, præter Lacertorum aliorum consuetudinem.

Orphi ad hæc, Glaucique, eiusdem conditionis pisces. Orpho pisci (& hunc nobis notis suis peruestigârunt diligentiores, alium, quàm quem hodie Græcorum vulgus Orphum appellat) duram meritò carnem tribuit cum Philotimo Galenus. Addita ab Athenæo alia legimus, quæ cum carnis duritia conueniant, non repugnent certè; corruptionis concoctionisque difficultatem, succi multi bonique generationem, alimenti copiam, quæ duo peractam ægrè licèt concoctionem sequuntur: glutinositatem verò, ac pituitosæ materiæ prouentum, non aduersari scimus, quin durum idem quandoque simul & glutinosum reperiri possit. Quodque pituitæ multum gignat, sed proliciendæ vrinæ potentia, in duræ, crassæque substantiæ ac glutinosæ alimento, quæ haud ita multum serosæ partis contineat, admirationi esse possit: cæterùm, quum diuersas, Author is, partes nobis piscis huius quanquam confusè transpositas separet, & concoctu difficiles alias grauesque, faciles alias dicat; ex his, concoctu facilibus, tanquam tenuioribus moueri fortè lotium queat, præsertim qui teneritudinem caudæ polliceatur.

Dura itidem carne constat Glaucus, sed non illaudati alimenti, succique, si ritè conficiatur: Stomachicis etiam aliquando non negandus. Aliæ quoque medicinæ ex hoc pisce, quarum non est hic locus tractandarum. Ius, lactis copiam augere traditur.

Inter huiusce naturæ pisces, durioris nempe substantiæ, meritissimò Caniculæ, & Lamiæ numerabuntur. Amiæ sunt in Philotimi verbis, aperto nimis errore, & perquàm facili lapsu librariorum, aut Impressoriæ Officinæ operarum, carptim vndique sæpe characteres ad verborum structuram colligentium, nimiaque interdum festinatione omissa literula: vt, pro Lamiæ, Amiæ nobis essent, quas paulò antè Philotimus, subscriptore etiam in eo Galeno, cum teneræ carnis piscibus collocâsset. Quare rectè ab Eruditis, Lamiæ, reponendum esse admonemur, quibus nimis multum debemus, pro indicata nobis piscium multorum natura. Sed ijdem ij, quod de Canibus marinis proditum à Galeno fuit, eodem verborum contextu, de cane Carcharia, hoc est, Lamia ipsa, accipere nos iubent. Atqui, si Lamiæ repositum volunt in ea verborum serie, in qua marinorum quoque Canum seorsum meminit; quî fieri poterit, vnum vt piscem ex duobus his faciamus, ac reposito semel Lamia, iterum eodem in loco Carchariam canem intelligamus, qui Lamia ipse sit? Canes quidem marinos Galenus, ex Galeorum genere, quos antea memorâsset, iam habendos inter Cetaceos arbitratur, vt Lamiæ esse hoc pacto queant, Cete enim magna satis Lamiæ. Verùm si erunt Lamiæ hi, quorsum attinuit pro Amiæ restituisse nobis paulò antè Lamiæ? aut quid erunt deinde nobis κύνες, id est, Canes? quorum Galenus, vt Cetorum, Cetaceorumque omnium, duram & excrementitiam, succique improbi, carnẽ prædicat; ac vilium hominum, infimæq; plebeculæ escam fatetur, insuaues, mucosos, in frusta dissectos salitosque vt edantur, nec, nisi sinapis, aut oxelæi, aut condimentorum aliquorum intinctu, prouocaturos palatum. Quippe eadem Carchariæ non minùs cani, qui Lamia est, conuenient. Sed alios esse omnino oportet hosce, quorum separatim mentionem fecerit: nec Galeos esse dixeris, quanuis ex illorum genere sint. Eodem argumento, seorsum nanque de his ibidem priùs, fateri necessum est, Caniculas grandiores aliquas ex Galeis, Cetos quidem non esse, inter Cetaceos tamen deputari, atque horum genus aliquod, Canicularum siue marinorum canum nominibus cognosci, qui Lamię non sint, ijsdem tamen substantiæ, cibi, alimenti, succi, qualitatibus constent.

Quo significato magni quoque Thunni proximè ad Cetaceos accedere eidem Galeno censentur. His autem minores Pelamides, ætatis tantùm ratione differentes, sed eiusdem prorsus generis, longèque minùs adhuc horum fœtus Cordylæ, non ita fortasse inter Cetaceos recipiantur: propterea quòd magnos solummodo Thunnos scripserit; minores verò ætate & magnitudine, nec tanta carnis duritia constare, & concoctu faciliores tradat: vt, quod ad alimenti inde facultates, & qualitatum differentias attinet, permagni referat, hac illáve ætate sint, propè vt diuersa genera constituere videantur, quod minimè tamen est, diuerso licèt tanquam ex genere variæ nobis alimentorum vires expectandæ semper sint.

Iam Balænæ, Delphines, Phocæ, siue marini Vituli, Zygænæ seu Libellæ, inter Cete

Cete omnia, notorum iam piscium nomina, vel inprimis duræ carnis pisces habebuntur meritò insuauis, concoctu contumacis, alimenti succique crassi, malique; Zygænæ autem etiam horridi saporis. Infrequentior Aquila, ideo minùs in cognitionem venit, alendo conditiones eædem.

Congri accedunt, & Pagri. Congri, præter carnis duritiam, praui etiam succi, & priuata quadam cæcáque qualitate Elephantiasin gignere existimati.

Nec deesse pisces quoque alios arbitrandum, durioris, aut mollioris, aut mediæ carnis: verùm hi horum generum potissimè enumerati à nobis sunt, ad quorum exemplum deduci reliqui haud ita difficulter possint, gustus, odoratúsque suauitate, aut secus; teneritate, duritia, crassitie, tenuitate, ac similibus qualitatibus explorandi.

De alimento ex Thrißis, Chalcidibus, Eritimis, Abramidibus, Bocidibus, Mænis, Smaridibus, Auratis, Sparis, Denticibus, Sargis, Spargis, Cantharis, Melanuris, & Melanderynis, & Salpis.

CAPVT X.



T Thrissæ, quæ Alosæ & Clupeæ sunt, nisi copia propè nimia vilescerent, & spinularũ frequentia, quæ acerosas facit, non prorsus hebes palatum læderent, aliàs non iniucũdi futuræ erant saporis, nec insalubres, præsertim pinguiusculæ factæ, quod illis vere potissimùm contingit, quo etiam tempore magna earum captura. Teneras certè & friabiles dicere possumus. nam pinguedo illa, quam diximus, in pisce natura ficciore, atque exucco, ne arenosus prorsus euadat, facit, & friabilitatem illi iustam conciliat, tantum abest, vt adimat: etiam spinarum tædium, ac molestiam aufert, pinguis cuiusdam inductione emollitarum. itaque minimè operosè concoquuntur tunc, distribuũtur, alunt, succum reddunt non illaudatum, non valde excrementitium. Harum ex genere habendas esse Oceani Germanici Harengas, non ineptè iudicatum videri potest: nosque nobis id facilè persuaderi permittimus. Quare recentium idem, qui Thrissarum, vsus, maris tantùm illius accolis notus. Salitis vtitur Germania. Sed de Salsura piscium posteà.

Congeneres his Chalcides, & Eritimi, & Abramides. Chalcides notæ satis: Eritimus & Abramis non æquè. Sed Chalcis tenera, & friabili carne: pinguescit item, vt Thrissa, dicique ideo atque existimari de ambabus eadem possunt. Quòd si Abramida Scardulam nobis vocatam fecerimus, non insalubrem quidem piscem habebimus, nec concoctioni valde repugnantem, nec magnopere excrementosum; sed non grati admodum gustus, vilemque ac plebeium, at multis sæpe delicatioribus salubrem magis.

Eodem modo Boopes, seu Boces, id est, Bobbæ, Mænæ, Smarides, non diuersi generis. Boces concoctionem in ventriculo, distributionemque per corpus facilem admittunt. Elixorum ius aluum emollit, remisso ita ex pisce facultatis eius succo. Dantur ægrotis interdum ea de causa, & concoctionis insuper facilitate, nec minùs paucitate excrementorum. Mænæ, & Smarides, hæ Mænolæ vulgo, illæ Giroli dictæ, eadem omni penè ex parte alimenti, succique vtilitate iuuabunt. Mænarum iurulenta, vt Boopum diximus, ventrem non minùs subducunt, inde turpi voce Cacarolæ multis dictæ.

Suus quoque honos Auratis, Oratas, & Oradas vulgò vocant; idem, qui, aut non diuersus admodum, Sparis, Denticibus, Sargis, Cantharis, Melanuris; seu figura, seu, quod maximè hoc loco quærimus, nutrimenti ratione, non dissimilibus. Aurata nobilis inprimis piscis, vt Sergius Orata nomen sibi inde quæsiuerit: suauissimus, orique gratissimus, non quiuis tamen. Etenim, Martialis Poëtæ iudicio,

Non omnis laudem pretiumq; Aurata meretur,
neque tamen illa vna,
Cui solus fuerit concha lucrina cibus.

Sunt alibi aliæ, loci pastúsque differentijs laudatissimæ, vsque eò, vt Lupis præferantur à quibusdam. Haud ita faciles tamen concoctu sunt, sed concoctæ copiosum duraturúmque, vt ex piscibus, alimentum largiuntur. Caro nec mollis, nec dura vide. ætas discriminis aliquid adfert, vt minores ætate & magnitudine, minùs duræ, & concoctu faciliores iudicentur, non sanè magno à Saxatilium teneritudine recessu; maiores, meritò duriores; in medio, mediocres. Neque tamen locorum quoque differentia non parum contulerit. Ex Mediterraneo mari, aut altis profundisque gurgitibus, laudatiores; deteriores, ex Oceano. neque id ad saporis modò suauitatem, sed ad alimenti quoque bonitatem referre iu-

dicandum. Stagnantium aquarum, aut aliàs impuriorum, vitandæ omnino. Reliquarum ſuccus omnium probus, minimè hærens, excrementis multis vacans, exceſſuum multorum in medio poſitus, vtpote ex piſce duri tenerique, craſſi ac tenuis mediocritate conſtante, friabili autem ſemper, quando vel cum duritia conſiſtere friabilitas poſſe demonſtrata ſit, tanto magis cum mediocritate. Littoralis piſcis is, ſed ſtagna plerunque marina ſubiens, vbi pingueſcat, friabilis nihilominùs etiamnum : quoniam pinguedo, duræ modicè, ſiccæque, neque molli nimis carni addita, delicatiorem friabilitatem reddat, nec demit, quin meliorem præſtat.

Auratas comitatur Sparus ad maris ſtagna, littoralis & ipſe : nec ſquamarum, aut pinnarum figura, ſitu, numero, valde diſſimilis : ſuperciliorum quoque locus, ad Auratæ imitationem, flauo quodam colore ſpectabilis : ore tantùm minore, capite, corporéque compreſſo magis, tenuiore, rotundiore, non facilè palmi longitudinem excedit. Macula in cauda, vt in Melanuro, & Sargo, nigrior, ab Aurata diſſeparat. Sparo acrimoniam tribuit Diphilus apud Athenæum, & carnis teneritudinem ; nihilque viroſi aut tetri reſipere, ſtomachóque amicum, & lotium promouere, ait. Ex ſartagine concoctioni rebellem facit : vt aliter coctum faciliùs in ventriculo concoqui exiſtimemus nos; non enim ſatis ibi explicita eſt in eo ſententia, quòd mendũ ſubeſſe notet affixus aſteriſcus, vt & illud de lotij promotione ambiguum faciat. Eundem hunc piſcem apud eundem Athenæum Hiceſius Mœnis, ſucci bonitate, pręſtare affirmat, aliter ſentientibus alijs, qui melioris Mœnas ſucci eſſe, ac ſicciore carne dicant ; quæ in Sparis, ſtagnorum præſertim, mollis dilutique nimis humoris, & inſuauis ſit. iccirco abiectæ ſortis piſcem, nec magnopere in diuitum menſas receptum, plebeculam alere & rura, dicunt. Cæterùm non dubitamus, Hiceſio optimos, ex locis optimis aliunde oblatos, Sparos ſucci bonitatis fidem feciſſe, quam ne Diphilus quidem illis adimat : qui autem contrà ſenſere, ex locorum, vt in multis alijs, piſcibus verò præcipuè euenire videmus, diuerſitatibus, deteriores ex guſtu iudicâſſe ; qui tamen ipſi quoque, vt non perinde fortaſſe delicatiſſimo palato reſpondeant, at ad ſalubritatem reſpondent ſæpe. Nam & inter Saxatiles, omnium confeſſione ſaluberrimos omnium, quoſdam, atque eoſdem ſapidos alijs viſos, ganeæ multorúmque gulæ minimè ſatisfacientes reperias.

Dentices, dentalium nomine, apud omnes perquàm cogniti. Hos συνοδόντας eſſe, & συναγρίδας eoſdem, ætateque tantùm differre, ſicuti Eruditis quibuſdã viſum, par eſt exiſtimemus : aut ſi non hoc, illud certè fatendum, quod ad id, quo de nunc agimus, facit, eundem eſſe ſaporem συνοδόντος & συναγρίδος, dulcem & ſubadſtringentem ſimul : vt & copioſè alat, quia dulcis ; nec facilè deſcendat, quia ſubadſtringens. Sicci, durique ex his, carnoſiq; magis, proculdubio magis etiamnum alent, ac durabiliùs, quo videlicet fluxa minùs carne ſunt : ſed hi ægriùs concoquentur.

Dulces diximus, ſaporem intelligentes nullo qualitatum guſtatilium exceſſu maiore. Qui συναγρίδα & συνοδόντα ætatis tantùm differentia diuerſos eſſe contendunt, neceſſariò cogentur fateri, teneram magis minorum ætate carnem, qui συναγρίδες ſunt ; maiorum duram, qui συνοδόντες : alimentumque diuerſum, pro qualitatum ratione diuerſa, ducendum eſſe.

Quod dictum ſæpiùs iam antea, & proximè de Sparo fuit, plurimum intereſſe, quo quiſque loco captus piſcis in cibatum veniat : poſſe nanque interdum diuerſæ propè ex toto ſubſtantiæ ac naturæ videri piſcem, qui diuerſæ tamen non ſit, ob vnam contrariámque locorum, proinde & pabuli, naturam : id videlicet animaduerti inprimis in Sargo liceat. Littoralis is piſcis, ſed ex cœnoſis, impuriſque littorum locis paſtus, vilis, nulla nec ſaporis, nec ſalubritatis gratia commendandus : inter arenoſa verò ſaxoſaque littora verſatus, captóque inde puro in mari cibo, propè alius fit. Saporem certè alium, carniſque ſubſtantiam aliam induit, tanta interdum bonitate, vt Authores ſint, qui hoc vno perſuaſi Saxatilem fecerint, quum reuera tamen minimè inter hoſce habendus ſit : niſi Saxatiles accipiamus, Littorales inter ſaxa degentes, eoſdem contrarijs quoque ſæpe locis victúque gaudentes piſces, quod legitimi Saxatiles non faciant, nunquam mutatis ex toto ſedibus natiuis ſuis.

Aeſtate minùs valent, ad guſtus ſuccique commendationem, Sargi : Vere, atque Autumno meliores. Carne ſunt non multo tunc infra Auratæ carnis bonitatem : quippe Melanurus Auratam, Sargus Melanurum ſapore, ſuccóque refert. Ergo & Auratam Sargus æmulari bonitate hac poſſit. Caro huic paulò tamen ſiccior duriórque, quàm Auratæ : ideo difficiliùs concoquetur, at conco-

ctus

ctus copiosius nutrimentum dabit, vt in hoc Melanurum quoque superet. Excretiones nihilominus tardiores huic, & in intestina descensus, ob siccitatem, duritiamque, & adstringendi vim quandam: eadem ratione alimenti durabilitas, cum succi probitate, maior.

Spargi nomine suo notissimi, quod hodie quoque tantùm non apud gentes omnes retinent. Locus est tamen apud Athenæum, vbi σαρκὸς videri quandoque possit piscis is, quasi carnosus, beneque corporatus dictus. Spissus quidem, confertóque & compacto corpore, carneque pluri cõstat, quàm Sparus, aut Cantharus.

Forma figuraque corporis proximus Sargo Cantharus: branchiæ, aculei, pinnæ non admodũ dissimiles: os, quàm Auratæ, aut Spari, minus. Cantheno alicubi Itali parum deflexa voce appellant, Græcorum vulgus etiamnum hodie σκάραφον. Non ea tamen gratia Cantharo, quæ Sargo, aut Auratæ, & nuper memoratorum multis. Humida nimis illi caro, laxiore mollitie, & insipida, quæ gustu insuauem piscem reddat, modò non hebeti prorsus palato; nec solidum, aut duraturum alimentum, nec excremẽtis carens, corpori elargiatur. Cantharum multi Scarabeum interpretantur.

Melanurum quum nominis etymum, quo caudę nigredo significatur, distinguere ab alijs debuisset, Sparus & Sargus obstitère nigricantibus & ipsi caudarũ maculis, notisque, quanquam non ijsdem prorsus: conspicua oculorum magnitudine discernetur meliùs, vnde illi nomen apud multos, Oculata, Plauto etiam Ophthalmia.

Litoralis is quoque, sed in arenosis inprimis saxosisque ibi locis libentiùs versatus. Caro mollior, vnde Sargo concoctu facilior, minusque eo nutriens, nec ea succi bonitas. Excrementitius prætereà, sed descensus facilis, minus nanque adstringentis in eo facultatis. Piscis non perinde ori gratus. Qui cœno fortè vescitur, (nam in arenosis licèt litoribus frequentior, impura tamen, limosaque interdum loca sequitur) longè deterior.

Melanderyno nomen nigror cutis dedit. Huic tanta cum Sargo similitudo, vt pro eo sæpe vendatur. Rotundius, quàm Melanuro, corpus, totum ferè nigrescens: cauda in pinnam desinit vnam, latamque, quum binæ sint Melanuri. Caro constitutionis mediæ, nec qua Melanuri mollitie. Hoc ipsum reliqua sequentur, succi bonitas maior, alimentumque pauló vberius, nec tam diflatile.

Claudet hunc de marinis, hoc genus, piscibus sermonem, Salpa vilis, nec palato, acceptus, nec sanitati accommodus piscis. Obscœnus vocatus à Plinio, quippe obscœna dictu pascens, & σκατοφάγος ab alijs, vnde teter illi abominandusque odor, nec commendabilis sapor, piscium ex hoc genere edulium fæx. Dura, orique insuauis caro, succi mali, improbi alimenti: melior tamen in alto, puroque mari, & circa Ebusum insulam capta.

Reliquos huius ordinis pisces non necessarium ad vnũ omnes tractâsse, &, properanti ad alia, longum nimis est, præsertim verò tradita multo maxima eorum, ac præcipua parte, ad quam referre cæteros omnes, formæ figuræque, multo autem magis odoris saporisque, & corporis, carnisque substantiæ similitudine, rectèque ita de his iudicium ferre liceat.

De Cartilaginei generis piscium alimento planorum, Pastinacæ, Torpedinis, Raiæ, Leuiraiæ, Squatinæ, Ranæ piscatricis.

CAPVT XI.

AB his de cartilagineo pisciũ genere dicendum, sed planorum. Nam alterum, quod oblongo magis corpore constat, dictum antea, quum de Galeis, Caniculis, Lamijs, tractaretur. Hi cartilaginei plani pisces sunt, qui ipsi animal quoque, vt priores, in lucem edunt, sed quum conceptum priùs perfectumq; intra se ouum pepererint, Pastinacæ sunt, Raiæ, Squatinæ, Torpedo, compositiq; ex his quidã, vt ῥινόβατος. Pastinacæ venenũ in caudæ aculeo inest, abijciendũ semper: cætera Galeno nõ improbatur, qui hanc cũ Torpedine, de carnis mollitie, & suauitate cõmendet, modicè nutrientẽ faciat, concoctu facilẽ, nec difficulter subeuntem; etiã in Saxatiliũ quãdoq; succedere locum posse dixerit. Nostri aũt temporis diligentiores aduersentur, ipsi expertos se testantes insuauem, mollem, ferinũ, ac tetrum quid resipientẽ, malique prorsus succi carnem: vel illo prætereà argumento vsi, quòd ijdem hi laudatores præparare nos tamẽ has ex albo iure, porro pipereq; addito, iubent; demendæ nimirum glutinositati, & dissecandæ crassitiæ. Quæ si nullæ sunt in Pastinaca, & Torpedine, quorsum addita ea oportuit? si sunt, non explebunt nobis certè Saxatilium aliquando vicem, tenera semper, & friabili carne pisciũ. Ita ñe cõfugere quidẽ nobis eò licebit, quò ſępe solemus, gustatas si dixerimus Galeno Pastinacas meliores, ex locis melioribus; alios in deteriores incidisse. nã qui ius albũ quærit, porrum & piper, propter tale aliquod vitium quærit, quod emendari po-

ri postulet ad esum: vt vitiosas pariter degustâsse illum oporteat. Arbitror non ineptè prorsus existimaturos, potuisse Galeno, aut loci potioris alicuius prærogatiua, aut ætatis etiam beneficio, quippe nondum grandescentes, teneriores gustu offerri Pastinacas, molliorésque; quando ne illimet quidem, qui Galeno in hoc aduersantur, non molles fatentur: quæsitum autem ex piperis porrique additamento, & iuris albi condimento, aliud, quàm fœdi ferinique odoris, pisculentis omnibus propè, non Pastinacæ modò, communis ablationem, nihil, qui esse in non prędura carne, nec prorsus non friabili, aliquando possit. Húncque in modum castigata odoris, saporisque tantùm malitia, non insuaues Torpedines, Pastinacásque reddi, & non pertinaciter valde concoqui, & subire aluum facilè, & benè satis alere posse credatur, reliquorum molli carne præditorum de more. Sic enim ait: ὥσπερ γε καὶ τὰ ἄλλα πάντα, μαλακόσαρκα. vt in confesso esse debeat, mollis, teneræque esse has carnis: quod ne ipsi quidem, vt diximus, nostri temporis diligentiores rerum peruestigatores negent.

Author est apud Athenæum Diphilus, qui peculiariter Torpedinis partes, quæ circa caput sunt, laudet; reliquas concoctu contumaces esse scribat; minores ætate, easque simpliciter minimèque operosè decoctas, præferat. Rursus, Hicesius cartilagineum quid solutile in ea, diffusumque ꝓbat, valdéque acceptū stomacho esse ait.

Raias, & Squatinas, & Leuiraias, & Ranas, ex hoc genere duras magis esse constat, & pertinaciùs confici: sed eadem tamen ratione abundè quoque magis alent. Notum illud Dorionis de Raia, qui tam esse bonam Raiam dixerit elixam, quàm trita elixa Lacerna bona est. Hæ non minùs fœtore quodam notantur tetro horridóque, qui plus quàm piscem oleat ex mari.

Idem vitij in Leuiraia. Eadem stomacho inutilior.

Squatina, præter duritiem, ob nimis virosum fœdúmque inprimis odorem, neglectui iam penè ab omnibus habita, & in cibatu despicatissima.

Eodémque modo Rana piscatrix, huius licèt paulùm mollior caro.

Omnibus id commune, vt ob fœtorem insignem, nisi aliqua is præparãdi aut condiendi ratione auferatur, improbi admodum succi sint; &, authoritate Diphili, flatulentiam generent, concoctionique aduersentur, frequentóque vsu oculorum aciem hebetare credantur. Partes itèm ad caudam carnosæ omnibus, corpulentæque magis, idque in Torpedine tamen potissimùm; cuius Diphilus circa caput maximè partes probârat: & Hicesius cartilagineum illud amicum stomacho scripserat, χονδρώδες διακεχυμένον, diffusum, cartilaginsu m, laxúmque, & solutum, quod Galenus parti cartilagineorum mediæ tribuisse videtur. οἷόνπερ χόνδρον τακερὸν ἐν αὐτοῖς ἔχει. veluti cartilaginem putrem in se habent, inquit, τὰ μέσα nimirum, vt τακερὸν διακεχυμένῳ respondeat, & pro χονδρώδες οἷόνπερ χόνδρος illud sit. Animal cuncta hæc foras mittũt, concepto perfectoq; intus priùs ouo, excepta Rana. Neq; horum quicquam non in cognitionem iamdiu venit nominibus suis, atque indicijs, compertam atq; exploratam satis.

Sanguine carentium piscium alimentum cuiusmodi sit, Lolliginum, Sepiarum, Polyporum.

CAPVT XII.



Vpersunt ex marinis sanguine carentia fastigijs tribus cognita, molliũ, testaceorum, crustatorum, quæ μαλάκια Græcis, & ὀστρακόδερμα, & μαλακόστρακα sunt. Nam insectorũ genus, quod quartum exanguiũ erat Aristoteli, in hunc censum non venit. Mollia triplici item generum discrimine separantur, Polyporum, Lolliginum, Sepiarũ, quę neq, squamis, vt pisces; neq; aspero, vt cartilaginea, corio; neque testa, aut crusta, vt exanguium Aquatilium reliqua duo genera; ac molliore tãtùm, qualis propè nostra est, cute integuntur. Vocibus hodie quoq; cognoscuntur suis, Polypi, & Sepiæ: hos Polpos, illas Sepas appellãt, parũ decurtata vtrunq; voce: Lolligo suam retinere non potuit, sed ex thecæ calamariæ argumento nomen accepit: Calamariũ piscẽ vocant, quippe atramentũ huic quoq; suum est, & calami alicubi speciẽ in corpore, quo scriptores vtũtur, simul cũ scriptorio cultello coniunctã, videas. τευθὶς Græcis dicitur, & τευθὸς: magnitudine tantùm differunt: τευθὸς maior. Μαλακία, & mollia, nomen dedit cutis tantùm mollities. Nam caro dura, quæq; laboriosè concoquatur, & salsilaginosi succi nõnihil cõtineat, crudi aũt crassiq; ac glutinosi plurimũ gignat: tametsi teneriores habentur Lolligines, maioriq; in pretio sint, minores præsertim, quæ citiùs quoq; concoctionem sentiunt, quàm Sepia, aut Polypus, ac pro eo minus quoque nutriant. Illa nanque si rectè concoquãtur, (quod nõ facilè tamẽ fit) plus alẽt.

Tenellas valde, scilicet minimùm adultas, esse oportet Sepias, vt vera reperiantur, quæ de his Diphilus scripta reliquit,

tene-

teneritudinem illis, & concoctionis excretionisque facilitatem tribuens; attenuarique inde sanguinem, & hæmorrhoidas cieri scribens. Nam alioqui meliorum Authorum testimonio, illorúmque fide, qui frequentiùs ederint, contraria omnia veriora asseuerabimus: aluum tamen inde emolliri, omnium confessione fatebimur, id videlicet præstante salsuginosa illa succi, quem diximus, facultate.

Durior etiamnum Polypi caro, nec nisi diu verberata, fustéque contusa, mollescit: sed ne sic quidem leuiter concoquenda, aut non crassum, glutinosumque succum procreatura. De Veneris stimulis quæ circunferuntur ex eo, non abs re fidem facere possit illorum natura, ac substantia, natura quòd salax animal hoc, & vsque adeò interdum coitu nimio flaccescens, vt debilitatum præda fiat his, quos antea comprehensos, confectósque deuorare consuesset, pisciculis. Simul Moschi odorem refert ex his aliquis viuus, mortuusque, atque adeò exiccatus, vt temperamento carnis eo non sanè parum Veneris irritari opera posse credendum sit. Non autem nescitur, opinor, quam sibi partem vendicet Moschus in omnibus ferè medicamentis ad tentiginem. Substantia autem ea est piscis huius, ex cuius crasso, lentóque succo plurimum expectandum flatulentiæ sit, exercendæ nauiter sæpe Veneri accommodæ: instigante ad hæc vel præcipuè salsuginoso prætereà sapore, & ardore deméti incitatis veluti faces subdente potentia sua: vnde Salaces dicti.

Ostrea, quod alimentum exhibeant, aut quem humorem generent. Et de humoris crudi, vitrei, glutinosi, compositiq́, ex his, differentijs, & natura.

CAP. XIII.

IAM Testacea, quæ ὀστρακόδερμα Græci vocant, Ostreáque inprimis, aut sola, aut maximè inter hæc esculenta, salsum itidem cuncta succum obtinent, deijciendæ aluo idoneum. Hiatulæ autem, & Spondyli, & Solenes, & Purpuræ, & Buccinæ, duriore omnes, quàm Ostrea, carne constant: iccirco minùs quoque edules, atque ad vsum potiùs medicum adhibitæ interdum, quoties ob praui succi alicuius præsentiam, qui vel ventriculum, vel tunicas eius occupet, aut aliunde etiam, maximè verò ex iecore eò confluat, assumptus corrumpitur in ventriculo cibus. Neque enim duritia illa inter concoquendum promptè in corruptionem humoris, quicunque ille fuerit, trahetur: quin, ne trahantur alia, obstabit, & humorum in totum putrefactioni resistet: magis autem, si secunda, tertiáve elixatione, salsedinem, humorémque omnem corrumpi facilem eductum deposuerint, tunc concocta id genus testata nutribiliora, firmius ita alimẽtum corpori elargita, fient: sed crudi tamen plurimum, quem sic vocant, succi gignent intereà. Nam Ostrea ipsa, vt minus alant: at ob multam carnis mollitiem elixa cócoctu faciliora sunt, ac pituitam potius, quàm crudum illum, quem diximus, humorem procreare solent: qui ne ipse quidem tamen à pituitæ natura discessit, sed insigni frigiditate, substantiaque fusi vitri in modum glutinosa crassaque.

Crudus, vitreusq́; nostris; ὠμὸς, & ὑαλώδης Græcis dicitur: si modò pro eodem ducendus est is, atque ille humor, (vitreus, dico, & crudus) ac non potiùs alius atque alius. Vterque quidem cruditate damnandus: sed in altero lentities cum frigiditate insigni, in altero crassities, in vtroque autem cruditas sit. Quæ in vnum quoque sæpe inter se conuenire possunt qualitates cunctæ, atque tunc humorem facient ὑαλώδη primùm Praxagoræ dictum; tum deinde Philippo, seu potiùs Philotimo, insequutisq́; Græcorum Medicorum ętatibus, crudum, crassum, viscidumque: cuiusmodi prouenire corporibus in nõ valentissimo ventriculo ex suillæ carnis esu, aut azymo, aut non sale satis condito pane, subcinericioque, atq; ex caseis inueteratis quibusdã, & huiusmodi multis, possit. Hunc χαλώδη non minùs appellatũ fuisse inuenio Authoribus eisdem, glutinosum scilicet, ex crasso tamen & glutinoso compositũ, qui obstructiones maximè, ac maximas efficere solitus sit; nec dissecantibus tantùm, qua crassus; sed abstergentibus prætereà, qua viscidus tenaxque, indigeat; sicuti planè, qua crudus, maiore concoctione. Alius est humor, vnde Epialis sæpe febribus origo, & colicis cruciatibus: præsertim verò, si lentore, frigiditateq́; immodica superet, vt substantia ac colore vitrum referat; frigiditatis aũt tantum conceperit, vt nec intra corpus, vbi calida omnia natiuo calore concalescunt, neq; motu extra delatus potuerit, ac vel excernentibus frigidus sentiatur, & tangere volentibus appareat: is ὑαλώδης propriè habebitur, ex frigidiorum edulium cruditatibus quandoq; collectus. Sicuti crudum propriè dicemus, frigidarum, crassarúmque partium humorem, nec magnopere glutinosum: qualem nobis largitur frequens leguminum, vt macerati lupini, aliorumq́; quorundam; ac recentis,

ſed non omnis tamen generis, caſei; multorúmque præterea edulium, ipſorumque met, de quibus nunc ſermonem inſtituimus, teſtaceorum, ſed duriore tantummodo carne præditorum, vſus. Nam Oſtreorum propriè ſic vocatorum, ſiue Oſtrearum mâlis, alimentum, quia molliſſima caro, pituitam potiùs exhibuerit, illã ipſam quoque frigidam omnino, atque etiã crudam dicendam, quando vlteriore concoctione ſaguificari poſſit: ſed benè humidum, & cum flatulento ſpiritu. Crudus autem, quem propriè ita vocari dicebamus, humor ille, frigidus craſſusque eſt, ex duræ terreſtriſque ſubſtantiæ alimento, quod neque in ventriculo, neque in iecore deinde iuſtam concoctionem acceperit, procreatus: ſicuti vitreus item crudus, frigiditate immenſa & glutinoſitate conſtat, atque ambobus in vnius eſculenti ſubſtantiam coeuntibus frigidus, craſſus, glutinoſusque exiſtet, crudus & ipſe meritò exiſtimatus, dictusque humor.

Elixorum Oſtreorum iure emolliri aluum diximus: quod verum eſt, prolecto ita, eductóq; elixatione, ſalſilaginoſo ſucco: quo facto, reddetur caro corrũpi quidem difficilior illa, at eadem ratione confici quoque contumacior, & qua ſiſtatur venter; præſertim teſtaceorum durioris ſubſtantiæ ſi fuerit. Nam Oſtrea molliſſimæ carnis, vel cruda deuorata multis cõcoquuntur hodie etiam: multo maxima tamen pars meliùs, ſalubriúsq; aut elixant, aut in craticula addito aromate multo, ac ſalis momento, ſed teſtis tamen ſuis non auulſa, leuiter torrent. Mandi ea irritandæ Veneri, & tentigini producendæ, nimis creditum hodie receptúmque eſt, non obſcura ratione flatulentiæ, ex pituitoſa materia excitatę; ſaleque, & calorificę aromatum facultatis vi, aucta, adiutáque ſalacitate.

Cruſtatorum alimentum ex Aſtacis, Paguris, Cancris, Mais, Cancellis, Locuſtis, & Squillis, & Camaridibus, & Echinis.

CAP. XIIII.



EX tenuiore cruſta intectis, quæ nobis Cruſtata, Græcis μαλακόϛρακα dicuntur, Aſtaci Galeno numerantur, & Paguri, & Cancri, & Locuſtæ, & Squillæ, & Camarides. Aſtacorum notum ſatis genus, maius, minusque, marinum vtrunque. Carne prædura ſunt, vt Cruſtata omnia: proinde & quæ ægrè admodum conficiatur in ventriculo, tardè deſcendat, & ventrem reprimat: at confecta non imbecilliter alet. Chelæ etiamnum, quàm caudæ, duriores: parui nihilominùs ex toto meliores, vtpote tenereſcentes magis. Succus ineſt vtriſque ſalſus ſic ſatis, vt molliore cruſta intectis omnibus: at, quàm in Teſtaceis, omnino minor.

Paguri inter Cancros laudatiſſimi, atque etiam lautiſſimi cibi ſunt, ex parte præcipuè, quam Mutim credere par eſt, circúmque eam: nam reliquæ non tã fortaſſe palato ſatisfecerint: hasque accepiſſe Galenus Author videri poſſit, quum duram Cruſtaceorum omnium carnem pronuntiauit: hodie Granziporri apud Venetos nomen ſeruant.

Poſt Paguros, Cancrorum meminit Author idem, poſthabito eorum genere, horum nanque ſpecies Pagurus: præterque hunc Heracleotici Cancri, Mæ, hodiernę nimirum Cancreolę Venetis ita vocatę, ſu æque illis Mollecticæ, & Grauchij, diuerſorum pręterea Teſtatorum hoſpites Cancelli. Suæ omnibus chelæ, rotundum corpus, cauda nulla, aut qua poſterior tãtummodo pars tecta claudatur, in latum potiùs acta. Alimenti bonitas omnibus ac vitium, vt Cruſtatis alijs. Mutis his quoque, & quæ circum Mutim ſunt partes, guſtu ſuauiores. Sunt ex marinis ſtagnis Cancri, viribus facultateque omni, inter marinos, medij, & fluuiatiles, de quibus paulò pòſt dicendum.

Locuſtis, quæ κάραβοι ſunt, chelæ denticulatæ tantùm, nimirum ex quinis vtrinque pedibus: maiores illi, vnico, non gemino, vt in forficatis Aſtacorum chelis, aculeo ſunt, eoq; dentis in modum formato. Magna autem, & prælonga gerũt, craſſioraq; ante oculos cornua, quibus minora tenuioraque ſubſunt ali.. Solida harum caro, & cum ventriculi labore concoquenda, ſed quæ valenter nutrire poſſit concocta. Suus his quoque ſalſus ſuccus: qui ſi iterata ſæpiùs elixatione proliciatur, carnem relinquat ventrem moraturam. Authores habeo, cruſtæ puluere cum meraco epotæ magnam colligi arenularum, ſabuloſæque ex calculoſis renibus, materiæ vim ſolere.

Nullæ Squillis chelæ, ſed neque inſtar aliquid, niſi quòd quibuſdam earum forficati pedes extremi viſuntur, tenues, minutique omnes. Nos chelas intelligimus, propriè dictas maiores anterioresque, aut forficatas, vt Aſtacorum; aut, vt Locuſtarum, ſimpliciter aculeatas. Carne ſunt non iniucundi ſaporis, nec improbi alimenti: tametſi confici difficiles, & ſtomacho aduerſæ credantur, Veneri quoq; ſtimulos addere exiſtimatæ, ob temperamen-

tum

tum humidius, non sine calorifica qualitate, vnde seminis copia cum flatuositate aliqua. Peculiariter fœminarum cóceptus iuuare traduntur, & infixa corpori extrahere, quædamq́ue alia, quæ aliò spectant.

Vltimo loco numeratas à Galeno χαμαρίδας, quo minùs ex Squillarum genere minorum deputemus, atq; hi sint, quos nunc vbique Gambarellos, & Gambarusolos audimus: sanè quid dissuadere possit, non video. Itaq; de his eadẽ dicta accipiantur.

Ex Echinis in hac Medicinæ parte, si ex mulso, & garo sumantur, subducendæ interdum alui commoditatem reportabimus. Caro illis nulla intus, sed pro carne oua, quæ sic dicuntur, vnde alimentum corpori imbecille proueniat, tenuitate & crassitie medium: sopitam appetentiam excitare possunt, & vrinam repurgare, laxatis vrinarijs meatibus. Crudos mandi mos est.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DECIMVS QVINTVS.

De intrantibus ostia fluminum piscibus è mari, Hussone, siue Marione, Ticho, Salmone, Porcelletis, Sturionibus, & de alimento horum.

CAPVT I.

ANTE quàm (quod vnũ iã in Aquatilium genere restare videtur) fluuiatiles pisces tractãdos aggrediamur, dicendi priùs pauci, lõgissimè sæpe à mari, maximos Europæ totius amnes subeuntes, Danubium, Rhenum, Padum. Hussones Germani vocant, & alios quosdam Tichos, è Ponto per Istri ostia, immensosque deinde fluminis tractus, & terrarum aquarúmque spatia, incredibile iter conficientes, superato, per tot diuersarum prouinciarum nomina labente, amne, donec pro Istro Danubius mutato nomine fiat, binomen etiam Ouidio Poëtæ dictum flumen. Atque ad superioris vsque Pannoniæ vrbem Viennam deferuntur, à qua non procul magna quotannis eorum captura: nonnunquam etiam (quod dixisse suprà memini) longiùs prouecti, ac Ratisbonam (quanquam perquàm raró hoc) appulsi, captique. Hos dicendos esse Mariones apud Plinium, (lib. viiij. cap. xv.) quo loco mari antea fuerat in dictione, vt pro mari Mario sit, literulæ tantùm additione, vetustate fortè, vt fit, deletæ, maximè mihi probabile fit. Quid enim mari esset ibi, quod ad rem, verborumq́ue iustam intelligentiam concipiendam, nihil prorsus faciat? Nam quod, maior, alij repositum voluerunt: id verò, difficilius licèt lituræ erratum hoc reijciat, in quam, pro maior, illapsum fuisse mari, credamus; admittemus tamen, atque eundem, aut certè nulla ex parte repugnantem seruabimus in vtroque verborum sensum: vt, postquàm de Mœni Siluro mentionem fecisset Plinius, maior piscis alius in Danubio, aut qui Mario vocetur, aliquis intelligatur; atque is omnino, vtrocunque modo accipiendum fuerit, Husso noster sit, Cetaceus piscis, cartilagineus, squamis nullis, candida apprimè carne, &, vt cetaceus, non dura, grati inprimis, delicatique saporis; ventriculum tamen prægrauante, neque se facilè concoquendum præbente. Alere potest non imbecilliter, descensu per intestina haud facili: quippe moram naturaliter diutiùs trahente in stomacho, neque expedita satis per corpus distributione, & in meatuum vijs hæsura paulò angustioribus: crassum, nec sine glutini alicuius parte, succum tradit, qualem ferè crudum haberi narrauimus. Ex horũ ouis Cauiarium, quod vocant, concinnari Viennæ vidimus frequenter.

Tichi eadem propè per omnia ratio: paulò tantùm mollior caro, cætera eadem. Magnitudine is multo infra Hussonem, quem nunquam æquâsse visus est, neque eadem prorsus figura: caput proportione maius, horrens aculeis, & nigricans dorsum, orisque diuersus situs.

Peculiaris Husso piscis Danubio, neque vsquam alibi temerè in amnibus in-

uentus nostrarum quidem regionum, vt ideo apud veteres proprium meruisse accepisseque Latinum nomen non abs re credamus, non infrequenti tum, quum Plinius ea scriberet, Romanorum legionibus ad Pisonium, quod hodie Possonium est, loco, vbi maior illorum captura. Iccirco arridere magis videtur castigatio, quæ Mario nobis, quàm quæ maior, restituit.

In Danubio Salmo nullus: at is in Rheno multus, Albi, & Odera, multisque præterea, quæ in Oceanum influunt, diuersis in locis fluminibus. Marinus piscis, & quidem Oceani tantùm; mediterranei maris nusquam, nunquamque incola. Visi aliquando, postquàm longiùs ex Oceano subijssent amnium fluenta, peperisse ibi; editisque ouis, temporis deinde intercapedine aliqua, natos inde Salmunculos fuisse, animaduersum; qui in Oceanum posteà migrent, rursus in fluuios remigrent: vt ambigere videantur, pro fluuialibus ne, an marinis potiùs accipiendi sint: nec sine causa fluuiatilem vocârit Plinius, Aquitaniæ Salmonem, quem marinis præferat, vtroque genere iudicato. Emaciantur facilè aut partu, aut syderis ortu, aut nimia natandi defatigatione, qua longissimos sæpe amnium tractus aduerso natatu superant. Et (mirum dictu) præaltas interdum, deuolutásque per præcipitia aquarum moles, vt Rheni catarrhactas, saltu euincere conantur: nec sanè pauci in summum contendentes euadunt. Emaciari creduntur à nonnullis, maximè quibus inferioris maxillæ summum labrum vnci cuiusdam in modum recuruatur in superiora: id enim esse impedimento captandæ conficiendæque ritè escæ. Sed aliud sit piscium naturas persequi, aliud alimentorum vires tractare. Non emaciatis, aut benè alitis, præpinguis venter, nec pinguedine vacat caro, quæ non solùm confusa per totum carni, sed ex eo quoque intelligitur, quòd dispersæ vbique veluti guttulæ quædam vtiles, vltimique redundantis alimenti conspiciuntur toto corpore, in piscium multis, tanquam ex lamulis quibusdam composito contextóque. His videre est sepe, quod dicebamus, tessellis, seu quibusdam tanquam assulis insertum lactei succi specimen, lac quidem appellant, certum alimentosæ materiæ ex superabundanti collectæ indicium: at vnde tamen caro, mollis licèt, & tenera, dulcisque, grauior reddatur ventriculo, pinguedinis nimiæ laxitate euicto, emollitoque: sæpe etiam post haud ita multos deinde morsus deiecta solutáque stomachi, qui ventriculi os est, appetendi vi, atque ad nauseam vsque fastidito ob id plerunque cibo. Alimentum inde corpori molle, laxúmque accedet, & spongiosa inde caro fiet, spumeæque ac solutæ pituitæ excremento flaccescens. Qui Salmonis carnem friabilem fecêre, non rectè accepisse videntur mihi: tenera quidem est, & mollis: ne friabilis esse possit, pinguitudo addita facit, quæ humiditate carnem repleat, non prorsus non glutinosa. Salituram fert, deportatúrque per omnes vel longinquas à mari mediterraneas Germaniæ ciuitates copiosus.

Suprà de Sturione dictum fuit a nobis, quem, qui omni adhibita diligẽtia Aquatilium naturam nostra hac tempestate vndique versatam pertractârunt, pro veterum Accipensere nobis tanquam postliminio quodam restituunt: sit sanè. Illud interim hîc, vbi de alimentorum facultatibus institutus tractatus est, non omittendum: magnum reperiri in his discrimen ex ætate, & tenellos, qui iam Porcelletæ Italis sunt, gustu saporéque suaues, iucundósque esse, teneros, friabiles, minimè stomacho aduersos; vnde non magno ventriculi labore expectanda, nec diu tardata concoctio, fit, alimentique satis; nec valde tamen excrementitij, vna tantùm frigiditatis, atque humiditatis intemperie notandi. In adultis verò, quos suo vbique nomine Sturiones vocant, bonitatis plurimum deperit: quædamque in diuersum abeunt, & nocumenta præterea accedunt alia. Nam nec palato æquè respondent, & pro teneris, & friabilibus duritiem, & tenacitatis aliquid induunt: stomachum morantur, ac Cetacei facti, plurimum crassi lentique exhibere succi possunt. Iam timendus hinc nobis non solùm crudior ille humor, quem toties repetimus, & maximè esse noxium scimus: sed obstructiones præterea ex crassitie, lentoréque, & ex obstructionibus mala non hoc loco numeranda. Cæterùm maiora cuncta, deterioraque fient in imbecilliore natura ventriculo: nam paulò robustior interdum contemnet, atque euincet cuncta, ac caloris validè operati auxilio ita conficiet, plurimum vt inde noxæ auferri, & salubritatis accessio expectari possit, propè vti de Suilla antè memorauimus: neque ideo absurdè nimis cogitâsse videantur, qui proportione quadam, vt in piscibus, cum Suilla hanc ipsam contulêre, vt tamen eadem ætatum ratio seruetur. Ac sicuti teneros experimur nefrendes, aut semestres, vel bimestribus certè minores; benè autem adultos, & συάλους σύας ipsos, validum inprimis requirere ventriculum scimus: ita de hoc genere piscium, aut quicunque tandem


non

non genere ex his, sed specie potiùs quadam differunt, statuendum nobis sit; vt Huso seu Mario, de quo iam antea diximus, & de quo dicturi mox sumus, Attilus; & is ipse, quo de nunc agimus, Sturio, quem ita appellemus maiorē iam ac grandescentem: nam minores Porcelletas, vt dixi, vocāt, illo argumēto, vt maiores porci, & in suo genere συάλοι nobis essent. Rostrum profectò omnibus his, propè vt sui, corporis obesitas, adeps aliquis, carnis candor: vt longè meliùs inter pisces porcos hi referant, quàm aut Lupum λάβραξ, siue Varolus; aut Turdus, & Merula eiusdem generis aues.

Communis amnibus multis, ac longè plurium, tam in mediterraneum mare, quàm in Oceanum sese exonerantium fluuiorum incola Sturio, Padi, Danubij, Rheni, Albis, multorúmque aliorum: quum Huso in nostra quidem hac, quam nos inhabitamus, orbis parte vnius Danubij sit, sed marinus piscis, quem credere par sit, multorum prætereà ex Ponto fluminum ostia subire: & Attilum solus nobis inter omnes Padus mittat, nutriatque, à quo iam meritò initium faciemus, de Fluuialibus piscibus, mentionis.

De alimento ex Attilo, Siluro, Lampetra, siue Mustella, Lota, & Barbota, & Bottentrissia, & Fundulis.

CAPVT II.



Tque hi, quos modò retulimus, maris iuxtà atque amnium incolæ pisces, sæpe etiam inquilini, sedes mutant. Attilus Padi alumnus, natiuúsque e αὐτόχθων & indigena, ciuis ꝓpè dixerim perpetuus, nec emansor vnquam, nec alibi repertus. Natales illi, vitæque totius decursus, quod maximè Fluuialem facit, in Pado, præaltis gurgitibus victitans, & in immensum, vt fluuiatilis, excrescens, atque haud scio, an æquè Cetaceus piscis alius, amnicus quidem vllus reperiatur: mille aliquando librarum pondo inuentus, captúsque, Plinij testimonio. Longè Sturionem in hoc superat, cætera non ita ex toto dissimilis: cutis tamen, donec ad certam magnitudinem peruenerit, squamosis lineis perlongum ductis quibusdam insignitur, postid lęuis fit: pinna ab ano ad caudam vnica; os, quàm Sturiorum maius, rostrum planum magis, ac ferè mucronatum deinde. Atque vt Sturionem magnitudine superat, ita infra relinquitur saporis suauitate, alimentique omni ex parte bonitate, ne in Sturione quidem magnopere, atque indiscriminatim laudanda; longè minùs hîc, quo quidem Cetaceus magis Attilus, carnéque fluxa, & ea mollitie, cui non sanè magna cum palato gratia sit, nec vnde, nisi illaudati excrementosique alimenti, prauique atque improbi succi, expectanda copia fuerit.

Siluri iconem misi olim doctissimo, amicissimoque mihi, Conrado Gesnero, quam deinde in suum ipse de Aquatilibus opus impressam retulerit. Ore est, perquàm vasto, labijs insigni asperitate quadam propè dentatis, cute, vt in Anguilla, lubrica: Schadum vocat Germania, nocentissimum voracissimúmq; piscem. Caro illi alba, teneritudine mediocri, sapore non admodum grato, ex pingui quodam lentore: ideo nec probandi valde alimenti, nec succi impensè boni, quin praui potiùs, & excrementitij.

Vt Lampetram inter Fluuiatiles numeraremus, factū propterea, quòd non ignoraremus quidem marinum etiam esse hunc piscem; sed cuius maior tamen semper in fluminibus captura obseruata foret, in quibus oua quoque pariant Lampetræ, maréque deinde cum fœtibus suis repetant, ac, si natales tantùm expenderentur, amnium potiùs piscis, quàm maris sit. Cæterùm absque dubio, confessione multorum, sunt & Lampetræ fluuiatiles ex toto, aut lacustres, maiores, minoresque, etiam tam diu antea Plinio Authori non incompertæ, vt quæ inter Alpes in lacu Rhetiæ Brigantino, Hydrio nunc fortasse dicto, capiebantur, hodieque capiuntur; tum verò in Brixianorum Sebino, Brigantino proximo; aut certè emissis vtroque ex lacu fluuijs, Clesio, Ollioque, quibusdamq; alibi in locis, quò nullus ex mari aditus, repertæ. Nec me fugit, de Brigantino lacu alijs aliter visum, quem cum Acronio eundem faciunt, & Podamico coniungunt, ad Constantiam, extra Alpes & Rhetiam positam iam vrbem, contrà quàm Plinius, qui inter Alpes & Rhetiæ lacum fecerit Brigantinum: vt alium omnino esse appareat Plinij hunc, & diligentiorum nostri temporis aliquot Brigantium lacum illum, ex Rheno originem trahentem. Nō enim videtur taciturus fuisse Plinius, vt simpliciter sic, atque propè dixerim ignobiliter nominaret, quem tā celebris fluuius Rhenus nobilitâsset. Sed neque miraturum fuisse crediderim Plinium, nec mirum dictu scripturum, generatas in lacu Mustellas, multóque minùs eas à marinis separatarum, quas eò tandem è mari subire, haud omnino factu impossibile sit, si ex Rheno

Brigantinus lacus ortum ducat. Quin Brigantiū fuisse olim veteribus Alpiū Rhenzarum oppidum legimus in Cenomanis, longè à Constantiensi lacu dissitis, à quo Brigantinus fortè dictus. Hæc eò adscripsimus, vt fluuiatiles quoque reperiri Mustellas adstrueremus, non ignobiliū prorsus Authorum testimonio. Operæpretium fuerit verba Plinij addere: Proxima est his mensa, inquit, generis dūtaxat Mustellarum, quas (mirū dictu) inter Alpes quoque lacus Rhetiæ Brigantinus æmulas marinis generat. vt voluisse appareat lacustres has tantùm, aut fluuiatiles haberi. Quòd si, pro marinis, Murænis legendum contendant, iam cessarit quidem hæc coniectura: at firmæ manebunt aliæ, quæ idem nobis persuadeant. Sunt Mustellæ haud multùm Murænis dissimiles, nisi corpore rotundiore essent, ac tenuiore, latioréque cauda, minimeque rescisso ore, & septenis vtrinque foueis, tanquam rotundis branchiarum vestigijs insignirentur. Eadem in minoribus omnia reperias, pro rata corporis parte, minora tantùm, minusque spectanda. Has Tineas potiùs, & fluminum lacuumque quorundam Lumbricos dicas, quum Lampetræ tamen nomen & ipsæ seruent. Maiores illas nisi veterum Latinorum Mustellas voces, non habebis quo alio antiquo nomine appelles: longè minùs apud Græcos Authores extabit certa propriáque vox. Vnus est Oppianus Poëta, qui graphicè admodum coloribus prorsus suis, & figura formáque corporis *depictum nobis repræsentet* elegantissimo carmine, quod legere apud Authorem illum est, piscem, quem necessariò Lampetram nostram esse fateare, Echeneidis suæ nomine. suæ, dico: nam Aristotelis ἐχενηΐς, Echeneis, pisciculus longè alius est, in mari tantùm repertus: Remoram Latini dixêre semper. Dicere & Lampetram Remoram nobis liceat, si quidem vera sunt, quæ de ea scripsit Oppianus, iubétque nos fidem certam adhibere, nè semper ἀπειρήτων νόος ἀνδρῶν δύσμαχος dici possit, qui obstinatè nolimus vel ἀτρεκέεσσι πιθέσθαι: presertim, quum eruditione rerumque experientia insignes, omniquefide dignos testes hodie habeamus iuratos, qui se vidisse affirment, concitatam cursu triremem inhibitam, aut certè retardatam, Mustellę vnius opera, affixo, exugentis specie, triremis clauo, ore. Quo exuctu, qui in Mustellis hirudinum more fit, alijs placuisse video, vt βδέλλαι vocarentur, id est, Hirudines marinæ; quando Straboni quoque ipsi Hirudines quædam in Lybia septenûm cubitorum, perforatisque branchijs prædicentur. Scio, Dorionem apud Athenæum Murænam quandam fluuiatilem fecisse, quæ procul dubio Mustella videri possit esse nostra, vt vel hoc vnum Fluuialem facere queat. Nos meliùs, vt opinor, postquàm certa compertaque res est, non quæremus vocabula anxiè nimis: sed Lampetræ nomine vtemur vsitato iam, receptoque: neque tam tamen à Latinæ dialecti sono abhorrente: an non & Latinum satis quoque etymum suum retinuerit, vt à lambendis petris sit? Quòd si paulò magis morosi lectoris offendi in eo aures suspicabimur, Mustellam habebimus, quam, Plinij & Ausonij authoritate freti, vsurpemus vocem: admoniti tamen semper, ne pro Mustella Mustellus nobis irrepat, id est, Galeus piscis cartilagineus viuiparus, alterius omnino generis, quanquam & Mustella cartalaginea sit. Hæc adducenda huc fuerant, ne aberrare nos contingeret in re, quæ alijs atque alijs, ac diuersa sæpe apud diuersos significantibus vocibus, indicaretur. Qui cupedias faciunt, sequunturque, in lautissima mensa habuêre, habentque adhuc Lampetras maiores illas inprimis: neque omnis temporis tamen: Vere tantùm, quum ingentia, aut insana potiùs, illarum pretia audiuntur, in delicijs habentur. Sunt nihilominùs, qui minores, atque adeò minimas quoque nonnunquam, quas Tineas, Vermiculósque referre diximus, magni faciunt. Caro omnibus egregij, rarique saporis, non duritie nimia, aut *crassitie damnanda: minimè tamen* friabilis, ob lentitiem quandam, quæ nec valde laudato esse alimento sinat, neque succo probo; glutinoso quippe, & facilè meatus infarciente. Iccirco inter insalubres habitus à diligentioribus, ad veneni vsque alicuius suspicionem, nisi præparatione multa, & condimento dematur noxa: in quo tamen multi nimij plerunque reperiuntur, exquisita interdum, operosaque plus iusto diligentia, & vesano impendio, Lampetrę sæpe pretium superante. Viuas vino enecant generosissimo quoque, id securitatem vescentibus adferre creditur: tum congeriem aromatum addunt, de quo dicetur in Obsonatrice.

Lotam & Barbotam, alias vocant: maximè tamen affines his, deterioris vtranque & gustus, & alimenti, & succi. Lacustres, Fluuiatilesque sunt, & cœnosæ: harum sæpe oua ventrem choleræ in modum perturbârunt totum.

Nec dissimilis generis, nec alibi omnino, quam hîc, cum Fluuialibus aut lacustribus Mustellis dicendus piscis Trisca,

seu Trissia vocatus: Austria tota Rutten, Latini quidam Bottetrissiam appellant, immenso cutis lentore viscidum piscem, lubricumque, damnati & ipsum alimenti, succique: atque haud dubiè glutinositate nimia noxij, neque palato grati, præcipuè verò ex reside, aut tardiùs labente fluuio. nam ex magis rapidis paulò tamen laudatiores. Hepar his, quod sæpiùs gustâsse mihi contigit, delicatulum, atque adeò in delicijs apud multos habitum: aiunt quibusdam in locis grandinis morbo tentari, vt Suum. Mirum dictu, sed tamen à fide dignis relatum, exempto hoc, nempe iecinore, superesse ad dies multos piscem sęperiocularęque simul, & quæstuosum hospitis factum quoddam narratur, qui hospitio exceptis, & Trischarum tantùm iecuscula poscentibus ea pactione, vt ipse sibi edendos pisces reseruaret, accepto integro priùs pretio, exempta coctáque apposuerit, redditis viuario piscibus viuentibus adhuc, ac quintodecimo demum pòst die redeuntibus hospitibus ijsdem illis, mensæ intulit eosdem, mirantibus inter edendum sine iecore pisces: compertóque, eosdem esse, quorum priùs iecinora extracta comedissent, in admirationem versos. Addunt alij fabulam: renouatum aliquando iecur, exempto priore: quod mihi quidem verisimile non fit. Illud autem, de vita post ablatum iecur, vsque adeò fidem omnem non superat, vt non aliqua tamen adhiberi fides possit, in tenaciter glutinoso per totum pisce, vbi tantum superesse viscidi, miniméque diflabilis alimenti queat, quantum sustentandæ dierum plurium spatio vitæ futurum satis sit, vel abolito prorsus sanguificationis officio.

Huc pertinet & Fundulorum genus, quos vocant, alludente satis ad eas, quas modò diximus, Trischas, forma, figuráque pisciculi: multo tamen infra illarum magnitudinem, vnáque multo sapidioris salubriorisque vndequaque: ideo delicatioribus, & tuendæ sanitatis studiosis, antedictis expetiti semper magis, nec sanè vilis.

De Anguillarum sexu incomperto, & de earum ex aquarum varietate differentia, & de alimento.

CAPVT III.



EXploratum diu iam, tam veteribus, quàm insequutis per multas deinceps ad hanc vsque diem ætates rerum harum indagatoribus, nullum reperiri in Anguillis ex sexu discrimen; nec oua, nec quod lac vocant, & semen est, habere vnquam inuentas: quamque adferre conati sunt nonnulli, eam non sexus, sed variantis, vt in plerisque fit, aliqua corporis in parte figuræ differentiam esse, capitis præsertim maioris minoris've. Ortus his victusque procul dubio ex limo inprimis, vnde ἔγχελυς dicta, quasi in limo, qui ἰλὺς est. nam nostri ab Angue duxêre nomen. Tametsi alijs quoq; multis vescatur, & in ortu attritio prætereà quædam & affricatio, atq; inter se complexus mutuus, multarúmque sæpe conglobatio, notata aliquibus fuerit: vt harum etiam non esse non aliqua omnino saliuatio intelligi possit. Mirum, quàm ex palustribus, cœnosisque, purioribus, fontanisque aquis importatæ malitiam omnem exuant, atque ex pessimis optimæ fiant, mutato temperamēto, vt de his apud Athenæum scripsisse Hicesius videri possit: αἱ ἔγχελυς εὐχυλότεραι πάντων εἰσὶν ἰχθύων. alioqui improbi satis, & damnati succi. Quanuis illud εὐχυλότεροι, nō absurdè prorsus pro succi copia accipiat aliquis, beneque ita succosas, alimentique multi Anguillas vt existimemus: sicuti, quum benè nummatum aliquem, aut benè magnum dicimus, corporis magnitudine, aut nummorum multitudine intellecta: quod facilè admittimus. Etenim multum sanè alimoniæ exhibuerint ritè in ventriculo confectæ, atque in eo Murænas quoque vincunt: nunquam tamen, quanuis meliorum aquarum beneficio repurgatissimæ, crassitiem, lentitiemq; vnà, maximè stomacho, visceribusque omnibus inimicam illam ex toto deponent, quin & concoctionem moraturæ sint, & grauatim læsuræ ventriculum, & infarcturæ meatus, & succi tandem aliquid illaudati generaturæ. Satietatem adferunt, & exaturatos statim reddunt ad fastidium vsque, pinguitudine viscosa crassáque grauante, vt diximus, ventriculum, mox infarciente: πλήσμιας quidem Author idem Hicesius hinc, opinor, dixit. Lubricitate tamen ex eadem glutinositate, in liberaliore esu, ventrem aliquando mouisse animaduersæ. Priuatim stomachicis, & renum affectui obnoxijs, podagricisque omnibus aduersæ, viscosi, crassique, & excrementitij succi copia, qui perquàm facilè in calculos tophosque cogatur. Arteriam tamen repurgare creduntur, & clarescere harum vsu vox existimatur. Genituram certè augent, præcipuè aromate multo conditæ, robustumque ventriculum nactæ. Non alius ferè piscis tantam cum palato gratiam inierit: hácque demum ratione, vnà cum Hicesio, πάντων ἰχθύων εὐχυλοτέρας esse, asseuerare nobis licebit. Nam & id, ni fallor,

lor, εὔχυλον esse possit, quod succi suauitatem iucunditatémque ostendit: sicuti planè εὔχυμον rectè, vt arbitror, sapore præstans interpretere, non minùs, quam succobonum. Sed hic in suaui gustu lentor nimius, & commixtus per totũ crasso humori pinguis vnctúsque, priuatáque piscis ex putredine ortum ducentis natura, insalubres, ac propè detestandas aliquando facit.

Præferuntur marinæ amnicis, & lacustribus, scilicet temperamentum ita indeptæ lentoris nimij, & humiditatis abectione ex salsedine: sed perpauca harum captura; lacustrium, & amnicarum maior. Quæ si ex puriore lacuum, amniumque aquis sint, cum marinis contenderint: quemadmodum ex Benaco, aut huiusmodi lacubus alijs, quos præter fluuios, qui rapido fluento ingressi lacus faciunt, & locorum cauitatem nacti, in latúmque expatiati, exitum sibi demũ diuersis aliquando nominibus quærunt, Sarca Minciusq́; in Benaco, alibi alij, vndique etiam certatim corriuatis fluuiolis multis augendo alueo, fontiumq́; scaturigine vbique subtus multa, minimè reside aqua replentur: ac, si venti posuerint, sitque prorsus νηνεμία; placido, lenique tractu profluere tamen semper, & in cursum, quem semel cepit, ferri vnda videri possit: sæpè etiam sereno maximè cœlo ad imum vsque solum lucens, nunquamque, vel hyemante maximè cœlo, glaciari, aut concrescere gelu visa, teporem semper afferente fontium aqua, qui ex imo fundo plurimi vbique scaturiunt, conclusi hyeme caloris ibi vim secum adducentes.

In his lacubus captis, non parua meritò accedere commendatio potest, non solùm Anguillis, sed etiam piscibus omnibus, vt cum rapidiorum etiam fluuiorum alumnis conferre sæpe liceat. Quamobrem lacustres, hoc genus, amnicósque non valde torpentium aquarum reliquos omnes, eadem alimenti succique æstimatione tractandos in vniuersum deinceps sumemus. Nam stagnantiũ prorsus aquarum dulcium, aut palustrium, tanquam consensu Medicorum omnium damnatissimos, ne in censum quidem cibariorum venire permittemus, veteres sequuti Medicos, qui non magnam licèt fluuiatilium rationem duxisse videri queant, pretiosorum tamen aliquot meminerunt, silentio præteritis vilibus.

De Trottarum alimento, quædámque prætereà alia de his: & de Salare, & Salmunculo, & Carpione, & Sarione: nominumq́; illorum distinctio ex rei natura.

CAP. IIII.

Reliqui ferè sunt squamis contecti pisces, salubritate, magno Authoribus multis, si cum his, quos modò recensuimus, (quorum lubrica, mucosaque, & viscida cutis) conferantur, æstimata. Principatum obtinet Trotta. Quæ mihi vna, non fuisse magnam veteribus, aut vllam potiùs, fluuiatilium, aut lacustrium piscium curam, certo esse posse argumento videtur, innominata prorsus relicta, tam ipsa nobilis. Licèt non desint, qui πυρσοῦντας, Mnesitheo apud Athenæum sic dictos pisces, pro Trottis numerandos esse contendant; indicio, quòd nostræ hæ aduersa sæpe fluminum, altáque præcipitia natatu, saltu quoque interdum, puriores fontanásque aquas sequutæ, superent; & quòd maculis punctisque spectentur purpureis, carnéque ruffescente, vnde πυρσοῦντες dicti. Verùm neque omnes his maculis distinctæ, ac vnum tantùm genus minorũ ea nota spectabilis, nec ruffa semper carne: tum, qui cursum amnium aduersum euincant, alij quoq; pisces. Sed sint sanè πυρσοῦντες: cur tam infrequens, tam celebris nunc piscis, veteribus tunc, & quidem Græcis solis, imò Græcorum vni solùm mentio, quod legere nobis liceat, ac semel tãtùm? nisi quòd neglectui magno habitos, ea tempestate, pisces oẽs hosce ingẽs mihi suspicio est. Quid enim nõ loquerẽtur de his, nõ traderẽt nobis aliqua cõperta sibi Plinius & Columella, ea diligẽtia, inquirẽdiq́; studio, Authoras, alijq́; prætereà illius tẽporis Romæ scribentes? vbi iam, locisq́; circũ omnibus, frequẽtissima Trottarũ captura, & in primis mẽsis nobilitas? Galenus ipse Romæ degẽs, si aliquis demũ illarũ inter cibaria suboluisset illi vsus, de alimentorũ facultatibus ex his nõ scripsisset? Esto: viliũ non meminerint, vt antea diximus: nũ etiã tanta celebritate pisciũ, vti nobis nunc sunt Trottæ, ex quibus delicias, & lautitias facimus, si aliquo tandẽ in vsu, aut quoquo modo cognitas habuisset, nõ meminisset? Sed ita ꝑfectò est: imperspectæ illis, ignotæq; diu fuêre, quemadmodũ quoq; pisces nõ pauci. Troctã Ambrosius nominauit Theodosij Imperatoris primùm tẽporibus: ante illũ nulla mẽtio. Nã Salar Ausonij, qui tẽporibus illis nõ multo Ambrosiũ antecessit ætate, & Salmo, atq; inter hos medius Sario, marini oẽs: quanquam in fluuios altissimè natura sua quadã delati, atq; ibi sępiùs capti. Nec, quũ Plinius in Aquitania Salmonem fluuiatilem marinis omnibus præfert, alio sensu accipio, quàm in Aquitaniæ fluuijs

fluuijs inuetum, captumque tantùm; non etiam inter amnicos propterea numerandum, nisi quatenus in amnibus diutissimè manentes victum inde capiunt: quo nomine suprà fluuiatiles quoque aliquos reperiri Salmones dixerim. Troctam autem Aeliani quis nescit longè aliũ esse piscem?

Venit in mentem dici illud hac in re, nec fortasse abs re, posse, ne aluisse quidem ea tempestate Trottas amnẽ lacumque, in quibus magna nunc sit copia, vllum: importatas olim ab aliquo, Imperatoris fortè, aut Luculli alicuius, quos singulæ propè ætates suos habent, iussu, disseminatasque magnum deinde vbique prouentum fecisse: sicuti ferè non in plantis solùm factum fuisse legimus, Persicis, Armeniacis, Medicis malis, quarum supersunt exempla peregrinarum; verùm in auibus etiam quibusdam Phasianis, Ionicis, Numidicis auibus, & nuper Indicis pauonibus, quæ omnia originis suæ initia, vnde primùm ad nos venere, Regionum nominibus proprijs testantur. In his ipsis piscibus, quos nũc tractamus, locupletissimos testes producere possumus Plinium & Macrobium, nouos aliquando incolas maris factos fuisse Scaros, inter Ostiensem & Campaniæ oram sparsos, quasique satos, qua satione auctos numero creuisse, frequentesque deinde ita captos, vbi priùs nulli fuissent, prouiso tantùm, ne per quinquennium capti seruarentur, viuique iterum mari redderentur augendæ meliùs soboli. Idem Plinius, promontorium Troadis Lecton nunquam transire Scaros, affirmat: Columella autem, totius Asiæ Græciæque frequentissimos, ait, nunquam in Ligusticum mare, aut inde per Gallias in Ibericũ enãsse; quin ne captos quidẽ, & in Italię viuaria perlatos diuturnos esse: in quibus locis frequentes nihilo seciùs reperti postmodum sint. Hæc eò addidi, vt, si Scarum repugnante natura, adhibita tamen diligentia, alieni tandem maris patientem factum fuisse, genusque produxisse suum scimus; longè id magis in Salmonibus, vsque adeò, vt quotidie experimur, purioris lucidiorisque, & cursu multo exercitæ aquæ amantibus, fieri potuisse credamus, vti in diuersarum terrarum fluuiolos, lacusque, quos natura ipsi per se sua libenter sequerentur, & in quos, si per interiecta terarum spatia liceret, sponte sua ferrentur, fontanæ omnes, frigidiorisque aquæ, procul ab Oceano, cuius vnius antea, aut influentium in eum amnium incolæ, alumniue habebantur, delati disseminatique proles facilè suas propagauerint. Memoria nostra scio, diligentia nobilium hominum quorundam, rerumque harum studiosorum, illatos lacubus Salmerinos, inter summos Tridentinarũ Alpium vertices, feliciter haud ita multo interiecto deinde tempore sobolem suam extendisse, ibique nunc multos, eosdemque optimos, capi, vbi visi nunquã antea fuerãt. Et Authores sunt certissimi, in Lario non antea visos Percas minores, quos Percecos vocãt, quàm ex Eupyli lacu, cuius Lambrus amnis fœtus est, tralati seminarentur, fierentque ita Larij quoque inquilini. De Cyprinis dicemus posteà. Hos lacubus, seu piscinis potiùs, quas manu factas Bohemia, Morauiaque tota innumeras ferè continet, paruos minutosq; immittunt, quum primùm perfectas absolutasque, circunductisq; aggeribus clausas, immisso fluuiolo implere cupiunt. Horum tanta statim fœtura, & mox propagatio, atq; incrementum, vt intra quatuor sæpe, summum annorũ quinque spatium, exiccatis per emissaria piscinis, maximos indeq; (tanta ea temporis intercapedine copia colligitur) prouentus capiant, atque haud scio, an reliquos omnes, vndecunque aut quomodocunque expectatos, reditus, multis regni illius in locis, hi potissimùm superent: audiui certè superare. Itaq; translatitiũ ibi propè hoc est: & quæstus commoditatem sequuti, nouas semper veteribus addunt, longoque sæpe tractu ex eodem riuulo, idonea loca nacti, plures inter se continuant, deriuatis semper ex vna in aliã aquis: viuaria rectiùs appelles: pisces quidem illis ad manus semper volentibus, & in promptu. Quod in Cyprinis, alijsq; quibusdam, lucri auiditas facit, id videlicet in Salmonibus nobilitas, piscisque celebritas fecit, vt aliò non prorsus inepta curiosorum cura transportarẽtur, & veluti alienæ regioni insererẽtur, insititij inquiliniq; facti. Nõ enim persuadere mihi possum, inuoluturos fuisse silentio nobilissimum, laudatissimumq; piscem, qui de his illa tempestate regionibus illis scripsère, si tũc temporis fuissent, perspectosque habuissent. Fuisse autem, captos verò nunquam, visosque; id verò à veri prorsus similitudine omni longissimè abest.

Porrò tãta est, Salmonum, Trottarumque, inter se, Salmerinorũque, addo etiam Benaci Carpionũ, omni penè ex parte parilitas, propè dixerim vnitas, ac similitudo, vt vel hoc vnum, vniuersos idem esse genus, aut maximè certè congeneres omnes; tum, quacunq; factum id ratione fuerit, vt terrarũ locorumque interuallis dispescerentur, eandem omnino esse omnium originem, non parum nobis facere fidei possit: sique aliò aliquando translatos fuisse Salmonas, vt quidem opinamur, conti-

git; accidere potuisse non negabimus, vt, seruato ortu, stirpisque semper principijs suæ, minima quadã degeneratione ex Salmonibus Trottæ fierent, remanentibus externarum internarumque partium omnium forma figuraque similimis, aut ijsdem potiùs, quas, nisi refractariolo ingenio aliquis, non ita se prorsus habere contenderit nũquam, introspectas quidem, diligenterque exploratas.

Lectorem quæso Medicum, nostram hanc, aliasque huiusmodi à proposito digressiúculas, quæ Philologis preterea nonnullis interdum scribuntur, (si qui tamen in nostra hæc incident) leuiter, ac perfunctoriè transcurrat, aut etiam totas trãsmittat, quicunque fastidire ista solitus fuerit, tanquam minimè ad stomachum suum facientia, vt sunt multi, qui rapi se facilè transuersos nõ sinunt, lectione paulò magis euagante: sed nos præfatione obiter antea quadam vsi, hoc ipsum excusauimus, polliciti multa, quæ se ita obtulerint, non omissuros, in gratiam Studiosorum non solùm Medicinæ, sed rei totius literariæ.

De Salmonibus dictũ suprà. Cæterùm, Trottas alias esse fluuiatiles, alias lacustres; & has alicubi Salmonatas vocari, quòd mirum in modum, magisq; alijs Salmones referant, alias simpliciter Trottas, haud dubium. Reperiuntur & quæ ambigant in lacubus, qui quasi parentes fluuios habent, ex quibus generantur, rursusque alios tanquam partus suos edunt: vt Benacus, ex Sarca ortus, auctusq;, rursus corriuatis vndiq; fluuiolis, & scaturietibus subtus fontibus multis, auctiorem Mincium reddens: in hoc lacu Trottæ, & optimæ, & maximæ, Sarcam fluuium sæpissimè subeunt, vt & lacustres dici, & fluuiatiles queant: exercetúrque haud longè inde frequens illarum captura in ditione Archi oppidi.

Caro omnibus tenera, mollisque, & pinguiuscula, quod friabiles in totũ esse non sinit, degrauat stomachum paulùm nimio esu: at non eo, quò Salmo sæpe, pondere, spectatúrque hæc primùm immutatio ad melius, vt nec tam sæpe, neque tam citò, quàm Salmo, fastidita nauseabũdos Trotta faciat: facit tamen aliquando largus nimis, frequensque vsus, pinguedine viscidiuscula, qua facilè deijciatur appetendi vis, ac nauseam, subuerso interdũ stomacho, cieat: vt mirer, inuentos ex Medicis nostra tempestate, qui febricitantibus edendas permiserint, nihil veriti aut visciditatem, quæ obstruere; aut pingue, quod laxatione vires demere; aut frigiditatis, atque humiditatis noxiæ intẽperiem, quæ prauum procreare succum facilè queat, corrigendo febrili calori nequaquam idonea, prætérque impensè excrementitia. Fluuiatilium tamen, & rapido aquarum cursu exercitarum, sicuti minor saporis gustusq; suauitatis commendatio, neque tamen nulla, nec contemnenda; ita salubritatis semper maior.

Aliæ sunt multo his minores, inter quas & Salar, vt fluuiatilem hanc non minùs & lacustrem habeamus. Hæ sunt purpureis guttis distinctæ Trottulæ, lacuum lucidiorum, puriorumque amnium, sæpe etiam paruorum riuulorum, in quibus libenter diuersantur, alumnæ. Has pinguedo nulla aut glutinositas friabiles vnà, & salubriores, coniuncta præsertim salubritati teneritudine, facit, propter quam & faciliùs concoquuntur, citiusque descendunt, distribuunturque: ac minus excrementitij succi, minusque noxij generant, propterea quòd egregiè operatus calor, ac materiam nactus confici facilem, non multum sanè relinquat excrementorum, aut humoris noxij: at humoris tamen frigidioris, eiusdemque modi sanguinis, generatione noxiæ semper, quod piscibus omnibus commune esse diximus.

Salmerinos hos, & Salmunculos voces fluuiatiles. Maximè autem lacustres videmus, nec quorumlibet, ac limpidorũ tantùm, & quos fontanæ egelidæque æstate aquæ faciant, lacuum incolas; nec passim, sed Tridentini inprimis, Brixinensisque agri in parte, tum alicubi vicinarum Alpium in tractu. Hi planè laudatissimi, lautissimique cibi, ac primarũ omnium mensarum, diuitumque solummodo, & delicatarum sunt: cum Benaci Carpionibus certant. Neque verò discrimen notatu dignum experiere: gustus saporisque suauitas eadem fermè in totum, & iucunditas, teneritas haud sanè diuersa: mollities tamen quædam in Salmerinis maior; in Carpionibus friabilitas: alimentum ex vtrisque, nisi ventriculo grauitatem aliquam adderet, quòd pinguedine, quadamque visciditate omnino non careant, quanquam perexigua, probatum expectari, laudatumque, nec improbi succi potest: concoctioni quidem non aduersatur, non ægrè subit intestina, diducitur per corpus facilè, dempto vno pingui, quod tamen non multum esse narrauimus; & viscido, quod minimum, nec sic, vt friabile illud, præcipuè verò Carpionibus, auferat. Cætera ea vtrorumque celebrata laus, & quidem merita, si palati nobis iudicio standum erit, vt piscium omniũ marinorum, fluuialium, lacustrium sapidissimos, nobilissimosq; esse cõtendere possimus, salubritatis cõmendatione maiore alijs relicta, quam hi non omnino dictis de causis irrepre-

prehen-

prehensam adepti sunt: cæteris tamen sui generis omnibus laudatiorem Salmonibus, Trottisque Salmonatis, quas ita vocant. nam minores, minutioresque, haud dubiè ad sanitatem potiores. Veruntamen neque has, paruulas nempe Trottas, minusque adhuc Carpiones, ac Salmerinos, febri aliqua correptis prudens expertusque Medicus, vt Saxatiles, quosdamque prætereà alios, temerè concesserit.

Vna orbis totius (quod dictu maximũ) Tridentina ciuitas, quæ mihi patria est, vtroque genere nobilitatur. Nam & in Naunibus, qui nomen adhuc vetus suum parum inflexa voce retinent, (Nonnes vocant, & Tridentinæ ditionis sunt) lacus egregios Salmerinos alunt, multosque: ad Benacum Ripa oppidum, Tridentini itidem Episcopatus ditionisque, optimos Carpiones mittit. Brixina quidem Salmarinum habet, Carpione caret: oppida in Benaci ripis Carpionem multa; Salmerinum, nisi importetur, nulla: quanquam audijsse meminerim, Sanctissimo sacratissimoque Imperatori Ferdinando, Augusto prandenti adstans, ex Hispano disputante, asserenteque repertos & in Hispanijs alicubi Carpiones: Sed id ex vno illo, ex alio prætereà nemine. De Salmerinis autem, alibi quàm in Rheticarum Alpium parte, neque omni tamẽ, repertos vsquam hactenus fuisse, nec visu, nec auditu, quod sciam, compertum.

Genus esse idem omnium memorauimus, & esse arbitror: nunc propè ausim affirmare, ne specie quidem multùm differre, solaque ferè amnium aquarumque diuersitate, captatoque inde cibo, qualitatis aliquid accrescere, minuique, quo non mutetur in totum species tamen: ac Salmones maris esse, amniumque, qui in Oceanũ influunt, ætate maiores; minores, Salares, qui & Salmuli, & Salmũculi, tametsi hoc quoque nomen Salmerinis applicatum alicubi lego; Sariones, medios: proximas his Trottas, re nomineque Salmonatas lacustres; fluuiatiles autem simpliciter sic acceptas Trottas: Salmerinos, lacuum quorundam tãtùm & fluuiolorum apud Rhetos, quorum in parte Tridentum, peculiares, sed eiusdem generis: postremò Carpiones, solius Benaci, figuræ formæque similitudine, partiumque omnium parilitate, & bonitatis præstantia eosdem ferè, aliam certè speciem non facturos, accipiamus.

Lucij alimentum cuiusmodi sit, & Hucchæ, & Agnonis, & Sardinæ, & Renchi, & Thymalli, & Zinduli.

CAP. V.



NOmen Lucio dedisse videtur λύκος, voracissimo aquatili voracissimum terrestre: vt, quum λάβραξ marinus Lupi ob voracitatem vocabulum occupásset apud Latinos, alteris fluuiatilis Græcæ nomenclaturæ instar quoddam retineret eadem significatione, essetque nobis Lucius λύκιος, quasi Lupius; edacitate voracitateque insigni, scissura ad id oris immensa factus, & præacutis serratisque dentibus, piscium sæpenumero pernicies in piscinis, prædatorque maximus, sæpe Cyprinos, suique interdum generis quosdam, aliorumque alios, non multo minores se, deuorâsse visus: tanta est ingluuies. nonnunquam apprehensos quum præ magnitudine glutire totos nõ posset, (ea est rapiendi obuios quoscunq; in fame auiditas) hæsêre medij, tam diu, donec accepta in vẽtriculum pars iam conficeretur, exerta ore prominenteque adhuc integra alia: id animaduersum in capto, dissectoque. Ranarum maximè persequens, quarum quoque esca allecti capiantur. Carne sunt paulùm duriore, minimè pingui, minimeque glutinosa: vnde friabilitas illi in duritie egregia, minoribus præsertim, atq; ex laudatis lacubus, fluuijsque. Solidũ corpus carne totũ ceu tessellis compacta constat, intercedentibus, vel potiùs fulcientibus, credo, carnẽ subtilibus spinis: Et quod de alio pisce Ausonius cecinit, hîc factũ manifestò videas. Nã reuera

Solidóque in corpore partes
Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis.

neque multis tamen. Hos libenter rectéque, atque innocuè Mediterranei, qui Saxatilibus non fruuntur, ægrotis permittunt. Haud quaquam laboriosè concoquuntur, distribuuntur expeditè, promptè descendunt, neque multum excrementorum edunt, mediocriter alunt: solum illis ab intemperie nocumentum, vt Aquatilibus alijs, sed id ægrotorum aliquibus etiam ex vsu, vt febricitantibus, & quod nostri negotij est, tractandumq; posteriùs, calida siccaque intemperie laborantibus.

Huchã Germania appellat inter Luciũ & Trottã mediã, proximiorem tamẽ Trottis, nõ modò effigie, sed carnis quoq; qualitatibus omnibus. Pinguior q̃ Lucij caro, viscidiq; nõ prorsus nihil cõtinens, tenerior quoq; simul q̃ Trottæ friabilior, in hoc nimirũ Lucij qualitatis particeps quadantenus. neq; enim tantũ, quantũ in Lucio, friabilitatis. Salubrioris igitur, quàm Trotta, alimenti, deputandus piscis; insalubrioris, quàm Lucius, ac pro vtriusque participatione reliqua æstimanda. No-

Nobilitatem non paruam lacustribus addunt, quos Agones, alij Sardenas vocāt: diligentiores, doctioresque Aquones maluerunt. nōnulli, præsertim ad Benacum, distinxerê, & maiores Agonum, minores Sardinarum nominibus appellârunt, Sardinarum marinarum, & Trichidum simili quadam affinitate, siue Sardellarū. Minores, gustus suauitate, dotibusque omnibus præferuntur, spinosi licèt, sapidissimi tamen habētur: caro illis pingui multo, minimè tamē aquoso, cōstat: immiscetur carni per totum pingue, vnctamque reddit, ipsum non apparet: hoc minùs friabiles facit, sed gratiam addit palato, vt, quanuis spinulis multis scateant, verissimeque ideo dici Trichides possent; carne tamen pinguiuscula opertæ, expeditè, nulloque prorsus oris gustusque incommodo, mandantur, minimeque acerosæ, aristis licèt multis refertæ, videantur, adiuuante spinarum tenuitate, qua pilorum subtilitatem referunt. Quin pinguior, quam diximus, carnis crassities, quæ tamen non magna est, hoc spinarum, quas sparsas vbique recipit, veluti contemperamento ex parte aufertur; & nonnihil tamen friabilis inuehi inde posse credibile. Insalubres quidem non experimur, nisi quis immodicè se repleat: minùs certè grauatim, minorique longè cum nauseæ, aut suborientis fastidij suspicione, pluscculum ex his ingestum accipiet vētriculus, quàm Trottarum, aut etiam Carpionum tantundem.

Concoquūtur facilè satis, nec diu morantur, quin inferiorem ventrem subeant: alere mediocriter possunt, neque tamen excrementorum multum ediderint, prorsus vt marinę Thrissę, & Sardinę sunt, Sardellæ'ue, nisi quòd natiuo illo salsedinis beneficio destituuntur, vt propterea non exuta in totum crassitie, neque emendato admodum frigiditatis atque humiditatis intemperamento, quod ad salubrem vsum attinet, cōditione inferiores ex paulò crassioris, & frigidi, aliquantumque crudi succi generatione euadant. Hæ nunquam subire fluuios vllos visæ: ex Benaco quidem nunquam Sarcam ascendisse, aut in Mincium descendisse animaduertere potuit aliquis. Eædem captæ cœlū nullo pacto ferunt, extraque aquam exanimantur statim. Itaque quum Trottarum ac Carpionum viuaria sint, Sardinarum nulla habentur.

Proximum huic forma in Bauariæ lacubus piscem vidi, & gustaui sæpe, quum Bauariæ Duci Alberto longè illustrissimo operam Medicam meam præstarem: Renchum vocant. Nobilissimus piscis est, suauissimus, sapidissimus, argenteis squamulis vestitur. Magnitudo minor, quàm Benaci Sardinarum. Caro candida assulata laminulis per totum cōserta, intercurrentibus, si ex laudatioribus fuerint, sparsisq; lacteis guttulis, durior, & in gustui perquàm grata duritie. Longè maior, quàm in Sardinis, friabilitas: solutilem intelligo, corpore nequaquam tenaci, partibusque disiungi commansu etiam minimo facilibus. Quapropter, confici promptiùs posse, nec alimenti minus exhibere, credi par est, idque excremētitij minùs, succique melioris, nec crassi æquè, nec glutinosi; frigidi tantùm, & humidi iusto plus, cōmuni Aquatilium propè omnium noxa.

Nullum tamen, vt opinor, inter Fluuiatiles inuenias, cui tantæ ad salubritatem cum saporis suauitate non contemneda coniunctæ in vnum omnium cōsensu laudes tribuantur, quantæ Thymalo, Diui etiam Ambrosij commendatione maximè insigni, qui Thymi in eo odorem deprehenderit, dicique inde putârit. Hunc, incommodorum omnium securi, quęcunque piscium esum sequi solent, edendum exhibēt, vel puerperis sæpe, & febricitantibus. Et certè tener est, friabilis, delicatus, salubris, optimi, qua quidē piscis, alimenti, succique, Germaniæ multis in locis non infrequens: quidam Italiæ quoque amnes ferunt, Athesis, Ambra, Abdua, Ticinus, Limagus.

Zindulum, non dispari commendatione Italiæ nullus, quod sciam, Germaniæ Danubius, & circum eam Regionem alij quidam amnes. Huic post Thymollum, aut cum Thymallo potiùs, primæ cesserint iudicio meo, inter amnicos, in Salubri cēsu partes. Thymallo quidem nec tener, nec friabilis minùs; &, si rectum adhibeatur saporis iudicium, non multo minùs delicatus: mihi quidem, sæpe diligenterque gustanti, visum ita, vt propterea non optimi vnà esse alimenti succique nō possit. Nam concoctionis expeditæ indicio erit teneritudo, & friabilitas, quæ minimū quoq; excrementorū polliceātur, ventriculi visce- rumque omniū calori, modò nō imbecilli nimis, totas se conficiendas præbentes.

De Perca fluuiatili, & eius alimento: & de Cyprinis eodem modo, & Scardulis, & Squalis.

CAPVT VI.

SEquuntur hos fluuiatiles Percæ, sapore succique atq; alimenti bonitate. In quo Ausonium potiùs sequor, qui mensarum delicias vocat Percam; quam Eruditorum

rum nostri temporis iudicium, qui Poëtæ nobis huius authoritatem eleuant. Toties gustatum, affirmare mihi posse videor, duriore quidem esse illum carne, sed sapida, benéque friabili. Etenim duro cum friabili conuenire quandoque, sicuti cum tenero, docuimus antea Mulli exemplo, cui Percam duritie parem esse concedunt, tam non esse friabilem contendunt. Nos, quia nec pingue, nec glutinosum gustu, aut commansu deprehendimus, sanè nec friabile dememus: id in minoribus tamen euidentiùs, atque in salubribus puriorum lacuum amniúmque aquis captis perquàm facilè. Concoquuntur minimè grauato ventriculo: vt mirum sit, diuersum traditum ab Eruditis fuisse, nisi illis alterius ac deterioris, alterius nobis potiorisque generis, gustâsse Percas contigit. Nam in quos nos incidimus, hi certè ventriculum, vt dixi, grauiore concoctione non morantur, permeant, facilè descendunt, nutriunt: imbecilliore tamen alimonia, nec firma satis, sed, vt celeriter nutriéte, ita haud multo pòst abeunte; succi tamen non improbati, atque adeò, si frigiditatis vitium demas, boni, neque excrementitij. Sunt, qui spinis, quas in dorso aculeatas gerunt, veneni vim inesse credát. id scilicet scriptum tantùm legere mihi contigit: qui se expertos dicerent, aut à fide dignis audijssent, quum quærerem, non inueni.

Cyprinum vna nota detegit palati, quod illi pro lingua datum est ex Aristotelis sententia: quædam aliæ legitimum esse confirmant, partus frequentia, & squamarum magnitudo, vnde illis nomen apud Græcorum quosdam λεπιδωτός; & quòd fluuiatilis prætereà, lacustrisque est, vt Aristoteles & Dorio fecêre. Nomen adhuc retinere vetus suum dicunt apud Aetholos in Græcia. Horum copiosa multitudine refertissimos, ac, propè dixerim, prægnantes lacus, piscinasque videas ad id ædificatas in Marcomanis, & his proximis Bohemis, vnde maximi illis, quos paulò antè diximus, prouentus, quarto vel quinto quoque anno exiccatis piscinis, diuenditisque piscibus, ac rursus ex seminario paucorum, qui relinquuntur, ortis innumeris alijs, auctisque. Nec alium scio, qui tam breui, tamque numerosè, piscinas viuariáque repleat, tantóque compendio, piscem. inter primos maximéque opimos reditus ponunt, pecuniámque in numerato se habere putant, qui piscinas emittunt, præoccupata sæpe à mercatoribus, nō magna indicaturæ controuersia, coemptione, datáque etiā Arrhaboni, aut præsenti sæpe numerata pecunia. Exportantur deinde in propinquas æquè, ac maximè longinquas regiones Cyprini, conterminásque Italiæ, aut ipsius potiùs Italiæ vrbes Bullsanum & Tridentum, plurésque alias; fiuntque meliores, fontanarū purissimarúmque aquarum viuarijs excepti, vt multi tunc sic enutritis, repurgatisque, ac benè habitis, posthabeant Trottas.

Nomen piscis apud Italos alibi Reina, alibi Bulbarus, alibi Carpena inditū: multi in multis locis Carpam, inepti quidam imperitique Carpionem vocāt, puerili inconsideratóque nimis errore, qui Carpionem esse Benaci vnius ignorent. Cyprinus, nisi in optimis aquis nutritus captúsque, non magnifaciendus, neque ad delicias, neque ad salubrem vsum; carnis alibi mollitie nimia, atq; humiditate; alibi etiam glutinositate quadam insipida, piscemque sæpe redolente: nisi quum puriorum, vt diximus, aquarum victúsque mutatione benè pinguis, benéque enutritus, temperamentum probè suum in melius conuerterit, sapiditate maiore acquisita: sed tunc quoque valde licèt squamosus, viscidiore pinguedine, multúmque excremētitia noxius. Noueram podagrosum, cui Cyprinorum esu pinguiorum, quales diximus, parata erat podagra, semper vt in manu illi esset, accersere, quum vellet, eo pacto.

Cyprini mentione, formæque, ac figuræ inspectione reuocari in memoriam potest Scardula, quam Bramam alij appellant: longè tamen ignobilior Cyprino piscis. Stagnantibus maximè aquis gaudet, inibi mucoribus fœdóque luto victitans. Caro siccior, quàm Cyprini, ex parte aliquando pinguis, insipida semper, & excrementitia.

Eadem carnis insipiditate Squalus est, & sumpto incremento, siccitate; alimentique ideo viribus propè ijsdem, illaudati nimirum, ex quo succus nequaquam sanitati conferens, impuræ siccescentisque, vt in piscium genere, frigiditatis. Ex melioribus tamen locis aquisque, vt plerique omnes eiusdem generis, hi quoque meliores, gustúque simul & salubritatis ratione laudatiores. Ausonij esse Capitonem hūc fluuiatilem, quoniam Mosellæ Fluuiatiles recenset, vel vna spinarū per carnem frequentia ostenderit. Huic enim sententiæ accedere malo, quàm quę pro Thedone eum ostendit. Leuciscum autem, aut spinosum Mugilum genus esse è mari subiens, nemo existimârit de Fluuiatili pisce. At noster is est, & magnitudine diuersa, & esse quidem Mugilis species potest fluuialis: at non, de qua Galenus, vt existimâsse videntur quidam. Squalus amnicus, aut lacustris est: marini illi. Sic quidem de hoc Ausonius:

Squa-

Squameus herbosas Capito interlucet arenas,
Viscere prætenero, fartim congestus aristis.

Vilis is vbique piscis habetur, nec viscere etiam, quãtum gustare mihi licuit, magnopere cõmendandus: haud diu extra aquam durat, breuiq́ue flaccescit, vt hoc quoque signi sit pro Capitone habẽdum esse, quòd versum prioribus addiderit Ausonius illum:

Nec duraturus post bina trihoria mensis.

Alimentum ex fluuiatili Barbo, & de eius ouis repurgatorijs, vel choleram potiùs mouentibus: & de fluuiali Gobione, & quos Aristoteles βοίτοὺς vocâsse visus est, & de Cobitide, Fundulo, Mordilapide, Phoxino.

CAPVT VII.



LOngè abest à Mulli marini piscis natura, & conditionibus, ad sanitatis vsum, fluuiatilis Barbus: tametsi vterq; barbatus. Quemadmodũ sanè de Squalo proximè dictũ fluuiatili Mugile, alterius tamẽ ad omnia propè naturæ, quàm marinus. Barbo quidem, Squaloq́ue, fluuiatilibus vtrisque, potiùs conuenerit in eo, quòd vtrique maioribus annis commendatio maior accedit, plusq; palato gratiæ additur, & commoditatis ad sanitatem, contrà quàm in alijs, quos minor semper ætas commendat magis.

Tibi cõtigit vni, inquit Ausonius elegãtissimè, *Spirantum ex numero non illaudata senectus,*

de Barbo scribens. Nam Squalus, tametsi mollitiem ætate quoque deponat, & siccitate mutet; nihilominùs Barbo ne conferendus quidem est, alimenti succiq́ue probitate, & concoctionis facilioris, descensusq́ue in aluum, perq́ue corpus distributionis laudibus; quæ omnia in Barbo potiora sunt. Neque intereà deterioris alicuius ex carnis alimento succi suspicionem, quæ suboriri cuipiam non absque ratione posset, ouorum in eo naturam reputanti, detectam aut animaduersam ab aliquo alicubi audijsse memini, auditum sæpe visumq; quum sit, Barbinorum ouorum esu, ipse etiam interdum rei præsenti qui interfuerim, concitatam aluum, subuersumq; ventriculũ vehementioris choleræ in modum, sæuáque quædam Symptomata insequuta fuisse, haud dubia coniectura, non aliter, quàm aut venenata id vi, aut repurgatoria violenta, aut vtraque contingere potuisse ex abdita, cæcáque, (vt in alijs omnibus eiusmodi) virtute; ac magna quidẽ naturæ admiratione, sed nõ inaudita prorsus, quæ aliquando, vt in Hiuca, pisceque hoc, venenum ingenti miraculo alimento miscuerit, hîc in plãta, ibi in animãte: vt non vna in re miraremur vires suas tam variè operantis, consulentis autem dixerim, an illudentis potiùs nobis, interdum producctis, vnde eodem sæpe momento vitam, mortemq́ue hauriremus, quin hanc potiùs cum illa, nempe cum morte vitam, cõmutaremus, quando veneni semper vires præualeant in his, obscurato alimento. Itaque non satis fuit illi, Aconita per se, totq́ue venenorum genera passim nascentiũ, edidisse, in quæ incurrimus: nisi dubia quoq; faceret alimenta. Sedenim Amuleta dedit, & Alexipharmaca. at quãto pauciora hæc, & incerta magis? Quorsum verò auxilium, quum sine eo esse possemus, si noxa caruissemus? Nimirum prouidere nosmetipsos nobis, prouida ipsa, rerumq́ue omniũ experientes esse, & in bonorum delectu versari semper malorumq́ue, voluit. Audiui nuper ab Illustri inprimis viro, ex Hiuca partẽ nõ solùm molere Indos in farinam, ad panificium, quod sæpe antea audiueram; sed etiam decoctione potum sibi facere, quod nunquam, expresso priùs abiectóque veneni succo: vt ab eadem tandem planta panem, vinum, venenumq́ue petere nobis liceret.

Gobionum fluuiatilium duplex genus: Alterũ squamosum, de quo scripsisse Ausonius videtur omniũ primus, quum antea nulla illorum Græcis, Latinisve Authoribus mentio facta fuisset, vilius, ingratiq; saporis, interdum etiam propè fœtentis, maliq; ideo succi, nec probati satis alimenti. Alterum longè delicatius, lautiorumq́ue mensis expetitum, quod persæpe Medici ægris non illubenter apponunt, minimè certè insalubre. Non temerè existimant, esse pisciculorum genus, quos βοίτοὺς vocârit Aristoteles seu κοίτοὺς: Cottos interpretantur; Cauedonos, & Marsonos, & Magieronos vulgò appellant. Præcipites, sonantesq́ue inter saxa, sub quibus sæpe delitent, aquas amant, ibique optimi capiuntur, & saluberrimi. Quum ouis turgent, quæ maiora, quàm pro rata corporis parte, ad os nigra matrice conclusa, adeóque sæpe turgida gerunt, vt disrumpi inde pisciculus videatur, laudatissimi. Scatent his Tridentinæ ditionis fluuij maiores, minorésque omnes. Squamis carent, at pellicula vestiuntur tenuissima: caro intus tenerrima, maximeq́ue friabilis, iucundiq́ue inprimis saporis, mediam intercurrente firmantéque spina, nulláque prætereà in toto pisciculo, excepto capite, quod illi spinosum, & ad branchias aculeatum est.

Alimentum exhibent non multum: sed cõcoctu perquàm faciles sunt, nec diu stomachum

machum morantes, deijci citò distribuique prompti, boni probatique succi, quantum quidem ex hoc piscium genere expectandum sit.

Huc pertinent pisciculi alij Cobitides, Barbotulæ aculeatæ, Funduli, Mordilapides, eo nanque significato Germanis nominantur, Fundulis longè inferioris notæ Phoxinorum genera. Quibus omnibus alimentum inest tenue, concoctioni non repugnans, non infarciens, subiens, permeans, succi non improbandi, nisi quatenus pisces sunt, neque excrementitij: plùs minùs tamen.

Fæx, propè dixerim, lacustrium fluuiatiliumque omnium, Tinca, nec gustu, nec alimenti, aut succi bonitate probāda. Squamulis vestitur cutis tenuibus, quæ sæpe nō apparent, sordido glutinosoq; muco obductæ: corium veriùs dices, tam lubrica sæpe visciditate, vt captæ è piscatorū manibus elabantur facilè, vulneraque Luciorum natiuo lentore conglutinata persanare dicantur. Lucios quidem narrant dissectos ventre medios, augendæ, adiposorum interaneorum inspectione, indicaturæ, si emptorem non inuenerint, reddi piscinis solere, ac Tincarum affricatione, quibus cum illis amicitia quædam naturalis, restitui in pristinum, consolidato ventre. Ergo alimenti succique glutinositate semper nimia meritò damnabūtur, propter quam cùm ventriculi cōcoctionem, tum descensum in intestina, egestionemque, ac distributionem per corpus, tardare soleant; angustiorumque sæpe meatuum adhæsione & infarctu febres gignant, crassi viscidique, atque insigniter praui succi copia malas, qui cùm ipse facilè putrescere, tum alijs putrefactionis causam præbere possit. Itaque ne quidem si ex optimis, laudatisq; aquis, locisque fuerint, laudandæ, aut Sanitatem procurantibus probandæ: minus tamen inde nobis timēdum mali, vt quarum malitia alimenti melioris, aquarumque puriorum commendatione emendata fuerit, si ritè prætereà præparatio his sua adhibeatur ex culina. Nam, quas impuriores nobis lacus, aut palustria loca miserint, tanquam vtraque, natiuæ & acquisititiæ malitiæ, nota damnatas, improbabimus ex toto. Quandoquidem optimas quasque naturas piscium, ex deterioribus locis victu captato, minùs semper commendabiles, quasdam etiam magna ex parte immutatas, bonitatem fermè omnem abijcere; sicuti è contrario, melioribus meliores fieri, quotidie experimur. Quod semel, deque vno piscium genere dictum transferri commodè, magnoque semper vsu, ad omnia debebit.

De Astacorum alimento fluuialium, & Cancrorum, & Squillarum, & Ranarum,

CAP. VIII.



Stacos fluuiatiles nemo non nouit Europæus, exceptis Hispanis, apud quos nulli esse dicuntur. Tanta horum copia in Pannonia, Carnisque, vt onerentur currus sæpe multi exportandis aliò; Viennæ autem Pannoniæ superioris non semel supra triginta numerārim onustos Astacis currus in foro Gāmario, quod sic vocant, à Gammaris. Astacos nanque Gambaros dicunt, quasi Gamaros, longè rectiùs, quàm qui Cancros. Chelis exceptis, & cauda, quę propè sola in cibi vsum veniunt, nihil in Astacis quod commendes: & eæ quoque tamen partes non solùm frigiditatis & humiditatis intemperie illaudatæ, sed etiam duritie & crassitie aliqua, quas propter nō admodum concoctionem promouent, & longiore in ventriculo mora, emissis in caput frigidis atque humidis exhalationibus soporem inducunt: concoctæ nihilominùs benè satis nutrire possunt, sanguinis succique alimonia nōn facilè difluentis. Non defuêre, qui in calido temperamento statuerent Astacos, coloris argumento, quem ex coctura rubrum contrahunt. atqui in crusta tantùm id, frigida quippe, sed cùm terrestris alicuius parte, operati caloris qualitatē accipiens detersione multa, rubri id caloris aspectu manifestat; vt in Iride, vt in sanguine, vt hîc in Astacis, crustaceisque omnibus, vt in alijs multis, vnde detersus appareat in crustaceo tegumento calor ex rubore: at candor in carne suus, atque integer maneat. Omnium deterrimi, qui inter saxa, lapidosisque locis capiuntur: nunquam hi cocti rubescent prorsus, terrestris, opinor, partis in humido paucitate, quæ ignis detersionem non retineat nimis diffluens. Itaque albescunt ea in parte, sicuti alij plerique nigricant, crassitie terrestri nimia, & densitate, non admisso per totum igne, vt detersus ruborem addat: atque hi tamen commendatiores.

Non, vt opinor, viderit facilè Germania vniuersa, aut Europæ pars Septentrionibus subiecta magis, aut Alpes, quæ Italiam ambiunt, fluuiatilem Cancrum: Græcia videt, & Italia, nō omnis, & Sicilia, rotundum, sine cauda, aut corporis tantùm vltimam partem claudēte caudæ rudimento. Arbitror idem ducendum esse huius, quod Astaci, temperamentum, vires ali-

menti easdem. Nanque & ad canis rabidi morsum idem omnino inesse Astacis fluuiatilibus auxilij, quale Cancris tribuêre veteres; neque vnquam fefellisse experientiam compositi aduersus veneni genus id de veterum descriptione ex fluuiatili Astaco medicamenti, ritè atque in tempore exhibiti, vsu quotidie multo testatum, comprobatumque esse affirmare possum. Quin medicarum quoque facultatum aliarum, quarum non est hîc enumerandarum locus, vsus experimur eosdem, reportamusque hodie sæpe, Astacorum huiusmodi præparatione, quos nobis olim de Cancris prodidêre Authorum scripta, vt alendi quoque facultates hinc non dissimiles esse conijciamus.

Squillæ non minùs fluuiatiles, & lacustres habentur, vt ex Benaco, multæ opinor & alibi, minimo omnes corpore, & carne paucissima, commixtæ pisciculis veneunt apuis ex lacubus, frictæque eduntur: alimentum idem.

Quæsitum demum alimentum quoque ex Ranis, vsurpatumque iam frequentissimè, etiam in delicijs à multis habitum: sed ex fontibus, aut riuulis, aut fluuijs, aut quoquo modo profluentibus aquis. nam ex residibus prorsus, & stagnantibus, deteriores semper, sæpe ingrati saporis, nonnunquam noxiæ, atque adeò venenatæ etiam ex earum numero, quæ aliàs edules sunt. Edulium Ranarum, aut secus, non attinet hoc loco differentias adducere, perspectissimas per se vulgò, & notatas scribentibus de his: posterior tamen tantùm pars in culinam venit, siue quòd hæc esculenta aut sola, aut maximè; siue qua alia causa. Magnus, multusque per æstatem, nisi coeant, nec planè incommodus earum in cibis, attemperandis caloribus, vsus: duriuscula tamen carne sunt, & fibrosa, neq; concoquuntur facilè: at concoctæ bene alent, diuque hærebit nutrimentum, minimè citò diffluens. Ideo, quũ alimentum suum membra non sentiunt, expetitæ, adhibita præparationis diligentia, vt, concoctionis repugnantia aliquantum castigata, minùs laboriosè, minoreque ventriculi offensa, confici possint.

Saliturae ratio omnis in vniuersum: & particulatim Animalium genera quædam saliendi modus: inter hæc conseruandi ratio ex aceto: & Salsamenta ex piscibus multa, & ταρίχη, & τεμάχη, & Alec, & Garum, & Sardica.

CAPVT IX.



Et quoniam Quadrupedum, Volucrium, Aquatilium meminimus, quorum bona plerunque pars saliri potest, postulatque: dicendum paucis de hoc. Non solùm, vt vsui diutiùs seruarêtur carnes, quanquam ob id maximè, atq; inprimis; sed corrigendo quoque sæpe vitio aliquo, tollendæque noxæ, quo vsus melior tutiorque euaderet, inuenta Salitura. Inciditur quidem crassities attenuatis salis vi partibus, humor nimius aufertur, atque ita putredinis materia absumpta, adstrictisque, & ceu solidatis, aduersus putrefactionis iniurias, carnibus, incorruptæ diu manent. Redundent igitur excrementis oportet, aptè vt saliantur, carnes. nam si nulla hæc fuerint, conuersa in carnis substantiam sicciorem natura, ac duriorem, quoniam excrementis vacat, salis facultas, sicuti excrementa debuerat, ita naturalem rei humorem consumptum dissipat, siccatamque prorsus, minimèque esculentam reddit. At è diuerso, si mollem nimis, insitóque per totum humore difluentem inuenerit, solutam eliquat, ac tabescentem disiecta constitutione facit. Sic quidem neq; duram per se, siccamque satis priùs, aptè salies, exucta humiditate omni; nec rursus mollem, laxamque nimis, salis vim non laturam, quin veluti liquefacta dilabatur. Propria est Salitura excrementitiæ carnis, paulumq; durioris ac crassioris. Excremêtitiam intelligo, quæ humiditatis pituitosioris materiam in seipsa contineat, diffusam quidem, minimè tamen solidiores illius partes ingressam, quæ duriores crassioresque sint, & salitura attenuantur, nec vt mollitie nimia prædite difluant. Ac, sicuti pituitosior humiditas euanescens, diflatur; ita simul absumendæ huic, salis iam viribus ex parte debilitatis, crassiores partes attenuantur tantùm, non dissoluuntur; duriores tenerescunt, non exarescunt, adstringendique vnà salis potentia compressiores factæ cõstitutionem suam retinent: argumento, quòd si paulò plus iusto adhibeatur salis, nec seruetur modus; pereat opera statim, nec salitura procedat. Hoc nôrunt Salsamêtarij peritiores, imò & Salgamarij omnes.

Hinc, qui sale condiendi sint, ex animantum genere omni, apertum nobis fiet, ad penuarium Carnarij vsum, quoniam naturas iam antea bona ex parte excussimus. Primùm ex Quadrupedibus, Sues adultos, ac consistenti iam ætate, sale debito conspersos condies: nouellos ac nefrendes

des ne ſalito, ne ſeneſcentes quidem: hos, ne difluat eorum caro; illos, ne ſicceſcant, & edendo prorſus non ſint. Apros itidem: tametſi nondum adulti ex his non incommodè prorſus ſalientur, cōſtitutione corporis, quanuis in tenera ætate, non tam facilè dilabente. Eodem modo Cerui, Boues quoque. Vitulos autē qui ſale ſeruare tentant, ſæpe diſpendium in eo faciunt. putreſcunt enim facilè, & tineas ſentiunt, eadem de cauſa: quippe Salituram non fert, ſiccioris licèt natura ſua animâtis, ætas humectior, ſed diſſipata breui perit ſubſtantia, ſalis vehementia, & putredini tandem cedit. Etiam Verueces qui ſalitos reponere ſtuduerunt, nō multo pòſt ob idem iacturam totius fecerunt. Sed longum nimis eſt perſequi omnia: eædem cauſæ commodè à modò nō rerum harum imperito prorſus, applicari reliquis omnibus poterunt.

Ex auiū genere, præter Aquaticas, nullas propè habemus ad ſaliendum idoneas, nimirum iiſdem de cauſis natiuæ ſiccitatis: conuerſaque ratione Aquaticæ ſaliuntur, ob pituitoſiorem humiditatem, quam ſal diſcutit, vnaque carnis ſubſtantiam non nimis mollem attenuat ſimul, & adſtringit, qua dictum antea ratione. Turdos tamen, Merulasque, & auiculas prętereà quaſdam, toto vertentis anni decurſu aceti tantummodo perquàm acris cōdimento aſſeruatas vidi, guſtauiq́;, ſapore propè iam alio, quū carnem totam peruaſiſſet aceti acrimonia, deſtructo ſubſtantię temperamento; porrò autē ita extenuatis oſſiculis, per totum omnibus, vt filamentorum tantummodo quorundam ſpecie apparerent, ac ne commanſu quidem deprehenderentur. Quo modo multa quoque alia diutiſſimè incorrupta ſeruari didicimus Salgamariorū artificio, quæ Salſura non poſſent: at quū hæc adhiberi rerum conſeruationi poteſt, longè melior haud dubiè conduturæ eius ratio, quippe qua ſuperfluitates conſumptæ diſcutiatur, craſſities verò attenuetur, manente ſubſtantia; non, vt ex aceti acrimonia, pereunte propè tota.

Multo maior exercetur piſcium Salſura, multoque plura ex his Salſamenta, nominatioraque, & longiùs petita. Tametſi pernas olim Roma ex Prouincia expectabat, quas Vienna mitteret, & nunc Morini iactent ſuas, plurimaque ex Italia importentur alienis Regionibus farcimina: at piſcium tamē celebratior Salitura ſemper, atque vndique ex maris accolis, præcipuè verò ex Ponto, in omnes gētes delata multorum generum Salſamenta. Hoc illis ſcilicet temperamentum proprium, naturæque ratio ſuæ dedit, vt idonei ad ſaliendū, bona ſanè pars, eſſent; excrementitia propè omnes carne, &, quæ ſalituram facilè admittat, duritie: quorum ſi alterutrum deſit, ſaliri commodè nequeant. In Mullo piſce, ſimilibusque alijs, durities: at carente excrementis eo, quæ ſalis facultas digerat, totus exuccus redditur, & cibo inutilis, ſi ſaliatur. Rurſus in Saxatili piſcium genere teneritudo, deficientibus hîc quoque excrementis, ſale contabeſcet. Multo maxima verò pars ſalſuræ apta, quoniam plerique omnes excrementis redundent, eaque carnis conſtitutione ſint, quæ ſalis vim acceptam aptè ſeruet.

Itaque ταρίχη, & τεμάχη apud Græcos, piſcium ſemper lego σκόμβρων, κεστρίνων, κύβων, θυνίδων, multorumq́; prætereà aliorum: vt piſcium tantùm propriè ſalſamenta ſignificentur vocibus his, aut ſalſamentorum fruſta, reliquis ſeruato τόμοι vocabulo. Iam ὠμοτάριχον quis neſcit? quod ſalſi propriè Thunni eſt, noſtris Thonnina: ſicuti ex Marione Morona, & Schenale, quaſi ſpinale à parte dorſi prope ſpinam. ὠὰ τάριχα, noſtris Botariga, ſalſa propriè quidē Mugilum & Cephalorum cum matricibus ſuis oua, ſed & aliorum, quæ propriè rurſus Cauiaria vocent noſtri, Huſonum inprimis, ſeu, vt nos quidem credimus, Marionum, audio, & Cyprinorum, in Iudęorum vſum, quòd piſcibus, vel ex piſcibus aliquo pacto veſci non ſquamatis religio ſit genti.

Garum certò quid ſit, in ambiguo eſſe adhuc video. nam Muria haud dubiè, id quod noſtri Salmura, conditurę ſalſamentariæ ius, liquórve, ἅλμη Græcis, Muria Latinis, vulgus ex vtroque Salmuram ſibi fecit. Etiam Alex, vel Alec, Latinorum quibuſdam dicta: ſed impurior, vt Eruditiores volunt, & fæculentior: quibus id coniecturis adducti ſcripſerint, non edidêre.

Garum, licèt iidem reclament, quædam perſuaſionis facere àliquid poſſe vidētur, vt Cauiarum eſſe noſtrum credamus, aut huic valde proximum. Neque enim, quæ tam proximè ad Garum accedat, vocem habemus vllam, potueritque ideo (ſic ſæpe in multis inuertente plurima longioris temporis vſu) non ſanè difficulter valde, ex Garum, primò Gauarum, tum Gauiarum, deinde etiam Cauiarum, fieri. Prætereà legas alicubi, principibus viris peculiare fuiſſe Garum, atque in delicijs habitum: & nunc ſanè habētur, ſæpeque amicorum potiſſimos ſelectioris Cauiarij munuſculis honeſtamus. Idque etiamnum magis credemus, ſiquidem (vt non ineptè quis exiſtimet) Mugilum tantùm ὠὰ τάριχα eſſe dixerimus, matrice ſua, aut alioqui membranulis cōtenta; reliquorum autem piſcium ouis, aut certè extra matricem ſuam qua-

cunque ratione salitis, id nominis nō conueniat, accedente præsertim vulgi hodie quoque loquendi consuetudine, deducta traditaque à maioribus: Botariga certè nobis Mugilum tantummodo oua, aut, si quorū aliorum, (quod nescio) intra membranas tantùm eo, quo Mugilum oua, modo posita, salitaq; significant; alijs autem, aut aliter sale conditis piscium ouis, Cauiari vocabulum dedimus. Quæ ne veteribus, quos tam rerum harum studiosos fuisse constat, innominata relinquantur, quum ὠὰ τάριχα non sint, Gari credamus nomine significari illis solita, aut ea, aut liquamentum ex his. Liquamen enim proculdubio Garum, quod τάριχος etiam, quasi γάριχος dictum velint, παρὰ τὸ εἰς γάρον ἐξιχωρίζεσθαι, quòd in Garum eliquaretur: vt hinc iam aliquid sententiæ propioris de Garo tenere possimus, liquamen omnino quum sit, iuxta quoque Dioscoridem, idque ex salito pisce, siue ex toto, siue verò ex nobiliori parte aliqua, vt intestinis, visceribusque, quod quidam arbitrati sunt; vel, quod mihi quidem verisimilius videtur, ob dictas paulò antè causas, ex sale quoquo modo cōditis piscium ouis, propterea quòd hæc longè eliquari meliùs, ac iurulenta fieri, quum priùs sale tacta veluti tabescentia computruerint, possint. Est autem γάρος Græcis, nihil, quàm putredo, aliud. Distat à Muria, quòd hæc salsuræ tantùm liquor sit, & ius, quo pisces seruantur: Garum ex colliquati corporis substantia constet, eo quòd, antequàm salita oua delicuerint, Gari liquamentum non extat. Ita fit, vt Cauiariū nostrum, veterum Garum esse arbitrer, aut proximam certè eius materiam, quę accepto humore aliquo paulò liquidior, ac mollior fiat. Atq; huic si prætereà aqua addatur, Hydrogarum; si oleum, Elæogarum euadet: si acetum, Oxygarum, quemadmodum ex aceto & muria ὀξάλμη fiebat. Sic sanè, quanuis haud dubijs coniecturis suspicemur ita esse, certum tamen parandi modum ignoramus: ita periêre nobis alia quoque, veteribus celebrata, Salsamentorum genera. Nunc apud Salsamentarios Scombri, Sardinæ, Anchioceiæ, Mugiles, Passeres, Soleæ, Sardæ, si Pelamides hæ sint, ex Thūnorum genere, quibus similimę esse dicūtur, vt Thōnina hæc nostra sit, ex Thunno, & Galeni Sarda, seu Pelamide, similitudine inter se vix dignoscenda.

Et quoniam seorsim Pelamidum Galenus meminit, diuersas faciens, quo de Salsamentis loquitur, loco: recordari oportet eorum, quæ de dura carne præditis piscibus scribens dixerat priùs: Pelamidas ex Ponto salitas plurimas, quæ salsamentis optimis bonitate certarent, solisque ex Iberia Sardois cederent, afferri solitas, vocarique tunc consuêsse ab omnibus salsamenta ea Sardas, nimirum desumpto, vt in multis vsu venit, à nobiliori, impositoque Pelamidibus vtrisque Ponticis & Sardois Sardarum nomine. Thunnorum non minùs salitorum ibidem fit mentio, sed teneriorum, qui magnopere laudantur, sed infra Pelamidas tamen. Ex his, Thunnis dico, tenerioribus Thonnina nostra haud dubiè, sub qua arbitror & Pelamidas ad nos deferri salitas, diuendique Thonninæ omnes nomine inter salsamenta nostri temporis nobilissimæ, vt Galeno tum Pelamides, Sardæque suæ, & Sardica fuerant.

De Salsamentis ex Oceano: & de Fluuialium piscium Salsura, conseruandiq; hos ipsos aliter etiam formula. Et Salsamentorum facultates omnes, ac nocumenta.

CAP. X.

Hodie, præter veterum Salsamenta, ex Oceano (vnde tunc Salsamentorum, quod legisse meminerim, allatum fuisse constat nihil, nulla quidem horū apud illos mentio) Salmones, & Harēchos habemus, Germaniæ toti longè lateque frequentissimos, salitos hosce ex toto: at Asellos & Passeres semisalitos potiùs, τῶν ἡμιταρίχων more, benè aūt exiccatos, duratosque Sole, frigore, fumo, vt Aselli ad vsum tundi diu fustibus postulent, aquęque priùs maceratione emolliri; vnde illis Germanicum nomen, Stockfisch; sicuti Passeribus, Platais, inter planos numeratis. hi pręmaceratione aquę contenti in culinam veniunt. Salmonibus & Harenchis etiam maceratio ex aqua conuenit, sed ad deponendum modò salsuginis aliquid, non, vt duritiam exuant, quam non habent. Harenchis, ex Alausarum & Thrattarum genere, fecerunt Eruditorum aliqui etymum propè Græcum non inscitè: non paucarum quippe literarum sono τάριχος & Harenchis conuenient, mutato in aspirationem τ, vt alibi in consonantibus quibusdam fieri videmus, ἕξ sex, ἑπτὰ septem: vt eodem modo, sed conuersa ratione, ex τάριχος, Harichos primùm, deinde & Harinchi esset.

Sale condiuntur ex fluuiatilibus & lacustribus, aut durantur fumo, Lucij, Trottæ, Salmerini, Agones, siue Aquones, & Sardenæ, & ex Lario Aquunculi, digitali magnitudine sapidi, delicatique. Apuæ Benaci, & id genus pisciculi, multis cōmixti lacustribus Squillulis expansi siccantur

ad So-

ad Solem, asseribus impositi, digestique, vt passos dicere liceat bifariam: quippe Solis vim patiuntur; & expansas manus, expansos crines, passas passosque dixisse classicos Authores Latinos inuenias. Carpiones ex Benaco salsuram ferre diu nequeunt: modico sale inspersisse, incoxisseq; oleo, summa ratio est: neque tamen, vt dixi, diuturnam temporis moram tolerant; trium tantùm summum septimanarum diuturnitas, post id putrescunt, exolescentes iam.

Hæc fuerunt dicenda, vt Salsamentorum ratio aliqua constaret, néve in aliquo, quod huc spectare videretur, deciperemur.

Cæterùm Salsurę omnis vsus ex eo ęstimandus, vnde primùm ea constiterit: vt, quoniam omnium priùs naturæ, alendique explicatæ facultates sunt, in eas omnia referamus, eo, quòd temperamenti, naturæque adhuc suæ aliquid omnino retineant, modò salsuginem rectè acceperint, fuerintque ad saliendum idonea. Etenim, quæ ex salis conditura durescunt magis, neruosaque fiunt, cutisque, ac corij instar assumunt; nec Salsuræ apta sunt, & concoctu difficilia cuncta inprimis euadunt. Ea autem sunt, quæ excrementis carere diximus, suapte antea quoq; natura dura satis: at excrementitia, duraque, nec valde tamen, sale suo condita, cùm excrementorum minus obtinebunt ex conditura absumptorum; tum verò attenuabuntur, penetrante duritiem omnem salis, quodcunque illius siccandis digerendisque pituitosis excremẽtis superfuerat, vi; vnaque, duros, crassosque, ac glutinosos humores attenuabunt ipsa, & hærentes ventriculi, viscerumque tunicis ac vijs dissectos incident, vt detergeri deinde minimo quouis abstergente promptè queant. Etiam addendis Veneri stimulis commendationem adepta, eadem de causa, incisa nempe, dissectaque egregiè pituita, vt concoctionem meliùs subeat, sanguisque fiat, suppeditata ita generando inde copiosiùs semini materia; simul inter incidendum pituitæ concoctionem, quod semper incidentia quæque faciunt, molita; hîc vero etiam calorifica salsamenti qualitate, cõcoquendi semperactionem promouente, adiuta: eoque senibus sæpenumero, naturisque frigidioridus, accommoda: deiectam quoque sopitamque appetentiam excitant. Sed sitim adferunt, orique ventriculi inflammationem addunt, & exassant sanguinem, quasique densatũ cogunt siccitate, ne permeabilis sit, paulò magis immoderato vsu, adauctaque succorum malorum prauitate plurimum atræ bilis suggerunt.

Laudatiora, quæ minùs pinguia. Nam pinguia occasionem dare Elephantiaco affectui non minimã, pro certo existimantur: nec aliud esse causę arbitramur, quamobrem tam in Morinis, totaque Inferiore Germania multos, frequentesque, maximè inuictum morbi genus id correptos inuadat, quàm pinguiorum Salsamentorum, salitique ante omnia Laridi, crebrum nimis, inque omnes propè mẽsas, missusque, perque fercula cuncta, receptum vsum, vt, si nihil aliud, at panem semper atrum albúmve hoc ipso illinant, prandiaque sæpe sua ita ac cœnas finiant: vnde concepto sanguis igne ex inflammabili materia, in melancholicum humorem facilè, tum deinde, paulò maiorem corruptelam indeptus, in atram quoque bilem ipsam degenerans exuritur hoc, Salsamentisque piscium alijs multis, prauique succi cibi: hoc verò, vt dixi, inprimis vsi, incurrunt morbum, accedentibus vtique causis quoque alijs, sed hac potissimùm sontica, quę affectum huiuscemodi effectum inter primas consensu omnium reddat.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DECIMVS SEXTVS.

Cibi & Potus discrimina, nomináque, ac natura diuersa, & in quo conueniant.

CAPVT I.



Peregimus rē Cibariam omnem, vt, si quid intactū præterijt, nō satis animaduersum, possit sibi solers quicunque, neque omnino oscitabūdus Lector, tradito antea tanto, totque cibariorū specimine, in quæcunque dicta de rebus his non fuerint, ex iam dictis, veluti traduces sibi facere, sumptoque similitudinis exemplo, vel quum noua prorsus occurrerint, statuere tamē de rebus omnibus aliquid rationibus nixus, & experimento, quo potissimùm alimenti totius ratio constat.

Nunc Potus restant dicendi nonnulli, ipsi quidem quoque alimentorum rationibus contenti, sed potus tamen loco, cuius ex parte diuersa esse ratio à cibi ratione vel ob id videtur, quòd siccioris alterum naturæ, humidioris alterum necessariò statuatur. Atque ita, quod in nobis siccioris substantiæ exhalatione amissum perijt, cibo; quod humidioris, potu introductum instauratumque restituitur. vtroque tamen aliti nutrimur semper, dicique ideo alimentum vtrunque, alimentique meritò contineri rationibus debebit: vt mirer fuisse Galeni tempestate inuentos, qui Vinum, ex præstantia quadam potus maximè nomine dignandum, alere quidem dixerint; at alimentum, quod illis τροφὴ erat, dicendum non esse contenderent, nimia animi peruicacia, & litigādi studio, idque verbo tenus: quoniam rem concederent, verbum negarent. τρέφει ὁ οἶνος, ἀλλ' οὐ δεῖ τροφὴν αὐτὸν ὀνομάζειν. Alere & nutrire dicis, alimentum & nutrimentum non dices? Quis hoc vnquam Sophista vincet? Illud potiùs dicerent, quum non deessent copiosissimę dialecto voces, τροφὴ, σιτίον, ἔδεσμα, τροφὴν vtrunque esse, διότι τρέφουσιν: alterum verò σιτίον, καὶ ἔδεσμα; alterum ποτὸν, καὶ πόμα. Nos, nec significanter fortasse nec copiosè minùs, nutrimētum, & alimentum vtrunque: hoc verò escam, cibum, esculentum, edulium; illud potum, & potionem dicemus. Liquores etiam possimus, vel, si mauis, succos: quoniam succum vini, liquorem olei, dixerit Plinius. Sed quia liquida multa, aut liquefacta, succosaque, pro esca nobis sæpe cedunt, escaque sunt & cibus, vt iuscula, & pleræque sorbitiunculæ; potus, potionisque in hoc satisfacient nobis nomina.

Qua significatione Vinum inprimis Aquamq; accipiemus, tum Ceruisiam factitiosque potus omnes, Acetum, Mel, Saccharum. Vinum verò Aquamque iustissimi potus rationibus censeri debere existimabimus, quanuis aqua corporibus alimoniæ prorsus nihil de suo, nisi secundaria quadam ratione, conferre demonstrabitur: Ceruisiam & similia etiam vini more alibilia dicemur. Acetum autem, Mel, Saccharum, condimentorū potiùs subire conditionem credemus: veruntamē, quoniam eadem in Salubri hac Medicinę parte iustarum plerunque potionum vices præstant; Acetum verò vini ceu soboles, aut abortus veriùs habetur: in hanc tractationem non absurdè prorsus, vt arbitror, venient. De Oleo porrò, & Lacte; altero, quum de olea inter Plantas; altero, quum de Quadrupedibus scriberemus, tractatum satis fuisse existimo, vt repetere hîc necesse non simus habituri.

Examinata Potus diffinitio, tradita ab Authoribus: Tum quæ Cibi, quæ Potus natura: Fames, Sitis cuiusmodi appetitus: ac Potionis specie Iura quomodo Cibus tamen sint. Proprium ac peculiare Potui.

CAPVT II.

In commune paucula priùs quædam dicenda esse videntur de Potu. Hunc ita diffiniērūt non ignobiles Authores, vt rem non naturalem esse dicerent, actu humidam, qua

qua cibi in ventriculo permiscerentur, deferrentúrque in corporis partes. Non naturalem acceperunt, vt alia, quæ ita appellant Medici, & Sanitati tuendæ dicatam Medicinæ partem inprimis atque vnà constituunt. Hoc nondum à Cibo, aut edulio, aut esca dispescit Potum: nam & hæc inter res non naturales sex, quarum partim prolixè meminimus antea ab operis totius initio hac vsque tenus; partim memorandæ deinceps nobis restant: quin duo hæc ex sex illis caput vnum, vnáque faciunt, Cibus & Potus. At, actu humida, additum distinguit: dicent. Non est satis: nam nec iuscula carnium multa, nec sorbitiunculæ, Potus vicem ritè implebunt; longè minùs marina aqua. Sed nec, permiscendi in ventriculo cibi, deferendique per corpus, facultas, Potui tributa, Potum constituerit: quando eadem illa, iuscula & sorbitiunculæ, marisque, aut sulphurea Thermarúmve aqua, idem præstiterint; nec pro iusto tamen potu fuerint. Omisisse videntur, quo maximè addito Potus statim legitimi natura existat: id erit, actu non modò humida, sed vel maximè potentia ac facultate, benéque præterea humida res, vt sit frigida quoque actu non minùs natura quidem sui, quando aliqua aliquando de causa actu calidam bibendam esse Galenus consuluit. Facultate igitur nihil vetat moderato esse illam aliquando calore, modò benè actu simul & potentia, vti diximus, humida sit, nec calore excedat: aliter sitim non extinguet, aut deperditum humidum instaurabit.

Ita sanè ne carnium quidem iuscula elixarum, valde licèt humida, liquidaque, sitis auferre multum videmus: quòd potentia nimirum ac facultate siccitatis in his nonnihil contineatur, elixatione, ignisque vi, de solidioribus elixarum carnium partibus detersæ, atque eductæ. Quocirca pro cibo potiùs habemus cùm hæc, tum quæcunque alia, tali aliqua ratione modóque parata iura. Etenim si, quæ elixantur, cuncta, quo magis magisque elixatio processerit, eo plus semper ac plus, de substantia, qualitatibusque suis deductum reponunt iuri, eo quòd sæpe pingue primùm elici, ceu tenuiorum partium; tunc magis magisque crassescere iura videmus, vt refrigerata densentur statim; multum acquiri inde solidioris substantiæ, siccitatisque, quæ Cibi naturam expleat, perquàm esse necessarium videtur. Neque enim Cibi siccitas ea semper intelligenda, quæ terrestrem, aut duratam, firmámve substantiam referat: sed solidi si aliquid demum inest, id scilicet satis est, vel præsens quod appareat, vel quod expectetur.

Sicci dicimus appetentiam esse famem, vt sitim humidi: at non sic siccum, siccum penitus, durúmque vt sit, accipimus. Vitulinas certè, suillas, caponum carnes, triticeum panem ipsum optimè nutrire, famémque lenire posse credimus, experimúrque: atqui humida hæc temperamento suo, aut certè non sicca. Sicci appetitum accipimus, quasi solidæ alicuius rei, firmæque; minimè verò semper terrestris, prædurǽve, aut exuccæ. Quin huiusmodi ne elixari quidem possunt, vt lignum, quod Aristoteles (Meteor. iiij.) elixationi ineptum esse scripsit; in quo humor licèt aliquis, at extrahi ille ignea elixationis vi non idoneus: tanto minùs lapis, in quo nullus. Duo igitur assequimur elixando: humorosæ plurimum, solidæque substantiæ aliquid elicimus. Solidam hîc voco, etiam non fluentem, nisi calore liquatam; vt pingues, seposæque partes sunt, quarum plena sæpe iura conspicimus: & quanuis liquidæ actu, atque in præsentia, ob calorem; solidioris tamen substantiæ non parum semper retinent, elixatione eductum, qua reliquum quoque attenuatum emollescit totum, si rectam susceperit elixationem, fitque ita esui aptum; & accepta ius alimenti parte, esculentum ipsum quoque euadit, quantunuis potionis specie repræsentetur. Ideo Sorbitionum, & Sorbitiuncularum nomen acceperunt, rectiùs veriusque, quàm Potionum, vt Cibum esse escámque intelligeremus, elixationis nomine, quæ ad cibi semper vsum paratur, significationéque contentam, siue esu commansúque, siue verò sorptu cibus accipiatur. At potari dicuntur iuscula, dicent. Fatemur: eadem & sorberi tamen. οὐ γὰρ ἀρτία, summus Philosophus (Meteoror. iiij.) dixit, κεῖται τὰ ὀνόματα ταῖς διαφοραῖς. Non omnibus, inquit, differentijs rerum imposita nomina sua significanter prorsus sunt, vt paria omníno cum illis faciant. Atque hîc tamen rectè ritéque Sorbitiunculas vocâsse nobis licebit, quæ Greci ῥοφήματα, quæ in speciem tantùm Potionis valeant, vsum nõ referat; relicto Potus vocabulo iusto magis, rei, quę huius ipsius substantiã verã vsumque, actu ipsa inprimisq; facultate humida, exhibeat: quod in diffinitione, quam initio præscripsimus, omissum, mancam illam, potissimáque sui parte defectam, relinquit.

Atque hæc eſt Potus natura, benè & apprimè humida vt ſit, non modò viribus ſuis, ac facultate, (quanquam hoc maximè) verùm etiam ad ſpeciem, quod actu eſt: vt, niſi hoc fuerit, Potus iuſti naturam & conditionem non expleat.

Non ita in Cibo, qui, quum eſſe ſubſtantia ſua ſicciore, ſolidáque, & firma debeat, Potionis licèt ſpeciem ſæpe referat liquidioris: at eſſe haberique Cibus, illiusque elargiri vtilitatem actu humidus poſſit: neque tamen tantum, huiuſmodi quum ſumetur, legitimi Cibi munera officiúmque, quantum forma conſtitutionéque ſua ſumptum, præſtabit; præſtabit tamen, firmæ in ſe aliquid ſubſtantiæ facultatem retinens. Ob id fit, vti mitigandæ fami etiam iurulenta ſæpenumero factura ſatis ſint, faciliórque ſemper hoc pacto inuenta fuerit ſedandæ famis, quàm ſitis; & ſiccum, quàm humidum, hoc quidem in negotio, ſolidioribus intimè partibus addendi, ratio; longéque adeò vehementiùs ſiti nos, quàm fame vrgeri, maioréque in eo, ac immenſo, ſæpéque nulla ratione ferendo deſiderio teneri, impenſeque affici experimur, propterea quòd promptior, ac paratior, domandæ leniendæ ve fami, ad manus materia vtraque, ſolidi ac liquidi ſpecie, futura ſit, quàm reſtinguendæ ſiti, ſub liquidi ſemper ſpecie, atque ea cum frigido offerenda.

Hinc ſanè & vehementior appetentia, quo minor ſemper copia recti quidem & legitimi Potus: deſiderijque maioris ſignificatio ex hoc, quoties ingens quodpiam atque immenſum rei cuiuſpiam deſiderium ſignificare volumus, μεταφορικῶς, Affici nos rei eius ſiti, dicimus. Tranſlatitiumque iam hoc propè eſt, tranſlationibus his quotidiani ſermonis vti, quum Sitire nos, non ſolùm inimicorum ſanguinem, ſed vindictam, perniciem, cædem, ſalutem quoque amicorum ſępe dicimus, & huiuſmodi, ardenti deſiderio oſtenſo, ſitis nominę; famis non itidem, aut non tam ſæpe. Audio ex Virgilio: Auri ſacra fames. quippe ſitis illi tum, quanquam Carminis ratio admitteret, maiórque futura fuerit ſignificatio, repurgatiſſimæ, acerrimóque ſummæ Poëtices aceto lotæ, aures non admiſerunt. Eſt ſanè id, quod dicebamus: Sitimus acriùs, minorique moleſtia, ac tolerantia maiore famem, quàm ſitim, ferimus: vt audierim, à perditiſſimo ſicario quùm extorqueri perpetrati ſceleris confeſſio nullo pacto poſſet, ſomno potuq; negato, faſſum cũcta. Tãta eſt ſitis vis, & coniunctũ cum ea explendæ neceſſitatis eiuſmodi deſideriũ: eoq; non iniuria facultas ad id inprimis quidem humefaciendi, ſed coniuncta quoque requiratur potabilis formæ ſpecies, quę liquente, actu, humore conſtat, vt iuſtus legitimuſque Potus ſit.

Iccirco quæcunq; gẽtes vicarias vini Potiones excogitârunt, Zythum Aegyptij, vt Theophraſtus & Plinius tradiderunt, paraturque ex hordeo, Dioſcoride authore; nobiſq; ignotas hoc tẽpore Cæliam & Ceriam Hiſpaniæ olim; nunc Hiſpaniarum pars Cantabri mõtana ſuum ex agreſtibus pomis Potũ; Ceruiſiã Germania, & Septẽtrionalis plaga, ex tritico & lupulo, vel, tritici loco, hordeo; Mulſi genera Scythæ, & Sarmatæ, quod Metum vocãt, ex melle, aut ſaccharo; præterq; ex frugibus apud alias gentes quædã, milio, panico; quin ex lacte, acidiſq; Ceraſis, & alibi aliter; atq; haud ſcio an Vergiliũ ſequuti ex Sorbis nũc aliqui conficiant: omnes in vniuerſum eò tetendiſſe videntur, quorum quidẽ ad nos cognitio peruenit, vt aut ratione adducti, aut vſu edocti, Potiones ſibi parãdas cẽſuerint, humoris maximè facultatibus pollẽtes, etiã in ſpeciẽ, quæ humidiſſimæ, liquẽtiſſimæq; eſſent; craſſiores & turbidiores vitarẽt. Sic ne Vinũ quidẽ ipſum craſſum adhuc, muſteumque, nec niſi quod deferbuerit iam, tenuiſſimarúmque inde partium, ac ſubſtantiæ pellucentis, dilutique coloris factum, ad potandum idoneum iudicamus, laudamúsque.

Permiſcendi autem in ventriculo Cibi vſum ex Potu, quod illi addidêre, proprium ducendum eſſe Potus non dicemus: idem videlicet ex iurulentis quoq; cibarijs, quæ diximus, nec multo ſanè maiore negotio aſſequemur: ſicuti nec diſtribuendi diducendi ve per corpus alimenti. nam & id liquidiores cibi facient: tametſi iuuari Potu hæc quoque inprimis non dubitamus, tam familiari, (vini præſertim) naturęque noſtræ maximè amico. Peculiare vni, perpetuumque Potui id eſt, ſi ritè & ex natura reliqua adſint, quod deperditum humidioris ſubſtãtiæ fuerat, corporibus addidiſſe, ſitimque extinxiſſe, emendata ſiccitate. Quod humore maximè fit aliquo, puro, liquidoque, actu quidẽ quoq; & in ſpeciem, ſed (atq; adeò ante omnia) facultatibus etiã ſuis tali, vt, quod exhalationes, trãſpirationesq; continuæ depleuerint, humefacto coorpori toti, quantũ fieri in hoc poteſt, & naturæ noſtræ conditio fert, repletum per omnia addatur. Hæc addenda de Potu fuerant nobis, paulùm quidem euagatis, cæterùm cognoſcendæ meliùs Potus naturæ fortaſſe non prorſus incommodè.

De Vini

De Vini temperamento controuersia olim, núncque agitata. Eius natura expenditur, caliditatis & sicci-tatis argumenta colliguntur: afferuntur rationes Physicæ, tum Medicæ. Humiditatem dein in purum, syncerúmque, ac meracum inuehentium diluuntur argumenta.

CAPVT III.

Nunc te, Bacche, canã, seu dicam potiùs tenuissimo orationis filo. Neq; enim oportet afflatos numine, aut Tragico verborũ apparatu aliquo, orationem instituere, quo loco nihil aliud, quàm rerum veritatem, inquirendã, veritatem retinendam habemus. Tametsi nõ inquiremus hoc loco: retinebimus potiùs, quæsitam diu antea, inuentámque nobis, nisi me spes fallit. liceat enim hoc hîc ita profiteri, minimè quidem gloriabundos. Quæ enim gloria, in paruula re, pauculáque, pauxillulum nescio quid animaduertisse, inanimaduersum alijs? seu dedignantibus ad hæc accedere, seu conniuentibus interdum oculis Authorum loca transmittentibus, aut trãsilientibus etiam, siue humano more labentibus, cæcutiente luminũ acie, quæ aliâs perspicacia veritatis tantùm splendor quidam perstringit, tenebræ verò offuscant. Labor est is noster studiorum, non gloria; animiq; oblectatio quædam, non iactantia, inuenisse aliquid in literarum indagine, non magnum licèt, quod animum tamen capiat, rationemque & mentem expleat. Id est de Vini temperamento, de quo non nunc primùm, aut patrum tantùm, auorúmve nostrorũ memoria; sed multo antè quæri cœptũ fuisse legimus, Calidum'ne & siccũ, an calidũ potiùs & humidum, dicendũ habendumq; esset? insequutisq; deinde ætatibus, quũ certi quicquam statui de hoc nondum posse videretur, rapientibus, diuisis semper sententijs, in dissensionẽ cuncta Medicis: memoria demum nostra vigente vel cùm maximè controuersia, Veronenses Medici diducti in partes, summæ eruditionis, & ingenij perquàm acris viri, quum nulla concordiæ iniri ratio cõmoda posset, multisq; vtrinq; argumẽtis, & testiũ authoritatibus decertaretur, disceptatores sibi elegerunt super re ea, quorũ iudicio staretur, eiusdẽ ciuitatis viros doctissimos. Hi veluti de communi sententia pronũtiãrunt ex loco superiore, finisq; impositus contentionibus, nec à quoquam prouocatum. Sed nos ante viginti plus annos, quum nondũ cognitum haberemus vtra pars causa cecidisset, laboremq; suscepissemus ex Galenicorum librorum lectione, non admodum cohærere visa, loca tum quædam componendi inter se, ac conciliandi, locusq; is de Vini temperamento ante alios occurreret excutiendus: examinatũ excussimus, edidimúsque cum alijs, facto titulo Enantiomatωn. Quam quidem nunc quoque de rebus his sentẽtiam in publicum emissam, aut opinionem meam tanto interiecto annorum tot spatio premere, quasiq; fouere cogor: postquàm tanta temporis intercapedine, diligenti lectionum mearum qualiumcunque obseruatione, &, quantum studiorum meorum tempora ferunt, inquirenti semper in hæc, fermeq; animaduersionibus multis insectanti, nondum tamen inuentum quicquam esse affirmare possum, quamobrem discedendum mihi à priore sententia esse arbitrer, quam præsertim tantum iam temporis ratam fecerit, firmamque, & (si detur venia vera dicenti) quam (quod quidem non minoris facio) Gymnasij Patauini primarius Professor, non multo post editum libellum, in quo hæc cõtinebantur, in publicis Scholis, frequenti auditorio, alijs cunctis prætulerit, ingenuè tum professus, id de meis studijs esse. Quæso obtestorque, ne arrogãter hoc à me, sed stabiliẽdæ tantùm sententiæ meæ causa, dictum accipiatur, cui subscripsisse videã maximæ authoritatis, summaque semper cum laude publicè, in tam celebri Gymnasio, supra triginta, nĩ fallor, certè non multo pauciores annos profitentem virũ, cuius nomini parco, libenter nomen quoq; editurus, si nominari se velle scirem. Sed nimis iam profectò multa de hoc. Extant legere volentibus cuncta, tum aliorum, tũ nostra, de quibus rectum demum iudicium ferant: neque nos sanè, quum mutaturi ea non simus, iteratò hîc ea repetere necessarium habituri ideo fuerimus, nisi noua quædam occurrerẽt paucula, quibus velut redintegrata firmari etiamnum meliùs visa fuit sententia nostra. Ea, quàm fieri id à nobis hîc poterit breuissimè, adscribere non grauabimur: fortasse nãq; aliquid inde operæpretij existet.

Sũma controuersiæ totius, & ceu causæ status, in eo versatur, ꝙ nõ tãtùm summorum Medicorũ authoritates, & testimonia diuersorũ inter se, calidum & siccum alibi statuerint nobis, Vinũ calidũ & humidum alibi: verùm etiam rationes & argumenta alia aliud, atque aliud alia, demonstrare videãtur. Iam primùm omniũ Galenus (vt cum Medicis nobis res sit) calidum siccumq; Vinum esse pronuntiat, idq; eo loci, (De simpl. medi. fac. viij.) vbi de plantarũ, succorumq; omnium fossiliũ, animalium temperamentis ex professo agit, mediæ ætatis,

tatis, ſecundo, à iuſto æquoq; temperamẽto, receſſu; benè vetus, tertio; nouum muſteumque, primo. Hunc ſequuti ſunt Græci, Arabesque Authores in hoc. At idem rurſus Author Galenus (De tuen. ſanit. j.) puerili ætati Vini vſu interdicit, quòd abunde calefacere, atque humefacere corpora ſolitum Vinum ſit, quo quidem minimè egeat ætas ea, per ſe in id prona: ne ſcilicet ſupra modum excreſcat calor. Ibidem adulta iam ætate concedit, tanquam quo inprimis ſolidæ partes, vel laboribus in ſiccitatem, vel proprio ætatis temperamento actæ, benè humeſcant; tum alitæ reficiantur, vnáque biliosi humoris ſuperfluitas per vrinas, ſudoréſque protruſa expellatur, &, quod reſtat, contemperamento mitigetur: quæ profectò non niſi humefacientis qualitatis beneficio perficiuntur cuncta. Senibus item Galenus Author idem, eiuſdẽ in operis Gerocomica parte, quòd ætas ea iam quaſi ſanitatis limites ſiccitate egreſſa, contrarijs reuocanda ad temperamentum ſit, bibendum Vinum conſulit, non alia de cauſa, (neque enim aliam ibi inuenias) quàm vt ſolidæ illorũ partes, quatenus liceat, humefactæ reſtituantur. Cuius itidem ſententiæ ſubſcriptores habuit Græcorum Arabúmque propè coryphæos, quos non video neceſſum eſſe hoc loco ſingillatim, nominatimq; referre, in aperto poſitos adire cupientibus.

Atq; hæc ferè ſunt receptiſſimæ authoritatis teſtimonia iuratiſſima. Nunc rationes & argumenta trademus, ſed præcipua. Quum enim diſcordes ferri Galeni de re hac ſentẽtias, & fautores, ſequaceſq; vtranque ſententiæ partem inueniſſe ſuos, Græcos, Arabaſque, viderent, Latinorum quidam homines acuti, rationibus atque argumentis confirmare conati ſunt, quam ſibi quiſq; ſequendam, tuendámque ſumpſiſſet. Neque aliunde exorta eſt hæc quæſtio, quàm ex diſcordibus primùm Galeni eadem de re dictis: Quod fieri de Authore tanto, non, niſi rationibus certis adducto, potuiſſe arbitrati ſunt: itaque has poſtmodum quæſitas addidêre.

Caliditatem & ſiccitatem Vini oſtendere multa poſſunt, tam de Phyſicis, quàm Medicis rationibus petita. Accipiendas autem eſſe tota hac diſputatione qualitates has non actu, ſed potentia, & poteſtate tales, etiam nobis tacentibus, clarum, atque apertum omnibus eſſe debere opinor. Etenim quicunque ſucci huius (vt aliorum omnium debemus, quorum temperamentum examinandũ ſumpſerimus) naturam inſpectam diligenter inprimis conſiderârit, is, Herculè, partes ineſſe calidas in Vino, nec paucas, nec paruas, manifeſtò ſatis animaduertet, ad calefaciendi opus, à calore noſtro non magno negotio deducendas; imò ſubſtantiam atq; eſſentiam eam, qua verè atque inprimis Vini natura conſtituitur, calore totam conſtare, nõ obſcurè ſciet. Nam quũ naturaliter in vnoquoque ſucco, quod Galenus (De ſimpl. medi. facul. iiij.) animaduertit, quatuor ſtatuantur, aqueus primùm in omnibus, ab initio crudus, inconcoctuſq; liquor; tum propria ſucci cuiuſque, pro plantarum differentijs diuerſiſſimi, natura, atque eſſentia, huiuſque initia, quod illis τὸ εἶναι ſuum eſt; tum ab his ſuperfluitates duæ, craſſior, ac tenuior, quarum altera fæcis, floris altera nomine ſignificatur: in Vini generatione pars ſucci totius, ſeu ſuccus potiùs ipſe, qui Vinũ eſt, viniq; naturam ſolus iuſtam ſeruat, & ὄντως οἶνος Galeno dicitur, igneus totus eſt, ſeminaque eſſentiæ ſuæ, quæ illi ita à natura κατὰ τὸ εἶναι eius attributa fuêre, benè calida ſortitur. Quibus paulatim deinde ſenſimque ab initio ſtatim in vite, vuáque deinceps quoque ſua, Solis præterea caloribus auxiliãtibus, aqueus humor ille excoquatur, præualẽte ſemper magis magiſque ita ſucci totius vinoſa parte, donec matureſcẽtibus exquiſitè vuis, Soliumque multorũ calorificã vim paſſis expertiſque, expreſſus inde ſuccus ebullitione noua, quã ingenitæ eædẽ illę calidiores partes excitẽt, cõcoctione perfectiore ad Vini exactiùs accipiendã naturam elaboratur: imò Vinũ tum demũ euadit, antea ſemina tantùm & igniculos vinoſæ materiæ quoſdã, quaſiq;, dixerim, rudimẽta modò cõtinẽs, quæ tũc demũ deponit, quũ primùm minimè vlteriùs muſtũ dicendũ, Vinũ fit. Hac ſucci huius perſpecta natura, quã ab initio inſiti igniculi, & vrẽtia ſemina inchoent, ſemperq; coquãt, calorificã vim ſuã addãt, abſolutiùs maturiuſq; excoquẽdo æſtuantiſſimi tot dierũ Soles, & æſtatis autũniq; calidiſſimæ tẽpeſtates, quã coctură dixère Authores, ac feruor demũ natiuo intus calore excitatus muſteũ adhuc, veluti denuo excoquendũ, excremẽtiſq; omnibus, quod & fit, repurgandũ excipiat: nullus nõ, niſi rigidioris fortaſſe ceruicis aliquis, calidæ eſſe naturæ Vinũ fateatur. Quòd ſi in ſtirpiũ genere omni, de maximorum Philoſophorũ ſententia, caloris dominium ineſt quoddã: (neq; enim aliter aut erũpere è terra, aut in tã altũ excreſcere, aut ſemina fructuſq; ſuos maturos edere poſſent) hocq; & in Papauere, & Hyoſcyamo, & Mãdragora, & quicquid eſt frigidiorũ Plantarũ, videmus, in quibus opus tamẽ ſuũ exercet calor: quanto id magis fieri exiſtimabimus, vbicunq; multo maiora, manifeſtioráque ſeſe nobis inſpicienda offerunt caloris

opera?

opera? Frigidi munera, adstringere, densare, torpidum, immotúmque facere: calidi contrà, attenuare, diffundere, concoquere, excitare? Hæc in frigidioribus Plantis quadantenus visuntur opera, in quibus nihilominùs vsque eò vincere materiam calor haud potest, vt non frigidam tandem illarum facultatem vsu experiamur. Quid esse caloris dicemus, aut quantas igneæ potentiæ vires, vbi contraria sese detegunt cuncta? Ergo in Vino non solùm calidi initia, quæ Plantis omnibus insunt, vnde exeunt è terra, incrementa sua sumunt, maturantur, ac superantem tamen ad nos frigefaciendum frigiditatem retinent: sed etiam maioris, igneiq; cuiusdam caloris concessa illi à Natura fomenta, quibus supra frigiditatem sese efferat, sensimque consumpto humore aqueo, quem præter tot, (vt docuimus) intrinsecus, extrinsecus coctura, operatique assiduè caloris vim, etiam vetustate delet, caliditatem, abolita omni propè frigiditate, inuehat, & quantum caliditatis, tantum vnà quoq; siccitatis semper accersat. Quapropter quæ ætatem ferre possunt Vina, vt apud Rhetos centum sæpe annorum vetustate inuenta, ea caloris tantum concipiunt, frigidis partibus omnibus aut absumptis, aut in Vini naturam, partésque pertractis, fermè bibi commodè vt nequeant; minimum tunc alimentosæ qualitatis, & eius quidem siccissimæ, retinente Vini substantia, totáque propè in medicatam abeunte. Aetatem vetustatémque si ferre possint Vina, diximus. nam acescentia, aut mucescentia, aut corrupta, aut veterascentia quidem, sed euanida prorsusque euaporata Vini substantia, vappida, nemo incorrupti palati ne bibet quidem, scilicet Vina non deputans. At illa ardentis propè naturæ fiunt, amarescunt nonnunquã, maiorem caliditatem & siccitatem adepta. Ex his, tanquam prompta paratáque materia, aquam sibi, quam Vitæ vocant, sufflones parant, ea igneæ materiæ promptitudine, vt flammam statim è proximo, faciliméque concipiat, conceptamque alat: inde ardentem etiam appellant. quo maius certiusque ostendendæ igneæ naturæ argumentum ne quæras. Illud tamen quoque: Generosi, benéque vinosi Vini odor qualis? acer quippe, ac nares statim feriens, & vnde caloris vim colligas. Sapor itidem acer, sæpe momento os palatúmque caloris sensu replens. Ex Vini verò mustei fumida exhalatione concluso, vt sępe fit, loco capacissimis in dolijs feruidè bullientis, quosdam semiebrios factos scimus, dum vinacea, quæ ferue facto musto superiùs reiectantur, demerentur, elutriando meliùs Vino, transfuasandoque. Scimus & equum eodem aliquando loco stabulantem plùs solito ferociuisse, & furere cœpisse. At hæc calidis exhalationibus facta fuisse, nemo inficias iuerit. Ipsa quidem Ebrietas non aliunde, quàm ex spiritosa exhalatione calida sursum se agente, & mirificis diuersissimarum rerum, pro cuiusque temperamento, formis, species multimodas repræsentante, quarum reddi facilè rationes nequeant quidem, sed rei propinquæ, proximæque naturam, quæ cuique occurrerit, attingant tamen semper. Illud in plenum, quod omnibus competat, acris inprimis calidæque materiæ appulsu id fieri non dubitandum, vt temulentia sequatur, quando lac ipsum subfrigidæ naturæ, sursum actis separatisque, caloris ignei vi, tenuioribus, paulúmque magis calidis particulis, quod vsitato Alembici (sic enim vocant) instrumento facilè consequimur, promptissimè, validissimeque inebriet, nunquam antea id facturum, nisi hoc priùs facto: sicuti ne aqua quidem (quoniam frigida vapores tantùm frigidos transmittunt) turbas illas vnquam ciuerit.

Physicæ hæ sunt rationes, multarum aliarum instar, calidioris ac siccioris Vini naturæ. Illæ medicæ. Vulneribus siquidem exiccatione semper indigentibus vinum adhibemus, idque maximè, quum maximè egere viderimus, hoc est, quum non solùm vlcera ipsa, verùm humescentes etiam plùs iusto circùm partes exiccari postulabunt. Idque Hippocrates & Galenus faciendum consulunt: priuatim verò Galenus. Quod non pro viri authoritate adfero, sed quia, quo loco cõponẽdi Cyphoidis medicamẽti rationem reddit, vini quoque, ex quo partim confit, addit, ibi præter id, quòd nutriat, & concoquat Vinum, & robur addat, & putredinibus resistat, quæ non nisi calorifica vi, siccandique potestate fiunt; Si frigida præterea, ait, fortè & humida intemperies contigerit, eam Vinum molestia absque vlla, & discrimine sanat. Calidum autem & siccum absque dubio sit oportet, quod frigidam, atque humidam intemperiem persanaturum est.

Illa omniũ maxima, & potissima ratio ex Medicorum libris deducta, quòd sitim facere, & vigilias, Vinum legimus: idque experientia sæpe probatum confirmatur, quòd temulentorum facies rubere pustulis exusti humoris redundans videatur, labia exiccentur. Quam dum repetitis meraci potionibus siccitatem emendare se posse confidunt, excitant potiùs, & sitim

sitim augent. Ipse sibijpsi testatur (De rat. vic. in mor. acut. iiij.) aliquando Galenus, ęstatis feruoribus sitienti, meracioris vini potu adauctam fuisse sitim, non, vt fortè futurum rebatur, sedatam. Idem alibi (De loc. affec. ij.) Author Grammatici puerum refert vini haustu antiqui largiore, post longas vigilias, delirio correptum interijsse. Hoc ipsum, vigiliæ & delirium, calidiorum haud dubiè humorum, ficciorumque, & acriũ soboles & fœtura sunt: quoniam ex contrarijs torpescere, somniculosósque fieri videmus. Id verò, quod Hippocrates, (Aporis. v.) & Hippocratem explanans Galenus aiunt, mutos de repente factos conuulsos mori, nisi aut superueniente febre euadant, aut qua hora solui crapula solita sit, ea, loquuti sermonem proferant: obseruatio hæc fuit Hippocratica: Galenus rationem inuenit. De febre apertum, calido & sicco morbo neruorum plenitudinem tolli posse. De hora, quòd eo quoque tempore soluatur interdum morbus, id verò, nisi vini, replentis quidem primùm neruos, sed calore demum & siccitate etiam absumentis repletionem, potestate fieri haud posse, existimandum: vt par hac in re ad sanandum febris, viníque, cum calore siccitas sit. His atque huiusmodi rationibus alijs, præter clarissimorum Medicorum testimonia, persuasi, audacter pronuntiabimus, calidum & siccum natura, temperamentóque suo, nisi alio aliquo occursu impediatur, dicendum habendumq; Vinum esse. Nec deessent summi omnium Philosophi Plato & Aristoteles, qui se hoc ipsum sensisse testarentur. neque enim id perquàm arduum foret ostendere, si aliorum testimonijs egeremus, aut longiores esse vellemus in re non dubia.

Et inuenti tamen sunt, qui non satis intellecta Galeni, Medicorumq; aliorum, aut certè non in eam, in quam debuerant, partem accepta de rebus his dicta, in contrarium verterint, Vinóque humiditatem contentiosè attribuerint. Qui si superiùs recitatas Authorum sententias diligenter examinatas considerârunt, & rationes excusserunt firmas stabilésque, & fundamentis nixas inconcussis, deinde aliò delati de via deflexerunt; ingenij turbine aliquo rapi illis contigit, transuersis actis. Ac testium quidem dicta, quibus sententiam suam confirment, nec minora, nec pauciora, atque eadem ferè, eorundemque Authorum quæ proferant, habent: quæ nos quomodo accipienda sint, ad veritatis defensionem ostensuros mox spero. Rationes, nisi futiles, inanes, vacillantesque, & nutantes, non habent. Testimonia, dum loca citaremus, suprà attulimus.

Rationes hæ afferuntur: Somnum, inquiunt, Vinum facit, & soporem inducit. at somnus sopórque ex humoris semper præsentia, vel id clarissimis Medicorum testantibus. Quasi humorosum esse negetur Vinum, succosúmque, quod succus omnino sit, dicatúrque: ac non succorum multi, sicci quanuis potestate, primò copia quadam atque affluentia (quod de Vino etiam ostensuri sumus) somnum, tum deinde vigilias quoque faciant. Addunt de facilima Vini transmutatione in sanguinem, quam, nisi maxima quadam rerum inter se affinitate, contingere haud solere autumant. calidus porrò atque humidus sanguis, consensu omnium. Quasi necessarium hoc semper futurum sit, vt cita transmutatio summam illã affinitatem habeat, ac non sanguini cum Vino, etiam si Vinum natura siccius statuatur, in reliquis non paucis conuenire optimè possit, vt in sanguinem citò immutatum vertatur: pręcipuè vero, quũ alimentum non omni prorsus ex parte, quippe quod initio etiam contrarietatis non parum contineat, sed quadantenus tantùm, atque ex peculiari potiùs, ac priuato quodã, quàm manifesto, apertóque, cuiusmodi siccitas est, temperamento similitudinem atque affinitatem eam habere debeat; ideoque reperiri alimentum queat, cuius hac ex parte valde admodũ conuenientis, ex alijs non item, cita, celerque inprimis futura immutatio sit; accedente præsertim tenui admodũ, cuiusmodi Vini est, & fluida semper substantia. Id verò, quòd liquidum semper reperiatur Vinum, quamcunque etiam in corpore concoctionem subiens, si propterea siccandi potentiam demere se posse credunt, demant sanè & marinæ aquæ, & spontè nascentibus plurimis, quas siccandi potentia valere nemo ambigat, & liquiditatem semper retinere suam scimus. Nec planè, quid obstet, video, quo minùs existimari idem de alimento possit, vt sub liquiditatis forma inter concoquendum perpetuò maneat, cum siccandi tamen potentia non parum sæpe, neque in parum multis. Nisi fortè (nam quorsum aliò hæc tendant, non satis dispicio) humiditatem alimenti probare ex hoc voluũt actu: quam nos concedimus, & coniunctam cum siccandi vnà potestate perquàm crebrò inueniri posse non ignoramus. Dicunt aquæ speciem esse Vinum, de Aristotelis sententia: Nos addimus, & de Galeni quidem. Quasi Aristoteles non eodem loco, (Meteor. iiij.) eadem ratione, lotium quoque & lixiuium aquæ species fecerit: quæ profectò sicca esse potestate, nempe exiccantia,

(quod

(quod nos de Vino quærimus) nemo Medicorum nescit, & Galenus, sicuti antea docuimus, non ipse de suo affirmârit, Vinum nil aliud, quàm aquam, aquosumque humorem principio esse, terrestris igneæque substantiæ portione suscepta, concoctione deinde maiore, atque elaboratione perficiendum. ὥστε ὕδωρ εἶναι, inquit, (De rati. vic. in acu. iij.) βραχὺ γεώδους τε, καὶ θερμῆς οὐσίας προσειληφώς. Nam illud cuiusmodi? quum necessitatem afferunt diuisionis, & aut humefacere Vinum, aut humefieri posse necesse esse dicunt: ipsi humectabile, aut humectatiuum, protulêre. humefieri autem quî potest, quod antea maximè humidum sit? ergo humefaciat oportet. Quasi in actu humida re, potestate haberi partes aliæ siccæ natura nequeant, quæ humescere possint, & antequàm humescât, siccandi satis viribus polleant. Humectabiles igitur, & humefieri posse docebimus partes Vini siccas illas, vtique, antequàm id fiat, siccandi semper vi præditas. Atque (vt ad argumentũ habeant) humectabile hoc pacto Vinũ esse, concedemus facile, qua parte siccum potestate esse reperitur: minimè verò, qua humidũ actu, quod semper est. Hoc scilicet idipsum fuerit, quod explicaturi nos sumus, & de explicationis sententia alias allaturi, rerúmque veritati, nisi fallor, competituras magis rationes.

Itaque paulò altiùs repetenda hîc quædam habebimus.

Quo pacto æstimanda Vini natura, & quo rerum discrimine fuerit: quæ si rectè æstimetur, (modò absoluti vini sit) calida & sicca censenda, plus, minùs, omnis erit.

CAPVT III.



Quum de Vino disputatur, sicuti in alia omni de quacunque re disputatione, arbitror, considerandum ante omnia diligenter esse, quo de institutus à nobis sermo sit, ne labi nos contingat, diuersorum significatorum eiusdem nominis errore. Sanè proposita, de Vini temperamento & natura, quęstione, simplicissimum accipiendum est, de quo iudicium feratur. Quocirca medicata omnia rei cienda hinc primùm, qualia Dioscorides plurima parari suo tempore consuêsse scripsit, & nunc quoque parantur multa, procul dubio de rerum, ex quibus conflunt, natura bona ex parte æstimanda. Longè minùs admittemus potus eiusmodi cæteros omnes, vt τεθαλασσωμένον, quasi marinatum dixerim, vt picatum, vt alia id genus. hoc primum. Deinde illud, in quo paulò maior consideratio reponenda est, Num omnia, (pura tamen synceraque, nec vllo tandem modo, vlláve alienæ rei alicuius mixtione infecta, cuiuscunque alioqui generis) in quæstionem veniant, Vina rubra, fulua, alba, vetera, noua, ætatis mediæ, odora, inodora? Arbitror omnia: nam omnia, modò exactè maturuerint, concoctionisque suæ non in vite solùm & vua, sed in mustea quoque efferuescentia iustas metas attigerint, calida & sicca habenda esse, contendere ausim, intrò sumpta, forisq; adhibita, iusto quidem, æquóque temperamento præditi hominis comparatione. Nec totum illud, vniuersumque, de Simplicium medicamentorum facultatibus & temperamentis, opus, aliter, alióve verborum sensu scriptum prolatúmque fuisse, cuncta licèt disquirens, inuenire possum, quàm vt de vniuersis, speciei totius cuiusque plantarum, metallorum, animantium, indiuiduis, in plenum temperati hominis respectu, dicta scriptaque cuncta intelligantur. Sic Aquę, Aceti, Rosarũ frigiditatem; Piperis, Zingiberis, Centaurij caliditatem pronuntiatam legimus: non, vt Rosarum aliquas calidas, Centauriorum frigida aliqua acciperemus; sed Rosas ad vnam omnes frigidas, calida Centauria existimaremus, si cum æquo hominis temperamento conferantur. id enim mente semper seruandum, nec vnquam elabi nobis sinendum est, quo nisi vtamur perpetuò, pereat nobis statim artificiosa de rebus his omnibus consideratio.

Illud tamen cogitandum, nisi perfectè de specie vnumquodque sua dicatur, quod inprimis perfecta, atque absoluta maturitate intelligitur, (nam de extraneæ rei admixtione cautum iam antea) non valiturum pronuntiatum, quo calidum, vel frigidum quodque, aut huiusmodi, diximus; præsertim verò, quæ calida, aut temperata experiri velimus: vt oleum, quod humano temperamento æquabili iustóque, commoderatè temperatũ haud dubiè statuitur, nisi perfectam, exactamque maturitatem adeptum, tale profectò non erit, in fráque mediocre temperamentum illud subsistet. Ideo Omphacinum quod vocant, aut ὠμοτριβὲς oleum, non simpliciter vereq; oleum, sed hoc totum Omphacinum, & ὠμοτριβὲς oleum est, frigidæ iam naturæ habendum. Ad eundem modum Omphacium, ex immaturis acerbisque adhuc vuis expressus succus, Vini certè naturam, & temperamentum minimè impleuerit, imò longissimè aberit, vt

impleat. Ab hoc parum distant Vina, quæcunque frigidiores quædam regiones proferũt, gustata Omphacij potiùs, quàm Vini sapore; hæc ego ne Vina quidem esse existimârim, quæ Vini saporem non referant: Omphacio meliùs adscripserim, eisdemmet quoque sæpe, quibus Omphacium, vsibus adhibita. Nec, si quis animi tantùm causa colat vites, & ornamentum quærat topiario opere aliquo, vt Augustæ Vindelicorum, speret is de Vino se bibiturum: ideo in Omphacij vsum vertunt sæpe. Et anni tamen tempestas benè calida alicuius, vigentésque Aestate tota & Autumno interdum præter consuetum calores, Solésque crebri, fecerunt, bibi vt possent, magno tunc Vinum inter & Omphacium discriminis argumento: expresso quippe cœli clementia, & caloribus, inde succo, qui aliquando ob maturitatem Vini naturam indueret, vnde priùs sæpiusque Omphacij tantùm vindemia celebraretur. Ergo iusta semper maturitate, coctura iusta, in vite, vuáque primùm; deinde mustei etiam feruoris accessione, Vinum existit: ante id ne Vini quidem dignandum esse nomine meritò censebimus, quod aut Omphacium, aut mustum rectiùs veriusque sit, dicatúrque. Hæc si ita fuerint, vt rationes dictant: reliqua omnia, quæ maturuerint benè, & musti rudimentum deposuerint, calida, & inquantum calida, intantum sicca quoque esse; tametsi minimo omnium à temperamento recessu quædam, credemus, vt aquosa illa dicta Vina, & paucifera. Nam vel hoc ipsum, quod pauciferum, & ὀλιγοφόρον nominamus, quid aliud sibi vult, quàm pauca dilui aqua quòd postulet, quia pluscula non ferat, dilutum antea per se propè satis, neque tamen nullam: atque vt illi temperamentum, omnino ad nostrum æquum, quæramus, minimùm adhuc quippiam caliditatem infringere eius, pauculam licêt, debemus. Tenue quippe, & inodorum, & aquosum, paulò maiore aquæ mixtura dilutius, quàm par sit, non sanè commodè bibetur. Hoc Vini genus Galenus aliquando, quod Aquosum appellat, quia ex altera oppositum huic parte, caloris ac siccitatis vehementia pollens, Vinosum dicit, tam parua in vite concoctione immutari asserit, aqua vt sit, terrestri parua calidaque substantia suscepta: nec sanè ideo magna opus illi fuerit, vt in idem substantiæ eæ coeuntes vnirétur, elaboratione. Sanè verò rectissimè, si cum generosissimis conferatur, aqua. Etenim, gustato sæpe nobiliore Maluatico, nostratia Tridentina, neque omnino tamen paucifera, quum labijs admouerem, eodem in prandio, aqua mihi visa sunt; & aquam diximus, dicentésque alios multoties audimus, tanto mehercle magis id dicturos, si aquosa prorsus gustarentur, affecto priùs palato, orisque gustu præoccupato selectissimi alicuius Vini, eiúsque meracioris, vt sæpe fit, potu. Veruntamen hoc ipsum Aquosum, quod in planta adhuc sua atque vua (tale nanque significauit nobis Galenus) rude tantummodo, & inchoatũ, portiunculam tamen calidioris substantiæ aliquam accepit, vlteriore maioreque elaboratione accedente tãdem etiam post vindemiam, excitantéque sese ad id sponte sua (quem non sanè minimum esse oporteat, vt id præstare de suo possit) natiuo succi calore, & coquente se diu, nónne euaporatis ita aqueis partibus multis, & igneis conceptis, auctisque, vt mustum demum esse desinat, & Vinum fiat, multum quoque prætereà caloris acquirere posse existimabimus? Ego quidem existimârim, adeò vt, quemadmodum benè calidum hoc; ita prius illud, quanuis aquosum, quanuis tenue, quanuis inodorum, calidum tamen etiamnum, sed parua admodũ à temperamenti æquabilitate discessione, prima nimirum, dici, atque esse mereatur. Quæ nobis sanè non fingimus: locupletissimus nostræ huius sententiæ testis Galenus, Aquosum, hoc genus, vinum minimè euidenter calefacere, scribens. Hoc porrò ipsum, minimè euidenter aut manifestò calefacere, primi à tẽperamẽto æquo recessus indiciũ, signumq; est. Prius illud testatũ nobis reliquit (De rati. vic. in mor. acu. iij) his verbis: ὥσπερ γε καὶ τοὐναντίον ὑδατώδη τῷ ὕδατι μάλιστα κατὰ πάντα ἐοικότα, καὶ τῇ λεπτότητι, καὶ τῇ χροιᾷ, καὶ τῷ ἀόσμῳ, καὶ τῷ μὴ θερμαίνειν ἐπιφανῶς. Quemadmodũ, inquit, Aquosum vinũ dicimus vinoso contrariũ, aquę per omnia maximè simile, tenuitate, colore, odoris vacuitate, & quòd non manifestò excalfaciat. Posterius, hisce alijs: θερμὸν μὲν ὀνομάζοντες κατὰ τὴν πρώτην τάξιν, ὅτι ἂν ἡμᾶς θερμαίνει, μὴ μέντοι γε ἐναργῶς, ἀλλὰ μετὰ τοῦ προσδεῖσθαι τινὸς ἀποδείξεως λογικῆς. Calidum dicimus primi ordinis, quodcunq; excalfacit nos: at nequaquam manifestò, verùm sic, vt demonstratione ad id necesse habeamus quadam rationabili. Hinc planè rectè, ritéque, & Censoria lege optima collocandum, reponendumq; in primo hoc calefacientium ordine, paruoq; quodam à temperamẽti mediocritate recessu, esse Aquosum vinum, claris apertisque satis rationibus, & Classicorum, receptissimorumq; in re Medica Authorum testimonijs apparet: idque ratione aliqua tantùm nixi vt faceremus, nec vllum nos manifestius experimen-

mentum, aut sensus fides certa cogeret, fatendum erat: sed cogunt tamen hæc quoque. Quis enim ambigat, largissimo aliquãdo haustu huiusce Vini, quãlibet id aquosum, tenueque, & inodorum excogitetur, fieri posse, vt inebriemur. At ebrietatẽ superius certissimum caliditatis, ob spiritosas exhalationes, non temerè aliunde prouenientes, argumentum statuebamus: non iniuria. Ne excidat aũt nobis id, quod appositissimè ad hãc rem, vt omittendũ ꝓrsus nõ sit, scriptum à Galeno reperitur, ex priore loco: sed ne grauemur etiã adscribere verba: ἡ δὲ κατὰ τὴν δύναμιν διαφορὰ τῶν οἴνων ἐστὶ, καθ᾽ ὅσον ὁ μὲν ἰσχυρὸς, ὁ δ᾽ ἀσθενὴς, ὁ δ᾽ τὶς μέσος, ὁ δ᾽ τὶς μεταξὺ τοῦτε μέσου, καὶ τῶν ἄκρων ἐστὶν: ἰσχυρὸς μέν, ὁ θερμαίνων σφοδρῶς, καὶ ταχέως τὸ σῶμα, καὶ τὴν κεφαλὴν πληρῶν: ἀσθενὴς δ᾽, ὁ ἐναντίως: οἱ δ᾽ ἐν τῷ μέσῳ, δηλοῖ τῶν ἄκρων ἀφωρισμένοι. id est, Vinorum discrimen à facultate est, quatenus hoc potens, illud imbecillum, aliud medium, atque aliud medium inter & extrema est: potens, quod vehementer, & celeriter corpus excalfacit, ac caput replet: contrario modo, imbecillum: quę in medio sunt, manifesta habẽtur, extremorum, à quibus absunt, consideratione. Cõtrario, inquit, modo, imbecillum. at potens validè, & celeriter excalfaciebat: imbecilliter ergo imbecillum, & tardiùs, sed excalfaciet tamen. Quum enim cuncta Vinorum genera suis distincta sedibus coniunxisset, plùs minùs aliud alio, at excalfacere nihilo secius genus omne, innuit. Quis enim aliter interpretetur? ne captiosus quidem maximè, aut cauillosus aliquis aliter possit. θερμαίνων, ait, σφοδρῶς, καὶ ταχέως: ἀσθενὴς δ᾽, ὁ ἐναντίως. potens illud est, quod vehementer atque celeriter excalfacit: imbecillum, quod contrario modo, nimirum tenuiter ac tardè. quid? necessariò, excalfacit, addere cogimur, sic cogente verborum serie: ἀσθενὴς δ᾽, ὁ ἐναντίως. τί ποιῶν; θερμαίνων δηλονότι. Quid enim, quæso, contrario modo faciens, aliud faceret imbecillum, quàm excalfaciens quidem, sed modicè & tardè? hoc enim ipsum ἐναντίως, contrario modo, σφοδρῶς illud & ταχέως respicit, vehementer & celeriter: non θερμαίνων illud, quod nudum solumq; positum si esset, accessione illius ἐναντίως destrueretur vtique, vt refrigerans esset. Nunc additis vtrobiq; Aduerbijs, illa profectò inter se conferenda committendaque, integro manente Verbo, ac Participio, fuerint. Galenum ipsum, si reuiuisceret, non alium allaturũ dictionis suæ sensum, crediderim: minimè verò, vt arbitrati quidam sunt, frigiditatem nobis ex hoc loco paulò magis tenuium Vinorum inuehere conati. Atque ita planè ipsa quoque Aquosa, & imbecilla Vina, iustæ optimæque temperaturæ hominem excalfecerint, & exiccãrint: quoniam Galeno quidem ipsi siccitas in his proportione semper caliditati respondeat: calidáque ideo à Medicis & sicca rectè dicentur: frigida autem quum pronuntiabuntur, id verò calidorum magis, citiusque, ac vehementiùs calorem suum addentium corporibus, respectu accipiendum erit. Quapropter illud primum Veronensium Medicorum non recipimus, qui, quale Aruisium ex Chio, Methymnæum ex Lesbo veteribus fuerat, & Romanis Falernum, Cæcubum, Sentinum; illis iuxtà ac nobis hoc tẽpore Rheticum, aliáque nunc laudatissima, sententia tantummodo comprehendi sua velle videntur: quam alioqui perquàm eruditè sanè de Vini caliditate & siccitate tulêre. Nos de eo, quodcunque, qualemcunque tandem, modò vinosam, qualitatem adeptum fuerit, accipienda hæc esse Vino dicimus.

Calefaciendi siccandiq; potentia in Vino tam foris admoto, quàm intus assumpto intelligitur: & quomodo eodem tempore alimentum quoque fit. Inter hæc de alendi facultate quædam purè, & cum qualitatum aliqua aliarum: Tum responsum diuersa de re hac sentientibus.

CAPVT V.



NEc diuersa censenda est Vini, quod ad facultates hasce pertinet, calefaciendi & exiccandi ratio, intrò sumpti, aut exteriùs admoti, puri, syncerique, ac meraci prorsus; quanuis bibitũ, præterquàm quòd calefacit atque exiccat, corpori alimentũ etiã elargitur, aucto sanguine: at nõ solùm sic aucto, vt plusculum inde sanguinis venæ acceperint, vnciam, exẽpli gratia, aut sescunciã; sed vt idẽ ille prętereà calidior vnà & siccior factus sanguis, hoc est, quantitate simul & qualitate auctus aliqua, intelligatur. Quo planè modo lactucæ exẽplo è contrario, concoctæ, atq; in alimentũ versę, sanguificatęque, adaugeri sanguinẽ dicimus, addita huius priori portiũcula aliqua, sed, quàm anteà, frigidiore. At vtrobique, tam calidis & siccis, quàm frigidis & humidis, ex quibus quidẽ elici alimentũ queat, priusquàm sanguificẽtur, vis agẽdi inest, vt partes, quas attigerint, aut calefaciant & exiccẽt, vt Vinũ; aut frigefaciãt & humefaciant, vt lactuca; aut vna tantùm ex his aliquãdo, quæ inueniri non pauca possunt, qualitatẽ inferãt. Quæ

dum ab his fiũt in corporibus, nõ quidẽ vt alimẽto fiũt: ab alimẽto nanq; nihil aliud, quàm sanguinis copia augetur semper; nulla aũt prorsus qualitas alia introducitur, nõ antè in corpore inuẽta. Hæc nãque simplicissimi, verique, & legitimi alimenti natura est: vt ritè cõfecti triticei, loti præsertim, panis; vt præparatæ recta ratione Suillæ, vt aliorũ quorundam, quæ ingesta temperaturã corporis, quod alitura sunt, nulla omnino ex parte immutant, ac sanguinis tantummodo quantitatem vnã, solamq; augent, qualitatẽ eandẽ ipsa ex toto corporibus assimilata seruãt: quũ reliqua omnia, quibus, præter alendi vires, aliud quoq; præterea alterius qualitatis additũ aliquid fuerit, sanguinis quidẽ quantitatẽ adaugeant, (neq; enim alimẽta essent, si aliter cõtingeret) sed qualitatẽ insuper quoquo modo mutatã inuertũt, aut priorem augẽt. Vt Vinũ si æquã temperaturã inuenerit, in calidam & siccã mutat; si calidam priùs & siccam, adauget: si contrariam, frigidam & humidam, appositum immutat. E diuerso Lactuca, temperaturã optimam iustamque frigefecerit & humectârit semper; frigidam & humidam nacta, auxerit, calidam & siccam immutârit. alia itidem multa, aut totũ hoc, aut ex parte fecerint: hæc enim exempli tãtùm causa attulimus.

Hinc planè cibos alios medicatos & medicabiles appellamus, alios cibos solummodo, hoc vnum, nihil præterea. Eodem modo alimentum: vt hoc loco nullum statuamus inter cibum, & alimentum discrimen, Hippocraticumq; potiùs τροφῆς significatum sequamur, quo nutriens iam, & proximè nutriturum, & paulò hoc tardiùs idem facturum, cibi alimentiq; cuncta nominibus significare nobis liceat: eo tamen nõ ignorato, propriè τροφὴν dici, quod in præsentia nutrit, & alimentum vocare malunt quidam; reliqua impropriè, quæ cibum. Nos, quum minimè omnium seruari vocũ differentias huiusmodi videamus, pro eodẽ cibum & alimentũ habebimus: quoties res poscere videbitur, distinctiones adhibebimus. Esse iam nũc rei huiusce vsus poterit. Nã seu cibus, seu alimẽtum, hoc ipsum tantùm quod sit, hoc est, cum alendi corporis substantia tota per totum cõueniens, id vnum scilicet, quum primùm ingestũ est, priusquàm in sanguinem abeat, concoctionem tantummodo subit ventriculi, nihil aut calefacit, aut refrigerat, humectat, siccátve: at factus sanguis cibus ne tunc quidem quicquam horum præstat, vt qualitatũ harũ aliquid in sanguinẽ, aut corpus accersat: auget tantùm hũc ipsum quãtitate aliqua sanguinẽ, eandem, quã antea inuenerat, prorsus qualitatem relinquit; hancq; ipsam tamen, adaucta sanguinis quãtitate, necessariò quoque auget, sed in maiore solùm materiæ quantitate extensam, minimè verò qualitate intentam. vt, de albatis eadem albedine parietibus duobus, maiore minoreque: plus continere maior albedinis dicetur, quippe in superficie maiore protensę; intentioris aũt magisq; albæ nequaquã, quoniam eandem albedinem diximus. Hoc pacto, aucta sanguinis copia ex puro soloq; alimento, etiam si non intendatur calor accersitus aliquis, incalescimus tamẽ, calore naturali sanguinis copia aucto. Etenim in maiori semper materia eiusdem intentionis, aut gradus, haud dubiè efficacior qualitas reperitur. At quoties cum alimenti vnà natura, quam tota, vt diximus, substantia alendo corpori respondere necessum est, aliquid præterea aliud qualitatum aliarum coniunctum esse reperietur, id quidem, quatenus alet, sic sanguinis quoque simul copiam adaugebit: verùm si aut calefaciendi ad hæc viribus, quæ toti alendi corporis substantiæ non conueniant, valuerit, etiam hoc nomine excalfecerit, & acquisititium aduentitiúmque calorem addiderit; siccârit, si siccandi quoque vires affuerint; humefecerit, si humidum faciendi; refrigerârit, si frigidum. Hæcque omnia faciet in sanguinem iam abiens, vt & humorem hunc augeat sanguificatione, & reliquas insuper qualitates addat, quascunque habuerit, de suo: semper autem, adaucto sanguine, necessariò calorẽ quoque adaugeat, substantia tantùm sua, si purum alimentũ extiterit: sin secus, modò alienum accersitumq; calorẽ præterea addet, modò siccitatẽ, modò humiditatem, frigiditatem modò, omnia aduentitia, ac præter innati caloris substantiã atq; naturam additamenta quædam. Hac ratione Lactuca simul & augere sanguinem, aliaq; rursus ex parte refrigerare potest, facultate sua propria, sed calori nostro aduentitia. Eodemq; omnino modo de alijs, quorũ suppetere vnicuiq; exempla per se abundè satis possunt, ne lõgiores simus. nã hæc quoque fortasse nimis multa. Hinc primus succorũ prauorũ exortus, occasio prima, quum non solùm nutrimur, sed extra, supraq; alimẽti naturã vitiosè nutrimur, deturbato de statu suo sanguine, humorum malitia alienorũ, in quibus omnibus iactura quoq; semper caloris naturalis fit: potissimùm aũt atq; inprimis, quum contrariæ qualitates inuehuntur, frigiditas, & siccitas. Atq; hoc in venis, vniuersoq; deinde corporis habitu, ex proprio alimẽti significato, quo aut iã alit, aut iam iã alet cibus.

Alia est cibi ratio, si cibum appellare li-

beat, qui paulò longiùs ab alendo abest. is enim quandiu in ventriculo, concoquendóque cibo destinatorum instrumentorum officina continetur, quoniam nondum alit, antequàm sanguis fiat, ne augere quidem sanguinis copiam valebit: vel, si purissimus fuerit, omnique prorsus aliena qualitate exutus, coquendum is se tantùm exhibebit, qualitatem nouam inferet nullam: quandoquidem substantia, qualitatibúsque omnibus, cum eo quod simpliciter puréque alere corpore debet, conueniat necesse est, vt nullus agendi illi hac quidem in re relinquatur locus, cum qualitatum generibus his similimo: at reliqua ante sanguificationem omnia poterunt, calefacere, refrigerare, humectare, siccare: idem & posteà facient sanguinis simul humore aucto quidem, qui humor sit; at minùs integra seruata illius natura, sed præter æquum eius temperamentum aut calefacto, aut frigefacto, aut siccato, aut humefacto: omnia semper plus iusto. Sumi exempla in multis, & de multis posse diximus. Est ita: sunt enim obuia. Nos in Vino statuamus, cuius causa paulò fusiùs tradenda nobis erant hæc. Vinum quodcunque, modò Vinum, purum prætereà, syncerum, meracum accipio, epotum, tantisper dum conficitur, quanquam citò valde effluat è ventriculo, pro morula tamen temporis calefaciet plùs minùs, prout Vinum generosum, aut ignobile fuerit: sed calefaciet tamen vnà, atque exiccabit, nondum alet: id quod sanguificatum demum faciet, quò tempore augebit sanguinis humorem, (quippe sanguis humor est) at caliditatem & siccitatem eadem opera adijciet, adulterato iam æquo sanguinis optimi temperamento. Hîc iam quantitatem auctam fuisse sanguinis, dicere nobis licebit: temperamentum optimum illius, & æquam naturæ qualitatem seruatam, non licebit, pro qua introducta noua & peregrina quædam fit, nempe cum calore siccitas. Idem de frigore humoréque ciborum, vt in Lactuca; calore & humore, vt in fructibus quibusdam; de frigore & siccitate, vt in frugibus panico, milio, & similibus dicendum, per quæ de temperamento suo deijcitur sanguis, copia licèt & quantitate augeatur. At optimæ notæ & conditionis triticeus panis, cui nec in panificio, nec in coctura quicquam defuerit; aut suilla caro, & quæcunque optimo æquabilique, vt optimi & æquabilis temperamenti homo, constant, è diuerso, donec ventriculo conficiuntur, & concoctionis instrumenta subeunt, nihil aliud, quàm concoquuntur, & sanguificationi præparantur, qualitate nouâ extraneámve inuehunt nullam: sed ne sanguis quidem facta, quicquã tale: id vnũ enim, sanguinis tantummodo copiã augent, atque ampliant, & quantitatem, temperamentumq; ac naturam seruatam sanguinis retinent, vt qualitatem augere non rectè satis dici possint: nisi verò, quatenus (vt suprà monuimus) in maiori materiæ alicuius copia maiorem inesse qualitatem intelligamus; ampliatam potiùs, quàm intentè auctam, rectiùs quis, vt opinor, sanguinis tunc quantitatem cum qualitate sua dixerit, minimè vt auctam qualitatem intelligamus, sed seruatam, custoditámque in sanguinis incremento ampliato. Siquidem auctam maiorémque factam qualitatem aliquam propriè, atque vsitatè magis, illam dicimus, quæ intentionem gradus sui acceperit. Vt in proposito, quæ calidior seipsa, aut frigidior, aut humidior, aut siccior, aut coniunctim, quæcunque coniungi ex his poterunt, facta fuerit; hanc rectè, vt arbitror, atq; recepto ab omnibus significato, auctã, maioremq; factã dicemus; cuiusmodi nihil in puri, impermixtique aliena qualitate cibi alimento reperitur. Id verò non simpliciter, ac per se prolati, legitimique cibi, atque alimenti, sed medicati, aut medicamentosi, vel medicinæ etiam cibalis, siue alibilis & alimentosæ, dixerimus proprium, vti non alat tantùm, sed qualitatis prætereà aliquid semper ab ęqui temperamẽti, alimentiq; natura alienæ, de nouo addat; & si quam temperamentum iam egressam inuenerit, huic se aut sociam adiungat, intẽdendæ acriùs qualitati, si eiusdem speciei fuerit; aut, si contrarię, aduersans oppugnet, imminutamque retundat; perpetuò autem, pręter alimenti iusti conditionem, aut nouando, aut addendo, aut imminuendo, immutet.

Itaque, ne frustra tot de his attulisse videamur, (huc nãque, quum primùm à proposito nostro deflexímus, tẽdebamus, longo quidem, sed necessario admodum clarificandæ meliùs rei, &, quæ mox dicẽtur, intelligẽdis, circuitu) quod ijdem illi, doctissimos quos diximus, proferunt, vt subsistere possit, valde vereor. Aiũt: Quod conuertitur, & alimentum fit, siquidem quantitatem & qualitatem augeat, simpliciter cibus id, & alimentum dicendum: si verò solam augeat quantitatem, per accidens cibum dici, (quod illi potentiam essentialem vocant) vt Lactuca, ex qua sanguis factus quantitate solùm est calidus, minimè verò qualitate. Mitto, ex alimẽto simplici quantitatem & qualitatem augeri opinatos esse, quum qualitas in alimento eiusmodi essentiæ suæ, quæ nihil aliud, quàm alibilis, siue alimentosa facultas est, non augeatur

intentione efficaci magis, sed in materiæ quantitate tantùm extensione maiore amplietur. Quod quidem cuiuscunque tandem generis alimento commune est, modò alimento, vt quo maior illius quantitas fuerit, eo semper magis extēdatur in quantitate ea, alimentosa eiusdem, & alibilis facultas, quæ propria alimēti qualitas habenda est. At hoc simplex alimentum non fecerit: nam & quæ præter id, quòd alunt, etiam calefaciunt, aut refrigerant, & à simplicis alimenti cōditionibus longè absunt, qua ex parte alunt, alimēti retinent quantitatem & qualitatem, quo diximus, modo auctam. Quòd si qualitatē intelligāt, quàm quæ alimentosa est, aliam: iam tum longè magis alimenti statim simplicitas perierit. Illud verò, vbi sola aucta fuerit ex alimento sanguinis quātitas, per accidens alimentum esse, vt de Lactuca, quomodo accipiemus? Non minùs, mehercle, per se alit Lactuca, (tametsi medicabiliter alit, alendo simul & frigefaciendo) quàm multa ac innumera alia, quæ alunt vnà, & excalfaciunt; aut alia, quæ humefaciunt, aut siccant, & alunt tamen. Hæc nemo contenderit per accidēs alere, quæ semper ac perpetuò, primoq́; non omni licèt simplici prorsus ratione alunt, quoniam medicamentosi quoque secum vnà aliquid adferunt; at alunt tamē per se, primóque, vt dixi: nihil enim impedit. Quòd si ista per se, & Lactuca quidem per se, sed medicamentosè cuncta; eo tantùm discrimine, quòd hæc refrigerando, alia aliter, calfaciendo, humectando, siccando: vt non attinuerit, essentialis potentiæ differentiam huc attulisse, propterea quòd nullo magis insigni manifestētur, quæcunq; à puri, soliusq; alimenti natura recedunt, quàm qualitatum extranearum, sed cū alendi semper facultate, additamentis, harum, illarúmve, ad rem quidem nostram nihil retulerit hoc, quod commune omnibus fuerit medicatis alimentis, quæ cum alendi vnà viribus coniunctā habent, quam inuehant, qualitatem, aut deijciēdo de statu suo temperamento æquo, aut intendendæ repertæ iam qualitati, aut minuendæ. In quibus omnibus ampliatus sanguis augetur, non solùm, sed cum peregrinæ qualitatis accessione, quo insigniri maximè, atque à legitimo & synceriore alimento circunscribi, medicamentosum debuerit.

Illud prætereà, quod eadē disputationis suæ de Vini tēperamento in parte asserūt, inque eo amicè nos admonēt, &, quod boni viri officium est, quasi digito benignè monstrant viā, ne præcipites labi cōtingat, quò Medicorum multi inconsideratè delati ferantur; eundemq́; esse contendunt calidum aut humidum cibum, calidumq́; aut humidum alimentum, cum calida aut humida medicina, eandemq́; hæc rationem habere: virorum authoritas, & existimatio facit, (ingenuè, ac bona planè fide hoc dico) vt suspensam considerationem retineam, & cogitationem inhibeam, scientes ne ac prudētes hoc protulerint, (animi enim causa non arbitror) aut volentes ipsi τοὺς πώλας vt deciperent, homines existimatissimi, vitæque integrę, mihique & ex conuictu aliquando noti. Itaque aut aliò spectārunt, quum illa scriberent, quàm prę se ferre videantur, & nos non intelligimus; aut profectò tinnitu eruditionis non respondent hæc ad alia, tam acutè dicta. Quid? nihil omnino differet à iusto synceroq; alimento, & temperati caloris cibo, quem sic calidum vocamus, temperamentum intelligentes, (quoniam conuenientius aliud non habemus nomen) & cibo medicamentosè calido; (sic enim interpretor, medicinam calidam quum dicunt) aut humidum & siccum inter, cibus, quem humidum tamen soliti simus appellare, ab humido, multo à temperamento recessu, cibo? scilicet vt pro panis, aut temperatissimæ carnis alicuius, alteriúsve esculenti alimento, allijs, & cepis, & porris indiscriminatim vescamur, quod ad caliditatē attinet; & fructibus multis, quorum natura præhumidorum minimè sensuri sumus noxium vsum, siquidem eadem ducatur cibi & medicinæ humiditatis ratio. Quòd si in calido, aut humido valere hoc debet: nulla erit ratio, quamobrem in frigido quoque, aut sicco non idem valeat. excessus quidem à temperamento idem. sed ne si in vnum quidem coniungantur, calidum & humidum, valiturum hoc est? calidum quidem atque humidum alimentum aliquod aliquando dicimus, benè temperatum tamen quod sit, vt calidum & humidum ver, calida & humida viuentium animalium corpora, temperata cuncta: at à calido, & humido discessione à temperamento facta, longè aliud, ne antiqua de temperamento hoc errata rediuiua euocemus in lucē, quæ nullum inter hæc discrimen statuerent. Quod voluisse hi videntur, vt idem esset nobis temperatus cibus, quem vsitatè nihilominùs calidum & humidum vocemus, vt temperati hominis temperatum quoque sanguinem calidum & humidum sæpe, in quem conuersus immutandus cibus ille fit, atq; alia ex parte calidus & humidus per recessum à temperamēto æquo dictus. Quòd si non hoc voluerunt, sed calidā & humidam medicinam intellexerunt, id, quod est, medicinam tantummodo, siue medicamentum, vlla absque alendi omnino

no facultate, vt idem hæc, quod calidus & humidus cibus, præstare possit: verum id quidé. sed næ valde rerũ medicarũ imperitos esse oportet, si qui sunt, qui hoc nesciant, quum frigida nobis, verbi gratia, aut sicca, aut vtraque simul corrigenda intemperies veniet, eandem sibi habendam esse calidi, aut humidi, aut vtriusque simul alimenti, quam eiusdem modi medicamenti, rationem, eo solùm discrimine, quòd ab altero medicamentosa tantùm, ab altero etiam cum hac coniuncta alimentosa facultas; eadem tamen ab vtroque auxilij opera expectanda est, si vires eædem fuerint. Sed hoc non in calido tantùm & humido; verùm in alijs omnibus valuerit, calidis & siccis, frigidis & siccis, frigidis & humidis, aut his etiam seorsum per se positis. Nempe Vinum ipsum, cuius gratia in hæc diuertimus, quod calido siccoque constare temperamento ostensum est, purum meracumque, frigidam & humidam, sine inflammatione, aut phlegmone, aut Erysipelate, aut abscessu, sanare intemperiem potest, ad quam aliâs calida & sicca medicamenta adhibentur. Cur enim id non faceret ijsdem viribus præditũ? prætérque etiam nutriens, quod tantum abest, vt de medicamentosis facultatibus aliquid detrahat, vt vel inprimis iuuare id, & egregiè promouere opus queat. κάλλιστα γὰρ ἐπ' αὐτῶν ἐνεργεῖ τὰ πρὸς τῷ τὴν δυσκρασίαν ἰᾶσθαι τρέφειν δυνάμενα. Optimè, inquit (De compo. medic. sec. loc. viij.) Galenus, in his agunt, quę præter id, quòd intemperiei medentur, nutrire etiam possunt. meritò quidem. Nam quum alimẽtum totius substantiæ suæ affinitate raptum in membra feratur, perquàm facilè secum medicamentosas quoque facultates eò deuehet, & altiùs insinuatas adiget, totique persanandæ intemperiei immiscebit, nutriet vnà, & robur addet, & si, cuiusmodi Vinum ipsum fuerit, siccandi vi pollens, putredinem auferet, & ne alia sequatur, prohibebit. Quòd si Vinum hæc calefaciens simul siccansque, atque vnà alens præstat, sicuti profectò præstat, idq; purum, syncerum, & meracum; (quis enim ad Cyphoidis, aut Theriacæ, alteriúsve id genus medicamenti, compositionem, aut quum aliâs calefaciendi atque exiccandi vim ex vino intus, forisque quærimus, aliud sumat; imò quis non generosissimum quodque ad hæc pręstanda sumat?) meraci synceríque, quanuis sanguinis quantitatem augeat, qua alimentum, calefaciendi semper & exiccandi vis ac facultas manet. Estque alimentum id non simplex, sed calidum & siccum alimentum, hoc totum: vti iam qui caliditatem & humiditatem Vini defendere hoc ipso conantur, quòd, qua alimentum, humidum necessariò habendum sit; quoniam aucto ampliatoque sanguine (non enim aliter aleret) humiditatem corporibus addere dici posse videatur. At illud sanguinem quidem auget, sanguinis humiditatem minimè. adeò autem non auget, vt priorem exiccet: augeret, si nouam inueheret sanguini humiditatem aliquam: nunc, exucta hac, sanguinem ampliat, sed siccatum ex parte, qui sanguinis adhuc naturã retinet haud dubiè, sed sicci; contrà omnino, quàm fieri oporteret, si calidum atque humidum faciẽdi inessent Vino eiusmodi vires. Quod semper in omni, de Vini temperamento, sermone intelligendum est, vt calidum & siccum, vel calidum & humidum, pro eo, quod calefacere, & humectare possit, accipiatur: nec aliter vnquam Galenus, aut si qui Authores alij idem dixêre, de caliditate & humiditate Vini, quàm de ea, per quam incalescere, atque humescere corpora videmus, accepêre, à quo, medicus fidius, longè abest, vt temperamẽto suo, quale descripsimus, calido & sicco præstare vnquam ratione vlla possit Vinum, vt eadem ratione purum meracumque, quin eodem quoque haustu simul calefaciens exiccet, atque humectet: per se, intelligo, nulla vtrobique variatione, aut diuersitate alens. Qua nanque alit, & qua alimentum est, nihil aliud, quàm sanguinem (quod toties iam diximus) ampliatum auget, priori temperamento nihil addit, aut de eo demit, seruatum potiùs vult. Si quid immutat, id verò non vt alimentum, sed tanquam alijs præter alendi vires facultatibus potens, vt immutet, facit. Minimè igitur qua alimentum eiusmodi Vinum humectârit, qualem quidem humectationem cum omnibus de rebus his scribentibus nos quoque accipimus.

Defendi non posse excogitatam à nonnullis tollendæ controuersiæ huius viam, de Vini humiditate ex quantitate solùm aucta.

CAPVT VI.



Vomodo igitur, quæso, cohærebunt Authorum de Vini temperamento, tam diuersis, pugnantibusque, ac contrariis inter se sententijs prolata dicta, siquidem exiccatio humectationi contraria habenda fuerit? Mitto aliorum: sed Galeni ipsius, quem Græcorum, Arabumque, & Latinorum plurimi, discordan-

cordantibus & illi sentētijs, sequuti videntur, propè vt, si interrogentur, vsuri excusatione ea videantur, se imitatione Galeni id fecisse, vt, eadē in re, in diuersa opinionibus suis ferrentur.

Remedium afferre conati sunt doctissimi, quos sæpe iam repetimus, ijdem & acutissimi ingenij homines, excogitata responsione, qua Galeni se dicta à contradictione vendicâsse arbitrati sunt. Ea est huiusmodi: Vinum vetari pueris à Galeno, quòd humectatione nimia obsit; Senibus concedi, quòd prosit eadem humectationis ratione, sed non nimiæ hîc: (neque enim periculum est, nimiùm vt humescant arida senum corpora) recta vtrobique ratione. Bifariam enim calidum, frigidum, humidum, & siccum dici; & de eo, quod calidi, frigidi, humidi, sicci, quantitatem auget; & de eo, quod vna etiam qualitatem: priore modo accipienda esse, quæ in libris de tuenda Sanitate dicuntur. Galenicaque idem authoritate confirmant, qui alibi de Platonis sententia Vino puerili ætati interdicat, quasi qui multo abundent sanguine, viniq́ue vsu, magis etiamnum abundare eo possint, calidioresq́ue inde atque humidiores fieri: hocq́ue ipsum, vt humidiores fiant, id verò non quantitate solùm, sed qualitate etiam sequi; propterea quòd plurimus ille in pueris sanguis, tametsi initio Vini potu siccior reddatur, at ipse seipsum tamen pristinæ se sibi suæ naturæ mox deinde restituat. Tum addunt: Re vera nihil esse, quo magis humectemur, quàm vino: ideo benè sensisse Auicennam, qui valde id humectare, senibusq́ue & melancholicis conferre, & naturæ spirituum conuenire dixerit: quippe actu humidum quod sit, id multum ad humectandum facere, quoniam humiditas ea diu satis perduret: siccandi autem vim à siccitate quæ inest, paruæ eam actionis esse: à caliditate autem maiorem quidem prouenire siccandi actionem, sed tardiùs inchoare, quòd caliditatē diu antea egisse oporteat, quàm siccare incipiat. Postremò conuersum in sanguinem Vinum dicunt sanguinis copiam maximè augere: inde humectationem in vniuerso corpore sequi magnam, præbito calori natiuo abundè alimento, ne se, eo destitutus, in membrorum substantiam conuertat, ac continuè humidum depascens exiccet: sanguinis igitur pabulum, quod calori innato largè suppetat, impedimento esse, quo minùs id fiat; simul sanguinis, qui per se humidus sit, quantitate humectari mēbra. Quæ quanquam verissima esse asserant omnia: coacti tamen fatentur, non esse recipiendam sententiam hanc de caliditate & humiditate Vini: eo, quòd per accidens hæc illi eueniant; simpliciter autem, & per se, quod sæpe iam dictum est, caliditas & siccitas insit. Fatemur & nos: neque tamen ideo Authorum de Vini caliditate & humiditate dicta scriptáve, eo interpretabimur, quo ex illorum sententia paulò antè modo retulimus, qui planè coactus nimis nobis, inuitusq́ue ad reliquorum, quæ de re eadem Authores ijdem retulêre, verborum sensum trahi videtur, longiusq́ue omnino à veritatis domicilio in diuerticula incerta errabundus fertur.

Primùm illud cogitandum, Authorum dicta de eodem prorsus Vino accipi ab his, quod antea calidum & siccum statuerant nulla varietate, diuersitate nulla, aut additamēto, vt idem, diuersis quibusdam rationibus iam dictis, cum calore modò siccandi, humefaciendi modò facultate valeat. Et siccādi quidem facultas iam ostensa in cōfesso est: at quum humectare idem posse dicunt, ea ratione affirmant, qua calidum, frigidum, humidum, siccum quantitate solùm ita dici modo quodam consueuit, qua humectari partes possint. Tametsi autem longè aliud sit, dicere calidum aliquod, atque aliud calefactum; eodemq́ue modo de alijs, frigidum, & frigefactum, & reliqua: (ideo quòd calidum, frigidumq́ue quantitate tantummodo aucta, id quod sunt, dicemus calidum & frigidum, recepto, opinor, significato. Eadem, si qualitatum præterea suarum intentione aucta fuerint, meliùs, arbitror, & significantiùs, calefacta & frigefacta dicemus. Caliditas autem & humiditas Vini, sicuti & siccitas, consentiente in hoc Authorum omnium intelligendi modo, de calefaciendi, humectandi, & siccandi potestate, in disputatione hac accipiuntur: eoq́ue humidum ex Vino humefactum potiùs dicendum sit qualitatis intentæ significatione, non autem quantitatis solummodo auctæ, vt isti contendunt.) quanuis, inquam, hoc ita sit, quæremus tamen, Num cunctorum simul, calidi, frigidi, humidi, sicci, augeri quantitatem tantùm Vini vsu velint æquis portionibus, quo propè modo Plethora consistit. Non opinor dicturos. Sciunt enim optimè, id alimentorum eorum potusq́ue vsum inprimis sequi, quæ cum temperati hominis sanguinis temperamento ita conueniant, vt excessu nullo notentur: qui si aliqua ex parte fuerit excessus, iā æquabiliter eo casu aucta haud quaquam fuerint. Vinum porrò caliditate & siccitate sua illa, quæ illis quoque in confesso est, hoc est, calefaciendi & siccandi facultate,

qui,

qui, quæso, fieri poterit, vt hoc præstet, æquasque omnium portiones sanguini addat? Arbitror, nec per se, neque verò per accidens id vnquam facturum. Excogitent modum: non inuenient. Necessariò ergo eò adigentur, vt quorundam solùm augeri quantitatem posse fateantur: de calido, & sicco mox: frigidi nos quoque, sed per accidens, posse, concedimus, & secundariò, destructo priùs, aut imminuto Vini quandoque nimietate innato calore. Quod si frigidi: ita & humidi, sed superflui, & inutilis, de qua humiditate dicta accipienda ea esse ne ipsi quidem contendēt. Quo nanque pacto aut senum arefacta membra, aut siccior alioqui intemperatura emendata humectaretur vtiliter, ac substantificè, (vt ita dicam) quod omnes volunt, eo humiditatis genere? Sed & humiditas ea frigiditatē insequitur accidentariam, qualem diximus: de qua quoniam nulla in præsenti quæstione disceptatio, (nihil enim ad rem) ita ne de insequēti quidem illam humiditate esse debet. Humiditatem autem vtilem quantitate tantùm augeri ijsdem temporum momentis, in quibus siccitas quoque quantitate tantùm ab eodem augeatur, perquàm difficile captu, vel perspicaciori intellectui, omnino esse iudico: augeri autem siccitatem quantitate tantùm, vel eorum confessione patet, qui quidem augeri sanguinem vino concedant, cui calefaciendi & exiccandi potestatem tribuerint. Si nanque sanguinis quantitatem auget: necessariò calidi & sicci auget, sanguinis nimirum eiusdem qualitates eas de suo & per se afferente vino. Quomodo igitur & humiditatem eodem tempore? Sed hæc fortasse nimis multa de his, nisi addita fuissent verba, quæ scrupulum inijcerent, dubiæ intelligentiæ: Cunctorum ne simul, an quorundam auctā quantitatem tantùm, intelligēdum esset. Quod quum igitur nec in cunctis simul, nec in frigido, & humido fieri posse ostensum sit, vt Vini huiusmodi vsu eorum augeatur quantitas tantùm: de calido haud dubiè, & sicco accipiendum id est, eo sensu, vt, quatenus tantummodo adauctus sanguis sit, eatenus qualitate tantùm ea sequatur humectatio; ac siquidem hodierna sanguinis in Dione quantitas, hesterna, duabus puta vncijs, auctior facta fuerit, nihil prorsus immutata qualitate vlla, inde humectatum Dionem existimenus: quanuis ex Vino huiuscemodi ampliatus quantitate solummodo sua sanguis caliditatem necessariò ac siccitatem secum adferat, quas nihilominùs qualitatibus suis auctas, hoc est, intentiores factas, nolunt. At fieri nequit, quin in adaucto sanguine, vt qualitas non intendatur, protensa tamen extendatur in maiore copia, atque ita hoc saltem nomine calefaciat, & exiccet. quoniam maior semper in maiori quantitate qualitatis eiusdem vis, atque efficacia, adeoque etiam efficientia. Ergo hoc pacto adeò non humectabit, vt magis magisque exiccatura semper sit, atque etiam excalfactura: quòd ea quoque in quantitate qualitas ex Vino maior auctiorque, ac proinde hac quoque ratione siccitatis aliquid illatura sit. Veruntamen ne sit hoc, & auctum tantummodo quantitate sua sanguinem accipiamus ex Vini illiusmodi potu, nihil prætereà, hocque humectari partes credamus: id quid aliud erit, quàm auctum alimentum esse, alimentique ratione humectationem eam sequi? Rursus igitur recidimus eodem, & damnatam priùs opinionem sequemur: nempe dicere prohibebamur, Vinum eo pacto tanquam alimentum humidum esse. Quid hoc est, si præuaricatio nō est? transire in partes eorum, aduersus quos sententiam sis laturus; & Authoribus, quorum dicta tueare, id adscribere, quod præiudicio antea facto condemnâris, nec defendere ratione vlla queas. Alimentum enim, qua alimentū, quod & antea diximus, nihil aliud, quàm alit, hoc est, aucto tantùm sanguine nutrimentum addit corpori, eodem quo priùs temperamento, nullo in qualitatis alicuius partem excessu: qui si prætereà accesserit, iam tum pro qualitatis ratione præter id quod alet, etiam aut calfecerit, aut refrigerârit, aut humectârit, aut exiccârit, aut coniunctim ista. Vt Vinum, in quo alimentum, calidum, siccum, alet, calefaciet, siccabit. Vides vocibus tribus tres redditas facultates, suam cuique. Quid tu mihi alimento humectationem tribuis, alíus qualitatis propriam? Verissimè nanque, prorsusque re ipsa, cuiuscunque tandem temperamenti corpus, conueniens sibi alimentum nactum, nihil aliud quàm aletur inde, temperamentum calidum, frigidum, humidum, siccum, tum quæcunque cohærere ex his possunt. Temperati corporis temperatum alimētum sit oportet, vt temperatus sanguis gignatur, & temperatura seruetur. Calidum & humidum temperamentum si conuenienter ali debet, & sua illi seruari temperatura, calidum & humidum alimentum nancisce tur: id alimenti in sanguinem abiens, alensque, aluisse tantùm dicetur; calefecisse atque humectâsse non dicetur: quod tunc diceretur, quum intentioribus, & alendi corporis temperamentum superantibus, excedentibusque caloris & humoris qualitatibus alimentum cōstaret: nunc verò, intra quali-

qualitatum earundem corpori temperamento conuenientium limites consistens, ritè rectéque accipiendo, aluisse tantùm existimari rectè poterit; minimè verò, calefecisse, aut humefecisse: non sanè magis, quàm frigidæ siccæque temperaturæ aliquis, conuenienti itidem sibi eiusdem qualitatis cibo alitus, frigefactus, siccatusque dici possit: longè minùs, calefactus atque humefactus, sed alitus solùm. Quæ deduci ad reliqua omnia ratio debeat, vsque adeò alimenti (quanquam id humore semper aliquo constet, vario, pro naturę semper, cuius futurum alimentum sit, conditione) nulla alia, quàm alibilis facultas, cõsideranda veniet, qua quidem alimentum.

Eodem modo intelligi non debere Galeni de Vino dicta, quatenus alimentum tantummodo: neque verò ex Platonis aliud colligi scripto posse.

CAPVT VII.



Missa verò hæc faciendo, de quibus longè etiamnum dici tradique plura possent: illud dispiciendum, vt alimento, qua tale, aliqua quoquo tandem modo humectãdi debeatur facultas, Vtrùm de ea accipienda sint Authorum dicta, ex quibus Vini caliditas & humiditas asseri maximè posse videtur; hacque ratione, tam dissentientia, eadem de re hominum eorundem, in vnum concorditer adducere testimonia liceat nobis: an quærenda alia via, vel deposita potiùs relinquenda conciliandæ, nunquam rectè cohæsuræ, controuersiæ spes.

Quo loco interdicitur pueris vino, de optimæ naturę puero sermo est ætatis circiter septennium primum, post quod multo deinde quoque tempore abstinere iubetur à vino. οἴνου δὲ, inquit, τὸν οὕτω πεφυκότα παῖδα μέχρι πλείστου μηδόλως γεύειν. Vinum ea natura puerum in multum temporis neutiquam gustare iubeo. Rationem addit: plurimùm nanque calefacit, & humectat epotum, ait, vinum, tum caput replet. Calidæ autem per se, humidæque puerorum temperaturæ, easdem ex vino qualitates addidisse, nõ videtur illis ex vsu futurum; vt vtriusque, aut alterutrius qualitatis accessione modus excedatur, quando ea sit ętatis illius caliditas & humiditas, vt si paululum quid addatur, modus non seruetur. Audis calorem, & humorem in pueris insignem. Hi cuiusmodi, quæso, qualitates ne adaugeãt periculum est, contrarias'ne, an eiusdem generis? Si alias habent, quàm eiusdem generis, proferant. Quis autem expectet viros doctos contrarias dicturos, frigiditatem & siccitatem, quibus destruantur maximè calor atque humor: tantum abest, vt aut quantitate, aut qualitatibus augeri suis possint. At in Vino caliditatis & siccitatis plurimum. Mitto de caliditate, de qua nondum disputo: siccitatem verò tantùm, quæ in illo est, aucturam, ampliaturámve quantitate, qualitatéve, puerilis ætatis humiditatem esse, quis iure vnquam meritoque affirmare se posse arbitrabitur? Et de humiditatis quidem qualitate haud dubium, quam manifestò Vini simpliciter, ac per se siccitas illa non ignobilis retundat. Sed ne quantitas quidem auctior ritè, vereque fiet: quòd rectè auctam tunc humiditatem existimemus, atque ita nominemus, quum amplior tantùm facta maioris loci capax fuerit, minimè verò qualitatis suæ iacturam fecerit, id quod perquàm necessarium sit Vini siccitate euenire. Non igitur humiditatis nimiæ augumentum formidâsse rectè consideranti videri poterit Galenus ex Vini eius alimento, cui siccitatis tantum coniunctum sit, & in quo longè plus valitura esset simplex, certaque, atque euidens siccitas, quàm alimenti illa, quam nescio, quam dubiam certè & imaginariam afferunt, humiditas. Nisi verò cepas & allium humectare puerilem ætatem illam posse credemus, quoniam horum quoque ipsorum alimentum, inquantum alimentum, humectet. Præclarè verò, quoniam siccitati imperabitur, ne quicquam se commouens tunc agat, atque ita feriabitur. Seriò, non ioco dico, quandoquidem fieri aliter humectatio nequiuerit. Atque Vini caliditas benè vetusti, quam eodem semper passu comitatur siccitas, haud ita multo infra allij caliditatem, vno tantùm gradu ab eo desciscens, subsistit, si in quarto allium recessu statuatur; aut si, vt alijs quibusdam visum fuit, in tertio, etiam æquat. Iam igitur tempus erit, vt ab horum esu arceamus pueros, non alia sanè de causa, nisi humectationis nimiæ formidine: rursus verò, eandem planè ob causam, apponamus senibus, quo videlicet solidæ illorum partes, aridiores iam factæ, benè inde humectentur: ita quoque Vinum vetustissimum quodque merum meracum bibendum propinemus ijsdem de causis, propterea quòd, calidum licèt valde & siccum, at quia alimentum, humectationem partibus addet: non enim aliud esse, quamobrem senibus Vini vsum permiserit Galenus, interdixerit pueris. Quæ si ridenda propè sunt, nolimus saltem cogitatis his nostris ridiculum facere Galenum

Autho-

Authorem tantum, vt existimemus humiditatis tantum vini vsu præstari censuisse, quatenus alimentum id est, cui sæpe ea coniuncta foret siccitas, quæ tertio à temperamento recessu notatu digna habeatur. vetusta quidem talia in senibus commendantur. Et ostendimus antea, alimento, quale id cunque sit, qua quidem alimentum, nihil aliud, quàm ali corpora; nō autem humescere magis, quàm antea, intentione quidem humiditatis inuecta; aut siccescere, aut calefieri, aut refrigerari: nisi alimento supra alimenti naturam qualitatum harum vna aliqua, vel plures coniunctæ fuerint. vt in Vino, quoniam alēdi facultati caliditas prætereà & siccitas addita, & alendi, & calefaciendi prætereà, siccandique potentia inerit. Porrò quæ in pueris timetur humectatio ex vino nimia, non esse quatenus alimenti tantùm potest, proptereà quòd humiditatis intētionem non addit hæc. Et quæ alendi facultati addita est in vino qualitas, cōtraria potiùs est, siccitas nimirum cum caliditate.

De Platonis autem testimonio, qui pueris Vini vsum pernegauerit, ne calidiores & humidiores euaderent, nimia sanguinis copia: quanuis nulla ibi apud Platonē humiditatis prorsus, aut sanguinis augumenti mentio; tantumque, non oportere pueros πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν ἐς τε τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν, ignem igni additum in corpus, animámque deuehere, scripserit: demus tamen totum hoc, quando & Plato de senibus mox addens, senectæ austeritatem, duriorésq; eius mores, Vino mitigari dixerit, vt humectatiōis inde cogitâsse vsum videri queat; & subscribens Platonicæ dictioni Galenus adolescentiam calidam, multique sanguinis ætatem scripserit: nihil planè ex his virorum horum authoritatibus, longa quantum volent distorsione, expressum aliud elicient, quàm quod à Galeno, in libris de tuēda Sanitate, super puerorum senúmque ætate pronuntiatum est, idem, incalescere scilicet atque humescere Vini potu vtranque, puerilem nimiū, vtpote iam antea per se calidam humidámque, ideo moxiè; senilem contrà, calore defectam, vtiliter. Quod quū paulò antè vino eiusmodi contingere haud quaquam posse demonstrârimus, quærendum aliud. Neque verò actum hoc loco agemus, sicuti sanè id quoque, auctum scilicet sanguinē suum illum ex vini, quale illi adferunt, vsu, minimè sic humidum futurum, si dictorum antea meminerimus, ostēsum esse opinor, humectatio vt inde expectari insignis aliqua debeat, qualis aut pueris inimica, aut amica senibus futura sit.

Ipsum seipsum sanguinem humiditati restituere, sicciorem primò factum, falsum. Falsum etiam, humiditatem actu solummodo aliquam, cuius potentia calida & sicca, humefacere tamen posse. Et falsa Vini necessitas, ad prohibendum ne innatus calor humidum assiduè absumens depascatur.

CAPVT VIII.



NAm quod (quum viderent siccitatē omnino inde introduci in sanguinem) addiderūt, sicciorem primò factū ex Vino ipsum, se sibi deinde restituere ad humiditatem solere sanguinem, vti non solùm quantitate, sed etiam qualitate humidior fiat; quibus id tandem nobis rationibus probabunt? nullam quidem adductam adscribunt. Inuecta autem priùs vini siccitate, vt huius ope humescat sanguis per se, quî fieri potest? sed neque ex eiusdem caliditate, cuius comes sit semper siccitas. Vnde ergo, quæso, aliunde? aut si aliunde, aliarúmque rerum accessione id cōtingat, at certè ex Vini facultatibus non continget. quod nobis satis supérque futurum est ad rem nostram.

Mirum verò, profectò mirū, tantos viros dixisse humiditatem aliquam actu, potentia autem calidam & siccam omniū maxima, ac potissima, vt cuius partes, quæ in potentia sunt, ablato impedimento, vires statim exerant suas, (ipsi accidentalem vocant) eam tamē humectare plurimùm posse, eo quòd humiditas illa actualis (sic ipsi loquūtur) multum temporis duret, vt Vinum actu humidum, potentia autem calidum & siccum maximè, humectet tamen longiore temporis mora. Veruntamen ea quàm diutina futura sit, nescio: non enim pronuntiârunt: satis longum tempus dixêre tantummodo. Nos naturam rei sequuti credemus, quum primùm natiuus calor Vino actione sua incumbēs euicerit, quod citissimè in vino fieri notissimum, ibi tum vires extemplo vini actu existere, quæ potentia priùs delitescebant; & cùm, antequàm in sanguinem abire incipiat, tum in sanguinē iam abiens, tum verò sanguinem factum calefacere semper & siccare posse. Atque vt toto eo tempore, quo hæc peraguntur cuncta, humor semper aliquis remaneat actu humiditatem suā cōseruans: vinci tamen haud dubiè existimamus vini eo modo humectandi facultatem, calefaciendi exiccandique viribus in actum iam eductis. Nec, si paruarum virium, vt illi dicunt,

cunt, siccitas Vini esset, (quod tamen non esse concedimus) & caliditas, priusquàm exiccet, temporis multum requireret: non longè tamen adhuc magis siccarent, quàm pręsentia humidi actu tantùm, agendi tamen facultatibus multo diuersis, humefaceret. Sicuti maris aqua, quæ actu lõgè humidissima habetur, exiccari tamen corpora manifestè videmus, vincente ea facultate, sesequealtè in membra omnia addente, ac perdurante postremò. Quod non modò hîc, sed in opere omni Medico spectãdum inprimis diligenter, quæ priùs actio, quæ posteriùs sequens edatur, tum quæ durabilior: vt, quam præferre debeamus, non ignoremus. Tametsi in corrigendis intemperaturis tantùm non omnibus propositam semper operis permansionẽ habemus: neque in senibus emendatam siccitatẽ, nisi quàm maximè diuturni tẽporis volumus: humiditatem certè solidis partibus iam nimis siccescentibus altè adactam, & diutissimè persistentem cupimus, etiam si posteriùs accederet. Contrà prorsus, quàm hi sentiunt, qui Medicorum coryphęos, Gręcorum, Arabumque, id humectandi genus senibus consuluisse faciunt, quod actu solummodo quodam humidum, neq; id vlla propè efficacia; siccandi verò multo maxima illius, multoque maximi temporis, ac mansura facultas, vel illorum confessione, haud ita diu pòst insequatur. Quocirca, quantum videmus, de humiditate sua illa, quam actu fingunt, dicũtque, iam actũ est. Nam de trãsmutato in sanguinẽ Vino, sanguinisque inde copia aucta, dictum antea, auctum quidem, sed cum siccitate, magis vt exiccet, eo augumento, quàm humectet.

Cæterùm, quòd innatus calor humidũ assiduè depascens, nisi pabulum inuenerit, in partes se vertat corporis, alimentumq; illis suum iam paratum furtim subtrahat: nihil verius, si modò æquè verum esset, necessariò calori innato, ne in membra sæuiat, obijciendum esse tanquam offam, vini tantùm huius, alimentum hoc, non autem aliud. Vinceret mehercle, maximusque ita vini huiusce ex alendi facultate vsus, (neque tamen ad humectandũ, & ad alendum tantùm) ostenderetur. Nunc, quum vnumquodque id alimenti genus vel frigidi & sicci, modò alimenti, præstare possit; non quidẽ vino eiusmodi peculiare id esse dicemus, vt hostem hunc auertat: longeque minùs humefaciendi potestatẽ ex hoc probari vllam iudicabimus, quum alendi tantùm probetur. At enim libentiùs se in Vini alimentum conuertet calor, faciliusque inde replebuntur sanguine venæ, vt, vnde abundè sustentetur, defuturũ calori non sit. Verissime: neque propterea tamen relictũrum est inferioris etiam notæ alimentum, si vini non adsit, vt impetum in corporis molem faciat. Quòd si vini tamẽ alimentum præferat actu humidi, calidi & sicci potestate: quãto auidiùs arrepturum credemus pabulum sibi innatum calorem ex actu, potentia, viribus calidum, humidumque, tanquam omni ex parte, totaque iam propè substantia maximè affine. Cuius quoniã nulla dum inuenta ratio, quum sæpenumero tamen caliditatem & humiditatem Vini audierimus, ex præstantissimorum Medicorum ore, de scripto quoque, non de nihilo, vt credi par est, prolatam; nec, quam nostri temporis doctissimi, acutissimique attulẽre, Medicæ rationes magnopere admittant: alia inueniẽda via est, modus alius, quo subsistere Authorum dicta possint, scriptisque eorum fides integra constet, quibus tanquam iuratissimis in tractatione Medica omni testibus vtimur: ne, si in re tam passim familiari, quotidianique vsus, vitęque humanę vt necessaria, ita vsitatissima, vt nihil eius, nostros aut sensus fugere debere, aut rationes, verisimile sit, tã supinè deceptos appareat; cõcidat apud nos rerum omnium aliarum, quæcunque dixerint, aut fecerint in arte Medica, fides; magnoque ita Studiorum nostrorum præsidio destituti, ducibusque orbati, à quibus iam quasi fluxæ fidei defecerimus, quorsum euadẽdum nobis sit, nescij, in viarum incertissimarũ ambages, & inextricatos Labyrinthos errabundi deferamur.

De Vini meraci & diluti differentia, ex quo controuersia tollitur. Et de miscendi Vini rationibus multis, ac varijs, quibus maxima semper ex parte aquæ portionibus superaretur vinum, vt humectatio fieret. Exempla rerum, in quibus vsu idem veniat, vt Temperamentum primũ immutent, additamentis quibusdam.

CAPVT IX.



ET quoniam nulla vnquam à quoquã commoda satis iniri potuit ratio, vt eiusdem prorsus rei respectu, de eadem penitus re, nihil quicquam immutata, cõtraria pronuntiari ritè possent: hoc autem in negotio de Vini temperamento humido, sicco, quæ duo inter se contraria de eodem vino (nullum enim adscripsẽre Authores discrimen) optimi humani temperamenti eiusdem respectu dicta, prolataque esse videntur: id nobis faciendum diligenter erit, vt,

quum alterutrum illorum variatum commutari perquàm necessarium sit, sedulò dispiciamus, in quo moliri idipsum debeamus. Et alterum quidem, in omnibus ad plenum artibus, non solùm in nostra hac, constituendis, exercendisque deinde ac tractandis, ad medium aliquod dirigendum perpetuò esse considerationum nostrarum modum, quo tanquam discerniculo, amussiq; certa, reliqua in arte omnia expensa constituantur, & ratio dictans vincit, & Authorũ testimonia probatum confirmãt maximorum, qui aliter nec constitui rectè, nec exerceri commodè artem vnquam vllam posse euidentissimis argumentis demonstrãrunt. Maneat ergo nobis quoque id inconcussum oportet, vt ad medij, æquiq; humani temperamenti, non solùm, quum de Vini, verùm etiam omnium aliorum temperaturis disputatur, cogitationes nostras omnes cõferamus. Hoc inconcusso, stabilique semper, vt diximus, manente, ne, si aliquo pacto vacillans conuellatur, ad conuulsionem eius tota nobis concidens pereat ars Medica; reliquum necessariò immutationem aliquam quoquo modo sentiet, si quidem Authorum dictis constare fides debuerit.

Hoc cogitãs, sedulò animaduertebam, sicubi in librorum euolutione inter legendum tale aliquid occurreret, ex quo arripere mihi talis alicuius immutationis ansam liceret. Prima animaduersio fuit ex Galeno, in hunc modum scribente. libet autem verba adscribere, ex quibus veluti de purissimo fonte deriuari in omnia Authorum loca explicandæ meliùs controuersiæ ratio tota queat. habẽt ergo (De loc. affec. ij.) ita: καὶ τί δεῖ μνημονεύειν ἰσχυρῶν φαρμάκων ὁρῶντας ὁσημέραι τὰς μὲν θριδακίνας, καὶ τὰ τῶν ποτίμων, καὶ θερμῶν ὑδάτων λουτρὰ, καὶ οἴνου πόσιν ὕδατι μετρίως κραθέντος ὕπνον ἐργαζόμενα, καθάπερ γε καὶ τ'ἄλλα, ὅσα πέφυκεν ὑγραίνειν τε, καὶ ψύχειν: τἀδ' ἐναντία πάντα τὰς ἀγρυπνίας. κατὰ τοῦτό γε τοι, καὶ ἡ λεπτὴ δίαιτα, καὶ ὁ ἄκρατος οἶνος ἀγρυπνιτικὰ, πολὺ δὲ δὴ μᾶλλον, ὅταν ὁ ἄκρατος οἶνος ἢ φύσει θερμὸς, ἢ παλαιὸς ἱκανῶς. id est, Quorsum verò attinet mentionem facere medicamentorum vehementium, quum quotidie videre licet, lactucis, potabiliũque, & calidarum aquarum lauacris, ac Vini potu aqua mediocriter diluti, somnum cõciliari, quemadmodum sanè ex alijs quoque, quæ humectare, & refrigerare nata sunt: contraria verò cuncta vigilias inducere. Hac ratione, attenuans quoq; victus ratio, & meracum Vinum vigilias faciunt, maximè verò quum meracum natura calidum & vetustum satis fuerit. Hoc loco nimis quàm euidenter notatum inspici potest siccandi atque humectãdi ex Vino discrimen, quorum alterum siccandi meracum, alterum humectandi dilutum præstet: vt hinc tantùm, si nullum aliud haberemus testimonium, finiri controuersia omnis placidissimè possit. Quid enim obstiterit, quo minùs his Galeni verbis, hacque Authoris eiusdem, quasi de animi sui sententia, contraria, quę videri alicui possent de Vini facultate alibi à se dicta, componentis, voce persuasi, & humectare dilutum, & siccare non dilutum Vinum posse, contendamus? Referturque mox deinde, eadem in libri parte, seruuli historia, qui ex largiore Vini veteris haustu perpetuas incurrerit vigilias, febreq; deinde & delirio correptus, perseuerãtibus etiam vigilijs, perierit, maximum siccitatis non paruæ argumentum. Vinum autem id meracius fuisse necessum, quando additum ibi sit historiæ, conclaui inclusum puerum, quum siti vrgeretur, nec intus aquam haberet, auidiore se Vini eiusmodi haustu ingurgitâsse. Atq; idem sibi contigisse aliquando (in De rati. vic. in mor. acu. comm. iiij.) memorat, vt æstate sitibundus, quum Vini calycem veteris ac meracioris exhausisset, adauctam sibi potiùs ex eo sitim sentiret. meracioris ait, vt non quod satis sedandæ siti foret, dilutum intelligeremus. Moxque deinde eodem in opere de quodam scribens ait: πιὼν οἴνου κατὰ τὴν κρᾶσιν ἔχοντος τὸ πλεῖον, vino in mixtura plus habente poto, hoc est, vinum quum bibisset, superans in mixturæ ratione aquam, causum extemplo incurrit: quasi qui minimè incursurus fuerit, si maiore dilutione caliditatem & siccitatem vini emendâsset. calidas nanque ibidem dixerat, & siccas causas, causum facere solere.

Ex hoc veluti carcere procurrens, signo dato, ad reliquorum librorum lectionem inquisitione semper sedula, diligentique, num aliquid sese manifestaret, quo de sententia hac deijceremur, profiteor, tot intercurrentibus annis, nihil mihi repertum vsquam, quod non cum hoc optimè facere, & perquàm bellè respõdere, ac quadrare posse videretur.

Nam quod vnum propè, si testimonia quærantur alicuius nostræ huic aduersantis sententiæ, obijci posse videatur, scriptum aliquando (De loc. affec. iij.) fuisse à Galeno his verbis: Τά τε γὰρ λουτρὰ πάντας ὑπνώδεις ἐργάζεται τὴν κεφαλὴν ὑγραίνοντα, καὶ οἴνου πόσις ἄκρατος, καὶ ὑγραίνουσαι τροφαὶ πᾶσαι. aliter alibi scriptum esse reperient, quibus inquirendi cura fuerit, tam in formulis excusis, quàm in manuscriptis exemplaribus, & pro ἄκρατος εὔκρατος esse, quæ, καὶ οἴνου πόσις εὔκρατος, habẽt, benè mixtus vini potus, perquàm facili librariorum lapsu ab εὔκρατος in ἄκρατος: vt, siquidem hoc

pacto iaceat verbum, repugnantia omnis de medio tollatur. Sin obstinatè nimis aliquis ἄκρατος illud seruatum velit, ego sic interpretor: Somnum quoque faciunt humectato capite balnea, & vini potus immodicus, & alimenta humectantia cuncta. Incontinens enim, & immodicus, Græcis ἄκρατος quoque est: neque ἄκρατος οἶνος dixit, aut ἀκράτου οἴνου πόσις: verùm ἄκρατος πόσις, incontinens, immodica, intemperans, hominum nimiùm quàm bibacium, tametsi non valde meracioris appetentium. Quæ ne temeraria videatur interpretatio, aut inaniter ficta, notentur loca, quæcunque apud Galenum de re hac exarata alibi sunt, semper audies aut ἄκρατος οἶνος, aut κεραννύμενος, aut κερασθεὶς, aut ἀκρατέστερος, & huiusmodi, voci semper οἶνος addita, non alij, vt hoc loco πόσις: vt aliud omnino significare voluisse videatur quiddam, non Vini meracioris, sed immodicam potiùs illius vel dilutioris sæpe potationem. Neque tamen inficias iuerim, posse nimio Vini quoque haustu paulò meracioris velut oppressum, degrauatumq; cerebrum, ac præsentis humiditatis copia in somnũ trahi; sed quem mox deinde vigiliæ diuturniores sequantur, nisi egregiè admodum diluatur. Generosissimum nanque non satis fuerit modicè diluisse: tantum adiecisse aquæ oportet, quantum demẽdæ siccitati, & introducendæ humiditati, futurum satis sit, vt solidæ partes humectentur, sequanturque vsus, quos ex Vini nobis humiditate pollicemur. Nam & quod æstate biberat Galenus, vtique dilutum biberat: at vetus generosumque quum esset, non satis acceperat aquæ. itaque, quanquam aliquid acceperit, quia tamen non satis, adhuc ἄκρατον (Prognost. ij.) appellat. Καὶ γὰρ οἶνον ἄκρατον εἶναι λέγομεν, ᾧ μὴ μέμικται τὸ ὕδωρ, ἢ παντάπασιν ὀλίγον μέμικται. Pro non addita censetur, quæ pauxilla addita est aqua: vsque adeò, vt, quo tamen casu omnium maximè exposci meracissimi vsus videatur, quoties aut ex papaueris succo, aut quauis alia ratione refrigeratos nimis reuocare ad calorẽ studemus, nonnihil tamen admisceri aquæ solitum sit. ἀκρατέστερος κεραννύμενος, meracius, inquit, (De simpli. medi. facul. iij.) mixtum refrigeratos sanat. Sed hoc ad vini caliditatem retundendam pertinet, cum qua nihilominùs siccitas quoq; semper retusa infringitur. Sicuti & in eo, quod non nisi calefaciendi & concoquendi facultate perficitur, quum horrores, & oscitationes, vino æquis aquę portionibus sanari tradidit (Aphoris. vij.) Hippocrates, vt in tam multa aquæ admixtione tantum tamen adhuc inesse calefaciendi virium existimemus, vt sanandis Symptomatis, quæ diximus, sufficiant. Hæc quoque mixtura οἴνου πόσις ἀκρατεστέρου dicta est Galeno Aphorismi rationes explicanti, ijsdem, quibus de tollenda ex papauere refrigeratione dixerat, verbis. Atque hi miscendi diluendique Vini modi in parte etiamnum Curatricis artis versantur, excalfacientibus medicamentorũ viribus egente. Quid? quum optimæ mediæq; tẽperaturę homini cõmiscebimus potũ. Quid? calidioribus naturis? An nõ, si æquale æquali immiscuit Hippocrates, seruatis nihilo seciùs calefaciẽdi viribus; nobis, si temperamentum, vt par est, seruatũ volemus, temperati hominis, multo adhuc plus adijcere aquæ opus fuerit? fuerit profectò. Nam calidiores illas naturas, aut ex toto priuabit vini potu, quod in Epidemijs iubet; aut pauxillulum nescio quid immiscendum vini aquæ consulet Hippocrates, quod, dum sanorum victus rationem traderet, mandauit, τὸν οἶνον πινόντων ὑδαρέστε, καὶ ὡς ὅτι ψυχρότατον, Vinum potanto aquosum, & quàm frigidissimum.

At enim in calidis id naturis necessarium: in frigidis non necessarium. Quomodo, quæso, non necessarium? Siquidem ostensum iam illud est, papaueris succo refrigeratos, vini potu, quod non omnino tamen non admixtum aquæ aliquid contineat, persanari: sique oscitationes, & horrores inconcoctorum sæpe humorum, & flatuosæ humiditatis frigidæque Symptomata, æquæ aquæ vinique portiones non aliter sanè, quàm calefaciendo, tollunt: minùs vt mirari debeamus, si, postquàm vel opio frigidissima re potionatos, eoq; periclitantes, aliquatenus omnino diluti vini remedio curamus; frigidioribus quoque temperaturis quoquo modo dilutũ propinabimus, non modò quum in frigiditatis suæ temperamento conseruatos voluerimus, nam tunc largiore etiam aquæ affusione vtemur: sed etiam quum emendandas, atque ad temperiem reducendas sumemus, paucioris quidem tunc aquæ egentes. Hæc apertè (nisi fallor) ostenderint, cuiuscunque tandem generis, aut ordinis, aut conditionis hominibus, sanis, ægris, neutra in parte sanitatis aut ægritudinis positis, temperatis, intemperatis, omnibus diluti quoquo pacto Vini propinari vsum solitum vsitatissimè: nec, sicubi in veterum Authorum libris scriptum inueniatur ἄκρατον, semper id de nullatenus omnino diluto accipiendum esse; quando, vt docuimus, ea voce etiam ex parte dilutum significetur, idque non ex Galeno solùm discere, sed ex Aristophanis quoque interprete colligere nobis liceat. αἰρομένης τῆς τραπέζης μετὰ τὸ δεῖπνον ἄκρατον περιεφέρετο, καὶ ἐκαλεῖτο ἡ κρᾶσις ἀγαθοῦ δαίμονος. ἄκρατον, inquit,

quit, impermixtum. & mox, ἐκαλεῖτ' ἡ κρᾶσις, mixtura, seu temperamentum boni dæmonis appellabatur. Quomodo mixtura, aut temperamentum, si impermixtum? Sed id erat videlicet vocis ἄκρατον significatum Veteribus, vt sæpissimè etiam dilutiusculi vini mixtura eo nomine indicaretur: non immeritò. Quis enim Homericum Maronium illud, cuius ἓν δέπας ἐμπλήσας ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα, vnico poculo, aquæ viginti additis, lateque adhuc spargente odorem vino, dilutum satis existimet, æquabili vini aquæque portione? Quis Maluaticum nostrum, nisi admodum dilutum, biberit? & non excalfactum se plùs iusto sentiat? ac, si paulò plusculum sibi bibendo indulserit, non etiam commotum? Omnino vetustissimus mos iste, receptissimusque olim, diluendi Vini, conditionibus hominum omnibus, etiam gentibus, Scythis tantùm fortè exceptis, qui aut nihil, aut parum omnino diluto vterentur. Athenæo quidem Scythica vocatur potio ἀκρατοποσία. at ἄκρατον nobis iam erat, & impermixtum penitus, & aliquatenus tamen mixtum: vt generosa, vinosaque ne ipsi quidem potâsse Scythæ, absque quo aliquo tandem pacto diluerentur, existimari possint. Idem Author Homero quoque mixturarum diuersarum cognitionem tribuit: neque enim dicturum fuisse, Ζωρότερον δὲ κέραιρε, Meraciùs misce. nisi aliæ quoque essent Vini mixturæ, imò μὴ οὔσης τινὸς καθημερινῆς κράσεως, nisi quotidiana mixtura esset: vt meraciùs misceretur, cui, præter quotidianum vsum, vsitatamque diluendi satis consuetudinem, aquæ minus adderetur. id fuit Homero ζωρότερον, perpetuum diluendi admodum aliás Vini morem indicans: tum verò, exhilarandis epulis, Menœtiáde iusso purius meraciusque, pauciore, sed aliquantula tamen, aqua affusa, propinare. Inde nata vocabula ὀλιγοφόρου, & πολυφόρου, pro vehementia vini, & imbecillitate: inde Pincernæ nomē, à miscendo, & temperando vino, πίνειν κίρνα, Misce & tēpera vinum, est. Qui se Epicuri de grege porcū professus aliquando est, & bibacem, meracique vbiq; auidū fecit Flaccus,

-- mea nec Falernæ, ait,
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

Temperare dixit, quod Grǽcorū κιρνᾶν est, atque adeò temperari scripsit pocula vitibus, aquæ nimirum pocula vino, non è diuerso vinum aquæ poculis: id hercle innuens, quando rei semper additamentum minus, maiori aquæ mensuræ, vini addendam minorem, homo, vt dixi, Epicureus, atque vel ex professo bibaculus, idque in vini genere viliore: quanto minorem additurus sobriæ magis familiæ Philosophus, & vinum nactus generosum? Atq; eundem adijciendi ad aquam vini modum potiùs, quàm è contrario, indicâsse Virgilius quoque ipse videtur, ita canens:

Poculáque inuentis Acheloia miscuit vuis.

Videri igitur potest haud paruis coniecturis, infundi semper Vino olim aquam consuêsse, varijs diuersisque portionibus, sæpiùs tamen aquæ maioribus, & semper aliquam: inde nata varia mixturarum genera, de quibus Athenǽus, inter quǽ potatorum maximorum, eorumque, qui (vt Author idem ait) ἐπιτεταμένως, contentè, nauiterque vterentur potationibus, mixtura erat, proportionis duorum ad quinque. sic vt vini duo, aquæ tres miscerentur cyathi; frequentiùs autem, vt vini vnus, aquæ tres. Vt vini autem vnus, aquæ quatuor componerentur, eam tanquam dilutam nimis mixturam improbabant: ita tamen, vt quantum aquæ, tantundem quoque vini nunquam miscendum probarent, vsitati moris legibus, & consuetudine, postquàm etiam, qui se auidiùs meraciore ingurgitarent, hi infra æquantis aquam vini mensuram subsisterent. Plinius quoque, quum de Vino loqueretur, modum statuit diluendi vulgatum vnius ad duo: Vulgò, inquit, (lib. xxiij.) satis putant vnum vini cyathum duobus aquæ misceri. Idem eodem Naturalis Historiæ suæ in opere (lib. xiiij.) non obscurè prorsus diluēdi legem, quasi mortalium omnium moribus & consuetudine sancitam, priùs indicârat, succos alios, qui è frugibus in potus vsum excogitarentur, meros hauriri solitos inquiens, neque diluendo, vt vina, mitigari. Quis non videat, hoc verborum sensu, receptissimum passim diluendi Vini morem? sicuti ex paulò antè dictorum intellectu, benè admodum diluēdi. Staphylum idem, Sileni filium, Vinum aqua misceri inuenisse tradidit. Atqui inuentores rerum non traduntur, nisi quarum vsus iam maximus, & introducta apud cunctos consuetudo. Nutrices fecit Bacchi Antiquitas, Nymphas ipsas, Aquarum Deas: quid aliud significans, quàm velut educari aqua vinum debere, illiusque inde augeri vires solere, vsibusque nostris accommodari? Hodie etiamnum Grǽcorum vulgus κρασὶ vinum vocat, quod olim κρᾶμα veteres, maximo profectò argumento, nunquam aliter nisi dilutum, atque adeò dilutissimum, potari solitum vinum fuisse. κρᾶμα enim Plutarcho Authori tanto id quidem est. ὥσπερ τὸ κρᾶμα, καίτοι ὕδατος μετέχον πλείονος, οἶνον καλοῦμεν. Audis κρᾶμα quid significet? mixtura, qua


vinum aqua superetur. Quòd si Crama antiquis hoc erat, & Crassin hodieque vocem seruat lingua Græca, vini simpliciter significato: perquàm necessum est, receptissimum dilutissimi vini vsum tum fuisse. His, alijsq; huiusmodi, quæ nunc sese non ita facilè offerre possunt, Authorum dictis, sed his tamẽ inprimis, non dubitârim persuaderi facilè posse rectè attendentibus, non solùm nunquam bibi, nisi dilutum, veteribus vinum solitum: sed illud etiam vel maximè, nullam, aut perquàm raram certè, fuisse cuiquam miscendi rationem, in qua non superaret vini portiones aqua, multis interdum, interdum minùs multis, semper tamen partibus aliquibus, quæ propè nunquam æquarentur, nec mensura, nec æquilibrio: vti iam non immeritò, quæsitam hoc pacto veteribus ex vini potu humectationem semper fuisse, ablegata longiùs siccitate, non iam diuinare, sed certam penè tenere, sequique sententiam possimus.

Et hęc quidem in re, cuius ex vetustate, non aliter, quàm ex sua quorumque ætate scribentium testimonijs constare fides potest, petita de illorum scriptis dictisque argumenta sunt.

Nec destituemur exemplis rerum aliarũ in re Medica similibus, si quæremus. Inter quæ illud non postremum occurrit, quod de hordeo scriptum nobis reliquit Galenus, (De alim. facul. j.) natura id sua frigidum & siccum esse, aquæ autem maceratione humidum reddi, his ferè verbis: οὐδέποτε μὲν οὖν θερμαίνουσι τὸ σῶμα κατ᾽ οὐδένα τρόπον σκευασίας, ὑγραίνουσι δὲ καὶ ξηραίνουσι διαφόρως σκευασθεῖσαι. τὸ μὲν γὰρ ἄλφιτον ἐκ τῆς φρυγείσης κριθῆς γενόμενον ἐναργῶς φαίνεται ξηραῖνον, ἡ πτισσάνη δὲ ὑγραίνει, ὅταν γε ὡς προσήκει σκευασθῇ, τουτέστιν ὅταν ἐπὶ πλεῖστον ἀνοιδήσασα τύχῃ κατὰ τὴν ἕψησιν, εἶτα μετὰ ταῦτα διὰ μαλακοῦ πυρὸς ἄχρι πολλοῦ χυλωθεῖσα. Nullo, inquit, præparationis modo calefacit corpus hordeum: humectat autem, & siccat diuersè præparatum. Farina nanque ex frixo hordeo euidenter siccat: ptissana humectat, si quo conueniens fuerit modo paretur, id fuerit, quum inter coquẽdum, plurimùm intumuerit, tum deinde lento igne longiùs succata succosior've facta in chylum abierit. Tametsi, quum omnium maximè humidissima aqua sit, eoque, quocunque se illa addiderit, humectandi secum vires adferat, quærenda non fuerant exempla humectationis ex vino, vt par est, diluto: perspicuum tamen in ptisana fit, cui humectandi vires ex tumefactione, qua aquam imbibit, & coctura, propter quæ pro siccatoria humefactoriam facultatem hordeum imbuit, imbutumque diutiùs aquæ maceratione, atque elixatione ptisana fit, humectandi vi præstans, vnaque alendi non minùs. Quàm facilè autem in vino euenire idem quoque possit, iudicatu facile est: tam facilè permiscibili, vt totam fermè per totum recipere in se aquæ substantiam, ad perfectæ absolutæque mixtura modum ac rationem, queat, multoque magis alijs multis, ac longè faciliùs, humefaciendi qualitatem suscipiat: præsertim verò, si multo antè, quàm bibatur, concinnetur mixtura, vt olim veteres, quibus ex argumento hoc vocatæ Cirneæ suæ erant, vinaria vasa & mistaria, ἀπὸ τοῦ κιρνᾶν, quòd in his præoccupari solita esset aquæ cum vino mistura, de quibus potarent; aut, vt olim hodieque, Lora, & δευτερίαι, quum vinaceis vindemię tempore tanquam incoquitur aqua, vinaceorum feruore adiuta: vt, si is nostra etiam tempestate increbuit apud multos potus, & non ab inuitis bibitur, vbi tamen vinosæ substantiæ minimum, longè magis, atq; adeò cum insigni sanitatis tuendæ emolumento ferri potariq; mixtura ea queat, qua infusam ebullienti cum racemis vinaceisq; vnà suis musto aquam optimè, perq; omnia partibus suis cunctis permisceri par est, contunduntur priùs in fringẽdis acinis ligneo pistillo racemi, aut calcantur pedibus, vt liquorem promptiùs reddant, injciunturque prægrandibus ad id vnum fabrefactis dolijs: quæ si præterea aquam acceperint, iam nobis Cirneæ erũt, vt Plautino ad hoc verbo vtar.

Varij miscendorum Vinorum modi pro illorum diuersitate, vt plùs minùs humefaciant, quadam etiam resiccent.

CAP. X.



Tque ita, quæcunque, & quocunque tandem modo parata mistura vti volet quis, pro eo, ac libuerit, aut commodum cuique atque ex vsu fuerit, humectantem, siccantem've habere, aut temperatam etiam poterit. Generosissima quippe vina nisi egregiè diluantur, etiamnum siccârint, atque haud scio an hæc superantem aquæ mensuram, multoque magis vinum excedentem exposcant, vt humectare queant. Quum enim generosum, si præterea vetustas accesserit, quanta potest, (quod, antequàm amarescant, intelligitur) tertij caliditatis & siccitatis à temperamento recessus ordinem ingressum sit, atque etiam in eo progressum valde: siccitas tanta vt dematur, quæ ab omnium maxima gradu tantùm vnico distat,

ſtat, non ſanè paruam eſſe humiditatem oportet, quæ illam ad temperamentum reuocet, ac multo maiorem, quę humectādi illi vim tribuat. Quod vt præſtare queat, infra temperamentum deſcendiſſe opus eſt humiditatem verſus: humidiſſima autem quidem Aqua, vt, ſiquidē ſumma haberetur Vini ſiccitas, tantundem aquæ additum temperamentum facere poſſe videretur. Nunc, quum non ad ſummum ſiccitas in eo peruenerit, minus omnino aquæ ad temperiem faciendam requiretur. At vt ea humiditate imbuatur, quæ humectarę quoque valeat optimi temperamenti hominē, (id ſemper intelligo) tum verò pluſculum, dimidiumque omnino ſupra infundi oportere aquæ crediderim: longè autem valdeque multum dimidio plus, ſi maiorem humectandi facultatem quæſierimus. Quæ facilè deduci in omnem miſturam ratio poteſt, vt vniuſcuiuſque cōmoditas tulerit, hanc illámve, humectandi, vel exiccandi etiam, ſibi facultatem quærenti, pro vehementia tamen ſemper Vini. Multa ſanè hoc tempore immutatione in his facta, quo aut vetuſtatem eam iam non ferunt Vina, quā priùs, niſi pauca quædam, negligentia fortaſſe noſtra, aut recto conſeruandi vina modo deperdito iā, aut peruenire ad eam non ſinimus: vt neque dilui quidem intantum poſtulent. Nec generoſis iam valde vtimur: & qui vtuntur, egregiè multi diluunt, quotidiano vſu: meracioribus tantùm vtuntur, quum aut refrigeratum ventriculum excalfacere, aut concoctionem iuuare cupiunt, aut auxilij inde aliquid demum, præter alendi vſum, ſibi petunt. Nam qui alimentum tantummodo ex vino, & potus vtilitatem quæret, is, niſi temperamento naturæq; ſuæ commodam, conueniētemq; miſturam ſeruārit, vt plus minus humiditatis ex ea pro temperaturæ ratione accipiat, non rectè ſanè fecerit. Immutando tamen temperamēto etiam in ſanitate conſtitutis, vel meracū quandoque, aut minimùm quid dilutū, bibiſſe licebit, vt ſi admodum humidam temperaturam emendare propoſitam fuerit; quemadmodum è diuerſo, ſi impensè ſiccam, dilutiſſimum dabimus. Verùm hæc iam aliò tendunt.

Illud vnum hoc loco probatum oſtenſumq; cupimus, natiuam Vini ſiccitatem, variè, ita imminui, vt ad temperamentum deducatur, ac rurſus, pro ſiccandi vi, humectandi poteſtatem acquirat, tolli dilutione poſſe, hominumque omnium diuerſiſſimis licèt temperaturis conuenire conſeruandis, corrigendiſque facilimè queat: atque ita in parte quoque artis Curatrice non paruus futurus illius vſus ſit: nec inuiria ideo ſcripſerit aliquādo Galenus, vires tribui vino, & qua medicamentum, & qua alimentum, debere. Quod illi quum aliorſum, ac debuerant, intelligentia raptū detorſiſſent, nec tueri poſſent; neceſſariò in diſſona, minimeq; inter ſe cohærentia, eoque à veritate aliena, delati fuêre, niſu omni contendentes, idem, eiuſdemq; prorſus rationis, Vinū ſiccum, vt medicamentum, rurſusque vt alimētum actu quodam humidum exiſtimari poſſe. Nos, naturæ ſuæ relictum, ſiccum, ideoque pro medicamento haberi Vinum docuimus: aut vt inde alantur quoque corpora, non eo tamen alimento humefieri ea poſſe qualitatis quidem eiuſmodi intentione, varijs autem diluendi rationibus humiditatem, atque etiam humectandi vires indipiſci, quibus pro alimento vnicuique hominum, ſi recta ſeruaretur ratio, perquàm bellè competēs cederet. Atque hoc de humiditate, & ſicitate.

Vini caliditas quomodo aquæ admixtione retundatur. Tum additus Epilogus diſputationis totius, & reddita eorum, quæ contingunt in his, omnium ratio.

CAP. XI.



Ec planè diuerſum de caliditate, & frigiditate tradēdū. Quo nanque modo introducitur aquæ admixtione vino humiditas, eodem frigiditas quoque: minùs tamē ſemper, minorq; hæc paulò, quàm humiditas: propterea quòd vini caliditas non tam facilè frigiditati victa cedat, quàm humiditati ſiccitas, quippe quæ vino, rei actu humidæ, poteſtate ſola inexiſtens, accedente aquæ præſenti actu humiditate ipſa, & in qua omniū maximè humefaciendi ineſſe facultas reperitur, virium ſtatim ſuarum plurimum amittat. At calidiores vini partes quanuis potētia ipſæ quoq; inſint, validiùs propria agendi reſiſtendiq; efficacia aquę frigiditati repugnare poſſunt, nec tam facilè ſuperatæ auferūtur, quin in vnū ſæpe à frigido coactæ, vt in calcis ſemper exemplo perſpicimus, fortiores euadere, vel tueri ſe ſaltem potētiùs, ne à frigiditate reſtinguātur, vireſq; adhuc proferre ſuas, in actionem productę poterūt; donec larga nimis aquæ affuſione euictæ ceſſerint, aut retuſæ, fractæque, nō tantum adferāt vlteriùs ad calefaciendum virium. Ita ſanè fiet, vt his rationibus minimè dubitandū ſit, paulò plus ad humectādum interdum, quàm ad calefaciēdum ineſſe facultatis in vini dilutione poſſe. Ac

proinde non, quemadmodum calidum & siccum alibi, ita frigidum alibi & humidum sententia sua protulerit Galenus Vinum: sed calidum & humidum, de diluto loquens, altera solummodo contrarietatis parte mutata, seruata altera, quæ non tam facilis vinci retinere adhuc caliditatis aliquid pristinæ possit, deducta ad temperamentum siccitate. Quę enim Vini caliditas, & humiditas est, ea temperata satis est, aut non magnopere certè à temperamēto, nec calefaciēdi nec humectandi potestate, discedit. At eadem ista caliditatis cum humiditate temperies, seu prope temperiē qualitas, ex dilutione modica iustaq; ad id quæsita, pluscula aquæ admixtione perit: infringitur certè, vti iam agendi munus frigiditati concedat, ipsa minus retineat, minusq; semper, vsque dum, intemperantissimè addita aqua, aquosum totum fiat, frigefaciendi & humefaciēdi viribus validissimum, si pauxillulum immixtum, ac minimarum virium, exuperanti portionibus multis aquæ pro vehiculo tātùm futurum sit, deducendo per corporis partes omnes, altiusq; insinuando liquori. Qua de causa tam ipsum dilutum aquosumque factum vsui multis non sit, & vel Hippocrate damnante, fluctuantem humiditatem addere superiori ventri, atq; imbecillitatē soleat, flatulentiam inferiori: nisi, quum res, reiq; vsus expoposcerit. nam tū nocumenti aut dispendij nihil, contraq; emolumenti atq; impendij multum expectandum, vt in omnibus, quæ varijs rationibus, ac diuerso tēpore adhibita, modò profutura, modò nocitura esse, diuinare cum ratione possumus.

Arbitror constare iam nō prorsus oscitabundè hæc legenti, quod Vini temperamētum, natiui, aut diluti, quæ vires, quàm varijs modis ac rationibꝰ trahere sibi quisque in cōmoditates suas, atq; adeò in rem suam Vini vsum possit, conseruandæ naturæ suæ, tuendæq; sanitati, subueniendi periclitanti, amissæ recuperādæ, recipienti se ex morbis reficiendæ. Hæc enim omnia pręstari posse Vini multifariam initis dilutionibus, modò non ignauæ prorsus, ac perfunctorię nimis lectionis ac considerationis aliquis, ostensum sibi esse satis arbitrabitur, vt iam nō sit vlteriùs de his anxiè nimis disputandum.

Restarent in genere dicenda Vinorum genera. Sed quoniā in vnaquaque, de quacunque re, disceptatione, rectam rei illius excussionem, exactamque, illa quoq; sequi solet prompta parataq; rerum omniū, quæ in ea, aut circum eam accidunt, reddendæ causæ ratio, & responsio ad omnia: age sanè, & hoc videamus. Calidum & siccum Vinum dicunt: nempe calefaciens & exiccans est. Experimur in extrinsecus admoto puro meracoque, siccandis vlceribus, refrigeratis partibus recalfaciendis: intrò sumpto autem, quū incalescere nos extemplo sentimus, & siccati plus plusque sitimus, vt Galenus de se; ardentes febres incurrimus, calidæ semper & siccæ causæ alicuius effectum, vt relatus à Galeno ille; vigilias ex siccitate, & calidiorum acriumq; exhalationum fumosis morsiunculis excitatas, atq; inde delirium quoq; accersimus, vt Grammatici puer; soporosi somnolentiq; simus primū, vaporosis, ex quāuis meraco, exhalationibus oppressi, & præsenti humiditate; mox deinde ex eodem vigilamus, detegente se paruo tēpore siccitate, quæ cū potestate sua delitescebat priùs; sitim itē tollit meracum idem extemplo, aut tollere potiùs videtur, ijsdem de causis, atque ijsdem rursus, moxq; eandem auget, quo tempore ebriorum ex meri potu exiccantur tunc labia, & ebriosorum exiccata manēt diu, intrinsecæ vētriculi tunicæ exiccatione, quæ os quoque & labiorum partem suffulciens vestit; frigidæ & humidæ intemperaturæ morbi persanantur, calefaciendi videlicet & siccandi facultatibus; frigidi fiunt, interstincto alimēti nimietate calore natiuo, lucernæ exemplo, quæ, nisi iustā olei mensurā, non patitur. Imò hoc ipsum Vinum, & quidem meracum, nobis iam Peliâs quoque hasta erit, ex qua & vulnus, & eadem opera remedium accipiatur. Etenim conuulsiones, & neruorum resolutiones fiunt liberali nimis meraci haustu: meracū quum dico, ἄκρατον Græcis dictum accipio, quod etiam à paucula aquæ admixtione ita dici ostensum est. Ex eodem affectuum eorundem persanatio sequitur, in tempore, modisq; suis sumpto, adhibitoque. Iam lætitiam inuehit dilutum; sitim aufert, sed non mox redituram; somnum conciliat, sed non quem paulò pòst vigiliæ sequantur; ei, qui sensurus vsus illos sit accōmodè. Ijsdem diluendi rationibus humectatione quæsita, alimētum potumque conuenienter vnicuique, pro mixturæ ratione, quæ vsui futura nobis visa fuerit, sumptū, largietur; calefaciet, refrigerabit, siccabit, humectabit, quodcunque voluerimus horum, fecerit, coniunctim etiam, modò diluendi rationes omnes exactè teneamus, vt pro vini vehementia, quantum cuique addendum, infundendumque aquæ sit, quo mixturam, quam intendimus, assequamur, non ignoremus.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

Vinorum differentiæ præcipuæ, quasiq; accidentariæ aliæ. Discrimina ex Colore. Quid Fuluus, Ruffus, Flauus color sit.

CAP. I.



Necessariò fuerat nobis in hæc diuertẽdum, ne suscepti operis præuaricatores meritò haberemur, præterita silentio incuriosè tam ambigua tamq; necessaria, de Vini temperamento, quæstione, non alibi meliùs, quàm ea in parte tractanda, versandáque, quæ post traditas alimentorum omnium facultates, potus quoque, qui Vino maximè continetur, naturam traderet. Nunc Vinorum discrimina, velut ab initio rursus orsi, persequemur, ac priùs in vniuersum differenda pauca, quorum cognitio particulatim, quodcunque sese deinde nobis obtulerit Vinum, explicatum illius quamprimùm naturam patefaciat.

Vini differentiæ ex his maximè spectantur, sic tradente nobis (De rati. vic. in mor. ac. iij.) Galeno, ex Colore, Sapore, Odore, Constitutione, Facultatibus, Aetate. Quarum potissimæ ex Sapore, Constitutione, ac Facultate trahuntur. Nam ex Colore, & Odore, atque Aetate iuuandi, aut nocendi, non propriæ rationes sunt, atque ex accidenti tantummodo. Quid enim color per se, aut odor, ꝓdesse obesséue poterit, hoc quidem in negotio? Constitutio hoc faciet, Vini Sapor, Facultas. Quemadmodum sanè ne Aetas quidem quicquam per se præstiterit, nisi verò quatenus veterascẽtibus cõtingit, vt vinositatis plus acquirãt, & vehementiora fiant: nouellis è contrario, imbecilliora vt sint, atq; ex aquositæ adhuc materiæ copia minimùm excalfaciant: neq; ad calefaciẽdum vetera quæremus ob vetustatem, sed si ex vetustate vehemẽtiora facta senserimus: nec Odora ob odorẽ, sed si cũ hoc facultatẽ prætereà iustam referant: nec Fulua ob colorem, sed ob manifestã illorum calefaciẽdi vim. At Constitutione tenuia, crassaque, aut media, ob eã ipsam Constitutionis tenuitatẽ, crassitudinem, & mediocritatẽ expetimus, aut reijcimus; vehementia, & imbecillia, propter easdemmet illas qualitates; Austera ob austeritatẽ, ob dulcitudinẽ Dulcia, & huiusmodi. Quapropter ex natura rei penitus deductæ differentiæ hæ, statim de suo iuuamentum, aut nocumentum proferunt: illæ aliæ extrinsecus aduenientes, non nisi harum, aut vnius alicuius ex his interuentu. Dicendæ tamen cunctæ: quoniã non minimam habuisse colorum in his rationem videtur Hippocrates (De rati. viç. in mor. ac. iij.) quoq; ipse: γλυκὺν ἢ οἶνον, ἢ οἰνώδεα, ἢ λευκὸν, ἢ μέλανα, Albi & Nigri differẽtias attulit. Est porrò differẽtiæ genus hoc, à colore ductum, quod omnium primum in multis sese sensibus nostris offert, in Vino aũt vel maximè: quippe huius, illiúsve inprimis coloris expetimus multi, vt bibituri non simus, aut nõ tam libẽter bibituri, nisi hoc illúd ve. Et sunt certa quibusdã ex coloris mutatione præternaturali indicia, aut acescentis, aut mucescentis, aut prorsus corruptum iri properantis.

Maxima illa ex Colore discrimina, Albi, Fului, Flaui, Rubri, Nigri. Albi duo item fastigia: Aquosi, quod febricitantibus vnũ competere Galenus (De rati. vic. acu. iij.) ait, minimè nimirũ euidenter calefaciens, hoc est, primo à temperamẽto recessu. hoc nanque, quæcunque manifestam calefactionem non præ se ferunt, continentur. at ne sic quidẽ febricitantibus cõducturum, nisi benè dilutũ, vt frigidum egregiè atq; humidũ euadat: quod ita intellexisse Galenũ, si superiora repetantur, clarum, apertumq; fiet. Est aũt, præter albedinem, Constitutione tenue vinum id, qualitate nulla manifesta, cuiusmodi in alijs reperiuntur, austeritatis, acerbitatis, dulcedinis, acrimoniæ, odoris, prorsusq; nullo ita, nec aquæ, nec vini nocumẽto. quod vni inter omnia Vina contigit, vt vtriusq; noxam vitaret, in confinio propè aquæ positũ, sic, vt Vini tamen naturam ingressum, dilui ad vsum postulet optima quidem temperie præditi hominis, si alimentum tantùm inde quæratur: multo autem magis febricitantis. Vrinæ ciendæ maximè accommodũ hoc, mini-

mè caput tentat, verè ὀλιγοφόρος, paucissima nanque, quotidiano in vsu, aquę admixtione eget. Excretiones oẽs tenuitate sua ꝓmouet: humescunt inde mẽbra optimè, & squalorẽ deponũt, prægterquàm ꝙ refrigerentur. ideo sedandę siti, & biliosis naturis conuenientissimũ, æstatis pręsertim tẽpore. Parũ inde tamen alimẽti sentiet corpus: at eiusdẽ paratissimũ vehiculũ erit, facilimè per partes corporis oẽs deducẽdi. Alterũ fastigiũ Aquosi fecit Galenus cũ austeritate, cętera similis, nec dissimiliũ facultatũ, nisi vrinã, reliquasq; corporis excretiones moraretur. Hoc arbitratus est Galenus (De rati. vic. in mor. acu. iij.) λευκὸν οἰνώδη dictũ aliquãdo Hippocrati, disquisitione anxia, quodnã tandem vini genus hoc habendum esset, Albũ simul & vinosum: quoniam ex Albis vehementer excalfacere, quod vinosa faciũt, aut feriẽs caput replere, aut deliriũ facere, aut febrilẽ calorẽ augere posse videatur nullũ. Itaq; austeritatẽ illi largitus est Galenus, ne prorsus Aquosum maneret, cuius, vt diximus, nulla penitus qualitas sit. Sed nos testificari sanctè possumus, visa nobis, quæ videri ab omnibus passim quotidie possunt, dilutissimæ albedinis vina, purissimæq;, aquã substãtiæ similitudine, & constitutionis tenuitate, colore aũt inprimis ita quę referrent, vt ꝓ aqua incautis quibusdã ad diluendũ Vinũ infusa immiscerẽtur, ioculario sępe malo, quũ inter nobilissimos cõuiuas imposturã factã, hoc pacto meminerim. Doctissimo cuidã meracius auersanti semper, infundebatur ex phiala, me spectãte, pro aqua eiusmodi vinũ colore prorsus aqueũ, nec, cui infundebatur, aliter existimabat, facultate aũt vinosissimum. bibebat, magis magisque semper affundere iusso Pincerna, mirabũdus quæribũdusq; affusione tãta nondum iustã dilutionẽ sentiri, donec ex lympha ea, quæ videri vtiq; poterat lympha, prorsus egregiè lymphatũ hominem spectauimus oẽs cũ risu, id primùm animaduerso, quum è mẽsa surgeret. Tremenica hęc sunt vina quędã, & Laictacia, (sic enim vocant) & nonnulla alibi alia. Genus est vuæ (Verdalbarus appellant) ex viridi, & albo nomen: viret acinorum cortex, expressus succus albet, inde vino quoque color.

Ab albo trãsitus est in Fuluũ, quod vetustate fit: ab hoc in Rufum, etiamnũ magis veterascẽte vino. Is color Gręcis ξανθὸς, nisi fallor, Fuluus πυῤῥὸς est, idẽ propè quod κιῤῥὸς; nisi pallescente magis colore quodã notaretur is, πυῤῥὸς aũt saturo magis esset: hũc Flauũ potiùs dixerim: vtrũq; Italorum vulgus Biondũ appellat, saturitatis tãtùm, magis minúsve coloratę, discrimine: Citrinũ semibarbarorũ multi à Citrij mali colore vocârũt, q in vtroq; aureus quidã visitur, & coruscos facit, frequẽtissimus in Germanicarũ puellarum capitibus auri colore dilutiore, modò minùs quoq; diluto spectabilis, splendescẽs semper: hic Latinis luteus quoq; est, in herbarum floribus multis spectatu dignus. Nã ξανθὸν, qui satur magis est, Rufum Latinè existimari diciq; meliùs crediderim, qualis ferè Aenobarborum color, quorũ barbas æreo quodã colore rufescentes videmus, quas fuluas, flauásve, opinor, non rectè dixeris: rufas, rutilasque dixeris. Ornat is color virorum caput, barbasque, animi ferociam promittens: in virguncularũ capillis minimè cõmendabilis, quũ flauus ꝓbetur maximè, &, nisi suapte natura accedat, arte & mangonio accersatur. Ausonius quidẽ Bissulã suã illam sibi decantatã, flaua nobis coma inprimis commendans, Oculos, inquit, cerula, flaua comas. rufæ nulla certè futura fuit commendatio. Rufos, russos vulgo dicimus, & æris colore quodã œnobarbos, cuiusmodi ferè floris æris color est, sicuti fuluus, flauusq; auri, aut orichalci. Quę dici de Vini nõ minùs coloribus omnia possunt rectissimè, vt Albus Aquosi prorsus color sit: ab hoc κιῤῥὸς lucido iam auri fulgore, sed dilutioris: πυῤῥὸς saturi magis. κιῤῥὸν χρῶμα, ait (Therap. xij.) Galenus, δύναιο ἂν λέγειν πυῤῥὸν ὠχρόν. possitq; non ineptè fortasse ille Latinis nobis fuluus, hic flauus esse. Is est vini color Cretensis hodie optimi, siue Maluatici, multorumq; aliorum apud varias gentes, Moschatelli, Monflasconi, Tridenti vicinisq; circùm oppidis Schlaui, Vernacij ad Benacum, in Patauino agro montani, alibi alius fortis, generosique, eo semper propè colore, ac valde vinosi vini, excalfacientis insigniter, vaporosi, quo caput maximè repletum tentatur, iuuatur concoctio, frigidior sæpe corruptela contemperamento emendatur. Hæc senibus conuenientissima, qua debent, ratione diluta.

Rufo, quod diximus, & Græcorum ξανθῷ non ea luciditas, nec splendescens nitor tantus, sed neque ea calefaciendi vis: minùs ideo caput tentat, minúsque fumidis exhalationibus replet. Substantia hoc spectatur crassiuscula ferè semper, sicut colore quoque saturum magis, qui Aranciorum quorundam corticis obscurioris color est. Ex quo Ranzatus vulgo, notissimæ à Fuluo Flauoque differentiæ, quos colores vulgus Gialos vocat.

Post hæc vinum est Heluum, Albi Nigrique in confinio: idem ex cerasorum colore dilutiorum Ceraseolum multis dictum, translucidæ substantiæ sæpeque pellucentis nitore grato: Clarettum Gallia vocat, Italia tota vtitur. Non magnæ

ipsum

ipsum quoque calefactionis, aut virium habetur, nec quo tentetur multùm caput.

Proximum huic colore, sed longè maioris calefaciendi facultatis, vinosumque magis, Rhenani genus, quod Gantzfusium vocant. Vitis genus tradunt peculiare, folijs in anserini pedis formam à natura effictis, vnde Vino Germanis nomen, ex vuis rubellis, inter generosissima Germaniæ vina meritò habetur: suaue, mitéque, nec os, nec stomachum vellicans, mirificè concoctionem iuuare solitum.

Sequuntur, quod ad colorum discrimina attinet, Rubra, quæ ne Rubea aliquando à nobis dicantur, cautio est, non permittétibus Latinioribus. Sunt Authores, qui ex vuis nigris Vinum fieri forte dicunt; ex rubeis autem suaue. Rubrum nobis, Græcis ἐρυθρὸν est, vinum colore suo longè, quàm Heluum, quod diximus, saturum magis, iámque ad nigredinem paulatim deficere incipiente, qualia item cerasa dilutissimi nigerrimique coloris in medio: Italia vulgò vina dicit Rubra quidem, sed colore degrauata grauidáque, Satura volentes dicere. Ex his nutrimentum corpori maius iam: quoniam in vniuersum coloratiora, alimentosa quoque magis, quod semel dictum satis sit: vires, facultatésque aliæ pro vehementia vini. sunt enim inter hæc fortia, sunt imbecillia, & media. Quòd si præterea crassities accesserit, iam quo maior hæc, eo alimoniæ quoque plus in vino: minus tamen semper prouocandæ vrinæ, promouendisque reliquis excretionibus facultatis ac virium, quo crassitiæ, colorisque plus.

Vltimum locum occupant Nigra: colorum, dico: nam nutritionis primas his debemus partes, inter Vina omnia, præter colorem crassiorum quoque simul partium, vnde alimenti plurimum; addita verò insuper dulcedine, (sunt enim ex his, vt austera quædam, ita alia dulcia) iam nihil ad alendi facultatem adijci poterit, vt in Vinis. Color, vt cerasorum quorundam, nigerrimus visitur sæpe in crassiore substantia, cuius quidem nomine diametro distat ab Aquoso, quod omnium primum posuimus, lotij excretionúmque omnium ciente, penetrabili, minimè caput tentante, noxa ex eo, si quam capiti infert, facilè dissolubili: at minus tamen nutriente. Contraria omnia in Nigro, substantiæ crassioris, cum qua summa illa in Vinis nigredo coniuncta est, ratione: moratur quippe excrementa omnia, obstructiones viscerum facit, caput tentans nocumétum infert, vel ob id, quòd diutiùs moram trahens in ventriculo assiduè vapores suggerit, superiores semper partes impetentes. Qui si caput repleuerint, & ebrietatem, aut dolorem, aut noxam tandem aliquam induxerint: hærent diutiùs, nec discuti ob crassitiem digeri've; nec, ob terrestrem substantiam, moueri loco faciles. Alit quidem egregiè, vt inter Vina: sed fæculenti, crassique, ac terrestris prorsus sanguinis alimentum id est, prauique insuper succi, vt, si quis puro meracoque paulò diutiùs vtatur, certò sciat picei propè se cuiusdam, ac bituminosi sanguinis collecturum intra venas copiam, qualem sæpe videmus inter mittendum sanguiné, in ipsa venæ percussione ex phlebotomo facta hærere crassitie nimia, terrestrique parte minimum fluoris præbente, arefactisque, cum sanguinis vnà ipsius liquore, venis. Ideo insaluberrimum vinum hoc, præsertim vetustate crassescens, oculorum claritati officere indubitatum, tristitiámque afferre, & perturbare mentem tenebricosis imaginibus. Tridentinus ager huiusmodi Terolticum habet, ex peculiari quodam vitium genere, eodem nomine, mirum quàm vicinis Germanis expetitum. Vitiant, addita sapa, aut defruto, exportántque in circumuicina montana. Meracum, nullóque mangonio, aut extraneæ rei mixtura infectum, resoluto ventriculo, læuitatique intestinorum, aut fluenti alioqui nimis aluo, præsentaneum sæpè remedium attulisse visum: noxium, quibus mesaraicæ, aut iecoris venæ angustiores natura facilè obstrui solitæ sunt, senibus inprimis, quorum imbecillior iam factus innatus calor, nec tam amplas, vt antea, possidet venas, subsidentibus illis minore, minusque spiritosi sanguinis copia, & infirmior diffundere nequit, fluidamque facere, & penetrabilem alimenti crassitiem.

De Saporum differentijs in Vino. Dulce quos vsus afferat, quæ item nocumenta, quid've id alimenti exhibeat. De Austeri itidem, & Acris, eodem modo, differentijs.

CAP. II.

SApor in Vino, aut Dulcis, aut Austerus, aut horum neuter, abnegatione vtrinque, aut vterque participatione quadam, præterque hæc Acer: triplex in totum, Dulcis, Austerus, Acer. nã reliqui vel nulli, vel mixti. Aquosi nullus, aut perquàm exiguus leuiterq; admodũ adstringens quidã: multorũ aliorum, mixtus. Quemadmodũ autem olim falsos fuisse legimus Medicos, qui austerum, adstringentemq; in rebus saporem,

porem, acrem sæpe interpretati sunt; ita nunc quoq; vsu venit gustandis interdum vinis, vt acria, austera dicant. imperitè, affecta quidem vtrobiq; lingua palatoq; vellicationis cuiusdam sensu: at diuerso inter se valde, quoniam austera sensum relinquant apertæ frigiditatis, coactarumq; in vnum cum asperitate partium; caloris acria, qui sparsus per totum grata quadam diffusione percipitur.

At Dulcis, de quo primùm dicendū, illud peculiare, vt crassitie omnino aliqua cōstet, & ab albedine discedat, quādo albū ex toto, aut penitus tenue Vinū, dulce nullū: sed sicuti ab Aquoso maximè distat, ità ab eius cōstitutione & colore lōngiùs semper recesserit, quo dulcius: nisi mangonio fiat, vt Saccata quæ vocāt, quæ tamen ipsa quoq; nō prorsus crassitiei aliquid nō obtinent, & coloratiora sunt. Dulcedo in vino nigro potissimùm spectatur. Quo crassa magis substātia, eo maior semper crescit cū crassitie color, vt in crassissimo aterrimus sit, qualis in sapa, aut defruto, quę quo magis decoquūtur, crassa, plùs, plusque, & atra euadunt. Non tantū dulcedinis in flauo, aut quod ruffum diximus, quia nimirū neq; crassitudo tanta. Alunt egregiè Dulcia, substātiæ multæ densæque ratione, vnde succi alimētosi multū, & eius quidē mēbris omnibus ob dulcedinē familiaris, ꝓpter quā citissimè trahūtur in alimentū: ob crassitiē aūt obstruūt, veteresq; infarctus augēt, & nouos faciunt, integra propè adhuc crassitie dulcedineque sua, ab amplioribus venis, in angustissimas simæ gibbæque iecoris partis venas, per quas necessariò distribuēdo per corpus alimento iter est, delata. Duabus igitur qualitatibus his nocēt, dulcedinis, & crassitiæ, nō coloris nigredine, quāuis huic in vino illę quoque addātur. Itaq; iecori obstructo nocentissimū Dulce, lienique; præsertim verò in scirrhoso affectu, aut phlegmone, vt in qua nō obstructionis solū vitiū, sed calor accedat præternaturalis multus: dulcis aūt vini caliditas licèt non insignis, at diutiùs morādo, impeditoq; ex obstructione progressu, calefactionis nō parū adfert, innocentius multo, si crassis tātùm humoribus infarctū iecur fuerit, nulla nec phlegmones, nec scirrhi suspicione; aut si imbecillitate solūmodo laboret, vt in his, quos Hepaticos eā ob rem appellamus. Hanc nanq; ex caliditate factam, (quando imbecillitas omnis intemperiē semper aliquā sequitur) non magnopere auxerit ipsum non sanè calidum valde: ex frigiditate verò, quę & frequentiùs fit, & multo maior, veriórque imbecillitas est, etiam iuuerit: porrò aut nouas, quas fecerit, aut factas, quas auxerit, sine phlegmone tamen, aut scirrho, omnes discuti soluiq; faciles habebimus obstructiones. Calidioribus item naturis, biliosisque nocens, non tam caliditate, quæ non magna est, quàm cōuersa facilè in bilis humorem dulcedine: præcipuè verò, quum angustioribus meatibus hęrens, aut inuento humorum obstaculo, minimē expedire sese valens subsistit, calorisque vim maiorem subiēs in bilem degenerat. Tum & exhalationes in caput mittit dolorificas, & siticulosos facit; alioqui vinoso minùs & caput tentans, & mentem turbans. flatum tamen gignit, eumque vaporosum, & crassum; quoniam ex eiusdem modi materia non facilè alius gignatur. Estq; flatulentia ea superiori ventri infesta, inflationes ibi pariens, quas superiùs remittat; inferiori non item, quanquam ibi progressu tardata moretur; at ea mora concoctionem adfert, & attenuationem, vt tantisper dum manet, calore partium circuniectarum soluta dissipetur.

Illud ex Dulci in sanitate emolumētum subducendæ alui maximū, dulcibus multis commune, quo si destituamur, geminatas semper, quas paulò antè attulimus, noxas sentiemus: augebitur proculdubio ex mora sitis inde, maiorq; bilis prouentus, atque acrioris fiet, magisq; infestabūt flatus. Quæ cuncta cessant, emollita in tempore aluo.

Ille quoq; minimè spernendus vsus, faucium gutturisq; asperitatis leniendæ, contentique in pulmonum bronchijs crassioris humoris educendi. Neque enim, quanuis pulmonis canales infarciat humor is, periculum est, ne (quod de iecore & liene verebamur) infarctio etiamnum maior ex hoc succedat: quippe ad viscera ea crassitiem secum suam ingentem adhuc cum dulcedine conferebat totam propè vinum: huc ad pulmones longè secùs, infractam nempe iam, longáque venarum, per innati semper caloris domicilia, via castigatam defert: tum bronchia primùm ingressum ibi angusta magis, ex maiore nempe asperæ arteriæ trunco ramosa, ob idque necessariò attenuatius factum, latioribus ita demum additur, inuentumque ibi humorem, crassum quanuis, caliditate & tenuitate sua facilè abductum aufert, quæ Dulcioris vini eò ad pulmonis brōchia deuecti ea est, vt crassitiem humoris extenuet dūtaxat, ne meatibus illis pertinaciùs hæreat, eductuque se facilem præbeat, non etiam tenuitate nimia elabatur, id quod materiæ, pectore aut pulmonibus contentæ, expectorationem maximè promouet. Caliditatem autem hîc non verebimur: quoniā sanis hoc consulimus, quum fortè (quod non raro tamen fit) vsu veniet, vt

ct, vt liberandæ humoribus eò defluxis, pectoris partes fuerint.

Austerus in Vino sapor cõmunis omnibus, albo, fuluo, flauo, ruffo, rubro, nigro; quum Dulcis albo, aquosoque nunquam: ex reliquis summè quidem talis nigro solùm conueniat, in alijs modicus reperiatur. Acer autem eodem modo aquosi nullo pacto vnquam Vini, quod idem album est, sapor fuerit: proprius is, peculiarisque magis fuluo, flauóque: in reliquis, aut nullus, rarúsque, aut remissæ satis acrimoniæ.

Austeritas, quæ ab initio Vinum comitatur, partiúmque est terrestrium non exactè si astelaboratarum, omnibus inesse potest ad extremum vsque: Dulcis operæ semper maioris est sapor, multóque magis Acer, qui in Vinis plerisq; sæpe, multis de causis, introduci à calore nõ ita facilè queãt. Albi, aquosique, si quis tamẽ peculiaris est sapor, Austerus, adstringénsque est. Qui planè quo plus constitutionis in vino, & (vt ita dicam) corpulentiæ, colorisq; nactum fuerit, eo maiorum ad agendum virium efficaciam præbebit: quæ adstringendę inprimis alui sunt, intercipiendorumque excrementorum omnium, lotijque inprimis, meatuum venarumque capacitatis cogendæ adstrictis tunicis; nullius ad permeandum facilitatis, sed neque magni ad deuehendum per corpus alimentum vsus, neque de pectore aut pulmonibus extrahendis crassis humoribus, quæ Dulcis peculiaris dos fuerat: contrà adstringens, quo coloratius, aut crassius, cohibuerit potiùs, retróque, ne euocentur, impegerit. Laxiori tamen aliquando facto stomacho subueniet, & citam plùs iusto aluum sistet, fuluúmque magis, ac tanto magis nigrũ, non ob calorem, sed ob corpulentiam. Album autem, cui pauxillulum additum austeritatis, etiam diffusum æstate per vniuersam corporis molem venásque squalorẽ, quo solutæ flaccescunt partes, dilutius simul humectârit, simul adstricta laxitate roborârit, sitimq; dempserit: neque valde caliditatem formidabimus, quæ minima in his est, totáque insuper aquæ admixtione aufertur: quod in flauis id genus non æquè sperandum, nisi multo maxima dilutione.

Nigra verò Austeráque, nisi dilutissima, ipsa quoq; non facilè permeant, constitutionis crassitie impedita; & albis calidiora habentur, ac si permeent, vsus, quos alba aquosaque, sed cum paucula adstringendi facultate, elargiuntur. Est tamen, quũ crassiora hæc atque austera, albis aquosisque eiusdem saporis præferamus, quoties maiorem alui constipationem, aut laxiorum partiũ robur quæremus, nec capitis dolorẽ ex caliditate, aut contentarum in pectore humorum retentionem, aut angustiorum venarum obstructionem timuerimus.

Vt frigidiorũ quarundã in vino partium Austerus nota: ita calidiorum Acer sapor certũ indiciũ, in fuluis flauisq; maximè spectabilis, puriori ibi tũ syncerǽque magis naturæ suæ relictus. nam in rubris, nigrisq; Austero sæpissimè cõmixtus, non ex sola acrimonia meritò censebitur. Linguam palatumq; vellicant Acria, & morsu quodã irritatum prouocant lacessuntque multis gratissimo, vt, nisi natura adsit, cura id fiat, arte diuersa iniectis vino aromatis, vnde sanè acrimoniæ plurimũ accedit. Frigidiorũ regionũ, & Septẽtrionalis plagæ frequẽs hoc, factis ad id poculis, matronarũ præsertim diligẽtia, quorũ in fundo affixus tubulus, globúsve, ex eodẽ quo poculũ argento, iniecta seruat aromata foraminulẽtus, vnde trãsmissa aromatũ vis minimo tẽpore in Vini substantiã diffunditur. Sed hoc curiosę cuiusdã diligẽtiæ, qua sæpe Vino nõ acrimoniã modò, sed innumeras penè qualitates alias conciliamus. Illud naturæ, quod de suapte spõte Acri dicendũ, calidæ inprimis naturæ, vaporosæque, ac caput maximè tentantis, replétisq; id esse: vinosum quippe est hoc, vt quod maximè, tota ferè succi, qui Vini naturam facit, substãtia cõstans, aquę minima: contrà atq; adstringens albũ, cuius minima Vini, plurima aquæ portio. Ideo potui, paucul huic, vt commodè bibi possit, infundendum aquæ: longè plurimum acri, quod idem statim vinosum quoque est, aquosæ, vt diximus, partis paucitate: ex quo acrimonia, summaque, vt in Vinis, calefaciendi potentia, calidioribus ideo naturis insaluberrimum, quibus aquæ, aut aquosi prorsus Vini, aut egregiè diluti, potus cõuenientissimus; vtpote quod refrigerare illorũ habitũ, atq; humectare possit, dilutissimũ: quũ meracũ in his naturis temporum pulsationẽ, & capitis grauitatem, & sitim adferat. οὗτοι μὲν, ait Galenus, τῇ θερμότητι ταῦτα ἐργαζόμενος, ὁδ᾽ ὑδαρὴς τῇ ὑγρότητι, καὶ τῇ ψύξει, τ᾽ἀναντία. Minimè id (acre vinosumq; intelligo) aluũ subducet, aut sputũ, vt dulce, promouebit; aut, vt aquosum, vrinam, sudorémve ciebit: sed totũ sese mẽbris addet familiare inprimis atq; amicũ, paucissima excrementorum superfluitate; quin aliorum quoque cibariorũ detersam exiccatamque minuet, & calorifica vi sua quo maiore acrimonia, eo acriùs ac vehemẽtiùs tẽperati, tẽperata dilutione, hominis concoctionem iuuerit. Nec vllũ aliud senili ætati tã accõmodũ, cui nec aquosa albaq;, ob calefaciẽdi imbecillitatẽ, nec nigra crassaq;, ob constitutionis densitatẽ, idonea: fulua flauaq;, & ruffa (Acria accipio, nõ Austera) vtrun-

vtrunque vitium effugêre: quoniam hæc omniũ ferè vinorũ vinosa maximè, eóq; & excalfaciẽtia, senilemq; frigiditatẽ, qua par fuerit, mixtura epota maximè iuuãtia. Nec quicquam inde discriminis, ne angustos constipatósque, & caloris paucitate considentes iam, senum meatus infarciant: quin calore & tenuitate viam sibi per omnia faciunt, illósque ipsos meatus diducunt, & eluctãtur cuncta; alimentique insuper exhibent satis, atque eius senum aut senili alioqui multorum habitudini, temperamentóque, perquàm appositi, sic attemperata dilutionis mixtura, vt calorificæ cõsociata humectandi vis, nec aptiùs aut conuenientiùs nutrire, nec commodiùs aut efficaciùs senum, senilémque multorum ex frigiditate & siccitate, quatenus liceat, emendare habitum valeant. Atque hæc simplicium Vini saporum natura viresque: coeũtibus autem in vnum, vt sæpe coeunt, modò cum Dulci Austerus, modò Acer, modò cum Acri Dulcis, facultates quoque coibunt cum viribus vnà suis diuersæ.

Quàm præstabile sit benè odorum Vinum ad multa: & quàm contrarium incommodum, cúmque hoc aut medicatum, aut extraneum omnino odorem aliquem referens. Quæ inodori conditiones.

CAP. III.



Aximam semper vinis ex Odoris bonitate addi solere gratiam videmus, ex eóque semper indicatura maior: vt cõditionis alioqui optimæ, si vna odoris commendatio desit, plerunque non probemus; malo autem odore, quocunque ille contractus modo fuerit, etiam reijciamus. Non parum sæpe quidem laudatissima Vina, vasorum tantùm vitio aut situm, aut mucorem, aut extraneum tale aliquid odore referentia, auersamur. Neque propter hoc vnum tamen commendationem ex Vini odore quæremus, vt maiori cum voluptate potandi auiditas in gulæ tantùm gratiam accedat. Maximus præterea vsus est, commoditásque ad sanitatis tutelam, corporisque nutritionem meliorem maxima, quamobrem quærenda nobis cum diligentia odoris in Vino bonitas fuerit. Etenim Vini fragrantia perfectam substantię totius mixtionem indicat à natura factam, absumptaque excrementa propè omnia, & exutam, operati caloris beneficio, sorditiem, quæ cum odoris fragrantia coniuncta nunquam est; elaboratásque per omnia partes, ac tenue subtiléque temperamentum, & calidum ostendit, quod per omnia cum celeritate acceptum deferatur, intrans, penetránsque ad insinuationem alimenti cuncta, nullas secum superfluitates, aut minimas trahens. Omnino nanque exactam semper, absolutámque concoctionem, atque ex hac mixtionem sequitur odor bonus, modò in tenui, modò in crassiore; sępiùs tamen tenuiore substantia. At malè olentia, aberratum esse à concoctionis iustæ officio, aut degeneratum in corruptelam, arguunt, vt in excrementorum alui, vesicæque, & aliorum huiusmodi fœtore. Inodora autem pro forma esse sua inodora possunt, & concoctionem tamen adepta suam. Non enim necessum est, mixtum omne, quãuis absolutum, idem benè odorum quoque esse, quoniam alij sæpe rei alicuius formæ alia debetur mixturæ ratio, odorem non ferentis. At illud necessum, odorem bonum ex perfecta mixtione constare, quam absoluta concoctio fecerit rerum numeris suis mixtarum, proferendę deinde odoris bonitati nullam operantis caloris naturæq; actionem subterfugientium. Quę si ea perfectione absoluta est mixtio, concoctióque; benę odora profectò Vina paucissimorũ excrementorũ erunt, & tenuitate insigni atque elaborata constabunt, quam facilè Vini substantia ferat: atque ita sanguini claritatem munditiemque omnem addent, probúmque eũ omni ex parte gignent. Sicuti extrinsecus quoq; sæpenumero videmus odorum bonorum suffitu aëris partes repurgari, malásque in eo noxas tolli. Nec minor speranda inde vitalium spirituũ copia ex prompta proximaq; materiæ affinitate, cuius perquàm facilis celérque in illos transitus. Roborabitur ergo inde cor, & depulsa tristitia lætitiam concipiet, postquàm geniti inde spiritus claruerint, & illustres facti tenebricosas exhalationes discusserint. Alimẽtum autem addetur inde corpori excrementis multis vacans, laudatique succi, & alendi temperamento appositum, debita ætati cuique, & sexui, & naturæ, aquæ admixtione seruata: vrina prouocabitur, & elicientur facilè inde sudores, nec cæteræ excretiones tardabuntur. Ac caput quidem tentabitur vaporoso halitu, & ingurgitationem immodicã sequetur ebrietas; sed nec qui magnopere degrauet, vapor erit, & discussa citò ebrietas soluetur, concoctis aut dissipatis exhalationibus. Contraria ratione, ex malè grauitérque olentibus quid expectandum nobis sit, sciemus: prauam primò concoctionem, abominãte

ea

ea ventriculo, timebimus, & quæ corruptionem facilè sentiat, cùm sui, tum verò alia quoque in corruptelam sæpe trahat; tardatam distributionem, illaudatum necessariò sanguinem, nec illaudatum minùs inde alimentum, succi ante omnia prauitatem, & ab extranea aduersaque naturæ nostræ re insignem malitiam. Turbidos autem inde tenebrososque resilientes in caput vapores, si ebrietatem fecerint, tristibus corruptisque imaginibus cerebri facultates exercere posse, credendum. Nec de Vini mucidi iam putrefactique, aut aliâs corrupti, (quis enim id biberit?) malo nūc odore loquor, cuius vel epoti coniuncta cum odore saporis prauitas non sanè minùs nocitura sit, longè quinimò magis, quippe quæ causam odori quoque malo dederit. De eo loquor, cui, quacunque tandem de causa additamento aliquo, mali peregrinique quippiam odoris conciliatum fuerit, manente Vini substantia: vt, quod vnctum quandoque corium redolere sensimus; quod putridi interdum nescio quid, & ceu sentinæ cuiusdam speciem, quod oletum prorsus quoddam olet, quæ ve præsertim in musteo adhuc feruore, aut aliâs inconsiderata repositione, ex proximo sterquilinio aliquo, aut corruptarum rerum fœtore, odorem contraxêre: quod perquàm facilè contingere Vino solet, vt veluti contagio transitúq; promptoin eius substantiam per totum diffusus abeat proximæ cuiusque rei odor, calore, opinor, Vini, & substantiæ tenuitate inuitatus; ipse prǫtereà natura sua, quæ illi minimæ cuiusdam corpulentiæ contigit, per omnia penetrans: quorum omnium ex odore tantùm noxa, cuiusmodi præscripsimus. Inter quæ quoniam nōnulla quoque sunt, quibus conseruandis, vt ferre vetustatem possint, rerum quarundam adiectione diuturnitas quæritur: ac ideo necessariò harum simul odor vinis additur, quanuis illarum non omnino sempérque noxius, contráque salubris quoque interdum futurus vsus sit: quia tamen medicatus, non valde probabimus; vt veterum Picata fuerant, pice tantùm illitis intus vasis, non etiam condito Vino; vt Sulphurata nostra nunc, sulfuris solùm qualitate accepta ex medicato ad id linteolo: quarum rerum odor tantùm in Vino, non etiam substantia, non omnino innoxius: at non vsque adeò, vt quæ putridæ, alienæque prorsus rei odorem referre diximus. Quæ verò Muffida vulgò dicunt, mucida volentes, concepto ex dolijs mucoris humidi, sitúsque odore, quoties exhausta dolia neglectui habita cellæ vinariæ permittuntur, quum siccari excepto aëre, aut Sole debuissent; aut quæ lariceis vasis nouis assulatim contextis, cingulisque præcinctis inijciuntur; aut si quæ alia ita fiunt, reponuntúrque: ea omnia odoris haud dubiè vim contrahunt tantummodo, nec sine tamen noxa bibentur, temperatæ, optimæque naturæ, extranei nihil admittenti. Nam quæ olim gypso, aut calce, aut marmore, aut sale, aut mari condiebantur; aut quæ, vt hodie, alumine sæpe, & huiusmodi multis alijs præcauendo anteuertimus ne corrumpantur: ea, cui dubium, iniectorum quoque substantiam in se recipere, & saporis vel maximè vitio nocumentum afferre posse? Atque hæc odora, benè, maléve: inodora alia, quæ sicuti mali odoris vitio vacant, ita boni laudes non adipiscuntur, ac vel hoc ipso, quòd bonitate ea careant, deteriore omnino loco sunt; quanuis naturæ aliâs suæ, formæque perfectionem consequuta, & maturitatem, curámque & diligentiam aliam omnem adepta fuerint. Itaque nec arripit illa tam libenter ventriculus, neque amplexatur, nec concoquit: morantúrque diutiùs distributionem per corpus, nec eam omnino addunt alimento bonitatem, quam odora; sed nec clarescet inde sanguis valde, nec vsque adeò addetur robur cordi, nec tantum feret alacritatis Vinum id, minimè illustratis, diffusisque, vt ex benè odoro, spiritibus, aut obscuritate sæpe horum & turbiditate discussa. Illud tamen, caput feriens non nimis impetet, aut ebrios extemplo faciet: sed quam tamen fecerit ebrietatem, ea nec discuti facilis erit, & deterior semper inuenietur, tanquam ex materiæ crassioris Vino orta, excrementitiæque magis, vnde euaporatæ exhalationes turbulentiorem omnino ebrietatem, insequentésque hanc affectus maiores, ac degrauantes semper magis cerebrum, cerebrique vnà facultates omnes, facient.

Craßities, & tenuitas, quibus Vini generibus conueniant, & quorum vsuum sint. Tartari, quod vocant, ratio crassescentis, eiúsque natura.

CAPVT IIII.



Onstitutio Vinorum triplici & ipsa fastigio discriminatur, tenuissimi, crassissimi, medij. quorum interualla pluribus alijs, Vini crassioris, tenuiorísve, magis semper minusque, innumerabiliter propè, si quis minutissima quæque persequi velit, differen-

tijs implebuntur. Tenuissimum erit, quod aquosissimum: crassissimum, quod maximè terrestribus partibus plurimis constiterit: medium, quod in medio. Tenuitas Aquoso propria, dein Fuluo, dein Flauo: crassities Nigro inprimis, tum Rubro, seu, vt Plinius vocauit, sanguineo: ex saporibus autem Dulci præsertim inest, tum Austero, modò non Aquoso. nam Aquosum idem atque Austerum aliquod: (quanquam perpauca admodũ) in valde Aquoso austeritas: Dulce nunquam idem atque Austerum. Quòd autem Aquosum Dulceque reperiri aliquando, sed perquàm raró, diximus, id Austerum minimè est, & colore potiùs, quàm tenuitate, aquam refert. Ruffum quod diximus, sicuti colore omnium semper in medio, ita constitutione quoque sua sæpiùs.

Crassescunt vetustate Vina, euaporatis tenuioribus, aqueisque partibus: quod in sapa aut defruto ignis vi breui tempore contingit, id scilicet longissimo in Vino vsu venit, vt constitutione semper maiore densetur. Et quod de vasis abraditur exiccatis, (Tartarum vocant) vini pars est in lapidosam penè materiam concreta, extremis in ambitu vini partibus ligneæ vasorum materiæ siccioris, aut doliorum fictilis occursu densantibus sese, vinosa caliditate ac siccitate adiutis: vt extrinsecus sæpenumero videmus in fontium marginibus, Solis caloribus, ventorúmque adflatibus lapidescere materias quasdam; & in humano corpore caloris nimij potentia concrescere renum calculos. Eadem Tartari ab extima Vini parte ratio: nam in medio licèt caliditas, siccandique vis: at res, cuius occursu duretur materia, non est. Atque huius tanta interdum cum crassitie crassitudo, vt, disruptis ligneis cingulis omnibus, stetisse vinarium vas assulis tantùm suis compactum visum aliquando referant, quod nulla vnquam ratione antea nisi cingulis suis præcinctum substitisset, Tartaro intus assulatim tunc coniunctum vas continente tantummodo, ac veluti muri ita vallum sponte sibi sua struente vino, maiore, quàm Plinianum, miraculo, quo glaciatas aliquando Vini moles ruptis vasis stetisse legimus, vincente facilè ingenti ac supra naturam frigore, non facilè cuiusuis rigoris vi gelascentis, vini naturam. Hic verò idem Vini succus, liquore fluoreque intus suo manente, suæ sibi tantùm naturæ circundato vase substitit: vsque adeò crassescere, durarique potest Vinum temporis diuturnitate. Neque id excrementum est: quippe & in flores, quos vocant; & in fæcem, quæ in fundo subsidit, transire de aquosa, vinosaq; vini parte excrementa solent. Substantia Vini ea est, non aliud, quàm qua modò diximus ratione concreta, suprà, infrà, à lateribus, per totum Vinum ambiens: vt excrementum esse non possit, cui locus nullus destinatus à natura in succo sit, nisi qua parte extrema superficie continenti vasi hærens, quo exposuimus modo, in materiam eam duratur. Hoc Aristotelis Rasile illud an Vinum fortè esset, quod in Arcadia fumo duratum, vt potetur, abradi de vasis scripserit, (Meteorol. iiij.) ne addubitemus, facit; quòd illius erat potus: Tartari non est. Quæ eò à nobis dicta sunt, vt ostenderemus, crassiora semper fieri posse Vina, postquàm ea etiam in lapideam formam durari videmus.

Tenuitatis in Vino commoditas ad penetrandum, & subueniendum citò festinanterque labenti aliquando virtuti: nec multa tamẽ spe diuturnioris alimenti, quæ ex crassitie vtique maior semper, ac certior speratur. Sed ex tenuitate prætereà & sudores sæpe multi, & serosæ materiæ nõ parum per lotiũ elicitur, nõ solùm quod tenuia interdũ Vina ipsa fecerint, præsertim Aquosa, in quibus non exigua semper Seri ipsius pars: sed etiam quod de alieno deuehant. Itaque repurgantur meatus vrinarij omnes, serositate multa trahente secũ impetu, quicquid in vijs reperit, tãquam concitato fluminis cursu abductum. His peruia omnia sunt, & in artus omnes penetrãt: neq; tamen magnã inferũt articulis offensionẽ, quod vinosa faciũt simul & tenuia. Plurimũ nanq; materiæ, articulos offensuræ, quũ iam per vrinas eduxerint Aquosa, quod in partes alias decũbat, nõ sanè multum restat; & si quid decũbit, tamẽ eadem, qua inuectũ antea tenuitate fuerat, exitũ sibi quæret, aut diflatũ soluetur. At vinosa, nisi aquosa dilutione multa fiãt, & diutiùs detinentur à partibus, & calefaciendi siccãdiq; facultate multa, quicunq; ingruerint eo secũ humores, exassatos siccabunt, vnde tophi: vrinæ autem ex his copia minimè tanta, quia nec serositas, nec fluens per vrinarios meatus humiditas tanta, qua veluti pleno aluo rapti humores deferuntur. Siccitas enim, potentia licèt tantùm insit, fluxioni impedimento esse videri potest: vt dilutior humiditas largissimè semper profluit. Quòd si siccandi potentiæ constitutio quoque, vt ferè fit, maior accesserit; tardiùs etiamnum fluet, donec ad id crassitudinis in Vino ventum sit, qua profluuia alui quoque inhiberi sæpe experimur, non solùm vrinæ; præcipuè verò, quorũ coniuncta cũ austeritate crassities fuerit in colore nigro. Eadem plurimum quoq; alent, sed cum obstructionum sæpe

multa-

multarum timore. Reliqua, quæ de Vinorum constitutione dici possunt, comperta extremorum natura, facilè cuncta intelligētur, mediæ constitutionis, aliarumque, quæ à media, hinc atq; hinc, crassitiē & tenuitatem versus, maioris, minorisq; discriminibus multis ꝓtēduntur, cōsideratione.

Vinorum differentiæ ex potentia, & imbecillitate, & mediocritate inter hæc.

CAPUT V.

IAm ductæ ex facultate viribusq; Vini differētiæ notissimę omnibus; & quia hæ reliquas ambiunt, iā ferme dictæ omnes. Hæc sunt vocabula Potētis, & Imbecillis, & Medij. Potentis, quod vinosum est, & vehementer caput ferit, vehementérque ac citò excalfacit: stomacho tamen refrigerato vtile, & concoctionem calorifica vi iuuaturum, dempturúmque siccandi facultate de pituitosa materia multū, calidiori ita, biliosiorique naturę obfuturum. Imbecillis, cuius facultates omnes contrariæ rationis animaduertentur. Medij, quo commodè vtemur, quum vtriusque offensam vitare voluerimus, aut neutrius facultate indiguerimus. Maxima vini potentia in Fuluo, & Flauo, benè veteri: tunc enim vinosum fit. Summa imbecillitas in Albo Aquosoque, musteo præsertim, ac nouello. Media in Ruffo sępe, aut Heluo, quod & giluū est, aut dilutioris coloris rubro, conditio.

Vinorum Aetatis differentiæ. Veterum conseruandi Vini rationes diuersæ, & nostri temporis quædam. Distinctiora deinde Aetatum in Vino discrimina, & temperamenta tradita: & cuiusque enumeratæ vires, noxæque.

CAPUT VI.

NOtandæ & ab Aetate Vinorum differētiæ, tametsi minimè ab ipsa re deductæ, at vtiles tamen, passimq; ab omnibus iam vel idiotis, nō solùm Medicis, vsurpatæ, nec quicquam frequentiùs audimus, quàm Vinum vetus, nouumque: vt, licèt diu iam apud nos perierit Veterum illa tā diligens, tam longi plerunq; tēporis condiendi variè, conseruandiq; Vini ratio; vel in vnius tamen anni vino, quod hornorinū est, & anniculum, nō parum sæpe relaturum sit, quo eiusdē anni tempore bibatur, quando huic quoq; ipsi, quod anni tantùm ætatem fert, Vino, intra vertentis anni spatiū, per ætatis suæ differentias vita constet: ideoque magis minúsque vtiliter bimestre venire in vsum, aut trimestre, aut semestre, seriùs citiùs queat.

Nec desunt tamen hodieque exempla, si non veteribus vsitatæ, at alicuius tamen condiendi Vini rationis. Videntur veteres omnem diligentiam in eo posuisse, vt calefactoria vi aliqua vetustatem, firmitatemq; Vino adderent. Quare & fumo, & subditis ignibus, vt Galenus aliquando meminit, aut alicunde captato calore ex ambiente & Sole, hoc ipsum moliebantur. In idem tendebant calcis, maris, muriæ, salis, picis, resinæ, &, id genus, multorum additamenta, optima sanè ratione excogitata, si diuturnitas tantùm quæratur vino, & firmitas. Non enim aliter meliùs, quàm calorifica vi aliqua, cui præsertim adiuncta siccandi quoque vis sit, aquosa vini absumi pars potest: quod nihil aliud est, quàm, ne acescant, aut mucescant, aut citò corrumpantur, præstitisse: nisi cum diuturnitate vnà coniuncta semper noxa quoque aliqua sentiretur ex rerum additione, quæ necessariò cum substantia qualitatum suarum potestatem in Vini partes omnes transfundunt. Ex gypso autem non minùs Vino conciliari solitam vetustatem legimus, ex siccandi hîc quoque facultate, siccantissimum enim est: sed adstringendi præterea vis, omnium maximè in gypso insignis, benè satis cohibere in vnum, robúrque ita addere Vini substantiæ, ne tam citò flaccescens dissoluatur, videri potest. Quo planè modo vsitatū multis nunc quoq; adstringentissima aluminis rochæ facultate, iam paratæ in foribus Vinorum corruptioni occurrere. In quibus omnibus fraus haud dubiè maxima fit Vino.

Itaq; non alia de causa arbitror exoleuisse iam condiendi ita Vina rationem omnem, introductámque consuetudinem pura potiùs & syncera potandi securis noxæ omnis, etiam vt vetustatis magnæ nomine non commendarentur, quàm factitia, vetustissima quamuis, cum periculi suspicione bibisse: tametsi apud multas gentes vel nullo mangonio, aut extraneæ rei accessione, sola vindemia, & diligenti repositionis cura, multorum sæpe annorum Vinum optimè vsui cedat. Rhenanū, Necharicumq; sex septémve frequenter, interdum octo, aut eo etiam plùs: Georgiana Pannoniæ, & Syrmica, totidem ferè: multo plurium Hispaniæ Martiniana: vulgatissimum ibidem certúmque, in filiarum natalibus multos reponere Vina solere, quæ deinde in earum ipsarum nuptijs primùm bibantur, illi vni rei dicata. Iam in Valtellina Rhetorum, transla-

titia propè habentur annorum decem, quum sæpe quinquagesimum numeratum fuisse annum dicant, etiam nonnunquam centesimum, immutato tum penitus colore vini, quo pro medicamento vtuntur: minùs vt miremur Plinio suum, nescio quod, quintodecimo demum anno ad mediam vetustatem peruenisse. Atque hæc omnia sic annorum tot vetustatem ferunt, vt nondum amarescant, & iustè per omnia ætatis suæ terminos incorrupta expleant. Manet tamen adhuc in Austria superioris Pannoniæ condiendi Vini mos ad durabilitatem ex sulphure, nulla huius substantia & qualitate tantùm in vini partes abeunte, eodem, quo antea diximus, caloris siccitatisque beneficio: quippe in vasorum summo ex filo, tanquam ex petiolo, pendet linteolum medicati sulfuris: quæ infectio nulla dum sui ex parte attingens, tota per totam, inclusa ne euaporare possit, vini substantiam permeans diffunditur, seruátque ita incorruptum, minore omnino, quàm si aut gypsum, aut calx, aut idipsum quoque sulfur, corpulentia sua immisceretur vino. Sed & huius quoque conditurae damnatus modus: potior, certiórque ratio elutriandi, vt transfuasando, quicquid subsidit fæcis relinquatur. Et aufertur quidem ita vinosæ facultatis plurimum vino, nec tam iam caput feriet, aut inebriandi viribus valuerit: at elutriatum ita sæpe vidimus, maximè verò, si secundò, aut tertiò id fiat, Viennæ cum Rhenano optimo de bonitate certare. Longè simplicior, eóque innocentior, nostratium Tridentinorum præparatio ad perdurandum, non aliunde petito, sed veluti domi suæ inuento adminiculo. Inijciuntur ligneis dolijs maximis in id paratis, calcati pedibus, aut pistillo contusi, cum musto vnà suo, racemi: concepto, bidui, aut tridui spatio, calore feruẽt: sursum aguntur vinacei spumea efferuescentia, subtus vini succus dierum aliquot ebullitione concoctus repurgatur, clarescitque, simul ex racemorum natura propria vim concipit perdurabilem: id nisi fiat, adulto statim vere coacescũt, aut mucida, aut omnino vappida euadunt. bibuntur omnium maximè innocentissima. Secus ex ijsdem vitibus prælis statim expresso succo, exceptóque lacubus primò, tum post vnam, aut alteram, sæpe & tertiam pressuram, (quę tortiua omnia & circuncidanea Vina sunt) abiectis vinaceis bullire permisso, fuerit sua quidem vinositas multa, at nocendi semper potentia non minor cruciatibus persępe colicis euocandis: vnde neruorum resolutio, multo magis calculosis renum affectibus, maximè verò podagricis, & articulorum doloribus augendis, occasione inde euidenti sese in primis prodente. Quocirca desinere iam magis magisque apud prudentiores vini huius vsum video, alteriusque, quod priùs diximus, recipi, siue Medicorum cõsilio, siue rerum sæpe vsu atq; experientia, malam, multorum quoque annorum consuetudinem vincente. Hæc prodidisse non pigeat Salubria tractantem, idque in re quotidiani vsus, ac propè horarij, vt hoc nunc verbo vtar: certè quidem non solùm in dies, sed in horas nunquam cessans perstat inter multos Vini potus.

Reliqua tradentur in commune de Aetatibus. Vini primordia, & tanquam substantiæ vinosæ conceptus, in Musto, impensè semper flatuoso, crasso, concoctioni aduersante, deijciente quidem aluum, hoc vno beneficio; sed si non deijciat, noxio semper magis. Ab hoc Musteũ est, nouellumq; dictum, frigidioris temperamenti. Quod sic intelligendum est, facto tum primùm à musto discessu, nondum iustas Vino calefaciẽdi vires accessisse, quæ adulta demum ætate contingere solitæ sint. Iccirco, huius respectu, frigidum haberi Vinum dicendum accipiendumque est, nondum manifestò se prodente excalfaciendi potestate, cuius deinde ex ętate aperta, minimeq; obscura facultatis huiusce opera expectamus. Aliàs nõ semel, idq; reuera, de Vini id genus temperamẽto noui, clara ab Authoribus voce pronuntiatũ audimus, de primo à tẽperamenti æqualitate ad calidum progressu, vtpote cuius nondũ visatur manifestum aliquod caloris opus. id enim recessus eius propriũ. Crescit deinde in sequẽtibus tẽporibus calefaciẽdi effectus in Vino semper, ac se paulatim magis magisq; opere in omni detegit, cũ siccãdi perpetuò facultate cõiunctus aliqua, siquidẽ purũ, syncerumq; vsibus nostris adhibeatur, aut foris meraco vtamur, aut intus temetũ potemus. Mediũ ætatis quum attigerint, (quæ alia in alio est, pro vehementia vini. vehementissima enim quæq; diuturniora; iccirco prouectioris quoq; ætatis cuiusque, ac pluribus, quàm in imbecilli, annis numerãdæ) caliditatẽ quidẽ maiorẽ, & siccitatẽ sumunt, sed quas non deponãt tamen, aut remittãt certo tẽporis successu. Neque enim in Vino intelligitur Aetas remissione, aut inclinatione viriũ, quod in multis alijs rebus post mediã mox ætatẽ accidere cõsueuit: hic ex vetustate incrementũ semper assumũt vires maius, donec prorsus vinum esse desinat, aut pro vino certè nõ habeatur. Iccirco de Vino, benè ferre ætatẽ Vinũ dicitur, quod ex senecta imbecillitatẽ nõ sentiat. Itaq; firmissima, ac potentissima

tissima vina, ætatis suæ in extremo, calefaciendi siccãdíque, quibus potissimùm vini natura censetur, vires ad tertij vsq; ordinis à temperamento recessum obtinent, post quod aut amarescit Vinum, vt bibendo vlteriùs non sit, eoq; nec pro vino habendum; aut euanescit in totum, vappa factum iam, non vinum. In quo mira valde diuersitas, si qua alia in re: quum alia facilè humanæ vitæ terminos ęquent, quædã etiam superent; alia ferre anno diuturnius tẽpus haud possint, quin aut flaccescãt, aut exhalata, viribusq; suis defecta in vappam degenerent, per tot deinde abhinc, ad id vsq; temporis, quo firmissima quædam perueniunt, annorum interualla, innumeris propè multorum aliorum differentijs numerandis.

Quapropter, si cui exactam rerũ harum rationem sequi propositum sit, habendus huic erit diligens in eo delectus, vt, quo quæq; tempore, qua etate commodè bibi Vina possint, secum decernat. Id sibi quisque, pro Vinorum varietate, modò non rerum omniũ vsus expers, præscribere non sanè difficili admodum obseruatione poterit, illius semper memor, Vini noui ea esse incommoda, vt minimè concoctionem promoueat, imò ægrè ipsum cõcoquatur, tantum abest, vt aliorum iuuet; flatus creet plurimos, quo nomine Veneri aliquando labefactatæ & elumbi subsidio venire creditur, suppeditata flatuositate multa; frigidioribus, & humidioribus naturis indubitatè noxium, in quibus etiam Hepaticos affectus generat, refrigerato viscere, ventriculum, intestina, ventremq; inferiorem totum flatulentia replet, inflatque; turbulenta somnia excitat, malique succi est. ob id vnum, quòd perfectam adhuc naturæ suæ elaborationem non accepit, excrementorum suorum redundantia etiamnum turbatius, necdũ aut aquosis partibus satis edomitis, aut depulsis crassioribus in fæcem, aut sequestratis in florem tenuioribus: vt mirum esse non debeat, si impurum hoc pacto succi vnà malitiam secum trahat. Nam de frigiditate, nisi frigidiori naturę, nulla inde reliquis noxa, eo excepto, quòd coniuncta cum excrementitia adhuc vini natura frigiditas ea quantulumcunque nocumentum non immeritò adfert, ad mali, vt diximus, succi generationẽ, nec magnopere promouere concoctionem potest, quæ paulò pluscula semper opus habeat, vt absolutiùs perficiatur, calorifica vini, eáque minimè excrementosa, qualitate.

Veteris diuersa omni ex parte ratio, calefaciendi, siccandiq; insignis inprimis, ad medicamentosam vsque qualitatem paulò in vetustate progressum, atq; ex generoso genere. Et reuera ita est: vtimur enim ceu medicamento, sed meraco. Impeditã ventriculi concoctionem ex pituitosa materia sæpiùs memini vini Græci (sic vocãt, quãquam in Italia natum) haustu confestim restitutam. Itaque sicuti huius, ita ne Maluatici quidem, aut similium vllus iam in quotidianis mensis vsus, nisi dilutissimorum. veremur quippe excalfactionem nimiam cum siccitate, mentisq; inde perturbationem, ex acrimonia feriente extemplo caput, neruorumq; ante omnia offensionem, maximè, quibus maximè natura imbecilla pars ea fuerit. Hinc tremulos plurimos videre est, ante senectam multo, meri temetique generosioris, ac vetustioris potores. Neque hoc tantopere querendum esset de Vino eo, si alimentum inde corporibus iustum subministraretur: sed & hoc perquàm exiguum, & id medicamẽtosum totum iam, maiore calefaciendi & exiccandi, quàm alendi semper facultate, in veteri quidem, miniméque, aut non, quod satis sit, diluto inest. Quin ignauos quoq; idem (quod sanè miretur quispiam) ad Veneris prælia reddet: nec mirabile tamen, si quis reputet vini eiusmodi vires, quibus siccari facilè seminis copia, & plurimum subtrahi ad generationem eius materiæ; tum verò, vaporũ quicquid est, flatuumq; ad id collectum, (quo non aliud maius eo in opere irritamentum) discuti posse videatur. Ad quosdam affectus, vt antea quoq; monuimus, non incommodè vtemur, quum frigiditas & humiditas inualuerit, fueritque aut in partibus reuocanda ad temperiem intemperatura ea, aut, quæ facit, materia absumẽda. Sed nos hac operis in parte propositum semper idem prementes, monere potiùs voluimus, quęnam non iustum Vini vsum incommoda sequerentur, præcaueri meliùs vt possent. Atque hoc toto hoc opere diligenter custoditum seruamus, vt noxæ à nobis numerentur, quæcunq; insequi vsum rerum harum multarum solent, & morbi sciantur, quos vitare admonitionibus his liceat, ex Præcauendi arte, nõ sanè Salutaris artis totius postrema. Qua planè ratione vini quoq; vsus, aut abusus potiùs incommoda numeramus.

Nouelli, veterisque diximus, vsusque simul illorum aliquos & commoda. Aetate sua medij, quamcunq; ille tandem ferre ætatem possit, breuem, longam've, tutior omnino vsus; vt, quemadmodum de medio potãdum nobis esse dolio iubemur ab Hesiodo, ita medię quoq; ętatis deligamus Vinum ad vsum: quanuis ille aliud omnino respexerit, nobis nihil aliud, quàm quęrendus tantũmodo salubris potus sit, quem

profectò in hoc, quod iisdem interstitijs à nouellæ extremæq; ætatis vitijs abest, vino inueniemus. Quo quidem tempore in pura iam syncceraq; natura sua constitutum, ablegatis aliò in sua quibusque loca excrementis, nec magnopere aquosa parte infectum bibi potest. Itaque totum iam propè tunc vnius soliusq; vinosæ substantiæ suæ est, in qua iusta alimenti quantitas cũ conuenientissima humanæ naturæ qualitate coniuncta reperitur: vlteriùs progressum, iamque in senectam vergens, nimiumq; demum veterascens, exuta hac, medicamentosam induit, vt iam alimenti minimum, medicati plurimum contineat. Alet Medium necessariò nec excrementosè, quoniam purius iam; nec medicamentosè, quoniam temperamentum nõdum suum egressum: maximeque, & citissimè alet, valde tenuium quippe partium iam factũ, & substantiam indeptum, tota substantia sua nostrę inprimis familiarem. Ergo quum concoquetur facilimè ipsum, tum aliorum vnà concoctionẽ promouebit, calorificæ qualitatis temperie; distributionem per vniuersas corporis partes sui alimentiq; vnà reliqui facilimam perficiet; ipsum de suo excrementis omnium minimis factis, reliquorum trahet; liberatisque visceribus omnibus, aut per vrinam paulò crassiora, aut tenuiora in corporis ambitum secum, associatione ea magis magisque semper attenuata, deuehet, eóque citiùs dein, promptiusque diflanda, euaporandaq; transpirationibus sensum nostrum fallentibus, aut in sudores hæsurasque cuti sordes abitura, tradet. Intereà cuncta permeans, nihilque sibi imperuium relinquens, vbique virium suarum, calorificæque, ac concoctricis facultatis vestigia ostendet, attenuata humorum omnium crassitie, & correcta cruditate, simul auctis perpetuò, idque temporis plerunque momento, spiritibus, non solùm naturalibus, (si qui tamen naturales spiritus sunt) sed etiam vel inprimis vitalibus, móxque necessariò etiã animalibus. Vbi sunt igitur, qui prandium ex medio hoc nobis fecerunt caninum, tanquam vilissimo? Quid illi demum sibi voluerint, viderint ipsi: nos has, quas modò enumerauimus, atque his adducti rationibus, Vino huic dotes tribuemus. Illud tantùm addemus, de generosiore, aut certè non imbecilli, vilique nimis, accipi hæc dicta debere. Nam huiusmodi, vilia dico, & imbecillia, naturáque sua aquosa nimis, nunquam nimiùm veterascentia, sępeque immaturè pereuntia, euanitione facili, vel si in extrema senecta sua bibantur, ne sic quidem alterius generosi mediæ ætatis bonitatem æquauerint, tantùm abest vt præstare id antea possint. Itaque maior illis ex ætate diuturniore, quantulacunque ea fuerit, commendatio, in medio minor: plebeius is, vilisque, & cibarius potus; quoniam cibarium non minùs panem vilem veteribus sæpe dictum accepimus.

Certum optimi Vini indicium, si vecturam ferat, non solùm ætatem, vt animalia exercitium. Itaque transmarina ex Creta, & Hispania, & Tyro habemus omnium firmissima: ac ferè in mediterraneis Vini mercatores, quæcunque aliò procùl vehenda, aut dorsuarijs iumentis importanda sumunt, fortissima deligunt, aliter longioris sæpe viæ vectionem, aut exagitationem minimè latura, vappida statim facta: sicuti planè in exercitationibus nimis citò imbecilliores fatiscunt, caloris roborisque corporei paucitate.

Fictitia Vina, aut, si qui malunt, Factitia, tot generum Dioscoridæ descripta, nec pauciora Plinio, non trademus hic, aut potiùs non adscribemus, quæ sibi quisque petere legenda de Authoribus, qui ea literis prodidére, possunt, ne actum agendum toties sit. Nos certè id non faciemus, nec nisi noua semper facie aliqua, aut considératione noua, aut accessione aliqua facta, de veterum manu desumpta in nostram temerè tractanda accipere propositum semper habebimus.

Defruti, ac Sapæ facultates, & natura.

CAPVT VII.

PRoxima Vino cognatio cum Sapa, & Defruto. Soboles quidem illius sunt: σίραιον, & ἕψημα Græci dicunt, eodem vtrunq; significato: nos distinctiùs Defrutũ, quum ad dimidiam musti partem, quod ferè albũ esse debet, peruenerit decoctio: Sapam, si tertia tantùm ex decocto pars supererit: non autem, vt existimásse quidam visi sunt, si tertia tantùm deferbuerit, vocantes. Excogitata hæc Plinius in adulterium mellis protulit, quasi quibus inficeretur mel, vt dulcedinis plus acciperet. Natiuum id quidẽ: hæc ingeniosæ artis, sed priuata tamen facultate quadã sua à melle, in quo multo plus aëreæ substantię, & abstersorię facultatis, plusque etiamnum attenuatoriæ. In his ignis opera subitaria, vehementique, plurimũ quidem euaporatũ aquositatis, nec vinositatis sanè parum est, ac terrea pars restans cum aquosæ & vinosæ reliquo coctura coit, absumptisque excrementis, nec planè aërea omnino parte destituta, dulcedinem acquirit: Secus ac in Vino,

Vino, vbi sensim minutatimque exhalata aquosa, segregatisque excrementis, vinosa reliqua fit tota. Quapropter Sapæ, & Defruti opera, qualia expectanda ex crassa, terreaque substãtia, eiusmodi habẽtur: meritoq; ideo à Galeno in paulò magis tenui distillatione ad pectus conficiendo Eclegmati diacodion, melli præpositũ Defrutum legimus, vtpote longè magis crassum faciens; & à scribentibus de hoc omnibus vetitũ, in quibus minima quæq; iecoris, aut lienis obstructiõis, aut flatulẽtiæ suspicio: non inutile tamen aliquando futurũ his, qui pectoris, aut pulmonis vitio aliquo ex humorum tenuitate nimia cõtracto laborant, aut renum, & vesicæ vlcusculis tentantur. Ratio huius tota tamen pro condimento, intinctuumque præparatione, melius semper cesserit.

De Potibus factitijs, cur hoc loco prætermittantur. Et de Ceruisia inprimis, eiusq; durabilitate, & temperamento.

CAPVT VIII.

Multa in multis omisimus, omissurique sumus, quorum aut exoleuit prorsus, aut minùs iam frequens est vsus, longè satius nobiscum reputantes esse, sic tractationẽ hãc moderari, vt necessaria tantùm, vtiliaque, & recepta iam tradantur: desita autem, vtilitatisque aut nullius, aut non necessariæ, relinquantur. Hoc quoque ideo loco, quũ dici multa possent de Zytho, ex hordeo, longè alia, quàm Ceruisia nunc, ratione parari olim solito; de Potionibus tot generum ex milio, oriza, panico, ficubus, pyris, pomis, sorbis iuxta Virgilium, & fermento, etiam ex furfuribus, quem furfuraceum Pannonia potans vocat; sicuti Sarmatia & contermina Lithuania Metum suum, ex aromate multo: transmittentur tamen à nobis. quis enim iam de Cęlia & Ceria Hispaniæ, aut huiusmodi ignotissimis rebus frustra tractet? aut, si quid dicẽdum de his esse videbitur, collatis in paucissima cunctis, tractatui totum id meliùs reseruabitur, quum partis huius Sanitatis Tutricis medicamentorum ratio salubrium exponetur.

Nunc pauca quædam de Ceruisia, vsitatissimo toti iam Septentrionali plagæ potu, gentibusque etiam vltra Oceanum glacialem summotis, quacunq; Mundi in parte, cessante vitium cultura ob frigora, ferax inprimis frugum solum est, sic natura rerum comparãte in plurimis, vt, qua parte, ratione aliqua impedita, proferre ad inhabitantium vsum commoda sua nequit, ex alia statim subueniens iuuet. Vini igitur quum naturam nõ posset, frugum tribuit satis, quarum copia & pro alimẽto, & pro potu esset, conficerentque ita sibi inde panificium incolæ ad vescendum, liquoremque vnà pararent ad potandum: alterum naturæ, alterum ingenij magis. Sed quòd Zythum diuersum esse à Ceruisia dicebamus, si non aliud, certè lupi salictarij additio diuersam facere à Zythi forma Ceruisiam potest. Id nanque sola constitisse hordei, tritici ve maceratione, cocturaque, legimus: Ceruisia lupi salictarij additione constat. At additio hæc aliam iam naturam facit, formam aliam inuehit: inebriat hæc, vinumque ita potissima sui in parte æmulatur: quod an Zythum quondam fecerit, nescio: legisse quidem non memini: tametsi Plinius nulla Mundi in parte cessare aliquando dixerit ebrietatẽ. In Ceruisia conficienda macerantur primò, aut hordeum, aut triticum, vsque dum propè iam putria germinent. Ecce tibi ex putrefactione acrimonia, quasi ex fermento: tum ex eodem decocto, quo macerata priùs fuerãt, quod lupi salictarij est, ex flore, semineque coquuntur magis minúsve, ac vini omnino vim æmulantia accipiũt, maceratione, fermentatione, coctura: pro quarum euariatione, mirum quàm variet Ceruisia, acris, amara, subdulcis, dilutior, fortis, vehemẽs, imbecilla, clara, turbidior, temporaria, vnius interdum tantùm mensis circiter, modò benè multam vetustatem ferre edocta, non solùm ex Martij mensis præparatione, (vt ferè creditur) sed aliàs quoque plerunque, pro cocturæ, reliquæq; totius præparationis, maiore, minoreque diligentia.

Nec perennant tamen eæ, quod vnius Martio mense decoctæ proprium est: nec tam quidem absolutam eo anni tempore floris, seminisque perfectionem esse perennitatis causam dicemus, quàm inchoantis tum anni, vernantiumque dierum beneficio, ac temperie id fieri credemus, syderisque vim in eo cœlitus in inferiora hæc ad durabilitatem demissam agnoscemus; vt in multis alijs alio tempore ad facilem corruptionem, minimamq; durationem, noxam. Et erit quidem diuturnitas illa ex iusta, sedulaque aliorum quoque præparatione, seminisque pręsertim, & floris delectu: at vt ad insequentis sæpe anni tempus perueniat, id verò, quoniã causa longioris temporis alia accedit nulla, totũ temporis beneficio tribuemus. Non autem arbitror, non modò salictarij istius lupi, sed ne alterius quidem vllius plantæ semen intra annum sic euaporatum exarescere, exuccúmve fieri, & ἐξίτηλον, vt nõ (siquidem perennitatis

ennitatis longioris ratio in eo tantùm posita esset) fuerit duratura illi ad id semper in exactum vsque annum bonitas: aut, si tanta ei mense Martio, nulla temporis, sed sua ipsius tantummodo ratione contigit, insequenti mox Aprili, aut etiã Maio, quibus tamen nunquam decocta tam diu perduret, non satis adhuc allaturum esset ad perennandum virium. Quid enim? euanidum tam breui factũ suspicabimur, vt naturam amiserit; facultatemque, quã mensem, nõ ampliùs, antea tenebat, tum quoq; continuatam non retineat? Sed ita est profectò: quicquid prȩter id, quod rei temperamento debetur, hoc in opere durabilitatis reperitur, totum id referendum acceptũ temporis erit eius qualitati, quam tunc cœlum, & Sol facit. Tanta quidem tunc est faciendæ Ceruisiæ tempestiuitas. Cæduntur in ædificia ligna, duratura per se aliquandiu temperamento suo, cura & diligentia diutiùs etiamnum conseruari possunt: at nisi cædendi ratio accedat, ex syderibus ducta, frustra reponatur opera reliqua omnis ad durationem, & teredinem longè citiùs sentiant. Vulgo scitur, quippe ab omnibus obseruatissimum, quantum Lunaris in hoc ratio referat: à vicesima Luna ad tricesimam tempestiuum inprimis; omniũ maximè in coitu, quo tempore materiæ cæsæ parari immortalitatem ferè, atque æternitatem quãdam, credunt. Eadem ratio, sed diuerso ex sydere, in Ceruisia facienda: quod ibi Lunæ, hîc Solis potestas præstat: tempestiuum vtrisque tempus suum id. Quin & id compertum, animaduersumq; ab his, quibus id curæ fuit, vt ex frugibus eisdem, lupoque salictario eodẽ, alio tamẽ quouis, paulò in longinquam bidui, aut tridui fortè, itineris regionem translatis, ab eodemq; artifice parata, bonitate tamen non responderet; siue cœli id, ambientisq; nos aeris, siue aquarum varietas faciat: aquarum, potiùs crediderim, quarum & multa in Ceruisia conficienda materia, & multo maximè diuersa in paulò diuersis locis ratio.

Ceruisiæ temperamentum, calidum statuendum, rectè considerantibus. Etenim si in decoctionibus rerum harum ipsarum, quæ decoquuntur, qualitas in decoctum transit tota: hîc longè id quidẽ expectandum magis fuerit, vbi nõ ex decoctione solùm, sed vel maximè ex diligenti inprimis maceratione lupuli vires ab aquæ substãtia accipi, imbibique cunctas necessarium est. Benè calidi autem temperamenti lupum hunc salictarium esse, vnusquisque, vt opinor, concesserit: vnde, præsertim verò accedente, ex putri macerationis materia, acrimonia, & tritici calori modico addi maior, & hordei frigiditas auferri introducta caliditate, queat. Si Vinum nihil aliud est, quàm, vt Galenus sensisse aliquãdo (De rati. vic. in mor. acu. iij.) videtur, aqua in vitis ligno, assũpta terrestri parua quadam ac calida substantia, ad harum vnionẽ concocta, in imbecilli minimùm, in vehementi plurimùm: sanè quod hîc à natura, Solisq; caloribus fit, in Ceruisia idem macerationis decoctionisque artificio fieri posse, minimè inficias eũdum, duntaxat vt caliditatem non contemnendam aqua eo pacto concipiat. Indicio sapor nõ minùs, dulcis, acer, amarúsve, quos aut modicæ, aut vehementioris esse caliditatis sapores, nemo nescit: austerus, acerbúsve, aut acidus nunquam, in Ceruisia quidem ritè iustam præparationis cunctȩ antegressæ formam adepta, quæque nondum euanuerit, aut acuerit, sapor: quæ malæ dicendæ potiùs existimandæque Ceruisiæ sunt, nõ autem Ceruisiæ, in quibus statui quicquã de earum temperamento debeat. Et hinc quidem temperamentum Ceruisiæ suum constat: alendi verò vires ex hordeo, & tritico: vt Vini in eo non minùs conditiones imitata æmuletur, quæ cum calefaciẽdi siccandiq; potestate alendi quoque sunt; & has quidem, alendi, ex frugibus; calefaciendi, & siccandi, ex lupulo vires sortiatur. Et in Vino quidem sapores hi, frigidioris alioqui temperamenti, maturitate vuæ perfecta, & calidioris vinosæque substantiæ facultate, atque eius quãtitate maiore, superantur facilè, vt calidum haberi dicique possit. In Ceruisia nihil opus, in qua quicquid colligitur caliditatis, vniuersum ad immutandum, absq; saporum huiusmodi introductione, aquosam substantiã transiens abit. Spectentur effectus: inebriat. At ex ebrietate nõ paruum ducebatur argumentum calidioris substantiæ, de qua emissæ vaporosæ exhalationes, vt de vino dictũ, caput ferientes replent, & cõmotam mentem agitãt etiam deteriore ebrietatis, quàm ex vino, noxa. quoniam crassior omnino, peiorisq; succi substantia, nec ea, quæ vini, absoluta atq; exacta partium commixtio, vtpote in re, quæ naturam imitatur, non assequitur. Tum verò spumeã, quȩ superficiem occupans innatat, partem, non tam quidem ex commotionis agitatione, (quæ nulla ibi, aut perquã pauca certè est) quàm ex calore existere credendum, suscitante se ita ob caliditatem vaporosa materia, & crassitie, ac glutinositate detenta, spumeam illam dein substantiam faciente. Neque tamen abnuerim, negligentia sæpe, & præparandi incuria, aut festinata nimis maceratione, aut non iusti satis temporis coctura, aut rerum parsimonia, quæ requi-

requiruntur, non satis virium Ceruisiæ plerunq; addi, vt vinosæ qualitatis facultatem acquirat ad calefaciendum. Scimus nanq; nonnullas interdũ & flatus plurimũ gignere, & obstructiones facere ingẽtes interdum solere. Alit tamen, & emaciatos sæpe vidimus corpus resumpsisse ex ceruisia: praui nihilominùs succi suspicione non caret. Et, quod de Zytho scriptum reliquit Dioscorides, Elephantiasim facere, id hodie Ceruisiæ tribuendum magis sit, plenissimis quidem vbique gẽtium apud Belgas, totoque eo tractu, in quibus paulò crebrior Ceruisiæ vsus, ad id vnum destinatis Nosocomijs, ne latiùs contagio serpat, Elephanticorum; adiuuante quoque reliqua victus ratione, vilis inprimis plebeculæ, quæ vel vna, vel maximè, ea præcipuè lue corripitur, ex larido, pernis, atro pane, ac similibus: quorum miscella congestione, accedente præsertim Ceruisiæ potu, ex prauorum succorum copia, minimè mirum esse debeat, si quando haud difficulter Elephantiacus affectus existere possit; sordescente ita ex succorum prauitate semper multa, atque exassato sæpe, & inflammabili facto sanguine.

De melle, saccharo, aceto, inter Condimenta tractandum: nunc de Aqua breuiter sobrieque, meritissimò, quòd & notissimum eius temperamentum, viresque, vt ambigi de eo non debeat; & quum sobrios maximè reddat, tractari sobriè quoque inprimis postulet.

De Aquæ temperamento, probatione, & facultate.

CAPVT IX.

Ἄριστον μὲν ὕδωρ. cur enim nõ omnium primum Pindari de Aqua iudicium proferamus? quo ille simpliciter, atque in vniuersum, rerum omnium optimam pronũtiauit, vt primas huic partes tribuat, secundas auro, Olympicæ victoriæ tertias: ne intereà maioris quoque Poëtæ testimonium aduocemus huc, quod de Aqua dixit, ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν, fluuios nẽpe & fõtes. alibi enim Oceanum fluuium vocat, vt Tethyn fontẽ intelligamus. Reuera omnium optima Aqua: quoniam omnium maximè necessaria, atque vsibus vbique humanis cõmodissimè inseruiens; &, si optima fuerit, nulli non ætati, cunctisque hominum ordinibus conueniens. Sed nos vtilitates hasce non persequemur, Medico vsu contenti, atq; eo in partem tantummodo Medicinæ tuendæ sanitati dicatam recepto.

Aquæ temperamentum, frigidum atq; humidum demonstratũ à Galeno est. Hoc quum dico, refrigerans, atque humectans intelligo: humectans semper, siue ea calida actu, seu frigida fuerit: calida autẽ quandoque in præsenti, mox amissa, quam accidentariam obtinebat, caliditate, refrigerans euadit. Quocirca in parte Medicinæ Curatrice vsus Aquæ multus, quum nihil humidius aqua sit: frigiditas autem sanè multa satis. Quæ duæ qualitates in negotio Medico Curatiuo efficaciter sæpenumero calidis & siccis affectibus ex Aqua, tãquam in summo ibi repertæ, applicatur ad sanitatis tutelam, aut mixtæ, aut infractæ: aut ex cõsuetudine sanis adhibentur, vt quum purissimam bibimus abstemij, vel vino admiscemus sobrij, vel decoquimus ad multa, vel multa incoquimus, ad mensarũ semper, cibique, & potus vsum.

In omnibus deligenda optima. Tametsi nanque multum semper excoqui vitij diligenti coctura non admodum probatis Aquis soleat, vt longè melior eo pacto fiat: plurimum tamen retulerit sponte naturaque sua optimæ ab initio delectus. Ea colore, odore, sapore explorabitur. Color Aquæ, purus synceriusque, ac splendescẽs albus. Odor, nullius prorsus extraneæ rei, quæ infectam peregrina qualitate aliqua coarguere possit, aut acrimoniæ, aut aciditatis, aut salsedinis, aut putrefactionis, aut alterius alicuius malitiæ dicẽdo inexplicabilis, cuiusmodi ex quibusdã appelli ad nares tetrũ interdũ odorẽ experimur. Itidem de sapore: exqualis illa qualitas in aqua cõmendatur, si nihil sapiat, nullusq; penitus in ea offeratur gustui alius saporis sensus, is illius iustus sapor, & legitimus, certumq; bonitatis indicium: qui tamen aliquis est, hoc nimirũ ipsum aqueus. Hunc aquæ potores, naturaq; abstemij, mirũ quàm facilè, citoq; deprehensum agnoscant; quàm varias Aquarum differentias ex sapore statim colligant, quas nostrûm nemo vino assuetorum animaduertat. Vt ferè artifices videmus experientes quoscunq; materiæ suæ minutissima sæpe quæq; discrimina tenere, artium illarũ idiotis inanimaduersa semper. His notis atq; indicijs Aquam, eorũ insuper testimonio comprobatã, quibus exercitatus in eo gustus fuerit, optimã deputabimus. Est & Hippocraticum dignoscẽdæ Aquarum bonitati indicium, pollicentis nobis leuissimam sumentibus futuram, minimeq; omniũ videlicet viscera degrauaturã, quæ calefiat, refrigereturq; citò: nimirũ idẽ intus ab humano calore, quod foris ab extrinseco, passura, vt qualitate citò sua immutetur: quãdo ea, sicuti cibi, ita potus quoque præcipua dos ac virtus sit, vt


alteratu

alteratu facilis citam immutationem accipiat à membris concoquendi officio à natura tributis.

Et, quanquam nunquam vſque adeò immutetur illa, vt in partium alimentum, vini, aut cibariorum aliorum exemplo, tranſeat: at minimè caloris natiui actionibus repugnans, operatoque cedens, & immutata, nec concoctioni reſiſtit, & facilem cibo curſum, per meatus omnes corporis deuehẽs, ſecumque trahens, præbet: vt ipſa vtique non alat, at magnam alendi ſritè recteque corpori occaſionem largitur. Simul eadem opera, ſi quid plus iuſto excitum eſt (operato vehementer natiuo calore in officina ſua) efferueſcentiæ alicuius, reſtinguitur ea aquoſæ qualitatis vi infracta; alioqui, niſi hoc fieret, totum ſæpe cibum exuſtura, & priuatura alimenti humiditate partes, ex quo ſqualor ſtatim, & inextincta ſitis. Hoc inprimis beneficij adfert Aqua, aut per ſe, aut aſſociata Vino iuſtis, pro huius vehementia, portionibus; ſed optima, vt diximus, quæ antea quærenda notis ſuis atque indicijs inueſtiganda eſt, ne quando magno conſtet temerè ſumpta incautis, priuſquàm ſignis omnibus ſuis bonitatem nobis aperiat ſuã, vt ſecuri bibamus. De colore, odore, ſapore dictum. Leuitatem addidêre in lance expenſæ alij, bonitatis indicium, ſequunturque hodie multi, haud omnino inepta perſuaſione, ſi teneri certa poſſet: nunc leuiſſima ſunt omnino ponderis in eo momenta, vt fidem facere manifeſtam queant. Quamobrẽ minimis temporum ſpatijs incaleſcentem, refrigeraſcentemque, ab Hippocrate leuiſſimam dictam, viſceribus videlicet minimè grauem, cum Galeno potiùs accipimus.

De Aquæ Horææ, quam dicere Aeſtiuam poſſimus, & Tonitruoſæ, & Procelloſæ differentijs ad ſalubritatem.

CAP. X.




Lioqui non ſanè leue in Aqua leuitatis argumentum, qua pluuia maximè commendatur, ſi expendi poſſet, ratione colligitur. Quòd ſi diligentior aliquis, ſedula curioſaque hoc ipſum quoque opera aſſequitur; ſanè non repugnamus, leuioremque inuentam in ſtatera potiorem habebimus, veluti minus quoq; ſemper ventriculo grauitatis, & viſceribus reliquis allaturam. Neq; enim aliud pluuiã magis Aquam commendat, Aeſtiuam præſertim, quã Hippocrates ὡραῖον appellauit, eadem voce ſimul & anni tẽpore, & Aquæ, ob maturitatem quãdam, bonitate indicata. ὑδάτων, inquit, (Epidem. vj.) ἀτεχνίων τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ αἰθέρος ἀποκριθὲν, ἢ βροντιαῖον ὡραῖον, τὸ δὲ λαιλαπῶδες κακόν. Non aliam planè ob cauſam, quàm à Galeno adſcriptam, quæ ita habet: Aeſtatis tempore eo, quod horæ nomen apud Græcos obtinuit, ſudo ſerenoque cœlo, (ἀπὸ τοῦ αἰθέρος enim ἀποκριθὲν, dixit) caloribus magnis aquei attenuati vapores ſublati tolluntur in aëra, inuiſibiles inobſeruatiq; nobis, latent enim tenuitate aërea: tum verò moram ibi trahunt, donec aut in frigiditatem mutetur aëris, quo peruenerint, pars, aut aliâs frigidiori illi occurrãt, vel etiam ex aduerſum flantibus inter ſe ventis, denſatoque circumambiente, vapores vnà ipſi in materiam iam pluuiæ ſenſibilem denſentur, cadantque. Hanc ita ex vaporibus his, æſtu Solibusque, & ſerenitate cœli, maximè tenuiſſimis factis generatã, multis alijs præferendam eſſe Aquam dicimus.

Proximeq; ab hac, quæ cum tonitru eſt, rectè, vt arbitror, Tonitruoſam dixerimꝰ. Fit id, quoties incluſus ignis continente cũ nube erũpere tentans, excretus ruptionem facit, cadẽtibus tum fulminibus, aut, quum mutuo attritu colliduntur inter ſe nubes.

Quorum neutrum Procelloſæ ineſt, in qua quidem conſtitutione denſatum circum aëra continua quædam, & obſcura, atraque nubes totum occupat, eoq; neque fulgura tunc, nec tonitrua fiũt, quia ne atteruntur quidem inter ſe nubes tunc colliſæ: vna nanque tantùm eſt, in vnumque coacta, non diſperſæ circunſcriptæq; multę, quę concurſu mutuò elidãt fulmen, aut tonitru cœlum miſceant. Ergo ex procella ſegnior omnino Aqua, nec tam colliſionibus inter ſe attrituque mutuo, quàm Tonitruoſa, aut Aeſtiua, quam priùs diximus, illa, elaborata, Vereque ex craſſioribus vaporibus craſſior, ideoque duabus illis meritò poſthabenda.

Ciſternarum aqua cuiuſmodi habenda ſit. Et de Pluuialis tenuitate, & vtra tenuior, hæc'ne, an Fontana, & Fluuialis. Plinij verba ſuper his examinata. Et facultates explicatæ aquæ Pluuiæ.

CAP. XI.



Tqui nõ defuêre, qui cunctas has damnârint, viri authoritatis ſummæ, mirantes cur Ciſternarum aquę ab aliquibus maximè ꝓbarẽtur, (ſunt autem Ciſternarum, Pluuiæ omnes) veluti ſtagnãtes, ſegneſque: quum haud dubiè profluentes vtiliores habendæ ſint,

sint, cursu semper exercitæ, percussuque vbique crebro extenuatæ, ac proficientes.

Sed hæc ipsa extenuatio, profectusque is, non aliter quàm attenuatione maiore acquisitus, longè quidem in Pluuia Aqua maior, cuius materia Solibus æstuque, & caloribus maximis attenuatissima redditur, quãtam quidem partium tenuitatem Profluentis Aquæ longissimus quãuis cursus, percussioque, nunquam adipiscetur: nunquam scilicet exercitatione ea cursuque, (quantalibet hæc fingamus) caloris quicquam, quibus extenuentur partes, acquiret. Qua maximè in angustijs eluctatur flumina, fontesque, qua saxorũ obijcibus franguntur commotione maxima, qua de superiore sæpe loco in præceps ab alto magnoque casu subiectis cautibus allidũtur; nihilo seciùs frigida, quàm vbi quietiora fluunt, sentiuntur. Nec propterea Aquas cursu fieri frigidiores dico: incalescere, hoc vnum nego. Quo quidẽ modo amnium, fontiumque multorum cursum videmus magnum quidem interdum illum, ac concitatum: at non eiusmodi, qualẽ concipiendo calori satis esse oporteat. Non enim motus omnis id faceret, sed vehementissimus, cuiusmodi dari nulli Aquę quantitati maiori minorive poterit vnquam, vt, plumbi funda emissi exemplo, per aëra feratur, & concalescat ex eo. Sed nec materia, vt plumbi, solida, quæ attritum priùs ferat necessarium, vt calor tandem existat: fracta cedit statim Aqua cursu suo, discutiturque, ac veluti dissilit: itaque frangitur tantùm, nõ etiam incalescit. Nec aliud sanè facimus, quũ haustã de puteis Aquam equis potandã damus, quã nemo vnquam, vt existimo, lõga licèt multaq; baculorum in gyrũ circunuersatione, & verberatione vehementi, incaluisse sensu vllo percepit: quippe rumpitur hic quoque tandem densitas Aquę quædam, & quoquo modo cruditas tollitur, inuecta eo tantùm tenuitate, ne viscera duriter nimis feriat, sed victa immutataque caloris actioni obsecundet. Et est quidem hoc modo sua his tenuitas, quàm residum prorsus & stagnantium Aquarum, longè maior: sola tamen partium agitatione, discussioneque, vt diximus, & fractione quæsita, non qualem calor ingens fecerit, maxima semper rerũ quarumcunque tenuitatis causa. Sic quidem subeunt ex aqua attenuati vapores in aëra, longè maiore attenuatione, pendentq; ibi, donec in imbriũ rursus aquam cogantur, quæ materię semper, ex qua orta est, tenuitatem referat. Fluuij autem fontesque omnes, siue illi à mari vsque, vt placuisse multis video, originem suam continuato longissimè cursu per Terræ venas repetant, percolantur quidem ita, & fracti percussique diu attenuabuntur; at terreæ qualitatis sæpe multum secum trahunt, nec illam vnquam, quæ caloris est, tenuitatẽ assequuntur: siue conuersis in aquam subterraneãrum cauernarum antrorumq; vaporibus fiant, de Aristotelis sententia, longè crassior, longeq; minùs elaborata terrenorum illorum vaporum materia, Aquam nobis proculdubio longè quoque minùs, quàm imbrium, tenuem dabit.

At enim dicunt. Sed præstat Plinij ipsius Authoris verba adscribere, quæ arbitror ab eo aduersus Hippocratẽ prolata, quum in Epidemiorum libros incidisset. Nec leuitatis, inquit, (Denat. hist. xxxj. cap. iij.) in pluuia aqua argumentũ est, subisse eam in cœlum, quum etiam lapides subire appareat, cadensque inficiatur halitu terræ. Quo fit vt pluuiæ aquæ plurimum inesse sordium sentiatur, citissimeque ideo calefiat aqua pluuia. hæc ipse. Tametsi autem de tenuitate disputamus: hoc tamen in negotio, cũ leuitate tenuitas nobis coniungenda est, alioqui etiam natura sua hîc coniunctis. Lapides ὅταν Plini in sublime aguntur, attolliq; ventorum vi (quid enim aliud esse causæ dicamus?) in cœlũ actos fatemur. Vidimus nos annis superioribus, de clemẽtissima illa sanctissimi olim sacratissimiq; Imperatoris Ferdinandi manu porrectos nobis, & attrectatos expẽdimus, maximi visos põderis, quos ferebant vno plures testes in Aurelię, (quę nũc Stiria est) tractibus decidisse de cœlo, serena, sed ventosissima tempestate. Mitto hîc dicere de Aristotelis illo in Meteorologicis. Post eũ Authorem, authores habemus, etiam vitula aliquando pluisse. Quo quodnam miraculum vnquam maius? Concedimus omnia, ingentissimam illam vim ventorum considerãtes, quam nisi clausam Aeolus teneat, & cohibitam moderetur,

--maria ac terras cœlumq; profundum

Quippe ferant rapidi secum, verrantq; per auras.

Sed quid simile furentibus Austris, cunctaque agentibus, & νηνεμίη, in qua tranquillo, pacatoque cœlo, postquàm venti omnes posuêre, sensim sursum attolluntur rapti vapores de aquæ substantia tenues? Hîc in hac cœli constitutione tam placida, quietaque, velim mihi dari lapidem quantulumcunque, qui non dico efferatur in cœlũ, sed à terra sustollatur. Quantulus enim, quæso, erit, qui Sole & caloribus attractus subeat? opinor, ne tantulus, imò ne vllus quidem. Id enim non cuiusuis materiæ est, sed extenuatæ tantùm, & aëris leuitatem nactæ: vt ne aqua quidem, nisi hoc ipsum priùs passa, factura id sit. Cadens, præterea ait, imbrium aqua inficitur halitu terræ.

Non

Non negamus, quæ terram tangit, & imbibitur, calcataq; sæpe lutum fit. Nos puram, synceramque intelligimus, situlis & fidelijs exceptam, ad vsus cùm domesticos quotidie, tum medicos quoque sæpe, aut ad potum, stratis circunquaque lapide materiáve alia nitidè pauimentis, corriuatam vndique per canales, aut tubulos benè mundos, in Cisternam etiam pauito subtus solo, cretaque interdum solidato, ne qua per rimas foras effluere purior, aut inuehi intrò terreni sordes queant: & si quæ inuehuntur, aut deriuatæ influũt, eæ subsidunt cunctæ, & repurgatam aquam relinquunt. Postremum illud quis nõ cum pudore aliquo examinet? aut ignoratæ rectæ rationis suspicione in Authore tanto non tangatur? citissimeque ideo calefiat aqua pluuia. ob sordes intelligit, quæ plurimæ insint. Non legerat, aut lectum non meminerat Hippocratis illud suprà recitatũ de Aqua calida frigidaque citissimè facta, eadem & leuissima, sordium hîc præsentiam, quæ necessariò grauitatem faciant, refrigerationis causam perhibens. Obstiterint illæ quidem potiùs, quo calefiat aut refrigescat minùs tam citò Aqua crassitie sua: tenuissimam esse oportet, in qua hæc fiant, ideo & leuissimam. Horum (inquit eodem in loco) sententiam refellere interest vitæ. Ita sanè. Ergo nostra quoque interfuit, qui vitæ conseruandæ studemus, & rei huius toto hoc opere præcepta tradimus, sententiam eam ipsam tueri, quã olim antea scripsisset Hippocrates.

Neque tantopere miraremur, si Cisternarum tantùm damnarent, non etiam Imbrium, Pluuiamque in commune Aquam. Verùm mirati primùm Cisternarum ab aliquibus maximè probari, vniuersam mox Imbrium, Pluuiamque, suffragijs omnibus suis oratione eadẽ damnant. Ceu verò hæc Cisternarum quoque omnis necessariò sit, ac non extra Cisternas multus vbique ad multa Pluuiæ semper vsus. Nos verò incõcussam seruabimus Hippocraticam sententiam, Aquarum omnium, quibuscunque artificij nihil adhibetur, æthere excretam, vel etiam cum tonitru, commendandam: minùs his Procellosam: sed & hanc tamen, veluti ipsam quoque Pluuiam, præferendam alijs: Cisternarumq; prętereà collectitiam, ijsdem rationibus, probabimus, duntaxat ritè corriuatam nulla immunditie, nullasque secum trahentem sordes, hisque ipsis, si quæ tamen trahuntur, repurgatam, donec naturam suã conseruatam retinuerit. Quis enim nescit, aut imperitè fabricatæ Cisternę vitio, aut longa nimis temporis diuturnitate, qua cuncta pereũt, aut iniectis illapsis ve sordibus, corruptam, iamque limi multũ colligentem, & animalia nutrientem ex immunditie orta, exisse de natura sua, nec pro Pluuia vlteriùs Aqua habendam. Corruptionem tamen celeriter sentire dicunt, compertumque esse, putrescere hanc, & minimè durare in nauigatione. Quanuis non ignoremus, in compositionem Diacodij, aliasque præter hanc, Pluuiam à plerisque Aquam sumi ea gratia, quòd non facilè in putredinosam qualitatem aliam mutetur: concedimus tamen. Sed vnde hoc, quæso? nisi ex subtilitate partium, ac tenuitate insigni, aduersantibus causis non admodum resistẽte, vt tenuia omnia solent: ideo nec nauigandi agitationem diu nimis latura fortasse eadem sit, minimè sanè diuersa hîc quoque ratione, quàm qua incalescere celeriter, ac refrigescere, paulò antè Aquę dicebantur, certo tenuitatis ac leuitatis, proinde & bonitatis, argumento. Neq; semper tamen coniunctam cum bonitate temporis multi permãsionem quoque esse necessum est. In medicamentorum autẽ compositionibus perduratio accedere Aquæ ob cocturam potest, aliarumq; sæpe rerum admixtionem, vt mellis, quæ Pluuialis qualemcumque durabilitatem additæ iuuent: neque tamen illius etiam per se, vt quidem substantia ea fert, non diuturna satis duratio obseruantibus apparebit. Quin ea ipsa tenuitas, leuitasque, atque immutationis in vtranq; partem facilitas calidi frigidique, quæ laudi dantur, interdum vitio quoque verti possunt. facilè nanque eam ob rem, & immutãdi præcipuè promptitudinem, ad corruptelam in malè affecto corpore ventriculoque, ac visceribus meatuum angustia laborantibus, Pluuia aqua trahetur. Etenim adstringẽdi vi, qua pollet, in farctas iam vias, aut infarciri paratas, minimè certè liberârit; auxerit potiùs. Verùm enimuerò eadem facultate, in benè alioqui compositi per omnia corporis cõstitutione, partibus, qucaunq; transiens permeârit, præter refrigerandi, humectandique, quæq; hæc ipsa sequuntur, demendæ sitis, auferendique vniuerso sæpe corpori squalores, commoda atque vsum, robur addet, minimè virtute dilabi permissa, ex adstringendi potentia. Quocirca & ventriculi cõcoctionem alijs Aquis meliùs iuuabit; & roborabit iecur, lienemque, & renes; vrinam quoque, excrementaque omnia mouebit, alui, alterius vesicæ, corporeæ molis totius. Non enim ea sistendi facultas, quæ constipationem faciat, maiorum præsertim viarum, sed quæ difluere membrorum vires non permittat, addito robore. Eadem, quoniam non dissimili ratione, quàm ob substantiæ suæ tenuitatem,

tem,

tem, immutatu facilis est, nocumēta aliunde haud difficulter accipit: si quid mali odoris, aut extraneæ alterius cuiusuis qualitatis conceperit, in corpus defert, & noxā addit tum alias, tum vocis peculiariter raucedinem, tussimque, & respirandi grauitatem facere animaduersa. Porrò inesse huic adstrictoriæ facultatis aliquid, vel medicus inprimis vsus ostendit, & iuxta Hippocratē δηλοῖ καὶ ἡ ἴκησις, quoties in collyrijs, decoctionibus, fotibus, iniectionibus, & similibus, quibus aut irruētium humorum repulsionem, aut fluentium cohibitionem molimur, assumpta, virium ipsa quoque de suo nonnihil in id conferens opitulatur.

Niuis, Pruinæ, Roris, Glaciei Potus noxa.

CAPVT XII.

LOngè deterior ex Niuibus: quippe ex congelati, antequàm in aquam vertatur, vaporis materia: iccirco flatulentissima, ob vaporosam scilicet naturam, & spumeam totam. quid enim aliud Nix? quare colliquata eiusdem, procul dubio, proprietatis aquam exhibebit.

Eadem Pruinæ ratio, hoc etiam deterior, quòd in ea non tam altè ascendunt vapores, eoque nec tam puri redduntur.

Idem vitij in Rore: in quo tamen conuersus iam in aquam vapor nō tantum flatus gignet: minimo tamen ascensu nōdum satis defæcatus materiam continebit, qua nimio vsu scabiem, sicuti vredinem Pruina, de Plinij sententia, facere possit.

In Glacie cùm Niuis nocumenta, quæ diximus; tum prætereà, euaporatis expressisq; à frigore tenuissimis, humidisque, cū calore vnà, quicunque ille inerat, qui fluidum faciebat, partibus, ingens quædam dominabitur frigiditas; nimirum gelu iam totum, interceptusque gelascente aqua aër continebitur, qui innatare faciat, & resoluta glacie potantibus flatuositatis plurimum procreet.

Cęterùm ex Grandine (quāquam hanc nemo vnquam sanus potet, sicuti planè neque ex Pruina, Rore've) cùm hęc omnia; tum vaporum materia impurissimorum, nec valde à terrenis sordibus supra circūambientis nos hîc aëris partem in sublime latorum, nocentissimam reddere possunt, si quis vtatur, ac propè pestilentem. Hæc dicenda occurrebant de Aquarū vsu, quarum supra terram, & in alto inter μετέωρα generatio: quibus glacialem addidimus, aqueæ circa terram materiæ cognatione.

Fontanæ Aquæ vsus, & bonitatis conditiones. Fluuiorum item qua ratione commendetur Aqua ad potandum. Et, quibus quæq; canalibus deducatur, quantum referat.

CAP. XIII.



COnsequēs erit de Fontanæ potu narratio, cuius & crebrior vsus, ob Fontium vbiq; locorum copiam, multisq; paratior, & ad manus, domi, aut in vicinia; atque vnde noui semper potus subministrentur, nunquam cessante cursu ex scaturigine, momētisque temporum omnibus aliam alia propellente, ac tāquam Naturæ solicitudine, ne quid ad vsum desit, suppeditantibus largè plerunq; venis limpidissimas prosilientes cum alacritate Aquas, quarum vsus, si delectum sequamur, post Pluuiam dotibus iam suis commendatam, saluberrimus.

Positæ sunt cōditiones, minimè hîc repetēdæ, Coloris, Odoris, Saporis: dictæ aliæ, de immutatione in calidū & frigidū facili, de leuitate, cōmunes omnibus: quarum vt quæq; cuiq; adfuerit, sic nobis illā commendatā semper magis reddet. In Fontibus autem, de quibus salubriter potare nos posse credamus, illud peculiariter obseruandum, quænam origo illis, caputque, & fons scaturiginis, per quæ, & in quæ. Orientem volumus Solem spectet fons, ęstiualem tamen magis, vnde perflantibus inde ventis contrà nitens ipse cursu suo exercitatior simul, & purior, proinde & salubrior fiat. Atq; eadē illi bonitas accedet, si per minimè limosas arenas, glareamque, & nitidissimos lapillos profluere cōtigerit; nihilq; secum prorsus limi, quod summum Aquarū omniū vitium est, trahat. Omnes hos numeros assequutus videri potest Aluola fons ad Benacum, Ripæ oppidi prædia secans: præceps fertur è montium radice in decliue, per glareosum semper solum, tanta aquæ copia, vt subiectorum ædificiorum rotas, molendis frugibus, aut pręparandę papyri materiæ, aut cudendo & erudiendo ferro, per canales demissa facilè circumagat. Quum in plana descenderit, vestiuntur herbulis margines: vbi paulò segnior profluit, ibi muschus, multumq; circà Sion, & aquaticum Sisymbriū alit. Alij alibi huiusmodi non pauci. Secunda laus hyemalem orientem spectantium, & ab his Septentriones: in Meridiem, occidentémve Solem vergentium nō sanè magna commendatio, ob ventorum inde perflantium naturam, quæ impuritatis omnino aliquid adijcere Aquis videri potest. Nam Aquilo, & Boreas, quorum alter à Septentrione,

alter inter hunc Cancrique Tropicum flat, ficuti fudum ferenumque cœlum faciunt; ita profectò Fontium quoq; aquis flantes, naturæ huius fuę aliquid impertiunt. Vulgo perfuafum, neque id tamen omni abfq; ratione, ad bonitatis maioris fignificationem futurum, fi (quod de Puteis quoque dicturi fumus) hyeme incalefcere, ficuti plerunque fumare tūc quofdam videmus; refrigefcere æftate, fentiantur Fontes, collata in profundiores, ideoque purgatiores, fcatebrarum venas, calorisque præfentiam, aut abfentiam, alternis anni temporibus, caufa: qui hyeme, retrò à frigore pulfus, in profunda magis terræ fefe abdat; æftate, amico propinquoque calore euocatus, illa eadem deferat.

Fluuij, Fontes funt, non aliud: ex fontibus fæpe multis, & fluminibus alijs, quibus itidem Fontes fui funt, augentur. Illud in Fluuijs plus, quòd longiffima fæpe terrarū fpatia curfu emenfi, quemadmodum arenæ multum deuehunt, ita accepta, euolutaque per omnes aquæ partes ea, veluti fracta detrahitur illis cruditas, & deterfa tota repurgatior omnino redditur aqua, magna interdum aluei diuerfitate, variantibus terris, per quas fluunt: vt alibi eiufdē amnis falubris, infalubris alibi aqua reperiatur, accipiente ea bonitatē ita ac vitium ex terreno. Attamē per longiffimos tractus Soles perpeffa quadantenus excoquitur, vt nō immeritò Fontanis aquis multis præferēdas habuerint vel Perfarum Reges ipfi Coafpis, & Eulæi, quas illi fecum, quocūq; tenderēt, in peregrinationibus circūferrēt: nuncque Tyberis magnopere commēdari audiamus, fubfidente priùs arena, purgamentisq; omnibus, paratis ad id hydrijs, repurgatam: & olim Nili tot laudibus celebrem quorundam authoritate notemus, fuperato reliquorū amnium omniū multis pafsūm millibus curfu, idque per æftuatiffimos peruftosque terrarū femper tractus, vt non folùm longitudine curfus extenuata, fractaque, fed Solibus, æftibusque concocta, cruditatem omnem deponat, longè alia, quàm fi ignis vi excoqueretur, ratione. cœleftis enim hæc, & omnia generantis caloris poteftas. Tum prætereà directo in Septentrionem, nufquamque deflectente curfu, ac flātibus ex aduerfo Aquilonibus, multum inde claritatis accipere, fimul & tenuitatis, ceu affiduo ventorum verberatu percuffa, poteft: vt turbidior licèt primò, mox tamē clarefcat, & tenuitate multa limpidior femper euadat aqua: nec, quanuis Aquilonares flatus fentiat, noxam tamen ex eo trahit, accepto antea per tot terrarū fpatia calore. Itaque, præter alios vfus multos, paratam effe aiunt bibentibus fœcunditatē, & cùm cœli benignitate, tum aquæ Niliacæ bonitate, gemelliferarum magnum inibi numerum, & octaui menfis partus vitales. Atque olim imputatum militibus fuis à Pefcennio Imperatore fcribūt, quum de Nilo bibere liceret, vinum pofcentibus, paria cum vino facere poffe Nili potū exiftimante. Neque tamen has effe amniū commoditates, qua amnes, cenfendū: quoniam non omnium funt, neque eadem vtilitate ex omnibus bibetur, nifi de proprio ipfi fonte bonitatem hanc fibi fuam faciant; aut, quibus diximus conditionibus, adipifcantur, quæ non omnibus cōtingere poffunt. Ita hìc quoque, ficut de Fontibus, nō fimpliciter, atque in plenum pronuntiandum: fed ea conditione, fi fuæ quibufque conditiones requifitæ non defint.

Et, quoniā non femper haurire de Fonte ipfo conceffum, riuulosque fæpe fectari cogimur; tum longinquè plerunq; in oppidorum vfum, vrbiumque, ac villarū perducuntur, petitę ex fontibus fuis Aquę: id quoque hìc admonuiffe non fruftra fuerit, non parum referre, per quod id terreni folum fiat, aut quibus canalibus tubulisve adducantur; profpiciamusque, ne aut per limofam, vitiofámve aliás terrā deriuatæ, multū quoque inde fecum malitiæ deterfo folo trahant; aut per tubos adductę plumbeos, materiæ've alterius cuiufuis non fatis laudatæ naturæ, noxam (vt fępe contigiffe ferunt) vifceribus atq; inteftinis adferant. Tutiffimi erūt fictiles ad id tubi, aut (quod vfitatum iam, receptumque apud omnes effe video, ideoque innoxium: non aliter, nifi reportata vtilitate, aut certè non percepta noxa, perfeueraturis tam multis in eo) lignei in medio longiffima terebra perforati canales, pyxidatim inter fe commiffi, vt prior femper tenuiore fui parte, qua intrare in alium debet, in faftigium acuminetur: hoc pacto defoffi, multaque fuperiniecta terra occultati, per longiffima fpatia limpidiffimam puriffimamque Aquam perducunt.

De Puteanæ Aquæ vfibus, & quibus notis Puteorum bonitas conftet.

CAPVT XIIII.



Frequentiffimus vbiq; Puteanæ vfus aquæ. vbi enim, quæfo, non excauātur Putei ad potum, vitæque humanę vfum? Vidi Gretij in Stiria ex arce in altiffima rupe pofita demiffum, excauato per tantum fpatij faxo, ad imum vfque folum Puteum, accipiendis ex labente ad præaltam crepidinē fluuio Mura, de-

ra, deriuatis eò per ſubterraneos meatus aquis. Id, loci natura munitiſſimam arcem, longiſſimam, imò perpetuam ferre obſidionem poſſe præſtat, ſitis ſecuros, ſi conſultum de fame fuerit. Iam in mari qui exiſtere alicubi dicũtur dulcis aquæ fontes, oſtẽdunt idem ſperari in mari quoq; poſſe non nimis profundo, ex artificioſa aliqua diligentia.

Sed Puteorum aquæ, tanquam ſubterraneæ, nec ſupra terram exerentes ſe, ſubtusq́ue tantùm elicitæ, & artificio ſolummodo coactæ, deſides, ſtagnãteſq́ue, damnantur. Malitiam aufert hauſtus creber, quo veluti percuſſa, immiſſis ad exhauriẽdum ſitulis, Aqua verberatione ea frequentiore excitatur, exerceturq́ue. Referre putant, ſi plurimum Aquæ ex imo ſubeat, minimum à lateribus percoletur, eadem vtrobique ratione: præ alti quippe Putei meliores, quoniam purior in profundo Aqua: plus terreæ ſubſtantiæ, quo ſuperficiei ſuæ propior. Atque eadem, vt de Fontibus diximus, caloris ratio, hyeme interiùs repulſi, vt calorem Aquæ addat in profundo; æſtate educti, & affinitate ambientis terram caloris inuitati, frigidaq́ue iccirco loca illa relinquentis, magna vtrobique vſũ noſtrorum commodo, quæſitoq́ue temperamento, vtriuſque temporis exceſſus caſtigatione. Itaque fumantes Puteos, quod caloris cuiuſdam opera fit, hyemis tempore optimos iudicamus. Ob idem vredinem, & puſtulas excitari ſibi ſentient, qui crebriùs lauerint.

Vitia Paluſtrium Aquarum, & nocumenta ſæpe ingentia bibentibus parata.

CAP. XV.

DEterrima omniũ Paluſtris: nam lacuum multorũ ſalubres ſæpe, qui ex fontiũ ſcatebris, aut inuectis fluuijs, latam cauamq́ue planitiem nacti colliguntur. Stagnantes prorſus, quòd ſegnes perpetuò, deſideſq;, & collectitiæ, nunquam ſe commouent, limusq́ue ferè ſubeſt, (quod eſſe maximum aquarum vitium diximus) neceſſariò putreſcent, prẹſertim Vere, aperiente ſe terra, & vapores mittente, occurſu aquę non exhalabiles: qui concluſi infectis ita aquis, ac mox ſuperuenientibus Aeſtatis caloribus maiorem adhuc putrefactionem accipiẽt, eandemq́ue facilè repoſitam Aquæ addẽt, incumbente tum maxima ſemper vi Sole, locaq́ue eadem vehementer premente, nec vllo ſe curſu ſubtrahente Solibus Aqua, quin tota, recepto calore ex humoris facilè ſui, vaporumq́ue de limoſo ſubtus ſolo, corruptione, putrefactionem interdũ inſignem incurrat, aut certè potui nocentiſſima ſæpe, peſtilenſq́ue fiat.

Huiuſmodi Aquæ hauſtus vel vnicus interdum ingentem ſæpe noxam bibentibus attulit, infarctis viſceribus, humoreq; in venenoſam quaſi materiam corrupto repletis, auctóque inprimis liene, quẽ hoc maximè potu Hippocrates tumefieri ſolere ſcriptum reliquit. Nec minùs deijci appetitus viſus eſt, offenſo ventriculo putrefactæ materiæ acceſſione; & ſanguificandi interdum facultas imminuta inſignem læſionẽ tuliſſe animaduerſa, inuecta intemperie, qua non ſolùm imbecillior, ſed qua corruptior ſanguificatio reddatur, plurimumq; ita malorum ſuccorũ generetur: vt Authores ſint, intẽpeſtiuo talis Aquæ potu ſubortam nonnullis aquam intercutem cœpiſſe; innumeros autem febres, & eas quidem putredinoſas maximè, incurriſſe.

Cauſæ dictæ ac rationes, quamobrem Aqua in vniuerſum omnis, plùs, minùs, quoquo tamen tandem modo, decoqui debeat.

CAP. XVI.

ET hæc quidem de Aquis, quarum in potu vſus, nec ſanè minùs ad culinæ in coquendo officia. Illud ad extremum admonuiſſe operæpretiũ fuerit, quærentibus ſæpe multis, Num præſtet Aquas decoquere. Et negantibus alijs, quòd tenue multum ex decoctione abiens pereat, remanente craſſo: alijs placuiſſe video nonnullis, Plinióque ante omnes, qui in cõmune protulerit, (Natur. hiſto. xxxi. c. iij.) omnem decoctam vtiliorem eſſe; & vitioſæ Aquæ remedium tradiderit, ſi ad dimidias partes decoquatur: tum verò Neroni Principi inuẽtum id adſcripſerit decoquẽdę Aquæ, quod multo antea tamen ſcriptum reperiri ab Hippocrate potuit. ὕδωρ ἀφεψηθὲν, inquit, (Epidem. vj.) τὸ μὲν ὡσ δέχηται τὸν ἠέρα, τὸ δὲ μὴ ἐμπλεονεῖναι, καὶ ἐπίθημα ἔχειν. vti non modò decoquere Aquam iubeamur, ſed id prẹtereà quonam peragendum ſit nobis modo doceamur. quanuis non id vnum Neronis inuentum dixerit, ſed vitro demiſſam in niues refrigerare: to tum hoc vt intelligeremus ſimul decoquere, & refrigerare. Quod an ante Neronis tempora tribui cuiquam inuentum poſſit, non ſatis legiſſe memini. Cæterùm ſi vitioſas Aquas ad dimidias partes decoquendas eſſe conſulit, idq́ue de recepto iam ea in re vſu ſcripſiſſe illa par ſit: non omnino male, vt

lè, vt arbitror, iudicabimus, multas insuper decoquendas nobis proponi, dimidijs partibus minus, quarum videlicet minus quoque deprehēsum vitium fuerit. Et vitiosæ quidem, quales Palustres diximus, stagnorumq; resides prorsus quasdam in eodem, & collectitias, suis se statim notis signisque detegunt, coloris, odoris, saporis; quarum lōgior omnino esse decoctio postulet. Minoris decoctionis egebunt aliæ: at alicuius tamen omnes, quando non paucæ reperiantur, quarum irreprehensus color, odor, sapórque; & cruditatis tamē insignis cuiusdam vitio damnentur. Has veterum vocabulo Græci, ἀτέραμνα ὕδατα, καὶ ἀτεράμηνα, ex argumento vocant, si Galeno credimus, quòd leguminum quorundam more, quæ decoctione domuisse non facile sit, ipsę pariter indomitæ persistāt: aut quòd (vt quotidie experimur) incocta his legumina nūquam, longa quanuis satis coctura, emollescant. Quo potissimùm experimento in his, in quibus triplici illo sensuū, quos diximus, iudicio solummodo vsi facilè deciperemur, nec sine noxa aliquando bibere liceret, Aquarum bonitatem probamus. Quæ si indomitæ ita ipsæ repertæ fuerint, vt indomita itidem, nec emollita satis legumina nobis reddant: indubitatè decoctio his debebitur, nec exigua illa quidē. Nam si inter decoquendum, longiusculo interdū quanuis (vt factum sæpe animaduerti) tempore, nondum tamen rectè coc̄turam suam accepêre legumina; neaquam quidem ipsam accepisse satis, longioréque indigere decoctione, credibile fuerit. Bonitatis indiciū in Aqua, si, quæ incoquuntur legumina, emollescāt. nondū emollita sunt: ergo ne bonitas quidē accessit Aquæ.

Experimentum aliud ex Hippocratis oraculo illud iam dictum, antequàm bibamus, (de his enim experimentis loquimur: non quæ cum experientis periculo noxaq; sæpe non leui fiunt) si calorem citò & frigus concipiat Aqua, vt huiusmodi saltem quæ inuenta fuerit, innoxiè indecocta, tutóque bibi queat. Crassitiæ hoc cruditatisque, secúsve, experimentum; quemadmodum prius illud cruditatis tantummodo cuiusdam. Sed quantum nobis erit citò illud? duarum'ne horarum, aut horæ potiùs? Itaque comparatione solummodo inter se duarum intelligi id posse videtur, excalfactis pariter vtrisque, aut æquè refrigeratis, vtra citiùs incalescat, frigescátve. Esto: statuamus semihorę nobis spatium, intra quod id fiat, aut fieri certè incipiat. An non aliquando inueniri aliquam posse credendum est, in qua idem citiùs contingat? Posse, credendum, & quidem sæpe. Ita prior illa alia, quæ seriùs in calescet, aut refrigerascet, & quam, quòd in comparatione alterius victoria huius fuerat, omniū optimam iudicaueramus, iam nouæ huius inuentæ bonitati cedet, & decoqui omninò aliquatenus deposcet, vt perfectior euadat. Hoc pacto, atque hac ratione, ne hæc quidem, perfectior existimata, decoctionis se legibus ex toto subtrahet. Quòd si hæc, (quod quidem ad sensus iudicium, signorumque ac notarum, Aquarum bonitatem indicantium, examen attinet) optima, bonitatisque numeros omnes implens, decoctionis tamen remedium aliquo tandem pacto admittere cogitur: paucissimæ certè erunt, quæ non admittant: quæ verò non concalefieri quoquo modo ad refrigerationem citiùs meliusque acquirendam debeant, nullæ. nullæ nanque, quantunuis omnium laudatissimæ, si refrigerari ritè debuerint, non antè concalefactæ meliùs refrigerabūtur. At hinc iam decoquendi initium, vt ipsa quoque ex parte aliqua necessaria hîc decoctio ostendatur.

Et sunt reuera Aquæ, quas de notis indicijsque suis, atque etiam experimentis, damnare nullatenus possis, potu tamē noxias persentias: vtpote, quas nec cruditate improbandas habeas, quam leguminū incoctio deprehendat; nec crassitie, quam calefactionis, aut refrigerationis celeritas: & sola quadam peculiarique, ac nullis sæpe notis manifesta, qualitate, si bibantur, damnosæ reperiātur, frustrante nos quandoque duplici quoque illa dicta experientia, qua nihilominùs tam sæpe alias multas, certo propè quodam indicio approbari nouimus omnes. Has quoq; igitur ipsas, quæ signis quandoque omnibus, atque experimentis, priusquàm bibantur, tentatis bonæ videri possūt, neq; sunt tamen; præstabilissimum certè tutissimumque semper fuerit, decoxisse, anteaquàm periculosum bibendi experimentum adeamus. Quòd si has optimas visas quoque: nullę iam penitus decoctionis vsum subterfugient, damnatis ante omnia Aquis vtilioribus faciendis institutum primò quidem, sed & reliquis omnibus non inutilem futurum, ob dictas iā causas: si modus tamē adhibeatur, q maiorē minoremq; malitiā, indicijsq; suis magis minusq; manifestā, cocturæ semper proportione æquaturus sit, atq; etiam notis interdum nullis manifestam, securū tamen nobis potū præbiturus: vt, si hoc non fecerimus, nostro aliquando damno ac periculo, nocumēti aliquid incurramus, aut degrauato vētre, aut inflato, aut fluctuante ex longiore ibi Aquæ mora, aut aliter affecto. Atq; ita effatū id superiùs recitatum Plinij approbabimus: Omnem vtique, inquit, decoctam vtiliorem esse cōuenit. Sanè

nè vel quæ optima aliâs apparuerit, vt coctụræ alicui subijciamus, non quidem tam excoquentes, vt apertè vitiosas; sed leuicula sępe quadam decoctione castigãtes, nihil iam veriti, quod illi, quo minùs decoqui Aqua omnis deberet, afferebant, ne tenue exhalet, maneat crassum. Non enim, quod in multis alijs euenit, quorum terrea magis, densiorque, ac compactior substantia, vt subdito igne crassescant; idem in Aqua fit, quę euaporârit potiùs tota, quàm corpus decocta contrahat, densétve: neque tenue est Aquæ, quod exhalat tunc, sed tota est Aquę substãtia, quæ in aërẽ abiens absumitur, abitura ita vniuersa, si decoctio pergat.

Intereà separantur decoctionis calore partes, & terrestres quæ insunt, (insunt autem omnibus necessariò plus minus, sed nõ eæ, quibus crassescere coquẽdo Aqua possit) separatæ subsidunt, qualitatesque fugantur extraneæ. Commixtis nanque sæpe diuersorum inter se generum substantijs, quæ Aquæ naturam inficiunt, sensusq; nostros, ob minimarum mutuò particularum commixtionem, fugientibus, ignis demum eæ vi segregatæ, inter bulliendum quidem subsiliunt, concurrentesq; miscentur, ac remiscentur confusaneè in omnem Aquæ partẽ agitatę, donec abeũte calore subsidãt terrestres magis, relicta suprà Aquæ substantia in naturę suæ tenuitate, ac leuitate.

Tantus est autem decoquendæ Aquæ vsus, vt vel maris ipsam, cuius salsedo naturalibus atq; inuariabilibus causis constat, exẽpta tamẽ ipsa salsedine, decoctio potari idoneã, & salubrẽ Aquã faciat, ad hosce interdũ vsus non inutiliter accõmodatam.

Excalfactæ Aquæ refrigeratio maior. Refrigerandæ Aquæ rationes diuersæ, operculatis, non operculatis vasis. Dein addita deprehendendæ leuitatis in Aqua, cùm aliter, tum ex statera etiam, ratio.

CAPVT XVII.

HAec sunt parandæ ad potandũ Aquæ commoda ex decoctione, seu frigidam, seu calidam potaturis: alia ad refrigerandum, vetere & subtili inuento, quæsita ex contraria qualitate maiore refrigeratione: neque id absq; ratione, vt quidẽ Philosophi docẽt, quæ nihil aliud est, quàm acquisita ex decoctione tenuitas, accipiendæ citiùs ac per omnes partes meliùs frigidæ qualitati lõgè opportunior. Negat se scire Galenus, quicquam'ne referre existimãdum sit, inter decoquendum extrinsecũ aërem recipiat vas, an non recipiat. Sic esse opinor, ad vsum quidem aliquem, quũ potus tantùm commoditates quærimus, nihil aliud: at idem colori fortasse Aquæ gratiæ aliquid addiderit, si excipiat, sed clarum atq; illustrem. Author idem certè, in præparatione emplastri ex lithargyro, in decoquẽdo fugiẽdũ tenebrosum circũ aërẽ, monet: id enim plurimùm ad emplastri albedinẽ puriorẽ conseruandam facere. Sed hoc, vt diximus, vsum non tangit, elegantiã tantùm adfert.

At decoctam iam quũ refrigerare cupimus benè frigida opus habentes, tum verò vel maximè retulerit, operculato nec'ne id vase fiat, captata ratione, cuius à Galeno admonemur: & sequutus illam Hippocrates videri possit, verborũ ambiguitate ea, quibus modò excipi aërem, modò addito operculo relinquendũ intus vacui quoque aliquid iubet, pro diuerso semper refrigerandi Aquam modo. Alexandrinorum & Aegyptiorũ olim quidẽ mos, quem hodie bona pars sequimur, apertum omnino vas exposcit, suscipiendæ meliùs circumambientis aëris frigiditati, quam post decoctam figlinisq; vasis impositã vesperi occidente Sole noctis beneficio captare soliti essent, suspensis per fenestras, obuersisq; in ventũ vasis, tum manè ante Solis ortum demptis, humiq; repositis frigidiore loco gelida priùs aspersa, circundatisq; vndiq; frigidioris tẽperamenti herbis, quibus concepta nocte tota frigiditas diutiùs Aquæ reseruaretur. Eadem refrigerãdi apud multos ratio, sub dio per noctẽ aperto cœlo, quo roris quoque aliquid, si sudum fuerit, cõcipiat; magisq;, si per cados ab imo in latissima superiùs spatia excrescẽtes disposita Aqua plus quoq; excipere roris queat, non magno sanè ad salubritatẽ vsu: quãuis nec momenti inde multum ad insalubritatẽ, longè semper exuperãte Aquę substantia. Subtilior alius refrigerãdi modus, quum demissis in niues vasis, aut in altissimos puteos demersis penitus, necessarioque ideo, ne illabatur aqua, operculatis, multũ vt supersit intus spatij, ad capiendũ aërem, vacui, curamus, deducta in hęc ab acescentibus vinis ratione: in quibus, quo plus intus aëreæ vacuitatis, depletumq; vas magis, aut negligentiore cõmissura reflante operculo, aut non ex densa satis materia facto, quæ excludere aërem in totũ valeat; sic in promptu semper magis acor, refrigerata contigui aëris frigiditate vini substãtia. Qui quo maior, magisq; cũ extrinsecus ambiente aere communicârit, cùm ipse qualitatis suę in maiore quantitate efficacia maiore, tum foris ingruentis semper alterius cõmercio adiutus, validior semper ad refrigerandũ redditur. Ex refrigeratione aũt nimia acor proculdubio in vino: vti iam ijsdem rationibus, quoties quidem cooperuisse necessariũ fuerit, demersa in profundum puteorũ vasa,


frigiditatē addere Aquę insignē hoc pacto liceat, si vacui satis inter Aquæ superficiē, summumq; operculum interfuerit: hocq; demum Hippocraticum illud sit, τόδε μὴ ἔμπλεον εἶναι, κὴ ἐπίθημα ἔχειν. Hęc de Aquis dicta ad salubrē vsum satis sunto. Nam alia, quæ multa dici de his, neq; tamē tractatum hîc valde iuuare posset, quorsum attinet referre? per hęc, quę dicta fuêre, examinari cuncta propè Hippocratis reliqua, Authorūq; multorū plurima, dispersim de Aquis scripta, transferriq; in considerationem hanc à diligentioribus non magno negotio poterunt. Nos necessaria, vtiliaque maximè visa prosequuti sumus.

Illud tamē ad summam profecerit in extremo additū: Inter experimenta de Aquarum bonitate, dixisse meminimus de pondere, vt leuior præferretur: incertumq; id, & inconstans narrauimus, quòd frustrari nos in eo, quantumcunq; diligēter id muneris obeamus, contingat, nunquam, aut perquàm rarò inuenta in statera, si vtranq; metiti rectè fuerimus, leuiore. neque enim rerū pondusculа tam sæpe minuta captari ratione vlla ritè posse. Inuenio tamen Authores ex Arabibus excogitâsse, qua id demum ratione assequeremur. Accipere nos iubent pannos lineos laneósve duos, exquisiti ponderis eiusdem, aut gossipij etiam pondera duo exactè eadē, quæ duabus itidem Aquis, quarum facere periculū statuerimus, pariter, ijsdemq; temporū momentis, madescant: cura deinde adhibeatur, vt simul extracta, nullo facto loci temporisve discrimine, ad siccandū reponâtur: vtrius Aquæ pannus, aut gossipium, exiccationem priùs acceperit, eam leuiorem esse, & vtiliùs bibendam nobis proponunt, haud dubia ratione tenuitatis maioris faciliùs euaporatæ. idem deprehendi & statera poterit, impositis trutinæ lancibus pannis, si momenta in his ponderum notata considerentur, vtrò vergant.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DECIMVS OCTAVVS.

Obsonatricis Artis officium quousque progrediatur, iuxta Salutaris artis finem.

CAPVT I.



PRoxim' erit hinc ad Obsonatricis Artis officia trāsitus, intactæ antea, ex Artis legibus, quod sciam; promissęque non semel à Galeno nobis, nūquam autem præstitæ; Medicis quidem omnibus hactenus inaccessæ, cōtemptu'ne, an negligentia, an vtroque, non facile est iudicare. Nam difficultate rei perterritos abstinuisse quis credat? quum longè maiora aggressi perfecerint. Res est hæc in aperto satis posita, vt, tradita priùs alimentorum materia omni, nō admodū futurū esse difficile videatur, Obsonandi quoq; Artē abhinc tradidisse, quādo hęc materia illius sit, nihilq; aliud, quàm præparationis cuiusdā cōpositionisq; in hoc ratio certa exigatur, materiæq; inconditæ, atq; incompositæ, superuenientis ab Arte formæ ratio, quæ veluti compescitā, ne vltra modū, præfixasq; sibi metas euagetur, ad vitæ humanæ vsum teneat. Hoc nemo, vt dixi, ante nos attigit: vel, quod veriùs dixerim, eorū, q attigêre, (quos nō paucos anteactis seculis omnibus fuisse nō dubito) scripta opera non peruenêre ad manus nostras, vt his hoc tempore iuuari possemus. Nā libellus, qui circunfertur de re hac Platinæ Authoris, titulo De honesta voluptate, dapū totus fermè & ferculorū est, parandorū, varieq; in mensarū lautiorū vsus concinnatorū: Salubris artis nō sanè admodū est. quod nos hoc loco faciemus, vt Artē adhibeamus, non Culinarū ad luxū & voluptatē, sed hac longè potiorē & vtiliorē, cui meritò Culinaria & voluptuosa illa pareat, vel summi Philosophorū omniū iudicio, qui rationibus manifestissimis asseclam hanc & famulatricem verę Medicinę fecerit, ne artis quidē nomine dignatus, ac peritiā tātùm quandā, studiumq; inartificiosum appellans adulationis, siquidem voluptatē tantùm sequatur. Nos sicuti sociā huic ex altera parte Fucatoriā, quæ fucum faciens apparentem tantùm pulchritudinem sectatur, & pessimo mangonicæ peritiæ studio, minimè solidū verumq; robur quærit, ad verioris Medicinæ opera non admittimus: ita ne Coquinariā quidem hâc admittemus, nisi Artis nostræ legibus coercitā, vt nobis ad sanitatem hac in Medicinæ parte conseruandā ancillās inseruiat: atq; vt vero Gymnastæ Pędotriba, & Māgo; sic nobis Coquus, ministrique ea in re omnes pareant, iussaq; semper

noſtra expectēt, ne quid temerè ab his in opere cōmiſſum, opus noſtrū, quod tuendæ in aliquo fortè ſanitatis molimur, intēpeſtiuè quādoq; interturbet, vna tātùm ſemper captata ab his, qui iſta ſectantur, voluptatis cōmendatione, nihil intereà de Sanitatis tutela ſolicitis. Neq; tamē tā ſumus Cynici in hoc, vt Diogenis more crudū Polypū deuorādum apponamus, ne obſoniū ex hoc fiat; aut moroſi, difficileſque quidā, vt duorū æquè ad ſanitatē cōmendabiliū, iucundioris gratiǵ; magis ſaporis alterum libētiùs cōceſſuri nō ſimus, nimirū ad ſanitatem quoq; cōmodiùs id facturi, non ſolū in ſumētis gratiā; quādo, quod gratius & ſapidius ingeritur, acceptius id quoq; ventriculo cōtingat, amplexeturǵ; libētiùs, & faciliùs atq; expeditiùs cōficiat; futurusǵ; ideo ſit rectè tractāti Obſonatricis artis ille vel præcipuus vſus, gratiā dapibus ex ſaporis iucūditate quæſiuiſſe, vnaǵ; cōmēdationē ad Sanitatis rationes addidiſſe, cuius reſpectu fieri diciǵ; à Medico debēt omnia, vt Platonis illud diuini ſemper Authoris dictū cōprobemus ſub Eryximachi Medici ꝑſona: ὥσπερ ἐν τῇ ἡμετέρῃ τέχνῃ μέγα ἔργον ταῖς περὶ τὴν ὀψοποιητικὴν τέχνην ἐπιθυμίαις καλῶς χρῆσθαι, ὥστ᾽ ἄνευ νόσου τὴν ἡδονὴν καρπώσασθαι. quo videlicet nobis in eo non parū elaborandū ſemper eſſe ſciremus, vt voluptatē ex Obſonatricis artis delicijs quæſitā eiuſmodi fructus vſu moderaremur, ne quid vnquam intereà ſanitas detrimenti acciperet. Quod ſequutus Galenus, eouſq; ꝓgrediendū in obſonādo, cōdiendoǵ; eſſe conſuluit, dū cōcoctio iuuetur gratiore ſapiditate: vltra id, mali illud officiū eſſe Coqui, qui intempeſtiuis condimentis & opſonijs, ac veluti ſcitamētis quibuſdā hoc in negotio, cruditatum multarum cauſam det, tantum abeſt, vt concoctionem iuuet.

Opſonatricis Artis ſignificata, & Opſonij. Ac cuius potiſſimùm gratia inuenta ſint Opſonia, & quis illorum vſus.

CAPVT II.



ψαρτική, καὶ ὀψαρτυτική nobis Obſonatrix erit, ſiue Obſonatoria, ars parandarum ritè, rectaǵ; ſemper ad ſanitatis vſum cū ratione, dapū. Qui ad voluptatem tātùm parāt, eorū nō ſanè recta ratio eſt, neque ritè id ab illis fit: ideo ne artis quidē nomine cēſetur Platoni, Artiū enim ꝓpria ratio dicitur: ſed ἐμπειρία, experientia, atq; peritia eſt, & artificio vero carens ſtudium. Idem Galeno (De facul. alim. ij.) viſum. οἱ τὴν ὀψαρτικὴν ἐμπειρίαν ἀσκήσαντες, inquit.

Nomen ſortita eſt à Græca voce ὄψον, qua, quicquid præter panē & vinū, mēſis imponi ſolitū ſit, continetur. Coctū quidā voluêre ignis opera: nos inuenimus cruda nō minùs multa, quæ ſæpe ex rebus ſimplicioribus, modò pluribus quoq; in vnū venientibus confiunt, Opſonij nomine ſignificari ſolere. Galenus pro Obſonio habuiſſe viſus eſt Colymbadas, ſimpliciſſimā rē, ex muria tantùm ſua, quas variè parari ſolitas fuiſſe ſcripſerit ab Obſonatricis experiētię magiſtris. Atq; multo ante Galenum Plato (De Rep. ij.) ſalē, oliuas, caſeū, bulbos, olera, inter obſonia habuit: ὄψον quidē appellauit. Rurſus alibi cepas, alliumǵ; Galenus, ſion, fœniculū, & huiuſmodi, inter obſonia recipi poſſe ſcripſit. Nuſquam manifeſtiùs cognoſcas ex Authoris huius quidem ſententia, nō ſemper ignis operam exigere obſoniū ad cocturā, quā de iuuenis hiſtoria ſtudioſi illius narrata, (De facult. alim. j.) fœnugreci, lupinorumǵ;, & eruiliæ, & phaſelorū obſonio, toto quadriennio vſi, ac nunquam intereà accēſo, quod propoſitum illi ab initio fuerat, ad culinæ opera, igne. Proprio tamē magis vocabulo ignē experta edulia, excepto pane, Opſonia erant, atq; inter hæc piſces inprimis. πάντων τῶν παροψημάτων ὄψων καλουμένων, ἐξενίκησεν ὁ ἰχθὺς. ait (lib. vij.) Athenæus, quum omnia Opſonia vocarētur, etiā παροψήματα ipſa, hoc eſt, Opſoniorū additamēta quædam; obtinuiſſe piſces, vt Opſonia peculiariter vocarētur. Vnde ὀψοφάγοι dicti, piſciū heluones, quū carniū appetētiores nō ita rectè atq; ex vſu dicerētur, ſed κρεοφάγοι potiùs. Inde certè ὀψάρια frequēter legas in Græcis Authoribus pro piſciculis, quaſi Opſoniola: & piſciculi minuti illi Terentiani paululum Opſonij erant, nēpe opſoniolū. Caſtus aūt Terentij ſermo eſt, vt adulterari ſe nō ſinat valde loquēdi improprietate. Quin κρόμμυον ποτῷ ὄψον dictum Homero, (Iliad. λ.) interpretātur ποτικὸν ὄψον, pro Opſonio ſiti prouocādæ accōmodo, quoties præmādaretur: vt quæſita primū ex Opſonijs irritamenta tantummodo gulæ quædam intelligeremus, ad famem ſitimǵ; excitandam, ſi fortè torpere nimis viderentur.

Cæterùm, quod paulò antea dicebamus, repetēdū hic, ad Sanitatis ſemper ſcopū reſpiciendū eſſe Medico, vt ſi in huius facturā eſſe vſum videbūtur, lāguentēǵ; interdū plùs iuſto, aut ꝑternaturali quauis alia de cauſa deiectā, corruptā've cibi potusǵ; appetentiā, excitatura, reiecturi ſanè nō ſimus Opſonia, libenterque potiùs cum Platone neceſſaria & vtilia ad vſus hoſce adhibituri in tēpore, atq; ex Arte. Multiplicē verò variúmque, quod non ignoramus, horum in multis abuſum nec nos quidem probabimus: nec primitus inuenta in id fuiſſe

credemus, vt aut luxus inde quæreretur, aut gulæ tantùm blandimentis inseruiremus, aut multis interdum nũmorum millibus obsonaremur, sumptuosa tãtùm ostẽtatione ad decoquendum; vel etiam voracitate interdum nimia satiatam ingluuiem, & demortuam gulositate nimia appetendi facultatem, nouis obsoniorum blandimentis atque irritamentis exuscitaremus, in sanitatis semper, vitæque paratissimum inde sæpe detrimentum, naturæque vnà insignem cõtumeliam, quę necessarijs, & vtilibus sustentanda est, non superuacaneis oneranda. Longè minùs gruis nobis, vt Philoxenus, collum optabimus præter naturam, quo frui diutiùs gulosa illa voluptate liceat: ac contenti linguæ palatiq; gustu sapidiore, demittemus in stomachũ ea gratia concoquendũ meliùs cibum.

Huc pertinuisse Obsoniorum olim inuentum arbitror, quod nos quoque sequemur: inuectam deinde corruptelam, & introductos abusus damnatos à prudentioribus, relinquemus gulæ proceribus, heluonibusque, ac decoctoribus, vt quod ὀψὲ demum, ac postremùm in prauum vsum venerit, suum illis ὄψον permittamus, siquidem sequi hoc maluerint. Nos omnium primum, in Sanitatis tantùm gratiam repertũ vsum retinebimus, ὄψονque dictum, quòd ὀψὲ, sero diei, vesperique scilicet maximè obsonarentur, non rectè minùs, vt opinor, arbitrabimur: nisi ὄψον dictum putemus, quasi ἑφθὸν, vel ab ἕψειν ducamus, quòd maxima pars elixatione constet: vtemúrque vt opsonio decet, minimè se ingurgitantes eo, aut ligurientes, ac, quàm pane, parciùs. Ceu appendix enim, & additamenti potiùs cuiusdam loco ducendum Opsonium est, vtilis quidem semper, sæpe autem necessarij; nunquam tamen panis esum superaturi, ac multo infra, si rectam sequi voluerimus rationem, substituri: ne quis demum Socratis nobis illud obijcere meritò possit, si, quod facere multos videmus gulones homines, Opsonijs tantùm vescamur, vix attingentes panem, atque vt ille eleganter atq; appositè, cùm immodicè Opsonia, præcepta aliorum parte, absumentem vidisset, τίς ὑμῶν, dixit, τῷ μὲν ἄρτῳ ὡς ὄψῳ χρῆται, τῷ δ' ὄψῳ ὡς ἄρτῳ. verissimè de his vtrunq; dictum. Pane, vt Opsonio deberent, vtũtur, qui de pane parũ, de Opsonio multum edũt; rursus Opsonio, vt pane, nimirum Opsonio largiùs, quod in pane debuerãt, vsi: cõuersa vtrobiq; ratione, & in panis vsum Opsoniorum inuecto.

Quid Condimentum, quid Opsonium sit: & in quo differant. Condimenti ratio præcipua, & Opsonij. Tum coniunctæ horum simul rationes, & exempla.

CAPVT III.



Coniũcta cũ Opsonijs Cõdimentorum ratio est, Græcis ἡδύσματα, & ἀρτύματα, siue ἀρτύσεις, non magno discrimine: sique fusius illud, qđ supra attulimus, Opsonij significatum retinuerimus, nullo, quo hæc quoque ipsa continentur Condimenta.

Distinguere tamẽ, qui voluerit, poterit, vt discrimẽ appareat; prętertim verò, quũ Platoni visus sit Homerus nusquam Condimentorũ meminisse, quẽ suprà ostendimus κρόμμυον ποτῷ ὄψον dixisse. Opsonij igitur meminerit, Cõdimenti nõ meminerit, tanquã rei diuersæ, ac paulò delicatioris, pauloq; maioris luxus. Vtiq; obsonantur apud illũ Heroes interdũ, nullo, cuius ille meminerit, Condimentorum apparatu, & Opsoniorũ perpauco: assarũ quippe tantũmodo carniũ sæpe inter Opsonia exhibitarũ. ὄψον ὀπτὸν Aristophanes quidem dixit. Omnino Obsoniorũ plurimũ exhibere alimẽti potest, & maxima certè pars exhibet, quęcunq; frequẽtissimo vsu Opsonia vocamus, & in ferculorum apparatu eduliorumq; multorum versantur; tum si qua ab horũ natura recedũt, nec parum tamen adhuc alimẽtosæ facultatis seruant. Quod in Cõdimenti ratione minimè necessariũ, quæ nihil, aut parũ, minusq;, quàm Opsonia, alere, & Cõdimenta esse facilè possũt. Id vel maximè in his, quæ acri sapore prædita in vsum mensarũ veniũt, animaduersum notabitur: ea ob medicamẽtosę plerũque facultatis vehementiã deputari cũ alimẽtis haud poterunt, pro Opsonio tamen haberi multa possũt, pro Cõdimento solo multa. Ita enim de his tractãs ait (De simp. medi. fac. iiij.) Galenus: καὶ διὰ τοῦτο πολλοῖς ἐξ αὐτῶν ὡς ὄψῳ χρώμεθα, πολλοῖς δ' ὡς ἡδύσματι μόνῳ. pro solo, inquit, cõdimẽto: clarè satis ex hoc ostendẽs, minus esse in Cõdimenti ratione alimẽti, plusculũ in Opsonij. Acria, inquit, inter alimenta nõ numeramus, pura quidẽ, & hoc tantùm, alimẽta, nimirũ ob medicamentosam qualitatẽ, quæ cibũ esse syncerũ nõ sinit: Opsonia tamen dicemus illorũ pleraq;, quorũ ratio cõiunctas patitur cũ alimento medicamẽti vires. Pleraq; ex his alia Cõdimenta solùm, nõ etiã Opsonia: quippe minus in his semper, quàm in Opsonijs, alendi viriũ: atq; Opsoniũ Condimentũ quoq; esse nobis poterit, non itidem Cõdimentum Opsonium. Et sanè alibi Galenus (De alim. fac. ij.) frequentissimũ esse vsum anethi in Condimentis scripsit, fœniculi etiam in Opsonijs: scilicet vt in Condimentis quoq; intelligeremus.

Scimus

Scimus autem longè acceptiorem gustui esse fœniculi quamcunq; partẽ, siue semẽ, siue accipere herbam velimus, quàm anethi: eóque alimenti quoque plus continere, vt pro opsonio esse possit, & condimento. Anethum autem pro condimento tantùm, bonam sanè partem condimenti ex iure albo hoc facit.

Itaque, quemadmodum in aliorũ omnium examinatione, ita hoc quoq; loco faciendum, vt Condimenti potissimùm ratio in his spectata consideretur, in quibus inuenta simplicissima fuerit, quæ nihil aliud est, quàm adornare, præparare, condire hoc ipsum scilicet, nobis quidem ad sanitatis cõsiderationem, Opsonia: edacibus & cupediarijs, ad luxum, & voluptatem. Huiusmodi acetum quoque inprimis est, quod Attici olim Condimẽtorum omnium instar habuisse videntur, salis obliti, cui omnium consensu primæ ac præcipuę in hoc partes debeantur, licèt de hoc paulò pòst dicendum sit. Opsonij autem ea præcipua ratio, vt panis inprimis, vinique, ac potus rationem iuuet, quæ alimenti est. itidem ad sanitatẽ nobis, alijs ad cupedias.

At miscentur sæpenumero rationes hæ in eodem simul, vt in alijs omnibus plerunque fit, vbi contrariæ quoque facultates materiam interdum eandem occupant. Idque in plantis vsu sæpiùs venit, vt hîc quoque cùm in alijs multis, tum in cepis, quæ exempli tantùm causa hîc afferuntur, dictæque ab Homero fuêre ποτῷ ὄψον. at eędem non vini tantùm potúsque, sed & panis cibique Opsonium fuerint, si solis his, vt rusticana sæpe plebs solet, cum pane vescatur aliquis; prætereque etiam Condimentum ad multa egregium, si materiæ, cui adhibebitur, ratio id exposcere visa fuerit. Caseus eodem modo & Opsonij, & Condimenti, diuerso vsu, vires præstiterit: Opsonij, cum pane vnà mansus; infriatus dapibus, Condimenti; aut aliâs Condimentorum reliquorum mixturæ additus. iuxta Lacedæmonij illius rationem, qui emptũ fortè piscem quum præparandum cauponi dedisset, posceretque ille ad præparationẽm caseum, acetum, & oleum: atqui (respondit) non erat mihi emendus piscis, si hæc habuissem: id sibi volens tunc, opinor, non se Condimentum ex caseo, alijsque illis, sed Opsonium tantummodo ex pisce quærere, cuius defectu ex caseo opsonium sibi facere non minùs posset.

Condimenti diuersitas & Opsonij, ex constitutione, & qualitatibus alijs. Aceti in condiendo præstantia. Et quàm multis imperet tuendæ Sanitatis præfectus.

CAP. IIII.



Omina tradidimus, horumq; ceu cõmunes vnà omniũ notiones Opsonatricis artis, Opsonij, Condimenti, cui Intinctus addi, & Infriatus, & si qua alia Cõdimentorũ rationem ingrediuntur, poterunt. Nunc propiùs accedendũ, & singillatim tractanda quęque: si tamen paucula priùs quædã in cõmune de his dixerimus, faciliorẽ ad reliqua ingressum prębitura.

Obsonij rationem sitam in alendi viribus esse, quasi succenturiatam pani, vel auxiliatricem potiùs, dixisse suprà memini: at alendi hæc ratio in Opsonijs ferè solidioris cuiusdam substantiæ est, vt exposcere cibus videtur, non secus ac humorem potus. Hinc planè fit, quoniam Condimenti ratio Opsonij semper rationẽ iuuat, (in id enim omniũ primũ inuentũ Condimentũ, vt qua par, æquumq; videretur futurũ esse, præpararentur Opsonia, & idipsum, quod dicitur, cõdirentur) contraria quadam ratione liquidioris ferè substantiæ cuiusdã vti iam Condimentũ esse meritò debeat. Quũ enim, si qua ex parte æquis alimẽti rationibus nõ respõderint Opsonia, quæ solidioris fermè semper obtinere aliquid diximus, ea ex parte emendanda, deducendaq; eò cõdiendi auxilijs varijs sint: constitutio primùm cõtraria omnino ad id requiretur, vt siccitas fortè nimia duritiesq; Condimenti primò alicuius liquore tollatur, tum castigentur reliqua. Ita sanè quemadmodũ humidũ, siccumque, quoties in vnũ miscentur, mutuo auxilio siccandi atq; humectãdi, cohibendiq; fluorem ex siccitate, & hoc ipso fluore siccitatem mitigandi, constitutio optima existit, & iuxta Empedoclem ἄλφιτον ὕδατι κολλήσας glutinum facit: non aliter ex Opsonio & Condimento præparatio optima sequetur. Verba Aristotelis, (Meteor. iiij.) quæ hoc ipsum persuadeãt, sunt: ἐπειδ' ἐςὶ τὸ μὲν ὑγρὸν εὐόριστον, τὸ δὲ ξυρὸν δυσόριστον, ὅμοιον τὶ τῷ ὄψῳ, καὶ τοῖς ἡδύσμασι πρὸς ἄλληλα πάσχουσι.

Proinde iure, quod antea diximus, veterum authoritate Aceto multa insunt, quæ Condimenti numeros omnes impleant: cõstitutio hæc ipsa primùm, coniunctaq; cũ hac tenuitas insignis, qua cũ penetrare in omnẽ opsonij partem, secũmque eò qualitates suas deferre; tũ alia permulta ad condimenti rationem deducere queat, vt semina, herbulas, radices, succos, aromata; quæ per se nihil, cum aceto autem, aut alio tandem aliquo liquore simili, condimenti plurimum exhibere semper soleant, fœniculum, anethum, sion, cuminum,

num, caros, sinapi, origanũ, menta, sisymbrium, & id genus: vt non immeritò id omnium maximè Condimenti nomen naturámque susceipiat, quod ipsum per se tale maximè, atq; inprimis est, & alia facere talia potest. Nã Sal, condimentorũ omnium potissimum atque optimum, nisi quoquo modo eliquatus, cõdimenti opus non præstat. Sed illud quoque prætereà Aceto inest, quod perpaucis alijs huiusmodi liquoribus, ex quibus condiri opsonia queant, frigefaciendi egregia inprimis facultas, tum calefaciendi etiam quędam ex parte, siccandi autem non exigua: quarũ planè facultatum omnium multo maximus in condiẽdo vsus quotidie venit, vti opsoniorum modò crassities attenuãda, modò emollienda durities, modò contemperanda frigiditate caliditas; atque è contrario frigiditas caliditate, siccitas humiditate, humiditate siccitas corrigẽda sit. His nanque, atque huiusmodi qualitatum facultatibus, vniuersum hoc negotium absolutum perficitur Opsoniorum, Condimentorúmque, vt pro sumpturi conditione semper, ac temperamento, ad Salubritatis vsum, seruatis regulis Medicis, parentur, cum iucundi quidem quoque saporis gratia, quatenus tantùm per Sanitatis rationes liceat, vt iuuetur hæc, non vt noxam inde sentiat vllam: quod vnum spectandum nobis hoc in tractatu esse, toties iam diximus: quoniam quidem Coquis nos præscripturi leges in hoc Medicas nostras simus, non illorum staturi, vt iussa mandatáque nostra ne prætereant, nõ solùm Coquus, cuius id proprium destinatúmque munus Opsonij Condimentiq; ritè præparandi; sed & Pistor, cuius panificium; Dulciarius, cuius bellaria opus, quidamq; prætereà circum cibi salubriter concinnandi rationes versati artifices, diuisis quidem omnes inter se officijs, at cuncti subseruientes nobis, iussáque semper nostra expectaturi: vt ne Structor, aut ne Architriclinus quidem subtrahere sese hinc queat, quo minùs parendum nobis sit, quoties apponendorum ferculorũ ordinem potiorem visum nobis iussus sequi cogetur. Cæterùm id vel maximè in Opsonatrice arte seruandũ, vt dicto semper nostro audientes habeamus hosce: quippe panificij, placentarum, bellariorum, dulciarij operis simplicior ratio. Ex culina aũt (quãquam ex culina dulciaria quoq; opera plurima) multo maxima cibariorũ pars infertur mẽsę, vt nisi de salubritate eorũ prouideatur, sine dubio, magno semper sanitati nocumento futura sint, & aliorum sæpe vsum subuersura: quo planè diligentia obseruationéque maiore opus.

Quomodo accommodanda diuersis temperamentis sit Opsoniorum ratio, vt & alantur inde corpora, & temperamenti interdum lapsus reuocetur aliquis.

CAPVT V.



ERgo præcipua illa, omniumq; potissima Opsonij cõdiendi ratio, modusque: vt, quoad eius fieri potest, circũcisis inutilibus, & excessu omni, (quẽ propter nõdum iustũ, atq; in præsenti alimentũ est, ac potestate tãtùm id dicitur) conuenienti ope castigato, dulcẽ suauitatẽ illã accipiat alimenti propriã, tẽperatissimæ calorificæq; virtutis, minimè sumẽti molestã, placidoq; quodã appulsu mẽbris sese addentem, fusioneq; leni quadã, atq; miti æquabilitate molliter partes demulcentẽ, magna semper cũ ratione. Nã si tota penitus substantia cũ eo, quem alitu rũ est, conueniat alimentum oportet; placidè id leniterq; accedat necesse est. Conuenientissimũ enim fuerit vnicuique, quod minima, imò nulla potiùs, molestia, familiaritate quadã & naturæ affinitate acceptũ inũgere se per omnia potest. hoc iucũda illa suauitas pręstat, quam diximus: dulcia nanq; amica nobis, naturæq; nostræ affinia, ac familiaria sunt. Nec mellea tamen semper suauitas tãtùm requiritur, nisi res ita exposcere videatur. Quæ maior potiorq; nobis, quàm panis, familiaritas in cibo? hãc in opsonijs pariter dulcedinẽ suauitatẽq; ꝓbamus, admittimusq;, & multorũ aliorũ talẽ. Sua enim cuiq; dulcedo ex cibo, non solũ animantiũ speciei, sed speciei cuiusq; prætereà indiuiduis, Dioni, Platoni, Socrati: quorũ vnicuiq; sua tãtùm omni ex parte respõsura est cõueniens alimẽti natura, eadem, quo narrauimus pacto, dulcis, nõ alia. Nobis amaræ sunt salices, amaras quidẽ vocauit Poëta: at Capellis dulces gustãdo offeruntur, nõ enim aliter vescerentur: Socrati alia, Dioni alia. Platoni, si veterũ scripta (Athen. vij.) cõsulimus, ficus amicæ maximè fuẽre, Arcesilæ vuarũ racemi, Philippo & Alexãdro filio mala, alijs alia: vt suæ cuiq;, qđ diximus, cõstatura sit cibi affinitas, & naturę in eo cõsẽsus, rectè riteq; obseruãti. Etiam extinctos carbones appeti solere à pręgnãtibus, etiã neti fili spurcissimæ loturę subortã appetentiã in picæ affectu quibusdã, scimus: hoc illis scilicet visum tum dulce, ac suaue. Sed hæc omnia pręternaturalia, & corrupti appetitus, pleniq;, aut resoluti vẽtriculi habẽda sunt; quũ non alimenti modo iusti opsonia, sed medicata hæc ipsa expostulat. Illud naturale maximè, pro priuato cuiusque tem-

temperamento, aliud atque aliud conueniens semper magis futurum obsonium: optimi quippe temperamenti & constitutionis homini, quod æquo per omnia temperamento sit, ac nusquam in excessum qualitatum aliarum aliquem declinet; calidioris, quod hoc ipso qualitatis excessu respondeat, alátque simul; frigidioris, quod frigiditatis: deque humiditate, & siccitate pariter. Quo tamen in negotio, excessus hi alimenti censendi minimè sunt, his quidem, qui propriè sibi & conuenienter sumpserint: quin is ipse excessus alimentum facit. Excessus dico, alijs, alimentum illi, cui aut ex manifestioribus qualitatibus, aut ex tota temperamenti eius substantia conuenerit. Ac posterius hoc vni quidē Deo Aesculapio, ac Naturæ, antequàm periculum fiat, noscendum relinquemus: nobis autem alijs, quibus recondita illa magis in aperto perinde non sunt, manifestioribus primò, inquantum fieri potest, qualitatibus quibusdam inuestiganda hæc habemus, vt, quoniam diuersissimorum temperamentorum corpora occurrunt, quo quæque modo, quóve nutrienda alimenti genere sint, non nesciamus, eousque semper artificij nostri ratione progressi, quousque hos manifestiores, vt modò dictum, qualitates illæ comitabuntur: vt vnicuique æqualis, calidioris, frigidioris, humidioris, siccioris temperamenti naturæ, suum propriúmq; alimentū tribuamus. Quibus destituti, quū promouere artificij ratione posse nō viderimus; tū deinde vsum experiētiamq; accersamus, quibus edocti opsonij conficiēdi rationē teneamus semper tamen aliquam, inque eo seruemus, naturę proprietate caseum, aut poma, aut huiusmodi multa auersanti, quanuis temperamentum interdum manifestius admittere posse videatur, ne obtrudamus tamen cogentes. Quapropter sua semper vnicuique relinquenda suauitas dulcis quædam, conuenientis ex opsonio alimenti argumentum, vt, quum nihil aliud, quàm alimento indiguerit, inanitus quippe, hoc vnum tantùm, & refici solummodo postulans, naturæ temperamentóque suo congruis vti opsonijs, condimentisque possit. Qui æquo per omnia temperamēto fuerit, hoc ipsum hac in re temperamentum æquum sequatur: qui calido, calidum; frigido, frigidum: eodem de alijs omnibus modo, siue simplicioribus, siue verò coniunctis inter se sæpe qualitatibus.

Sin non exinanitus solùm aliquis, neque ideo deperditæ solius prioris substātię instauratione opus habens, præter id, supra temperamenti sui rationē, aut excalfactum se, aut refrigeratum, aut siccum, aut humectum factum, & id genus, senserit; idq; vel per totum, partesq; omnes affecto corpore, vel immutatis oris, ventriculique inprimis, quæq; circum hæc sunt, partibus: iam huic non tantùm dulce suaueq; offeretur, gratumq; gustui, & acceptū, quod alimentum elargiturum de suo sit, opsoniū, amissamq; atq; exhalatam corporeæ molis substantiā restituturum; verùm etiam iucunda dulciáque contingent, quæcunque dissessum à temperamento naturali in diuersa immutationibus multis factum reuocare ad pristini temperamenti naturam qualitatum suarum facultatibus poterūt. Priore modo alimonia dulcis, acceptaque cibi Opsonijque: altero, remedij Condimentique opportunus vsus, suauis tamē iucundusq; magis, rectiúsque, quàm dulcis, dicēdus. nam hoc alimenti proprium veriùs: vtrunq; verò indigis sui corporibus veluti opem atq; auxilium in tempore adferens, iucundum, suaue, gratum, dulce cōtinget. Quærenda igitur tunc quoq; Opsonia, & Condimenta inuestiganda, quæ cūcta hæc præstent, quo accommodata cuiuscunque tandem sortis hominibus artificij ratione consuli omnibus possit: quæ maxima ac præcipua est optimarum artium commendatio, si plurimis vsus suos effusè prolixeq; distributos communicent. Neq; id tamen magno admodū negotio assequemur, proposita nobis temperaturarum diuersitate, quarum rationibus Opsoniorum semper rationes aptatas accommodemus, fusiùs deinde locis quasque suis, maioréque cum intelligentia, explicandas.

Condimenti rursus ratio explicata, & ostensum exemplum in igne: cuius demonstrata præstātia, & qua facere in hoc possit, quæq; item nō possit, dicta. Dictum & de Aceto, & Sale in transcursu.

CAPVT VI.

ILlud intereà tamen, quod tractationis huiusce summā omniū maximè efficit, quasique erectam cōstituit totam, exponendum priùs. Nam, quū ostenderimus, suauitatem gustus, saporisque, qualem narrauimus, dulcedinem inesse in alimēti opsonijque, (quod ipsum nihil aliud magis, quàm alēdi vsum præstat) ratione debere, quippe certū id haberi hoc in negotio cōuenientis cuique alimoniæ indiciū; sicubi reperire hāc ipsam, preter panē vinūque, sit, arripiendā esse apparet: vt quidem non pauca eiusmodi sunt, quorum gustus saporisque plerunque suauitate ingenti, cum

pane

pane simpliciter ita, neque vlla omnino præparatione, vescentes delectamur, pro conuenienti opsonio vsi: sin ipsa per se talia non fuerint, adhibendum artificium. Iámque hîc vsus Condimentorum venit maximus, variéque, & accommodè semper in rem præsentem quæsitorum. Etenim, quum longè plura sint, in quibus alendi facultas insignis qualitatibus alienis quibusdam occultata, aut etiam contrarijs sæpe impedita lateat, quàm quæ auxilij nullius indiga sponte ipsa sua venire in vsum hunc possint; ita sanè fiet, vt longè pluries, ac, si fateri verum volumus, tantùm non in omnibus, accersendum nobis Condimentorum auxilium in mensarum vsum sit, maiore tamen minoréque opera. Non enim necessarium semper, cuncta ad hoc pyxidum loculamenta mouisse: & sæpenumero simplicissima condiendi ratio satis fecerit, pro rerum semper alendi rationibus obstantium impedimento auferendo. vt in Hiucæ radice lethalis tantùm succi expressione, quæ per colum fit, reliquum molitur in farinam, in quotidiani panis vsum. Sed hoc in panificio.

Obsonia autem (vt famis condimentum interim omittam, omnium potissimum, ac paratu volenti facilimum) quàm multa, quæso, sunt, quæ ignis solummodo operam exposcunt, aut elixantis, aut assantis? Simplicissima hæc ratio, eadem & optima, qua, quæ illa indigent, ignis facilimè vim experiantur, suauiáque, & dulcia fiant; antea aut acida, aut austera, aut dura, eóque minimè esui idonea. Elementi eius natura, efficaci inprimis, citò fortiterque aliam immutatis rebus speciem conferente, & ex dissimilibus naturæ nostræ, insuauibúsque, nec edulibus, dulcia & suauia, iámque tota nobiscum substantia ad alendum conuenientia, reddente, longiore modò, breuiore aliàs tempore, pro crassitie rerum duritiéque maiore, aut minore, qualitatúmque excessu, quas aut edomare, aut contemperare igne propositum fuerit. Cuiusmodi frigiditas, & humiditas est, quas non magno negotio ignis emendet propriæ naturæ facultatibus: sicuti crassitiem & duritiem tollit substantiæ tenuitate, nihil sibi imperuium relinquens, quin cuncta attenuata frangat, atque etiam emolliat, si modus seruetur.


Idem, sed maiore omnino opera, multóque longiore temporis mora, præstabunt alia multa, calido & sicco temperamento prædita, qualitatum illarummet ope, quæ inuentam in aliquo frigiditatem & humiditatem dimouere, insipiditatémque ex his, & ingratum palato saporem, tollere contrarietatis omnia ratione queant, cuius vnius gratia ad temperamentum deducta opsonia, accepta demum naturæ nostræ, & dulcia, ex insuauibus antè, & saporum multorum vitio iniucundis, fiant: nimirum ex contrariorum inter se mixtura, temperamētóque, ita grato dulciq; nobis quæsito sapore, nulla planè alia condiendi ritè, nisi per contraria, ratione, vera quidem & legitima. Condimenti quippe natura est, vt edule ipsum non sit, facere autem aliud possit: quod non posset, nisi obstantibus alimentorum rationi qualitatibus contrariarum inuectione remedium afferret. Iccirco Condimenta, quatenus quidem condimenta, quando qualitatum harum excessibus constant, eiusmodi semper fuerint, vt esualia non sint, faciant autem alia. Sic ignis, non hac quidem tantùm qualitatum ratione, (quanquam hac quoq; vel inprimis, maximéque, quoniam potentissimæ in eo sunt) sed attenuandi prætereà, rectáque mensura emolliendi, superuacanea atque inutilia separandi, coquendi facultate edulem nobis largitur plurimarum rerum substantiam, ipse minimè omnium edulis: vel ob id quoque, quia tanquam simplicissimæ naturæ Elementum minimè etiam nutrit, quam, si quod Elementorum simplicem obtinet, ignis quidem obtinet qualitatum suarum actionibus efficacissimam, ideo & condimenti, quas quidem præstare ad condiendum ignis possit, rationibus aptissimam: vt, quæcunque tandem, quo opsonia ad vsum humanum rectè fiant, caliditatis & siccitatis, aut emollitionis, aut attenuationis indiguerint, nihil hæc igne celeriùs, aut præstantiùs perficere posse appareat; ac multa intereà futura sint, quæ non tam benè ac citò solùm, quàm igne, sed quæ nec vlla prorsus condiri, nisi ignis auxilio, ratione vnquam queant. Quæ enim vnquam, calidæ quamlibet & siccæ temperaturæ, semina, herbæ, radices, quæ aromata, duriores animalium carnes contrarij temperamenti condierint satis, vt inferri mensis ad esum possint, sola? Macerantur quidem sale sæpe multo carnes, & ceu coquuntur eo conditæ diutissimè: concisáque minutim valde Suilla, & non vno genere aromatum, cum sale plurimo, interdum odoratissimis quoque herbulis commixta, intestinorum tunicis multipliciter infarciri solet, vnde farcimina dicta. Salem accipiunt hæc, & aromatū herbarúmque vires, frigiditatéque atque humiditate sua, quæcunque temperamento eo fuerint, exuuntur, hácque ita ex parte correcta esse edulia possent: at, nisi ignis aliquo tandem pacto vim aliquam priùs sentiāt, edi commodè satis certè nequeant: rursus

ſus vt hoc loco carnium crudiuoros, qui nobis id perſuadere conentur, exortos hac tempeſtate mirari neceſſariò ſubeat, qui ſi tanto ſalis condimento, tamque diu macerata, ac penè concocta, nondum tamen in conuenientis ritè naturæ noſtræ cibi venire vſum, niſi ignis opella demum quadam adiuta, poſſe animaduertiſſent; non fuere, opinor, hæc dicturi. Etenim reuera, vt alia multa corrigere opſoniorum, aut de quibus facere opſonia cupimus, qualitates facilè poſſint, calidi, frigidi, humidi, ſicci: at cruditatem demere, craſſitiem ac duritiam tollere, attenuare, emollire, concoquere, ſuperuacua circuncidere, immutata cuncta in melius calori noſtro feliciùs conficienda exhibere, id verò, vel ſolius, vel vnius maximè, atque inprimis ignis opus, cũ humiditatis, & frigiditatis emendatione. At idem ſicca, calidáque edulia condire haud ſanè quiuerit: deduci enim ad temperamentum hæc refrigeratione, atque humectatione poſtulant. Sed in his tamen quoque ipſis opera ſua exercebit ignis vis, quæ paulò antè diximus cuncta, ſi opus habuerint: refrigeratio atque humectatio ex condimento alio quæretur. Ex hac rerum indagatione, inſpecta Condimenti natura, maximam eius eſſe facultatem dicemus in igne, Opſoniorum ſubſtantiæ, atque etiam conſtitutionis, ſi faciendum ita fuerit, immutandæ, caloreque & ſiccitate corrigendæ, qui plurimus eſt Condimentorum vſus.

Acetum ab hoc, inter liquores, tenuitate partium, ideóque penetrabilitate maxima, refrigerandique & ex parte calefaciendi potentia, commendationem non paruam ſortitum eſt: Sal ſiccandi, calefaciendique viribus, adſtringendi, abſtergendique, diſſoluendi, exugendique ſuperfluitates, ac peculiari quadam dote conſeruandi à putredine, momentiſque exiguis vires condiendi maximas ſpatioſè diffundens, idipſum dicitur, eſtque Condimentum nominis dignitate intellectum, quod cibi inſuper auiditatem excitet. Tria hæc Condimentorum veluti faſtigia ex Elementis, liquoribus, metallis, ſimpliciſſima omnium minimeque operoſa ratio: eadem tamen efficaciſſima, ideo principatum iure optimo merita, quippe minimo negotio, plurimum ſemper operæ in condiendo præſtantia, obuiaque vbique, & ad manus: reliquorum penuria ſæpe maior, minórque interim vſus. De quibus omnibus dicendum, initio ſumpto à Sale: quoniam, quantum conferre huic negotio virium, quamq; efficaciter valiturus ſit ignis, expoſuimus.

De Salis ad condienda opſonia omnia rationibus, quàm præſtabiles in eo ſint.

CAP. VII.



Dſtrictoria vnà atque abſterſoria vis eſt Salis, generis cuiuſcũque, natura calida, & ſicca: alijs ſecũdo à temperamento receſſu, alijs vltra etiam progreſſa fuiſſe viſa: ſine dubio ſiccitas caliditate maior, ſequuntúrque effectus ſui facultates haſce. Reſiccat quippe vehementer, & ſuperuacuum humidum veluti depaſcens exugit omne, demit laxitatem rebus, carnibúſque, quas ceu alligat; tum per totum ita adſtrictas denſat, vt extrinſecus ingruere noxia putredinis vis nequeat: condiendi facultatibus autem prorſus ignis vires æmulatus, calefaciendi atque exiccandi, quibus opſoniorum frigiditas & humiditas ad temperamentum redigatur; extenuandi, diſſoluendique, quibus ſubſtantiæ plerunque duritiem, & ſubſtantiæ craſſitiem dirimat, humorúmque pertinaciam abſumat, alimentorum vires retundentium, calorifica vi non immodica, qua concoctionem iuuet; adſtringendi, qua guſtus ſenſum vellicet, cibique auiditatem torpeſcere non permittat. hoc plus, quàm ignis, in quo ad excitandum appetentiam nihil tale, niſi quòd edulem materiam facit præparatione: Sal cùm hoc æquè præſtat, tum id, quod diximus, de ſuo addit, vt adſtringendi facultate morſiunculis tentato ventriculi ore, corrugatóque, appetitum euocet. Itaque is, qui tantum adfert cibis propè omnibus condiendis virium, & opſonia omnia facit, ipſe ſæpe per ſe ſolusque opſonium eſt, hodiéque eſitantibus eum multis cum pane, ſicuti olim veterum plurimis fuerat, qui id Prouerbio quoque teſtarentur: idque ita, vt non ſitis minùs, quàm famis opſonij vicem impleat, inuitantibus ſe eo pacto bibulis ad perpotationes crebrò in multo plus temporis producendas.

Duplex inprimis, foſſilis, atque ex maris ſalinis. Eiuſdem generis factitius ex terræ ſalſugine corriuatis fontibus, igneque in pyramidales maſſas, maiores minoreſque, excoctus, multis Germaniæ locis frequentiſſimus. Foſſilis craſſioris conſtitutionis, minúſque calidus, quo quidem durior, frangique contumax magis, & terreſtrior: tenuior alius, caliditatiſque in eo plus: ſicuti ſtipticitatis in Foſſili, cuius crebrior in Medicina vſus ad compoſitio-

nes quasdam, & medicamentorum emendationem. Alterum culinæ recipiũt magis, infertúrque mensis semper candidissimus ex salsis fontium aquis: Marinus, licèt candorem quoque ex arte suscipiat, rudis plus conferre ad salsamentorum condituram creditur: calidior quippe, & adstringentior, siccantiórque: quę illi facultates in candoris accessione artificij elaboratione pereunt ex parte.

Nulli condimentorum tantus gentium omnium consensus, quàm Sali. Nam quod de Aceto diximus, tribui ei primas, id videlicet Græcorum natio fecit; potuêre pariter aliæ quoque nonnullæ. at Sale nullos esse populos, nationes nullas crediderim, quæ non vtantur ad condimenta, ad salituram: vt vel in media Aethiopia sub ęstuantissimo Sole positi salis tamen vsum retineant, quanuis exiccantissimi: at ita, vt siccitate ea carere elegantior hominis vita nequeat, quacunque orbis in parte. Neque enim siccitas ea solidas corporis partes depopulatur, si modus adsit; sed obstantia tantùm appetentiæ demit, & in quanuis exucca natura, membrorum succum non exugit; superfluitates, quæ tamen necessariò in his quoque colliguntur, attingit; & vt morticinas carnes, ita viuentium quoque animalium, absumpto superuacuo tantùm humore, firmas, solidásque, miniméque putredini obnoxias, reddit; natiuum calorem excitat, aduentitium atque extraneum excludit, consumpta humoris redundantia, in qua illi sedes: omnino Condimenti rationem omnem continens, vni famis condimento cedit, quod vel sine sale omniũ optimè condire soleat. Verùm hoc ne Condimentum quidem est; aut, si est, naturæ tantùm est, atq; nil aliud, quàm indigentiæ sensus magnæ, quæ obuia quæque in fame arripiat; vel tunc tamen quoque sale, aliáve ratione quauis, condita libentiùs acceptura. Tanta est quidem Salis apud gentes vniuersas, etiam quę omnium minimè hoc egere videantur, vtilitas; temperaturisq; omnibus, ætatibus, sexui, temporibus, vitæ institutis cõueniens necessitas: alijs tamen magis alijs. Vt enim perustis Aethiopiæ, sicuti narrauimus, hominibus etiã in caloribus maximis, tẽperaturisq; calidis & siccis vel natura, vel ætate, aliqua omnino ex parte non inconueniat: cõtrariæ semper conditionis omnibus cõueniet magis, frigidioribus regionibus cũctis atq; humidioribus, cõstitutionibus, tẽperaturis, viuẽdi generibus, alijsq; eiusmodi cunctis, quibus nõ tam pro cõdimento, quàm pro frigoris humorisq; excessu esse sæpenumero auxilio possit. Nã in cõtrariæ rationis qualitatibus satis tũ fuerit, si condimenti tantùm vicẽ præstet: quod modicus illius vsus faciet. Immoderatior nanque & aduret sanguinẽ, & oculorũ aciem retundet, & genitale semen imminuet, & pruritũ scabiemq; gignet, exassato nimirum in perustos humores sanguine, additaque pituitæ plerunq; salsedine, seu qualitatum, seu substantiæ quoq; interdum propriæ mistura. De Salis antea natura ad salsuram: nunc de eius in opsoniorum Condimentis vsu dictum ita sit.

Aceti natura & temperamentum in condiendo. Tum quibus adiutum faciliùs opus suum promoueat: & quæ aliâs nocumenta inferat, præsertim acerrimũ. Et de mitiganda eius acrimonia.

CAPVT VIII.

NOn erunt referendi nobis hoc loco, sicuti nec in alijs fecimus, quæcunq; tractationem hanc ingrediuntur, Aceti in Medicina vsus tot, ac tanti: si qua ad Sanitatis tutelam in eo cõmoditas, præsertim ex cõdiendi rationibus petita, quæ profectò multo maxima est, ac propositi nostri summã inprimis auget; eam prosequendã hîc atque explicandam habemus. Id de temperamento, naturaq; eius ductũ potissimum sumetur, quæ frigida quidem iudicio omnium statuitur, lõgè aũt magis sicca. Reuera nanque exiccãtissimum Acetum tum proprijs siccandi viribus, tum incidendi dissecandique, atq; altè, intimiusq; penetrandi facultate adiutum, qua se per omnia indẽs actionis opera suę validiùs exercet, siccandi inprimis, frigefaciendique vnà, bona satis ex parte, & ex parte simul nonnulla calefaciendi. Scilicet hoc illi ex vinosæ partis corruptione accedit, putrefactiunculæ cuiusdam acrimonia, sed qua non alia tutiùs faciliusq; rerum plurimarum putrefactioni resistat, præeuntibus præsertim, quæ idem illud præstare maximè queãt, facultatibus, siccandi & refrigerandi, siccandique ante omnia. Quæ duæ quum in vnũ simul coeunt, non paruã semper adferunt putrescibilitatis securitatẽ, quippe quam omnium maximè atq; inprimis, contrariæ producere natæ sint caloris humorisq; qualitates. Cæterùm in Aceto penetrãdi, atq; ad profundum se per omnia indendi, vis ambas hasce efficaces magis adijcit, vt his particulæ omnes imbutæ nihil putrefactionis causis obnoxiũ expositúmve relinquant, ipsæ primò scciores factæ, ne peregrinum humorem facilè excipiant; frigiditate aũt cùm externum calorem arceant, tum internum inuentum priùs inclusumque coerceant.

ant. Iam ex calidis Aceti particulis, quanuis non multis, acrimonia sæpe tamen multa, quod acria omnia faciunt, ipsa quoq; partem suam excludendis putrefactionis causis conferet. Hæc est conditura illa, antea quoque hîc tradita, qua tam diu sæpe res, nec sanè quàm ex sale minùs, diligenter seruatæ custodiuntur.

Condiendi cibaria, & opsonij præparandi ratio, ab incidendi dissecandíque facultate potissimùm illi, qua rerum constitutionis plerunque durities, & humorum crassities tollitur, attenuaturq; glutinositas, acrimonia abstergitur, calidæ paulò magis partes frigiditatis potentia ad temperamentum deducũtur, ac si quæ frigidæ insunt, calorificam eæ quoq; vim sentient tẽperatiores factæ. Quapropter, quę multa condire alia non poterunt, Acetum condierit, diuersarum, atque etiam contrariarum facultatum viribus pollens. Quippe non paucas, quæ ignis & salis erant, ipsum quoque obtinet, dissecandi, penetrandi, excalfaciendi, siccandi vel maximè: præterque refrigeratoriam potentiam addit, qua non pauca indigent, vt ritè condiantur. Cruditatem quidem non demit, nec, quantum ignis, concoquit: at dissecta, partiúmque duriorum concisione iam macerata, modico quoque calori nostro conficienda ex toto præbet, partim etiam calorifica vi quadam rebus inter dissecandum addita, vt cùm per se hoc pacto, tum ex accidenti emollita duritie, substantiæque extenuatione, concoctionem promoueat.

Quibus nominibus in condimẽta opsoniorum penè omnia iure meritóque venire potest. Intinctus autem parantur ex eo cuiuscunque generis, modò sinapi, modò oleo, modò saccharo additis, modò odoratarum herbarum seminibus; & aut aromate aliquo gratiam intinctibus addente, aut rosarum odore conciliato maceratione earum. Sæpiùs ipsummet appositum per se dapibus multis Embamma fecit, quarum præsertim glutinosior crassiórque substãtia, humórque extenuari postulent; tum ex quibus timetur bilis, cuius humoris vim reprimere Acetum aptissimum iudicatur.

At idem in temperamento melancholico, affectibúsque, peculiariter damnatum; neruis neruosisq; partibus inimicum; vtero, intestinis, ventriculo, nisi bilioso, aduersum; mulieribus insuper noxium, & iocineris virtutes debilitare existimatum: nempe nimio sæpe vsu, & intempestiuo, refrigerato viscere, quemadmodum neruosis quoque partibus qualitatis eiusdem efficacia, sed & penetrabilitate officere maximè potest, acrimoniæ non minùs sæpe violentia læsis. Ventriculum quidem, eiusque præsertim os, quo maior in hoc sensus, ita quandoque vehementer ingruens, afficit, vt manifestò veluti percussionis cuiusdam læsionem sentiat: os quidẽ nonnunquam ipsum, linguáque, ac palatum, non satis acrimoniam ferunt: sæpe etiam, antequàm admoueatur ori, perhorrescũt.

Hoc quidem acerrimum facit, quod facilè aqua retundi, aut vino, aut mitioris alterius alicuius succi additione, poterit. Saccharo alij, alij passulis mitigant: sicuti è diuerso paulò magis fatuo ex aromate acrimoniam, pipere præcipuè, & gingibere, quærunt.

Ex liquoribus, quicunque potus vini vices exhibent, penè omnibus parari Acetum potest, multisq; alijs, vt opinor: quando, quomodo vel ex aqua pararetur, docuerit Plinius, mellarijs vasis, fauis've, aqua ablutis, hácque ipsa decocta, vnde expectandum Acetum sit salubritatis insignis.

De Limonij, Citrijq; mali succo, quàm præter Condimenti rationem, etiam alioqui ex vsu non paruo sit in hac Medicinæ parte.

CAP. IX.



TEnuissimus Limonij, Citrijque mali succus quoque, & intinctibus parandis vsu iam receptissimus, iisdẽ quibus acetum ad omnia viribus: vna deest acrimonia, ob quod plerunq; & gratior, & vtilior, quoties nulla calidioris facultatis in opsoniorum condimentis parandis ratio subest, & sumentis gustus auersatur acria. cætera eadem: multum tamen addente hîc gratiæ condiendi rationibus illo, quòd in nulla quãuis acrimonia, pomorum is succus, aroma per se redolentiũ, nõnihil & ipse referre odore, saporeque, aromatis videatur: iccirco ne calorificæ quidẽ prorsus facultatis expers existimandus sit, & contra venenorum noxam facturus eadem ratione credi possit, quòd totius mali in substantia eadem vis haud dubia, noxisque omnibus pestilentibus venenatisque, aut aliàs succorũ omnium malitiæ repugnandi potestas non exigua apud omnes in confesso sit, maximo sanè vniuersi tuẽdæ sanitatis artificij vsu, spéque aliqua semper resistendi venenis, vitiosorúmque humorum abolendorum, aut certè mitigandorum. Haud scio, an penetrandi vis in succo liquoréque hoc, quàm in aceto, maior. Vidimus ex eo maceratum ouum, ductili in longũ quasi cerea iam facta testa, phialæ includi præangusti colli, ad amplitudinis mox suæ formã redijsse,

dijsse, magna deinde spectantium admiratione, qui qua via ingressum eò, aut intromissum esset ouũ, nesciret. Quod fieri non potuit, nisi putaminis priùs testæq; duritia, penetratiõe per totũ maxima, emollita.

Atque hæc ferè acidum succi saporem retinent Limonia, Citriáque mala, & quæ Citrangula, quæ Adamica vocant, plùs minùs, omnia tamen acidum. In Arancijs distinctus diuersorum sapor, acidus, dulcisque: medij alia saporis, ex acido dulciq; mixti, multaq; alia saporum genera, nõ hîc solũ, sed in omnibus penè fructibus multiplici insitione quæsita, varijs pro varia illorum ratione intinctibus adhibenda. Dulcium leniendis gutturis, fauciúmque asperitatibus, aut reliquorum austeritati demendæ, mitioris saporis additione; Acidorum, sedandæ inprimis siti, excitandæ ciborum auiditati, contemperandis acribus, eorúmque calori retundendo, facta ita intinctus totius temperie, vsus.

Sæpe quoque, transuersa discindimus in medio, pro egregio assatarum inprimis dapum condimento manuũ tantùm compressu insperso in illas succo, quo assatura omnis mirificè commendari soleat, & ceu ἐμπύρευμα relictum ab igne illud retusum mitius reddi. Alij in plura frusta dissectis vtuntur, & imposita quadris sacchato tegunt. Sed hæ iam condimentorum, intinctuúmque componendorum rationem attingunt.

Omphacij vsus ad Condimenta: & vtendi ratio, intus, forisve: & de Acinorum omphacio incoctorum carnibus, vel illarum iusculis.

CAPVT X.



T vini iam facti vitiũ, quædamq; corruptio, acetum: ita futuri, necdum absolutè perfecti, immaturitas Omphacium, acerbæ adstringentisq; qualitatis, ac refrigerantis inprimis, & siccantis. Exprimitur succus ex nondum maturescentibus vuis contusis priùs: referre dicunt, ex Heluis, giluis've vt sit, eo quòd plus in his inesse facultatis existimatur, quæcunq; ab Omphacio petitur. Insolatur deinde, aut excoquitur leuiter: nec desunt, qui salem adijciant, nec ad seruandã Omphacij naturã, nec ad condimenti vsum cõmodè satis omnia, vt succo nullã à Sole concoctionis iustæ elaborationem adepto, superfluitas dematur, sæpe corruptionis causa, si relicta maneat.

Mirũ, quàm æstatis feruoribus æstuanti stomacho sitiq; affecto, & fastidienti cibũ, succurratur ex eo: omnia quippe insunt, quibus id fiat, frigiditas, qua calor sitim faciens tollitur; adstringendi potentia, qua stomachi, oris nimirum ventriculi, laxitas, dissolutáque appetendi facultas reuocata in vnum, robur accipiat; siccandi vis quędam, qua (quoniã multũ ea infra refrigerãdi in eo vim relinquitur) biliosi si quid adest ibi humoris ex caloribus cõtractum, absumatur potiùs, quàm solidiores inibi partes tactæ exiccẽtur. neq; enim altè descẽdit potestas ea siccãdi, adstringẽdi vi impedita; tũ quòd nõ ea in Omphacio, quæ in Aceto, Citrii ve mali succo tenuitas, vt in mẽbrorũ profundũ tendat. Quocirca in stomachi, vẽtriculiq;, aut proximarũ partium corrigendo calore, & adiutãdæ appetẽtiæ, non sanè postremũ locũ obtinet Omphaciũ: at si demẽdus toti corpori squalor fuerit, aut refrigerare altiùs proposuerimus nobis; præferemus Acetũ, propterea quòd accepta præsertim aqua partium tenuitate sua facilè per omnia deferatur. Impositũ tamẽ ventriculo Omphaciũ plùs iusto excalfacto, aut ardore aliquo tẽtatis pręcordijs, meliùs Aceto refrigerârit: quòd non magnum interuallum sit, quo foris quanuis applicatum intrò perueniat, si nõ substantia, at qualitate; nec eam habeat acrimoniam, quam Acetũ ex putredine omnino aliqua, eóque calorificam.

Nec minor Omphacij vsus detractis racemo acinis, incoctisq; iusculo elixandarum carnium, ijsdem cõmoditatibus, quibus intinctus parantur: nempe condimenti id quoq; vicẽ præstat, quemadmodũ & quum assis carnibus piscibúsve affusum, mirè conceptum igneum ex assatura calorem illum attemperat, vt sæpenumero eo vno adlubescant statim palato dapes, & cibi fastidiũ, quod priùs erat, detergatur. Atque hę ferè sunt Omphacij in condiendo vtilitates.

De Oleo, vt condimentum, omphacino, itemq; maturo. Incocta oleo carnes cur tenerescant, eodemq; circunlita ritè assentur. Aliáq; ad hæc ex eodem vsus.

CAPVT XI.



Enit & ad cõdimenta Oleũ, de quo priùs diximus, quum de Oliuarum conditura. Nunc de cõdiendi ex eo facultate dicendũ, vt nõ pauca sunt, quorum (quoniã diuersa sæpe ratio alimenti, condimentiq;) necessariò repetenda quandoq; tractatio sit: nec inaniter tamẽ, nec frustra. Quin, nisi id fiat, mancum, partibusq; suis vtilibus necessarijsq; destitutũ, videri iure meritoq; opus possit, quodcũque aggressi fuerimus, si eiusdem quanuis

rei,

rei, variæ tamen rationes, negotij suscepti ex parte sua summam aucturæ, neglectæ, aut inanimaduersæ prætermittantur.

Habet suũ quoq; Oleum ipsum omphacium, quod omphacinum dicitur: estque huius, si rectè expẽdamus, potior condiẽdi ratio, facultasque, vtpote cuius & frigidæ magis, & adstringẽtes partes, esse haud dubie in condiendo vsui possint emendandis contrariæ rationis multis.

Nã alterius, quod verè est, diciturq; Oleum, ex benè maturis oliuis, æquale propè nostro tẽperamentum, foris intusq;: vt, si quod alimẽtum inde corpori expectari debeat, totum id tẽperatum inprimis futurũ sit. Est aũt cõdiendi ratio præcipua, vt ostendimus, ea, qua rerũ cibariorumq; multorum excedentes sæpe qualitates, contrariarum qualitatum pariter excedẽtium occursu emẽdamus, atq; ad tẽperamentũ ducimus. Partes tamẽ Olei ad condiendũ, dulcis licẽt, maturiq;, & quod pro alimẽto esse possit, aliquando eæ fuerint, si tẽperamentum iustum condimenti quæsierimus, aut cõcinnare opsonia ad mediocritatem velimus: tum verò reliquorum acrimoniã retundẽdi, & attenuatoriã aliorum vim nimiã crassefaciendi, facultas in eo nõ parua. Nec aluum sanè cohibuerit: quin addito aceto, vt ferè in acetarijs fieri consueuit, etiã emollliuerit, gari ꝓpè cuiusdã in modum. Etiam pauxillum plus iusculis additum lubricitate sæpe quadam subduxerit.

Elixæ eo carnes, coctæ ve, alimenti plus exhibere creduntur, iecori præsertim, pinguefacta eius substãtia, atq; aucta, cõdimẽti hoc ipsum quoq; ratione, ꝙ elixatione Oleum friabiles carnes, siccasq; faciat, ideoq; minùs excremẽtitias, & alibiles magis, amissa humiditate superflua, atq; etiã cõcoctiles, friabilibus priùs factis. Itaq; hoc opsonio huic ab Oleo beneficium accedit, propterea ꝙ cõcepto ignis calore Oleũ aptissima ad id materia seruare diu, & intrò carnibus immittere vehementem queat, conficiendis egregiè illis: simul aëreæ Olei partes, in ignem conuersæ, altiùs se in substantiam carnis adigentes, idem præstant, & coctura friabilitatem addunt.

Quas verò assandas habuerimus carnes, Oleo illinere priùs, aut pingui aliquo, non incõueniet, ne, nisi hoc veluti munimine defendãtur, ab ingruẽte interdum ignis vi siccescãt nimiùm. Nõ enim tãtum hic Olei, quod, vt in elixatione, accepta ignea facultate coctionem perficere per se possit, sed tegumen tãtùm est, & inducti Olei superficies; quę ignis nihilominùs torrefacientẽ vim transmittat, & humectas conseruet. Rursus igitur hic quoque, ex Olei condimento, opsonij præparatio melioris.

Vt & in illo, quum friguntur ex eo multa, peculiariter autem pisces, dictante primùm id cõmuni propè quadã ratione: deinde secutis receptam iam consuetudinem multis, vincendæ scilicet ita natiuæ meliùs piscium humiditati, propter quam in prouerbiũ apud Italos propè iam abierit, Captos semel pisces nunquam esse reponẽdos aquæ: dãnata sine dubio, hoc dicto, elixatione, ꝙ nõ humescere magis coctura, sed exsiccari potiùs requirãt, ad salubre opsoniũ cõditi: quãuis elixatio quoq; in multis non pessimè sæpe succedat, seruata aliàs condiendi ritè lege modóque, de quibus posteà.

Porrò qui friguntur in sartagine ex Oleo pisces, haud dubiã exiccationẽ accipiẽt, insignis efferuescẽtiæ violẽtia, quã statim cõcipit: nõ multũ ad id sumi semper solitum Olei, vt & ignescat citiùs, minusq;, quę frigũtur, tueatur à subtus accẽsi, ardentisque ignis vi, & sartaginis ipsius fundo, cui quo propiora sunt, ita necessariò siccescunt semper magis.

Legumina quidẽ videmus, aut si quę alia nullo addito liquore in sartagine torrentur, extẽplo exarescere: ita sanè & Olei paucitate, (quoniã ferè nõ tam multum, quàm si elixatio fieri deberet, adhiberi tunc olei cõsueuerit) quæ sic friguntur, ignis maiorẽ citiusq; vim cõcipientia, siccabũtur. Sed ea ferè siccitas non in profunda atque intima pisciũ descẽdit multa: descẽdit tamẽ, quanta piscium humori nimio consumendo, & ad temperiẽ deducẽdo, satis sit. Superficies est, quæ exuritur tota, extimæq; partes, corium, squamosaq; cutis, aut cortex, incumbẽtis validiorisq; ignis vehementia pertorrefactæ sæpe totæ, longè aliter, quàm in paranda cõditura rerum multarum ex dulci, maturo, nulla ex parte naturã suã egresso, non ad torrẽdum sufferuefacto, nõ salem, nõ mãgonium, nõ aliud quippiã extraneæ rei experto Oleo, puro, synceroq;, ac simplici, quo caseus, farcimina, Lucanicę, Hysicia diutissimè seruãtur; extraneũ, aduentitiũq; calorẽ, quo maximè res corruptione periclitãtes tentãtur, nõ intromittẽte Olei glutinositate dẽsa, & internũ nõ emittẽte, quẽ cum humore vnà natiuo suo cõseruatũ retinet: nõ secus, ac succorũ genera penè omnia, superiniecto eo, integra naturę suę custodiri ab extrinseco aëre illęsa scimus.

Illa quoq; cõdimenti ex Oleo ratio non negligenda, vitãdæ alimentorum malitię, succorumq; prauitãti, ob egregiã, quã habere meritò existimatur, noxis venenorum omnibus repugnandi virtutẽ. Herbulis ita (vt sic dicam) herbositatẽ noxiam illã deminus, & fungos multo Oleo infracta malitia innocuos esitamus. Appetitũ tamen deijcit, lubricum, vnctuosumque ipsum:

quippe mollitie partes dissoluit & erugat, quæ nisi adstrictæ & rugosæ appetere valde non solent.

De condimento ex Butyro: in quo hac in re Oleum vincat, & in quo vincatur: quædamq; præterea nocumenta ex eo. Et de Pinguedine, atque Adipe ad condiendum.

CAP. XII.



OLei vicem in condiendo expleuit sæpenumero Butyrum, hodie quoq; apud multas nationes in plenum exhibet, quibus prouentus Olei nullus. Itaque coquuntur eo multa, vt oleo, friguntur, illinũtur: multa id accipiunt, tortæ, infarctus, carnes, iusculа: etiam acetarijs additur, etiam pro opsonio à multis cum pane esitatur.

Hoc vincit Oleum, quod pro opsonio cessisse vnquam non memini: in eo vincitur, quòd misceri cum Oleo vinũ potest, & οἰνελαιον fieri, vtile ad quædam, aut quum lumbricis infestatur tenerior ætas, & aduersus præcordiorum putrediné omnem. In Butyro non succedit idem, aut non tam vtiliter: quippe cuius vsus non tam aduersus putrefactiones pugnet, solius, nisi cum tota lactis substantia, aut contra erodẽtia tantum faciat, neq; ipsum diu conseruari incorruptum, nisi coctum, salitumque, neque alia conseruare incorrupta solitum sit. Caloris quidem atque humoris qualitatibus non multùm Oleo dissimile, quanuis paulò maiore harum excessu: substantia verò, & substantiæ constitutione, dissimile, quæ vnitis inter se valde particulis minimis quibusque in Oleo, mutuóque complexu arctissimè coniunctis hærens, compactior solidiórque est, quàm vt, glutinositatis huius densitate, facilè ingruentis extrinsecus qualitatis ab aëre inimicæ iniuriam accipiat. In Butyro laxior, ac solutior: ideo incumbenti foris extraneæ caloris noxæ opportunior. Præcipuus eius vt condimenti vsus, non secus atque Olei, in eo, vt multorum acrimonia fracta mitigetur. Quocirca quum alliola vere inchoante, adultóve, aut cepulas, aut huiusmodi edenda apponimus; non sine Butyro id fit, obtinente sic vsu apud omnes, qui ex perceptæ crebrò ita vtilitatis commoditate natus primò est. Inferior Germania, Superiorisque simul iam bona pars, atrum suum ex secale, scabrúmque sæpe panem non alio frequentiùs ac commodiùs, quàm larido, sæpiùs autem Butyro inducto oblinit, condimenti ex eodem simul & obsonij ratione. Nam & obsonio alit, & condimento, sicuti alibi acrimoniam, ita scabritiem hîc & asperdinem pani demit.

Alioqui, nisi vsus hoc præstet, animaduertenda illius noxa, emollientis nimiùm partes, laxantisque, atque earum vires dissoluentis, & calorem in corporibus succendentis, inuento maiorem, vehementioremque: quum Oleum inuentam antea caliditatem substantiæ tantummodo suæ quantitate augeat, qualitati intereà nihil adijciens, neque foris, neque intus. Id fit propterea, quòd non perinde, atque in rebus extrinsecis ab igne, inflammari in nobis, ob partium eius compactiorem, cohærentemque magis substantiam, à calore nostro Oleum valeat: Butyrum autem contraria ratione non repugnet, quin inflammabile statim fiat. Vnde calidioribus quoque naturis facilè in bilem vertitur, noxiúmque fit, flammea concepta qualitate. Cæterùm in eo, sine dubio, Oleo præferendum, quoties vnà & condimenti vsum, quo diximus modo, implere, & faucium tracheæque asperitatem lenire, contentasque pulmonibus ac pectore materias concoquere, concoctásque educere, vel, vt faciliùs educantur, præstare poterit. quod sanis quoque sæpe vsu venit, non solùm pleuriticis, & peripneumonicis, vt, cætera incolumes, distillationibus in pectus tententur: quo tempore conuenientissimum ex Butyro condimentum petetur. Nam Oleum tunc, nisi repurgatissimum, prorsusque conditionis exactissimæ, etiam fauces guttúrque exasperauerit, tantum abest, vt leniat, offensisque inæqualitate aliqua partibus illis etiam nouam tussim mouerit: adeò veterem non mitigârit. Et, vt omnium optimum habeatur, cuique bonitatis nihil omnino desit; adhuc tamen, quoniam non ea illi tributa à natura facultas, ideo neque tanta, quanta Butyrum, commoditate his casibus in condimenti rationem veniet: quippe quo maximè (Butyro, dico) spiritui ducendo destinatæ partes humoribus obsessæ, maturè confectis expectoratisque his, liberentur.

Pinguedinis, Adiposæque materiæ idem propè condiendorum opsoniorum, quod ad illorum acrimoniam infringendam attinet, vsus. hoc illis ex vncto pinguique tribui potest. Pro diuersitate autem animalium, varióque temperamento, illud insuper accedet, vt qualitates addere Pinguedo Adepsque suas possit, si his opsonia indiguerint, calefaciendi, humectandique, plùs minùs. Suilla temperatior alijs, tum vitulina, tum hœdina, gallinæ, capi, & similium. Reliquorum

rum aut perquàm rarus, aut nullus potiùs vsus, hoc quidem in negotio. Quis enim leonis, aut vrsi, aut hirci, aut capræ condiendis opsonijs pinguedinem quæsierit? Si quis tamẽ, præter condimenti simplicioris commodum, calefaciendi præterea vsum, minusque humectandi sibi poscet: ex his potest. Sed neque hoc in condiendo vitium effugere, quod vnctum omne habet, multo aut crebro nimis vsu ventriculi os, vimque illius in appetendo, dissoluendi, emolliendi, lubricum faciendi, impedita ex eo Concoctrice Contentriceque facultate: minor tamen hæc noxa, vbi tenuior Adipis substantia, ac subtilior, aëreaque magis, vt auium penè omnium est.

Mellis commoditates in condiendo multæ enumeratæ, vsusq; alij. Cocti, Crudiq; differentiæ. Boni notæ, ac dotes. Et de potu ex Melle, quem Medonem vocant, & de Mulso.

CAPVT XIII.

NVNC de Melle, ipso quoque creditas sibi res multas diu conseruante, communi præcipuorum condimentorum cõditione, salis, aceti, olei. Mellitas ex Hispania placentas suo tempore afferri Romam solitas tanto terrarũ tractu durabiles ex cydonijs, cum melle coctas; septem item perennâsse annos compositionem Diacydoniten, coctam itidem cum melle, additis pipere, gingibere, & aceto, legimus ex Galeno. quod haud scio an successurum sit, absque coctura, vt diutiùs incorrupti defendi fructus possint solo Melle, sic simpliciter: visum tamen per se longissimam ferre ætatem, donec mutato temperamento amarescat tãdem, tunc quoque incorruptum, tanquam quod putrefactionem non sentiat. Verùm nec rarò, nec parum certò condimenti elargiri solitũ est parandis opsonijs multis Mel, idque commodè semper, & salubriter, si condiendi, vt fieri in omnibus par est, ratio, modusq; adhibeatur. Neq; hoc tantùm, sed alimenti quoq; nonnihil exhibet cõuenienter temperaturis, quibus concedi debet, ætatibusque, sumptum; nec neglectis tamẽ aliarum quoq; rerum obseruationibus. Nam quum natura in calidum & siccum procliue labatur, liquorisque constitutionem obtineat, cum partium tenuitate & acrimonia, abstergendique potestate, & prædulce sit: non desunt illi conditiones, quibus non leuiter commendari inter condimenta debeat, frigidis atque humidis futuris opsonijs, caliditatis & siccitatis mixtura contemperatis; crassis, tenuitate atque acrimonia dissectis; extraneis saporibus dulcedine omnibus obscuratis; viscidis, abstergendi facultate detersis. Nec deest illi vis, qua percursis venis, prauis eas humoribus repurget, eosdemque hos de profundo corporis abigat, sæpeque putrescibilitatem illorum amoliatur: cunctaque hæc crudum magis præstat: tunc sanè & inflationem parere, & proritare aluum potest.

Cæterùm Coctum, detractaque spuma, amissa hinc acrimonia, nec aluum deijciet, & lotium mouebit, alimentique satis exhibebit, hocque tunc nomine magis, quàm condiẽdi viribus, laudabitur: quanquam vel sic esse pro condimento non malo sæpe possit. Illud diligenter animaduertendum in hoc semper, seu condimenti, siue alimenti tantùm, siue verò eodem tempore vtriusque rationem subeat; ne calidis inprimis siccisque naturis, ne iuuenili ætati, néve æstatis caloribus, aut æstuante aliàs ambientis constitutione, in quibus omnibus facilè bilescere soleat, frequens Mellis vsus sit. Senibus contrà amicum, frigidisque & humidis cuiuscunque modi temperaturis, hyeme, aut hyemante præsertim circùm aëre. Quippe contrarias nactùm qualitates, temperamentum faciet, placidè natiuo calore operato, genitoque ita inde temperamenti optimi sanguine: at in calorem iam antea & siccitatem incidens, ipsum de suo intemperiem eandem introducens, ceu fomite apposito maiorem ignem succendit, succensoque facilè in bilem igneæ qualitatis accessione vertitur, excedentis iam à temperie æqua qualitatis humorem.

De Mellis materia supersedebimus dicere hoc loco: quòd nec tractatus exigat, & traditum antea ab alijs sit. Roscida omnino est, & ab apibus collecta infertur aluearijs, formamque ibi accipit Mellis, fotu'ne apum aliquo, an qua alia ratione, videndum. Nam quod alicubi decutitur arborum folijs Mel, aut melleum quid; sicuti Mannæ vocatæ genus, vt roris quoque materia adsit: aliam induere sub dio naturam videtur, & noctis frigoribus concretum calore dissoluitur, nec eo pacto coit, vt peculiarem esse Mellis naturam credamus. Permagni semper refert, vnde colligatur: quando plantarum, quibus insidet, naturam mirum in modum referat, vt venenatum, & furiosum, & amarum reperiatur, non aliunde accepta qualitate, quàm ex venenatis, furiosis, amarisque plantis. Præstantissimum olim ex Atticæ Hymetto: nũc palma datur Hispanico.

Notis suis dignosci melius est, quacunque orbis in parte prouenerit: acre esse oportet, suauiq; inprimis dulcedine; odore grato, minimè extraneo, vt vel si thymum nimis redoleat, (qui tamen acceptissimus aliàs haberi Mellis odor solet) improbum censeatur; color flauus, pureq; per totum splendescens; constitutio, qua sublatum altè digito, demissumque, continua veluti linea ex toto sibijpsi cohærēs defluat, nusquam intercisum. Hoc si vel ex vltima ad nos Scythia, vbi tamen purissima & candidissima esse Mella perhibentur, allatum offerretur Mel, optimum iudicabimus.

Fit ex Melle potus genus, toti nunc Sarmatiæ, vicinisq; Moscouitis, familiare: decoquitur multipliciter aromate addito: Medonem vocant: tam nobile sæpe, vt lautiorum tantùm mensarum sit, & primates solùm bibāt; tàm vinosum autem, vt non vino minùs inebriare feratur.

Ita fiet, vt nō pro obsonio tantùm, condimentoque, sed pro potu etiam commodè nobis cedat Mel, sicuti veteribus olim cessit, qui Mulso vterentur. Iureque ideo ac meritò longæuitatem suam, actæq; tam diu atq; incolumiter senectæ munus acceptum Melli retulerit, alimenti ex parte, ille idem, qui intus sibi hoc pacto, foris oleo consultum esse dicebat: quando ex Melle cibi, potusque, vt docuimus, promittere nobis vsum, & eum quidem salubrem, possimus.

Quomodo inuentum Saccharum. Dotes illius maximæ. An veterum illud σάκχαρ, nostrumq; hoc, vnum sint. De Manna. Sacchari nomina alia diuersa sine rebus, vel aliarum rerum. Et de Candido, Candóve: vsus, & præstantia ad condiendum. Tum verò nocumenta etiam inde aliqua.

CAPVT XIIII.

PRoximū est Melli Saccharum natura; ortus diuersi, ex planta arundinacea, vnde nomen accepit, arundinacei Mellis, Cannæ Arabes dixêre: deest cœlestis materia, roscidaq; illa ab exhalatione per sudū, ex qua Mel: ideo acrimoniæ in Saccharo minus, ideo nec caliditas tanta. Prodidit se primò expressus Solis feruoribus ex arundine succus, gummiq; modo duratus, hærensq; aperto cortice: hoc detracto vtebantur, & Tabarzet dixêre, voce Arabica. Inuētum deinde, sic ducēte cogitatione humana, & ingenij sagacitate, subesse in vniuersa planta succum deputante, vt excoqueretur: factumq; adhibita arte, purior vt coctione multa ac repurgatus eliceretur, qualis ferè, qui spōte sua vnius Solis caloribus euocatus abrupto cortice prodire erat solitus. Ita eodem quoque nomine appellârunt Authores ijdem.

Summi candoris, & densitatis, quod tertiò decoctum est: quod secundò, vilius: quod primò, vilissimum omnium, ad culinarum tantùm, immundioresq; alios vsus, & proluēdę clysteribus interdum aluo receptum, seruato puriore lautioribus mensis, detriti, pulueratique, deq; paruis metis, in quas coctione cogitur, defriati, aut minutissimè fracti, maximis ad omnia propè, quæcunq; in mensas veniūt, vsibus: vt iam, Condiri omnia Sacchari posse, nec edule quicquam deterius inde fieri, etiā Prouerbio circunferatur. Quod tamē minimè verum esse apparebit, præcipuè verò sanitatis commoda cōsiderantibus. Nam nec omnibus planè cōuenit, nec omni tempore, nec omnium condimētum est. Quis Saccharo conditiora fieri assa elixáve ritè, vt deteriora non fiant, putauerit? quis piscium, aliorumq; multorum, simplici cocturæ addiderit? Alioqui multo maxima sanè ferculorum reliquorum pars commendatior fit, cōditurque, ac nobilitatur. Acetarijs additur, infringendæ aceti acrimoniæ, & corrigendis herbis; dapibus cunctis conuenientissimè inspergitur, liquidè compositioribus, pulmentarijs, lacticinijs, iusculis, modò non simpliciter tantùm elixis: intinctus parātur generis omnis. omnibus enim dulcoris gratiam addit. Itaque vel salubriter, vel commodè, vel deliciosè, neque noxiè tamen, suppeditare vsum potest. tantùm non omnia (vt verum dicamus) fercula illud, opsonia, intinctus, πέμματα, bellaria, placentæ, condimenta accipiunt.

Nec me latet, controuersam rem esse, Nostrum'ne hoc, veterum quoque habendum Saccharum sit, & an pluuerit illo Iupiter, pluatq; fortasse etiam nunc, vt Manna: nostrum autem hoc, cuius nobis nunc vsus tam frequens, ex planta tantùm. Nos sententiæ stabimus amicissimi nostri, eiusdem & hac in parte Medicinę versatissimi, præsertim cui subscripsisse videam nostri temporis diligentiores, quibus explorata, compertaque fuisse talia multa, ex illorum scriptis conijcere licet: idem prorsus esse, nec differre quicquā, nisi eo fortasse, quòd veteribus illis factitatum ex decoctionibus non admodum credere possumus, quos erūpens tantūmodo ex arūdine, resudansq; initio expectâsse verisimile est, donec inuento artificio etiā ignis opera elicerēt. Insedisse arborib⁹, eorūq; folijs ex roris materia

ria Mãnę modo, nõ credimus: aut, si hoc recipiẽdum est, iam nostra hoc erit Manna, non Saccharum, δροσόμελι, vt existimo, Galeni, & ἀερόμελι, non aliud: hoc per me appellare quidem Saccharum illis licebit, vt voluerint, sed Manna erit.

De qua quidem iam celebres Authores prodidisse audio, non folijs tantùm, aut arborum ligno decuti, foris irroratam: sed resudare etiam ex arbore tota, deprehẽsum nuper. Neque tamen propterea argumento eo vti liceat in Saccharo, vt contendamus esse pariter Saccharum posse, quod arborum arundinúmve folijs inhęreat ex rore, hocq; fuisse antiquorum, atq; aliud nostrum hoc, lacrymę modo, scisso disruptóve sponte sua cortice, remissum de arundine: quoniam eiusdẽ esse experimur, & quę foris insidet, & quæ extra resudat, Mannã naturæ, constitutionis, facultatis. De Saccharo, qd' ex roruléta coire materia dicũt, & quod prægnãtes arũdines gummi modo exudant, nõ idem audimus. Nanq; alterum igne colliquescere debere, valde verisimile est, cuius roscida materia; alterum durari scimus, cogiq; in massas ignea vi: vt diuersam omnino materiam esse censendum sit, quæ liquatur igne, & quę concrescit: sique alterum Saccharum verũ sit, quod è planta exit; alterum, aliud quippiã esse necessum fuerit: idq; nisi Manna fuerit, quid esse demum dicamus, habituri nõ simus. Hæc nos verisimilitudine quadam hoc loco adducti diximus. Nam iudiciũ, cui standum legentibus sit, proferre de re incerta, atq; incomperta, quî liceat? quanquam certum id propè ac compertũ satis esse debet, veterũ illud, quod iam nusquam comparet, aut resudâsse illis primò de arũdinibus, vt paulò antè diximus, ex quibus nostrũ nos elicimus, vt minimè ideo diuersum habendum sit: aut, si quando pluuit, nihil illis quàm Mannam fuisse, existimandũ nobis restet.

Iam genera alia quædam Sacchari, quæ inuehere nonnulli velle videntur, ignota nobis, nõ attingemus hîc, nec ad partes has nostras rei hîc Medicæ vocabimus. Haoscer, septicæ facultatis succo, depilanteque coria, exurente, caustico, camelinorum testium effigie: quod quis esse Saccharum verum deputabit? nominare quidem ita poterit; legitimum Saccharum non erit, nisi, quicquid Saccharum colore & substantia constitutioneq; quadantenus referat, habituri pro Saccharo vero simus. Quod si semel admittimus: iam tempus erit, vt calx, & quidem nondum ignẽ experta illa, Sacchari nobis vsum aliquãdo exhibeat. Quin nihil obstiterit, quo minùs inter rudera & macerias fortè inuenta cõuiuis nostris apponamus, ceu granula quædam, adeò semper, aut anisi, aut coriãdri semina, aut amygdala quoq; ipsa, saccharo, vt fit, incrustata, ementientia, facilimè vt adstantes auidè arrepta fallãt. Aliud illud Tigala vocatum ab erosa à vermiculo quodam herba Alhusar, exturgescens, minutum, sitim extinguẽs, amicum pectori, tussim auferens, hoc esse possit Saccharum legitimum aliquod. natura enim facultatibusq; non abhorret à vera. Sed de nobis non comperto quid proferemus? hoc, sicubi gẽtium Saccharũ habetur, & cõtendere velit quis veterum esse Medicorũ Saccharũ, meliùs certè veriusq; possit, propter facultates, quas illi tribuunt, quàm qui, dum Saccharũ vellent, pro hoc Mannam nobis haud dubiè indicârunt. Valde vereor, ne, qui diligentiores in hoc videri voluêre, errore aliquo teneantur. Suum nobis Tigala illarum dotium ex Alhusar herba faciunt, siue Alhasser, vt in castigatioribus Auicennæ codicibus scriptũ reperitur, eadem, qua Serapio protulerit, voce. Atqui Author is, Serapio inquam, Alhasser nobis retulit, quale illi Haoscer, testiculi camelorum facie, καυστικὸν, σηπτικὸν, & cætera potens, quæ enumerata paulò antea sunt, longè diuersissimis à Tigala facultatibus: quod mite nobis hi, minimeq; siticulosum, eoq; nec excurentis omnino facultatis faciunt. Aut nullũ igitur Tigala, & vermiculus ille nullus, ne musca quidem: aut nõ ex Alhasser, siue Alhusar, quod idem penitus sit, herba certè: aut translatis imprudenter nominibus erratum, suumq; ideo cuique dandum, septicoq; illi, ac perurentis naturæ Alhusar, seu Alhasser plantam relinquamus, ex qua vel in qua existat, consistátve: Tigalæ autem aut aliam alteriusq; nominis inueniamus, aut demptũ septico Haoscer illud accommodemus huic. Erroris causam dedisse videri potest, quasi Auicẽnæ Alhusar, à Serapionis Alhaser, habendum diuersum sit: quod loca ea Authorum diligenter expendentibus minimè vero diuersum esse videbitur. Quapropter optimi nostræ tempestatis Auicennæ Aristarchi, expuncto Alhusar, rectissimè Alhuser restituisse videri possunt. Verùm enimuerò quum neutrius nobis hodie copia fiat, nec septici, nec mitioris illius Tigalæ; & alterius septici etiam si fieret, vsuri tamen eo non simus ad condimenta; alterius autem Tigalæ tantum nobis prouentum suppeditari, continua licèt atque assidua vermium multorum arrosione, haud quaquam posse credendum sit, vt tot iam vsibus sufficiat: nostro erimus contenti, quod & abundantissimè defertur iam ad nos vndique, exuperante propè copia affluenter, nec saporis iucunditate, aut facultatum propri-

arum

arum dotibus cessurũ magnopere sit Tigalæ, vsq; adeò, vt magno permutare nos cogat, præsertim tot illius præparationibus, ex quibus diuersos vnà reportare nobis vsus multipliciter cōdiendis opsonijs liceat.

Primò, secundò, & tertiò decoqui diximus, maiorem semper indipiscente bonitatem, cōmendationisq; plus, iteràtis tertiatisq; decoctionibus, etiā quartò, etiā quintò fieri aliquando id solere, scimus. Hoc Candidum vocāt, alij decurtata voce Candum, pellucens, densumque, vtilioris, receptique ad condimētorum aliorum multorum vsum magis: in tertia ferè coctione subsistit preparatio; vlteriùs excoctũ, candorem magis magisque, & densitatem accipiet. Petram vocat Hispani, à duritie: modico tamen sæpe, vel solo oris calore eliquabile, si paulò lingua versetur. Visum hoc alijs Tabarzet vocandũ esse, quod antea gummi lacrymæque modo Solis vi de cannis expresso nomē inditum fuisse diximus: nec inconuenire arbitramur, vtrunq; vt appellari ita rectè queat, quòd vtriusq; color candorq; idem, nec constitutio, nec facultas diuersa reperiatur. Densatur enim id quoq; tēpore in vasis, in quibus Zulapia.

Omnium temperamentum multo infra mellis caliditatem: siccitas autem nulla, quę in melle secundum à temperamenti æqualitate ordinem occupauit, contraq; potiùs humiditas. Impurius illud cocturæ primæ, rudeq; magis, calidius existimatur, acrimoniæq; maioris, simul & abstersionis, quasi mellis æmulum: calidum minùs, quo candidum magis, iacturam semper faciente caliditatis multiplicatis excoctionib9, & acrimoniam & abstersoriæ facultatis aliquid deperdente, vtiliore futuro, quum tanta abstergendi vi non eguerimus. Abstergere igitur potest, sed sine acrimonia multa, vel calefaciendi vehementia, aut ventriculum, aut iecur, aut intestina, aut viscera denique omnia, circuniectasque partes, ac molē demum corporis omnē, quam permeat sæpe totam venarum osculis receptum, & partes cunctas peruadens, viamq; sibi faciens tenuitate, & dulcedinis affinitate arreptum à membris vndique, attractúmque: vel hoc vno nomine condimentorum omnium commendabilissimum, quo opsonia quæque, & fercula egregiè dulcata, amicioraq; facta, auidè arripienda vniuersis corporis partibus præbet, nullo intereà aut hęrendi meatibus intereundũ, aut infarciēdi vias, discrimine, vt alia multa, quæ amicissima naturę nostræ, ob dulcitudinem tamē, aut constitutionis crassitiem, obstruunt sibi ipsis vias, aut visciditate hæsitant, retentaque subsistunt sæpe.

Nihil in Saccharo periculi ex hoc: quippe quod & extenuandi, & detergendi potestate polleat, nedum aut oppilet, aut glutinositate moram trahat. Quum hanc igitur inprimis commendationem ad condiendum adfert, tum illam vel maximè, quòd in medio propè positũ vertere se in omnē fermè partem ad condimenti cuiuscunque rationes omnes queat; frigidis quidē præcipuè atque siccis adhibitum, vt ad temperamētum reuocet; sed nec calidis humidisque aliquibus, quæcunque non magnopere talia fuerint, non & quidem conuenientis condimenti modum exhibiturum, non illud quidem vt temperamentum iustum faciat, at prope temperamentum tamen sistat, excessu modico qualitatum earũ, quarũ calorifica vi moderatiore, & amico temperatoq; satis humore, maximè iuuari cōcoctio, & distributio promoueri, &, breuiter, nutriendi corporis totius œconomia absolui perfectè consueuerit.

Paulò tamen calidioribus naturis, aut temperamento, aut ætate, aut vtroque, nociturum semper, conuersione in bilem facili; maximè verò rude, primæq; omnium quasique inchoatæ tantùm excoctionis, illud, quod melli penè ęquiparari posse diximus. Alioqui purioris, tertiamq; iam cocturam experti, ad omnia, quæcunq; condiendorum opsoniorum ratio vsusque postulat, commendatio meritò, vt suprà quoque monuimus, maxima. Acria eo retunduntur, edulcantur amara, austera leniuntur, mitia fiunt acerba, mitescunt acida, salsa diluuntur, extenuantur crassa, viscida detergentur, corruptioni resistitur, occurritur putrefactioni. Temperata custodiuntur, emendatur frigiditas, siccitasque, caloris quidem & humoris alicuius excessu aliquo, sed qui non modò contrarijs qualitatibus corrigēdis vsui sit, verùm etiā qui bono alioqui nobis cedat, qua paulò antè diximus ratione, alendi nimirum corporis ita totius, fouēdiq; caloris innati nostri meliùs, gratia. Et excessus ille in repurgato atq; elaborato omnium minimus habendus est: vt frigidius id dixerint aliqui, temperamento alij æquo valde proximum pronuntient, lenire maximè dicant fauces, guttur, pectus, pulmones, vesicam, emundare ventriculũ detersa pituita absq; morsionis sensu vllo, flatuositates dissoluere, multoq; minùs melle siticulosum esse. Galenus Saccharũ nobis infra mellis dulcedinem indicauit, facultatibus non dissimile abstergendi, siccandi, discutiendi: in eo autē, quòd neque, vt mel, stomacho infestũ; neq; siticulosum æquè, substātia dissimile.

Sapæ ac Defruti discrimen, & temperamentum, vsus, nocumenta.

CAP. XV.

Vica-

VIcariũ mellis Defrutum quoq; eſt, & Hepſema, quod Sapa quoque dicitur: hoc ad tertias, alterum ad dimidias, ex vino decoctum, artis vtrunq; opus: ideo vicem quandoque mellis explens, quod naturæ eſt. Cæterũ nec qualitatibus quidẽ ſuis melli diſſimile Defrutũ, nec magnopere ſubſtantia. De hoc priùs dictum, quum de Vino: nunc condiendi quoque ratio ex hoc petenda.

Calido ſiccoque temperamento eſt, euaporatis aquoſis partibus omnibus, atque ex parte vinoſis, ignis violentia, qua prætereà ſubſtantiæ ſimul inter ſe commixtæ diuerſæ conſtitutionem eam efficiunt.

Rectè igitur admittetur ad frigidioris & humidioris naturæ opſonia condienda hoc quoque, maximè ſi repurgari aliquatenus pectus pulmonesq; poſtulet, ſi renibus & veſicæ detrahendæ ſordities aliquæ fuerint. Flatus parit, & viſcerum obſtructione aliqua tentatis aduerſum, dulcedinis ſubſtantiæque ratione: nam & accipitur auidè ob dulcedinem, & arreptũ craſſitie interſeundum hæret. neque enim tanta huic, quanta melli, multoq; minus, quàm ſaccharo, tenuitas, aut abſtergendi facultas.

Commodè tamen, vt diximus, ſatis frigiditati atq; humiditati temperamentum petitur inde, non ſolùm ad condiendum ritè, quæ illo qualitatum exceſſu notabuntur opſonia; ſed etiam, ac magis quoque tunc, quum eiuſdem temperamenti homini condimentum id parabitur, vt ætati, ſexui, vitæ inſtituto, tempori, conſtitutioni cõmodè ſemper ita paretur. Iccirco rectiſſimè incoqui Sapæ pyra pomaq; videmus, ſic obtinente iam vſu, pyra præſertim: innoxieque ſumi credemus pueris, ſenibus, fœminis, ſedentariam vitam agentibus, artémve exercentibus; hyeme, quàm æſtate, magis; refrigeratoq; potiùs ambiẽte, quàm æſtuante: modò & obſtructionum metus abſit, & flatulẽtiæ ſuſpicio tollatur. Sed de his in vniuerſum deinde admonendũ paulò pleniùs erit, ſuo conuenienter loco. Defruto alendi quoque vires non deſunt, vt condimentorum multis.

Salſamentorum ad condiendum ratio, & Gari. Si non veterum illud verum Garum, at ſecundarium, & proximum quomodo parare conueniat, & quo vſu. De Oxygaro item, & Oxelæogaro.

CAPVT XVI.

QVid de Garo opinaremur, ſcripſiſſe antea memini, in tractatu de Piſcibus, quum de Salſamentis ageretur. Quæ quum alimoniam ſuam corporibus elargiantur, iureque ideo à nobis inter alimenta recenſita fuerint, Quadrupedum, Auium, Piſciumq; ante omnia, quorũ maximè reſpectu Salſamenta ſunt: non minùs condiendi quoq; vicem præſtant, vt & Garum, ſalſuræ vtrunque inprimis ratione, ac viribus. Nam & Salſamenta ipſa, piſcium pręſertim minutorum, cum piſciculis vnà ipſis, vt ſalitæ Sardellæ, vt Aquunculi, non ſolùm opſonij, (quod ſunt) ſed & condimenti ſæpiſſimè, (quod fieri poſſunt) facultatem omnem implent; ſi aut ad incidẽda opſoniorum aliorum craſſa, aut detergenda viſcida, aut frigida & humida contemperanda, aut denique ad auiditatem cibi faciendam, detrahendumque faſtidium, adhibeantur.

Et Garum (ſiquidẽ hoc nobis Cauiarum fuerit) libenter quidem horum omniũ gratia ſumimus, vt bona hodie apud multas nationes hominũ pars ex nullo alio adlubeſcere magis palato cibum poſſe credat, quàm ex hoc: aut, ſi hoc non recipimus, liquamina tamẽ fieri à nobis poſſunt ex Salſamẽtis, (vt à Cõſtantino docemur quędã) intinctusq; ad idem. Liquamen autem proculdubio Authoribus omnibus Garũ eſt, vt ex hoc ipſo Cauiaro, iuſculo aliquo, aut liquore, aut ſucco Aceti, Citrij, Arancij, Limonij, eliquato, additis modò Pipere, modò Cinamomo, aut aromate demũ aliquo, concinnari optimè liquamen, quod Gari ipſius ſpeciẽ vſumq; exhibeat, ac facilè poteſt. Idem ex piſciũ inteſtinis, humore aliquo cum ſale dilutis, aut Scombrorũ iure, aſſequi nobis licebit, tabeſcentibus nimirũ inteſtinis, Scombrorumq; parte ſaltem aliqua in liquorem ſoluta: quando omnino liquamentũ eſſe aliquod oporteat Garum, iamq; hoc ſociorũ liquor ille ſit pretioſus olim, ac tãtopere lautioribus nobiliũ mẽſis expetitus, cuius comparatione condimenta reliqua penè omnia & intinctus vileſceret.

Quòd ſi conſequi nobis haud cõceſſum fuerit verũ, legitimumq; illud, ignoratum hoc tẽpore: at ſpecimen illius, proximumq; parare nobis huius ſimilitudine licebit, maceratis, vt diximus, ſale piſciculis, qđ quaſi putreſcentium ſanies ſit, atq; in liquorem quoquo modo dilutis ſolutisque gratum aliquem palato. Hocque pacto ſecundarij ſaltem Gari, fæcoſique ſpecimen, aut veterum habituri Alec ſimus.


Minimo autẽ negotio Sardinas minores illas ſalitas, Aquonesve minutulos itidẽ ſalitos, aut eiuſmodi alios tuſos, iureque aliquo, alióve ſucco maceratos, eliquare ſubdito igne poſſumus; tum verò aromata addere, aut odorata ſemina, aut acetum, aut oleum, licebit: ſicq; aceti additione, Oxygarũ; huius autẽ atque olei vnà, Oxelęogarum

rum nobis statim existet. Veruntamen hæc opsoniorum iam, intinctuumque compositionem, præparandiq; modum tangunt, de quibus mox dicetur à nobis.

Commoditas ex Garo dissecandi maxima, cōcoctionemq; ita iuuandi, succorum crassitiem attenuandi, calefaciendi; ante omnia, languidam torpentemq; appetendi vim, magno sæpe successu, sanitatisq; atq; alendi corporis commodo, exuscitandi.

Aromatum prærogatiua ad condiendum, atque inter hæc Cinamomi, naturáque eius, & vsus.

CAPVT XVII.



Ertinent ad Condimenta odorata quoque semina multa, & Aromata; cùm propriarum qualitatum, tum verò iucūdi inprimis saporis, atque odoris gratia. De Aromate dicendū priùs esse videtur, odoris inprimis suauitate præcellenti, vnde & nomen illi, quasi ἀριόζων, verbi significatum adaugente semper ἀρι particula apud Græcos. Nobis igitur suauiter valdeque odorū quiddam Aroma erit. Condiendi viribus, quæ profectò nec paucæ, nec paruæ in his, suauitatem odoris addunt Aromata; quod priùs dictis condimentis omnibus desit, nec parui habendum est, ad meliùs semper condiendum, momenti, vtpote quo & adlubescentia cibi maior sumenti oboriatur, & acceptum indecibum cùm arctiùs amplexentur partes, eoque faciliùs conficiant; tum ipse odore suo cibus intrò delatus, vt odorata omnia, preter alia, emendata succorum malitia, retusaque, securum corpori alimentum præbeat, non modò non facilè putrescibile ipsum, sed etiam aliorum promptè putrefactionibus occurrens, vetansque.

Principatum in his iure, vt arbitror, Cinamomo dabimus, quale quale illud habemus nunc: si veterum legitimum Cinamomum non est: at veterum Casia est, secundarium nimirū Cinamomum, maximi ad omnia vsus, etiam quæ medicinam interiùs attingunt, non solùm ad cōdiendi, obsonandiq́ue rationes, & culinę opera. Duplo plus, quàm si verum ad manus haberemus, adijciēdum rebus esse, maximorum Medicorum præceptis monemur, vt, quoniam facultates eædem, viribus autem destituitur, duplicatum facultatū suarū plus perficiundo, quod quærimus, operi conferat.

Deglubitus cortex est, vt oculorum manifesta fides ostendit, conuolutus, & plicatilis visus semper, acer, odorus, suauis, gratissimo linguam ac palatum sapore, placidisque morsiunculis prouocās. Benè calidæ siccæque naturæ est, substantia perquàm tenui, eaque ignea ob acrimoniam, in qua terreæ partes valde benè elaboratæ aërosam etiā ex parte cōcepêre, & adstringentis tamen retinuêre aliquid, maxima semper rerum, quibus duo hęc inesse apparet, commendatione incidendi vnà ac roborandi: hîc verò cōiunctum prætereà habent Aroma cum acrimonia miti, summaq́ue insuper partium tenuitate, qualitates in hoc reliquas omnes superante: vnde agendi illi efficacia insignis, penetratione per omnia, vt summè calefaciat siccetque, quanuis non summè calidum siccumque, indēs sese altè in partes omnes, ac minimas quasque; sed innoxiè, vt diximus, si, vbi operęprètium est, fiat.

Commodissimè igitur, frigidis atq; humidis cibarijs omnibus pro cōdimento addetur, crassioremque illorum substantiam attenuatam fortiter dissecabit, constitutionem duriorem soluet, & concoctionibus paratissimam reddet, corruptelæque minimè opportunā, exuctis cum aromatis commendatione superuacaneis humoribus. Hoc foris opsoniorum præparationibus cōmodat. Idem intus, superatis meatuum omnium angustijs, obstructione viscera omnia liberat tenuitate illa sua, ijsdem robur addit, adstringendi viribus, putrefactionis causam adimit, succorum redundantiam tollit, quos siccans sugensq́ue absumit, partim quoque apertis meiendi vijs elicit; aduersus lumbricorum, similemque, vel in veneni naturam corruptā materiam pugnat; oculis claritatem ad fert, quos fortè offuscans frigidior atque humidior succus aliquis occupârit. breuiter, frigiditati & humiditati in toto corpore remedio atque auxilio est: penetrare enim quocunq; posse diximus ob tenuissimas partes. Priuatim verò putrefactionibus resistit siccantissima vi, ob hoc ipsum, quòd in profunda corporis se totius adigit, caloreq; igneæ quidem acrimoniæ, verùm eiusdem & aromaticæ, pollet: quib[9] maximè facultatibus putrefactionem omnem tolli, venenosasque materias consumi, siccarique inprimis solere, scimus. Tum verò abscessus omnes interiorū viscerum, quos manu tractare, aliaque vlla ratione sanare nō est, his, aromaticisq; inprimis facultatibus curari posse, in cōfesso apud omnes est: minùs vt mirari debeamus, si, quum hæc tot ac tanta, affectus maximos curando, præstant Aromata, atque inter hęc omnium maximè Cinamomū, vbi longè plus virium, operæq; medicæ requiritur; præcauendo, in quo multo minus, plurimæ nobis ex hoc, in hac quoque Medicinæ, quam nunc versamus,

parte

parte expectandæ commoditates sint.

De Pipere, vt calidius quamuis Cinamomo, minùs tamen eo interdum calefaciat partes quasdam. & de vsu eius ad Condimenta.

CAP. XVIII.



Aior in Pipere calefaciendi atque exiccandi facultas, vt quod lōgiùs à temperamento in quarti vsque excessus ordinem progressum affirment; alij etiam ad medium huius ipsius peruenisse scribant, quum Cinamomum vix tertium attingat: at efficacia tamen minor, tenuitatis vnius differentia, quæ in Cinamomo maxima actionum ἐνέργειαν illi addit, quocunque peruenerit, (peruenit aūt quocūque) ibi facultatibus suis egregiè atq; efficaciter operato. Piper, quanquam vehementissimè calefaciēs siccansque, paulò crassiorum partium vitio hæret, plurimumq; calefaciendi ita potentiæ, inter diutiùs eodē in loco operandum subsistēs, amittit, vt quam ibi veluti effundat totam, iecorisque partes vltra haud ita multum secum ideo deferre ad calefaciendum virium credatur, siue ob moram, vti diximus, in primo progressu diuturniorē, qua in agendo (sicuti in actione omni vsu venit) multum illi vnà caliditatis pereat; siue etiam nō exactæ neq; exquisitæ mixturæ elaboratione caliditas ea constet, atque ob id citò quoque exhalata deperdatur, in tenuem præsertim sæpe pollinem redacto Pipere, quo penetrabilitas quidem acquiritur, maiorque ad vrinæ vias progressio; at intereà vis exhalat facilè de contusis in minima particulis, nec magna perfectioris mixturæ copula cohærentibus, remissa.

Quocirca quum calefactas volumus primas illas venas, vētriculumque, aut circuniectas ventriculo partes, cautio est, ne tundatur nimis, integrumque, aut certè crassiusculè contusum, deuoretur, remanente ita Piperis caliditate diutiùs, & tardante ob crassitiem, meliusq; actionem suam edente. Secus, si quærendus erit nobis, conciliandusq; toti corporis habitui calor. nam tūc minutissimè tunsum, quo celeriùs per totum delatum calefaciendi potentiam integram eò deferat, dabimus, quanquam hanc quoque ipsam non ita diu ibidem seruaturum.

Hoc maximè concoctionem iuuat, frigiditate atque humiditate succorum impeditam, quos eadem opera Piper & exiccatos consumit, & calorificam vim suam addendo partibus, auctaque ita natiui caloris opera, concoquendi simul egregiè opus semper promouet, tanta efficacia, vt persanatos quosdam memorent hac vna ratione, quos diutissimè ventriculi, vicinarumque partium perpetua quędam cruditas antea vexâsset: rursus alios prædicēt non ignobiles quidam Authores, assiduis destillationibus longissimi temporis infestatos, quas fortè crudi inconcoctique humores quidam excitarent, hoc vno maximè auxilio in integrum pristinæ sanitati suæ restitutos; tussiculosisque ex eodem interdum humore hac inprimis ope subuentum. In plenum de eo dicendum id, conuenire visceribus frigido humidoque succo obsessis, eorumque eandem intemperiem corrigere, cruditatem auferre, ciere vrinam, Venerem stimulare, ventris dolorem lenire, flatulentiam reprimere, abstergere, soluere, discutere.

His facultatibus perquàm cōmodè trahi in multos condiendi vsus poterit, quicunque dictarum qualitatum aliquam poscere videbuntur, aut opsonijs, aut condimentis, aut intinctibus parandis, mixtius, seorsúmve; vel etiam quoties, posthabita horum consideratione, corporibus cōsultum voluerimus, vel humoris noxij consumptione, vel intemperaturæ correctione. Eo nanque casu plusculum requiremus ab hoc efficaciæ, non quæ cibaria nobis ad æqualitatem deducta contemperet, iustæ temperati hominis naturæ conuenienter: sed quæ integrū actionis suæ opus in corpus transferat, perficiatque.

Vehementer vtrunque, calefacere atque exiccare asseruit Galenus, Nigrum, Albumque, quod veluti omphacium esse Piperis dixit: in Albo plus agnoscit acrimoniæ, nō abs re: propterea quòd in Nigro corrugato iam sæpe, vt videmus, ac retorrido, euanescēte assiduè, cui insidet, humore, acrimonia vnà quoque aliquantum remittatur; restet autem caliditas vehemēs satis, quam præsertim maior facta, humiditatis discessu, siccitas, opulentior semper caloris comes, auctam foueat, saltem nihil amittere virium suarū sinat. Longius, quod Longum vocant, maioris esse humiditatis existimatur, propter quam & cariem citò sentit, neque initio statim acrimoniam suam detegit. Hoc Piperis nouellum esse fructum tum primùm germinantis arboris nucamenti cuiusdam in modum, credidit Galenus. Arbitror, credituri nos quoque fuimus, proditum ita ab Authoribus classicis, nisi ambito iam nauibus Oceano vndique toto, & aperto cognitioni nostræ nouo Orbe, compertū haberemus alterius esse arbusculæ fructum hunc, ex qua, vt in Pontica nuce, iuli sui dependent.

Zingiberis natura. Et vt diutius, quàm Pipere, incalescant eo partes: quodq́; cariem facilè sentiat, Longi piperis modo. Tum vires, & facultates eius dicta. Et de conditaneo Zingibere.

CAPVT XIX.



Adẽ reperitur in Zingibere humiditas excrementitia: nam & id teredine facilè arroditur, nec caliditatẽ suam protinus exhibet, vt Album Nigrumq́ue Piper; quam tamẽ deinde diu satis manifestatam profert, retinetq́ue, partibus, quæ calefactionem maiorem requirunt, accommodam. Concepto nanque semel calore ex Zingibere pars, si præterea temporis mora accesserit, sine dubio, quoniam ita demum agentis semper cuiusque opus maximè crescit, magis magisq́ue incalescet: ac cùm frigidos humores resiccatos dissipare Zingiber, tum membris etiam amissum diuturni frigidiorisq́ue alicuius humoris præsentia calorem reddere suum valebit. Pipere autem, & Piperi similibus quibusdam alijs, accendi quidem facilibus, sed non diu id seruantibus, dictis antea de causis, veluti perstringuntur potiùs calore partes, altiùs non recipiunt: & ad celeritatem quidem calefaciendi valebunt illa, calorem membris non infigent, nisi frequẽtiore vsu, aut ita parata, vt moram diutiùs trahant in membris. Quare integrum potiùs, aut semifractum tantùm, quum vsus ita exigit, deuorandum esse Piper iubẽt, sicuti iam monuimus: ne minutiùs confectum indat se proximarum venarum osculis, longiusq́; ingressum abeat, destitutis calorifica vi sua partibus, quæ illi alioqui quasi in superficie posita, nec tenaci admodum mixtione attributa, haud difficulter euanescens diflatur. Radix est Zingiber ex Aethiopia ad Troglodyticam, notior iã, quàm vt signis vllis indicari debeat. Exuberans in ea humor, siue natiuus illi is sit; siue festinata nimis, & priusquàm inarescant folia, quod iustum sit legendi tempus, euulsio id faciat, eaq́ue teredinis, quam sentit, causa habeatur. Occurri huic vitio diu antea iam cœptum, lecta quàm primùm radice mellis aut mellei liquoris alicuius conditurae immersa. Hinc duplex ad nos iam affertur Zingiber: hoc ipsum, quod Viride vocant, cõditum ita: alterum vsitatissimum, frequentissimumq́ue culinis iam omnibus ad condimenta multipliciter, viribus ac facultatibus calefaciẽdi siccandiq́ue, iisdem, quibus Piper: eo tãtùm, quod antea docuimus, discrimine: Nigrum intelligo. Nam Longum, quod alterius esse arboris diximus, Zingiberi simillimũ est substantia, facultate, cõstitutione, temperamento. Vtriq́; redundans humor, cariosum vtrunque fit; calefaciendi, siccandiq́ue potentia eadem, nec agendi ratio diuersa, non protinus exerente se vtriusque facultate, &, postquàm se ostenderit, manente.

Resiccabuntur facilè hoc, quæ resiccari voluerimus, & caliditatem accipient frigidioris naturæ cibaria, extenuabuntur, saporem acquirent iucundiorem multa: qua gratia opsonia, suaq́; passim Embammata huius inprimis polline concinnat Septentrio iam totus, ferculisq́ue omnibus adhibet, magno iam vsu edocti compertę ad sanitatem commoditatis, quam assiduè ex eo percipiunt, opposito, præter narratos iam vsus, frigidioris quoque atque humidioris cœli noxæ remedio. Hoc mirificè ventriculi difluentẽ humiditatem quasi exuctam resiccat, præsertim quam esus fructuũ induxerit; iecoris frigidius temperamentum corrigit, coeundi desiderium auget. Lenire ventrem creditur, morsiunculæ fortasse alicuius acrimonia, atque irritamento incitatum, si in humoribus vacuum inciderit. Nam ex intestinorum læuitate ob pituitosum, vt sæpe fit, humorem lubricum etiam adstrictum sistere valebit, absumpta resiccando egregiè causa. Eadem ope oculorum hebetudo, ex pituitosa materia, clarescet inde: impeditam succorum frigiditate atq́; humiditate, aut etiam absente iam humore sola intemperatura læsam, concoctionem iuuat; flatuositates, quantumuis crassioris materiæ, valenter discutit; viscerum obstructiones reserat, alimẽtiq́ue per corpus distributionem omnem promouet.

Viridis, quod ita vocari diximus, & Cõditaneum est, ex condimẽto suo ad eadem omnia facultas; vsus minimè, quòd in pollinem non ferè redigi solitum sit. Proinde nec ferculis inspergi, nec intinctibus addi, nec opsonijs incoqui, nec ad condimenta multis alijs modis venire solet. Præcipuus eius, ac propè priuatus, firmãdo ventriculo, intestinisq́ue humore nimio difluentibus, vsus, ac commoditas, quorum mollitiem & malaciam facultate sua tollit. Senio quoque, vt creditur, retardato, haud dubiè oppresso humoris nimietate innato calori, indeq́ue acceleratæ senectæ, non parum auxilij, certæq́ue opis allaturum. Minor inesse huic existimatur excrementitiæ humiditatis illius, conditurae beneficio, ex melle, siccitatis suæ aliquid Zingiberi ita impertiente.

De Caryophillis, qua gratia in Aromatum censum venerint. Quæ vires illorum ad condiendum habeantur: quod temperamentum. Et de Caryophillo flore.

CAPVT XX.



On quidem, quantus descriptorũ iam Aromatum ad opsonia atque condiméta in culinis, tãtus Caryophilli; at nobilis inprimis, gratusq; ante omnia, vsus, odoris gratia, ob quam commendationem primò meruit, vt in Aromatum censum reciperetur; posteà sapore commẽdatius factum, Condimentorumq; ordini adscriptum, locum suum egregiè in multis tuetur, allata cum sapiditate vnà odoris quoq; suauitate, quo maximè atque inprimis Aroma censetur.

Mirum, latuisse hos Medicorum Scholam ad Aeginetæ vsque tempora, qui primus Caryophillorum meminit, idque tradente de his multo Galenum ante Plinio ipso, Garyophilli nomine: tametsi specimen tãtùm quoddam veriùs rei huius prodidisse videri possit. Iam &ad medicamentorum quorundam compositionem trahuntur vtiliter: ad opsonia verò & condimenta, excalfaciendi siccandique potestate, quam illis abscessus ab ęqualitate temperamenti tertij in classe assignârunt, conferent, quo propè Aromata reliqua modo; præter id, quòd nec ea his tenuitas, quæ Cinamomo, nec quæ Piperi caliditas ac siccitas, & odora vis saporisque commendatio maior, quibus facultatum aliarũ vires pensentur satis. Lentitia quædam mãdenti detegitur cum acrimoniæ qualitate subamaræ, mirè tamen blandienti palato. Configit Germania his aues per totũ, quas in verubus torrendas versat, vt ceu confixæ hærentibus toto corpore Caryophillis tanquam clauis quibusdam videãtur. Etenim reuera clauos referunt similitudine, inde etiam nomen apud nationes quasdam sortiti, vt claui vocarẽtur, prominẽte in summo vertice pileolo quadripertito, dependenteq; subtus protensi claui parui effigie. Ea confixione gratus conciliatur assis ita carnibus sapor, odorque: natura tamen sicciores exarescunt tactæ prętertim inde partes, nec assatura eiusmodi ritè in omnibus succedit. Feliciùs, rectiusq; multo infigũtur pyris sapæ incoctis, aut infixa itidem condiuntur Mespila, Epimelides, & huiusmodi plura.

Dos præcipua, demendi nauseam ab humore frigido contractam, excitandiq; subnde appetentiã; ventriculo, iocineri, cordi, laborãtibus subueniendi, si ab humorũ frigiditate obsideantur. nam aliâs viscera lęserit simplici nudaque, sine succorũ prę-sentia, calida siccaque intemperie tentatis.

Eadem de causa offensam cõcoctionem iuuat, infarctus aufert, oculorũ caliginem demit, sopitæ itidem succorum frigiditate Veneri stimulos addit. Ante omnia oris halitum egregiè cõmendat, vt, quibus anima fœtet, aut in proximos astantes exhalationis eius tædia transmittunt, his hi maximè mansis, oreq; contentis, graueolentiæ molestiam illius discutere cõsueuerint. Addidêre Caryophillis gratiæ cõmendationem nobiliores fœminæ Germanicæ, dũ etiam in vino condimẽtum sibi quæsiuêre ex his. Loculo ad cyphi argentei imum structo, inclusi Caryophillorum clauiculi longiore maceratione odoris saporisq; sui vinum faciũt, transfusis in id qualitatibus ꝓprijs.

Nomẽ dedisse Aroma hoc videri potest florum omnium, si rosam excipias, elegantissimo, nobilissimoque: aut ille certè huic nomẽ suum impertiuit, & cognationis suę fecit, nec odore, nec forma dissimile, magnitudine licèt plurimùm distent: quippe & flori pileatus vertex, quinis senis ve in agresti foliolis stellatim expansus, insitionibus deinde multis comosus valde factus altilisque, formam tamẽ seruat, calyx subest oblongus, in syluestri adstrictior, qui Caryophillon Aroma magis effigie referat: in altili calyci crassities longitudinem aufert, qui sępe sic in summo fragrãtissimi odoris flosculorum copia prægnãs reperitur, vt fatiscẽs inde ad imũ scissus dehiscat.

Nucis vsus Moschatæ in condimentis, dotésque, ac facultates ad multa.

CAP. XXI.



Gnotum pariter antiquioribus Medicis Moschocaryon, ac recentioribus tantummodo memoratũ: ea nobis erit Moschata Nux, odorataque & vnguentaria, quoniã Gręcis Myristica quoq; dicitur. Hęc Caryophillo facultatibus suis omnibus penè par, iure eorũdem quoq; vsuum ad opsonia, & condimenta habebitur. Atq; his ferè nominibus passim iam frequentissimeq; ab omnibus vsurpatur, vt nullę propè iam culinę sint, etiam rusticanæ, ac vilioris plebeculæ, quas non ingrediatur, certatimq; cum Aromate vnoquoque, & multiplicis vsus frequentia, & largissima vbiq; sui copia, cõtendat, modò in pollinem redacta, vt iusculis ferculisque multis inspergatur; modò frustulatim concisa, vt incoquatur;

modò confracta crassiùs, tenuiùs, vt variè intinctus, auiumque, aut eduliorum quorundam infarctus iuuet: semper autē opsonijs, horumq; cōdimentis, commodissimè inseruiens. Muliercularū Germanarum, conditionis licèt abiectissimæ, infimæque sortis, nulla, cui non ad manus semper in promptuq; odorata hæc Nucula sit, circūferētibus secum perpetuò, hac se aduersus affectionum muliebriū impetentes de improuiso sæpe noxas muniunt, tutasq; fore rentur, si deuorare frustulū, aut continere ore, aut derasæ vti polline ex liquore aliquo detur. Ad condimenta vires confe- ret egregiè suas, excalfaciendi primùm & exiccandi, abscessu à temperamento secundo, vel eo etiam vlteriùs, vt quibusdam visum; tum cibarijs ex hac, quæ condimētum illius acceperint, densum quiddā accedet, & solidum, quo fluxa coercentur. est enim adstringēdi in ea virium aliquid. Atq; his ferè facultatibus condimēta & opsonia iuuat, emendatis contrarijs qualitatibus, reuocatisq; ita ad tēperamentū iustū edulijs.

Ipsa deinde per se, vel etiam quum additione ea non temperamentum cibarijs, sed, si res ita nata tulerit, vsusq; fortè poposcerit, delatas intrò facultates eius cupimus integras etiamnum atq; efficaces, excalfecerit tum quoque, siccāritque; robur ventriculo, totiq; ventri, ac iecori non minùs addiderit, firmat quippe viscera stipandi potentia; earumq; partiū distentionem à flatibus compresserit, tumescētem lienem cohibuerit. Hoc huic priuata quadam dote tribuitur, vt tenuitate insinuet se in angustum, & stipticitate eodem adiuta propellatur; calore autem & siccitate tumefacientem materiam absumptam dissipet. Eadem ratione lotij multum elicuerit, extenuatis succis; serosaq; parte caloris vi sequestrata, meiendi difficultati subuenerit, cunctaque hæc, dum intra sanitatis adhuc limites affectibus his fortè tentamur; oculorum aciem roborārit, ventriculi subuersionem represserit, obfirmato stomacho, qui os illius est. Iam quod ad odoris boni commendationem ex ore attinet, non sanè admodum Caryophillis de hoc concesserit. Vteri verò conceptam, aut contrahi incipientem (de eo nanq; statu negotium nobis nunc est) ex humorum frigiditate noxam, nihil æquè iuuerit: id scilicet mulieres, vt narrauimus, experiētia edoctæ, non facilè illa carere solent, tanquam certo ita priuentur, ad ingruētes ea ex parte noxas, remedio.

Non deesse coniecturas, quibus probari poßit, vnam eandemq; rem esse Macerem, & Macim: cuius etiā narrantur vires in condiendi rationibus.

CAPVT XXII.



Hvius cortex Macis, seu folliculus potiùs, quo vestitur tota interdū, interdum ex parte. Hūc vulgò Itali Germanique nucis Moschatę florem dicunt: & esse flos potest, hærere sæpe nuculæ visus, ex quo prodiens illa irretitu deinde quodam comprehensa tegatur. Qui si aliud quippiam, ab antiquorum Dioscoridæ, Plinij, Galeni Macere est, vt seculi nostri rerum harum diligentissimi peruestigatores contendunt: quò, quæso, abijt à nobis Macer? qua se mundi in parte occuluit, peragrato iam Orbe toto, & vndequaque adito, perlustratis Indijs, & accuratissimè plantis omnibus perquisitis? Atqui radicem arbori dant, cuius corticem Macer faciunt, magnam historiæ: vt neque admodum pusilla propterea arbor latere sanè possit inter tot alias, si modò etiamnū extaret alicubi. Nā perijsse vniuersam eius speciem, manentibus tot alijs, hoc verò incredibile: quum animaliū ipsorum (quod tamē factu facilius, & credibile magis esset) nunquam tamen pereant. Scilicet huic vni irata Natura fuit plantæ, quæ vnam aboleri voluerit, aut seruari semina non curauerit, in alijs seruata, etiam in gremio terræ, si nulla colendi agrum cura accesserit, latentia, & quæ sponte tantùm sua proueniant sæpe: aut si aliqua tandem adhibetur cultura, num is cōtemptus, ea negligentia tam raræ arboris apud agricolas, quibus curæ hæc sunt & lucro, præsertim cuius tantùm nobis cortex aut interior liber in vsum cederet, tam vtilem receptumq; iam, vt perire eam posteritati finerent? Nam de Cinamomo, & quibusdam alijs non perinde fortasse mirum, tam inuentu difficilibus, & ob raritatem penè ad inquirendum fabulosis: quæ tamen multa si non ipsissima, certè non diuersissima habemus: vt negari non possit, inter nostratis Cinamomi, aut veterum Casiæ, aceruos repertas aliquando ab aliquibus veri minutias quasdam, & frustilla, quæ natiuum prorsus Cinamomum referrent; idemque arbitrari in multis alijs possimus euenire posse, vt illorum sese nobis tempore tandē detegat facies visenda, cognoscendaque. Sed de Macere, si nullus ad nos eius, tam commodi antea vsus, ligno corticive detractus cortex defertur, qui Macer nobis sit, perijsse necesse est, & rerum naturam exijsse: dubio procul omni, si vsquam extaret, vel ab vltimis ad nos Moluchis deferendus, delatis tam sæpe intereà Aromatis alijs, in quibus non tantum operęprętij sit exportandis. Quod multo

multo faciliùs, adeoq́ue libentiùs etiam crederemus, si nullum prorsus reliquum factum esset eius apud nos nostra hac tempestate specimen, vt perijsse in totum existimare possemus. Nunc æmulam habemus rem tam Maceri persimilem, non nomine tantùm dico, sed facultate, & viribus multis, vt adducere in suspicionē facilè vnumquemque possit, non admodum diuersa hæc inter se habenda esse; nec quærendum nobis veterū Macerē esse, Macim nostrum quum retineamus: sicuti sanè nec veteres illi alium protulerunt, quum diuersum non haberent. Ex quo fit, ne in hæc trahi inconuenientia cogamur, vt idem omnino ducam Macerem, Macimq́ue, remq́ue prorsus eandem esse opiner, nomine tantùm ex parte diuersam, neque valde tamen. Quantula enim literularum differentia in Macer & Macis: maior est, quum Macer Machir quoque appellant, rem ex confesso eandem. Macis, vox est Serapionis, & Auicēnæ, codicum Latinorum. Macer Dioscoridæ, & Galeni, (De simp. medi. fac. vij.) qui primò Dioscoriden sequutus corticem esse dixit ex India aduectum, adstringentis admodum facultatis, gustui detectæ: nec coloris, nec crassitudinis meminit: tum pauxillum aromaticæ acrimoniæ addit, odorisq́ue prætereà suauitatem, communi Indicorum aromatum conditione: viderique ait commixtæ esse substantiæ, ita tamen, vt terrea superet, pauca calidior tenuiumq́ue partium subsit. Hinc vehementem illi siccandi adstringendiq́ue vim tribuit, vt in tertio exiccantium ordine reponat; calefaciendi aut refrigerandi notatu dignum quippiam facultatem adimat: ad Cœliacos & Dysentericos affectus compositionibus admisceri solere scribit. Idem tamen multo pòst tempore De compositione medicamentorum secundùm loca opus conficiens, quod omnium postremum illi fuit, tanto interiecto tempore, (anni enim intercesserè minimum viginti) ideo quòd operis De simplicium medicamentorū facultatibus inchoatam, in qua de Macere quoque, partem per tantum temporis perficere distulerit, ne incōperta adhuc sibi quædam traderet, exploratiùs fortasse cognita Maceris facultate, vim illius abundè calidam protulit: potentiam tamen eandem agnoscit adstringendi, vt diuersum proptereà esse non appareat. Priorem Galeni sententiam de Macere, proprio dicatoq́ue tractationi illi loco descriptam, quasiq́ue contestatam, & Dioscoridæ verbis, à quo ille primùm accepit, innixam, sequuti sunt nihil prorsus nouantes Paulus & Aetius, atque ex Arabibus Auicennas & Serapio. Quorum alter Auicennas licèt duobus de hoc capitibus scripserit, de Maci primò, tum posteriùs de Talisafar, cui omnia, quæcunque suo Galeno Maceri, ad vnum penitus tribuit: Maci autem nullas prorsus facultates assignat. At Serapio eodem capite, Macis inscripto, vtrunque tanquam idem omnino, diuersis quanuis vocabulis, inclusum comprehendit, Bisbese primò, tum Talisfar etiam vocans, ne is quidem Bisbese, quod Macis illi est, priuatim virium quicquam concedens, præter id vnum, quòd Medicinæ vtilis reperiatur; ac in alterum cunctarum facultatum vsum conferens: ne, quum res eadem diuerso nomine notaretur, frustra, atque etiam nugatoriè transferrentur aliò, quæ semel dicta sufficerent. Vtri autem standum potiùs sit in materiæ Medicæ examinatione, Serapioni'ne, an Auicennæ? Opinor, Serapioni dicemus omnes, qui ex professo rem tractat, fusiùs, distinctiùs, explicatiùs: vt interim Auicennæ in alijs multis, in quibus Arabas omnes, non vnum Serapionem, longo post se interuallo relinquit, victoriam suam relinquamus, principatum confessione omnium inter hos adepto. Quibus si quis obijcere velit μνημονικὸν ἁμάρτημα, geminatæ inaniter eiusdem rei tractationis; habebimus maximorum Authorum nomina, peccatum hoc sola confessione excusantium. Et alioqui non deerunt exempla quærentibus, repetitorum vna eademq́ue de re quandoque capitum inter classicos quoque; siue ita factum ab initio fuerit, siue in scripturam irrepserint librariorum imperitorum inepta quadam curiositate, vel quum in Dioscoride legimus inter alia, quod vnum ex aliquot alijs referam, eiusdem prorsus sine dubio plantæ duo capita, Iberdis, & Lepidij. Hactenus nihil video, quamobrem vnum idemq́ue haberi non debeat Macer, Macisq́ue. At enim leuicula acrimonia non est. Est profectò non perquàm acris; non ea, quæ Cinamomi, Piperis, Zingiberis: amarorem fatemur inesse silentio prætéritū ab Authoribus, quia leuis, quia gratissimus, quia aromatico odore saporeq́ue commendabilis occultatur. Adstringendi facultas, quam haud obscurè primo quoque gustu deprehendas, tum cuius gratia hodieque Macere ad multa vtamur: caliditas, quanta in aromate cōiuncta cum adstringendi potestate esse potest, aut quantam potiùs Galenus ipse deinde, certiùs id meliusq́ue expertus, pronuntiauerit: corticis crassities, quam illi vnam tribuit Dioscorides, qualis arborum multarum radicis, (& huius nanque corticem facit Plinius) aut qualis superiorum partium

tium libri, qui exteriori corio subest. Iam qualitates hæ cunctæ in nostro quoque hoc exploratæ, confessæque. Aiunt prętereà, minimè omissuros fuisse veteres illos nucis Myristicæ ipsius quoque tam ad multa vtilis mentionem, siquidem huius cortex, atque integumẽtum Macer sit, quam necessarium fuerit cum eo vnà ad nos importari. Verè atque ingenuè fateor: vincit hoc vnum, vt ambigam parum. Sed quum mecum cogito, fieri facilimè potuisse, vt contemptas primò neglectasque, aut superuacaneas existimatas, aut ex quibus non multum accipere lucri possent, aut qua alia de causa, ipsi sibi Nuculas aliquandiu retinerent illas incolæ Baran, (quæ insula est, in qua sponte sua arbores Nuculas has ferentes largissimè proueniunt) misso ad nos cortice, donec maiore spe lucri has quoque ipsas, vt multa talia contingunt, negotiatores transuehendas in nostrum hunc Orbem curarent: à sententia non discedo, libenti tamen animo recessurus ab ea, atque in aliorum iturus, si rationes cogent.

Vsus nobis huius condiendis opsonijs, aut intinctibus parandis, aut concinnandis infarctubus, quum pręter odorem aromatis egregium, siccandi fluxioris fortè substantiæ edulia, retinendique ac cogendi facultatem quæremus, aut crassitiem attenuandam, cum excalfaciendi viribus, habebimus.

Ratio condimentorum quibus ex partibus iuuetur Croco: dotésque illius omnes, & incommoda quæ præcaueantur.

CAPVT XXIII.



Optimum fert Crocum Pannoniæ Superioris Vienna, proximaque Marcommanis, qui hodie Morani sunt, Austria, & quod cum nobilissimis nostræ ætatis contendere possit, postquàm portari ad nos desiêre Corycium Lyciumque illud. Hodie palma Aquilano Italiæ datur: ab hoc Siculum habetur laudatissimum: vtrunque tamen superari Austriano bonitate affirmant. Non parua vis Croco concoquendi siue alimenta, siue etiam succos, humoresque crudiores, vtracunque Medicinæ in parte exposcere id vsus videatur. Id quidem ex benè calorificæ facultatis cum adstringente aliqua coniunctione adeptum: quibus ambabus in vnum couenientibus viribus, matura non sine ratione parata esse debet vbicunque rebus concoctio, retropulso adstringendi vi vnitoque, & ob id fortiore facto, innato calore, mox deinde calorificam vim suam concoquendis rebus inferente, incumbenteque vehementiùs, vt nihil futurum sit, quamlibet crudum atq; inconcoctum, quod non confectum ita maturam satis concoctionem subeat. Atque hoc de Croco hîc sic enuntiatum, transferri ad alia omnia earundem facultatum, aut si qua etiam non diuersarum rationum, sed maiorum tamen virium conferre ad operis maturandi perfectionem plus semper ac plus poterunt, debebit. Additur esculentis per vniuersam maximè Pannoniam Crocum, in quam Austrianũ penè totum distrahitur; nec minùs Septentrionalis plaga vtitur, gentesque insuper multæ, sed eæ potissimùm, bona pars, facultatum illius ignaræ, nullaque adeò rei huiusce cura, ac, vt colorata tantùm reddantur fercula, hoc sibi inde plurimi vnum propè quærunt: nisi hîc quoque, vt in multis alijs, veteribus ratione quadam inuectus vsus, durauit transmissus ad posteros, vtilitatis perceptione commendatus.

Supra concoquendi vires, robur addit vetriculo ac iecori, Venerem stimulat, vrinam cit, lieni cõmodat, hilaritatem largitur, reclusis vicinarũ cordi arteriarum venarumq; infarctibus, & vitali spiritu liberiùs permeate. Qua simul ratione, suspiriosis anhelosisq; succurrit, gratiam corporibus conciliat coloris melioris commendatione, putrefactionibus aduersatur, etiam siccandi facultate quadam. Somnum præterea conciliare, & ebrietatem arcere creditur. idem & ciborũ appetentiam prouocare potest, si modus adsit, & demere, si absit.

Quin cibos auersari facit fastiditos, & pallorem inducit, & quadrantis pondere epotum necat exultanti effusoque nimis gaudio exhilaratos, abeuntibus spiritibus, risuque sæpe immoderato concussos. Alij conuulsione canina correptos dixêre: sed nos mulierem prænobilem Tridenti vidimus, horarum circiter trium spatio, immodico, nullisque vnquam conuulsionis signis, risu concuti, eliciendorum fortè mensium causa iusto plus Croco vsam. Etenim reuera prouocandis menstruis efficax, vt ægrè quoque parientes iuuet. Atque hæc sunt ex Croco expectãda commoda iuxtà atque incommoda: hocque prouidendum, modicus illius vt sit vsus semper; quandoquidem nimius, præter narratas iam noxas, etiam capiti grauitatem, atque dolorem, nisi præcaueatur, inferet. Nec sanè aliam ob causam non solùm de hoc, verùm etiam de omnibus alijs, cuncta hæc narrata traduntur, quàm vt (quæ prouin-

prouincia nunc nostra est) Præcautrix ex hoc Medicinæ pars vberior copiosiórque euadat, ac veluti ditescat, si, quæ vitari ex multorum vsu mala, & præcaueri morbi debeant, non ignorabitur.

De Sinapi ad condimenta: & quomodo illius additione dulcedo Musto seruetur. Sinapis Embamma varium, virésque, & noxa aliqua.

CAPVT XXIIII.

ACerrima omnium atque exurens Sinapis natura est: & Condimentorũ tamen censum auget, nec inter postrema quidem, cęterùm alteri semper consociata, Mustóque inprimis, cuius etiam perpetuam, aut multi certè temporis, dulcedinẽ addita seruat, feruere prohibito, repressóque ita, vehementioris ingressu, natiuo Musti calore, ne in efferuescentiam exurgat, & in vinum transeat. Quod quum fit, simul mustea illud dulcedo manet, suum Græcis aigleuces, id semper Mustum est. Eadem ex causa fit idem, diuersa licèt ratione: mergentes quippe à vindemiæ tempore ad peractam vsque Brumam in aqua cados è lacu protinus ipso, algendi consuetudinem faciunt Musto, qua feruere prohibitum suam perpetuò deinde dulce naturam custoditam seruat. Quin addito quoque pumice feruore impediri suo Musta legimus, vt sic quoque seruari musto dulcedinis sensus suæ possit.

Haud scio, an tam frequens aliud per gentes propè omnes tota Hyeme, magnaque reliqui anni parte, quàm ex Sinapi, Embamma sit. Paratur variè, penè semper ex Musto: inde Mustardam nomen accepit, tanquam ardentis nimirum Musti. Ex Sapa quoque vidi: alij cydonia, alij pyra addunt, integra, sectáve; alij maiore quadam saporis cõmendatione gratiam quęrunt ex concisis iniectisq; Citriorum, aut Aranciorum corticibus.

Commodissimè ad sanitatis rationes vsurpatur, quibus dixi, temporibus: eiusdémque modi constitutionibus aëris, epulis, esculentisque vtiliter apponitur frigidioris humidiorisque naturæ, crassæque ac glutinosæ substantiæ omnibus, quæ calefaciendi siccandique insigniter viribus pollens facilè attemperet, extenuet, abstergat, ex Embammate, Intinctúve, qualem retulimus, aut intrita etiam solùm, & quoquo liquore extemporario diluta, commansáque alijs. Per se nanque non impunè feret qui ederit, rosionem protinus & morsiunculas sensurus, palatique, ac narium vellicationem, quæ lacrymas sæpe eliciat sternutantibus. Itaque solam lacessiuisse haud tutum: alioqui flere nos coget, vt quidem perquàm appositè Columella cecinit, quum ait:

Séque lacessenti fletum factura Sinapis.

Egregiè ventriculum visceráque frigidi crassique humoris noxa leuat, & oborta inde cibi fastidia aufert, torpens gustu palatum, aut sopitum ad appetendum ventriculi os, facilè vellicatu quodam excitat, & muneris sui admonet.

Sequitur nimium huius aut plus æquo frequẽtem vsum, capitis sępe dolor, ignea illius vi perculsi; & oculorum noxa, quorum claritati officit, concitatis eò turbulentis exhalationibus, insignique acrimonia percitis, excitatisque vaporibus fumidis multis, quibus grauiter visorij spiritus, quos esse lucidos splendescentesque oporteat, tenebricosi facti offuscantur.

De similibus Sinapi herbulis natura, ac seminibus, Nasturtio, Raphano agresti, Piperitide, Hydropipere, Cardamomo, quorúmque omnium vt Sinapis ignea vis; tum ex quibus Condimenta, Intinctúsque, & Intritus aliquando parari solent; intelligi eadem volumus. Nunc semina ad rem hanc, nec omnia tamen, & specimen tantùm eorum quoddam, trademus.

Odoratorum seminum vsus hac in re, dotésque, ac facultates: quorum exemplum statuitur in Aniso.

CAPVT XXV.

HOrum gratissimo odore existimauit Hippocrates (De rati. vic. acu.) demi posse purgatorijs medicamentis aduersam naturæ nostræ malitiam. Nigro quidem hellebóro odoratorum aliquid seminum, inter quæ & Anisum recenset, misceri iubet, minore ita ventriculi, orisque inprimis eius, offensione, cui non parum sanè interdum noceri soleat à purgantiũ medicamentorum vsu. Quare hac viri tanti authoritate freti, planè libentiùs ijsdem nos quoque ad Condimenta, Intinctúsque nostros vtemur, quo propè Aromatum genere omni modo; nimirum facultas penè vtrorumque eadem. Nec magnopere odore vincuntur hæc, nisi quòd exotica sunt illa & transmarina, eóque vno sæpe, quòd peregrè ad nos longissimis nauigationibus per multa maria aduehuntur, pretiosa euadunt: his non importatis vtimur,

& ad manus semper depromere nobis ea de nostro domi nostræ licet. Neque tamen proptereà demptas cupimus Aromati dotes suas, quas profectò nobilissimas ad multa agnoscimus, & confessione quoque nostra paulò ante de scripto testatas reliquimus: sed in nostro hoc, quod nunc præ manibus tractandum habemus, negotio his quoque locum suum seminibus concedi volumus.

Calorifica Anisi & resiccatoria vis, tertio, Authorum meliorum consensu, à temperamenti æqualitate recessu: eidem tamen non obscuri inest dulciusculi saporis sensus quidam. Ignea huic quoque vis & potentia attribuitur: semen inprimis flatuositatum omnium dissipans, doloresque cùm ex his, tum ex humorum frigiditate subortos sedans; iecoris, mesaraicarum, lienis infarctus deobstruens; vrinam sudorémque ciens. Vterum albidæ pituitæ fluoribus detentum resiccat, venenis, venenosisque materijs aduersatur, vt non multum absit ab Aromatum, vt diximus, dotibus. Hinc iam liquidò constiterit, vt opinor, quibus adhibendum sit ad Condimenta, & in quæ recipiendum ad Intinctus, intritisque alijs, & Infarctibus parandis, ac concinnandis variè opsonijs.

De Anethi facultate, natura, temperamento: & qua gratia receptum primò ad Condimenta, deinde omissum quoque sit.

CAP. XXVI.

IVris Albi relati nobis à Galeno ex veteribus, ac toties repetiti, non quota pars habetur Anethum: vt, si non alia de causa, at vel ob hoc vnum, quòd ex huius quoque parte Album hoc ius confiat, tam Galeno celebratum, tradendum à nobis de eo omnino hîc fuerit.

Calidum & siccum statuitur, paulóque plus in calore prouectum ad secundi vsque ordinis extremum, ac tertij etiam initium, quàm siccitate, in qua vix primi ordinis terminum egressum alterius intrat.


Flatus & hoc discutit, doloresque lenit, ac frigidiores succos concoquit. Dos illi, excitatis fortè inter frigidiores humores concoquendum exhalationibus, conciliandi somni, qua inprimis gratia, tum frigidorum atque incoctorum humorum concoctionem iuuandi causa, arbitror veteribus illis inter iusculorum Condimenta receptum primò: insequutis deinde ætatibus contemptu, siue incuria abiectum, vsuum horum negligentioribus, sanitatisque suæ nimiùm securis, fuisse. Simul perijsse illi potuit fortè ex sapore quoque commendatio subingrato, si fateri verum volumus; & quòd videndi facultati officere, nec ventriculo quidem conferre admodum existimaretur, vt quem nauseabundum sæpe faciat, vomendique illi interdum impetum inducat. Facultas ad hæc Anetho illa quoque non vulgaris, communis tamen ei cum alijs quibusdam, lacti copiam addendi ex sorbitiunculis.

Verùm de hoc, nonnullisque, quorum nullus iam nobis, aut perquàm rarus, ad Condimenta vsus, multisq; alijs frequenti adhuc in vsu positis, quoniam traditum iam antea à nobis; & si qua nos fugerunt, ea haud ita difficulter cognosci ex alijs perspicique possunt: parcendum esse existimo labori meo legentiumque non necessario, atque ad ea properandum, quæ restant. Restant autem Opsoniorum multorum, variorumq; compositiones, Condimentorum omnium modus, Iusculorum, Sorbitionum, Intinctuum, & huiusmodi, quibus instrui mensæ solent, non ad cupedias, concinnasque, aut voluptuosas (nisi quantum salubritas ipsa admittit) excogitata præparationes; sed quarum ad Sanitatis regulas accommodata semper ratio sit.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER DECIMVS-NONVS.

Constituendam esse in omnibus regulam ac scopum, cuius respectu singula in Artibus dicantur, aut fiant: hócque, quæcunque aliorsum, atque oportet, feruntur, dirigi poßint.

CAPVT I.



Ntequàm ea hoc loco tractanda, describẽdaque sumamus in manus, quæ singillatim deinde tractentur, operæpretiũ esse arbitror in commune priùs paucula quædam exposuisse, sine quibus nec rectè à nobis explicari, nec commodè satis accipi à legentibus, quæ pòst dicentur, possunt. In vnaquaque Arte, quam modò recta rerum ratio inuenerit, promoueritque, atq; absoluerit, absolutámque deinceps de consilij semper sui modulo tractet, subesse quiddã oportet, quò tanquam in scopum quendam directæ semper ferantur cogitationes nostræ: siue explicandum nobis aliquid fuerit, institutis de re aliqua disputationibus, siue agendum, siue opus Artis faciendum aliquod, in omnibus ceu regulam normamq́ue spectare nos oportet, ad quam expensis collatisq́ue, quæcunque dicuntur à nobis, fiúntque, Quidnam dicendum de his faciendúmve, aut etiam nõ faciendum dicendúmve sit, nouerimus; rectamq; ita amussim sequuti, certa veraque, aut certè veris certisque proxima, statuere quacunque in re, quibus deinde firma semper recti semel iudicij deliberatione standum nobis sit, queamus.

Id adeò in re omni, atq; potissimùm in Artibus quibuscunque recta initio ratione constabilitis, valet, rectúmque reperitur, vt non solùm vniuersis constituendis, verùm etiam partibus illarum singulis, cunctisq́ue simul erigendis, exædificandisq́ue, validum inconcussumq; inueniatur; ac, nisi hac vna demum ratione, veluti tibicine erectæ conseruẽtur, ruituræ omnes, pessumq́ue ituræ protinus sint. Artem quidem ipsam Medicam vniuersam, singulásque eius partes, normam præferre sibi semper atq; amussim videmus, in quam considerationum suarum aciem intendẽs, dicenda sibi faciendáque rectè omnia esse iudicat. Ea est, iustum æquúmque humanæ naturæ temperamentum, ad quod adijcere perpetuò oculos oporteat, quoties vniuersales nobis Artis regulas constituere, atque in vniuersum pronuntiatas erigere voluerimus. Et, ne recensendo percurrere inaniter cuncta necessum sit, in hac ipsa Medicinæ parte, quæ Sanitati tuendæ dicata est, versatúrque à nobis nunc tractata, ineptè nimis faceremus, nisi ex hoc eodem proposito, sicuti antea fecimus, ita nunc quoque, aptatis ad id rationibus omnibus, de Opsonijs, Condimentis, Intinctibus, Epularúmque atque eduliorũ, & quicquid tale, præparationibus, loqueremur: vagabitur certè, nec vbi cõsistat habebit sermo noster, nisi fundamento hoc nitatur; & errabunda, incerta quò feratur, versabitur in tenebris oratio, nisi hoc illi præeundo fulgeat. Sumemus igitur nobis hîc quoque temperamentum hominis iustum, nullo ab æqualitate excessu, cuius respectu temperata, aut secus, salubria, aut insalubria, concoctu facilia, aut difficilia, emollientia aluum, aut adstringentia, & id genus alia, pronuntiaturi Opsonia, ac Condimenta, cunctáque eiusmodi, sumus. Semélque hoc dictum, nunquam deinde obliuioni tradatur, quoties tale aliquid dictum à nobis, enuntiatúmque in vniuersum fuerit, id vt in eam semper accipiendum esse partem testemur, quæ de præfixa nobis hac, quam modò attulimus, temperamenti iusti norma ac regula statuitur, ad quam referenda singula dicta cogitatáque nostra semper sint, ne vnquam à scopo propositóque nostro decidamus.

Quum hoc igitur memoria retinendum, tum illud prætereà addendum: quanuis hoc ita sit, non tamen per ætatum omnium decursum verè de eo dici in commune quicquam posse. In quantumuis enim temperato homine, non

non eadem certè conuenient seni, quæ iu- ueni conuenerant priùs, aut adolescen- ti, aut puero edulia: quandoquidem æ- tatis immutatione, simul temperamen- tum quoque immutetur, quo variato, protinus salubritatis vnà quoque rati- onem immutatam variari perquàm neces- sarium sit.

Non optimi igitur solùm temperamen- ti conditionem in amussi nostra, quam nobis in hoc præfiximus, exigemus; sed æ- tatis etiam mediũ requiremus, in quo, cum ætatis medio, qualitatum quoque reliqua- rum medium conueniat. Fortasse autem, ne qua nobis distorta, aliorsumque, ac o- porteat, deflexa feratur regula, & anni temporum, & constitutionum, & regio- num quærenda nobis, seruandaque hac in re media fuerint: quinimò, nisi ita hoc fe- cerimus, vocârimusque hæc quoque ipsa ad rationum aliarum summam; non vs- quequaque vera aliquando protulisse co- arguemur.

Et quanuis nimis fortasse scrupulosè, anxiéque, ac solicitè quæsita videri cuipi- am ratio ita possit, quæ nos tot eodem tempore circunspicere iubeat: decet tamen nauum atq; industrium Artificem vnum- quemque, sedulò inprimis, ac diligenter, quoad eius fieri ab eo potest, elaborare, ne quid, specie licèt paruum, sed quod tamen ex parte sua additurum aliquid ad rei toti- us summam sit, neglectum vnquam omit- tatur. In multis enim experimur, minima- rum ad speciem rerum contemptu, quas il- li minutias Artis vocant, plurimum depe- rire operi artificij iusti solere. Quanquam non sanè parua dicenda hæc sunt, ac mul- to minùs minutiæ. Quis est enim, paulùm modò vltra primum Medicinæ limen pro- gressus qui pedem tulerit, qui, quantum non solùm hîc, sed in omnibus alijs Me- dicinæ partibus, ad explendum perfe- ctè opus quodcunque, momenti afferat etiam subtilior quæque de ætatum, natu- rarum, consuetudinum, temporum, loco- rum, constitutionum differentijs, exami- natio, nesciat?

Quapropter, ne hoc quoque in negotio à veri scopi consideratione decidamus, statuemus nobis inculpatæ omni ex parte temperaturæ aliquem, in quem in medio rerum omnium positum coniectis mentis rationisque nostræ oculis, dicantur huius vnius respectu, fiantque à nobis omnia: coquentur Opsonia, parabuntur Condi- menta, concinnabuntur Intinctus, in hu- ius primùm gratiam, vt temperamento huius, reliquisque conditionibus, rerum omnium æqualitate respondeant. Atque in hunc demum sensum accipienda in- telligendáque erunt, quum simpliciter sic in vniuersum, Opsonia hæc illáve bo- na salubriáque pronuntiârimus, Condi- mentorum præparationes horum illo- rúmve bonas accõmodasque, reliquaque Artis huius in parte omni: quum po- tus, quum prandium, quum cœnam, ientacula, comessationes, cuiusmodi es- se debeant, considerabimus, horúmve omnium tempora, modúmque omnem, ac rationem captabimus; huc perpetuò referenda nobis cuncta esse non ignorabi- mus, deque hoc in vniuersum plenúmque pronuntiata intelligi debere, quæ tradun- tur, non obliuiscemur.

In reliquis conditio semper accipien- da aliqua erit, & addenda exceptio, vt conuenire dicamus puerili hoc æta- ti, adolescentium, senili: illud calidiori naturæ, frigidiori aliud, sicciori, hu- midiori: item, diuersis aliud tempori- bus, constitutionibus, consuetudinibus, vitæ institutis. Quæ omnia latiùs dein- de explicanda fuerint, nec explicari sa- nè rectè vnquam possint, nisi præmissa priùs, præfixáque, qualem antea diximus, regula atque amussi, in quam intuentes, quæcunque obliquè ab ea, aut distortè fe- runtur, diuersis quoque tractemus ratio- nibus opus sit.

Huic ipsi, quem modò diximus, tem- peratissimo ætatis suæ totius in medio homini, quæ tunc eo tempore conuene- rint; non conuenient puero, aut adole- scenti, aut inclinante iam se ætate; lon- gè minùs seni iam, aut decrepito: sem- pérque variatum quodcunque horum, victus vnà secum variationem trahet, nec ferè quicquam est, quo immutato, præsertim verò si insigniter id fiat, non statim immutari victum quoque, ac po- tum necesse sit. Qua in re interuenire ca- sus sæpe solent, vt temperatissimę naturæ habitudinisque hic non semper tempera- to opus habiturus sit victu, siquidem re- ctam sequi propositi nostri rationem ve- limus: veluti, quum locorum mutatione, aut (quæ multa contingere solent) rerum incommoditate aliqua, casúve, aut alia quauis de causa præter solitum refrigera- tus, excalfactus, siccior, humectior factus, contraria ad temperamentum deduci rati- one postulârit. Quibus casibus eiusdem modi Condimentis Opsonijsq; vtendum erit commodè ad rem tunc, modò potesta- te sua calidis, modò frigidis, modò siccis, modò humidis. Sed hoc illi extra tempera- mentum iam suum posito continget. Di- ximus autem propterea solummodo, vt in temperatorum etiam vsum venire huic ipsi posse doceremus.

Iam tot temperaturarum diuersitates in alijs, si, quibus rationibus nũc similibus retinendæ, conseruandæque sint, nunc contrarijs contemperandæ, spectarimus: non minùs necessarius videri nobis poterit Opsoniorum, Condimentorumq; extra temperamentum quoque vsus.

Quamobrem tradenda omnia erunt diligenter, ac cuiuscunque tandem modi, sed præcipua, ac potissima: (singula enim, ac minima quæque quis posset, aut vellet?) vt haberi delectus possit ex multis, quocunque nos vsus necessitásque, ac faciendorum opportunitas in re præsenti vocauerit: nec minùs vt vitare nonnulla liceat, in promptúque sint temperata, aut cuiuscunq; tandẽ speciei intemperata, vsibus interdũ, quos diximus. Sed & tenuia, crassa, dura, mollia, cõcoctilia, incoctilia, subire aluum facilia, aut difficilia, aut horum omnium media, multáque alia huiusmodi multorum vsui recepta, aut euitata, aliquando necessaria fore existimabimus.

Assandi ratio, simplex licèt, cur habita difficilior fuerit. Perfecta Assatura qualis, & quibus maximè conueniat, & quale inde alimentum expectandum.

CAP. II.

Simplicissima omnium assandi ratio, eadem & antiquissima, vtpote qua vetustissimi, quorum memoria extat, Troiani belli Heroes, aut sola, aut præcipua, vsi esse scribantur. Minimè quidem operosa est: solo igne peragitur, eóque simplici, aut flammeo, aut accensorum carbonum, prunarúmque, sic dissito, ne assaturam tangat, & vis tamen eò perueniat torrendi: minimè multorum instrumentorum indiga, solo veru perficitur, aut craticula: quanquam huius alia ratio. Atque vt ita sit, simpléxque nobis, & expromptus coquendi modus is sese passim offerat: maius tamen requirere studium videtur, diligentiam maiorem, quàm elixatio, coquendique reliquæ propè rationes omnes. Adhibendus enim igni modus, ne aut parum nimis efficax incipiat quidem, at perficere quum nequeat, σάτευσις fiat: aut nimis multus si ingruat, totum exurat, ac retorridum penitus faciat; sæpe etiam exterior superficies velut inducta crusta, ignis vehementiore afflatu densata, superfluum intus humorem exire non patiatur, rursusque hìc σάτευσις nobis illa redeat, eodem effectu, diuersa tantùm ex causa. Prior nanque ob ignis paucitatem, non satis efficaciter operati ad humoris redundantis absumptionem; altera, incluso illomet humore, quem euaporatum inter assandum oportuit, eodem vitij genere frustrata assatione fit. At id non admodum facile, ita moderari ignis operam exterioris, vt in neutro peccetur; tum ne pro recta assatione torrida nobis perustio quædam succedat.

Sic autem attemperandus ignis, vt per omnia ingressus, omnibus concoctionem iustam assando addat. Et, quanuis exteriora, vt quæque igni proxima magis, sic incalescunt quoque magis citiusque, atque vnà necessariò siccantur; adhibenda tamen ars, vt & interiora non minùs eandem ex ignis calore siccitatéque coctionem accipiant, siquidem ritè assa, tostáque dici mereantur, & Assatio nihil aliud dicenda, habendáque sit, quàm, id quod est, sic quidem finiente eam (Meteor. iiij.) Aristotele: πέψις ὑπὸ θερμότητος ξηρᾶς, καὶ ἀλλοτρίας, nimirum concoctio à calore sicco atque alieno facta. Quæ si eiusmodi est, profectò caloris in assatis, siccitatisque simul, impressa visantur signa notæq; necesse est: sic vt vbi siccitatis cum concoctione vestigium non appareat, ne assaturam quidem ibi esse rectam iustamq; vllam existimandum sit: ac si superfuerit humiditas aliqua, ea aut incocta, crudaque, necdum ignis elaborationem, quod satis sit, perpessa, σάτευσιν factura sit; aut interni caloris vim subiens intrò pulsi, inq; naturali humiditate sua operati, elixa nobis potiùs, quàm assa offerat. Sæpe videre est in hoc cocturæ genere, intimas humidissimarum carnium partes, intrò adacto calore, simile quippiam elixationi pati, dum ipsæ humori suo, extimæ superficiei incrustatæ obturatione, quam ignis fecerit, incluso, superuenientis caloris efficacia incoquuntur: quæ nisi vlterioris maiorisq; ignis vehementia exiccentur, elixæ magis quàm assæ existimari queat. Hoc profectò assandæ carnis genus sequuntur gentes nonnullæ, quæ succosa gaudent: deque hoc si intelligere nos volunt, qui assa interiùs humida, sicca exteriùs esse contendunt; planè non repugnabimus: ritè tamen veréque pro assis habenda ea esse nõn concedemus: quæ verè tunc sunt, quum per omnes penitus partes introducta ab igne cum siccitate caliditas, hac vna demum ratione concoctionem absoluerit. Quod quum factum fuerit, sequutaq; assatio intra perustionis nimiæ limites iusta constiterit; nemini dubiũ, eo pacto assata ficciora vnà facta, simul & concoctionem debitã sibi æquamq; adepta fuisse. De hac Assaturæ ratione Medici, quoniã hanc demum vnam assaturam verã ducimus, sicci-

tatem

tatem pronuntiamus. Qui humiditatem: si de hac accipiunt, necessariò falluntur: si de paulò antè dicta, verum est. Sed ea Assatura non est, vera quidem, ac legitima. quomodo nanque? si à caliditate fieri sicca debet, & Aristoteles ait, ὑπὸ ξηρᾶς δὲ θερμότητος γίγνεται, ὅταν ξηρότερον γίνηται ἐπιτελεσθὲν. non aliter assationem succedere manifestò asserens, nisi quum primùm, quod assatur, à caliditate sicca siccius factum fuerit perfectum: vt assatorum omnino siccitatem intelligeremus, perfectam autem atque absolutam, nimirum quam neque σάτευσις sequatur, vel ob caloris paucitatem extrinseci, qui humorem aggressus, quum conficere concoquendo non posset, imperfectum opus reliquit, & σάτευσιν inuexit; vel aquosi humoris nimietate, quem euincere quantunuis iustus ignis non valuerit: neque rursus vltrà, quàm par sit, progressa siccitas adustionem addiderit. neque enim ἐπιτελεσθὲν id, sed quod siccitatem iustam nactum sistit ibi perfecto opere. Quam quum mediocritatem in assando seruâsse non cuiusuis sit: ideo habita paulò difficilior fuit hæc, quàm elixandi ratio, quæ nihil aliud, quàm succensi ignis tantum exposcat, quantum excitandæ aquæ ebullitioni futurũ satis sit, qua vna, nulla alia interueniente opera, tota peragi rectè elixatio potest.

Alia assandi ratio in craticula, quæ subditis prunis fit. Ea peruruntur potiùs, quàm assantur res: extimæ autem partes etiam caustici in modum torrentur, magisque qua craticulam tangunt, eschara & ἀπανθρακὶς factæ, sic humore propè omni exuctæ siccitate nimia, non multum sanè alimenti, & id retorridum, exassandóque sanguini idoneum, reddunt. Longè aliter, quàm quæ in verubus tostæ rectà, qua diximus, ratione assantur carnes. Eæ nanque assiduo, nec festino tamen nimis, veru circunductu, cùm flammam præterea ex parte accipiunt, quæ intimiùs, quàm ex succensis tantùm carbonibus prunis've, penetrare partes omnes potest; tum verò modicis quibusdam temporis interuallis id fit, vt veluti respiret pars, ignis priùs flamma contacta, accepto intereà ex opposito frigidiore paululum aëre, móxque refocillata, temporisque momento iterum ac sæpiùs circumacta eodem, eadémque semper vicissitudine redeat, donec ignem per breuissima ea temporum interualla, eóque non ingruentem, non incumbentem nimis, experta, sensim placidéque per omnia accipiat, ac penitiùs actas illius facultates caliditatem siccitatémque, sed perfectam vtranque Aristotelica voce, nimirum quæ iustæ intra absolutæque Assaturæ terminos constiterit, admittat. Quam veram esse ac legitimam, vti docuimus, assandi rationem modúmque scimus.

Hanc ob rem assari postulabunt carnes natura humidiores, vt temperamentum suum acquirant, siue ex humoris nimij copia, siue ex pinguedine conciliata his natura ea fuerit: itáque assantur, vincente hîc quoque, sicuti in multis alijs videmus, cõsuetudine, quam ratio, vtilitásque deinde percepta, ac longiore rerum vsu, atque experientia confirmata, introduxerit. Sic tamen, vt natura quoque sua paulò sicciores quædam non incommodè prorsus assentur, si modus adhibeatur: qui ille sit, quo assandæ carnis humor, qui omnibus inest, superfluus tantùm siccetur; non siccescat autem magnopere caro substantia ipsa sua exarescente nimiùm, debitáq; solummodo iustæ Assaturæ caliditate & siccitate per totum accepta. Quæ vt in omnibus, quantum fieri poterit, diligenter perpetua seruetur ratio, inspiciendæ animalium omnium naturæ iam antea explicatæ, vt pro cuiusque humiditate, siccitatéve, sic à nobis, accommodata semper humani corporis alimento ratione, tractentur. Hasce nos rationes sequuti, libentiùs humore nimio redundantes carnes assandas præcipiemus, vt Agnorum inprimis, quorum non solùm humiditas nimia quædam, sed & glutinositas, & ceu mucus quidam, caliditate ac siccitate ignea tollatur: Suilla ab his, inprimis autem nouellorum porcellorum; tum Aquaticæ aues omnes, & si quod prætereà humidioris ita naturæ animal reperitur; magisque, si iuuenculum; omnium maximè, si pingue fuerit, vtiliter assabitur. Quæ ratio facit, vt Hœdorum, quanuis siccioris natura animantis, assorum tamen, quàm elixorum, commendatior meritò sit caro: vt Vitulorum quoque, afferente nouella ætate humiditatem, & pinguiores Hircos possit aliquis, Bubulamque, qua maximè pinguis est, non ineptè torrefacere. quod & fit sæpissimè. Lumbares quidem Boum partes non aliter quàm torremus, aceto priùs aliquandiu maceratas; sed has propterea, quòd non tam pinguedine ea humidiores musculosis partibus reliquis sint, qualem sæpe additam carni oculis perspicimus, quàm quæ per totum diffusa vniuersam carnis substantiam natura sua humidiorem reddere queat. in quem planè modum quum pisces multos, quorum nulla ferè semper conspiciatur pinguedo, pingues tamen vocitamus; tum alia quædam, eodem modo. Alioqui, si consule vti Hippocrate voluerimus, Caprarum Boumque diu antea iugulatorum elixis potiùs, quàm assis, vtemur carnibus.

ipse

ipse quidem διέφθους appellat Eadem seruabitur diligenter in Lepusculis quoque ratio, vt tenelli, & pinguiusculi (quos eodem, quo modò diximus, significato pingues vocamus: molli quippe, ac pingui carne tota) rectè assentur: adultiores macrósque, aut in totum abijciamus ad sanitatem, aut quo alio modo paratos apponamus. Nam quum nec siccior natura caro, nec macra, vlla omnino ratione assari idoneæ sint: longè minùs, conuenientibus in vnum his simul, vt in Leporibus, similibúsque alijs, recta seruari assandi ratio poterit, nisi alia demum ratione quadam occurratur. Ea erit, vt pinguedine aliqua inter assandum, aut axungiæ, aut laridi, aut butyri, aut olei quoque, vt suprà monuimus, aut iusculo demum aliquo oblinamus carnes, ita minimè retorridas nobis futuras, ac iustum assaturæ modum suæ, sibique conuenientis, seruaturas. Atque his ferè rationibus quæritur iusta assationi temperatura. Alij paulò siccas magis carnes, aut exuccas, quæ rectè assando non sint, larido per totum transfigunt, vt imbibere ita pinguem humorem illum cogantur, calore eliquatum diffusumque. Hoc ratione optima vsi faciunt, conuenientérque, & vtiliter: illud abs re, vt videri cuipiam fortasse possit, quum hos ipsos Lepusculos, auésque nobilissimas quasque, Phasianas, Attagenes, Perdices vtrasque, maiores ac minores, Turdos, Capos ipsos, Caryophyllis, aut Cinamomo infixos onerant, si rectè se id atque appositè facere ad sanitatem credunt, longè decepti: sin, vt palato gratiosè deliciosèque commendent, aliqua ex parte excusandi. Quanuis quæ saporis esse, quæso, commendatio potest, in negotio quidem hoc nostro? in quo non cum ea salubritatis vnà quoque coniuncta commendatio sit? Siccantur eo pacta carnes nimis, vt aromatis interea contrahant odorem; præcipuè verò natura suapte antea quoque siccæ satis, aut non valde certè humidæ. Quod quidem in benè humidis non eueniet, ferente facilè eorum natura, præter assationem, condimenti id quoque genus: si modum tamen non prorsus excesserit. Quis enim auem deputauerit inter esculenta, Muleassis Tunetani Regis illam? vsque adeò aromate infarctam multo, vt Scutatis centum constiterit: eius autem odor latè fragrantissimus viciniam totam repleuerit, in posterum quoque diem perdurans. Hanc fuisse Pauonem narrant Historiæ nostri temporis: in quo luxus, & deliciæ, & regius sumptus commendari inaniter ad ostentationem potuêre: salubre temperamentum, quale nos quærimus, non potuit. Ego quidem edulem non existimabo tanti æstimatam ex solo aromate, æstimatione carnis nulla, quam totam aliam fecerit, déque natura prorsus sua deiecerit tot pretiosarum quidem rerum confectio; cæterùm alimenti naturam immutantium, coniectis eodem, quibus medicata tantùm facultas nobis quædam relinquatur, præter alia, Moscho quoque, vt tradunt, & Ambra multis, quasi qui barbarica vanitate, non aliter quàm vesano sumptu conditam regali ventri insepeliendam accipi debere auem existimaret.

Assata alimentum elargiuntur cuncta corporibus siccum solidúmque, nec sanè paruum, sed nec paulò imbecilliori ventriculo concoctu facile: aluum adstringunt, morantúrque sæpe excrementa, neque reliquum expeditè corpus permeant, neque euaporant citò: ideo durabilioris alimenti indigis, & carnes humidas fluxasque habentibus opportuna. Veneni vim nobis minantur quandam Arabum coryphæi ex assis carnibus, si protinus vndique conclusæ, ne qua exhalare possint, contegantur, vaporis euaporare prohibiti malitia, quo infectæ carnes non sanè leues noxas afferant, si edantur, nauseam, vomitumque, ac citam aluum choleræ in modum, mentis bidui interdum abalienationem, nonnunquam & mortem. Horæ spatium statuunt, quo liberè perspirans eo priùs assatura, edi deinde tutò possit.

Quibus elixatio debeatur. Et quæ elixari, assarive, vtrunque commodè possint. Alimentum ex elixis cuiusmodi.

CAPVT III.



E Cõtrario siccioribus esculentis cibis omnibus elixandi ratio iure optimo debetur: quoniam ea sine dubio elixatione ita tenerescant humescantque magis, ad temperamentum quoddam deducta. Id in omni animalium genere verum reperitur, Quadrupedum, Auium, Aquatiliũ. Bubulam quidem rectiùs elixandam præbemus, sicuti ferinam sæpe, cuius ferè siccior natura, quàm domesticorum. Auium bonã quum elixare deberemus partem, assamus potiùs corrupti cupedijs: sed teneriores tamen, nouellasque magis, & pingui semper, pingues ipsas antea, aut humore inductas, illitasq; aliquo, ne exarescãt. Nec dubium est, quin ad sanitatis rationes, optimæq; naturæ respectu, salubriores futuræ aues sint, quæcunque aut natura, aut ætate iam, aut

oborta fortè macredine, plùs iusto siccescunt, si elixentur.

Iam Piscium non planè multi, neq; apud gentes multas elixationem ex sola aqua accipere consueuerunt: & qui accipiũt, non nisi multo priùs insperso, additoq; deinde sale elixantur, vt hac ratione non parum illis natiuæ humiditatis auferatur, quo rectiùs deinde elixandi modum subeāt. Germania aceto plurimos incoquit, eosdem vi salis multa aspersos antea: ita gemina de causa, aceto saleq; cocti solidescũt, firmanturque, depta fluxa humoris laxitate. Quã Elixationem non, vt arbitror, dixeris simplicem quidem ac legitimam, neq; nunc de salubritate loquor, quam, qui ita præparant, ne cogitant fortasse quidem, rerum harum omnium securi: illud tamen dico, consuetudinem præparandorum hac illáve ratione esculentorum omnium, non modò Piscium, lõgiorisq; temporis vsum, perquàm raró increbuisse visum, moremq; per secula retinuisse suum, quin rationis fundamento alicuius niteretur, non facilè ferente diuturnioris cõsuetudinis alicuius vsum communi hominum cõsensu, quem manifestior insequi sæpiùs noxa solita sit. Sic quidem coquendi plurimùm Pisces suos, quem diximus, morem vbique retinent multo maxima Germanorum pars, ex aceto saleque, non abs re: sed enectos confestim, palpitantesq; adhuc, ac frustatim cõcisos. Aliter in pridianis, aut horarum aliquot antea spatio cæsis, sectis've. nullus enim eo coquendi modo successus in his: laxa quippe nimis iam fluxaque, ac soluta propè tota Piscis substãtia. quod signi sit, nisi cohærẽte adhuc naturalis glutini parte aliqua, adstringi Piscem non posse. At ijdem quanto meliùs, rectiusque, adeóque ad sanitatem commodiùs assarentur Pisces; sicuti profectò apud multo plures nationes assantur, friguntúrque oleo, butyróve, magisque oleo, aut craticulis etiam impositi torrentur, quæsita in omnibus ritè ad contemperamentum necessaria siccitate, in benè humida natura, cuiusmodi Aquatilium est, plùs minùs, ad vnum propè omnium. Nam frigiditatis, quæ eisdem inest, qualitas, quocunque præparationis modo concepta caliditatis parte, nonnihil emendari tamen potest. Sed elixationis, quod initio dicebamus, modus siccioribus destinatus est, quo molliora facta tenerescant. Nec, si rectam ac salubritati accommodam sequi rerum rationem voluerimus, (à qua desciscere, quotquot huius ipsius de nomine Medici appellari promeruimus Rationales, nephas est) aliter vnquam, quàm aut siccioris naturæ cibos, qui planè ignis opem exposcant, elixatione, aut humidioris assatione, temperatiores factos, edendos apponemus.

Ad eiusdem rationis sequelam alia sese nobis offerent quædam, vtriusque coctionis formulam non ineptè prorsus subeuntia, quæ vel mediocriter temperata fuerint, vel non planè magno à temperamento recessu in diuersum abeant, sic vt nec magnopere assari, nec elixari valde postulent; & vtrunque tamen, atque etiam vtrumlibet fieri non incommodè possint, ac si esui esse apta debuerint, alterutrum sequi modum necesse sit. Gallinas ita, Capósque, ac multas cortis aues, Hœdos, Vitulos, Auiculas, quædámque ad hæc eiusdem modi alia, assamus, aut elixamus; vtrumcunque fecerimus, haud facturi malè, siquidem modicè temperata fuerint, vt id tantùm excoquatur, quod redundantia sua qualicunque cruditatem facit, seu siccæ, seu humidæ caliditatis opera, dici vt coctum possit, non iam crudum: sin paululo siccius, aut humidius reperiatur quod coquendum sumitur, præter iustam cocturam, qua cruditas illi, vt dixi, demitur mediocriter operato igne, non valde tamen multum aut ab Assatione siccitatis, aut ab Elixatione accepturum humiditatis sit: neutróque magnopere inclinaturum, temperamẽto propinquum satis, verisimile sit. vt quidem è diuerso, in siccitatem paulò magis progressa, Assatione torreri, adeóque exuri interdum: in humiditatem autem, Elixatione supra modum mollescere, fluxáque & diluta nimis euadere conspicimus.

Ex rectè elixis alimentum corpus sentiet sine dubio humidius, neque tam, vt ex assatis, solidum durúmque. Eadem concoqui quoque faciliora, minusque distributionem per corpus morantia fuerint, durabilitatis ac diflabilitatis alimoniam exhibebunt in medio. Faciliùs autem subibunt aluum proculdubio, & obstructionum minus facient, minusque item crassorum exustorúmque humorum gignent.

Cuiusnam temperamenti existimanda sint Assa, Elixáque, modò talia fuerint.

CAP. IIII.



Haec fuerant de Assatione, & Elixatione, deq; his, quæ assari aut elixari, aut vtrunq; ritè recteq; possunt, cõmodè in rem nostram disserenda. Qua in re Assa intelligimus, quæ per totum siccitatis aliquid cum caliditate acceperint: sicuti Elixa, quæ humiditatem. Nec diffitemur, diuersis sui in partibus, quem-

quemadmodum Aſſa ſicciora ſeipſis ſunt, ad eundem modum Elixa humidiora eſſe: hæc foris humidiora, intus minùs, Elixa intelligo, at humida tamen: illa foris itidē ſicciora, minùs intus, ſed ſicca tamen, nempe Aſſa. Quæ ſi libuerit, quia ſicca minùs ea in parte reperiuntur, humida appellare, exteriorum partium comparatione poſſis: ſicuti Elixa, eo quòd minùs intrinſecus humida ſint, ſicca dicere nobis licebit, ea in parte extrinſecis partibus humidioribus inuentis. Verùm enimuerò rectiùs meliusque æqui temperamenti reſpectu, & illa ſicca Aſſa, & hęc humida Elixa dicetur, atque habebuntur, modò rectè, vtque par eſt, aſſa, elixáque in rerum examinatione accipiantur. Nam Aſſata dixiſſe, atque habuiſſe, quorum interior pars nondum aſſationis formam ſuſceperit, ac imperfectæ potiùs elixationis inſtar habeāt; Elixa autem, quæ quis elixans humore tandem deſtituta ſuo, ignea tantùm vi coquat: arbitror hominum eſſe rectam rerum naturam rationémque non obſeruantium; quando vel Ariſtoteli ipſi, Philoſopho tanto, viſum non diuerſum omnino fuerit, idque eo in opere, in quo firmo de rebus his iudicio animi ſui ſenſa nobis exprompſit, ita quoque ſcribens: διὰ τοῦτο κἂν ἕψων τὶς ποιῇ μεταβάλλειν, καὶ πέττεσθαι μὴ ὑπὸ τῆς τοῦ ὑγροῦ θερμότητος, ἀλλ' ὑπὸ τῆς τοῦ πυρὸς, ὅταν τελεσθῇ ὀπτὸν γίνεται, καὶ οὐχ' ἑφθὸν καὶ τῇ ὑπερβολῇ προσκεκαῦσθαι λέγεται. Vides Elixationem, quæ ita inceperit, deſinere tandem, ſi modum excedat, in Aſſationem quoque poſſe? vt cum nomine vnà formam mutet. Sed nec, quum primò inceperit quidem tantùm, Elixatio fuerit; nec, niſi formam iam elixationis integram adepta. pariter de Aſſatione exiſtimandum. Nam ea quoque aut nimia in aduſtionem tandem euadit, aut inchoata tantùm, dum intrò, quod ſatis ſit, non penetrat, partes eas humectas plùs, quàm Aſſationis formę par ſit, relinquit, & Elixationi propiores: vt iure meritóque ne Aſſa quidem dici verè poſſint, poſtquàm aſſaturæ formam naturámque integram nondum induêre. Hanc ita explicatam rationem ſi ſequuti fuerimus, profectò ſtandum nobis eſſe iudicabimus à Medicis aduerſus Philoſophos, quos ſuis ipſos conficere argumentis poſſimus. Etenim ſi à forma denominare quodque ſua æquum iuſtúmque habetur, hocque nobis ipſi dictant, itaque facere iubent: atque ijdem hi caliditatis humidæ effectum eſſe Elixationem perſuadere nobis conantur, quod libenter admittimus, quemadmodum ſiccę Aſſationem: porrò autem in effectibus cauſæ ſemper apparere veſtigia ſuæ aliqua, non alij nobis meliùs oſtenderint, quàm Philoſophi: vincet vndiq; ratio, ſiccę Aſſa, humidę Elixa naturę ac temperamenti neceſſariò, cogitantibus rectè, exiſtimanda eſſe, modò formam rectè indipiſcantur ſuam. Aſſatorum autem quædam, quorum ad intima aſſatura iuſta non penetrârit, nec pro aſſis quidem habebimus, duntaxat ea in parte. Atque huic ſanè ſententiæ quum ſubſcribere ſenſus quoque fidem, rerúmque non minùs experientiam perſpiciamus, qua effectus vbique ab Elixis humectandi, ſiccandique ab Aſſis produci compertum ſemper atque exploratum habemus: nos partes noſtras ſequuti, ſententiam noſtram retinebimus, τῶν ἰατρῶν παῖδες qui eſſe volumus, tot iam dictis antea rationibus erectam, tum longiſſimo rerum humanarum vſu cōfirmatam, futuramque ita in poſterum mortalibus ad ſanitatis commoda tutelamque perpetuò vtilem.

Frixorum quæ natura, aut temperamentum: & quæ frigi debeant: rectúsque eorum vſus.

CAPVT V.

IN ſartagine quæ friguntur, aſſari exiſtimantur Ariſtoteli: & verum eſt. Aſſatorum enim naturā omnem & conditiones obtinent, extimam ſemper ſuperficiem ignis vi incruſtatam gerentia, vt ceu corium fiat, in quibus non eſt: tum proxima quæque ſicca: minùs autem interiora, quo magis à ſiccandi cauſis abſunt; at & ipſa tamen ſicca, ſiquidem ritè futura frixa ſint: non diuerſo planè modo, quàm quo de Aſſatione dicebamus. Quanquam longè celeriùs ſicceſcunt, quæ friguntur, ex olei, butyrique materia, tam facilè ignem concipere apta.

Supernè quidem paulùm modò ſuperante ſartaginem igne incumbere flāmam in oleum vidimus, arſiſſeq; totum, quod quotidie fit: vt flammeam eſſe feruefacti butyri, olei've caliditatem oporteat, ideoque tactas feruentibus his partes protinus exareſcere, partimq; craſſeſcere valde, tum intrò quoq; propulſam adigi ſiccandi cum calore facultatem. Atq; ita res, accepta per totum caliditate ac ſiccitate, frigi conſpicimus, non parum ad id conferente, ſiccitatemq; ſuam addente, igneo quoq; patellæ feruore, qui in liquorem proximaq; frigenda facilimè tranſeat.

Quocirca rectiſſimè humidiſſima quæque frigi maximè debent: nec aliter ſanè contingere animaduertimus. Piſces maximè, genus quodcunque, cōmodè vtiliterq;

 fri-

friguntur, vt vescamur, cunctáque; Aquatilia, tanquam quo maximè coquendi genere siccata cesset redundans illa humiditas, & temperamentum adhibeatur. Etiam olera, herbulæ, radices, fructus herbacei maximè, vt Cucurbitæ, & cuicunque tandem esculento frigiditatis & humiditatis circuncidenda redundantia est, vt temperamentum fiat. Nec seciùs semina quædam (id porrò vsitatum veteribus inprimis fuisse legimus) ex frixura qualitates hasce frigoris humorisq; nimias, tum verò & flatulentiam deponunt, minoriq; semper damno eduntur Pisa, Cicera, Cicerculæ, Eruum, Eruilia: quæ Elixationem quoque tamen sæpissimè patiuntur, plurimumque ea coctura, si diutiùs fiat, flatuositatis amittunt. Quædam autem etiam diutissimè cocta exuere penitus flatulentiam suam non possunt, vt Faba: at ex frixura exuet, quum elixatione non possit.

Cæterùm vt multa probè fricta coctione ea proximè ad temperamentum accedant, deposito noxiarum qualitatum excessu: at intereà concoctu difficilia euadent sæpe, sistent aluum, in nidorulentiam abibunt, angustioribus vijs hærebunt, crebro nimis vsu exassatum sanguinem reddent: alimentum quidem, si à ventriculi concoctione exactè vincantur, de se largientur perstans, solidumque, proinde nec citò solutile; sed succi illaudati, nec quod facilè apponi nutriendis, nec adglutinari appositum, nec adglutinatum vniri ob duritiem queat, vt eiusdem constitutionis cuncta propè. Sicuti è diuerso in mollioribus, atque humidioribus contraria omnia: quod genus simpliciter inprimis, soláque ex aqua elixa habentur. Nam quæ in ollis ex condiendi ratione aliqua incocta parantur, ea sine dubio conditurę suę temperamentum modumq; sequentur semper, de quibus dicemus.

Suffocatorum ratio duplex: magnáque, & ad vsus multos inde commoditas, vt qua plura coctura genera contineantur.

CAP. VI.

SVffocatorũ ratio non aliunde duci rectiùs, quàm ex vocabuli significato, potest. Gręcis πνιχτὰ dicuntur, fiuntq; conclusis vndique diligenter spiraculis, vt in furno, qui ex argumento Græcis πνιγεὺς dictus est, & operculatis vasis, & modò appositis simpliciter ignis flammæ, aut accẽsis carbonibus; modò (quemadmodum de ouis ea coquendi ratione parãdis edocuit Galenus) alteri vasi, quem cacabũ vocant, calida aqua pleno, impositis. Quæ sicuti paulò operosior, ita potior coquẽdi eo modo, ratio esse videtur. Non enim tam crassescent, aut durabuntur intantum, nec succi fient tam prauι, quæ incoquuntur, humiditate circundatæ vasi aquæ adiuta. Nam ex priore modo, admisso ad vas flãmeo statim igne, aut accensarum prunarum, mirum videri non debet, si, concepto igneo calore, simul insignem quoq; siccandi vim experiantur, etiam vt humorem aliquem accipiant, vt ferè fit in his, quæ suffocatione coquuntur: tametsi in vtroq; adhiberi modus quidam possit, vt quum primùm iustam cõsequuta fuerint copturæ eiusmodi rationem, cessetur: vel sic tamen altero modorũ exarsura magis, futuraq; duriora; ex altero humectiora, ac teneriora. Qui duplicis vasis modus est, relatus alibi quoq; à Galeno nonnunquam in parte Artis Curatrice, cõseruandæq; non parum rerum, quæcunq; rationem eam subeũt, substantiæ, ac temperamento idoneus, etiam in culina, non solùm in officina Medica. Licebitq; inire rationem alterius, quod altero inclusum cõtinetur, duplicẽ, tecti modò operculo aliquo, modò etiam detecti vasis, extante nimirum in detecto, vasis, extra aquæ superficiem, summitate, ne aquam accipiat. Sed is cũ suffocatis ia nõ numerabitur modus.

Veruntamen operculatorũ, qua necessariò ratione suffocata coquuntur, siue ex vnico ea, siue duplicato vase parentur, in eo versatur consideratio, vt repercussu quodam vaporum ignea vi excitatorum, qui exhalare nequeant, quum fiat coctio, peragi eam non inconuenienter, neq; inutiliter posse credamus, conferente vndiq; ad cocturam vires suas igne, aut ignis calorifica certè facultate, & subtus accenso in simplici, incumbenteq; etiã vasis lateribus igne; in duplici verò, ex feruente pręterea aqua operato calore; supernè item nihil remittẽte vase, reciprocatione cõcepti interiùs ignis assidua, quæ reflexu crebro fieri ita validior solita sit, confectaque eo pacto, ac veluti per totũ macerata, atq; excocta ad plenum existimari queant. Stuffata Italorum vulgus vocat, vel decurtata voce Suffocata volẽtes; vel, quod alludit magis, Stipata. Stuffas quidem vaporaria appellant, quæ stipari vndique oporteat.

In hanc cocturæ rationem venire plurima possunt, modò non siccissima: quanquam modicè quoque talia, non incommodè geminati illius vasis suffocatione coquentur. Assari, elixari, Piscium, Quadrupedum, Auium carnes, addito, non addito humore, possunt; fructus, herbæ, semina coqui omnino, aut Assationis, aut

Elixationis, aut Frixionis etiam alicuius in modum, vt eodem modo relatura suæ quæque cocturæ rationem, temperamentúmque sint, atque id insuper priuati nescio quid ex conclusi cohibitique intus caloris opera, impeditáque euaporatione, acceptura, quæ coctionis opus augeant cuncta, adeò non imminuant. Nec noxæ tamen intereà vlli fuerit impeditior perspiratio ea. Peracta nanque concoctione, operati iam vapores absumuntur tandem, atque inter operandum etiam infracti debilitantur, vt opus tantùm maneat, ipsi abeant: Secus, quàm (quod de summorum inter Arabas Authorum sententia suprà dicebamus) in assatis in aperto carnibus, vbi excrementitia exhalatio ignis vi emissa, si conclusione vndique post coctionē septa cohibeatur, retrò pulsa, indensque se assaturę, corrūpere illius formā, perfectamq; iam coctionis rationē inutili, atque adeò noxia sæpe inficere accessione potest.

Quin potiùs in Suffocatis ne attolluntur sæpe quidem vapores vlli, aut pauci quidam attolluntur, concalescitque potiùs spatium, operimentum cibariáque inter: quo calore cuncta intus exquisitè per omnes partes elaborata, minimeque, si modus adsit, exurente, aërosáque semper humiditate quadam permeāte, cibaria iustissimam accipere coctionem valeant, alimentique præbere corpori possint satis, atque eius probi, temperatique, permeabilis, non hærentis in descensu; consistentia medij, vt nec tenue, nec durum nimis, neutrius noxam corporibus inferat, & ab vtriusque incommodo discedens, in excessuū omnium mediocritatem deueniat, quocunque ea coctionis genere, siue assando, siue elixando, siue frigendo præparentur: vt intereà tamen cocturæ semper cuiuscunque proprietas in hoc seruetur, & illa, quā diximus, mediocritas; vtque assorum paulò siccius, elixorum humidius, frictorum itidem siccius, ex suffocatione acquisitum temperamentum, sed modicè cuncta, accipiamus. Quorum quū omnium alendi antea facultates expositæ à nobis fuerint, nō repetemus eas inutiliter prorsus hic in hoc, quod modò attulimus, coctionis genere.

Pastætorum, quæ ita vocant, commendatio ex cocturæ genere: quorum etiam duplex ostenditur modus.

CAPVT VII.



Vera esse quæ diximus, & temperamentum parari hoc coquendi modo cibarijs exactum quoddam sæpenumero solere, argumento certo satis fuerint, quæ Pastæta vocamus, alterum suffocatæ coctionis genus. Vt enim prius illud vasis, aheno fortè, aut olla, aut cacabo, operculatis omnibus; ita hoc subacta ex aqua farina in panificium fit. Ea Græcis σαὶς est: nos sanè Pastam, quum nomen hactenus apud Latinos non inuenerit, aliud, cum quibusdā dicamus, si fortè vsu emolliri hæc quoque vox possit. probè quidem compositum vocabulum videri possit Pastæta, ex Pasta, & σαιτὸς. Sed, quod dicebamus, Pasta induuntur, conteguntúrque tota crassiuscula, quæ ita cocta volumus esculenta, generis propè omnis. nihil enim refugit hæc coctura. Nobilissima tamen quæque includunt, Pisces præsertim. Sed & Aues, & ferinam, & Quadrupedum potissimas partes, sic Pastis huiusmodi vestitas, munitasque vndique, in furno coquunt, bifariam vt suffocata existimari hæc meritò debeant. est enim furnus ipse quoque, vt dixi, πνιγεὺς. Extrahuntur tenerrima, sapidissima, nutricantissima, succi optimi; nec concoqui, nec descendere, nec distribui difficilia: vt vel prædura, glutinosaque, aut crassa, si ita ritè coquantur, non sanè parum exuere qualitatum harum solita sint. Memini Lupum, itemque Vulpem, (partes dico horum quasdam) Coruum rursus totum, hac ratione coctos, ac per iocum appositos ignorantibus id conuiuis, non insipidos visos, & aliud, quàm quod erant, existimatos. Quod in alio quouis coctionis genere non sanè scio an successurum sit, vt indeprehensa lateant. Bonitas coctionis id facit, quanuis aliena à quotidiano vsu, & minimè cōsueti gustus, ne dignosci possint, iocularia impostura hac. Omnia hic, quæ in priore Suffocatorum genere, ad egregiè coquendum commoda: inclusus reciprocansque in se, vique maiore in coquenda conuersus, neque ille nimis vnquam siccans, calor, paucissimis excitatis euaporationibus, atque his consumptis; tum prætereà circuniecta vndiq; Pasta obturatis omnibus, quæ conclusione caloris, ex furni calore ipso quoque aëreo toto accensi, materia sua triticea, nempe farina, tam naturæ nostræ amica, opus feliciter inprimis promouens iuuet. Itaque, quod dicebam, nunquam nimis siccescere, quæ ita coquātur, verum dixisse videmur. Non enim transmittit Pasta flammei ignis siccandi potestatem, & transmissa aërosam semper qualitatem quandam conseruat, qua cruditas omnis sensim tollatur, & excrementitijs omnibus absumptis suus tamen cocturæ succus, qui alendo maximè fit, reliquus fiat, tanta plerunque diuturnitate, vt ob perfectæ coctionis conditiones mitti sæpe in longinquas quoque re-

giones dono amicis soleant, & lautioribus mensis, vel maximorum interdum Imperatorum, eadem plurimis deinceps diebus reponi viderim.

Esitantur ideo ferè refrigerata bona pars, quum calida tamen possent: sed amittunt gratiam recalfacta. Calidum semper estur genus eorum quoddam, quod concisis minutiusculè carnibus fit, & accepto pauco liquore, sectisque medijs Limonijs malis, additisque, incoquitur circunductæ vndique in orbem infráque ac supra per omnia Pastæ, latioris cuiusdam patellæ specie: quum aliâs etiam multa animalium, quæ includuntur, potissimùm verò Piscium quorundam formam, sequaci ad omnia Pastæ materia, efficta repræsentent.

Tria insuper Coctura genera: Subcineritiorum, & vaporosam ex aqua exhalationem accipientium, & circunlitorum Pasta.

CAPVT VIII.




Haberi illa quoq; possunt coquendi genera quædam, quum, vt in subcineritio ferè pane fit, cineribus calidioribus circunducta, aut oua, aut poma, aut castaneas etiam quandoque, & huiusmodi, percoquimus. Ea macerantur vtique igneo cineris calore egregiè, vt, si aut humidioris naturæ fuerint, vt mala, aut durioris simul consistentiæ, siccescere, ac tenerescere aptè satis eo pacto queant. Id in Ouis damnatur, quòd ita assata, (assationis nanque genere haud dubiè continentur) & tardiùs descendant, diducantúrque per corpus distributa ad alendum lentiùs, & deterioris insuper succi euadant.

Hoc assandi: illud elixandi potiùs genus, quum feruidioris aquæ vapore excepto, aliquo pacto appensa coquuntur. poma possunt, & fructus alij, aut alia quoque multa. Vapor enim facilè insinuat se assiduus, & cuncta penetrans calorifica vi, eademque humidum semper seruante, coquit: qui penè natiui caloris nostri agendi modus est, vt excalfaciente atque humectante qualitatibus præcipuè agat concoquendo, conficiendóque cibos, elixandi formula: quam in omnibus, quoties quidem naturaliter agit, operibus suis ostendit, nusquam siccescente nimis coctione, nisi quandoque extra naturæ suæ limites feratur, quum iam non concoctio est, sed corruptela.

Addit tertium, quo coqui solerent poma, modum Galenus, Pasta circunlita, incrustatáque, vt ita coquerentur. Sic enim locum eum (De alim. fac. ij.) accipio, ὠφελιμώτατα γίνονται πολλάκις ἐν νόσοις ἤτοι περιπλασθέντα σταιτὶ. cocta esuique idonea intelligens. Nam duos statim subdit coquendi modos alios, illos paulò antè recitatos, vt vtilissimè in morbis sæpenumero coqui Pasta priùs obducta poma, edique ita indicare voluerit. A quo planè modo originem sumpsisse Pasteta ipsa, de quibus tot suprà diximus, videri cuipiam non immeritò possint.

Sorbitionum ratio. Quomodo ab his, quæ incoquuntur, accipiant facultates, rursúsque illis reponant. Simplicior item, & compositior earum modus quidam: condiendiq; ex his formula: atque earundem diuersæ sæpe rationes.

CAPVT IX.



Atque hæc ferè sunt, quæ venire nobis hoc loco in mentem potuêre diuersa coctionum genera, quibus diuersa itidem variaque conciliari solita sint cibarijs temperamenta, diuersæque naturæ, ac consistentiæ, alendique facultates. Hactenus enim relata, ex sola igneę potestatis applicatione varia diuersitatem alimenti acquirunt, vt alio assa, elixa alio, atque alio fricta modo, hanc vnam ob rem alant, plùs, minùs, sicciùs, humidiùs, frigidiùs, calidiùs, crassiùs, tenuiùs, duriùs, molliùs, & id genus: nimirum ex differentibus vbique rationibus adhibito admotoque igne inter coquendum, differentium quoque semper naturarum exeunte coctura.

Restant Sorbitiones, seu Sorbitiunculæ, ῥοφήματα scilicet Græcorum, Iuráque ac Iuscula nostra, & iurulenta omnia. Quæ si simplicissima fuerint, ipsa potiùs ab esculentis, quæ incoquuntur, facultates accipiunt, quàm dent: contrà, si compositiora, dant magis, quàm accipiant, aut certè nō minùs. Simplicissima dico, ex purissima solaque aqua, quæ elixationis ratio est, pura omnino, ac syncera: in qua humescunt quidem carnes, seu si quid elixatur aliud, at plurimum inde elicitur ad alendum quoque virium in aquam, nō solùm aliarum qualitatum, quæcunq; tandē elixandis insint. Atque hæc simplicior fuerit Sorbitiúculę purioris cōditio, quoties, quę incoquuntur, aut temperata sint, aut non mul-

multùm à temperamento abfuerint, nec extranearum qualitatum quicquam obtinuerint.

Sed hæc quoque tamen ipſa, protracta diutiùs elixatione, qualitatis aliquid etiam, quæ rebus antea ineſſe non animaduerti manifeſtò poſſit, accipient; ſi non aliam, at ſalſilaginoſitatis alicuius, quandoquidem omnium optimæ cōditionis aqua, vel per ſe ſolaque excocta, ſalſedinem tempore concipiat; tanto magis, ſi aut ſalis antea iniectum aquæ aliquid fuerit, aut, quæ coquuntur, ſalſum priùs nitroſumque in ſe ſuccum contineant; vt ferè animalium veterum carnes continent, Gallorumque inprimis, quorum iuſculis longiore temporis ſpatio decoctis ad ciendam ſæpe aluum vtimur, proritante eam ſalſugine carni ob diuturniorem elixationem detracta, & iuſculo repoſita. Idem ſuccis multis vſu venit, vt decoquēdo ſalſi primùm quidem fiant, poſtremò etiam amareſcant. Sic verò detrahuntur rebus qualitates, quaſcunque habuerint, non modò ſalſedo, & iuſculis reponuntur, vt res ipſæ diutiùs decoctæ idipſum demum fiant, quod aqua priùs fuerat, nempe abſque vlla prorſus iam qualitate. Cuiuſmodi aquam puriorem illam habendam ſemper eſſe ſcimus, exqualem ſcilicet. Huius, inquam, conditionis euadunt, quæcunque diuturniore temporis ſpatio incoquuntur, vel puriſſimæ omniumque maximè ſyncer æ aquæ, abeuntibus in hanc de rebus ipſis, ac veluti ſedibus ſuis relictis in aquam tranſmigrantibus qualitatibus omnibus, donec exquales res ipſæ remaneant, qualitate omni vacuæ, exqualiſque priùs aqua qualitates eas ſuſceperit omnes. Nec aliunde arbitror Elixationem dictam, quàm quòd prolectę ita eliciuntur de elixis qualitatum vires, facultateſque omnium, vt ſi diutiùs perrexerit Elixatio, deſtitutæ viribus ſuis res dilutiſſimi, ſæpe etiam nullius ſaporis fiant. Itaque videmus amara, acida, auſtera, ac ſapore quocunque prædita, hac ratione facultatibus ſuis exuta in Iura tranſferre.

Hæc ſimplicior quædam vocabitur nobis elixatio parandis Sorbitiunculis, quarum gratia de coctionis genere hoc nunc iſta tradimus. nam priùs, quatenus quæ elixabantur ipſa alimentum nobis ſuppeditarent ſuum, ſic de eo dictum meminimus. Nunc Sorbitionum, aut Iuſculorum ſimplicius hoc genus dicimus, quo elixatorum ea vires accipiunt, reddunt nullas, aut vnam humiditatem, neque eam tamen ſemper, ac non niſi quum rectus in eo ſeruatus modus fuerit.

Compoſitius illud, iniectis extemplo aquæ condimentis, quorum facultates non minùs elixa ſentiant, quàm ipſa ſuas iuſculis addant. Hîc iam condiendi ratio ipſa quoque compoſitior quædam, vtpote qua non ſolùm iuri ipſi per ſe ſolique, veluti quum ad Sorbitiunculas tantùm paramus ea, aut ſeorſum Intinctus quoſdam concinnamus, additas volumus vires facultateſque quaſdam: ſed incoquendis etiam conciliatas cupimus, ad exceſſuum fortè aliquorum caſtigationem, aut alias ſalubriùs parandis, eaſdem.

Αρτύματα hæc ſunt, & ἀρτύσεις Græcis. ὅσα δὲ ἐν τοῖς λοπᾶσιν ἀρτύοντες, ἐν τῷ μεταξὺ τούτων ἐστὶν. Quæcunque, ait, in ollis condiunt, in medio horum ſunt. Priùs nanque aſſa ſiccioris, elixa humidioris eſſe naturæ dixerat: at nunc ollarum condimenta (ἀρτύειν enim condire eſt) mèdia ſtatuit, quòd ea liceat, cuiuſcunque libuerit temperaturæ, præparare. Mox enim ſubdens, inquit: καὶ τούτων δ᾽ αὐτῶν οὐ σμικρὰ διαφορὰ γίνεται παρὰ τὸν τρόπον τῆς ἀρτύσεως. non paruum eſſe illorum diſcrimen affirmans ex condimenti modo. Nam alio atque alio ad condiendum addito, aliam atque aliam introduci incoctis cibarijs naturam credendum: vt, ſi abundè ſatis vini & gari acceperint, ſicciora, quàm quæ non acceperint, futura ſint: (quod noſtram de Vini temperamento ſententiam prolatam confirmat) ſin ex his minus, defruti autem pluſculum habuerint, aut ex ſimplici ac quotidiano albo Iure condita fuerint; multo antedictis humidiora habēda ſint: atque his etiamnum magis, ex ſola puraque aqua. Atque ita cibaria & eſculenta in omnibus intelligamus, quæ condimentis incoquuntur, eorum acceptam referre naturam ſolere, ſiue animalium ea carnes fuerint, ſiue quid aliud: quanuis de carnibus inprimis dictum accipi debere videatur, quòd eo loci Galeno de Quadrupedum alimento inſtitutus priuatim ſermo ſit. Et hoc igitur quoque modo parari carnibus temperamenti, conſiſtentiæque prioris, ac qualitatum, quod ad ſanitatis vſum futurum ſit, emendatio aliqua poteſt: dicendumque hîc à nobis de eo fuit, vt prædictorum ſequela ſeruaretur, cunctaque referrentur, ex quibus coquendo, aut ignis ipſius potentia, aut aliorum additionibus, eſculenta, carnes autem inprimis, immutationem ſentirent.

Eſtque iſta condimenti ratio, & à iurulētis petita. Quæ ſi eadem per ſe paretur, ſeorſumque, Sorbitiunculæ potiùs & intinctus rationem ſubibit: ſępe etiā vtrunq; præſtant, vt & condiantur temperamento immutatæ ſuo, iuſculis aut incoctæ, aut inna-

innatantes deinde etiam carnes; simul & pro sorbitione nobis & intinctu futura iurulenta ea sint, diuersisque ita rationibus res eadem, vsitato in multis exemplo, diuersorum vnà vsum præbeant. Nam hęc ipsa, dum esculentis de facultatibus aliquid addunt suis, id quod sunt, rectè condimenta dicentur: eadem sorberi commodè sæpe vsuque multo possunt, & sorbitiones erunt. Sed & intingi panis in his, edique frequentissimè, tum rerum quoque aliarum offulæ solent: ita intinctus fiet. Quorum ipsorum non minùs simplicissimus quidam modus, vt quum aceto tantùm, aut Citriorum Limoniorumque malorum succo solùm ad intinctus vtimur: compositi alij multi, de quibus cum reliquis vnà dicendum nobis erit posteà.

Pulmentariorum ratio diuersa, ac nomina: & quæ quibus horum præferenda.

CAPVT X.



EX frugibus ferè, aut frugum farina polline que, existunt nobis Pulmenta, Pultesque innumeræ; itidē simplices, compositæque aliæ. Ex frugibus integris primò, diuque dein aqua maceratis, humefactisque, tum longiore temporis spatio decoctis, Pulmentum exit densum coactumque, molle, quod prorsus in pultem, vix iam apparentibus granis, discesserit totum. Sic hordeum, oriza, panicum, milium, zea præparari sæpe solita sunt, & quicquid frugum cortice non duro tegitur, aut semine non magno constat, aut membranoso. Hæ pinsuntur potiùs, deglubunturque, & ex fresis, vt faba, Pulmenta conficiunt, longo in aheno rudiculæ circunductu, subditis accensis carbonibus. idem consequi in alijs licebit. Hoc fuisse veteribus ἔτνος videtur. Sic quidē Galenus: (De bo. & ma. suc. cib.) ἔτνος οὖν ὀνομάζω, τὸ ἐκ τῶν ἐρεχθέντων ὀσπρίων τε καὶ χεδρόπων σκευαζόμενον, λέκυθόν δε τὸ ἐκ τῶν ἀλεσθέντων ἄλευρον, ἑψόμενον ἐν ὕδατι προσεμβαλλομένου τινὸς λίπους. vt ἔτνος ex fresis sit leguminibus: λέκυθος, ex molitis in farinam. Fresorum autem leguminum erat ἔρευγμος, ab ἐρέχθω Verbo. Ex quo pulmentum, ἔτνος κυάμινον, ex faba fresa; sicuti ex molitis λέκυθος, in commune. Nam ex molita zea Pulticula parabatur, quam peculiariter ἄθηραν vocarent, Sorbitiunculæ in modum puerulis aptæ.

Cuncta appellari Pultes Pulmentaque possint, & Polentæ, vt arbitror, ex molitæ farinæ polline: rectiùs tamen posteriora duo, ἔτνος dico, & λέκυθος, cumq; hoc ἄθηραν, pulmentariorum loco habebimus. Nam in prioribus illis, quæ longa primùm aquæ maceratione combibito demum humore elixari debere memorauimus, magnum sanè spectatur discrimen; quando eo modo præparatum hordeum, vel potiùs hordei ptissana tota atque integra longè ad succi bonitatem, tuendamq; valetudinem commodior, quàm Pulmentum Polentáve, ex hordei farina vtrunque, sicuti & maza. Quin humectârit Ptissana, Polenta siccârit potiùs: idemque animaduerti discriminis in reliquis quoque, hoc illóve modo paratis, frugibus queat: hoc est, vel molitis in farinam ad Pulmentaria opera, vel integris relictis, maceratisque, ac miti deinde igni ad Pultis vsque consistentiam decoctis. Qui planè præferendus modus sit, tanquam quo longiore emaceratione & elixatione diligenti demi meliùs seminibus noxa, & succorum prauitas auferri, & siccitas (quo maxima eorum pars laborat) tolli, emendarive, & glutinositas dilui, & reprimi multorum flatuositas, & dulcescere quorundam amaror possit. Sic quidem Lupini amaritudinem omnem deponunt: at Faba etiam si flatulentiam in totum non abijciat, partem tamen abijcit elixa magis diu, macerataque integra, quàm molita & puls facta. Ex Lupinis verò, non, vt par est, benè maceratis, non elixis, atque in pulmentum tantùm à molitura redactis, insignem, vt opinor, percepturi amaritudinem sumus. Eadem reliquis omnibus (ne singulatim cuncta percurrere necesse habeamus) accommodari poterit ratio, scirique ex hoc optimè licebit, quale, quantum, cuiusmodi expectandum nobis ex singulis alimentum fuerit.

Repetita Assaturæ, post simplicioris tractationem, compositæ quoque magis ratio: & exemplis apertior facta multis: commodáque ostensa ex his ad vescendum, & incommoda. Infarctus dein additi, Tomacula, Farcimina, Lucanicæ, quæ assari omnia conueniat. Tostarum carnium aspersiones, ἀπανθρακίς.

CAPVT XI.



IAm ferè Condimenta tantùm restabant, & Intinctus, & Moreta, & huiusmodi dicenda, qualis eorum esset ratio. Nā quæ carnibus inter assandū addun tur, adsperguntúrve, aut antea infixa cū illis vnà circūducūtur: de his iā traditū. Humescūt inde aliquantum

tum tosta omnino, &, ne exarescat ex toto illorum superficies, quasi condimenti cuiusdam loco præstant. cætera naturam suam referent penitus assa, quò vis assandi ab igne peruenerit. Quorum autem elixando iuscula facultatem accipiunt, & carni reponunt, ab eaque rursum alimoniæ vis iusculis additur; quæ omnia mutua rerum inter se quasi permutatione quadam fiunt: de his quoque non minùs sermo habitus in transcursu, atque in vniuersum fuit, quod satis sit, dummodo sciamus decoquendo facultates rerum, quarum antea iustorum voluminum exaratione cognitio tradita, iuri semper addi: vt non attineat, quarum virium futura iuruleta sint, tradere, cognito iam hoc; nec rursus, Elixationis natura perspecta, quid acceptura elixa rerum huiusmodi additionibus caro sit, exposuisse. Si qua verò per se, seorsumque condimenti alicuius modo concinnantur, tum carnibus Elixis, interdum etiam Assis mensæ statim inferendis super insperguntur, ea aut Intinctus, aut Moreti, aut talis cuiusdam nomine censenda venient. quoniam vtrobi ea reperiamus, pro his vtimur.

Hæc, inquam, tractanda nobis restabant nunc: nisi præstare opinaremur, exempla rerum dictarum protulisse aliqua in medium, ad faciliorē eorum, quæ dicuntur, omnium captum; néve præparationum, coctionum, condimentorum, particularis magis modus quidam negligenter præteritus, mancam redderet ex parte, mutilamque tractationem nostram hanc, qualemcunq; illam: simul vt, quoniã mangonium suum Assis, itemque Elixis inuenit gula, & sedula culinæ cura factum, vt nō omnino simpliciter Assa dici, nec Elixa quædam, proinde neque illorũ naturam temperamentumque retinere possent: quid in his boni messe malive ad Sanitatis tuitionem æstimemus, declaretur. Quis enim Assa verè dixerit, aut pro Assis duxerit, quum atium iecuscula, hœdorumque maximè ac agnorum, pulmonesque illorum ad hæc concisis minutim herbulis odoratis, alijsve, & liquore aliquo dilutis, velut emplastratione facta inducuntur, & omento contentæ inuoluuntur herbæ, cunctaque in veru torrentur simul? Elixationi similior hæc, vt videri non immeritò alicui possit, quàm Assationi, coctura: quippe ex ea circunducti bene humidi actu ceu emplastri vim igneam accipient, vt coquatur, res; tum & herbarum vires ex parte experiētur, cuius cuius illæ facultatis fuerint. Quis, (quanquam hoc iam propiùs Assationi accedit, imò Assatio verè est, sed compositi iam non parum retinens) quum vitulina caro excisa veluti in folium, tunditur fuste, batuiturque, ac implicatas recipit diuersorum generum herbas, pinguedines, aromata, veruque itidem torretur? Pulpulas appellant nostri: verè nanque Pulpamentum est, necessariò qualitates relaturum vescēdo incoctarum rerum; cætera Assum dicendum, habendumque: interponuntur laridi tessellæ frustulis, ne torrendo exarescant. Alimentum ex hoc, quale ex vitulina carne tosta: sed medicatum, pro additamenti ratione. Adduntur autem pro arbitrio, sal semper & aroma tritum aliquod, tum verò coriandrum modò, modò petroselinum, folia seménve, modò amaracum, & fœniculi modò semina immatura, quod rudimentum illorum est, dehiscente primùm vmbella in florem, partim maturescente quoque detractum. Alij minutiùs concisa Vitulina, vel Iunicum carne iuuencorúmve, cum adipe vnà aut larido contusum amaracum addũt, & petroselinum, (quod ita dicimus, & apium est) infriatumque caseum vitello oui miscent, & in vnum coacta sale & aromate conspergunt, omentoque inuolutis vitulino, si ad manus sit; sin minùs, at suillo, alióve, frustilla faciunt, qua libuerit magnitudine, oui maximè, quæ veru transfigant, & subditis prunis, aut si maluerint in craticula torreant; alimentum exhibitura excalfacientis naturæ, resiccantisque ex parte, ac flammeum calorem concepturæ, si aroma multum sit: vnde retorridus sæpe sanguis, & sitis vehementior liberaliùs vescentibus, promptusque ac paratus renum calculus in obnoxijs.

Infarciuntur item lactentes Porcelli ad assandum, Anates, Anseres, Capi, Pullastri: possunt & Grues, & Ardeæ, auesque aliæ maiores: quin & Pisces non commodè nec salubriter minùs, ob aromata, quorum qualitatibus non parum dematur piscibus frigiditatis atque humiditatis natiuæ, ac succi vitiositatis, quæ lentore ex parte magna in his quodam constat. Exenterantur priùs diligenter, quæ infarciri debent, omnia: tum exempta interiora emundataque conciduntur cum larido, pinguique aliquo, herbulis odoratioribus, allioque: infriatur his caseus, & adduntur oua, cinamomi, croci, piperis tunsi aliquid: commiscentur sedulò cũcta, induntur que exenteratis, & consuta aut torrentur in veru, aues, porcellique; aut in craticula pisces: commodè, dum assantur, mixtis sale & aceto illinentur sæpe, vel ex saluiæ ramusculo aspergentur. Editur infarctus ipse æquè benè: qui tamen transfūdere in carnes facultatis omnino aliquid

soleat

soleat suæ, & vel contemperare, vel medicatas reddere: Piscium, vti docuimus, contemperare potiùs; reliquorum, medicatas facere. Omnino nanque, præter alimoniæ facultatem, calefaciendi, siccandique virium aliquid accipient, quanuis id non magnum futurum est in maioribus, quorum vicinæ tantùm partes qualitates sentient: in minora faciliùs transibunt, piscesque magis.

Infarctus porrò ipse, id quod est, infarciet sanè comestus, si paulò largiùs additus caseus, ouáve fuerint; & concoquetur ægrè, & tardiùs descédet, & corruptelam sæpe afferet nidorulentam illam ventriculo, iocineri, renibus, venis minoribus aduersans, quarum in angustijs hærens facilè obstructiones creet.

Maiora iecinora, si venire idoneè in infarctus hosce debuerint, elixabuntur priùs paululum, cætera eadem erunt omnia. Tomacula ferè huiusmodi fuere veteribus, nobis Mortadulæ, quum suillum iecur, vituli ve cócisum, multo aromate miscemus, pipere præsertim, ac modico sale, & fœniculi semine, vel siccatis potiùs flosculis, & in orbiculos omento circunuoluta Tomacula craticulę mandantur assanda. Non multùm alent hæc; & quod alent, calido & sicco tẽperamento notabitur; retorridum sanguinem facient, si piperis plusculum acceperint.

Eiusdem generis Farcimina habebuntur hunc in modum: Accipiunt pulpæ vitulinæ plus, suilli adipis minus multo, casei veteris pinguisque tantundem ferè quantùm adipis, oua duo, aut si res exigere videatur tria, salis quantum satis est, pro rata mixturæ parte, piperis, cinamomi, vtriusq; plusculum, croci quod colorando satisfaciat: conciditur minutim sic satis caro & adeps, teritur τυροκνήστῃ sua caseus, quod instrumentum est culinariũ foraminosum, altera parte asperulis eminentijs, friando nõ solùm caseo, sed pani, & quicquid subire id operæ natum est, accõmodum; tunduntur crassiusculè aromata: ouis cuncta excipiuntur tudicula exagitatis, commiscenturque diligẽter. Hac mixtura tenuius intestinum infarcitur curiosè priùs ablutum, vnde Farcimen dictum: priuatim Lucanicas vocant, in Lucanis primùm fortè inuentas. Elixaturam hoc pacto exposcent primùm, tum & aptissimè in craticula torrebuntur. Edulium non omnino malum, nisi caseum acciperet & oua, quæ infarciendo sunt, aromata calorem adderent: at eadem humescentiam nimiam exugunt, & putredini resistunt siccandi vi, & peculiari aromatica, si præsertim paulò plus salis atque aromatum inditum sit. Quod faciunt, qui permansionem plurium dierum, quindecim fortè, aut viginti, in his quærunt. nam aliás simpliciter sic confecta vix biduum æstate perstabunt integra. Pulmo, iecur, lien, & quicquid interaneorum est Suis, Vituli, Bouis, Hœdi, concisa minutatim eandem accipere formam poterunt, quæ pro animalium temperamento, rerumque additarum, diuersè iudicanda erunt. Iam si mensium prætereà quæretur permansio, siccabuntur insuper fumo, & minore mixtura parabuntur, hoc ferè modo: Sumis de Sue carnem pinguem macramque simul, detractis fibris ac membranis omnibus, neruosisque partibus, concidis minutatim: salis addis, quantum satis est, pro rata semper parte, decem fortè libræ si carnis fuerint, decuplo minus vt salis sit, nempe libra: fœniculi repurgati secretique adijcis sextantem, piperis tantundem crassioris, tunsi tamen: misces ista, infarcisque eodem modo, & fumo appensa siccas. Ablato hinc caseo, pinguique, & ouis, obstruendi vnà meatus præsertim angustiores auferetur suspicio, & liberandi potiùs infarctus accedet facultas, prȩterque salitis omnibus communis illa crassos lentosque humores incidendi; sed cum excalfaciendi hîc potestate maiore resiccandique; proinde exassandi quoque sanguinis, & atrabilarij humoris copiam generandi, timore.

Tostis carnibus affundi à multis multa liquorum diuersorum genera solent, quorum cuius quodque censendum facultatis sit, quásve exhibiturum vires, & an Assa emendaturum, an additurum potiùs illis; non difficilis admodum futura coniectura sit, simpliciorum priùs, ex quibus concinnantur, rerum explicatam iam antea à nobis naturam omnem cognoscenti. Exemplum dabimus vnum atque alterum, ex quibus reliquorum duci cognitio certa possit, omnium facientium ad rem, non facientium. Neque enim delicias hîc, aut voluptates quærimus, vt palatum prouocatura multa tradere necesse habeamus: sed sanitati studemus, cui futura satis sint pauca, & ea simplicia magis, minimeque deliciosa: nisi quatenus tamen voluptatis hîc quoque captandum aliquid in his est, quo nutriendi dispensatio tota peragatur meliùs, excipiente talia, quæ modò sanitati nõn aduersentur, libentiùs ventriculo, retinenteque, ac feliciùs concoquente, etiam trahentibus sanguificatum ex huiusmodi humorem auidiùs ad se membris ad alendum omnibus. Hactenus concessum, voluptuosæ vt parentur dapes, & vt palato tribuatur aliquid paulò delicatius quod sit: supra id

vale-

valetudinis humanæ custodi nil tentandum, ac, si qua afferentur eiusmodi, inuestigandæ protinus facultates, vt aut idonea recipiantur, aut refutentur aduersa.

Cum Omphacio, quod Agrestam vocāt, & pinguiusculo iure miscetur luteum oui agitatum, & allij nucleus eodem liquore disfractus solutusque tunditur, additur piperis momentum: croci nō est opus, nisi qui coloratius desiderant. Huius aspergine carnes dum assantur, madefiunt sæpiùs: tum assis iam impositisque patinæ, quod reliquum factum est, infundūt, vt partem aliquatenus tangat. Hinc alliū, cui olidum id esse videbitur, abijcitor, seruantor reliqua, nec inidonea, nec insalubria, nempe exustas partes emendatura, & calorem sæpe nimium demptura, nec interim futura palato ingrata.

Non dissimile aliud: Tundi debēt amygdalæ diligenter, exquisitè tunsæ inspergi sale, tum omphacio, & iusculo benè dilui, vsq; dum tenui transmitti cribro valeant, tum cinamomi modicum adspergi, aut zingiberis. Eadem denique cum superiore fient omnia, nec sanè facultas diuersa. pro omphacio liceat Aurantij mali, aut Citrij, aut Limonij accepisse succi tantundem.

Et Carbonatam vocant Hispani, quam Itali Brasolam: hi à carbonibus accensis, illi à prunis, quæ Italis Brasæ sunt, vtique igniti carbones, aut consumptæ flammæ reliquiæ in ligno: Græcis esse possit ἀπανθραχὶς fortè. Fit porrò, quum ex vitulinis coxis, vel bubulis quoque interdum decisę portiones, sed tenuiores, & in laminas digiti crassitudine non ampliùs, verberatę & duritia sua fractæ, vtraque ex parte sale & fœniculi semine tenuiore asperguntur: geminis deinde tabulis interceptæ, ex compressu semihoræ spatio macerantur, vt in craticula subinde vtroque versum mutatæ assentur; larido interim, aut pinguedine aliqua, ne exurātur, illinendæ. Torrendi modus his potissimùm quæsitus, qui delicias quærunt bibendo, sitiendique appetētiam exacuunt, ac cibi genus optant, sicuti exassati, exustique; ita sanguinem exassaturi, exusturique, crassumque ac melancholicum humorem generaturi.

Idem fiet ex Succidia, aut perna, aut abdomine, & sumine, vt abscissæ inde tessellę in craticula torreantur: eodem alimenti vitio, magisque adhuc, quòd reficcantior antea accepto diu sale caro, etiā ignis vim subijt, vt reficcet magis, & addito calore propè iam humores exurat.

Friguntur & in sartagine, frictæq; merguntur aceto, adsperso insuper saccharo, cinamomo, & apio, nostratis nimirum petroselini concerptis foliolis, non incongruenter, vt quo perustio castigari queat illa: mali quoque Aurantij, vel Citrij succus affundetur commodè.

Atque his ferè compositionum modis assantur, torrentur, friguntur multa. Longum nanque nimis, atque id inutile, recensere omnes, præsertim qui reduci in hosce cuncti, deque illis, eodem pacto, ijsdemque prorsus rationibus fieri iudicium possit, quod quidem ad illorū temperamentum, alendique inde vires, & huiusmodi reliqua attinet.

Repetitur item compositus magis Elixandi modus, & allata præparationum aliquot exempla, commodáque, ac nocumenta inde dicta.

CAPVT XII.



AD eūdem modum ne elixandi quidem simplex semper ratio, ac penè, quàm assandi, sępenumero compositior, vt additamenta non parum Elixaturam totam obscurent. vt, quum elixi Capi pulpæ, præcipuè verò alarum ac pectunculorum, cum apij vnà ac betæ radicibus sumuntur, additur caseus, & friati panis parum, oua sex circiter, vuarum passarū aliquid, cinamomum, zingiberis, piperis, caryophyllorū, quantum satis esse videbitur, butyri cochlear magnum: componuntur omnia simul, comminutis priùs, quæ comminui; tritis, quæ teri debuerunt, in massam, quam deinde in offas diuidant figura & magnitudine ouales ferè: Rapeolos multi vocant, quòd ex friatis primùm id epuli genus fortè rapis concinnatum fuerit, dein minutim etiam concisis herbulis, demum & animalium carne. Has tenui ex subacta farina, quam Pastam diximus, folio seorsum singulas inuoluunt offulas, eodem Capi iure recoquunt; exemptis, patinæque iniectis caseum infriant, & calidi affundunt butyri satis: mixtura, ex qua alimoniæ multum expectandum sit; sed inflammabilis sanguinis, vitiosique succi alicuius generatio timenda, cum obstruendorum meatuū paulò angustiorum periculo, & præbendæ renalibus affectibus calculisque, ac sabulo in his generando, materiæ.

Pariter concisa Vituli caro parari, diuersa quanuis aliquantum ratione, debebit. Elixatur priùs modice, vt rudimentum potiùs elixationis sit, quàm integra elixatio. Sed sumpsisse de coxæ, lumborúmve, aut dorsi musculis oportet: tum exquisitè in minutissima conciditur: triplo minus deinde adipis itidem, eodemq; modo concisi addis, salis, cōdis aromate, quali, quantoque

toque libuerit: croci tamen inijciendum semper quod colorando satis sit: dein aceto aspergis, adiungis iuris aliquantum, durata ouorum lutea, si libet, etiam. Indis omnia composita simul in factitiam ex tritici farina subacta patellam, addito ex eadem materia operculo: coquis in furno: satis ad coquendum semihora. Minus ex hoc infarciendi meatus periculum, & satis tamen alimoniæ, quanuis medicatæ, calidioris scilicet, & quæ ignescere facilè possit. Laxare pinguitudine ventriculi membranas solet hoc, & satietate quadam degrauare.

In Veruece peragi eadem poterunt omnia: huic tamen cepularum aliquid minutiorũ inijcietur, & plusculum temporis ad coquendum requiritur. Dissecta media Aurantia, aut Limonia mala non magna, incoctaque, & gratiæ plus addent gustui, & emendabunt cùm alia, tum pinguedinis noxam, & relaxandi potestatẽ illam auferent ex parte.

Coques eadem materia conclusum integrum Capum, excepto, quòd alæ pedesque infracti & collum retorquẽtur in corpus, vt angustiùs iaceat: ouorum luteis duratis aliquot infarcies: ea configes caryophyllis binis ternisve, singula salita priùs: tũ pruna accipies, vel si hæc ad manus non sint, vuæ passæ aliquid, Limonij've tenuiùs cõcisi, aut vtriusque partem, oua sex ferè: Tudicula miscentur, agitanturque hæc: tum butyri benè recẽtis adijcitur pro Capi pinguedine plus minus, sed quod liquaminis tamen instar efficiat, hoc madescet immersus intus Capus: postremò factũ ex eadem farina imponetur vasi operculum. Hoc modo immittitur furno farinacea patella, siue olla, siue testa, siue escarium vas id, ouorum priùs albumine illitum. Si anniculus fuerit Capus, nõ ante tertiam horam extrahi furno debet. Cautio erit, si quid furni calore agitatius factum effundi visum fuerit, vulgata charta nostra texisse. statim id reprimere efferuescentiam illam solet. Calidum inferri mẽsæ vult. Nonnulli ante perfectam cocturã vini aliquid affundunt, conuiuisque iam appositurí luteum oui aceto dilutum inijciunt.

Pullastros eodem modo si concinnandos sumes, solo hizingibere erunt contenti, præter salem, paucoque larido, butyro recenti, & carnium iusculo aliquo, sed modico, pro liquamine: ouis his nihil opus: cætera, vt de Capo dictum, eadem, & coquendi modus idem: nisi quòd non tam multum hi temporis exigunt: sesquihora sæpe satis. Ita præparatorum caro egregiè friatilis, palatoque accepta euadit, nec praui sanè nutrimenti. Reliqua, quia per totam, vt in superioribus, quæ concisim mixta componebantur, non commiscentur carnem, nec facultates quidem suas omnibus addent; intinxerint omnino partem, maiorem sibi retinebunt, notam satis pro rerum, ex quibus conflant, viribus. In eandem cocturam veniet, quicquid Quadrupedum domesticorum, aut syluestrium, quicquid Auium cortalium, aut nemoralium est, venatio denique omnis: vt modò integra, quæcunq; parari integra possunt, tota, partesque; modò concisa, additionibusque suis immersa illis, vel commixta, plùs minùs facultates eas accipiãt: & nunc corrigantur in his, quæ corrigi ritè ad salubritatem debent, rectè atq; ex arte; nunc malitia sua augeantur quædam.

Nos tamen diuersorum generum exempla attulimus, afferemusque pòst, vt habeamus, quę sequamur, aut fugiamus; & iudicium esse possit paratorum artificiosè, aut secus: vel ipsi etiam, retenta præparandi ista formula, in Salubritatem pro arbitrio dirigamus cuncta, interdum noua nobis etiam ex Artis legibus, atque in rem, vsumque nostrum cõcinnantes; aut, si receptos iam dapum obsoniorumq; modos sequendos necessariò, vt sæpe vsu venit, habebimus, vtendi saltem his aliqua nobis semper ratio constet.

Quod si fiet, multa sæpe reijciemus in totum, vt mali improbatique succi quę videbuntur, quæ meatus obstruunt, quę manifestam putrefactionibus vel corruptelis causam prębent, & huiusmodi: quædam vni alicui commoda, alij incommoda iudicabimus, vt quæ temperamenti excessibus, eiusdẽ intemperaturæ hominibus noxia, diuersæ, aut contrariæ amica sæpe experimur, aliaque alijs, quibusdam ac varijs priuatisque adeò interdum de causis, diuersæ hominum conditioni, ordini, vitæ instituto, obesse, prodesseque animaduertemus. Sed nos, quod sæpe iam dictũ, probanda, aut improbanda, vnius temperatissimæ naturæ optimæque cõstitutionis hominis respectu, cuncta hæc, vniuerso rerum harum tractatu, sumpsimus.

Pariter repetita Suffocatorum ratio, & rationibus nonnullis commendata.

CAP. XIII.



NEc magnopere dissimilis huic, quam modò tradidimus, est coquendi ratio ea, quæ suffocatiõe quadam, operculatis, vt diximus iam, nimirum ollis fiebat, quo oua πνικτά, suffocata videlicet, assis, elixisque præla-

prælata legimus à Galeno. Erat autem coquendi modus in duplici vase, quo oua continebantur: eo in cacabum aqua plenum demisso, eóque sufferuefacta aqua calorem ad cocturam concipiente satis, vt, quo modo oua, eodem incoqui multa prętereà alia posse non diffitendum sit: fructus certè scimus, quos ex re Stuffatos vulgus vocat, nempe operculatis semper ollis coquendo suffocatos, vt alia quoque ita non difficulter possint. Quantum autem præstet in duplici aliquando vase coxisse quædam, ex eo vno ducere argumentum liceat minimè leue, si, quantum stillatitij liquores, duplicis vasis modo hoc eliciti, (Mariæ vocant balneum) alijs aliter extractis omnibus præstent, vt in quibus herbarum non facultates modò ipsarum, sed sapores, ac penè odores conseruentur.

Ergo inita atque inchoata coquendi hæc ratio veteribus fuit sæpe, perfectaque: nec nescisse illam eos, quam hodie subacta farina, circunductaque inde rebus crusta, imitamur, apertissimum est, quòd & ipsi quædam ad coquendum incrustâsse sua illa σταιτί legantur, quæ farina est cum aqua subacta. Nos tamen hodie paulò meliùs in ollæ patellæ've alicuius formam effictam ex Pasta crustam, quæ liquida etiam continet, fabricamus, igneque testæ in morem, dum reliqua incoquuntur, durescat, operculata semper: vt propterea πνικτὰ semper dici possint, quæ incoquuntur; nec à duplicis quidē vasis, quod alij diploma nuncupant, ratione longiùs absint, si pro cacabo aqua pleno, furnum duxerimus, cuius ne ipsius quidē calor vsque adeò resiccans, vt flammæ, vt accensorum carbonum, habendus sit. Accedit ex farina subacta vas, cuius materia, tam temperamento nostro familiaris, non nihil addere de suo incoquendis rebus bonitatis indubitatò queat: ac si humore contineantur, immersæ eius ipsius qualitatis suscipere integras omnes siccitate nulla ignescentes valeant; sin siccæ insint, at excitatus intus per cauitatem, quæ semper vacui inibi aliquid obtinet, vapor necessariò humidior tenuiumque iam partium per omnia sese induens, cuncta qualitate sua compleat, repercussusque sæpe, atque vndique de farinaceæ crustæ parietibus obsonio incumbens, particeps id rei optimæ, nobisque conuenientissimę qualitatis, faciat. Id quod veterum cocturę huiusmodi rationi omnino defuit propter duplicis illius vasis, quod cacabus illis erat, alterius prorsus materię alicuius vsus, nobilioris quidē, si Corynthiū ęs esset; sed æreæ tamē maiori semper ex parte, longeq; ad incoquendi salubriter facultatē à Pastæ seu farinaceæ testæ cōmoditatē diuersæ.

Quapropter insequutę Veteres illos ętates, incommodis fortasse aliquibus, aut noxis etiam quandoque admonitæ, æreos lebetes opere permutârunt figulino ad coquendum, fabrefactis ad id fictilibus ollis primùm; tum inuentis insuper ex lapide, cuiusmodi in Comensi agro, ignis patientissimo, & in tenuiores laminas scissili, quas cingulis ferreis in cacabi formā componunt, ad elixandum vasis; & terræ genera apud gentes multas ad hoc quæsita, vt figlina fierent, vitatis ahenis. vsque adeò retulerit sæpe, qua obsonium quodque formula, quóve vasorum genere, ad esum præparetur.

De hoc coquendi, elixandique modo, qui inclusis tectisque vndique subactæ farinæ seu Pastæ crusta obsonijs fit, antea quoque dixisse memini: nunc hoc loco paucula hæc quoque addidisse rerum tractationi huic non incongruum visum fuit.

Concinnandorum opsoniorum multorum ratio per exempla quædam exposita, virésque eorum monstratæ: ac partium multarum speciatim coctura, quarum facultatum sit, ostensa, Iecoris, Lienis, Pulmonum, Capitis, Cerebri.

CAPVT XIIII.



EST & id ferculi genus inter nobilissima adipalium cœnarum habitum, atq; in primatum tātummodo iam mensas receptū, quod Capi pulpas accipit elixi: iccirco hîc dicēdum in tractatu de Elixatione, aut quæ Elixationem parte aliqua attingunt. Hoc sic parabis: Sumito amygdalarum, dulcium nimirum ac selectarum, libras duas, decorticato, maceratoque aqua per noctem, dein tundito diligenter in mortario, affuso modico interdum aquæ, ne liquor oleaceus fiat; partes pectoris exossatas Capi omnes elixi priùs ibidem terito; emollitum iusculo panem addito, zingiberis prætereà vnciam, sacchari sescuncem: misceto simul omnia, mixtaque per setaceum ad hæc paratum saccum transmittito in ollam, in qua subdito ex carbonibus igne lento ferueat coquaturque: infundi cocto aquę rosatæ debebit quadrans. Exit album obsonium, quod pro intinctu etiam erit albo: vel si croceum voles, oui vitellum, ac croci momētum addito, cum omphacio. Huic & alendi vis nō pauca, & abstergendi modica inest, & refrigerandi nōnulla: quanquam hæc omnino moderatior.

Aliud, quod cibariū album dicit Hispania,

nia, Leucophagũ dixisse Græca voce conueniet. Optimæ molitæ orizæ farina sextantis aut quadrantis pondere lacti caprillo, quãtum satis esse videbitur, incoquenda, ita ne qua ex parte fumidi quicquã concipiat: detrahendæ deinde Capo non multo antè iugulato, necdum perfectè elixo, pulpæ de pectore, vicinisque circùm partibus, omnes: quæ in filamenta fibrasque suas diductæ leuissimè in mortario cõtundantur, laceræque potiùs quàm contusæ feruescenti lacti inijciantur, cum sacchari libra. Tum omnia simul, vt quatuor non multo minus horis coquantur permittenda, continua tudiculę circunductione agitata, aut culinarij cochlearis, cui hærere tenaciter sæpe soleat: percocto aquæ rosaceæ, vt priori, quanquam non tantum, adijciendum. Leucophagum existet, inter delicatissima tantùm apponẽdum, & adipalibus solùm cœnis adhibẽdum, sed quo non minùs, quàm alantur partes, (egregiè nanque alere potest) infarciantur meatus. Quos si euadat, valenter nutriet cõfectum priùs benè, ac pinguefaciet: aluum tamen morabitur, & calculosis affectibus inimicum reperietur: nonnihil auferetur malitiæ, noxæque, si pro lacte in vituli aut Capi iure contusis dissolutisque intus amygdalis coctio fiat. Cæterùm ne sic quidem parati vsus magnopere commẽdandus. Scimus huius esu manifestò recidiuâsse quosdam.

Hæ ferè sunt carnosæ musculosæque animalium partis, quæ corpus maximè facit, Elixaturæ: hi coquendi ita modi totius, partium, integræ, concisæ, per se, cum additamentis. Neque ignoro tamen, plures reperiri alios posse: sed nos specimina potiùs atque exempla traditurος quædã professi sumus, & præcipua nihilominùs delecturos semper, quorum cõcinnandi modus doceatur, quod & in dictis iam seruauimus, seruaturique in dicendis sumus.

De Iecinoribus, Pulmone, & huiusmodi dictũ, concisis minutim illis quomodo intestina infarciãtur, quas Lucanicas vocãt.

Illud hîc præterea: Iecur suillum, vel alterius animantis cuiusuis edule aperis, tessellatim concidis; sale, cinamomo, & fœniculo tritis inspergis; vitulino omento, aut hœdino conuoluta non nimiùm decoquis, elixa, assâve; vel si libet, tessellas in sartagine frigis, sine omento, sed cum liquamine ex iusculo, & recenti butyro. Frusta Iecinorum maiora etiam craticulæ imponis, incisuris per longum vulnerata altè, illinis inter assandum butyro recèns facto, aut liquamine: vteris cibo multorum palatis grato, & huius, & superioris; verũ quod paulò angustiores vias obstruendi & crassioris sanguinis generandi culpa non vacet, alendi quanuis facultas non pauca insit. His simul elixationis aliquid addidisse primò non inconueniet, si cui ita libuerit.

Rursus Lienem Suis, aut Vituli sumis, aperis, herbulis, fœniculo, amaraco, betæ ac petroselini radicibus, larido, cõcisis minutatim omnibus, cinamomo, & croco tritis imples, consuis, elixas, postremò torres in craticula: edulio vteris atrabilario, quod antea quoque erat, vitiosique aliâs succi valde, nec quod valde nutrire tamen queat.

Pulmones, præter alias præparationes, concidi etiam possunt minutim, elixi priùs haud ita multùm, prorsus vt minutal ex his fiat: tum concisis adduntur oua, & infriatur panis: in orbes formãtur, coquunturq; quod restabat. Longè potior orbium horum parandorum ex Vituli, aut Capi, aut Pullastri pulpis selectioribus ratio, quę post elixationem tenuissimè concisæ, ouisque & pane acceptis, quasi artocreas, diu tudicula in vnum commixtæ in rotũdum facilè effinguntur, & carnium illarum met iusculis incoctæ inferuntur mensis: tenerrimi, & salubris, & alimentosi esus, nisi friato, inspersoque caseo (nam id nonnulli palato magis, quàm sanitati, consulentes faciũt) deteriores omnino fiant, & renum inprimis vitio laborantibus nocendi culpa damnandi.

Vituli Caput depilatum, detersumque curiosè, vt cãdor maneat, elixabis aliquandiu, cum cute sua. Huic edendo non salubriter minùs quàm voluptuosè apponi in scutella acerrimi semper aceti aliqd solet, cum zingibere multo, & cinamomi modico, ob multarum inibi partium lentorem, ac crassitiem, quæ edi impunè nõ possent, non antea dissecãdi, detergendique facultate aliqua munitis. Sin decoquere in furno assareq; placuerit: Aromate replendum priùs aliquo, allium alij herbasque odoriferas ingerunt, ad eosdem vsus, incidendi nempe & abstergendi, vt crassi, glutinosique humoris vitetur noxa. Et huic quoq; tamen ipsi apponi acetum commodè pro intinctu poterit, quo simul incidendi vis efficacior accedat, simul exassatæ exustæq; fortè partes refrigeratione aliqua temperentur.

Licebit & Cerebrum elixo capiti eximere, vitellisque ouorum duorum cum piperis, & omphacij modico, versatis diligenter tudicula, salis quod satis sit miscuisse, mixtaque hæc in sartagine frixisse. Edi calidum adhuc hoc debuerit: refrigeratum enim, & insipidum reddetur, & nocendi vires maiores sumet; actu nimirum, præter refri-

refrigerandi poteſtate vim, idipſum iam, frigidum ſcilicet in præſenti, vt conduplicata ita frigefaciendi potentia, nocendi etiam vnà ſtatim vites ingeminet.

Apri itidem Caput, non ſecus ac domeſtici interdum Suis, coquendum ſumes in vino diu, ad ſalubritatem: ſic & reſiccationem accipiet humeſcentia nimia amota ex vini natura, & craſſitudinē eadem potentia, & lentitiam partium amittet. Cuncta enim hæc præſtare vinum poteſt facultatibus ſuis, veſcique ideo hoc ſecuriùs dabitur. Seruatur in plures deinceps dies, & tanquam de ſuccidia demi ſemper particula ad veſcendum foliatim ferè ac teſſellatim ſolet: reliquum repoſitorijs infertur à promo, condo, depromiturque iterum ad vſum ab eodem, quum poſcitur.

Diu multumque tractari priùs, elui, emundari, macerari, excoqui poſcent inteſtina, vt edi ſalubriter poſſint; neque tamen prorſus poſſunt vnquam, quando natiuam exuere nunquam in plenum duritiem ac lentorem valent. Cum fruſto ſuccidiæ coquuntur, id ea & ſapidiora reddit, & minùs mala: tum ſemicoctis, mentæ, ſaluiæ, ſaliſque demū, quod ſatis ſit, additur: ſub vltimum accedet & ex croco commendatio aliqua.

Iuſculorum quoque reddita ratio, & modus diuerſorum generum, & colorum. Tradita ſimul præparatio Conſummati, quod vocant, iuſculi, & Contuſi.

CAP. XV.

DAbimus deinceps Iuſcula, ſed pauca, & ſalubria magis, quàm in gulæ gratiam quæſita, aut numeroſa. Neque enim tradere, niſi exempla rerum harum quædā debemus, quū innumera propè ſint, ſi conferre in vnum cuncta velimus: & non oblitos nos officij noſtri decet, Salutaria tantummodo, & ſimpliciora deligere: ne, ſi χαρυκείας cuiuſdam ritu factas quorundam mixturas indicemus, Sanitati quæ aduerſantur, quàm quæ promoueat, ſequuti magis videri non immeritò multis poſſimus.

Croceum Iuſculum facies non inſalubre hoc modo: Accipit ouorum lutea ad quinque & viginti, vt conuiuis apponatur decem, croci ac cinamomi parum: diſfracta, agitataque lutea, cum Vituli aut Capi iure, & omphacio miſcentur, percolantur in ollam, in qua feruebunt culinario cochleari verſata, donec craſſaméti aliquid accipiant: quum appones, ſuperficiem aromate aliquo conſperges tenui. Temperamenti æqui ſatis habebitur hoc, tum quo appetendi facultas excitetur, & quod ſuauitate guſtum condiat, nec benè ſatis alendi viribus careat.

Album ſi voles, in hunc modum parato: Detracto cortice amygdalarum libram tundes in mortario, ne oleacei aliquid ſequatur, affuſa ſæpe aqua: addes remolliti panis modicum, omphacij item parū, zingiberis momentum, ouorum albumina ad quindecim ſumes, iuris optimi quantum omnibus ſufficit: contundes miſcebisque ſimul omnia rectè, trāſmittes per cribrum in ollam, in qua coctionē, vt ſuperiùs, accipiat. Hoc Leucophagum exit: paulò in frigidum verget temperamentum, nec tam benè, nec tam conuenienter alet, & vitioſi ſucci alicuius generans.

Virens erit, quanquam gratia tantummodo acquiratur ex coloris diuerſitate Iuſculis quædam, neque hoc ſpectād [illegible] obis hîc primò, ſed quid cum color [illegible] nà bonitatis, aut vitij inſit. Quòd ſi tamē maximos olim Medicos rationē duxiſſe in emplaſtris conficiendis ex colore aliquando legimus: tanto magis in iuſculis, quæ intrò per os ſumuntur, & hoc illóve colore magis arrident, ſeſeque acceptiora non ſolùm palato ita, ſed ſtomacho quoque ipſi offerunt, magno ſæpe concoctionis ex eo melioris atq; inde adiutę beneficio, vt penè omnium, quæ ſuauiùs eodem ingeſta recipiuntur. Cæterùm, quod dicere inceperam, vireſcet Iuſculum, ſi priori, vno adempto croco, alia relinquas omnia, betæque, ac petroſelini, necnon tritici, ſi modò anni id tempus patiatur, foliola tunſa addideris: Iuſculi prioris illius temperamentum nullatenus, vel minimū certè quid variaturum; neque id tamen in deterius vllo pacto immutatum. Aliud: Ouis ſeptem intriti caſei ſemiſſis immiſcebitur, infriatus item addetur panis, & miſcebuntur: ſimul cacabo indentur, in quo iuris optimi, quantum excipiendis his ſufficiat; feruens verſabis tudicula pauxillulum temporis, & iam coxeris. ſtatim enim id fit. Qui album præferunt, ita facient: Panis ac caſei modum eundem ſeruabunt, ouorum albumina tantùm abiectis luteis, decorticatas amygdalas atq; exquiſitè tunſas trientis pondere ſument: Vituli aut Capi pinguiuſculi iuri ferueſcenti iam iniecientur cuncta, & circūducta verſabuntur, quo primum illud modo, & coquentur. Alendi in vtroque facultas non exigua; ſed prauitatis ſucci ſuſpicio, & o[illegible]ſtruendorum meatuum aliqua; magiſque in ſecundo, cui lutea ouorum deſunt, & candidum abundat, deterior meritò exiſtimata ſemper oui pars.

Ius consumptum vocant, quod propè est vt absumatur totum, & in nihilum redigatur, deperditū elixatione. Sexta enim interdum remanet tantùm pars: reliquæ euaporatæ abeunt: octaua sæpe, decima quoque, si exactè tale volueris. Alij Consummatum nuncupant, rectissima significatione, si verbi vim sequare. Etenim verè consummatum perfectumque, atque absolutum Ius est hoc, ad ea, quæ quærimus, & in quo alendi, si quo in alio, ac citissimè alendi potestas insit, nec vllo malo cum succo, diflabili tantùm, nec diu mansuro. Sumēdus ad id Capus, aut Perdix, aut Phasiana, aut qua alia auis: Vituli etiam frusta interdum, si destituamur melioribus, aut Capreoli, aut Hœdi, aut similium; sed Capus inprimis, atque ante omnia. Indito ollæ Capum, quæ sextarios circiter septem capiat, disfractum, pertusumque leuiter ac comminutum ossibus: caryophyllorum, cinamomi, piperis, si libuerit, horum omnium momēta; tum prætereà pro particula corporis quaque quæ conferre posse videbuntur facultate sua cuique, aut saluiæ, aut betonicæ, aut hyssopi aliquid, aut Eupatorij officinarum Auicēnei, Dioscoridei aut Adianti adijcito, modò non id cui parabitur appetentiæ aduersetur: ad sextas, ad septimas, ad decimas vsque, prout plus minúsve ex eo alimoniæ concupiueris, partes decoquito, vt hę supersint, nimirum quas dixi: nutricantissimum habebis Iusculum, quo vtare in sanitate defectis fortè viribus, potissimùm verò in reficientibus se à morbo, quorū conditio prouinciæ nostræ est, atque adeò in morbis quoque sæpe ipsis. Vt quidem nonnulla sunt, quæ conditioni hominum non incommodè conuenire vtrique possunt, sanorum atque ægrorum, at diuersis tamen rationibus parata: sic huic in febricitantibus aromata omnia, & herbarum, quas ad rem minimè facturas esse iudicaueris, demes; proque his lactucā, aut intybum domesticū, aut oxalida, si visum commodum fuerit, repones: in alijs aliter, vsu semper rebus, quas in præsentia tunc tractârimus, accommodato.

Pariter multimoda erit Contusi, quod vocant, præparatio, quum elixas priùs benè, vel, si adstringentis aliquid in his facultatis placuerit magis, tostas carnes tundimus in mortario diligenter, eò vsque, vt addito iure liquescere, atque adeò abire in ius resolutæ totæ possint. Sumentur ad hoc Capi itidem, Perdicis, aut Phasiani, teneriora, quæ ferè circum Auium pectora, sub alisque pulpæ sunt, si delicatioribus parabitur, aut qui maiore virium debilitate, aut stomachi imbecillitate laborârint. Alij integra ad hoc accipiunt Auium corpora, eaque exossant: alij, vt pulpas modò contundant: multi cuncta simul in vnum commixta, & quicquid ossium est, tundenda inijciunt mortario, in cita nimis fortè aluo nō ineptè, vt opinor. Hîc nulla additamenta sunto, si nullis eguerit affectus, vel sani etiam hominis status: si cuius indigere animaduersum fuerit, potes diuersa, pro diuersa rei præsentis natura ac conditione, addidisse. Illud tamen perpetuò: quoniā carnes huiuscemodi, sic per se simpliciter, solasq; in hoc ipsum receptas, putrefactionibus ferè paratas esse videmus, & corrumpi in ventriculo faciliùs, & inflammari promptiùs solere experimur: si emolliti priùs ex iure panis micæ adiungantur semper, vnà & demptum iri incōmoda ista valde probabile, & chylosi simul succi crassamentum, quasi semiconcoctæ iam materiæ, vel non magno certè ventriculi opere concoquendæ, accepturum Contusum. Rursusq; hîc artocreas nobis existet quoddam, sed dilutius iam, & multorum tamen vsui, sanis, ægris, neutrius status vtrisque, tam qui à morbis conualescunt, quàm qui incursuri in eos, nisi caueatur, sint.

De Liquaminis genere, quo hodie vtimur, ad Opsonia concinnanda, illinenda, inspergenda, humefacienda, incoquenda, bifariam quomodo paretur, & quorum vsuum sit. Et de Gelatinæ eodem modo præparatione, atque vsu.

CAPVT XVI.



Liquaminis aliquoties iā meminimus. id scimus quidē, neq; non diximus suprà, ex Garo potissimùm parari solitum fuisse, aut Garum quoq; ipsum esse. Sed fieri non minùs ad multos culinæ vsus ex multis simul alijs possit, id inprimis videlicet liquaminis genus, quo ad Obsonia condienda multa in ollis, aut cacabis, dum coquuntur, elixantúrve; illinenda, conspergendáve, dum assantur, vel in craticula torrentur; dum friguntur in sartagine, humefacienda, coquendaq; in eo, si iusculi coniunctum secum habuerit aliquid: magni sæpe, vt monuimus, vsus, quo gratię multum opsonijs propè omnibus conciliatur, aspritudo rebus demitur, siccitas emendatur, malitia vt oleaceo quodam liquore tollitur; guttur, fauces, gula, ventriculus, intestina omnia, pingui vnctoq; eius blandissimè leniūtur; postremò placidiora cuncta, atq; acceptiora stomacho contingunt, quæq; ideo conficiat ad salubritatem meliùs, potiorisque

vnà

vnâ ac largioris alimenti successum.

Paratur autem ita: Omentum Suis accipis, concidis in frustula nucis ferè iuglandis magnitudine, diligenter cõspergis sale, contundis simul, quiescere deinde ita permittis diem totum, vt quasi cõferruminetur: posteà aheno indis, ollæ've magnæ; aquæ superaddis, quantũ paulò magis longiori coctur æ suffecturum sit. Coquitur enim lento semper igne diutiùs, donec benè elicuerit: tum percolatur, & quodcunq; innatauerit aquę detrahitur. Conseruatur in annũ locis subterraneis, vsus, cuiusmodi narrauimus.


Facis & ex axungia laridoq; concisis in vnum, decoctisq; eodem modo, idem: sed neq; tam laudatæ salubritatis, & maioris ac nocentioris, multoq; plus fibrarũ omnium robur relaxãtis, pinguedinis: minori tamẽ semper põdere idem, quod primò dictum, maiori præstaturũ, vt cochleari huius magnæ sæpe ollæ cõcinnentur: inde arbitror Concierium dictum Italorum quibusdam corrupta voce.

Non omittendum hîc Iusculi genus id, quod gelatione concrescit, vsitatum: Gelatinam dixêre primùm à gelu haud dubiè, γαλακτινὰ quanuis Græci dixerint, non dissimili voce, quæ ex lacte fiũt, parsq; eorum gelu alicuius ritu coit, contraria licèt ex causa, quippe à calido. Sed quam hodie Gelatinam nominãt, ita faciunt: Veruecinos pedes accipiunt, vitulinos alij, pauciores hosce, veruecum longè plures: excoriãt, exossantq;, macerãt aqua quatuor horarum spatio: tum indunt cacabo, in quo aquæ partes duæ sint, vini optimi tertia, & aceti acerrimi dimidium huius: salis adijciunt, quantum satis est. Coquunt lento igne, despumant semper sedulò: in medio feruore piperis nigri, lõgique, ac cinamomi, & zingiberis, & qui croceum voluerint, croci, inijciunt parum, confracta potiùs hęc, quàm contrita, cũcta: bullire deinde permittunt, donec tertia liquoris totiùs pars ferue scẽdo euaporet. Sub finem eximũtur pedes incocti priùs: intereà dum illa bulliunt, cochleari culinario agitata tam diu ouorũ albumina disuerberantur, quousq; spumescãt; dein iniecta hęc quoq; iusculo, moxque iterum exempta (momento nanq; temporis versâsse hæc tudicula dum feruẽt satis) percolantur. Iusculum hoc aut per se patinas implebit, inferendum deinde mensis inter obsoniorum missus; aut elixarum carnium frustis affusum teget. Repositum gelascit sub dio, noctu, aut algido aliâs loco. Priusquàm prorsus cõcrescat, in superficie amygdalas disponunt candore gemmeo, vt ornamẽto sint, simul & lentorum illum, & rerum frigiditatem demãt ex parte. Tota nanque sine dubio ipsa in seipsa præparatio rerum frigidiorum est, aqua, acetum, frigida; pedum excarniũ penitus, ac tendinibus solis & ligamentis constantiũ cum lentore indubitata frigiditas: accedente, ꝙ actu nõ nisi atq; inpræsentiarum frigida comẽsse hęc liceat. Vini porrò additamentũ per paucũ id, & aromatũ quota vix pars, quid in totum caloris contulerit?

Ferculum æstatis feruoribus accommodum, condimẽti loco, sed quod hyeme ob anni tempus vt præparatu facilius, ita non æquè salubre: tametsi vel medijs æstatis caloribus inuenerit gula quomodo gelascerent haud difficulter hæc ex Icthyocolla, quod piscium gluten est. Sed de hoc postmodum inter Piscium obsonia dicetur.

De incoquendis Iusculo carnium frugibus, & earum emendatione. Lagana condiri quomodo salubriter debeant. Tum addita iuscula pro anni tempore quædam. Et de coquendis cum iure Radicibus herbarum, herbisq; ipsis, ac herbaceis fructibus, & oleribus.

CAPVT XVII.



Accipiũt Iura, sed simpliciora carnium, frugum quoq; genus ferè omne ad coquendũ, far inprimis, adoreum quod diximus, chondrum intelligo, zeam, hordeum, orizam; apud Germanos etiam auenam, etiam frumentonum, quod sæpe memorauimus; legumina, cicer, pisum, fabam, eruiliam, & quid non horum? panicum, milium, phaseolos. hos cum siliquis sæpe suis virentes etiamnum, vt eruiliam quoque, quibus exemptis de iure, ac patinæ impositis, butyri affundunt feruidi, quantum concalfacere superficiem totã possit: tum in patinæ, aut lancium margine circumquaq; piperis disponitur puluerati, ac salis, quod exceptũ, edendo flatum leguminibus, & humorem nimium auferat. Cuius additamẽti meminimus, vt in reliquis idem omnino seruetur, in salubritatis ratione, modus: proque vniuscuiusq; rei natura, omnibus, quę iusculis incoquũtur, addendũ aliquid excogitabitur, quo intẽperies corrigatur, emendeturq; malitia. Vt, quoniam, exempli causa, elixum aqua Triticũ (id quod de seipso Galenus testatus est) & ventriculum degrauat, & cruditatem facit, & appetẽtiam demit, & doloribus caput tentat, & caligine oculorum aciem perstringit: disquiramus quibusnam mitigari hæc omnia queant, si quãdo eius nobis futurus necessarius vsus sit. Et ex carnium quidem Iure, quo melior caro, tãto semper magis additum iri rebus alijs, quæ incoquuntur, sicuti hoc quoque casu

casu tritico, bonitatis aliquid existimabimus, & malitiæ demptum. Simul autem citum eius in intestina descensum procurabimus, quia id semper habituri potissimũ omnium corruptelæ, contractę've in ventriculo cruditatis remediũ simus, vt ne diutiùs ibi moretur, expediteq; discedens inde vnà noxis illis, quascunq; enumerauimus, omnibus liberos relinquat. Quocirca, aut præmittẽdum oxygarum, aut tanquam ex acetario olei multũ cum sale, aut cũ iusculo suo egregiè saccharato pruna, aut passulę, aut maluæ betę've decoctum, aut huiusmodi sumendum. Patinæ verò, in qua triticum, sicuti de chondro monemur, ad dissecãdam crassitiem, tollendumq; lentorem, aceti, quantum præstare id posse credimus, inijciemus, piperisque satis, cùm ad hoc ipsum, tum ad iuuãdam maximè concoctionem. Atq; eadẽ seruabitur in omnibus ratio. nam hoc exempli tantùm causa attulimus.

Minùs tamen laborabimus in Zea: quòd longè minores in ea noxæ, minore simul negotio mitigandæ.

Hordeo, & æstiuo hordeo, quod esse Scandellam vocatam nostram credimus, satis erit piper, idq; crassiusculè cõfractum, salisque quod satis sit. id etenim de cunctis quoq; alijs intelligendum etiam indictum.

Panico & Milio siccitas sua iusculorum humectatione, præsertim si pinguiusculũ ius sit, correctior facta lenietur quidẽ non parum; sed incoqui prætereà butyri, vel laridi etiam nonnihil poterit. & quidem incoquitur à multis.

Iam Lagana, tum quicquid ex subacta farina siue pasta paratur, incocta priùs iuribus, aut alioqui aquæ, exemptaque, & catinis disposita, quis nescit, multo semper pipere, aromateque alio tegi, & sale solere? butyrum alij infundunt feruẽs. hęc rectè: illud non rectè, nec probando valde more eorum, qui caseum insuper infriant, resiccantem quidem illũ, sed praui intereà succi nomine damnatum inprimis.

Nec minùs sanè friatus sæpe panis incoquitur carnium iusculis optimarũ, magno sanè alimenti egregij valentisque satis vsu, laudatiq; semper succi pleno: quanquam multi non frient, ac crusta maiora faciant, quæ deinde excoquant. Vitellos alij ouorũ addũt; etiam casei intriti parum quidam, quum infertur mensæ: non satis ex re, nisi tam parum id sit, vt palato tantummodo ferculum commendet, non etiam alimenti bonitati officiat. Minimè hoc concoctionem ventriculi moratur, ne descensum quidẽ in intestina; pręcipuè verò si, quum edẽdum apponetur, benè maturi olei dulciorisque cochlearia quinque quatuórve crudi acceperit: id videlicet & malitiæ humorum, & corruptelę omni aduersabitur.

Cibus in totum, quem qua in parte damnes, nescias, tuendæ conseruandæq; sanitati, non quidem Athleticæ illi, aut lacertosæ, aut robustæ & ærumnosæ, laboriosęque; sed ciuili cuidam, ac quietioris conditionis vitæ congruens magis. Quod genus Studiosorũ multi sunt, & eorũ, qui sedentarias artes exercent plerique. Nec planè ægrotis damnãdus: sed simplicissima tunc parãdi huius ratio fuerit, ex pane & iusculo solis, pro morbi natura: qui si acutorũ aliquis fuerit, magisque si peracutorũ, tum verò loto tantùm ex aqua pane, abiectis omnibus alijs, vtemur. Audio primarias fœminas in Italia locis aliquot pinguescẽtiam sibi ex cibi genere hoc polliceri: quod eas facere posse arbitror, ob alendi, quod diximus, facilitatem, ac copiam, vitiosique semper succi omnis vacuitatem.

Iusculũ æstatis tempore, aut in magnis aliàs caloribus accommodum, refrigerans, alens, extra succi mali per id temporis suspicionem. Habebit hoc vitellos ouorum admodum recentium quinque, cinamomi duellam puluerati, alij semunciam accipiunt: nimium, si refrigerationẽ quærimus: sacchari trientem, succi malorum Aurantiorum quadrantem, aquæ rosatæ sextantem. Miscentur cochleari culinario seu tudicula simul omnia, & in vnũ acta coquũtur dein ex iusculo, dissipanturq; eodem cochleari inter coquendum, dum exeant, nec massa fiat coactior.

Aliud: Amylũ, vel alicuius etiam farinæ interdum pollinem, (sed amylum melius: quippe & salubrius valde) ijsdem pulli, aut vituli, aut optimæ carnis iusculis incoques. Pinguiusculum habeatur ius oportet, & continuè tudicula agitatũ versabis, succẽsis carbonibus, ne fumidum accedente propè cum fumo flamma euadat. facilè enim id vitij concipit. Imposito lancibus alij tritum caseum, & aroma addunt; alij saccharo, & rosacea aqua, & amygdalino liquore condiunt: hoc abstergendi vim, & refrigerandi quandam, illo sine dubio calfaciendi aliquam quærentes. Tussiculosis posterius, quod amylum receperit, & difficulter in sanitate spirantibus conferet, exasperatas quandoque fauces leniet.

Veniẽt in iuscula & Radices herbarum quædam, vt Raporum, Naporum, Siceris, Pastinacæ. Rapa crassiùs Italia ad coquendum, minutiùs Germania secat. Napos integros multos relinquũt. Ius omnia amant benè pingue, vt elixentur rectè. Itaq; liquaminis adijciunt semper aliquid, si dilutius fortè ius sit, aut suilli abdominis frustũ, succidiæ've partem, piperisq; conuenienter in

ter in partes omnes grana leuiter disfracta, crociq; ad hæc aliquid. Eo pacto non parum auferetur vitiositatis inter coquendum vescendúmque radicibus, quo omnes laborant vitio, succi, inquam, prauitate semper quadam.

Herbarum innumera fermè genera coctúram eandem subibunt: oleracei fructus perpauci, vna penè vt Cucurbita inter hos sit, quæ ex carnium iusculo coctionem accipiat. Nisi Cucumeres aliquis, & Pepones, & Melopepones, eodē modo coquendos sumpserit: quod factitatum alicubi scio. nam de frugibus, ac leguminibus diximus.

Conciduntur Cucurbitæ in quadratas tessellas minutiores, & elixantur in iure: lutea semper inijci ouorum oportet, ne saporis fatuitas vincat, quæ, si quo olerum in fructu, in Cucurbita insignis maximè est: & piperis multum, & croci aliquid adijci debebit: neque insalubriter tamen cuncta hæc, præter saporis commendationem maiorem. Nam & frigiditas oleris retunditur, & herbositatis cuiusdam malitia, qua, (dempta vna Lactuca) ad illaudati semper sanguinis generationem vsque reliqua improbantur cūcta, magna ex parte tollitur.


Herbæ plurimæ, vti dictum, coqui in carnium iusculo perquàm commodè poterunt, atq; olera propè omnia, & aliorum multa adiūgi: Beta, Malua, Attriplex, Blitum ex oleribus, ad emolliendam aluum, ex herbis Mercurialis: Brassicæ quoq; decoctio prior ad hoc: ad refrigerandum Lactuca, quæ vna melioris sanguinis generationem promittit. Intybus hortensis vterq; cùm ad hoc ipsum, (refrigerant enim, & calidas, iecoris verò inprimis, intemperies corrigunt) tum verò aperiendis meatibus, & addendo partibus robori: alterum ob amaritudinis præsentiam non nullius omnino, ob adstringendi facultatem aliquam alterum. Et cum his nihilominùs ipsis piperis incoquenda grana, huiúsve ipsius, vel alterius aromatis puluerati alicuius, iam iam apponendis inspergendum aliquid. Hoc enim exposcere omnino videntur olera, propter causam, quam attulimus, corrigendæ intemperaturæ, & vitiosæ herbositatis, qua fieri potest, ex parte, demendæ.

Spinaciam certè nouum olus, aut veteribus sicuti innominatum, quod scire liceat, nisi inter Attriplices recipiatur, ita infrequens; nobis autem nostra hac tempestate, si quod aliud eiusmodi, frequentissimum, absque horum aliquo quomodocunque coctum non innoxiè ederis. Itaque aut pipere, aut cinamomo, aut vuis, si nihil aliud, passis pro additamento vtimur.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVS.

Nocumenta ex Piscium esu in vniuersum: & euitandorum ratio. Digestio eorum, quæ dicenda de his restant.

CAPVT I.



Aquatiliū deinde coctúras percurremus, plurimis, quod in Terrestrium præparationibus fecimus, quę recta tendere in manifestum sanitatis detrimentum videbantur, reiectis. Atque aliqua horum relata à nobis antea fuēre, sed quæ emendari tamen aliquatenus, quasique ad meliorem quandam frugem traduci potuēre, neque prorsus à sanitatis rationibus in totum omnibus aliena, aliquam correctionem admiserunt: inemendabilia omisimus. De Marinis dicendum priùs: tum & de Fluuiatilibus, cum quibus Lacustres quoq; erunt. Digeremus autem Marinos in Littorales, Saxatiles, & Pelagios primùm: tum molli carne præditos, tum dura; tum quibus testa, quibúsve crusta, pro operimento est; tum molles, tum Cartilagineos, tum Cetaceos generatim: hæc quòd priuatam, ac peculiarem præparandi condiendiq; rationē exposcere cuncta ferè genera per se ista videātur, tāta plerūque naturæ varietate in diuersum abeūtia illorū multa, vt, nisi varijs ac diuersis attēperatiora meliorâq; facta cōdimentis, raro salu-

salutariter comeſſe ea liceat. Quid porrò in vnoquoque generatim, interdum autem etiam ſpeciatim vitij, aut notæ, aut intemperiei ſit; quæ rurſus laus, quæ've multorum commendatio: apertè ſatis, vt arbitror, prodidimus ſuprà de multis.

Nunc non repetemus ea: ſed ex eiſdem tamen veſtigijs, præparandi, coquendique iſta modos, (quod vnum hoc loco intendimus) & condimenta perſequemur, non mehercle ſingillatim de vnoquoq; ſemper: (longum enim id nimis, & ſuperuacuũ inſuper) ſed quum traditum de vno aliquo priùs genere, nonnunquam etiam ſpecie fuerit, qua, quibuſque, applicari ratione diuerſę pręparationes, vel coctionum ſpecies debeant; tum per ſimilia ducti, nõ diuerſorum prorſus generum, aut ſpecierum alijs eaſdem accommodare rationes poterimus; ijſdemque, vel, ſi diuerſa etiam eſſe reperiantur, diuerſis, vti præparandi, coquendi, condiendi modis, per noſmetipſos, præeũte aliqua ſemper formula, nobis licebit ipſis.

Illud in commune, Aquatilium propè ad vnum omnium naturã inſpicientibus conſiderandum ſeſe offeret: Exiccatione omnes egere ad contemperamentum, ſimul & calefaciendi facultate aliqua, tum pręterea quibuſdam alijs, quibus ſucci prauitas, quæ multo maximè illorum parti ineſt, pleriſque etiam inſignis, quoad eius fieri poterit, correcta mitigetur. Quod quanquam ea quoque, quæ modò narrauimus, præſtent, excalfacientia & reſiccantia: (exceſſus nanque frigiditatis atque humiditatis in genere hoc ſæpiſſimè non exiguus cacochymiæ nobis intelligentiam ſtatim quãdam parit fuſioris ſignificationis) lentoris tamen, & craſſitiei potiſſimùm, atque inprimis, quæ duæ in Aquatiliũ multis admodum inualuêre, habenda nobis cura erit, vt tolli retundi've quoquo modo malitia poſſit, ſolicitisque de hoc, præter calefaciendi ſiccandiq; vi prædita, quæ incidant, quæq; abſtergant, diligenter perquirenda. Et inſunt quidem hæc quoque in illis ſæpiùs excalfacientibus ac reſiccantibus, incidentia & abſtergentia, dico: ſed nec ſemper id, & maior interdum diſſecandi, atque abſtergendi, quàm calefaciendi ſiccandique, neceſſitas vrſerit, vt ſuffectura priora illa non ſint, quæq; per ſe hoc atq; inſigniter præſtẽt, quæſiſſe ideo quandoq; oporteat. Sæpe etiam incidet, vt non magnopere calfacientibus egeamus; reſiccantibus verò, & diſſecantibus egeamus. quo tempore, omiſſis illis, hoc ipſum tantùm quæ largiantur nobis, quærenda neceſſariò habebimus.

Simul hoc, ſimul in id intẽtos ſemper eſſe oportebit: quoniã, quã faciũt in ventriculo ſæpe corruptelã Piſces, ea peſſima ſemper habita meritò eſt, & venenoſæ qualitatis particeps eſſe deprehẽditur: vt tale quoque aliquid addatur, quod malitiæ tantæ repugnaturum eſſe videri meritò poſſit. Memini, cui Cyprini eſu biduum repoſiti ſuborta fuerint ea ſymptomata, ſequutaq; omnia, quæ frigidiore veneni genere potionatos ſolẽt; nec potuiſſe ſuccurri, multa quanuis & præcipua moliremur. Quare diligẽter perpetuò expẽdenda hæc omnia ſunt, & retinẽdæ Sanitatis ratio cõſeruanda vbique: neq; in his quidẽ, imò minimè omniũ in his, quæ frequentioris quotidianique vſus prætextu, quaſi minimè nocituri, multum ſemper important noxæ, negligentiùs habita contemnenda. Non rarò enim fit, vt in ſpeciẽ optima quę videntur, vſuq; ac conſuetudine cõmendantur: nocentiſſima tamen eſſe reperiãtur tandẽ, ſeu lõgiore tẽporis tractu detegẽtibus ſe malis, quæ originẽ haud dubiè inde traxiſſe videri queat; ſeu citiùs etiã, & horarum paucarũ curriculo, ſi inſigne aliquod admiſſũ errarũ fuerit, exerente caput noxa, magna ſæpe cũ vitæ totius alea, interdum & ineuitabili ac certa morte. Huiuſmodi eſt vſus quoq; inprimis Piſciũ, quorũ non me ſanè fugit multos, ex Marinis præſertim, veteribus etiã ipſis in vſum nõ ſalubritatis ſolũ, ſed etiã ægritudinũ quarundã veniſſe, hodieq; idẽ à plurimis vſurpari ad eoſdẽ vſus, fieriq; in Fluuiatilibꝰ, vel Lacuſtribꝰ optimis, nobis, qui mediterranei ſumus, nõ incõmodè. Neq; nos ſanè hic omnes ad vnũ Piſces dãnandos ſumpſimus: ſed, longè pluriũ tamen damnatũ meritiſſimò ab Authoribus vſum, admonẽdos, qui in noſtrã hæc inciderint, eſſe duximus; eorumq; ipſorũ, quos cõceſſiſſe primùm ratio, tum aliqua diuturnaq; deinde experiẽtia comprobata potuit, crebrũ frequẽtemq; nimis, nulloq; prorſus rei vllius, vt nunc quidem conſuetudo obtinuit, diſcrimine, longè omniũ maximè vituperandũ fore Aquatilium vſum; quum Terreſtriũ quoque ita, rationibuſq; his, ſi prorſus indiſcretè vtamur, dãnandus ſit: at Aquatiliũ refutãdus in totũ, multas propter euidentes ſępenumero manifeſtaſq;, lõgè quã in alijs magis, noxas; interdũ etiã, qđ monuimꝰ, lethales.

Cauendum igitur ſedulò ſemper ac diligenter de his fuerit ei, cui retinendæ propriæ deſumpta, aut alienæ etiam tuendæ Sanitatis demandata cura fuerit: ne pro hac recuperandæ potiùs ſubire prouinciam cogatur, quod non niſi amiſſa priùs illa fit. Videmúſque iam, quanuis, vt narrauimus, & veriſſimum eſt, in frequenti nimiùm indifferentiq; apud omnes fermè

gentes abũdè nimis rerum harum vsu peccetur: apud quosdam tamen, nec paucos sanè illos, nec inepti iudicij habitos, id saltem adhiberi sedulitatis ac diligentiæ, vt rectissimè, quantum fieri patitur rerum natura, ac saluberrimè præparentur.

Quare assos magis, quàm elixos, alios; contraq; elixos, quàm assos, quosdã; quosdam frixos, aliosq; alijs præparatos, coctos, conditos rationibus comedendos Pisces apponunt, quæsita semper, vt videre est, in omnibus exiccatione insigni, cum calefaciendi facultate non obscura, ac manifesta sæpe aduersus corruptelam, insignioris'q; alicuius vitij damnum resistentiæ significatione; sic obtinente rerum quandoque vsu, nec nunquam tamen vincente meliore quadam consuetudine, quam præsertim dictata naturæ potioris introduxerint, etiam eruditiorum admonitionibus sæpe atque instructionibus suffultam.

Initium sumemus à Saxatilibus, breuiter ab his genera omnia percursuri, traditis priùs iam, quantum fieri à nobis potuit, diligenter singulorum per species naturis, bonitateq; omni, ac vitio: vt nihil aliud de his dicendum nunc restet, quàm Præparatio primùm, quę cocturam ferè pręit: tum Coctura, quæ diuersis coquendi generibus cõstat: tũ quibus vitia emendamus, vel gratiæ etiam aliquid ex sapore (sed intra salubritatis tamẽ limites) quęritur Cõdimẽtis.

Saxatiles Pisces qui sint, & quomodo præparari ad cocturam debeant. Deinde etiam peculiariter, quis coquendi quemque modus: & de iuris Albi præparationibus.

CAPVT II.



Axatiles qui essent, dictũ antea. Eos autem non alios, quàm marinos, existimandos de veterum quidẽ Scriptorum opinione, apertius est illorũ scripta obseruãtibus, quã vt rationibus, argumentis've conuinci vllis debeat. Quandoquidem eorum, qui ante mille annos scripserũt, quos Veteres demum appello, quique scripta sua in tractatu de Piscibus voce hac πετραίους, Petrosos nimirum, & Saxatiles pisces nominando frequentãrunt, Fluuiatilium vnquam ad vescendi vsum piscium meminerint paucissimi: nisi fortè, qui amnium ostia è mari subeunt, eos pro amnicis, & fluuiatilibus, sed præter æquũ & phas, deputemus. Vnus est Diuus Ambrosius, & Ausonius Medicus quidẽ ille, vel Medici potiùs filius, sed Poëta celebratior, quorũ alter Hexaemeron partẽ, Piscium aliquot huiusmodi mentione exornãrit: alter, Mosellam suam aureũ poëma, præter intrare flumen id solitos marinos, etiã fluuialibus aliquot veluti gemmis quibusdã distinxit, productis in lucẽ Piscium nominibus, intertextisque feliciter, quorum nulla apud vetustiores se scriptores mentio. Neq; tamẽ Saxatiliũ memoria ibi vlla, neq; quum Amnigenos, vt ipse canit, neq; quum ingredientes à mari Mosellam, memorat. Quòd si neque is, in Fluuiatilium mẽtione, vocem vsquã vllam his accõmodat, vt Saxatiles dicat, sed nec indicij quidem vocis huius quicquam sit; &, qui Marinorum solùm mentionem faciunt, quum amnicorum tunc temporis ne in mentem quidem veniret illis aliquid: valde probabile existimo esse, Saxatiles pisces ex Veterum lectione non alios offerri nobis significatione sua, quàm maris incolas debere. Sunt autem ferè hi: Scarus, cui inter hos principatus datur, rectè sententiũm iudicio: Merulis deinde, Turdis, Iulidis, Phycidis, Percis, sua omnibus debetur commendatio, ordine quo recensuimus: omnes noti iam pisces hi satis.

Atq; omnes, quum tenera & friabili carne sint, sicuti concoctionis in ventriculo facilis; ita præeuntis hanc ipsam cocturæ præparationis've omnino vllius non valde certè operosæ indigẽtes. Itaq; teneritudo illa non admodùm sanè Elixationẽ admiserit, nimirum qua difluãt statim, & solutiles nimiùm fiant. Retinebitur meliùs illorum substantia Frixura, vel Assatura in craticula, & deperdetur rectiùs humiditas, meliorq; ita cesserint alimẽto, quo medię gignere cõstitutionis sanguinem creduntur, nec tenuem scilicet, aquosumque, nec crassum terrestremq; nimis. Eandẽ ob causam, & quum friguntur, assãtúrve, sed quũ frigũtur maximè, inspergi, aut inuolui potiùs farina priùs, farinæ've vtriculis, vt Piscium aliorum, qui teneriore carne prędíti sunt, multi, debebũt: quæ præparatio illis, antequã coquãtur, est. Id scilicet substãtiæ teneritatẽ, ne dilabatur, coercet; & humorẽ placidè ac leniter exiccat, ne ignea extrinsecus vis nullo obstaculo introgressa exurat omnia. Crusta enim illa ex farina Piscis superficiei inducta, pro obstaculo & munimine est, & humiditatẽ cõseruat natiuã, quã dixeris, nutriendoq; accõmodã, exoluta præternaturali, vitiosaq; omni. Hæc in commune de his simul, atq; alia multa, quę trahi cõsideratione huc, aut dictorũ rectè aptari ratiõibus queãt, intelligi debuerint.

Peculiariter illud: Scarũ videtur Archestatus apud Athenæũ (lib. vij.) caseo & oleo fartũ, in clibano coquẽdũ monuisse, saleq; & cumino tritis spargẽdum, tingendumq; oleo: appositẽ, vt arbitror, satis. Reficcat

ficcat quippe caseus & calefacit, si paulò vetustior sit, atq; ex hoc interiori Piscis cõditurae benè cõsuletur. Exterius idê exhibebit cuminũ & sal. Bis verò additum oleũ, & in farctu, & in tinctu, partes esse omnes securas à malitia vitioq; putredinis omni iusserit, repugnãte his omnibus olei natura. Hodiè craticulae imponitur, saleque, oleo, & aceto mixtis ceu irroratur assiduè, vel circunspersus, quasiq; incrustatus farina, oleo frigitur in sartagine: optima vtrũque ratione, exiccãdi nempe, vitioq; omni resistẽdi, & ne Piscis substãtia difluat, prohibẽdi. Nam aceto, quod alioqui lẽtori & crassitiae corrigẽdis adhiberi solet, quę nulla in his est, extrinsecus tingitur tantùm.

Scarum praeferunt, ἄιολον quẽ dicunt, inuentu quidem captúque iã rarum, sed animaduersum tamen alicubi aliquoties iam. Vtriusque aũt generis viscera cõmendãtur olim, iecur ante omnia. Visceribus bonus est, inquit Martialis Poëta, vsque eò, vt Deis suis illis ne stercus quidem reijciendum esse Scari consuluerit Antiquitas.

Eandem subibunt coctura Turdi & Merulae, praeterq; iuri salubriter incoquẽtur, quod concisum porrum accipiat cum satureia, cumino, vuis passis, sale multo, addito sub vltimum vino, dilutius vt sit.

Nec alium meliorem praeparãdi modum expectabunt Iulides, & Phycides, praesertim verò ex iusculo. Harũ nanq; etiã per se iura subducendae alui facultatẽ obtinent. quod de Iulidibus meminêre multi: de Phycidibus, Dioscorides, & Kiranides author. Cunctisque id commune Saxatilibus tradidit Dioscorides, si recentes ad id sumãtur, necdum virosi, aut corrupti quicquam resipientes, vt aluum moueant, vel ex simplici, cum aqua, oleo, & anetho, iure.

Atqui huic ipsi si porri modicum, & salis addideris, iam ius Album habebis decantatissimum, atq; ad Piscium inprimis elixatum accõmodatissimum illud, aliter tamen atq; aliter pro hominum statu concinnandũ. Nam aegrotantibus, vel languentibus, & valetudinarijs, (his enim quoque conceditur, quibus alioqui caeterae operosiores coquorũ pręparationes dãno & noxae sint, cruditatemq; maiori semper ex parte adferant) dilutius parabitur, sic vt copiosior multo sit aqua, quàm oleum; porri & anethi parum, salis quantũ non toti tamen saliendo iuri satis sit, adeò, vt salis saporem in plenum vbiq; referat. In sanitate liceat meraco magis ad conditaram Piscium, aliorumq; vti, plùs & salito, porrique & anethi plusculum, minusque aquae, continente. Hoc conuenire omnibus poterit Ius, & Saxatilibus ipsis, si quis ex iure comẽsse magis volet.

Percae, quae inter hos postremo in numero erat, (non illam dico fluuiorum, lacuúmque quorundam, de qua paulò pòst dicemus, sed marinã) nõ tam fortasse congruet; quòd quasi difluere eam animaduersum sit elixam totam: in sartagine si frigatur, ex oleo, vel, deficiente hoc, ex butyro, meliùs respondebit; vel in craticula si assetur, oleo garóque, aut loco huius sale & aceto, tincta, cum pauco vino. Frixis verò vini plusculum, salisque, & aceti; olei minus conueniet, quia hoc subuersionem nonnullis facere ventriculi solitum sit. quod quum contingit, pluri aceto & modico pipere opus erit, vt tollatur molestia, condimento hoc. Estque hoc coquendi ita genus, assandi, frigendiq; Pisces huiusmodi, tum verò & condiendi, vsitatum nostris hodie hominibus plerunque.

Coctura Piscium aliorũ quorundam, pro victu, quem diuersum diuersis in locis capiunt, varianda: mollium, sed nõ friabilium; friabilium, sed duriorum: Tincae item marinae, Gobij, Murenae.

CAPVT III.

PIsces reliqui molli quidẽ praediti carne sunt nonnulli, & hac quidem in parte Saxatilibus non dissimiles habebuntur: at friabile id Saxatilium sortiti non sunt, & eatenus à bonitate eorum discedunt, lentore semper & pingui aliquo dãnati. Alij quũ culpa hac vacẽt, nec friabilitate careãt, hacq; ipsa Saxatiles referãt; duritia distãt. Prioris generis exẽplum statui in Asellis, praesertim qui victũ ex vitiatis aquis capiũt, potest: secundi, in Mullo, ac Pelagicis propè omnibus, nisi qui esu rerũ malarũ deteriorẽ sibi carnẽ faciunt, vt is ipse Mullus Cãcellis pastus friabilitatẽ statim amittit. Vtiq; vtrunque genus, tam quod viscidi ac pinguis vitiũ, quàm qđ duritiae retinet, alia, quàm Saxatiles, quibus neutrũ horũ, & friabilitas praetereà semper cũ teneritudine adest, pręparari cõdiriq; ratione meritò volet; & viscidita s ac pinguedo abstergẽtibus, duritie s & crassities emolliẽtibus, & attenuãtibus emẽdabitur. Quapropter Aselli, qui fluuiorũ ostia ingrediũtur, aut ꝓpe ea depascũtur, vel in his versantur locis, quò se ciuitatũ, oppidorúmve latrinae exonerant, quia pessima illorum & excrementitia semper caro, multum primùm poscent salis, atque aromatum ad praeparãdum. Pro cõdimento aũt optimè factur ũ est acetum, sinapi, origanum, nasturtium, allij praetereà, vel cepularum aliquid in his, quibus insignis in huiusmodi piscibus profectò timẽda semper

per

per humorum prauitas discutiatur ex parte, abstergatur lentor, & crassities dissecetur. Durities aũt si qua adest, quoniã in Asellis his, quos diximus, non ferè adest: sed sicubi in alijs adest, vt in Pelagicis, tum pręter incidentia, etiam quibus emolliantur, & tenerescãt, addendũ aliquid, vt, quo nihil ad hoc præstantius, oleum; vel, quum hoc destituimur, butyrũ: quippe quibus nõ durities modò mitescat, sed etiam malitia vitiumq; omne auferatur non parũ. Itaq; vel in molliore carne præditis, vt nuper relati pisces, vt Muręna, Sauri, Passeres, similesq; alij, olei semper adiecisse nonnihil præstabilissimũ, si nihil aliud, at ad humoris prauitati, corruptelæ, putredini, resistendum innata olei facultate, qua vel venenosæ sæpe materiæ egregiè aduersari id certò scimus.

Asellorũ generi adscribi Tincã marinã, quã Romani ita appellãt, & Callariã censeri ab Eruditis quibusdã, video. Quæ si est, (est aũt omnino quidẽ lentæ & excrementitiæ carnis piscis) non dissimilem præparationis modum requiret. Esse aũt congenerem potiùs Asellis, quàm Merulæ pisci, Tincam hanc marinam, quod alij priùs existimârant, vel id esse vnum argumẽto poterit: quo tamen argumento, qui sententiam hanc suam rationibus adstruere conati sunt, vsos non video. Etenim si Merula inter Saxatiles non vltimum locum tenet; hique nusquam alibi quàm inter saxa degere visi sunt, & teneritudinem cum friabilitate semper coniunctam obtinent: marina autem hæc Tinca, & excrementitia satis, & in cœnosis potissimùm littorum locis viuens longè ab illorum conditionibus illis abest: vincitur mediusfidius ratione propè hac vna, minimè omnium Saxatilibus adnumerari ab vllo illã potuisse. Id quod, ne Phycidem quidem habendam eam esse, conuincit. At si congener Asellis existimabitur Tinca marina, quã dicimus, ea (quod de Asellis prodidit Galenus) non inconueniet, vt & puriore maris aqua vsa, captatoque ibi cibo, æmula Saxatilium carne constet; rursusque vel littora inhabitans limosa, vel fluuiorũ ostia, sordesq; ac spurcitiam quamque eorum sequuta, nondum quidem mollitiem abijciat, sed glutinositatem prætereà quandam, & pinguedinem excrementitiam insuper acquirat.

Nõ secus ac Gobio, qui & ipse inter Littorales, arenosa tantũ in his aliquando, & syncerioris maris, saxosaq; etiam loca insectatur. Eademq; ideo, vel nõ multùm certè diuersa, tunc condiri præparariq; ratione, quàm Saxatiles ipsi, postulabit, Saxatilis tamen minimè quum sit: quòd, qui Saxatilem fecère de Galeni ipsius sententia, hi magno manifestoq; errore tenẽtur, Authorisq; ipsius quamprimùm voce coarguendo, qui neq; inter Saxatiles numeret, & disertè victitare in fluminum illum ostijs quandoque, stagnisque, & maritimis stagnis pronũtiet. id quod Saxatilibus cõtingere nunquam solere, Authorem eundem affirmantẽ audimus. In quibus si capiatur locis, paulò magis operosa omnino conditura habiturus opus sit Gobio, vt & aceti, & salis plusculũ, si elixabitur, herbarumq; aliquid calidiorũ exposcat, & aroma, crociq; ad hæc nõnihil, & insuper oleũ: quum prior ille, inter saxosa atq; arenosa nutritus, minimo opere cõtentus, salis momento, oleique, vel butyri cũ aqua liquamine optimè elixetur; & vel simpliciter in craticula assus, frixusq; in sartagine, meliùs, quã multo alter ille aromate, & insigni aliqua cõdimẽti χαρυκεία pręparatus, responsurus sit, tum palato, tum etiam salubritati.

Idem exempli traducetur in alios quoque, qui diuersis locis, purioribus, aut impurioribus, pabulantur, & molliore carne præditi sunt: ne singulorum præparationes, ac condimenta referre necesse habeamus. omnibus nanq; idẽ ferè debetur modus, ac ratio applicari eadem potest. Inter quos Muræna sicuti alẽdi facultate par esse Anguillæ existimatur, à Cõgro aũt superari: ita idẽ omnes coctura genus & præparationis accipiẽt, qui cuiusmodi sit, referuãdus esse videretur de Anguilla acturis, tanquam quæ in frequẽtiorẽ vsum veniat, indeq; trãslatus in alios cõdiendi coquẽdiq; videri non immeritò modus possit. Cęterũ de Muræna, quæ circa amniũ licèt ostia versetur, amnes tamẽ nũquam subingredi visa sit, inter Marinos pisces magis, meliusque hic; & ꝙ exossatã illã, & Congrũ exossatũ veteres nobis scriptis suis exhibẽt, credo, ne spinis mãdendo offenderẽtur, & vt expeditiùs frui toto pisciũ ita illis pulpamento liceret: reliqua verò esset eadẽ in his coctio. Nõ exossatã Murænã si assandã sumemus, excoriabimus primò, tũ cõcidemus in frusta: proxima capiti, caputq;, & vltima caudæ, (id enim referre ad salubritatẽ, vel vitæ potiùs securitatem arbitrantur) abijciemus: veru infixa torrebimus, sic disposita, vt interiectis lauri, saluiæ ve folijs, interdũ & cõcisi laridi tessellis, mutuò se ne tangãt: garo, aut liquamine, quo poterimus, meliore, dũ torrebitur, tingemus, aut irrorabimus: tum farinæ polline, tritiq; panis micis cũ cinamomo & sale conspergemus, veluti superinducta crusta. Alij easdẽ exuuias, quas priùs detraxêre, pellis rursus induunt, eo pacto assaturam meliùs procedere persuasi, veluti natiuo suo calore fotam. Elixam qui volent, cum saluia, petro-

petroselino, origano multo, saléque, & pipere coquent, nec edent, nisi ex aceto & cinamomo, & sinapi, vel, quod ex sinapi paratur, condimento.

Planorum Piscium coctura qua succedere ratione possit. Et ex Horatio ius vtrunque dictum, simplex, & compositum. Rhombi in longinqua, similiter & aliorum, exportandi modus. Et de Vmbræ capite, & de Vmbra, & Mugile, & Lupo, & Aurata, quo coqui modo debeant.

CAPVT IIII.



PLani pisces, qui ψῆτται sunt, & Rhombus, Passer, Buglossus, Soleáque, tum alij id genus quidam, minore negotio elixari debebunt, simplicissimo iure contenti, Albo fortè illo veterum, quale descripsimus, cui etiam anethum demptum si fuerit, (si cui fortè id non arrideat) non magnopere relaturum hoc in his sit. Omnino nanque iuri anethum addi non alia de causa existimârim, quàm, qua vtraque pollet, ob siccandi, concoctionémque iuuandi, facultatem.

At hæc, in hoc quidem Piscium genere, nec concoctu admodum contumaci, nec lentore vel crassitie nimia redundanti, satis præstabunt, quæ Ius id conficiunt, reliqua, qualéque descriptum ab Horatio inuenimus, quum,

—simplex è dulci constat oliuo, ait,
Quod pingui miscere mero, muriaq; decebit.

nobis acetum pro muria addidisse non incôueniet, ęquè conueniéter ac salutariter, & pro porro cepas congruè iuri concinnando satis addemus, atque intereà graue illud porri virus vitabitur. Hoc simplex, illud compositum, à Poëta Ius traditum nobis sumemus. Hoc enim vtrunque proposuerat carmine priùs:

Est operæpretium duplicis pernoscere iuris
Naturam.

ac simplici dicto, quod narrauimus, subdit, quibus compositi quoque præparationem doceamur, carmina:

Hoc vbi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioq; croco sparsum stetit, insuper addes,
Pressa Venafranæ quod bacca remisit oliuæ.

Additæ igitur herbæ oliuo compositum facient: quæ pro rei præsentis natura sumi debebunt, vt ad Piscium ius, viscidæ, crassiorisque, ac excrementitiæ carnis, origanũ, saluia, calaminthe, satureia. In Planis ius nobis abundè satis faciet simplicius aliquod, cuiusmodi diximus. Ijdem in sartagine optimè, & ad sanitatem, & ad saporis gratiam, (id quod hodiernus propè mos obtinuit) frigi ex oleo solent Pisces, farina priùs volutati. Tum malarancij succo aspersi eduntur, vel omphacio, inferuntúrque mensis petroselini folijs dispersim proiectis tecti, gratiores ita, nec salubres minùs: pariter & in craticula tosti, acetóque interim conspersi, commendantur.

Exportari longissimè à mari in mediterranea vidimus Rhombos, gelu de suo sibi iure concreto conseruatos. Id nimirum vt faciliùs gelascens coeat ius, Pisces multi facient incocti ex glutino, quod de se iuribus reponũt: sin minùs, at Marionis, Hussonis've, vel alterius similis, vesicæ particula egregiè id præstabit. Aquæ porrò vinum, & acetum additur, & aroma: id quidem tum ad reliquorum contemperamentum, tum ad diuturniorem Piscis conseruationem faciet. Perdurabile edulij genus id: omnia quippe durabilitatem addunt, vinum, acetum, aroma, actuque inprimis atque in præsenti frigiditas, quæ totum circundat ex gelu, quæque insalubre non minùs præterea efficiat. Non enim aliter, quàm comedi frigidum id solet: sed nec potest quidem, liquescente protinus ex non valde magno caloris non magni occursu concretione iusculi ea. Quare frigidiora esse sciant esculenta hæc, qui libenter vescuntur, vincente vini & aromatis naturam reliquorum frigiditate, potestate, actúsque præsentia eiusmodi: nec nisi calidioris ventriculi, viscerúmve aliorum, hominibus, vel restinguendæ fortè bili, vel tali aliqua alia de causa, frequentanda, præsertim verò Pisces hoc conditurae genere inclusi quum fuerint. Quorum cùm per se natura frigidior, tum verò ad corruptelam, & quidem pessimi generis, in ventriculo subeundam paratior. In terrestrium animalium præparatione eadem minus semper & insalubritatis, & periculosæ noxæ afferent.

Vmbræ maximè caput commendari video. Dicẽdum autem de hac, molli & ipsa, teneraque carne prædita, non vsq; eò quidem, vt Saxatiles: at tenera tamen etiam, certè nondum dura, vt, si constituere hanc inter mollis duræque carnis Pisces mediam cũ Gobijs vnà, & Citharis, & Rhombis, & Iecorarijs velimus; non id absurdè prorsus facere nobis liceat. Sed Vmbræ, quod dicebam, caput inter delicatiores cupedias numerant gulæ proceres, consectantúrque id maximè heluones. Celebre iam ex Eruditorum scriptis habetur liguritoris Romani exemplum, anxio ac solicito maximè per vrbem discursu, emptum

fortè

fortè ab alio consectati diu, vt & ipse frueretur, ac propè elusi. Excoquetur rectè, atque ad sanitatem apposité, cum aqua, & vino: edetúrque ex aceto.

Vmbræ preterea in frusta plana concisæ assandi modus non pessimus in craticula, nec salubritati incongruus, accedente frequentiore olei irrigatu: gratiam accipiet caryophillis confixa. Alibi elixa ex aceto, & minutim concisis cepis editur. Eadem scutulæ inclusa ex subacta farina, incoctaque, additis priùs sale, caryophillisque, ac cinamomo, seruari (vt de eodem coquendi modo dictum superiùs) incorruptior poterit. Quin gelu quoque ex iure suo, quemadmodum de Rhombo traditum, iisdem & vsibus, & noxis, adstricta tenebitur aliquandiu.

Mugilum differentiæ, quas superioribus libris explicauimus, non fuerint superuacaneè hoc loco repetendæ. Id sat erit, ad id, quo de nunc agimus, in memoriam reuocâsse, ambigere videlicet Piscem hunc, natalesq; suos geminos sortiri, tam in mari, quàm in fluuijs gigni repertum. Exigui enim quidam, paruiq; in amnibus inuenti Mugiles capiuntur, quos valde verisimile est ibi quoq; tum primùm natos, nondum natales aquas mutâsse. Hoc sciuisse hoc loco suffecerit, de ambigua Mugilum natura, quòd id discriminis non nihil simul in coquendo differentiæ trahat. Etenim Marini, vel qui frequentiùs in mari degũt, nec aut in fluuiorum ostijs versantur, aut eos etiam subeũt, nec ex sordentibus immundisque aquis victum capiunt; ij sicuti longè alijs commendatiores, gustuq; acceptiores, ac multo spinis minùs scatentes inueniuntur: ita simpliciori quoq; præparatione, simpliciori coctura, commodè ac salubriter in cibi vsum venient; seu elixos, seu frictos, seu assos cupiuerimus. Et ex iure Albo, vel illo adhuc simpliciore, elixi placebunt: aqua nempe, oleóque, ac sale, vinique, aut aceti modico. In sartigine verò ex oleo optimè frigentur, simul & ad sanitatem apposite: & assabuntur in craticula, aceto, oleoq; tincti. Vtrisque autẽ, frixis nimirũ atq; assis, affudisse expressi aliquid ex malarancio succi, aut omphacij, nõ inconueniet, & ad saporis gratiam, & vt innoxiè edantur. At non innoxiè deteriores Fluuiales illi, cœnosorumque locorum incolæ, simpliciter ita præparati edentur, & in iure porri omnino; ceparumque, vel allij etiam fortè aliquid poscent, ad sanitatis commendationem, origanumque, aut satureiam: & qui frigentur, antequàm frigantur, pluri conspergi sale, incrustarique farina debebunt: & assi vino, præter acetũ & oleum, irrigabuntur assiduè. Omnium autẽ ex sinapi, intinctúve tali aliquo, esus.

Persequuti Pisciũ hoc genus Littoralium ferè præparationes sumus diuersorum diuersas, quorũ alij in littoribus pabulum quærunt saxosis, arenosisque, & optimi inter hos habentur, vt Asellorum quidam, ipseq; Callarias: alij immunda littorũ, cœnumq; sæpe, ac limum depascuntur, quod Saxatilium nullus facit: & ex eodem alij genere modò in mari, modò in fluminibus victitant, vt hi ipsi Mugiles, de quibus vltimo loco dictum: alij vt in fluuiorũ ostijs circúmque hæc ipsa vagentur, fluuios tamen non subeunt, vt Muræna, vt Vmbra, cuius contrarium Lucius Fluuiatilis piscis facere existimatur, nunquam mare ingredi solitus. Porrò autem cuncti mollioris carnis Pisces habentur hi, vel non duræ saltem: neque omnes singillatim tamen recensuimus, non enim necessũ fuit, traditis per genera exẽplis satisfactum iri arbitrati.

Est & Lupus, Venetis Varollus nunc dictus, longè à Lucio alius, non solùm quòd amnicus is, marinus ille sit: verùm etiam, quòd contrariæ inter se naturæ, quandoquidem Lucius solum vertisse nunquam natale suum visus, vt mare ingrederetur: Lupus verò in mari semper natus, sæpissimè amnes longiùs etiam progressus intrat, vt Romæ, vbi Spigola nuncupatur, Tyberim ad mediam vsq; suburram subiens, ibique inter duos olim pontes captus, maiore commendatione ad gulæ palatoq; inseruiendum, ad sanitatem multo pessima conditione. Sorditie enim omni inter cloacas pastus, aut quicquid recrementorum & quisquiliarum ex tam frequenti vrbe Tyberis excipit, non poterit non insalubris semper inde reportare secum aliquid. Itaq; desquamatum hũc, & exenteratum priùs, in craticula, multo magis sale, oleo, acetoque mixto sedulò conspersum, diligenter diuq; torreto, vel in oleo coquito elixatione longiore, vel frigito in sartagine, origano, thymo, amaraco, cinamomo, zingibere, crociq; momẽto, quę disfractis omnia ouis, cõmixtisq; simul excipiãtur, infarctũ. In purioribus aquis qui victũ ceperit, minore opera frigere, torrere, elixare etiã non exenteratum, neque exquamatum, possis: tutiusq; ad salubritatis rationes ita eo vesci, ac securiùs, licebit.

Auratam nihil meliùs, quàm in craticula assaueris, si ex optimis aquis sit, salis, acetique, & olei rigatu assiduo: neq; insalubriter tamen eandem in vino, oleóve, si non multũ his aquæ addatur, elixaueris: addatur aũt piperis prætereà crociq; aliquid, cũ vuis passis, & aceto. hocq; in stagnorũ Aurata, vel improbandis alioqui aquis innutrita, vel etiã maioribus illis. Tũ vetri quo-

que satureiæ, origani've, fœniculi, rosmarini inseruisse aliquid, vtile. Frixeris insuper in sartagine non incommodè, ederisq; ex sale & aceto. Hæc pro multorũ aliorũ exẽplo, quibus nõ diuersę omnino naturæ accommodari, nec sanè salutariter minùs, præparandi modus debebit idem.

Quibus egeant in coquendo dura carne præditi Pisces: & illorum aliquot enumeratio, proposito Mulli exemplo. Salsamentorum dein coquendorum ratio, atque vsus.

CAPVT V.



NVnc de duriore carne præditis Piscibus facienda erit mentio, quo hi quoq; pacto præparari coquiq;, seruatis sanitatis retinendæ legibus, debeant, quóve eandẽ ob causam cõdiri eos modo par sit; habita vnà saporũ nõ minùs ratione, ne non cũ aliqua ꝑtereà palati id simul gratia fiat, sed quæ cũ salubritate coniuncta semper sit; imò quæ sanitatis semper ipsius rationes augeat, & ad summã illius faciat, excitato ad faciliùs accipiendũ, auidiusq; amplexandũ, proinde concoquendũ etiã feliciùs ita cibũ, ventriculo. Supra hoc quæsita palato cõmendatio ex sapore aliquo maior, aut condimento, aut intinctu, apparatúve alio operosiore aliquo, γλυκεία quædã id erit, qua cruditas sæpe inuehatur, adeò sanitatis rationes summamq; ipsam nõ iuuet, ἀλλ᾽ ἀι μὲν τῶν μαγειρικῶν λοπάδων σκευασίαι τοὐπίπαν τῆς ἀπεψίας εἰσὶν ἄιτιαι, inquit aliquãdo (lib. iij. De facul. ali.) Galenus. Memor sum me rei huiusce sępiùs iam admonuisse Lectorem: atq; id nõ inuitus feci, facióque, neque immemor sanè Sapientũ dicti illius, Nũquam incassum repeti vtilia, tradiq; sępe, quo inculcentur meliùs, mentiq; insideãt. Porrò tam vtilẽ, quàm hæc est, toto nostro hoc in negotio, nõ vbiq; facilè reperias admonitionẽ. Cæterùm durioris carnis Pisces aliquot quidẽ ab Authoribus numerãtur, quos hic recensere singulos nõ videtur necessariũ fore: paucis exẽplis peragi res potest, sicq; de alijs omnibus rectè, qua illorũ quisq; præparatione gaudeat, addisci. Sumendi aũt notiores ad hoc, omniumq; potissimi, vt clariora, manifestaque magis exempla innotescãt. Illud omnibus conuenientissimũ erit in præparationibus eorũ, vt, quoniã carnis inprimis duritia dãnantur, hocq; nomine ægre inprimis in vẽtriculo cõficiuntur, simul & crassum inde in corporibus succũ gigni necessariũ; vtrique dãno cõsulentes, & concoctionẽ iuuemus, & succi, quantũ fieri à nobis poterit, crassitiẽ minuamus. Incidentibus igitur vtemur inprimis, quibus & crassities dissecetur, & promoueatur cõcoctio, quã dissecantibus nõ parũ sępe iuuari solere antea docuimus: addemus nihilominùs & calorifica, idem, aut vtrunq; potiùs, præstãtia, maximè quidẽ fotu suo aucto calore Cõcoctrici facultati opitulãtia; sed & incidẽtia multùm, & crassam duramq; alimẽti substantiam attenuantia. Egregiè ergo factura sunt, acetũ inprimis, cinamomum, piper, caryophilli, crocũ, fœniculi anisorumq; semina, alliũ, cepe, porrũ, satureia, origanũ, & huiusmodi. Insuper cõferre & vinũ hic plurimum sanè debebit, siue ex cõdimento, siue ex intinctu: quo & concoctio perficiatur meliùs, & durities tenerescat, & attenuetur crassities. Post hoc, in sapa eodem modo ad condiendum multum, vt concoctio peragatur, & contẽperetur frigiditas, iuuamẽti.

Sunt porrò Pelagici ferè Pisces hi, quos durę esse carnis diximus, atq; inter hos notissimus Mullus, idẽ & in maximo olim pretio habitus, ne nũc quidẽ contemnendus: Cuculus ad hæc, Mustella, Scorpius, Phagrus, (is littoralis aliquãdo quoq;) Trachurus, Cernua, Glaucus, Canis cetaceus ille, ac Cetacei prætereà Delphini, Phocæ, Balenæ, Thunni, Libella: pręter paucos, noti hi quoq; omnes iã, atq; extra cõtrouersiã positi. Nos nõ omniũ pręparationes dabimus, ꝙ vnius alteriusq; traduci in reliquos oẽs præparatio possit. Proximi cũcti Saxatilibus in eo sunt, ꝙ sicuti à saxosis illi locis nõ facile recedũt; ita horũ plurimi altum, profundumq; nõ temerè deserũt. vnde vtrisq; nomẽ, Saxatilibus, & Pelagicis. In alio differũt, ꝙ Saxatiles, quemadmodũ locum nũquam, ita ne pabulũ quidẽ mutãt: at ex Pelagicis sedem tamen interdum aliqui, cibum aliqui variant. Nam & Lupus Pelagicus quum sit, flumina subit; & Asellorum quidam Cancellos sectãtur ad vescendum, vnde deteriores euadunt.

Idẽ quod Mullo quoq; cõtingit ipsi, vt illos ipsos Cancellos depastus bonitatẽ suam amittat, piscis alioqui, qui, si probè cõcoquatur, (durioris nanque carnis est) alimẽti exhibere multũ queat, & eius quidem nõ improbãdi, vt quod nullo prorsus vitioso succo constet. Paucos quidẽ reperias, in quos cõferri laudes hę oẽs possint, Pisces alios, id genus. Nã alij, vt faciliùs cõficiantur in vẽtriculo, at alimẽti nõ tantũ elargiuntur, vt qui humidiore, laxaq; magis carne sunt. Alij vt benè satis nutriãt: at vel naturæ nõ satis nostræ cõueniunt, insuauesq; sunt, & excremẽtitij plurimũ continẽt, vt Cetacei aliquot, Caniculæ, Phocæ, Amia: vel, vt suauiter edãtur, pinguedine tamen ac lẽtitie nescio qua sua & ventriculũ statim

tim degrauatum replet, & subuerso appetendi facultatem adimunt, vt quotidie in Hussone seu Marione experimur, & ex Fluuialibus in Salmonibus, ac Troctarum aliquibus. Mullus noxis his omnibus vacat, vtpote friabilis, quod perinde est, ac si pingui illum carere omni, & glutinoso intelligamus; tum acrimoniæ insuper cuiusdam retinens ad attenuandum, non modò appetentiã excitandum, vti iam vel quotidianus, modò studiosè ad salubritatẽ paretur, futurus illius innoxius vsus sit. Quo maior adhibẽda in eo diligẽtia, vt coquendo durities huic tantummodo auferatur, vel coctura iuuetur potiùs, cætera omnia relinquantur. Simplicissimus apparatus in craticula, idẽ & saluberrimus, affuso instillatoq; assiduè oleo, & aceto, vel malarancij succo, ex apij ramusculis. Sic quidẽ aceto, & Aurantij, vel alterius huiusmodi succo, partes omnes sensim peruadente, dissecta ex parte durities ceu dissipatur, & ingrediente vnà oleo lenitur: quum edẽdus apponetur, vnà & acetum cum mali eiusdẽ succo, vel omphacio & pipere, apponẽdum, tãquam ex intinctu vt edatur. Elixabitur nõ insalubriter quoq; ex oleo multo, aqua nõ vsq; eò multa, cinamomo, coriãdróque intritis, & sale, porri loco atq; anethi concisam cepã, & vmbellã fœniculi nondum penitus deflorescentẽ, gratioris vtrunque saporis, nec minùs fortasse ad rem, quàm ius album, facturũ. Nam cætera, hoc, illud, prorsus retulerit, indidisse: tum deinde ex eodẽ quoq; intinctu comẽsse, iecore ac capite heluonibus relicto, præstiterit.

Hoc eodẽ præparari, coquique, ac condiri pacto Cuculus quoq; poterit, & Scorpius, & Pagrus, & Trachurus, & Orphus, & quẽ Accipẽserem iã nobis facere & Galeni fortè Galexiã illum conantur eruditiores, Sturio; sed minor, minúsque ideo & durus, & excremẽtitius: Porculos vocant, siue Porcelletas. Frigi nihilominùs in sartagine etiã ex feruẽti oleo, idq; salutariter; tum ex eodẽ condimẽto venire in ciborum vsum debebũt. Cetaceos ex his, qui dura nimis, inprimisq; excremẽtitia carne cõstant, Balęnas, Phocas, Libellas, Mustellorum genera quædam, ablegãda potiùs cuncta esse ab humano vsu cẽseo, in tãta præsertim reliquorum copia, quàm vt ad rectã bonamq; salubritatis frugẽ traduci ea apparatibus, multis quàuis, magnisque, aut cõdimentis vllis posse vnquam speremus. Reliquos, vt adultos iam Sturiones, quos Hyscas quasi porcos appellãsse visus est Gręcus Author Symeõ; & Attilos Padi, & Danubij Mariones, quos Hussones iã, & Marioni nõ dissimiles prorsus alios, quos Tochos Germani vocãt, & Thunnos, in hunc modũ condies parabisque: Sale cõspersos multo, sed dissectos priùs in frusta, vt τεμάχη fiãt, aqua aliquãdiu curiosè macerato modicè elixos: quos torrere in craticula voles, in assulas disponito, torreto, continuo olei benè piperati, salitiq; aceti rigatu. Elixabis autem maceratos priùs, vti narrauimus, saléque multo cõspersos, vino albo atq; aceto incoctos, quibus tantundẽ aquę, quantum vtriusq; simul est, addatur; tum origani, satureiæ ve aliquid, ac piperis, & zingiberis, tum etiã concisum indes cepe iusculo non incongruè, nec insalubriter: omnia aũt necessariò. Aceto nanq; ac vino albo dissecabitur durities, & crassities disijcietur, & detergebitur lentities: elixandi rationem aqua implebit: succi prauitatem herbulæ minuent, atq; aromata: dissectionẽ iuuabit cepe, simul & acrimonia excrementitium, crassumq; ac pisculentum humorem detrahet. Neq; statim tamen peractã absolui elixationẽ horũ credas: plusculũ omnino requiretur ad id tẽporis, ac tãtum ferè, quãtum hœdi vitulíve carni elixãdæ satis. Optimè ac salubriter edentur, seu elixi, seu tosti, cũ aceto, oleo, & sale, maximè verò sinapi, aut parato ex hoc intinctu cum sapa.

Et quoniam Salsamẽta ex his & Thunno, vel maxima sanè pars, vel pręcipua: tradenda hæc quoq; ipsa coquẽdi accõmodè ad Sanitatis leges ratio. Præparationẽ illam omnia exigẽt potissimã, ac necessariã, longiore vt maceratione salsilaginem deponãt, vel bona certè ex parte exuant: tum abluta emũdatáque nihil aliud, quàm simplici aquæ tradentur incoquẽda, neque id diu exẽpta dein, oleoque & aceto imposita, quod oxelæũ est, vel Leucophago etiam immersa, edes. Hoc pacto abdomina piscium horum, & sumina pręparata, elixaq; edẽtur. Dorsales musculos, ex quibus qd Schenale vocãt, quasi Spinale, de partibus nimirum circum spinã parãt, peculiariter ex Sturionibus conficiunt. Sed nobis Salsamẽta cũcta huiusmodi Cetaceorũ, non minùs aliorum, nõ incongruè fortasse nominãsse licebit Dorsualia. Hæc parum priùs elixa, ac tessellatim in plana digiti minoris crassitudine deducta, meliùs assabis in craticula, assiduo oxelæi instillatu humecta simul atque emollita, nec minùs aceti penetratione per omnia discissis durioribus partibus, & superfluo calore temperato, vnà & si quid inerat crassi attenuato, & excrementitij lentoris deterso.

Esus deinde horum cõuenienter ex oxygaro, easdem ob causas, aut oxygari instar alicuius, oleo nempe, aceto, & sale, vel malarantiorum, Limoniorumq; succo. Oxygarum non parum referet viribus Cauiarum, quod vocari diximus, & ex Sturionis,

aut Hussonis, vinô albo & aceto lotis priùs, dein salitis ouis fit, si iusculo aliquo dilutiùs elicuerit, vt liquaminis formam exhibeat.

Atq; hoc ipsum Cauiarum cõstitutione sua cõpactiore alij panis micæ inducũt illinuntq;, & illito vescũtur, nihil aliud: multi, nisi calorẽ priùs senserit ignis aliquẽ, nec nisi calidũ ita, comederint: alij, & quidẽ rectiùs, tepida priùs abluunt, infriatũ panem addunt, cepæq; minutiùs concisæ aliquid, & piperis momentum, atq; ita demum fricto vtuntur in cibis, multo ad sanitatem conuenientiùs. Nam & pane cacochymiæ auferetur nõ parum, & ablutione salsedo nimia demetur ex parte, & cepæ acrimonia crassitiem discusserit, frixura autem excrementitiæ humiditatis plurimum consumpserit. Neq; sic tamen, neq; vllo alio modo præparatum, queadmodum ne Salsamenta quidem reliqua, omnem vnquam exuerit malitiam, quin praui semper succi aliquid secum adferat. Sed nos eorum etiam faciendã mentionẽ esse duximus aliquando, quæ quanquam reduci ad integram rerum omnium temperiem nequeant, mitigari tamen ac leniri queunt: quæq; vel sic ex parte aliqua vitiosa, eadem nihilominùs alia quadam ex parte prodesse etiam alicubi possint; vt hæc ipsa cum Cauiaro Salsamenta, & crassitiem sæpe humorum vtiliter incidere in tempore sumpta, & abstergeer visciditatem, & humorum redũdantiam resiccare in fluxo, præhumidoque corporis habitu. Appetendi verò facultatem sopitam, ac propè interdum demortuam, deterso prorsus ventriculi fastidio omni, exuscitâsse visa manifestò sunt. Eodem modo cognita omitti, vitariq; ab his, quibus obfutura ea iudicârimus, optimè poterũt, rursusq; vsibus interdũ nostris salubriter aptari. Quod semel pronuntiâsse hîc sufficiat, intelligiq; idem in antedictis, dicendisque, quęcunque huiuscemodi inciderint, debebit.

Mollium præparatio ad coquendum, & coctura.

CAPVT VI.

Mollia appellantur à Latinis, quæ à Gręcis μαλάκια, non mollioris carnis pisces illi, à Græcis μαλακόσαρκοι vocati, quorum partem iam attulimus, ne quis fortè hoc existimet: sed à cuti sortita nomen id sunt, quã mollem obtinent humanæ ritu, nulla nec aspritudine, nec squamosam, nec testaceam. Ea tribus ferè generibus cõtinentur, Polyporum, Lolliginum, Sepiarum. Quibus omnibus vna accommodari nõ ineptè præparandi ratio debebit, qua crassities ac glutinositas emendetur, discedat salsugo, cruditas concoquatur, & excrementitius crudusque, quo maximè redundãt, succus minuatur. Quare, nisi parua admodũ corpora fuerint, secanda in frusta, diuque ac multùm maceranda ex aqua, & aceto salienda, elixanda aquæ oleiq; & vini incoctione, additis mentæ, saluiæque, & origani, aut thymi foliolis, anisorũ ac coriandrorum semine, pipereq; ac zingibere: nec non farinæ prætereà aliquid incoxisse triticeæ operępretium fuerit, vt qua, cum alijs vnà, & concoctio iuuetur, & humoris vitio resistatur. tot quidem indigebunt, vt aliquid reponant malitiæ, & praui illis aliquid dematur succi. Tum verò & condimentum patinis iam immissa exposcent, earundem virium, aliquod. Optimum erit ex oleo acetóque, & sale, ac vini insuper modico, vel defruto, vel melle, disiectis per hæc, solutisque in liquorem ouorum vitellis, intritóque cinamomo.

Assa hæc, frixáve, non planè conferre multùm sanitati videntur: quando, non perueniente facilè ad profundum per tantũ crassitiei ac glutinositatis ignea, eo modo, facultate, nõ multum ita remittere malitiæ suę videantur posse, quæ multa intereà elixatu diligentiore prolecta aufertur, maceratis priùs egregiè, atque adeò diutiùs ante macerationem fuste tunsis, postque etiam ex lixiuio curiosè ablutis.

Differentia coquendi in Cartilagineis. De Pastinaca, quòd non ineptè aliquo in numero apud Galenum fuerit, & secundo post Saxatiles loco ab eo quandoque posita, vt edi salubriter posset.

CAPVT VII.

Discriminis tamen aliquid in Cartilagineis inuenias, quod ad cocturæ differentiam factũrum sit. Tenerioris nanque carnis Torpedo, & Pastinaca; Raia, Læuiraia, & Squatina durioris: proinde, non idem omnino coctionis genus rectè subituræ. Priores duæ sicuti facilioris concoctionis sunt, ita minùs studiosæ præparationis; diligentioris autem reliquæ egebunt, quia carne quoque dura magis constant; sed quæ, si ritè conficiatur, plus haud dubiè nutriat, quàm Torpedo, quàm Pastinaca.

Inuenio inter Eruditos reprehendere Galeni dicta ausum de Pastinaca, quòd suauis illam gustus fecerit, insuauis quum sit. Nam mollem esse, ne ipsi quidem negant, quodque succedere in Saxatilium locum,

cum,

cum, deficientibus illis, possit. Concessam videmus, quam inficiari non poterat, mollitudinem; ademptam saporis suauitatem, de qua controuersa esse res queat, alijs aliter de saporum iucunditate iudicantibus: nisi non verum esse, quod non incultus ad hęc Poëta Horatius dixit, concesserimus,

Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur,
Poscentes vario multùm diuersa palato.

Neque enim tam falli in discernenda carnis teneritudine, aut duritia, quàm accepti, vel alieni à natura, gustus saporisque dijudicando discrimine, quenquam continget: omnibúsque, aut multo maximæ certè hominum parti, tenera eadem, ac dura offerri consueuêre; suauia verò vel insuauia non item, alijs alia sæpissimè in hoc præferentibus, proprietate potiùs naturæ quadam. Quod eo fit, quia communis magis in alio natura spectatur; particularis magis, ac priuata, in alio quædam: vt ideo, qui quàm Galenus aliter de Pastinacæ sapore iudicârunt, proprium hi, priuúmque sequuti palati sui sensum videri possint. Non solus autem Galenus, neque vnus in defectu Saxatilium Pastinacam substituit; sed alios habuit, qui in eandem sententiam irent secum, nonnullos. Nam quod pro argumento adferunt, vt ipsi opinantur, satis manifesto, firmóque: Non esse similem habendam Torpedinis ac Pastinacæ carnem, Saxatilium carni, quòd ex iure albo præparandos pisces hosce iusserit Galenus, in quo porrum, piperisque præter consuetum portiuncula, non nisi crassi glutinosique humoris extenuandi gratia permisceatur, vt propterea alios à Saxatilium natura hos faciant: id planè nihil est. Quasi verò non & Saxatilibus ipsis ius hoc album iustè satis debeatur, præbitúmque non semel à Galeno sit: vt mirari subeat, fugisse, non vulgatæ eruditionis viros, loca de hoc Authoris huiusce, quorum vnus is quoque est: εἰ δὲ καὶ σαρκὸς βούλητο γεύσασθαι, τὴν τῶν πετραίων ἰχθύων, ἢ ὀνίσκων ἐν λευκῷ ζωμῷ καλῶς ἑψήσαντα διδόναι. Quòd si carnem insuper gustâsse libuerit, Saxatiles pisces, aut Asellos in iure albo egregiè elixos exhibere conueniet. Vtique plusculum addendum esse porri, ac piperis prætereà momentum, coquendæ Pastinacæ, ac Torpedini iubet: quod non dissimiles prorsus atque alienos à Saxatilium natura illos, sed non eosdem penitus, facit: vtpote quorum vtrunque genus coqui in iure albo debeat, sed hi cum additamento pauculo hoc, quòd parum nescio quid omnino iuris illius vim auget, ac penè naturæ suæ relinquit totum, vt incoqui non sanè diuersa admodum, quàm Saxatiles, ratione hi quoque possent pisces: quasi qui non ijdem omnino essent, qui Saxatiles, neque insuaues tamen ob id, neque duri, neque à Saxatilium natura alieni. At longè alia Raias & Squatinas præparandi ratio, ac modus fuerit, qui iam duræ carnis, extraneique cuiusdam saporis in confesso apud omnes sint pisces. Atque his demum, præter iuris albi materiam illam, multum & aceti, & aromatum, & origani, amaraci've aliquid, cepanúmque ad hæc concisarum non parum incoxisse elixando necessarium ad salubritatem: quibus partim crassities duritiésque in his non pauca veluti disijciantur, partim excrementosus crudúsque succus paulò mitior euadat, partim pisculenta virositas quædam, quæ maximè in his, melioris aliquid saporis induat. Quod porrum & cepe inprimis facient: virus enim virulentia alia, vt venenum veneno sæpe pellitur. nam & clauus clauum trudit, vt in Prouerbio est. Quę planè quum Saxatilibus quoque ipsis, omnium optimis licèt, sua tamen non deesset ex parte aliqua, quæ piscem redoleret, qualitas: sic in his quoque quæsitum porrum, adeóque anethum, quorum qualitatibus, porri virosa, anethi non admodum gustui accepta, familiaribus nihilominùs ex parte nobis, extranea prorsus Piscium, quam non aliter puto quàm pisculentam appellârimus, meliùs exueretur, retunderetur certè, vel suppressa occultaretur, conferente ad hæc partem suam non minimam aromate: vt in Raijs, Læuiraijsque, & Squatinis, ne sic quidem, ac vel maiore apparatu aliquo elixis, non aliquid semper restabit, à quo palatum abhorreat. Rursus igitur addendum pro condimento sinapi priùs, quàm inferantur mensæ, cum sapa, vel melle, vel oxygaro: aliter non salubriter satis edentur, sed nec sapidè quidem. Ac tum demum Dorionis illud verè non minùs affirmare nobis licebit, pallium se elixum comêsse putantis, qui Raiam edisset.

At huius intereà iecur in delicijs apud multos. Elixatur priùs modicè: frigitur deinde in sartagine, atque ex aceto, succóque Arantij, vel Limonij, piperéque & cinamomo non inutiliter prorsus editur.

Crustaceorum præparatio ad cocturam, & coctura ipsa, siue assatione, siue elixatione paretur.

CAPVT VIII.



Ebetur & Crustaceis sua coctio, Astacis, Squillis, Locustis plurimorũ generũ, Cancris, marinis omnibus. nam de his nunc. Elixantur primùm ex aqua & aceto : possis & vinum miscere : plurimum requirunt salis, piperisque aliquid. Viua crustatorum bona pars cum tegumento suo feruenti aquæ inijcitur ad coquendum. Vbertim affatimque vt feruean, consilium est, vsque dum exundet ahenum, & ebulliens despumet. Aptè dehinc ex benè piperato salitóque aceto comedentur.

Fartiles Astacos, aut Cancros, aut Locustas, & id genus, habebis hoc modo : Exui debebunt crusta sua, quæ truncum vestit, eximendaq; forcipibus & caudæ, quæcunque hanc, illósve habent, tundendaq; diligenter caro, & cum amygdalis, vua passa, apio, origano, minutatim concisis, disiectoq; oui vitello, & friati casei portiuncula cõmiscenda, farctuq; hoc replenda crusta, atq; ita frigenda in oleo, aut in furno, aut in clibano assanda, qui placuisse Mnesitheo inprimis videtur modus, assos Astacos maximè elixis præferenti.

Maiores alij Locustas, eodem modo, sed cum cauda sua (nam forcipibus carẽt) fartas assant in craticula : alij crusta exutas, dissectasq; in frusta, aceto, pipereque, & cinamomo, & zingibere, & herbis condiunt, consperfasq; apio apponunt. Eadẽ ratione & Astacos, ritè, recteq; omnia, ad frigiditatem atq; humiditatem illorum temperandam, & demẽdam ex parte cruditatem, succiq; crassitiem extenuãdam. Rubellum ab his vinum generosumque aliquod potandum, idque in Astacis potissimùm faciendum nobis suadent.

Testacea quomodo coqui debeant ad sanitatis rationes accommodè, Ostrea inprimis, tum & reliqua.

CAPVT IX.



Ec dissimilis planè, atque in alijs multis est, ad cocturam in Testaceis differentia reperitur, tenerioris quibusdam, durioris substãtiæ alijs: vnde coquẽdi statim diuersitas necessaria, aliam postulãtibus præparandi rationẽ teneris, atq; aliã duris, crassisque.

Mollissimam omniũ Ostrea carnẽ possidẽt; minores Hiatulæ, Spondyli, Purpuræ, Buccinæ, Dactyli duriorem. Quocirca nemo ista, nisi elixa antea, vel quoquo pacto cocta, in cibi vsum admiserit. Ostrea hodieque multi, vt Galeni quoque tempestate, cruda comedunt, minimè quidem illi ad sanitatis rationes accommodè : sed edunt tamen. Nam si pituitosi ex his humoris copiam gigni experimur coctis: tanto magis ex crudis. Præstiterit itaque in sartagine frixisse cum his, quæ pituitoso humori aduersentur, zingibere, cinamomo, pipere, sale, quod Galenus suo tempore quosdam facere solitos scribit : vel in craticula assasse, quod nũc sæpe facimus, nondum testis suis exempta, diductis tantùm valuis, & altera proiecta, vt inassentur alteri vndique ambita oleo, vel, si hoc nõ sit, butyro. Coquendi in sartagine ratio ea erit, vt de testis euulsa frigantur ex oleo, tum affuso omphacio, mali ve Arantij, vel Limonij succo, & pipere, & zingibere multo apponantur conuiuis. Elixant alij, eodemque (neque id ineptè ad sanitatem) aromate, quod multum ex humore imbibunt, & sale tinctis vescuntur.

Reliquorum præparandi modus, quæ dura magis sunt carne, vt sicuti pituitosi in Ostreis, ita crudi in his succi vitium tollatur: quod longiore elixatione fiet. Bis térve ita elixa, cibum in ventriculo corrumpentibus idonea per se comesta. Tunc difficiliùs quidem cõficientur, at ritè confecta benè alent: sale verò, oleóque deinde atque aceto, & aromate condita, simul & duritiæ partem amittent, & cruditatem succi deponent aliquam, & ciebunt ex prima videlicet elixatione, si id factum fuerit, aluum.

Nec planè inconueniens præparationis genus id his ipsis fore arbitror, qđ Echinis quoque marinis exhiberi solitum fuisse tradit Galenus, præsertim si subducere aluũ in animo sit, vt ex vino & melle, quod mulsum est, acetoq; & oleo, quod garum, garive specie, edantur, condianturque in patinis pipere, ouisque, ac melle, vel, si magis id arriserit, defruto,

Dictum de his satis : reliqua in horum præparandi rationem perquàm commodè & salutariter deducta veniẽt omnia. Nunc ad Fluuiatilium cocturas properamus.

Mustellæ, quam Lampetram dicunt, pretiũ aliquando ingens : & coquendæ, condiendæq; eius ratio, maioris, ac minoris : tum & Bottetrissiæ.

CAPVT X.



Vbeuntes ex mari fluuiorũ ostia Pisces diximus quosdam, marinos omnes. In mari & Mustella reperta, sed Ausonij illa, quæ idem faceret ; quanquam perquàm rarò maris, multo autem sæpiùs amniũ incola,

in qui-

in quibus & oua deponit in partu, & pabulum frequẽtissimè, imò verò semper ferè capit, vnde aliquibus Fluuiatilis Muræna dicta: ideo Fluuialibus adnumeranda potiùs esse videtur, vel si ambigere quãdoq; concedatur, transire tamen in Amnicorũ eam libentiùs partes fatendum omnino est. Quamobrem sic in confinio vtriusque naturę posita, vti alteri, nempe Fluuiatilium, longè magis affinior sit, tractanda hîc initio eorum fuit. Lampetra ea est, quã nunc ita dicimus, magni olim, æquè ac nũc, pretij, magnæq; inter lautiores cibos commendationis Piscis, Vere præsertim, aut Maio mense, quo anni tempore maximè expetita. Condimentum quoq; inuenit peculiare quoddam ob nobilitatem, neq; extra sanitatis tamen leges, neq; non palato gratissimum, vti nõ minùs sæpe acceptum id gustui, quàm Piscis ipse sit. Romani excogitârunt primùm Coqui, superiorum non ita multo ętatum, luxuriantibus tum maximè delicijs, quum altissima pace, in altissimo otio, rerum propè omnium, adeoq; fortunæ aduersę omnis securi, fruerẽtur: vt mirum non sit, etiam certatum olim ab obsonatoribus duobus in foro Piscario Romæ, vter pretio maiore piscem obtineret; nec cessisse alterum, nisi alterius veluti licitatione ingenti victum tandem. Viginti aureorum nummorum pretium fuisse perhibent Historiæ. Nec satis: donatus à domino obsonator victor aureis nummis centum, quasi re benè gesta, quòd in coemptione victus non discessisset, dignitatis, existimationisq; in eo suæ famã agi arbitrante. Insigne verò exemplum, quod ad posteros transeat, non solùm ingentis gulæ, sed prodigæ atque insanæ prorsusque exlegis liberalitatis.

Verùm Lampetrę, seu Mustellę coquendæ, condiendæq; ratio ita habet: Necari vino debebit Cretico, aut benè generoso aliquo, eodemq; ablui: id scilicet cùm gratiã, tum temperamentum Pisci addit. Qui elegantiore apparatu delectantur, sed nõ prętер rem tamen, ori myristicam nucem, foueis, quas vtrinq; gerit aliquot, caryophillos vnicuiq; fouecę vnum indent. Demetur simul, quod excrementi intestinorumque est, & in orbem per spiras conuoluta frigetur in sartagine, ex optimo oleo, omphacio non ita multo, saleq; quod satis sit: omnia quæ, vt diximus, salubriter satis, pręter saporis commendationem, cocturam iuuẽt. Pro omphacio vinum potiùs album cum dissecti medij Limonij mali frustulis non inconueniet: quòd incidendi facultas maior in his, & aduersus succorũ omnium malitiam repugnantia. In quam planè gratiam, aptè panis quoq; infriabitur medulla, & cum aromate aliquo, auellanisque ad hæc intritis, amygdalisve incoquetur, concoctionem præterea iuuante aromate, & detergẽtibus lentitiam, si qua est, amygdalis. Assæ insuper (assantur enim quoque) condimenti eiusdem præparatione placebunt.

Minores his multo in fluminibus, lacubusq; repertæ aliæ, nimium propter lentorem, & glutinis instar humorem quendam nimis quàm excremẽtitium, vix adduci eò diligenti licèt pręparatione poterunt, succi inde vt expectari bonitas aliqua debeat. Quare si elixabũtur, addetur superioribus concisarum minutim ceparum, vel porri etiam non parũ, & origani, amaraciq; aliquid: si frixę magis placebũt, curiosè vino priùs albo ablutæ, saleq; conspersæ, ac diu farinæ vtriculis circunuolutæ, feruenti demum in frictorio oleo inijcientur. Tum oleo, & omphacio, acidiorisq; Arantij succo condientur optimè, addito aromate, zingiberis, & croci; aut ex condimento eo sumentur tanquam ex intinctu, minore noxa.

Mustellæ pariter genus Rutten nomine Germanis notissima, alicubi Bottetrissia dicta, non diuersas cocturas expectabit. quanquã & illa applicari huic poterit non prorsus abs re, vt aliquandiu in aqua morata, atq; inde extracta modico sale aspergatur, seduloq; ac diligenter elixa aceto tota acerrimo detersa siccetur, vel generoso aliquo meliùs vino: nisi vtroq; fortè malimus: tum apponenda cum condimento modò narrato. Huius inprimis iecur cõmendabile, quo propè vno apud multos gratiam meretur, eadem & ipsum ratione, qua Piscis, concinnandum: ex quo tamen minutal quoque cum herbulis natura calidioribus, atque odoratis, & aromate paulò suauiori, concisis, neque id ad sanitatis rationes ineptè prorsus, conficere liceat.

Truttarum coctura salubrior, & ad perdurandum alia: Salmonum item, & Huchorum.

CAPVT XI.



TRutta siue τρocta (hoc enim quoque nomine appellatã sæpe video) fluuiatilis omnino Piscis, atq; adeò Fluuiatilium omniũ princeps, hoc illi tribuente communi quodã gentium omnium cõsensu, apud quas hæ in cibatũ veniunt. In idem nũc confero Salmones, quoniã eandem penitus cocturã requirunt oẽs, & Salmerinos, & Benaci Carpiones, & multarũ aquarũ Salares; alijs alios bonitatis & saporis commendatione præferentibus,

ſed eiuſdem tamen fermè generis cunctos: certè quorum præparatio, coctio, condimenta, nulla ex parte varient. Principatum obtinere diximus, ſi palatum in conſilium adhibuerimus, adeoque, ſi mediocres in multis admiſerimus, non poſtremæ etiam ſalubritatis. Etenim vt præpingues, maioresq; illas, ventriculum onerare, eiusq; appetendi vim deijcere ſcimus: ita minori & magnitudine, & pingui, neceſſariò probandas habebimus, accedente præſertim coctione diligenti, & ad ſalubritatem ſpectante.

Simplicior his coctura debetur ex aqua, & ſale multo: elixantur conciſæ in fruſta maiores, minores integræ ſæpe: acetum tamen addidiſſe non inconueniet, & ſalubre id, demendo ex parte pingui, lentoque. omnino nanq; friabiles magis fiēt ex hoc. Tum aromate cōſperſis veſci mos eſt. Multis refrigerati poſt elixationem Piſces, hoc genus, probātur magis, quòd rorulentum in his id granulis concretum candidumq; appareat magis: minimè verò ſalubri exemplo. non enim frigiditati, quæ poteſtate ibi continetur, præſens alia, atque in actu addita, nō officere, niſi benè calidum ventriculū nacta, poteſt. Friguntur præterea in oleo commodiſſimè omnes, vel in butyrò, ſi oleum non ſit, neq; à ſalubritatis legibus alienè, nulliusque inſuper condimenti egentes, neq; ad guſtus commendationem, neq; verò ad ſanitatis tuitionem: ipſi ſibi condimentum, & intinctus, natiua bonitate ſua ſunt, pręter innatam frigiditatem, & humiditatem, quæ Piſces facit, non ſanè alicuius notatu dignæ, vt in Piſcibus, malitiæ. Quæ tamen ſola coctura, præcipuè verò in minoribus, demuntur, acetoq; inprimis humiditas, & lentoris ſi qd ineſt; oleo, cum his etiam frigiditas, quādo oſtenſum antea ſit, in frixa oleo omnia ſiccitatem, ac caloris nonnihil contrahere. Eadem, vel non multùm diuerſa, de butyro ratio. Irrigari tamen frixi Piſces hi Limonij, malíve Arantij ſucco gaudent, quo nō minùs vtiliter cōceptus ex frixura igneus ardor quidam tollitur. Elixæ verò cum aceto edi, demendæ humiditati, & abigendo lentori quantumuis pauxillulo, debebunt. Apageſis, qui Truttas nobis Caporum iuri incoquēdas eſſe perſuadere conatus eſt Romanus heluo, & paraſitaſter ineptus. quorſum? vt humidas etiamnum plus facere mus?

Seruari totius ſeptimanæ ſpatio Truttæ poſſint, recepto priùs inciſuris per dorſum maioribus factis ſale: tū oleo diu multumque incoxiſſe conueniet, ad maiorem durationem.

Salmones itidem ſcutulis ſeu capſulis ex farina ſubacta, quarum antea prolixè meminimus, incluſi, incoctique, non parui tēporis permanſionem indipiſcuntur: quorum omnium diu nimis ita ſeruatorū, Piſcium nimirum, minimè ſalubris reputandus vſus. His præter alios, Salmonibus inquam, aut qui horum naturam referunt, Piſcibus, quod genus Truttæ maiores ſunt lacuſtres, & quales in Norico Lacferenas vocant, nimio ſæpe pingui ſartam nimis carnem incidentia paulò magis debebūtur, & reſiccantia. Itaq; & ſalientur paulò largiùs primò, & aceti vtiliter in elixatione accipient pluſculū, & ex condimēto edentur aceti piperiſque, & zingiberis multi, & Arantiorum ſucco, præſertim acidorum, nec minùs ſanè Limonij tingentur.

Huchis (ſic Truttarum genus quoddam, vel ex Trutta potiùs & Lucio cōpoſitum, appellari ſuprà memorauimus) eadem accommodabuntur, quorum modò meminimus, ſimplicioris præparandi rationis omnia. Is, quòd Lucij multum retineat, neque tanta conſtet pinguedinis faſtiditę ſępe ob idipſum copia, minùs & habendus noxius Piſcis, & apparatum minorem requiret: vnam expoſcet paulò longiorem coctionem, ob paulò duriorem carnē, ſed friabilem tamen ſatis.

Luciorum præparatio ad coquendum, minorum, maiorúmque, ac mediocriū: & coquendi ratio diuerſa: præcipua verò quadam, ſed alijs quoque communes. Qui frigi, qui elixari, qui torreri in craticula magis eligant Piſces.

CAPVT XII.



MAgna Luciorum differentia, vt aliam propterea illorum plurimi præparandi, coquendique rationem exigant. Optimos habet Germania vniuerſa penè, & Pannonia Superior, nō quales Auſonij carmen nobis indicauit, ſed non ingrati alios, multos verò gratiſſimi etiam ſaporis, ſimul nec damnati, inter ſalutares Piſces, vſus.

Minores certè conualeſcentibus à morbis impunè conceduntur, adeoq; in morbis etiam ipſis, qui refrigerante, atq; humectante victu, neq; concoqui difficili, opus habere videntur. Hi & tenera, & friabili ſatis carne ſunt: nec niſi ſimpliciter, idq; non multo poſt capturam, aut frigi in ſartagine ex oleo butyróve debebunt, aut elixari ex aqua & aceto, aut in craticula aſſari. Frixis expreſſus inſtillabitur aptè Arantiorum ſuccus, vel ſuo tempore omphacium: Elixis ſatis erit acetum cum piperis modico, & zingiberis, intinctus cuiuſdam

iuidam loco: Assis in craticula adhuc irrorandum mixtum oleum & acetum, illinendaque subinde hęc, omnia sanitatis legibus conuenienter.

Maiores, imò maximos sæpe, intantum enim excrescere, in lacubus præsertim quibusdam visi, vt Cetaceos multos magnitudine ęquarent, quosdam etiam superarent: hosce igitur non statim ac capti, necatique fuerint, tradere culinæ oportebit coquendos. durior nanque eorum caro temporis aliquãtulum exposcet, vt tenerescat, simul & friabilitatis aliquid acquirat. Tũ in minores tomos secti, quo meliùs in partes omnes perueniat coctura, elixabuntur longiùs, cum aceto pluri, pluriq; sale; aut in frictorio ex oleo paulò diutiùs coquẽtur: nec incommodè, nec inutiliter ex sinapio edentur, præter acetũ & piper. Olidos Ausonij Poëtæ illos, qui nidore suo popinas repleant, & alga cœnoque solùm in lacunis pastos, aliò ablegabimus: quando, vel ipsomet dicente, nullos hic mẽsarum lectus ad vsus sit.

Mediocris corporis alios optima ratio est elixandi, & is quidem Germanus mos, huic propè nationi peculiaris. Gratiam in eo quærunt, vt cæruleum colorem referat coctura, ex modò necatis. nam eiusmodi, multoq; magis minores his, si diutiùs maneant enecti, fluxa illorum protinus fit caro. Tomos faciunt: impositis deinde catino, saleq; cõspersis vbertim, acetum affundunt acre, quãtum immergendis satis, ne extent, vel parum extent: inibi macerant semihoram. Intereà feruet in cacabo aqua: feruenti injiciunt cum aceto Piscem, diu affatimque vt ebulliat, permittũt. Modus elixationis, quũ benè candescẽs spuma exundârit: vel certiùs, quum facilè spinam discedens inde caro relinquit. Cærulei ita coloris Piscis exibit grati, iucundique saporis, tener, friatilis, succi (vt ex Pisce) boni, nec insalubris. Esus eius ex aceto cũ caryophillorum, zingiberis, cinamomi polline.

Eodẽ modo dissectos in patella frigunt, aut paruos ex oleo & butyro: integros attamen hos, vel infra mediocritatem etiam alios. A capite per dorsum medios discindunt alij, totos penè ad caudã vsque, quam partem coniunctam inter se relinquunt, diductamq; partium sectionem vtranque, & replicatam coniunctim ori inserunt, ac ceu orbes duos ex pisce vno formant, eo haud dubiè commodo, vt coctionem per omnia ita meliùs accipiat. Hunc sic friges, vt dicebam, ex butyro, ad id quod faciendum deinde est, aptiùs: frixo penè iam affundunt hoc modo præparatum ius, ac temporis momentum coqui vnà permittunt.

Ius ita habet: Tunsos caryophillos in pollinem cum cinamomo, zingibere, pipere, aqua, aceto, vino, saccharo immiscent modico, & relictæ cum pisce butyri parti superinfundunt. Hoc pacto præparatum ferculum inferunt mensæ, inter lautiores dapes habitum: nec, cur recipi inter sanitati quoque accommodos cibos non debeat, video. Id scilicet superiori quoque elixationi aptari non minùs ad salubritatis rationes poterit ius, multorumque piscium generibus alijs, Temulis, Barbis, Leuciscis, lacuum quorundam Renchis, Sardinis, Aquonibus, fluuiatilibus Percis, & vilioribus quibusdam Scardis, ac Squalis: vsq; adeò deduci in plurimorum aliorum cocturam poterit ratio eadem, nec necesse semper fuerit eadem frustra repetere.

Ac congeneribus sæpe Piscibus, vel non multùm inter se dissimilibus temperamento, carnis substantia, sapore; eadem, vel non valde diuersa, coquendi, præparandique ratio & modus debebitur. Quocirca eodem venient multi prætereà alij, vt eandem omnes rationem subeant, frigique, assari, atque elixari non ineptè, neque insalubriter possint: nonnullo tamen interdum discrimine, eo nimirum, quòd assari magis is, quàm frigi; elixari ille, quàm assari; alius rursus frigi tantùm, vel longè certè meliùs, ac salubriùs, quàm aut assari, aut elixari, postulabit.

Sicuti Temulus optimè frigitur, atque elixatur, quo propè de Lucio dictum est, modo: non optimè torretur.

Renchi item, Benaci Sardinæ, & Aquones dicti, qui Sardinæ maiores sunt eiusdẽ lacus, egregiè friguntur ex oleo, torrenturque in craticula, & ad saporis suauitatẽ, & ad sanitatis rationes appositè, maximè dũ frigũtur: elixationem vix vllam recta ratione admittent.

Barbi elixari frigique ijsdem rationibus benè ac salubriter; assari in craticula nullo, vt ritè id recteque fiat, poterunt modo.

Scardæ, Squallique, ob exuccam nimis naturam, nisi farcti, neq; palato, neque salubritati respondebunt satis: farcire opus est, pingui multo, vuis passis, ouis, caseo, panis medulla, aromate non multo, crocoque, temperatis herbis, & in furno ex aceto & oleo coquere. Quæ melioribus quoque conuenit & laudatioribus farctura, pridie fortè, vel antea enectis, carnisq; substantia iam sua propè difluentibus, si prætereà ex aqua, oleo, butyróve multo, & aceto, addito sale crocoque, elixentur, atque ex eodem iure edantur: cui, si paulò etiamnum fluxa magis videbitur caro, rectè vinum quoque album coquendo miscueris. hoc soliditatem addet,

dempta

dempta mollitie, qua veluti dilabuntur: vt Temulos viderim sæpe, (quod genus Piscis facilè mollescere solet) iam flaccescentes, ex vino dulci, aut generoso aliquo, vel solo, vel addito insuper aceto, elixos friabilitatem cum saporis gratia retinuisse: coniunctamque ita intelligamus in omnibus his, cum salubritatis legibus, gustus commendationem.

In plurimis vsum obtinere, vt potiora seruentur. Et de Cyprinorum præparationibus, quomodo concinnari ritè ad salubritatem debeant. Et de iure nigro, ac croceo, reliquis quoq; Piscibus multis accõmodo. Elixandi Pisces multos ratio bona. Et de Tincarũ præparatione, & pisciculorum quorũdam, & Ranarum, & Cancrorum. Excusatio tractationis huius.

CAPVT XIII.



SQuamosi inprimis, nec minùs sanè humidi, parumq; glutinosi, & exerementitij Piscis exemplum cõstituemus in Cyprino. Et hìc quoque tamen plurimùm interest, quibus ex locis captus in culinam veniat. In aquis cœnosis lutosisq; degentes, cœnũ & lutum olent: in piscinis, lacubusque quibusdam etiam, non boni: in alijs, non improbandi: in amnibus profluentibus, nec aquarũ pigriorum, omnium optimi, nisi congestas in his ex vrbibus oppidisque fortè aliquibus sordes, immũditiamq; pascantur. Vtiq; pinguescunt his, alijs omnibus magis, alimonię copia, eoque pręferunt illos ganeones, in saporis commẽdatione: sed intereà insigniter insalubres euadũt. Quæ ideo referuntur hìc, vt, quid cuique demendum, addendumque in præparandi, coquendiq; ratione sit, non ignoretur.

Communis ea ratio in Cyprino elixando ad salubritatem omni, vt fluxa quædam humiditas ac nimia adstringatur priuatim in eo, & insipida pinguedo castigetur, frigiditate insuper correcta cõmuni Piscium illa. Quæ vsus iam obtinuit, paucis quibusdam exceptis, in quibus erratur, vt fierent omnia, sic in multis ferente rerum natura, vt non diu introducta duret, in qua euidens aliqua, manifestaq; noxa vigeat, consuetudo, ac melioribus deteriora tandẽ cedere cogantur sæpe, præcipuè verò quę cõmunis quotidianus que vsus inuehit: vt in dapum, ferculorumq; plurimorũ pręparationibus, & obsoniorũ condimentis, non obscura animaduertas artificiosæ cuiusdã considerationis vestigia, nõ ad voluptariæ modò suauitatis gratiam; sed ad certam sanitatis cõmendationem, quæ coniunctam semper retineat iustam saporũ ac salubrem iucunditatem. Nequaquam ignarus hoc dico in nõ paucis huiusmodi alijs aberrari, & verissimũ expertus Galeni (De facul. alim. iij.) monitũ, culinarias ollas damnantis, in quibus aliqua semper sanitatis iactura fiat, ex crebra cruditatũ, prauorumq; inde succorũ, collectione. Et initio meminimus de Platonis sententia pronuntiatum, aliam esse culinariã Obsonatricem, quę gustui tantummodo blandiatur, peritiã tantùm quandã; atq; aliã, cui sanitatis omniũ maximè commẽdata sit cum artificij ratione cura, Diæteticen rectam, quam Esualem Latinorum nonnulli nuper nominauère: sed in plurimis tamen seruatam esse præter sapiditatem, retinendæ quoq; sanitatis rationem, habitumq; modũ, quo tutò & cum securitate vnà, ac iucunditate gustus, his vesci nobis liceret: propterea diximus, vt immutatis in alijs paucis quibusdã, in alijs verò detractis, additisve, tota ad iustæ artificio sæq; Diætetices reduci rationes pręparatio possit. Quod & in Cyprinis, de quibus dicere inceperamus, factum, quibus ex obsonio concinnandis ea iam adhibẽtur, quæ nõ multùm ab eo absint, vt iustum his per omnia temperamẽtum quæratur. Primùm ex simplici elixatione, quæ, qua ratione in Lucio narratũ est, ex aqua & aceto hìc quoq; fit, indito sale. Et reficcatur enim superflua humiditas, & partiũ aliquarum crassities dissecatur, & fluxa pinguedo aceti acrimonia veluti coercetur. Cauendum, ne tã diu is ex aceto, vt Lucius, maceretur. Sale enim benè cõspersus frustis factis, quũ primùm feruenti in cacabo aquæ inijciendum censebis, tum acetum accipiet, moxq; ac statim inijcietur. non enim mollior atq; humectior Piscis longiore indiget maceratione. Capitis tamẽ, proximæq; huic paulò duriores partes habẽtur, itaq; imponendi omniũ primi bullienti cacabo huius tomi: tum maiores quique, tum alij, atq; alij, ebullire permittendi, donec spuma quasi ruffescat. Exempti proiecto iure, in ioluũtur benè mũdo linteo: id scilicet nõ omnino fieri laxos sinet, & friabiles aliquantum faciet caloris conclusione fotos, & munditie. Edẽtur mox calidi etiamnũ ex aceto cũ piperis & cinamomi polline: nec ineptè Leucophagũ accipient, aut alliatũ, aut huiusmodi. Frigendos in sartagine eosdẽ hos ita sectos, ex oleo & butyro, non incõmodè, & ad Salutaris artis rationes idoneè, maximè verò minores, sumes. Fartiles etiam ne damnaueris, quo traditum est de Squallis, & Sardis, modo paratos, coctosque.

Cęterũ optimè ad Diętetices iustę leges, nõ solũ cõmendãte ita gula, & iuri innatabũt, elixi nigro, croceoq;, nõ solũ Cyprini, verùm

verùm etiam Pisces alij eiusdẽ temperaturæ multi, humiditate insignes tenui quadam ac difluente, fluxoque pingui, & subuiscido aliquo. Nigrum: Secalini panis, aut aliàs atri partem accipis, torres igni, aut succensis carbonibus exassas, donec quasi carbunculetur: disfractum deinde vino dulci dissoluis, aut vino & sapæ parte: coquis simul, percolas, addis tunsos in puluerem caryophillos, & cinamomi nucisq; myristicæ parum: recoquis tantisper, dum crassamentum accipiat aliquod, & disposito per patinam Pisci superinfundis. Nigrius facies, si Cyprini, quem nõ paucum sanè obtinet, exceptum sanguinem vino miscueris, & cum reliquis incoxeris.

Croceum: Vinum generosum aliquod croco, prout dilutius, aut saturum magis habere volueris, coloras plùs minùs: maceris addis aliquid, zingiberisque insuper, & cinamomi. Caryophillos ne sumito: nigrescet enim inde ius. Si fortè animo ita nõ satisfaceret, pro his piperis semifracti portiunculam sumis. Percoquis simul omnia, & elixi priùs ex aceto ac vino, Cyprini, alteriúsve alicuius id genus Piscis, tomos immergis.

Elixandi ex vino pisces Truttas, Temulos, Huchas, Lucios, Cyprinos, modus & salubris, neque ingratus gustui: Concisa frusta salito inuersa: sinito dum salem accipiât parumper: postquàm accepisse credideris, reliquum detergito, vino albo incoquito dulci; vel sacchari, vel mellis adijcito parum, si dulce non fuerit. Hîc non multo opus aromate: caryophillorum, aut cinamomi, si voles, addito aliquid, & concisum cepe: bulliant omnia simul, facito: affatim crocatum si cupieris, croci inijcies quod videbitur: si acidum amaueris, Limonij frusta. Ex hoc edetur Piscis, simul & pro intinctu cedet. Salubre est, & in quo correctas castigatasque Piscium noxas omnes habeas, ferculum, frigoris, humoris, glutinositatis, cacochymiæ, retinẽdæque, dilabenti longiore iam mora illorum consistentiæ, optimum.

Non exciderant nobis Tincæ: sed insaluberrimum omnium Piscem, ac manifestẹ sæpe febris causam habitum non immeritò, intus, forisque, si quis alius, tenaci glutino hærentem, olidum, cœnosum, insipidum, pessimi periculosique succi, ignobilem, vulgi tantùm solatium, vt Ausonius de eo cecinit, noluimus nobilioribus immiscere, quorum non omnino vsque eò noxius vsus, rectè atque ordine præparatorum. Quumque in nullo penitus esse debuisset numero is, in cibatus quidem enumeratione aliqua ex parte salutiferi, ipse plurimum morbosus; vendicabit sibi postremum tamen hunc inter huius generis Pisces, vt habeat, quo se soletur, plebecula, locum, si quando opsonari ita voluerit, minore, quoad eius fieri potest, discrimine, curiosè diligenterq; pręparato vescens. Et inuenietur nihilominùs alicubi aquarum, in quibus degit, locorumque bonitate, & victu, quem capit, meliore, nõ vsquequaque tamen degener, intantum, nõ quidem vt reddere salubrem, sed vt noxium minùs, diligentiore aliqua præparatione, queas Piscem. Maceranda priùs calida diligenter, tum aspero linteo tractanda Tinca, perfricandaque manibus demendo vndique glutini, saleque paulò antè conspersa, vel eius tomi, si ex maioribus fuerit, elixanda ex aqua diu, quantum propè si vitulinã elixes, cum aceti parte, apij folijs ac radicibus, amaraco, pipere, allio, aut concisis cepis. Hæc & crassitiem inciderint, & glutinositatem deterserint, & reliccârint humiditatem, nec sanè non & vitiosi aliquid succi abstulerint: id quod meliùs tamen atque efficaciùs pręstabit oleum, quare hoc quoque ipsum iuri adiunxisse consultum erit. Fartilem qui volet, & aut in furno, aut in craticula assandam, hóc modo faciet: Maceratam, vt priùs, & visciditate detersa, & exenteratam curiosè per omnia vino abluet albo, atque odoro. Infarciet his: Sumet oua sex ferè, apij, origani, satureiæ concisorum, friati casei, quantum ex his accipere oua videbuntur posse, allij ad hæc nucleos aliquot, croci non ita multum: possis & vuas passas adijcere, cum pineis nuculis. Hoc fartu implebit, suetq; oleo & aceto oblinet in craticula sedulò, aut sartagini in furno ex eodem liquore vt innatet curabit: edetque cum sinapi, & aceto, sapaque, & oleo. Frigere & in sartagine licebit ex oleo, vel minorẽ integram, vel maioris frusta, farina priùs, aut vtriculis circunuolutam; exque aceto, aut omphacio, aut Arantiorum succo edisse.

Opsonia retulimus ex Piscibus, qui ipsi optimis Authorib⁹ opsonia propriè sunt. Restant ὀψάρια, Pisciculi scilicet minutuli quidam, Gobij fluuiatiles, Cottique, Aristoteli aliquãdo βοίτοι proculdubio dicti: nunc Marsones vocant Italorum quidam, nonnulli etiamnunc Bottos, & Germanorum plurimi Coppen, non multùm sanè deflexa à Cotto voce: pisciculi item huiusce propè generis alij, Funduli, Pfrilli, & quos Staimpeisseros, quasi Saximordos eadem gens nominat, Cobitides: omnes fluuiatiles, nec in suaues planè, nec in salubres, si ex optimis locis sint: omnes ad frixuram.

Eodem & Ranæ commodissimè venient ex oleo, aut butyro in patella. Edenturque


turque salubriter (neque enim maiorem aut præparationem, aut condituram morantur) ex aceto & sale, aut Arantij Limonij've succo, aut omphacio, eodemq; commodè liquore perfundentur sæpe. Alijs alia magis placent, & elixos hos fortè præferet. Salubriter ita facito: Macerato haud ita diu antea minusculos quodcunque genus Pisciculos, salitoque: mox feruenti in cacabo aquæ inijcito: exemptis impositisque patinæ feruidum, acreque, cum inferuefacto zingiberis aromate acetum superinfundes, & mox butyri insuper benè calidi per omnia partem.

Cancrorum pariter fluuiatiliũ coquendorum ratio ad artis Salubris rationes simplicissima: Ollæ aut cacabo impositos viuos aqua vinoque obruis, salisque & piperis polline cõspergis, quod æquum esse videatur: elixas, donec rubrũ illum vndique saturum colorem contrahant: comedis ex aceto cum zingibere & pipere.

Intactos relinquimus, vt opinor, nõ ita multos Pisces, edules qui sint: potissimos quidem delegimus, quorũ traderetur præparatio, & coctura. Neque aliquem reperiri posse existimo, neque Marinorum, neque Fluuiatilium, neque Lacustrium, neque magnorum, neq; minusculorum, qui non aptè atque concinnè, ac pro Salutaris artis, quam nunc tractamus, ratione, modoque reduci in dictarum aliquam præparationum, aut coctionũ, possit. Cupedias multas, & superuacanea de his à gulonibus, & cupidinosis prorsus Apitiana quædam, ac delicatas nimis in hoc tantùm quæsitas dapes, de industria omisimus. Neque enim fuerunt illinendæ hoc atramẽto chartæ non necessario, & reliquã tractationis partem dehonestaturo, in qua nunquam decidere debuimus à proposito tractandorum, quæ rectà tantùm in sanitatem contenderent, nusquam à salutis nostræ Tutricis, retinendæque valetudinis prosperæ authoris Artis vijs ac legibus, quantum fieri à nobis potuit, deflectentes. Dicenda restare videntur de Artocreis, & Intinctibus, & Bellariorum genere pauca.

Artocreatis compositio varia ex Carnibus, Herbis, herbaceis, arboreisq; fructibus, ac frugibus: Nutriendiq; vnà vires ostensæ, & vitia.

CAPVT XIIII.



Rtocreata vocemus sanè, quas vulgò Tortas dicunt, aut has, aut proximas his. Nã quæ esse fortè Artocreata quoque poterant, suprà Pastæta diximus, præterea ea, quæ carne paneque parari docuimus multa, & vocari meritò Artocreata possunt. Nunc Tortas, siue meliùs Tortos orbes nuncupemus, vel Artocreas hoc genus, vel quo alio appellãs se nomine libuerit, non perinde retulerit. Earum exempla ponemus, vnde trahi in multa alia compositionis ratio queat: simul bonitatem, & malitiam detegemus eorum, vt quas vitâsse, quásve in vsum recepisse conueniat, ne ignoremus. quanquam bona sanè illorum pars, quam nos penè omittemus omnem, abijcienda imbecilliori ventriculo, valenti & robusto ex vsu aliquando futura, vel non obfutura saltem. Neque propterea tamẽ, si qua hîc scribuntur à nobis huiusmodi, in eam gratiã scribuntur, vt vllo absque discrimine vtamur: sed adhibenda omnibus etiam antedictis rerum differentia. Quod nisi fiat Arte in omni, nõ eius cessurus cuiquam bono vnquam vsus sit: quoniam temerè semper, ac fortuitò casura sint, quæ certa gubernari ratione, recteque atque ex ordine semper fieri debent.

Hoc, quod primum descripturi sumus, verum Artocreas dixeris: ex farina nanq; subacta, siue pasta, quasi panificio, & optimi generis carne constat. Habet autem ita: Vitulinæ, vel Hœdinæ, vel Capi benè elixæ carnis accipis, quantum satisfacturum esse videbitur Artocreati conficiendo, quod octo fortè conuiuis apponatur. minutim hanc concidis, aut in mortario tundis: casei recentis veterisq; addis, vtriusque non multum, apij, origani concisorum pauxillum, oua sex: hæc diffringis & commisces. tum vitulini huberis quod voles piperis, cinamomi, zingiberis modicum, croci quo colorentur tantùm omnia, adijcis. Massam ex his omnibus facis, quam complanas in orbem, & ex altera massula subactæ farinæ folium tenue itidem complanatũ substernis, vel toti etiam circũducis: coquis in clibano, vel sub testa, vel in furno. Edulium hoc alimenti in se non parum sanè continens, & eius non pessimi succi, si vna dematur farinacea massa: quæ tamen pauca est prò rata reliquorum parte, non vsque eò validarum virium ventriculum, vt conficiatur, exposcet, cui etiam nõ incommodabit, quanuis paululùm in calidum vergere videri possit. Nutrimẽtum proueniet inde corpori durabile satis, nõ sine obstruendorum tamen meatuum, per quos deferri id necessarium est, periculo. Hoc sit specimen compositionum harum de carnibus.

De herbis concinnandarum, illud: Betæ folia composita, sinistraque manu digitis comprehensa, pugno facto, quæ extant dextra cultello sectim minuuntur: meliùs ita

ita respondebit cōpositio multo, & quoddam tanquam corpus existet, quàm si in tabula cęsim comminuantur. Horum maxima esto pars: comminutis deinde infrianda medijs optimi casei libra, oua quatuor infringenda, piperis adijciendum aliquid, croci multo minus hoc, butyri suffervefacti inijcienda omnibus nō quota compositionis totius pars: tum diligenter miscenda cuncta, circunducendaque manibus, complananda. Eadem extensæ in tenuia veluti folia subactæ ex farina massæ materia concludenda, eodem, quo suprà ostensum, coquēda modo. Si in clibano, aut sub hoc: non subijciendus solùm ignis, sed superiùs etiam opertus accensis carbonibus onerandus clibanus, vt supernè quoque ignē accipiat. Peractam cocturam dices, vbi superior pars attolli parum visa: quā speciosam faciunt disiecto, comminutoq; ouo, atque illito. Mali alimenti ferculum hoc, malique succi generans, & in corruptelam abire facile, nisi in tēpore deijciatur, quod præstare beta potest. Apij, aut amaraci, aut origani addi aliquid ab aliquibus solet: id videlicet ex parte aliorū noxis opponitur.

Ex Cucurbitis, & Rapis ita, quod pro specimine sit herbaceorū fructuum, & radicum: Cucurbitæ benè vndique repurgatæ elixantur in iure aliquo pingui, nō perfectè, tantisper dum emollitæ minima attritione solui in quoddā ceu pulmentum possint. Addetur caseus cum butyro, & liquamine aliquo: omnium non planè multum: zingiberis item, & cinamomi parum, sacchari multo plus, oua quinque, quatuórve, lactis ad hæc adijcitur pars: colorem induūt croco. Extenuata in folij modum, vt sæpe iam monstratum, farinacea massa vndique vestiunt, commixta diligenter omnia, & eodem modo coquunt. Diuersorum hæc generum, nec alimenti boni, nec multi, mixtura; & si in ventriculum inciderit quoquo modo imbecillum, perquàm corrumpi facilis, nec leuiter quidem, ob lactis ac Cucurbitæ trāsitum in corruptelam facilem semper, prauumque: minus in parata ex Rapis noxæ.

Non secus arboreos fructus, poma, pyra, cydonia, pruna, cerasa, palmulas, etiam castaneas, etiam amygdala, foliaceo eodem includere ex subacta farina tegumento, & incoquere possis, emollita priùs elixatione aliqua, vt castaneas, pomaque, & pyra, solutaq; in pulmentum, pariter & cydonia, additis quæ in priore dixim⁹, modò omnibus, modò aliquibus tantummodo. Quanuis hæc ipsa pyra, pomaque, dissecta ceu in nucleos; pruna verò ac cerasa etiā integra parare eadem omnino in speciem, sed longè simpliciori ratione, licebit, ex sacchari solùm & aromatis alicuius additione, quodcunque adlubuerit magis, præparata.

Quorum omnium æstimanda facultas ex propria primùm cuiuscunque natura, ex quibus veluti corpus compositionis totum consit: tum, quo vnumquodque in numero fuerit, videndum, quantum cuiusque iniectum, augeatur'ne additamentis illis principalium magis facultates, an retundantur, emendenturque: vt pyra hîc, & poma, & cydonia, suas ostensura facultates sint, quas alioqui obtinent, sacchro tamen ex parte & aromate non pessimè castigatas: etiam inditum butyri aliquid non malè cesserit. at lac additum, vt in superiore Cucurbitis, Rapísve, nec commendationem insignem aliquam palato adfert, & multo plus noxæ, simul & suspicionis malæ intulerit, qua cùm ipsum corrumpitur facilè, tum secum eodem reliqua trahit. Porrò autem caseus, vt natiuæ aliquid malitiæ demat cucurbitæ: at, nisi totam euincat, nocumento potiùs futurus sit, illam ipsam diutiùs in corpore detinens, vnà & per corpus deuehens, hæsuram sæpiùs in viarum angustijs multis, cum succi sui prauitate: ipse autem renum calculo obnoxijs manifestum periculum creaturus, suboriendi statim affectus eiusmodi. Ad eundem modum de alijs omnibus iudicādum.

Ex Oriza ita parato, quod pro exemplo habeatur reliquarum frugum: Orizam ex iure pingui aliquo elixam (melius hoc, quàm ex lacte: quod tamen nonnulli faciunt) in tabula expandito, tantisper dum humor omnis efluat: indito deinde in catinum, & casei parum recentis, intritique adiungito: oua quot voles, aut esse satis videbuntur, tudicula agitata comminuito, inijcito, misceto simul cuncta: diducito compressa in planū, foliacea, toties iam relata, ex farinæ subactæ ad panificium membrana subter, suprà, vestito: coquito, quo antea indicatum, modo. Alet hoc egregiè, præsertim benè valentem ventriculum nactū, & durabiliter; riteq; ac rectè confectū, sanguificatumque, non multum relinquet in sanguine vitiositatis succi: nec aliam ob rem damnosum, quàm ne qua inter meatuum angustias hærens moretur, & renū affectui causam præbeat, ea illi omnino inhæret culpa.

Modus futurus non sit, si persequi, quæ sese nobis hac operis in parte offerūt, cuncta velimus. Itaq; sunto hæc aliorū omniū, quæ tradi potuissent, pro exemplo satis.

In quam gratiam parari Intinctus debeant. Sinapij, Alliati, calidorum item Intinctuum, & temperatorum, & frigidorum, dicta concinnandorum ratio, ac vires.

CAPVT XV.



Eandem rationem sequemur in Intinctibus tradendis, qua potissimos ac præcipuos, salubresque, aut ad salubritatem opsonia, quibus ferè apponũtur, castigantes, afferemus, instituti vbiq; nostri memores, quòd in vnam semper intuendum nobis esse Sanitatem ab initio proposuimus, eiusque vnius inprimis leges persequendum: cuius quoque, vt ego quidem existimo, inuenta omnium primùm gratia fuêre hæc, vt gustum quidem quoque lacesserent quandoque intermortuum, verùm id ad alendum tantùm corpus iustè, minimè verò iniquè onerandum: & vt, quod modò diximus, multorum opsoniorum, non vsque adeò salubris plerũque reperta, correcta ex parte emẽdaretur ita qualitas. Cæterùm eo nobis minor hîc suscipiẽdus erit de his labor, quòd iurium & iusculentorum multa, quę antea non pauca dedimus, condimentaq; ad hæc quædam, Intinctuum sæpenumero supplere vicem queunt, vt vel Embammata ipsa, vel pro Embãmatis sint, præsertim liquidiora inter hæc, qua ferè constitutione apud veteres Embammata & Intinctus erant. Nam Moretum, & Minutal aliqua accepisse apud eosdem videntur, quibus crassescerent, proque opsonio magis, quàm pro Intinctu, haberentur.

Principatum in his obtinet meritò Sinapis, vel paratũ potiùs ex hoc Sinapium, quo egemus ad opsonia, incidi & detergeri quæ desiderant; frigoreq; & humore nimio redundãtia, quæ temperamentũ quærunt. Parandi modus is: Simplicissima illa ratio, macerandæ aliquandiu priùs in aqua, tundendæ deinde terendæque Sinapis, postremò omphacio, vel aceto diluendæ. Compositior, si dilutæ mustum cum defruto addatur, & cinamomi, & zingiberis, & caryophilli aliquid. Solent & pyrorum frusta, & cydoniorum incoctã adijci. Ritè cuncta: nam & ex cinamomo, caryophillo, zingibere, malitię multum tollitur; & acrimonia nimiùm quàm infesta illa, quam sceleratam aliqui appellauêre, quoquo pacto retusa mitigatur pyris & cydonijs. Etiamnum compositior euadet, si vuas passas, aut tosti bucellã panis, aut malarantij corticum tessellas cõieceris eodem: dilutiora tamen omnia vt sint. Quam deferas quocunque peregrinere, Sinapium, & ad manus habeas, quum voles paratam, talem tibi facito: Sinapi cum vuis passis contundito, vnà misceto cinamomi, ac caryophillorum partem: in pilas, vel placentas orbiculatas componito, & siccato in tabula: quocunque perueneris, quum vsus poscet, omphacio, aut aceto, aut sapa, aut vino diluis, & vteris.

Alliatum excalfaciens & hoc, siccansque, detergens, flatuum discutiens, olidum quidem illud diu, vt postridie manè multi sæpe pridianum oleant: sed frigidioris atque humidioris temperamenti cibarijs duris, crassisque, viscidis, flatuosis, non incõmodè apponendũ. Cõcinnabis in hunc modum: Sume nuces iuglandes aliquot, idipsum, quod verè & propriè de his dicitur, enucleatas, vel, si mauis, amygdalas: tunde in pila, vel diffringe potiùs primò, tum allij nucleos adde, quot voles, ac diu simul omnia multumque tunde, tereque: caue oleaceus liquor exeat, quod sæpe fit inter tundendum terendumque: vitabis id affusis subinde aquę guttulis. Redigere in orbiculares massulas planas, sphæricásve, vt de Sinapi dictum, potes, eadem circunferendi secum commoditate. Quum vsus venerit, panis medullã ex iure aliquo emolli, & inde: eodemque deinde, quo emollitus panis fuerit, iure, aut quo alio, dilue totum, vt Intinctus existat benè liquabili consistentia. Alliatum aliud: Vmbellas fœniculi aliquot, nondum prorsus quæ defloruêre, aut recentes, aut diu collectas, siccatasque, (decerpũtur enim ad multos ita vsus) cum allij nucleis diligẽter vnà tundes, comminuesque, omphacio dissolues, & percolabis. Sapæ addidisse aliquantulum, aut vini, aut aceti, vel (si omphacium in promptu non sit) Arantiorum succum, non inconueniet.

Calidi item tẽperamenti Intinctus quidem, sed non æquè ac superiores, iccirco minùs frigidis, sed non humidis minùs dapibus, aut ferculis associãdus. Egregiè nanque reficcare potest: quin & incidendi, & detergendi, & attenuandi satis illi viriũ. Vstulati panis sumentur veluti assulæ minimi digiti crassitudine: incisæ in feruefient in aceto & sapa, atque indidem dissoluentur, percolabuntur: piperis & cinamomi indetur plu erati vtriusq; aliquid, croci non multum, si croceus Intinctus placuerit. Nasturtium item cum sale conteres, atque Arantiorum succo, aut Limonij, aut Citrij, addito cinamomi modico, dilues. Calidorum Intinctuum, contrarij generis cibarijs adhibendorum, satis iam.

Nunc temperatiorum, aut subfrigidorum, frigidorumq; paucos quosdam scribemus hic. Paratissimum eundem, ac simplicissimũ habebis, ex Citrij succo, Limonij've, aut Arantiorum, cum cinamomi pauxillo, & saccharo. Benè attemperatũ ita: Vuæ nigræ acinos cum panis medulla

tunsos

tunsos percolato, misceto omphacij, acetive modicum, semihoræ spatio feruefacto cinamomi & zingiberis polline concinnato, percolato iterum, & vtere. Eiusdem propè temperamenti, qui sequitur: Exossata pruna vino nigro maceras: eodem tosti bucellas panis, & amygdalas aliquot cõijcis, contundis simul omnia, omphacio multo diluis, Arantij've, aut Limonij succo; sapamque, vel saccharum addis, cinamomi quoque sub extremum aliquid: percolato vteris. Item: Ouorum duorum vitellos, ac benè tritas tunsasque amygdalas commisces; omphacio, vel mali Punici succo dissoluis; tunsum zingiber, & per tenuissimum cribrum trãsmissum, adiungis, & percolatum apponis. Et temperata quidem satis Embammata hæc, vel non magno certò à temperamento recessu in hanc, illámve partem, inclinant.

Illa apertè iã frigidioris facultatis: proinde æstate potissimùm illorum vsus, vel quum calidiorum fortè epularum cõtemperamentum quærimus. Mora vtraque, alba nigráve, & tam Celsi, quàm Rubi, acida item cerasa, corna insuper, sed hæc benè matura: neq; tamen cuncta hæc simul, sed ex his vnum aliquod tunsum, tũsis itidem tritisque benè amygdalis commisceto: omphacio, vel Limonij succo, vel aceto diluito, momentum zingiberis addito, percolato: vtere æstate, nam æstate hi maximè vigent fructus, quo diximus modo. Cæterùm hyeme (nam & in hyemem acida iam sæpe cerasa seruantur) hæc ipsa aceto, aut Limonij succo macerato, & idem facito.

Embamma aliud viride refrigerans: Vitium pampinos teneriores, siue capreolos, oxalida, & tritici herbam cõtundes simul; omphacio, vel aceto dilues: sacchari, si qd addere voles, potes. Exemplorum in his satis. Reliqua enim huc redibunt omnia, quæcunque paraueris huiusmodi, nec sanè immorandum diutiùs iam in his. Quapropter & de Bellarijs paucula.

Bellariorum enarratio multorum, & vsus. Martij panis, & Crustulorum, & Pugillarium conficiendorum modus.

CAP. XVI.



OLim secundas mensas ornabant Bellaria, quæ onustæ his inferebantur à seruis, amotis subductisque primis. Nunc missus habemus varios, ac multimodos, quos eidem semper mensæ inferimus, multo sæpe, quàm bis, pluries: vti iam numerum quoque horum excessèrimus, sicuti modum antea excessimus epularum, ac tertiò & quartò missibus his onerari viderim primatum mensas, coceruatis accumulatisq; alijs super alia ferculis, magno profectò luxu, vt nisi indignabundus aspicere hæc vir frugi nequeat. Postremus tamen nunc etiam relictus, vt olim, Bellarijs locus, hodieque eodem propè, vt tunc, dulciario opere omni constant. Placentæ illis erant mellitæ, plurimaque eiusmodi edulia, eaque multis sæpe figuris variata. quod ita Martialis carmen ostendit:

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruit, huic vni parca laborat apis.

vt sciamus ex melle constare, & figurata fuisse. Quę apud nos quoque mansit consuetudo, conuerso tantùm mellis vsu in Saccharum: tametsi ne mellita quidem hodie nobis desint opera multa: vicit tamen Saccharum, &, vt vbique iam ab omnibus præferretur, obtinuit. Non immeritò: non solùm quòd delicatius, sed quòd multo plurium haberi huiusmodi præparationum materia perquàm commoda potest, pluribusque operum modis concinnari. nec diuturnitate cedit, nec salubre penè dixerim melle ipso minùs: gratius certè, & detergendi vi pollens ipsum, melle in hoc non valde multùm inferius: minoris quidem caliditatis, vt hac gratia in sanitate etiam præferendum habeas melli.

Sed, quod dicebamus de formarum diuersitate, quas innumeras penè suscipere Saccharum potest, id sanè quotidie nobis ostendũt Dulciarij pistores isti. Mitto Diacydonia, quæ dicimus, quæ eadem parari ex melle non minùs possunt. Sed tot Placentularum genera, quæ succum, quæ carnem illorum ipsorum Cydoniorum, Pyrorum, Malorum, fructuũ crediderim posse omnium, mira iam arte cum Saccharo accipiunt durabilia; tot Amygdalarum, Pistachiorum, Pinearum, Auellanarum, Arantiorum corticum, Cinamomi, Caryophyllorum, Anisorum, Coriandrorum, etiam Fœniculi seminis, etiam Melonum, & Citrij, etiam quicquid concupiueris, incrustationes, quum mirificè simplici, duplici, leni, crispo, veluti tectorio opere, inducuntur. Iam animalium species omnis generis, quorum non, quæso, effingunt? expressas ad viuum, quarum nõ stirpium, quorum non fructuum ementiuntur? vt ipsissima sæpe omnia, ac verissima esse credere cogaris, imagines, Citria, Cydonia, Nuces, Amygdala, & quid non? forma prorsus sua, & specie repræsentatum, ac simillimo simulachro vnumquodque. Hæc eò attuli, vt prouocâsse nos vetustatẽ etiam his artibus non ignoremus.

Bellariorum vsus, præter elegantiam, captamque inde saporis iucunditatẽ, etiam

ille, vt cludatur ventriculi os, quod ex Diacydonio fit; iuueturque simul cōcoctio, & vitetur cruditas, quod ex eodē hoc: sed additis aromatis, vt detergatur pituita meliùs, cuiusmodi detergeri sæpe experimur assumptione statim horum; & vt cōstrictę deinceps siccentur partes absterſæ priùs, quod recocti tessellæ panis sacchareique prętant, & ipsius inter Bellaria connumerandi, cum Pastillis ex saccharo omnibus, & Crustulis, & Pugillaribus; quorū exemplis paucissimis quibusdam contenti erimus, & finem facimus.

Martiū panem vocant, is ita optimè parabitur: Amygdalæ, quæ diem noctemque totam in aqua maduerint, decorticatæ sumuntur, tunduntúrque diu ac multùm curiosè, ac ne in liquorem oleaceum abeant, cōtinua aquæ aspergine prohibitæ: tunsis tantundem adijci debet sacchari optimi, & cum benè odora rosacea aqua commisceri. Quæ deinde massa in orbem planum, tenuemque, spathula lignea aliquid semper secum aquæ rosaceæ accipiente extenditur, quasique torquetur, vnde Tortos appellatos orbes hosce existimârim. coquitur, aut in furno, aut sub testa. Ex eadem materia Pastillos oblongos facies, vel in quam volueris formam adduces, & similiter coques.

Crustulum ita paras: Farinæ pollinem subigis aqua, tanquam in panificium; sed butyri recentissimi, & sacchari portiones iustas addis: subactam massam culinario ad id facto cylindro exæquatam diu versas, complanasque in foliaceam propè tenuitatem longè lateque protensam. Palmares ferè quadras ex hoc facis: incisuris medias diuidis, vt margines tamen cohæreant: alternis indis rudiculā incisuris, vt inuicem dispescantur: sic exceptas feruenti, atque optimo butyro temporis momento incoquis. Crustula exeunt, hodie etiam à multis sic dicta.

Pugillares hoc modo parato, quos ita vocare visum est, quòd pugillo cōprehendi, vt chartacei solent, possunt: Tepida saccharum dissoluito, triticeæ farinæ pollinem indito, minutatim semper, donec crassescat parum, ad melleam ferè cōsistentiam; ouorum lutea vnum aut alterū, cum butyri portiūcula eliquati, ac piperis momento, adijcito: massa existet liquidior. Intereà cōcalescit ferrea parata in hoc forceps, duabus in extremo inuicem sese comprimentibus regulis, orbibusque, animaliū aut gentilium familiæ insignium imaginibus, aut literularum charactere inscriptis, exculptisque ad elegantiam. Harum alteri imponitur cum cochleari ex liquidiore illa massa, quantum Pugillari satisfacturum sit diducendo vni. Compressu vtriusque orbis sponte sua diducta distribuitur per totum massa: igniti dein iam ferri calore ex succensis carbonibus vix vtrunque forcipis latus igni obuersum incaluit, & circunuersatione ea cocturam accepit. Demitur canulæ inuoluta etiamnum calescens, & Pugillaris fit: nostri Stortas, & Nebulas alij appellâuere, Hollipas Germani. Liberiùs de ferreis illis orbibus detrahes, si ex melle paraueris. nam ex saccharo hærēt, nisi festinatò torrefactos cōuoluas, & auferas.

Huc pertinent, ac tāquam Bellariorum classem explēt, rerum multarū conditura, fructuum inprimis, sacchareo aut melleo liquore cōseruatorum, quoscunque conditaneos habemus, Poma, Pyra, Mespila, Cerasa, cum cortice suo virentes adhuc Nuces, Myristica quoque ipsa, & aromatum reliquorum quædam. Accedent & Salgama ex parte. Enimuerò cuncta non parum propriæ naturæ amisisse, & alienæ accepisse iudicanda, atque ideo de pręsenti virium facultate æstimanda semper: vt mirum videri non debeat, si qua fortè ex his in secundæ mensæ vsum, neque id absque sanitatis tamen commendatione, alia propè iam diutino condimēto facta, veniant. Consequens esse videtur, vt deinceps de Somno agamus.

IVLII

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

Somni necessitas, & differentiæ. Obiter de animæ nostræ vehiculo spiritibus, Calido innato quadam.

CAPVT I.



Aturâ, si qd aliud, institutus necessariò maximè, atq; vtiliter somnus videri iure potest, vt diurnis, aut cõtinuis alioqui intelligẽdi, sentiẽdi, mouendiq; functionibus imminuti, quas vigilando ineunt, spiritus nouo alimento refocillarentur, perituri ex toto, & vitæ, quæ sentiendi atq; agendi inprimis facultatibus constat, deserta munia relicturi, nisi assidua quadam cessationis ab agẽdo vicissitudine recrearentur, instauratique ad obeundas fortiùs deinde actiones suas alacriores redirent.

Cessationem accipio exteriorum sensuum in plenum, si verus sit somnus. Nam complures in inchoato tantùm, aut certè imperfecto, audire & loqui videmus, surgere etiam quosdã, & ambulare solitos audiuimus. Quod vt faciliùs credamus, Galenus facit, Stadiũ se noctu progressum dormiẽtem, & somnium vidisse, hoc ipsum de se aliquando (De mot. musc.) testatus. At in perfecto expansa prorsus videre est mẽbra, resolutosq; in segnitiem extremam & immotam artus, conferentibus se altiùs in interiores recessus animalibus spiritibus: at non vsq; adeò, vt, quãuis extremam segnitiem dixerimus, destituta prorsus tamẽ aut demortua penitus iaceãt corpora: quando vel qui ex ebrietate, aut labore nimio defatigati, vel viriũ debilitate somno corripiũtur, quanuis cũctis corporis partibus exoluti, vni propè dormientium omniũ perfectè quiescant; nontamen nullos prorsus in his motorios spiritus inesse existimandum sit musculis, quos statũ corporis seruare, non qualem cadaueris tamẽ prorsus, videmus. Itaq; in quamlibet altũ dormientibus, tantũ quibusdam corporis partibus superesse spirituum horum necesse est, vt & viuentis positum tandem aliquem seruet corpus; & respirãdi functio, quę neutiquam absq; his perfici potest, ne tollatur, motusq; ita voluntarius ea etiam in parte peragatur, feriantibus intereà tamẽ sensoriorum spiritibus omnibus particularium; manẽtibus autem, operatisq; semper, vitalibus, ac naturalibus: quorũ alteri, vitales, nunquam ab opere suo desistant, minima tantùm quadam temporis intercapedine, quam rationibus potiùs colligamus, interciso cordis expãsionis & cõtractionis motu: naturales verò etiam feliciùs tũ agant, atq; operentur vehementiùs. Simul hoc fit, vt intrò recurrant ad recolligendum se in somno animales spiritus motorij, sensorijque, simul caloris innati cum his vnà reuocatione ad foci sui interiora.

Vniuersa illa concoquendi alimenti in officina sua œconomia citiùs perfectiusq; elaboratur, incumbẽte in id vnũ ferè tunc opus, nec in alia distracto natiuo calore, quem cum spiritibus simul, & sanguine, in quo sedem hi suam locauêre, refugere intrò, rursusq; foras sese agere in multis scimus, magna cũ his affinitate coniunctum, vt quibus opera semper sua communicet, instrumentisq; ad plurima vtatur. Nã idem prorsus esse, vt Sapientium quibusdã placuisse video, nõ existimabit, qui Calidum nobis innatũ non quidem cœleste esse corpus statuerit, illustre illud splẽdidumque, quo deuecti deorsum de cœlo huc in corpora animi nostri immigrent; sed quod hoc ipsum excipiat, (neq; enim, quid prohibeat, video) elementare omnino, at purũ syncerumq; maximè: Spiritus autem (quoniam æthereũ id, quod diximus, atq; æternum corpus, prorsusq; cœleste, animarum vehiculum nostrarum, contrariæ ex toto conditionis addi corpori nostro huic, quod circunferimus, terreno, mortali, caduco, nullo alio interueniente, haud par fuerat) quoddam ceu vinculũ existimandos, quo duo diuersa inter se hæc in vnum coniuncta copulentur, & connexa concilientur corpora: vehiculum, inquam, illud cœleste primum, & nostrum hoc. Porrò idipsum vt præstare possent spiritus, corpus eos esse oportuit, quod ad cœleste proximè accederet: aẽreum quippe, purissi-

mum, ac veriùs æthereum iam ex maximè omnium syncera defæcatissimaque Elementorum in sanguine parte genitum; & à Calore tamē innato (propinqua nimium licèt hæc inter se sint) quodāmodo diuersum. quoniā in semine calor is vnà ac spiritus confessione omnium eodem tempore diuersi sunt, vtpote quorum opera Calor deinde natiuus ipse, animaque vnà nostra, temporis momētis propè omnibus renouatorum, (quod de Calido innato affirmari rectè non potest) obeundis varijs, multisque functionibus, assidua vtatur.

Contra Recentiores quosdam, qui Quadripertitam inuehere, in Medicina legitima placita, innati Caloris differentiam conati sunt.

CAPVT II.



Mihi verò nostri seculi Sophistæ Medici ne obstrepant, deducere nos è cœlo vociferantes corpus, quod pro Calido innato nobis futurum sit. Non deducimus: ex Elementis ortum originemque suam Calido innato, insito, natiuo constituimus. at eidem (neque quid obstare possit, video: ipsi si vident, proferant) illapsum insidere posse cœlitus demissum cum anima sua vehiculum, quod sic vocant, censere me posse arbitror, tanquam quanuis elemētari, purissimo tamen elaboratissimoque, proinde cōuenienti etiam cœlestis illius receptaculo ac domicilio futuro. Cuius sententiæ specimen quicunque se capere ex Aristotele posse non videt, nę is captum intellectus humani, propè dixerim, nullum habet, tam quidem disertè atque dilucidè inprimis (quod perquàm facere raró Author ille solitus sit) pronuntiatis quibusdam, vnde colligere, quæ diximus, haud ineptè prorsus liceat. Quid enim sibi volunt illa, (De gener. anim. ij.) πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων ςοιχείων. & reliqua, quæ legere volenti cuique est? Quid illa? κ̀ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογος οὖσα τῷ τῶν ἄςρων ςοιχείῳ. vt diuinum quoddam, cœlesteq; corpus primò, deinde spiritum etiam intelligeremus quendam, mox pergentibus eadem operis in parte vox etiam audiretur, ἡ ἐν τοῖς ζώοις θερμότης, qui insitus sit animantium calor. Quid alia aliquot deinceps versibus eodem loco adscripta? Quæ fidem facere potuisse eruditioribus video, Calidum innatum, cœleste habēdum penitus corpus esse, non prorsus nulla ad id ratione adductis. Sic enim deinde ait Author idem, eadem operis in parte: ὅτι μὲν οὖν ἡ ἐν τοῖς ζώοις θερμότης οὔτε πῦρ, οὔτε ἀπὸ πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχὴν, ἐκ τῶν τοιούτων ἐςὶ φανερὸν. Clarum apertumq; esse dicit, caliditatem in animantibus, neque ignem esse, neque initium ab igne trahere, idque in sententiæ suæ de antedictis determinatione: sic, vt non admodum certè refractariè repugnandum esse existimem, si quis hoc ipsum quoque sequi in animo sibi proponat, Calidum innatum cœlestis in totum naturæ existimari debere: aut, si non hoc, quoniam analogam fecerit, non vniuocam Syderum elemento naturam hāc, ἀνάλογος οὖσα, inquit, τῷ τῶν ἄςρων ςοιχείῳ: illud aliud affirmare nobis liceat, non esse quidem ignem hoc, neq; verò ab igne principium suum ducere, quatenus vulgati in eo ignis nostri huius opera non appareant, sed altius quoddam nobiliusq; repeti inde initium, quod Elementorum con fer-ruminatione, Solis quoq; ac Syderū, conuenientiū eodem, ope elaboratissima, proportione tandem quadam responsurū sit astrorum elemento; hacque analogę naturę affinitate, verè quoq; cœleste corpus exceptum cœlitus demissum, particepsque hoc demū pacto cœlestis ipsius naturæ benignè semper calorificæ futurū: vt, si quis consideratis diligenter innati Caloris ipsius operibus, quibus ab initio gignimur, alimur, augemur, fouemur, à noxis multis custodimur, imminētibus malis defendimur, præsentibus sæpe profligatis liberamur, neque fieri hæc facilè absque cœlitus instillatæ potestatis alicuius auxilio posse videat; deinde magnam huius partem, & veluti caput totius, cœlestem illum, ac viuificum calorem esse, quo cunctę in bonum directę tendant functiones, arbitretur; non ineptè prorsus, neque incongruè arbitratum fuisse opinabimur. Nec à veritate abesse multùm credemus, si ex ambobus his vnum diuinitus informatum, conseruandis regendisque per omnia corporibus, tāquam tutelæ hac in re nostræ præsidem constitui iudicàrimus. Huncq; ab ortu statim atque initio nobis datum, concessumque nobis, vnicum tantùm, alterius quidem perfectione factum, Calorem profitebimur, qui nos ab origine, atque adeò ab ipso statim conceptu, per ætates omnes, ad supremum vsque vitæ diem protector cōseruatorque noster comitetur.

Non autem quatuor faciemus, vt hi, quos nuper diximus. non eruditiores intelligo illos, sed Sophistas. Qui vt morem suum seruarent, & à natura sua ne discederent, suumque nobis illud alibi quoque sibi toties vsurpatum μύσυλλοντ' ἄρα τ'ἄλλα repræsentarent, Quatuor nobis de suo confictos inuehere conati sunt Calores nati-

natiuos, his verbis: Ita ergo, inquiunt, & calor innatus quadruplex: Vnus, qui in primis principijs est implantatus: Alius, qui humidæ substantiæ ex principijs derelictæ est insitus: Tertius, qui influenti calido inest: Quartus, qui influentem & innatam substantiam simul iunctam sequitur. Hæc sunt verba, in quibus modò non inconsideratior aliquis, nonnihil, quod solidiori tinnitui non satis respondeat, animaduersurus statim sit. Nam insitum illum substantiæ humidæ ex principijs derelictæ, quem secundum faciunt, qualem nam intelligunt quæso? an prior quoque ille non substantiæ humidæ inest, non insitus? implantatum quidem dicunt. sic enim loquuntur. nisi si (vt sunt argutuli, quum nihil opus est) alium insitum, implantatū alium pronuntient. Nos aūt implantatum dicemus, hoc est, innatum secundum quoque hunc. nam insitum, hoc est, aliunde insertum, quî dicere possunt? aut proferant ipsi, insitus ille calor vnde aliunde, vt implantato illi insereretur, aduenire de nouo potuerit. non habebunt, vnde dicere possint. Itaque implantatum, & insitum à natura fuisse vtrunque oportuit. Hactenus igitur non differunt primus secundúsque Calor is: eadem forma, materia eadem. Vbi verò derelinquit materiam vnquam suam Calor, huiusmodi, quam perpetuò regēdam conseruandamque prosequitur, & in qua perpetuò manet, conseruatúrque? Sed neque derelicta est ex principijs, hoc est, reliqua facta substantia ea, (id enim arbitror eos intelligere voluisse) quin eadem omnino, suscepto tantùm huius ipsius innati Caloris opera magis semper magisq́ue ornamento, naturæ scilicet κόσμῳ. Quomodo autem reliquam factam abijciat Calor, quam tum demum fouendam augendámque, suscipiat in infantili, & puerili ætate? hunc enim isti secundum à primo ætatis puerilis Calorem faciunt, reliquarum quoque ætatum omnium diuersum facturi, siquidem illis standum proposito sibi semel suo sit. Nam quousque, ô boni, principia ista vestra appellabitis? vsque quónam progressus principiorum istorum vestrorum Calor, ipse de sede sua decedens, alteri vestro isti Calori succedenti locum vacuum relinquet? In pueris, dicunt, in quibus plurimum inesse Calidi innati eo modo nemo potest dicere, quum semen & sanguis, ex quibus illorum partes sunt concretæ, non ampliùs sanguinis seminisq́ue naturam & appellationem retinent. Quid audio? Sanguis in pueris non est sanguis? aut ex sanguine partes non sunt sanguineæ, & ex semine semineæ, non hac semper denominatione appellabūtur? quod satis sit, vt sanguinis, seminisq́ue retinere naturam posse credantur. At enim concretæ (dicunt) illorum partes sunt. Sed, ô mirifici, nónne etiamnum cōtento vtero fœtui concrescunt semper, perq́ue singula temporum momenta partes, formantur membra sensim, paulatimq́ue siccescentia, (non enim aliter fieri potest) extenduntur, coguntur, solidantur, formam figurámque suam accipiunt omnem? Num propterea alius statuetur in his, à primo, qui cum semine & sanguine ingressus est, innatus Calor? Quorum vnquam hominum cogitatio hæc fuerit, nisi vestrûm, vestriq́ue similium? aut cui Eruditorum in mentem vnquam veniet, vt alium seminis, moxq́; alium formandorum membrorū Calorem faciat, aut facere se posse credat? Quorsum? abeunte primo, vt alter succedat: an manente, vt addatur? Abeunte, nec ipsi velle videntur, & dicere quî possunt? quò enim abibit? aut qua de causa abibit? sponte'ne sua, an expulsus? Maneat volumus, dicent: sed alterius huius accessio fiat. Benè est. Sanè, perquàm benè: quoniam sexti iam diei (nam post id iam temporis in Hippocratica illa genitura lineamenta formationis fœtus apparere quædam incipiunt) defatigatione fessus, (causam aliam nō video) socium sibi asciscat agendis rebus alium necessum est, cui aut partes corporis deleget formandas aliquas, vt veluti pensum suum absoluat; aut operas vnà communicatas suas conferant, vtrobique nimis eleganti exituro opere; certatim quippe vtroque Calore enitente, vt alterum in opere faciendo superet. Videtis, quàm nugarum plena sunt omnia, optimi iuuenes, optimiq́ue rerum Medicarum Studiosi? quorum inprimis gratia hoc abigendorum à vera Medicina noxarum huiusmodi deuorandum tædium sumpsimus hac in parte hoc. Illud autem pulchrè accidit, vt alibi in omnibus Galeno omnium maximè semper aduersati, aut aduersari conati, reuera omnium minimè aduersentur, quippe futilia semper effundentes; hoc loco, vbi Galeno se maximè fauere existimant, sententiamq́ue illius tueri, omnium tamen maximè aduersentur: alibi volentes scilicet, & ex professo; nolentes hîc, & genio suo coacti, admirandi quidam Galenomastiges facti. Etenim in illo ipso aduersus Lycum, quem nos primi, quod sciam, Latinum fecimus, libello, atque huc illum hi in rem suam inconuenienter allegant, eandem perpetuò eiusdem seruat ad extremum vsq; vitæ innati nobis Caloris, per ętates omnes, notionem Gale-

nus: minui quidem eum ſiccefcentibus paulatim membris ſcribens, at aliũ diuerſúmque fieri nũquam. Qui quum in ſemine, & ſanguine inſitus primò atq; innatus ſit, & quod Græci dicunt ἀρχήγονος; quo plus horum fuerit, plus quoque ſemper innati adeſſe Caloris fatebimur: quo minus, minus: alium euadere non fatebimur. Itaq; quoniam generatio ex duobus his tãtùm, ſemine, inquam, & ſanguine: meritò in primo ortus noſtri tempore exacta ſpectabitur innati caloris huiuſce ſubſtãtia, plurimaque, imò tota. Quoniã tota ex calido humidoque, quæ Calidi innati natura eſt, conflatur conſtitutio, atq; ea, accedẽte deinde contrariæ naturæ ſiccitate, non perit tamen ſtatim, quinimò ad multum poſteà multúmque temporis ſuperans vincit, donec inuecta ſiccitate pluri iam vincatur ipſa quoque tandem; perpetuò tamẽ ſempérque manens, múniáque ſua exercens, quouſq; illi per ſiccitatem eam liceat, qua poſtremò tandem expugnata abit. Hæ igitur duæ diuerſæ atq; adeò cõtrariæ inter ſe naturæ ſunt, quas in eodem reperiri poſſe corpore, quemadmodum in febrilibus, nec paucis prætereà affectibus alijs quotidie experimur, operaq; effecta edere diuerſa, ac contraria ſæpe nihil prohibet. Febricitãtes quidem vnà & concoquunt, quod innati Caloris opus habẽdum eſt; & ſymptomatis præternaturalibus multis torquentur, quod febrilis; aliáque prætereà huiuſmodi. Alter quippe naturalis, quaſiq; profectitius in nobis, vtpote innatus, & qui è corporis natura veluti à domino proficiſcatur, ad extremum vſque perſtans, rebuſque ſemper noſtris, & corporis defenſioni conſulens, veluti Tutelare numen: aduentitius alter, & peregrinus Calor, extrinſecus atque aliunde obueniens nobis, ac, niſi reſiſtatur ab altero, nos noſtráque deſtructurus. Hæc aut horum ſimilia quũ in Galeno legerent hi, diuerſáſque naturas notâſſent, diuerſitatem ex ſiccitate, quæ alterius generis Calori debetur, conſueta ſibi in omnibus fermè intelligendi peruerſitate, ad innati Caloris naturam imperitiſſimè tranſtulêre, vt diuerſum facerent innatum Calorem, adſcripta attributáque innato aduentitij differentia. Belliſſimè mehercle. non enim diſpicere aliam poſſum tam manifeſti errati cauſam. Sic fit, vt nec, quum volunt, nec quum non volunt, rectè ſentire, eademque cum bonis Authoribus, poſſint: in altero nempe deeſt voluntas, quum nolunt; in altero, quum maximè volũt, auerſi à veritate, quam intueri luſcioſis intellectus oculis nõ poſſunt, aduerſanteq; natura & ingenio, impetu Chymericarũ phãtaſiarum tranſuerſi acti, aliò, quàm quò Authorum dicta oſtendant, deferuntur. Pergunt, ac tertium nobis faciunt influentem ex corde. Hunc ego perfectionem tantùm quandam innati eſſe Caloris duco, animantium generi debitam perfectiori, quorum ſupra vegetatricem animæ facultates aliæ multæ ſunt, Ariſtotelis ſententiam ſequutus, qui ſic ſcribat, (De gener. animal. ij.) ὡς δ' διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψυχαί, καὶ ἀτιμίᾳ ἀλλήλων, οὕτω καὶ ἡ τοιαύτη διαφέρει φύσις. quum de corporis nobilitate diſſereret, quod proportione ſui quadã reſpondere diuerſis animabus oporteat. Ergo quemadmodum vna per ſe animæ potentia eſt vegetatricis, cui ſuperaddita in animalibus ſenſitiua non duas geminat animas, ſed perfectiorem producit vnam, pluribus quidem quàm vegetandi tantummodo facultatibus, ſed vnam tamen: ad eundem modum per ſe primò ſolique innato Calori, quem implantatum iſti vocant, ſuperueniens, quem influentem ex cordis foco appellant, nõ duos nobis, ſed vnum innatum Calorem edet; at perfectiorem, abſolutúmque magis, nimirum ob nobiliorem quoque vnà animalium ipſorum conditionem. Quæ ſi ita ſe habent, ſicuti profectò habere exiſtimo: cùm peribit ruétque ſtatim ſua illis, quam tertiam ſtatuebant, influentis Caloris differentia, cum innato iam coniuncta, vnáque facta: tum verò, ruente hac, quarta ſimul protinus quoque concidat neceſſe eſt, quam ex innata ſubſtantia calida, & influente, tanquam ex diuerſis duabus inter ſe coniunctis, ſibi reſultare faciunt. Etenim ſi diuerſa duo hæc ſic in vnum conuenire coniungique poſſe putant, vt conuenientibus, coniunctiſque pariter aliud quiddam præter hæc in rerum natura exiſtat: valde abhorrentia à veritate loquuntur, & maximorum Philoſophorum placitis repugnant, quæ non permittunt ex duobus, actu priùs exiſtentibus, vnum, niſi alterum altero perficiatur, confieri. Sin perficitur: iam tertia nobis exibit potiùs, quam illi fecerant, differentia. At hæc corruiſſe iam oſtenſa eſt, aut potiùs in veri, legitimique noſtri, atque abſoluti innati Caloris naturam ſuam migrâſſe, vt vnus tantùm ita nobis eſſet, minimè verò tam multiplex. Nam ſecundus modus ridiculus: tertius, idem qui primus: quartus aut nihil, aut tertius, proinde ipſe quoque neceſſariò ad primum rediens, vnuſque atque idem cum eo factus: vt aut inepta, aut puerilia, aut inſcitiæ cuiuſdam plena, tradidiſſe conuinci omnino poſſint. In hæc quandoque digredimur Studiorum

Medico

Medicorum amore, quæ incorrupta & expedita, non infuscata, & intricata transmitti ad posteritatem in votis semper mihi fuit: vt viarum facilitate inuitati Medicinæ Studiosi, neque tot diuerticulorum ambagibus perterriti, magnis in Arte processibus ad summū peruenire possent. Simul quadripertitam illā Caloris rationem nimium quam veritati aduersari animaduerti, atq; his, quæ superioribus à nobis libris de eadem re prodita sunt, vt refellenda hoc, quo primùm incidi, loco necessariò fuerint.

Somni, ac Vigiliarum explicata natura. Et Medicorum de his dicta cohærere ostensum: Philosophorum quorundam, non cohærere: frustráque super hoc impugnatum esse ab Eruditis nonnullis Galenum.

CAPVT III.



Nobis verò, quod ad præsentis negotij sūmam attinet, de Somno & Vigilia, præter paulò antea allata, illud scire, meminisseque necessarium est, reuocato ad ad interiora in somno natiuo calore, spirituque, externas corporis partes calore suo destitutas ex parte refrigerascere, internas concalescere magis: contrà euenire in vigilijs, vt extimæ calidiores sentiantur partes, intimæ frigidiores. Ideoq; somni beneficio, abdente se tunc in profundiores corporis recessus calore innato, quasiq; ad foci sui sedem remeante, concoquendi semper opus meliùs ac feliciùs peragi solere, quàm vigilandi tempore: in vigilijs autem concoctorum iam cibariorum distributionem per corporis partes vniuersam perfectiùs absolui, eandem ob causam, contrariæ licèt commotionis tunc temporis ratione, nimirū agēte se foras calore ab intimis corporis recessibus, eademq; loca petente, per quæ & in quæ distributio alimēti tota diducta permeat, vt calidi innati reciprocatione hac mutua vltrò citrò facta, tota somni ac vigiliarū ratio formaq; constet, semperq; necessariò in vigilijs extimā corporis superficiē versus sese expādat calor: rursusq; in somno intrò cōuersus recedat, ac præcordiorū partes, cordisque, ac iecoris, quæq; circà sunt, omnes maxima tunc calore refertæ vigeant, fortiterq; in opere suo faciūdo versatæ, egregiè admodū concoctionem per omnia moliātur, magisque semper, quo magis profundior somnus caloris innati vires omnes intimiùs adegerit: tametsi initio confertim ingruēte, atq; incumbente materiæ ipsi ad concoquendum calore, laboriosèque operato, veluti obruente illū materia sæpe multa, crudaque, vt ligna ignem multa, viridiaq; adhuc solent, imbecillitatis cuiusdam indicium ex arteriæ pulsu de se præbeat; mox superior factus, eluctatusq; victor dominatur, & robore confirmatus, vires quoque ostendit suas, ac partibus omnibus communicatas elargitur, veluti ex promptuario, penuque sua in reliquum corporis liberaliter effundens elaboratum primò exquisitè sanguinem, quo membra iam fermè viribus suis defecta nutriantur, tum spiritus simul omnes. Quo tempore, quum maximè somnus, somnique vnà opera vigent, mediúmque huius est; ita maximè cordi tunc robur additur, viresque eius validæ inprimis cognoscuntur, cùm ex alijs, pulsusque ante omnia magnitudine, ac robore. Nam & somni, vti diximus, initio materia, quam conficiendam habet, affatim cōgesta, imbecillius redditur innatum Calidum, idque animaduerti ex cordis motu potest, vbi illi sedes; & perfectò iam concoquendorum humorum opere, si iusto diutiùs protrahatur somni tempus, positum in eo quoque nocumentum est: vt quoniam nihil aliud quæritur ex somno, quàm exacta alimenti concoctio, totiusq; illius officinæ perfecta œconomia, subministrandis, quod satis sit, spiritibus; peracta ea, quicquid vlteriùs trahitur in eo temporis, immoderatum faciet, nulliusq; post expletum iam opus suum vsus, & incommodo non paruo futurum, eo quòd procedens vltrà quàm par sit coquendi potentia, nimij alicuius caloris vestigia impressa operi relinquat, vitæque dissimilimam, quæ actionibus tota constat, dormientis tunc, inutiliterque prorsus sopiti conditionem ostendat, non videntis, non audientis, nihilque rectè aut sapientis, aut intelligentis, nulloque iam somni vsu, contraq; dispēdio potiùs & incommodo, sine motu, sensuq; ac mēte, demortui instar iacentis. Hinc captata mortis ex somno Poëtis frequenter similitudo: si ex immodico hoc, qualem narrauimus, non pessimè. intus enim tunc forisque non magna sanè somni cum morte dissimilitudo, vno propè respirationis, motusque arteriarum interstitio distincta. At tempestiuè initi, & in tempore cessantis, magna in eo somni mortisque disparilitas. foris quidem eadem etiam tum, si spectentur, perstant: intus verò eo tempore, vel cùm maximè, totius corporeæ molis vtilitati ac commodis seruitur, concoquuntur exactè inprimis omnia, repurgatur abiturum mox in alimentum quicquid excrementitij appositum erat, segregantur locis suis

ſuis quæque diſtributæ ac receptaculis ſuperfluitates, demitur cruditas humoribus, ſi qui priùs mundum illum & ornamentum naturæ effugerant; egregiè in omnibus operato natiuo calore, vniuerſáque huius officina, focóque, ac propria ſede, tum maximè operi incumbente; ſimul corde quoque ipſo, in quo caloris huius benè magna ſanè atque ea efficax inprimis pars, vitaliſque præterea facultas, operam ſuam nauante, caloremque tunc iecoris, vicinarúmque circùm partium, natiuum ſuo ipſius maximè fouente perficientéque, nec ceſſante vnquam, robúrque ac vires tunc potiſſimùm ſumente, quum in præcipua ſomni parte, concoctioni exercendæ, totique per omnia cocturæ ritè atque abſolutè peragendæ, vniuerſum ante omnia opus feruet. Arteriarum quippe tunc pulſus magnos validóſque ſentire licet, certum robuſtarum cordis virium, vincentiſque iam caloris, indicium, quieſcente tunc tamen maximè, prorſúſque ceſſante, ſi modò verus perfectuſque ſit ſomnus, principis illius ac communis ſenſorij officio, quod ceu vinculo alligatum ſomno torpet.

Ηρεμία τοῦ πρώτου ἀισθητικοῦ Ariſtoteli quidem eſt Somnus, nobiſque. At nobis nos conſtabimus, qui Galeni placita ſequuti, diuerſa, diuerſiſque in ſedibus repoſita, conſtituimus vitalium, naturalium, atque animalium facultatum principia: vt priores duæ vigere in ſomno queant, & vigentium apparere etiam in corde ſigna, quieſcere tertia ſepoſita alibi. Ariſtoteli reddenda erit ratio, quid cauſæ ſit, quamobrem operatis alijs vnius primi ſenſorij, cuius ſedem ille in corde quoque, vt reliquorum, ſtatuit, munia tunc ceſſent. Etenim quemadmodum vitalis potentiæ, cuius ſine dubio fons, & origo, ſedéſque cor, (id quidem fatemur omnes) agentis, aut qua de cauſa feriantis, certiſſima ex corde indicia petuntur: cur non & primi ſenſorij peterentur, ſi ſedes illi in corde prima, & natiuum domicilium? aut cur vigente vel cùm maximè vitali, robúrque ingens ac vires oſtendente, animalis, qua primaria illa ac communis ſentiendi continetur, ſilet, torpetque facultas, ſi eundem vtraque locum occupat, ſedem eandem?

Nec eſt Sophiſtica hæc Galeni inſultatio, vt ſcribere auſi ſunt Eruditi quidam: ſed ratio eſt, neque tamen hæc ſola, argumentoſa, cui manus dare victas cogantur, niſi rationis ipſi aliquid aliud afferant, quā quod allatū hactenus ab his legimus. Aiūt, multa eſſe in corde principia: primarium τὸ ζωτικὸν, ſecundum τὸ κινητικὸν. hæc nunquam ceſſare, neque impediri ſomno, neque intercipi, id quod res eſt, dicunt. neq; ad rem tamen quicquam. Scimus & nos ita eſſe: ſed rationem quærimus, ſi congeſta eodem à natura principia diuerſarum rerum eſſe omnia credi ſibi volunt, quî fiat, vt hoc ipſum, quod dicunt, non impediatur ſomno cordis τὸ ζωτικὸν ac κινητικὸν, cordis hîc quoq; intelligo; impediatur autem aliud illud, τὸ πρῶτον ἀισθητικὸν. hāc nullam quidem afferunt. Adduntautem, non eſſe hæc τὰ πρῶτα ἀισθητικὰ, ſint τοῦ πρώτου ἀισθητικοῦ licèt. Neque hoc certè neſcimus, ζωτικὸν & κινητικὸν cordis, non eſſe τὰ πρῶτα ἀισθητικά: illud neſcimus, τοῦ πρώτου ἀισθητικοῦ habenda ea eſſe, imò habēda potiùs non eſſe ſcimus, diſtincta enim ſunt. & vt ſint: quid tū? an nō ꝓpterea vel ob hoc ipſum magis, ſi vitale illud & mouēs cordis, ſenſorij primi fuerint, affectis illis, hoc quoq; affici vnà, & vigentibus vigere, perquàm neceſſum futurū ſit? quū nō ſolùm eiuſdē loci ſpatijs contineātur, ſed etiam eiuſdem naturæ legibus coniungantur. Num fortè diuerſitate tantūmodo quadam fieri poſſe autumant, vt aliæ otientur, agant aliæ facultates; atque operoſiores ſolæ ceſſent, τὸ ἀισθητικὸν, τὸ νοητικὸν, τὸ κινητικὸν? Quaſi verò, quòd maior in his ad ſe commouēdum opera exigatur, ideo ceſſare ex toto illas neceſſum ſit. Imò verò, quo vehemētior mouēdi facultas habetur, benè valente, recteq; agente ſede ſua, eo ſanè efficacior detegeretur neceſſariò, aut ſpecimen ſaltē ederetur tunc huius quoq; commotioris nō obſcurum prorſus aliquod, ſi ijſdem principijs, eademq; ſede niteretur, commouentibus ſe alijs, ſiquidem tot ſufficere producendis de ſe facultatum viribus ex toto integris vno tempore non poteſt cor. Nunc torpere totā videmus, proinde alia omnino dicatur cauſa opus eſt operis huius, quærendumq; adhuc reſtat, quid ſit, cur ex eodē fonte ſcaturientium perire videmus alterius facultatis copiā, exuberante alterius; quum eadem ſit cordis ſubſtātia, idemque totius temperamentum, quo cūcta hęc nixa ſubſiſtunt. Non enim, ſi in corde ſiſtūt ſe, deq; eo procedūt, aliud quàm ſubſtantiā eius temperamentumq; ſequuntur. Quod ſi ſequuntur, iā profectò ſic per partes variari protinus id poterit nunquam, vt vni facultati futurum bono ſit, alteri eodem tempore malo; aut vni tātùm functionum ſuarum vim maximam concedat, ſopita prorſus altera. Quanto igitur ſatius eſt, quæ videntur, apparéntque, & aperta ſenſuum fide teſtata habemus, ea vt rationibus ſuis veris fulciamus, quæ firmum robur ſuum vbique ſeruent. At ſeruare hoc, ſi in eodem ſtatuantur omnia,

non possunt; si in diuersis, possunt perquàm facilè. In dissitis enim non sanè perceptu difficilis plùs minùs operandi, nõ operandi ratio, causæq; inuentio, quando diuersum diuersorum locorum, in quibus varia principia, temperamentum varia sequi symptomata, actionesque, haud inconueniat: vt, quod modò dicebamus, facultas alia functiones maximè suas obiens exerceat; alia in totum sopiatur, si diuersæ partes intelligantur, in quibus facultatum harum posita principia collocentur: idem verò eadem in parte non contingat, de principijs, inquam, & facultatum ortu. Nam de exeuntibus missisque indealiò viribus fieri potest, vt aliunde deriuatæ variè agant, quiescántve potentiæ, etiam vt facultatis alicuius fons atque origo in parte ea sit, atque eodem ex alijs missa deferatur facultas alia: vt in cerebro, vbi sopita prorsus iacet animalis potentia in somno, primique ac communis sensorij vis, agente functionésque suas vel tum maximè exercente naturali ibidem, sed aliunde transmissa, facultate, quum maximè animalis, cuius inibi principiũ & fons, ignaua torpet. Cætera, quæ probare idem possent, ac Medicorum partes tuentur, nec sunt huius loci, & omnia iam vulgata. Nobis argumentum hoc aduersus Galenum, seu argu- endi potiùs ἐπιχείρημα quoddam, in recentiorum libris inuentum, non prætermittendum esse visum fuit, ne eruditionis & acuminis opinione eorum, qui hoc produxerunt in medium, veritatem ipsam perstringeret.

Aduersus Sophisticos huius temporis Medicos de Somno, & Somni diffinitionibus multa.

CAPVT IIII.



Liorum porrò recentiorum quoque quidem, sed Sophisticorum, argumenta ad hæc si quis discussione maiore aliqua digna putet, næ huius affirmare ausim nunquam lectione digna deputaturum quenquam, quæ de rebus his aduersus hos prodiderit: in quibus necessum sit, aut nominis sui existimationem scriptorem ludere, aut cum insanientibus insanire, aut tempus nugis terere, quibus illi, quicquid vnquam scripsêre aut dixêre, scribere aut dicere meditantur, contexunt omnia, & seriem perpetuò verborum temerè & inconsideratè prolatorum inaniter vbique totam complent, dispendio Studiorum meliorum maximo, & ad frugis Medicæ messem suo tempore percipiendam, maximis studiosæ iuuentutis totius operarum à recta via auocamentis. Illud vnum tamen, in quo, sicuti antea quum de Calido innato disputarent, ita hîc de Somno & Vigilia differentes, collatis in vnum antegressarum disputationum summis omnibus, sententiam de hoc aperuêre nobis suam, necessariò hoc loco, nisi causæ, quæ prò veritate semper agenda est, esse haberique præuaricatores velimus, addendum, sed paucis: vt breuiter, & cuiusmodi sint reliqua, si præcipua, omnibúsque ingenij viribus elaborata ab his, cognouerimus priùs, sciri rectè possit, specimenque ex hoc accipere nobis demum liceat aliquod; atque instar veræ intelligentiæ, qua maximorum Authorum, totiusque Studiorum meliorum prouinciæ sine controuersia principum, inter quos Aristoteles etiam eminet, dicta quomodo accipienda nobis intellectus nostri facultate fuerint, expendi hinc queat, quaque mentis acie eruenda inde sensa, vt verissima tutò fideliterque animis nostris commissa tradantur, exemplum in hoc statuatur insigne quoddam.

Locus est Aristotelis, opinor, in Topicis, (lib. vj.) nõ antea, si hos sequemur, cuiquam intellectus, aut certè non quo intelligere hi vidẽtur modo. Libet autem paucula inde quędam huc transcribere. ἐνίοτε δὲ διαμαρτάνουσιν ἐν τοῖς τοιούτοις, οἷον ὅσοι λέγουσιν, ὅτι ὕπνος ἐστὶν ἀδυναμία αἰσθήσεως, καὶ ἡ ἀπορία ἰσότης ἐναντίων λογισμῶν, καὶ ἡ ἀλγηδὼν διάστασις τῶν συμφύτων μερῶν μετὰ βίας. In his, inquit, aberrant, quicunq; dicũt Somnũ esse impotentiã sensus, & dubitationẽ contrariarũ ratiocinationũ parilitatẽ, & dolorẽ cõnatarũ partiũ distantiã cũ violẽtia. Addiderat aũt priùs erroris causam in eo, ꝙ passio in diffinitione, vel affectus, vel tale aliquid alicui tribuatur minimè ea suscipere apto; quando affectio omnis, seu dispositio, seu passio in eo gigni apta nata est, cuius affectus, aut dispositio est, vt sciẽtia in anima, quæ affectio quædã animæ sit: nõ videri igitur suũ cuiq; attributũ in his, sicuti nec quum Sanitatem calidiorũ ac frigidiorum symmetriam esse diffinimus, quæ si vera esset diffinitio, necessarium futurum statim sit, vt calida ipsa, & frigida, sana quoque dicantur. In quibus omnibus vnum est, Aristotelis sententia, diffinitionis vitiũ, quòd διάθεσις, quam libentiùs Medici affectũ interpretamur, & πάθος, pro quo si passionis nomen nõ recipitur, pathos maneat, rebus aliquibus non satis conueniẽter tribuuntur. Ita Somnum Aristoteles nõ rectè sensui contributum putauit, vtpote cui ne impotentia quidẽ ea conueniat. Cui igitur conueniet rectè tributum? Animali, respondebit, in quo sensus. Locum hunc

expli-

explicans Enarratorum omnium coryphæus Aphrodisensis Alexander, Est quidem somnus, inquit, pathos, sed animalis, in quo sensus: non autem ipsius sensus. Etenim cuius est impotentia, eiusdem est & pathos somnus. non est autem in sensu somnus, sed in animali. Ex quibus Alexandri verbis non, quo deberent modo, intellectis, suum hi, ingenij proprij calore succenso alembico, stillatitium dogma elicuerunt. Reuera nanque priùs animali conuenit somnus, quàm sensui: imò sensui, quia animali priùs: vt eatenus non competere, aut non suscipi à sensu somnum existimemus, quatenus, non qua sensus, sed qua animal, somnus suscipitur primò, ac principaliter. Sic quidem veriùs, rectiùs, atque vsitatiùs, dormire animal dicimus, quàm sensus vllos, aut primam etiam sensificam partem ipsam. Quis intus dormit? vel audit? Socrates, vt opinor, aut Dion: non, Socratis aut Dionis sensorium primum, aut oculus, aut auris, aut sensus, aut sensiteria aliqua, respondebimus: nihilo tamen minùs oculis quoque dormire aliquem, aut somnum capere animal oculis, non ineptè, arbitror, dicimus sæpe. Et apud Terentium nescio quis, Oculis se suis nocte somnum non vidisse, dixit: vt intelligamus, etiam vulgo sciri, animalis esse affectionem somnum, sed occupatis sensibus: illáque ideo Aristotelis, Expositorisque sui Alexandri, verba admonentium tantùm sint, ad exquisitam magis diffinitionum structuram, cui quæque priùs ac potiùs insint affectiones, ne ignoretur. ἀλλὰ τοῦ ζώου, inquit Alexãder, ἐν ᾧ ἡ αἴσθησις, animalis, in quo sensus, pathos scilicet somnus. vt si animalis totius, ergo sensus quoque. quoniam in animali sensus, aut potiùs animali affectio somni inest, sed per sensus affectionem inest, quoniam per sentiendi vim animal. Proinde Aristoteles, quo loco ex professo, non in transcursu, aut ad rerum aliarum disquisitionem, vt in Topicis, de Somno & Vigilia tractationem instituit, diffinitionem hanc Somni retinuit, quam damnâsse ibi visus est; verè autem non damnat, sensum tantùm aperit reconditæ magis considerationis ad diffinitionum exactam regulam, quarum ibi methodum exædificat, non vt alia prçclarè alibi de his dicta tollat, sed vt maiore intelligentia exornet: vt mirum sit, hosce viros, tam sæpe in literarum studijs nouandi aliquid cupidos, quo sibi nominis aliquid vendicent, mirum, inquam, profectò mirum, quum rem tractarent de Somno & Vigilia seriò inprimis, studiosè illud fecisse, ex duobus locis Aristotelis tanti Philosophi, vt alterũ sibi deligerent, cuius sententiam sequerentur, atque eam non satis intellectam, in quo per transennam rem agit tantùm, quasi aliud agens, de Somno quidem tunc & Vigilia: alterum aũt omitterẽt, aut trãsmitterẽt potiùs; nõ aũt, vt debuerant, retinerẽt, rei huic & negotio dicatũ, in quo animi sui sensa ꝑtulit Philosophus de rebus his meditata, ex pectore prolata, posteritati commendanda: ipsi autem, nouatores dico hi, tum præsertim id faciendum sibi sumerent, quum non Somni ac Vigiliæ diffinitionis leges omnes perscrutarentur, sed qua corporis in parte fierent ista, vt verè sciretur à studiosis, moliri debuissent cuncta, congestis vndique eò, quicquid ex omni studiorum materia corradi in rem illam thesauri literarij potuisset. Quod quidem secus ab his factum est, quàm fieri par erat, atque alieno in loco, tum verò nec rectè quidem satis id. Præscribunt capiti titulum, De loco in quo fit Somnus, & Vigilia. si cui cordi sit, vt illis quidẽ semper est, cauillari, nónne id statim reprehẽdat, & additum Vigilia non oportuisse dicat, quòd alia ratione hæc, alióque in loco fiat? Sed enim Relationis Prædicamento continentur hæc, inquient, vt mutuò diffiniri, Relatorum omnium more, postulẽt. Verissimum, diffiniri: at horum nunc diffinitionem non venamur, locum tantùm quçrimus, in quo fiũt. quod quanquam facturum quoque sit ad diffinitionem deinde rectè statuẽdam, sistendus tamen hîc pes, nec propositi nostri ἐπέκεινα progrediendum, & de Somni loco quærendum.

Sed hoc leue. Illud autem cuiusmodi? Quum enim de loco quæreretur, nec, quò se verterent, scirent, prorsusque animo perturbati fluctuarent, ferrique discordes de hoc viderent duos maximos viros, Galenum, & Aristotelem: interponere se non ausi, nec sententiam aduersus alterum illorum ferre, neutri standum esse iudicârunt, & suum de hoc dogma proferunt, Nec in corde, nec in cerebro fieri somnum, sed in vniuerso animali: vt neutri ægrè facerent, neque Aristoteli, neque Galeno. Quæso, num negaturi hoc sunt Galenus & Aristoteles, vniuersi animalis affectionem hanc esse? Non sunt, vt existimo certè: sed per cordis alter affectum primò, per cerebri alter in totum animal affectum deriuari illum, dicet: vterque autem, primę communisque sensoriæ facultatis quietem, aut ceu vinculum quoddam esse. Quid igitur dicunt hi de vniuerso animali, quod dicturi illi quoque non fuerint Authores summi: non dixêre autem, quòd satis visum sit in somno, cuius loci affectu, de quo ambigi possit, vniuersum ita animal, de quo nemo

mo dubitet, afficeretur, ostendisse. Nihil igitur ab his allatum noui, quod illi tamen maximè credere videntur in eo, quòd in vniuerso esse animali somnum dixerint: nec nouum propterea ob vnum id erigi placitum posse arbitrabimur. Similimè nanque contingeret, si quis quum Scientiam affectionem esse ratiocinatricis partis protulisset, non esse huius obijciat vnus aliquis alius, sed animæ: aut, vt proprijs magis exemplis vtamur, si Febrem cordis affectum esse quum dixerimus, aut neruorum originis Comitialem, non esse cauilletur quispiam, quòd vniuersi animalis sint. Sunt quidem animalis affectus vniuersi: at vnde in totum communicati mittantur, originem in vna aliqua animalis parte sumunt, quo etiam loco primò fiunt, imò verò meliùs dixerimus simpliciter fiunt: vt, si significanter recta vti nominum ratione velimus, dicendum nobis fuerit, non fieri quidem somnum in vniuerso animali, sed esse: fieri autem in cerebro primi sensorij alligatione iuxta Medicorum placita. Illud enim fieri, originem, ortúmque rei indicat, cuius deinde transfundi in alia quoque vis possit. Cæterùm vbi fiunt affectus, ibi quoque necessariò sunt: quis aliter vnquam dixerit, aut existimârit? At vbi sunt, non necessariò quoq; fiunt semper, vt febris, vt totius corporis conuulsio, quorum origo alibi, vbi quoque sunt; affectus autem qualitas communicari toti potest. Eodem modo Somnus in cerebro fieri, oririque ibi, occupata sensoria facultate prima communique, dicetur rectissimè; tum verò in toto quoque animali esse, toto nimirum animalis corpore eadem affectione oppresso. Contrà igitur cecidisse videmus, quàm quod hi rebantur, qui somnum in toto animali fieri, non in vna duntaxat illius parte, protulerunt. Fit enim in vna tantùm parte: mittitur autem in totum, vniuersúmque inde.

Errârunt (inquiunt) illi, (Aristotelem & Galenum intelligunt) quòd quærentes locum vbi somnus & vigilia fiant, partem docuerunt à qua mittitur, quod somni est causa. Quid enim illi facerent? rem'ne aliter, quàm erat, docerent, aut traderent non tradenda? in vniuerso animali oriri, fierique dicerent, atque in vnam inde particulam incumbere, ineptientes? an, id quod res est, & verisimilimum, semper ex vna aliqua parte, principio, atque origine sumpta procedere, produci, difluere, extendi in partes animalis omnes? Non mittitur autem ex illa parte, ô boni, quod somni sit causa, sicuti imperitè nimis dicitis: sed fit ibi, oritur, constituitur. Huiusque deinde affectio in reliqua deriuatur, &, si dicẽdum verum est, principio eo affecto, afficitur vnà protinus somno totũ. Materia quidem faciendi somni suggeri ex toto quoq; potest: at facti iam ex principio eo affectus per totum diffunditur. Huc iam pertinent præclara illa ab his (quantum videre licet) maximè ad rem allata exempla de his, quæ in aëre, aqua, terra, gigni, esse, fieriq́; dicuntur, quæ nihilominùs omnia vim suam sumere à cœlo dicunt: de concoctione in ventriculo, visione in oculo, auditu in aure, olfactu in naribus, gustu in lingua. Si quæras quorsum? non aliam videbis ob rem, quàm vt similitudine aliqua ostenderent, quemadmodum in aëre, aqua, & reliquis aliqua fiunt, quorum tamen causæ aliunde pendeant: ita in vniuerso animali somnum missa ab alijs causa fieri, præsertim quum motus sit in re quæ mouetur, Aristotele teste, patiturque, & recipit: id autem in vniuerso contingat, vt patiatur, ac recipiat; cor verò & cerebrum mittat. Ceu verò (præter id quòd insulsè nimis, atque ineptè dicuntur ibi multa) non & in cerebro, seu principe sensorio, si fieri ponamus somnum, ibi quoq; à causis suis fiat, & affectionem recipiat, diciq́; affectum possit, rursusque recipi in toto affectus idem queat hinc manans.

Nam quòd Aristoteles aliquando dixerit, οὔτε γὰρ ὁ ὕπνος ὑπάρχει τῇ αἰσθήσει, ideoq́; fieri ibi non posse negent, ac dogmatis sui, quod iam quale sit vidimus, fundamenta ex hoc iaciant: de eo, quonam id accipiendum modo esset, quanuis dictum superiùs satis sit, nec magni fieri deberet ratio, vtiq; exempli tantùm loco petita, operæpretium tamen facturũ me duxi, si vel ex Aristotelis ipsius verbis, quãtopere horũ sic de inani prorsus excogitatæ opinioni authoritas ea faueat, expenderimus. Is enim, haud ita multo post superiùs de re hac descriptos versus, peccari ab his, qui sic diffiniũt, ait, quoties, quod fit, in id quod facit, aut è cõtrario, quod facit, in id quod fit, reponitur. Neq; enim dolor naturaliũ partium separatio est, sed doloris efficiẽs, οὐδ᾽ ἡ ἀδυναμία τῆς αἰσθήσεως ὁ ὕπνος, ἀλλὰ ποιητικὸν θάτερον θατέρου. ἤτοι γὰρ διὰ τὴν ἀδυναμίαν ὑπνώσομεν, ἢ διὰ τὸν ὕπνον ἀδυνατοῦμεν. id est, Neq; impotẽtia sensus somnus est, sed effectiuũ alterum alterius. vel enim propter impotentiã dormiemus, vel propter somnũ impotẽtes sumus. ὑπνώσομεν dixit, dormiemus: non aũt, dormimus, vt Interpres vertit falsò. Neque vinculũ sensuũ dixit in Topicis, vt alij hi retulerũt, rursus hîc falsi se alligantes: sed, impotẽtia sensus, dixit, &, propter impotentiam dormiemus, hoc est, non valentibus iam oculis, ob vigilias, aut aliquid aliud causæ, officio suo fungi, dormitamus

iam, & dormiemus statim, non ob vinculum tunc, sed ob impotentiam, quæ vinculum factura mox sit. Isti verò quum proposito suo non bellè admodum deseruire impotentiam illam callidè satis aut vafrè potiùs animaduerterent, pro hac vinculum subiecerunt, toties iam falsarij. Hoc nanque pacto si accipiatur Somnus, pro vigilandi scilicet impotentia, vinculum quidem principis ac communis sensoriæ facultatis tunc temporis nondum vllum est. Quia enim non alligatur, aut vincitur tum, sed mox deinde alligari, ac vinciri poterit: eodem tempore, nempe quum impotentia tantùm est, nec dum vinxit sensum communem illũ, meritissimò nec inesse quidem sensui dici somnus poterit. Atque hac rursus ratione impotentiam dicemus Somnum sensus, eundemque illum non inesse sensibus, vtpote quos nondum vinciat, sed vincturus iam iam sit. Quem planè in modum frequentissimè circunferuntur aliarum quoque rerum multarum in vsum iam receptæ diffinitiones multæ, non solùm Somni hæc, quæ abijciẽdæ non sunt: illud tantùm admonendi sumus, id quod quæsiuisse mihi Aristoteles eo Topicorum loco videtur, vnum, ne in eo à nobis peccetur, ac inconsideratè pro effectiuis effecta, aut è diuerso effectiua pro effectis accipiantur, & huiusmodi alia diligenter animaduertenda, vt, quorsum dicantur, aut quem in finẽ tendant, ne ignoremus. Vno igitur impotentia sensus fuerit Somnus modo, pro effectiuo: altero, pro effecto iam, vt quum διὰ τὸν ὕπνον ἀδυνατοῦμεν, quod ipsemet Aristoteles ait, sopiti videlicet iam, somnoq́; correpti, sensuumq́ue functione omnium priuati, vinctorum impeditorumq́ue. Vtranque Author idem, in De Somno & Vigilia libello, priuatim rei huic dicato, vbi ex animi sententia consideratiùs, atq; altiùs ex rerum natura concepta, rem tractat, diligenter seruatam repetijt, primamq́; priùs: εἰ οὖν τὸ τοιοῦτον πάθος ὕπνος, τοῦτο δ' ἐστὶν ἀδυναμία διὰ ὑπερβολὴν τοῦ ἐγρηγορέναι. clarius hoc, quàm simpliciter ἀδυναμία αἰσθήσεως. Alteram, paucis deinde interpositis: τῆς δ' αἰσθήσεως τρόπον μέν τινα ἀκινησίαν, καὶ οἷον δεσμὸν τὸν ὕπνον εἶναι φαμέν. manifestè satis vt ex hoc loco appareat, non delendas illas, sed admonendos nos potiùs voluisse, ne, quo accipiẽda nobis illa essent modo, nesciremus. Si quis tamẽ coniũctam in vnum vtranq; velit, poterit hoc modo: Sõnus sensuũ est quies, quasiq́; vinculũ, ex impotẽtia vigilãdi. Quid freq̃uẽtius in ore Medicorũ, quã, Sanitatẽ symmetriã esse siue cõmensurationẽ calidi, frigidi, humidi, & sicci? Atqui in symmetria potiùs ea cõsistit, vel ex ea, vel per eã existit in animãtis corpore, atq; ea similariũ tantũmodo partiũ, nã organicarũ alia. Num propterea abijciendã nobis esse receptissimam Sanitatis diffinitionem hanc iudicabimus? an longè meliùs rectiusq; conseruatam consideratione nostra diligẽtiore introspiciemus, & causam inesse illi non efficiẽtem minùs, quàm materialem, exq́ue his, vt multę aliæ, compositam animaduertemus? Idem de Somni hîc, multorumq́ue alibi in artibus omnibus & scientijs consideratione, atq; examinatione obseruandum: vt & consueta, traditaq; nobis à magnis Authoribus retineamus; &, quũ res ita nata tulerit, aduersus Sophistas, studiaq; meliora impetentes noxas huiusmodi, quid dicendũ pro rei veritate sit, ac defensione, non nesciamus. Etenim huiusmodi infinita propè in Authorũ maximorum libris occurrunt, quæ si inanimaduersa perfunctoria nimis lectione transmittantur, nec excussa expendantur sedulò, aut aliorsum, quàm quò debent, distortis plerunque intelligendi rationibus rapiantur: non defuturę vnquam sint tricæ, ac pedicæ legentibus, & inextricabilissimi laquei, in quos sese vndique præpeditos induant. Quod hi profectò nimis frequenter faciunt, secumq́ue eodem irretiẽdos improuidos rerum harum, atque incautos multos trahunt.

Quod vtinam in mentem tandem illis aliquando veniat, meliorem studiorum rationem amplecti, & optimorum delectum persequi, si modò sperandum de illis hoc fuerit: prodeatq́ue tandem ab his aliquid, quod cum voluptate legi, fructúq́ue literarum magno tractari queat, gratiæq́ue à Studiosis omnibus de eo illis agendæ habendæq́ue magnæ, atque etiam ingentes (siquidem has quoque aurulas captent) conferendæ in eorum nomen laudes fuerint; non autem tantam impudentiam reprimere necessum sit, qua non dispudet fertilissimos artium omnium reginæ Iatrices campos ad sterilitatem, ad desolationem, ad sentium tantùm spinosorumq́ue fructuum productionem (quanquam incassum hactenus quidem, atque in vanum) redigere. Atque hæc quoniam Somni, cuius nunc tractationi insistimus, rationem, potissimùm verò diffinitionem, attingebant, nõ fuerant nobis omittenda hoc loco.

Magnæ Somni, rectè inchoati atque absoluti, commoditates, cùm in sanis, tum verò etiam in ægris: quanquam hic sæpiùs præternaturalibus causis impediatur. Tum explicata de his quædam.

CAPVT V.

Esse



Sſe præternaturalem quoque ſomnũ, morboſumque aliquẽ, vel Ariſtotele teſte, credibile. ἡ γὰρ τοῦ ἐγρηγορέναι ὑπερβολὴ, inquit, ὅτε μὲν νοσώδης, ὅτε δ' ἄνευ νόσου γίνεται. vt cauſam morboſam intelligamus, quæ morboſum ſomnum faciat, ex vigilandi exceſſu, quem cauſa morbifica ferat, impotentia ſenſus contracta. At Medici peritiores minimè hunc pro ſomno habuerint, aut ſomnum nominârint, vt quum reſolutis aliqua de cauſa viribus, abeuntibúsque propè iam ſpiritibus ſoporatis ſimiles iacent ægroti: longè minùs lethargicorũ, aut comatoſorum, aut catalepicorum ſomnũ dixerint, ex humore ſenſorij primi facultatem occupante, aut frigida quoque ſupra modum qualitate, quæ iam expergefactu difficilem ſomnum faciat. De naturali nobis ſolummodo, omiſſis alijs, agendum, cuius differentiæ intra ſanitatis ſepta continentur, plùs iuſto quidem quandoque aliqua de cauſa protracti: at nondum extra ſanitatis terminos delati. Cauſas naturalis ſomni diximus ſuperiùs cauilloſis ineptiſſimorum hominum nugamentis exemptas, quæ nihil aliud ſunt, quàm neceſſaria poſt artuum commotionem, ſenſuumq́; omnium functionem, quies, recolligendis inprimis ſpiritibus, plùs iuſto iam longiore temporis mora diſſipatis. Id autem fit, retrocedente, reducenteq́; ſe intrò natiuo calore, quo in loco materiam nanciſcitur, in quam agens, atq; incumbens, coquenſq́; ad extremum plurimos eadem opera ſpiritus gignit, quorum copia recreati iam, iterum excuſſo protinus ſomno nos operibus accingamus noſtris, ſuis quiſq; inuigilantes. Itaq; hac ſemper fini fit ſomnus, naturalis quidẽ, hacq́; ſemper caloris ad interiora reditione, quæ Sõnus ipſe nõ eſt, vt imperitè nimis argutãtur, ſed per hãc demũ fit. Somnus aũt eſt primi iã ſenſorij quies ἀκινησία, καὶ δεσμὸς, vinculũ, cõuerſo ab extimis in intimas ad alimenti concoctionem calore, multorumq́; inde ita vaporum appulſu ad cerebri partes leni ſomnum conciliante, ac prætergreſſis antea cauſis alijs, quæ ferè ſunt labor & ſiccitas paulò maior, conſumẽdis ſpiritibus idoneæ, ideoq́; ſomni deinde ope ac refocillatu recuperãdis, ex cerebri internarumq́; partiũ humectatione, qua maximè ſomnus conſiſtit, quæſito ita ſiccitatis, laborãdo vigilãdoq́; factæ, remedio: vt, ſi nulla ibi ſit humiditas, aut perpauca quædam, quãuis intrò ſe agat calor, ſomnus aut nullus, aut perquàm exiguus, leuiſque, minimè altus, minimè firmus, ſequatur, nõ reperiẽte calore materiã, quam ſomnũ facturus aggrediatur, ac deficiente proxima ſomni cauſa, quæ humectatio eſt. Hîc ſi perditiſſimorũ Sophiſtarũ prætergreſſas Somni cauſas audierit aliquis, laborem & ſiccitatem, deinde cauillandi anſam arripiat, quòd ſomni cauſas laborẽ & ſiccitatẽ faciamus, quum cauſas haſce antegreſſas dixerimus, & poſt quas, atque propter quas, dimouẽdas ſcilicet, introductũ à natura ſomnũ eſſe intellexerimus, quaſi antegreſſæ cauſę eſſe nullę vnquam poſſint; & ſi antegreſſę, dimouere eos neceſſe non habeamus: nónne flagris digna res ſit, & caſtiganda arrogantia tanta fuerit? Atqui non diſſimilia his tradunt iſti, longeq́; his deteriora ſæpe. Itaque neceſſarium fuit hîc quoque admonuiſſe Lectorem. Nos enim, præceſſiſſe cauſas rei alicuius, hoc eſt, inchoâſſe priùs, quæ tamen adhuc maneant, non inconuenire dicimus: & cauſas dici, (vt hoc quoque obiter addatur) quæ nihil dum faciant, fecerint autem, ab optimis Authoribus non infrequenter, ſcimus. Et is quidem naturalis Somnus ex ſuis cauſis, habet præternaturales quoq; ſuas, hoc loco non recenſendas: fit ille quoq; tamẽ adſtricta ceu vinculo ſenſoria facultate principe, ſed humiditatis vi tanta, vt commouere ſe natiuus calor, foraſq́; prorumpere ad ciendos partium motus, obeundaſque ſenſuum omnium vires, nequeat.

Naturalis quum eiuſmodi ſit, cuiuſmodi diximus, ſi recto ineatur tempore, iuſtoq́ue perficiatur, concoctionem multã peraget non intus tantùm, ſed totius quoque corporis ambitus. iccirco totũ quoque firmabit, laborẽ corporis omnẽ auferet, curas tollet, animæ vires liberas ſolutaſq́; euagari permittet atq; expatiari, quæ corporeo temperamento non admodũ coercentur, membra omnia recreabit: concoquẽdi opere multo, quod elixationi perſimile eſt, benè humecta cũcta reddet, calidaque. calefacit nanq; haud dubiè, & humectat ſomnus, eoque ſenibus ante omnia vſq; adeò conueniens, tanquam quo frigidius ac ſiccius eorum temperamentũ maximè emendatum ſubſiſtat. Breuiter, ſolidiorũ quoque partium ſiccitati, quæ modò non altiùs adacta ſit, & abſumpto humore alio, iam iam rorulentum quoq; id, quod mox partibus nutrimento ceſſurum ſit, depaſcendum inuadat, conferens. Quæ ſi cibo & quiete recreandæ maximè ſunt, & alimentoſo humori ſuo reſtituendæ: maxima profectò ſomni quies ſemper eſt, imò quies ipſa totus ipſe: alimenti autem aliunde, quàm ex ſomno, neque tantum, nec æquè benè concoctum, magnaq́; vſq; adeò excrementorum omniũ repurgatione elabora-

boratum: vt meritò dictum fuerit Hippo-
crati illud, (Epidē. vj. (σῖτος ὕπνος σπλάχνοι-
σιν.tantum quidem prouenit alimenti ex
ſomno viſceribus vniuerſis inprimis, at-
que ante omnia ; tum verò reliquis non
minus corporis partibus. Quòd ſi alimen-
tum : inſigne profectò vnà quoque emo-
lumentum, & validum robur ſequetur.
Porrò tranſlatitium iam propè eſt, foueri,
atque augeri, viriúmque ſuarum ac robo-
ris incrementum ſumere res, quaſcunque
ali nutririque dicimus. Studia alimus bo-
norum iuuenum, quibus aliquo modo fa-
uemus. Res eodem pacto amicorū alimus,
ac nutrimus, quacunque ratione iuuare
queamus, promouentes in melius, auctan-
tesque incrementis. vt ita viſcera ſomno
maximè ali accipiamus, alita quidem ipſa,
ſuſceptoque in ſe per omnia nutrimento
aucta : ſed & roborata credamus, viribusq;
ſuis validioribus firmata. Ita ſanè fiet, vt &
alimoniæ copiam intimè cuncta hume-
ctantis ſentiant viſcera, & ſumpto ex nati-
ui caloris, ſomni maximè tempore vigen-
tis, opera, robore, temperatiſſimè concale-
ſcant, calorifica vi quadam naturæ tempe-
ramentoq; noſtro omnium maximè ami-
ca, per totum fuſa, ſomni ſemper, atq; in-
primis, beneficio. Nam ſiue cibaria tantùm
ingeſta coquat, calorem protinus quoque
auxerit, natiuum inquam noſtrum : ſiue
pituitoſis repertis ibi inter viſcera ac præ-
cordiorum loca, aut crudis, aut quomo-
docunque frigidis humoribus, idem prę-
ſtiterit. Ex concoctis nanque exquiſiteque
confectis ſicuti ex cibis ſanguinem vnà
quoque meliorem generârit, cuius copia
maiore maior atq; auctior quamprimùm
reddatur innatus nobis calor: ſiue etiam
bilioſi hi fuerint, vel ſic non ſanè diuer-
ſum ſequetur. Etenim vt nō, quemadmo-
dum ex pituitoſis, ita ex confectis his lice-
at ſanguinis, quo ritè partes alantur, gene-
rationem alicuius expectare, quando pro-
greſſus vltra ſanguinis temperamentum
in ſanguificatione humor, reuocari ad ali-
menti iuſti temperamentum naturamque
nequeat: at diſſeparatos ſomnus diſiectos-
que, ſi vel emiſerit, vel alibi ab alimento
puriore ſequeſtratos repoſuerit, ſic quo-
quo modo calorem natiuum ipſum auxe-
rit, alterius diuerſiq; generis ablato. Nō ſe-
cus, ac in febricitātibus, aut aliâs præterna-
turali calore affectis, quo minus ſemper in
his minusq; febrilis, aut aduentitij caloris
fuerit, eo ſanè congeniti naturaliſque no-
bis plus, maioráque huius ſine dubio, ab-
eunte altero, opera ſpectabuntur.

Hoc loco de ægrotantium Somno non
multū dicendū, vbi, vt in ſanis, innati calo-
ris miti ac benignè placida qualitate non
ſemper concalfactæ dici poſſint internæ
partes, fungente hîc quoque quidem aſſi-
duè actionum ſuarū muneribus, inquan-
tum illi per extraneum fas ſit, natiuo calo-
re, niſi quum ſuperatus ex toto ceſſerit, at-
que adeò extinctus abſceſſerit : ſed modò
depauperata valde relinquens calore ſuo
viſcera; alieno autem accenſa ex ſomno,
vt quum intempeſtiuè ex viſcerum fortè
phlegmone febricitante, acceſſionis initio
dormire permiſſo, ſuffocari opprimique
prorſus periclitabitur natiuus, euincens
autem febrilis dominabitur calor ſomni
culpa, non quo debuerat tempore inchoa-
ti ; modò, captato ritè ſomno, concoctiſ-
que ita, aut abſumptis etiam, aut diſſipatis,
ſeu quoquo pacto diſiectis ſepoſitiſque
febrem facientibus humoribus, refrigera-
buntur interiora extranei noxijque calo-
ris diſcuſſione, concaleſcent natiuo ac le-
gitimo. Semper autem, duntaxat manente
vita, ſenſurum aſſiduè ex ſomno commo-
ditatem animal ſit, concoctionis feliciùs
ita peractæ beneficio, ſiue ægrotandum, ſi-
ue viuendum in ſanitate ſit : modò iuſto
incipiat, finiátque tempore, ſeruenturque,
quæcunque inobſeruata futura damnoſa
ſint, nō quidem ſomni, ſed erratorum ad-
miſſorum cauſa. Nam Somnus per ſe ſuiq;
natura aſſiduè contulerit, etiam, vt dixi-
mus, ægrotantibus, Calidi ſemper innati,
(quantum in illo eſt) niſi aliunde impedia-
tur, vires in vnum colligens, cōcoctionem
internarum inprimis partium omniū pri-
mam, ac potiſſimam, ſed & reliquarū, mo-
liens ; alimenti diſpenſationem omnē ela-
boratione exquiſita, excrementorum ſe-
queſtratione, diductione, cocturæ perfe-
ctæ diſtributione, explens ; fotu principa-
libus partibus addito commendandus ; ex-
cretionum omnium retinens, ſi quæ pręter
naturæ leges, corporisq; vſum ac ſanitatis
commodum extrà actæ ferantur, has ipſe
ſedat, & diſcordes in diuerſa delatas reuo-
cat, & quieſcere facit: ipſe quippe quies eſt,
& ſedatio exteriorum motionū omnium.

Vnus in ſomno ſudor procedit, detinē-
tur alia, idq; vtiliter ſępe: vt hac in parte eti
am vicē vigiliarū ſubeat, diſcutiēdis, ſicuti
in exercitatione, ambitu corporis toto cō-
tentis excremētis, extenuatis priùs illis, dē-
ptaq; cruditate, & abſterſo lētore, ſicq; aut
in tenuiſſimas auras euaporatis, aut prole-
ctis in ſudorē per patētes tūc cutaneorum
meatuum vias, quibus nulla addūtur, vt in
alijs, deſtinata cōtinendis excremētis à na-
tura clauſtra. Quapropter facultatū omni-
um quū naturales inprimis vires ſuas vege-
tè exerceāt in ſomno, vniuerſumq; alimen-
tū, ceu multū diuq; recoctū, eductūq; igne
obrizum aurū, purū maximè calidi innati

opera

opera paretur; sanguificationeque demum peracta, & abiectis, locoq; suo depositis, crassis, tenuibus, serosis excrementis omnibus, repurgatius factũ distribuatur: quicquid in tertia hac caloris natiui coquentis officina diligentiorẽ elaborationẽ effugit, totũ id, vtpote excrementitiũ, quũ priuatũ aliquod, vt alia, repositoriũ sortitũ nõ sit, naturæ vi propulsum abit, sudorisq; sępe materia fit, quã, sicuti dictum est, minimè tum in somno retineat egregiè in omnibus operata naturalis facultas, quiescẽte intereà animali, sentiendi præsertim, mouẽdiq; illa: imaginatrice verò & ratiocinatrice ex parte, seruatarũ specierũ, quas interdiu collegerũt, vsu operatis: summo aũt animæ totius, cũctarumq; simul facultatum animaliũ capite, minimè quidẽ corpori tunc aut corporis tẽperamento addicta mente, etiã euolãte sæpe, ac veluti corporibus corporeisq; rebus omnibus nũtio remisso, abdẽte se inter altissima, discurrẽte rerũ causas, contẽplante, diuinãte: cęterũ vitali potẽtia nũquam toto eo dormiẽtis animalis tẽpore cessãte, indefessaq; semper & irrequieta, ac perquàm exiguis temporũ momentis potiùs quàm interuallorũ spatijs intercepta, somni æquè quàm vigiliæ tẽpore; quãquam in somno, propterea ꝙ interiora magis tũ calent, & cocturæ eius officina maximè tũ feruet, magnaq; in eo fuliginosorũ excrementorũ vis colligitur, his ipsis expellẽdis pulsus systole, quã submissionem & contractionem interpretantur, diastole altera parte, quã eleuationẽ & expansionẽ, maior sit: pariter vt in respiratione, cuius parte qua expiramus, & fuliginosis recremẽtis ꝓpellẽdis dicata est, maiore vtũtur dormiẽtes ac vehemẽtiore, ꝓpè vt exsuflationi sæpe ꝓpior videatur, quàm expirationi, & ἐκφύσησις quàm ἐκπνοὴ habenda potiùs sit.

Incommoda Somni à cibo statim initi, & inanito ventriculo facti, & diutiùs quàm par sit producti. Quo pacto via ad mortem Somnus fit nimius. De Sitis extinctione per somnum. Damnata ex somno pinguescentia: & pomeridiani dictæ noxæ, harmúque vnà causa.

CAP. VI.

VEruntamẽ, vt hos vsus, totq; ia enumeratas cõmoditates adferat Somnus, nisi summa semper adhibita diligẽtia, iusta inchoãdi, finiendiq; obseruentur tẽpora, pereãt nobis statim omnia, atq; adeò in contrariũ sępe vertantur, noxãq; inde sentiamus, vnde vtilitatis fructũ sperabamus. Prima ac maxima noxarũ initi cõfestim à cibo somni est, ob plenitudinẽ recentẽ, fluctuãtemq; etiamnũ in vẽtriculo cibũ, necdũ in imo, qua potissimùm in parte expleta peragi concoctio solet, collocatũ. Vt enim, qui plethora laborant, in his repletũ inde caput degrauatur, missis assiduè eò ex humorũ plenitudine illa, agitatione facta, vaporibus: non aliter sanè in somno cõtingit, vt pleno tũ primũ ventre incũbens vndiq; eodem diuersis ex partibus calor, feruescẽtia multa exagitatã materiã eã reddat. Quod quũ fit, ingẽs sanè potest tũc exhalationũ vis, ex humiditatis multę crudæq; cõmotione resilientiũ, sursum ferri, caputq; petẽs replere, & grauitatis sensũ afferre: tũ verò in bilẽ, aut pituitã, hancq; vel salsam, vel acidã, aut alterius generis, ꝓ materiæ diuersitate, cõuerti, rursusque in feriora repetere, maximo semper subiectarũ partiũ periculo, quibꝰ aliqd inde imminẽtis pertimescendũ mali sit. Obseruatũ, imbecillioribus oculis eius tẽporis somnũ, in quẽ videlicet ingesto quamprimũ cibo deferũtur, maximè nocuũ, ꝙ primi hi, atq; etiã inprimis offendãtur, tanquã ea capitis in parte positi, vnde, quũ caput totũ suscipiẽdis missis è vẽtriculo exhalationibus opportunũ maximè fit, noxã ipsi tamẽ statim sentiãt: simul teneriore ac nobiliore substãtia donati à natura, spirituũque lucidissimorũ pleni, nec multũ illatis extrinsecus iniurijs resistũt, eæq; statim in his animaduersę apparẽt; sicuti ferè in nobiliore purpura minùs occultari maculæ, tũ ꝓptereà eædẽ faciliùs in ea recipi cõsueuẽre. His igitur de causis nemo se corripi somno sinet post cibũ extẽplo, nec nisi quũ repositũ abijsse iã in ventriculi ima acceptũ cibũ senserit: quod prudentiores ferè, & modò nõ stolidissimi, sensu quodã circa partes eas percepto assequuntur. Aut id igitur expectandũ tẽporis, aut molliori interdũ deambulatiũcula ꝓcurandũ idẽ, qua placidè detrusus vẽtriculi fundũ petat cibus, ibi iustam cõcoctionem expectaturus.

Hæc sunt repletionis in corpore nimiæ, si somnũ statim admittat, incõmoda: illa inanitionis, si ieiunus dormire incipiat. Non inuento enim alimẽto, natiuus calor intrò reuocatus, quod cõficiendũ aggrediatur, impetũ facit in ꝓxima quæq;, & obuium sanguinẽ, dispersasq; in præcordijs alibiles humiditates oẽs depascitur: eoq; magis, acceleriùs, quo collectis in vnũ viribus fortior factus, multò quoq; plus absumere breui alimenti potest. Itaq; suo sibi destructo pabulo, seipsum ita perimet citò, si diutiùs eo modo perrexerit. Proinde debiliores multo, ea se ratione somno dedentes, videmus, resolutisque viribus flaccescentes, & vt aduentitij fortè caloris, mordacisque ac feruidi accessione, quem intem-

pestiua concoctio conuersa in bilem sanguinis parte introducat, excalfactos; ita natiuo, placidoq; illo ac benigniore defectos.
Eadẽ errata incurrũt, qui iusto quanuis inchoatũ tẽpore somnũ diu tamen nimis productũ trahũt, & longissimè cõtinuant. Nã quũ animalis inprimis facultatis quies ex somno, spirituumq; instauratorũ noua subinde generatio ex cõcoctione alimẽtorum maiore, caloris ad interiora natiui reuocatione facta, expectetur: peracto hoc, calor, recreatisq; spiritibus, si diutiùs in opere perstiterit; &, qua minimè opus sit, acri qualitate afficiet partes eas, excalfactas nimis; & pro humiditate siccitatẽ inuehet, cùm alimẽtum partibus illis debitum depascẽs, tũ adaucta bile, vt ferè fit, quũ vltra iustos limites progressa cõcoctio tẽdit. Quocirca expleto inibi cõcoquendi, quod satis sit, officio suo, redire ad munia alibi non minùs quoque obeũda debebit natiuus calor. Alioqui ea intrò illius reuocatio, vt cõqueret, postquã coxerit, futura dãno potiùs sit quã vsui, vt cõfertim tãtùm eò ingruat, grauatis visceribus, nihil aliud. quid enim aliud, tũ quidẽ vt præstet? Meritò igitur immoderatũ Somnũ insignis facultatũ penè omniũ debilitas sequetur naturaliũ, caloris nimij, acrisq; iã, accẽsione, qua natiuus periclitatur: animaliũ, nullo instauratorũ spirituũ vsu, lãguidè nimis torpescẽtium. Iã vitaliũ quãta sit ex immodico somno imbecillitas, vel arteriarũ ipsarũ pulsus indicio esse manifesto satis possunt, vtraq; ex parte, eleuationis ac submissionis, tardi, imbecilles, rari. Ita sanè cordis robustus ac perpetuus virtutis tenor ille, quo indefessę, nunquamque ad vltimũ vsq; cessaruræ, motioni sufficere potest, debilitatur inde, mox & motus contentio omnis paulatim dissolutior facta lãguescet, tangentiq; arterię locũ maior semper ac manifestior apparebit paruitas, tarditas, raritas.
Quòd si vlteriùs progredi perseuerârit Somnus, quid aliud, quàm, maioribus vnà quoque semper factis his, parata recta ad mortẽ semper via, atq; inter alias aucta raritate? Quę vna si maior semper maiorq; fiat, certissimũ cessationis mot⁹ in corde sensim iã paulatimq; ingruentis sæpe signum, donec pulsationis tẽpus vnius aut alterius interceptũ prorsus omittatur. Quod quũ factũ fuerit, vt supergressa tẽpus id sit intercapedo, iã mors in limine. Vsque adeò, optimę ac saluberrimæ rei, & sine qua cõsistere humana vita nequeat, immodic⁹ atq; intẽpestiu⁹, dãnosus valde vsus. nõ immeritò. Etenim sicuti modicus, ac tempestiuè opportunus, vitę necessaria, cõuenienti agendi quiescẽdiq; vicissitudine, subministrat; ita immoderatus, nec opportunè factus, cõtraria omnia, quasi exaduersũ oppositus, adfert. Vita nostra agẽdo maximè cõsistit, agendo cognoscitur. Vita nãq; demũ est, qua agimus, facimus, mouemur, sẽtimus: munera singula, aliquid tamẽ semper agẽdo, vigilantes obimus: vt Authores sint nõ spernendi, ne cõnumerandũ quidẽ vitæ spatijs somnũ, totumq; id illi deperire, quod dormitur, temporis, quãtumlibet modicus, quantũlibet omni opportunitate captatus somnus sit. Qui nihilominùs, vt vitæ ratione primaria nõ cõtineatur, neq; hunc spectârit primò Natura, quum vitæ animalium summã caputq; meditaretur: at necessarius vitæ est tamẽ, at secundariò hunc, vtilemq; inprimis, tum sine quo animalium plurimis prorsus nõ viuere, multis non peræquè cõmodè liceret, cõsiderauit. Alter ille immodicus, superuacuus primò, quippe hoc ipsum immoderatus, tantum abest vt necessarius; tum omnium minimè vtilis, vtpote quo vtilitas ex primo quæsita, atq; adeò acquisita, destruatur tota, quæ spirituum est generis omnis instauratio ad agẽdum, vitęq; obeundis cõmodè muneribus, ex alimẽti cõcoctione ob natiui caloris ad interiora reuocationem facta. ea nimirum somni immoderato vsu dissipata atq; oppressa perit vniuersa. Nemini enim dubium esse debet, primã ac potissimã innati nobis caloris cõmotionẽ habendã eam esse, qua sese foras ad agẽdum cõcitat, hãcq; primò intẽdere semper naturã; secundam, secundoq; consideratã, qua intrò agitur, alimenti tantùm causa, vt id cõcoquat. Quod quum munus opusque ibi suum peregerit, rectũ est, vt foras ad munia rursus propria, tanquam in prouinciã suã, redeat. quod si per se nõ facit, vt faciat semper admonendus est. At immoderatior Somnus emãsorem nimiũ hunc, ac ꝓpe iã desertorẽ operum suorum, minimeq; spirituum ex tãto alimẽti apparatu collectorum, copia vtentem facit, desidẽ, torpentẽ, ignauum, pigritia sua mox peniturũ, vt ignis omnis, quẽ aura nulla vẽtilat: simul torpore iã debilitatus materia multa obruetur, quã cõficere nequeat, intus tãtùm cõtractã cõpulsamq; somno, vigilijs, laboribus, actionibus, motuũ genere omni faciliùs cõmodiusq; discutiẽdam: ita quum iusti Somni ea vel insignis cõmendatio sit, qua cunctæ quidem corporis totius, pręsertim verò internę partes concalescunt, atq; humescunt benignè ac placidè, hoc ex aduerso refrigescẽt potiùs, & siccabuntur tandem; aut superuacua, & præternaturali, caloriq; nostro maximè cõtraria humiditate, humecta primò, aut dissoluta potiùs fiẽt, quaque is ipse, quẽ diximus, calor extingui periclitetur. Cruditatum quidẽ proculdubio colli-

gitur

gitur inde copia multarũ, pituitæ accumulatio multa: itaq; σιαλισμὸς tum nimius, crebraq́; nimis expuitio, oris totius pallor, tumorq́; sæpe, torpor ad omnia, ignauia, qua sibi quisq; displicere possit, corporis mentisq́; grauitas: huius porrò, functionumq́; eius omniũ, vel nobiliorum, ratiocinandi, colligendi, memorãdi offuscatio, retusioq́; insignis, torpẽtis omnia innati caloris, inuersioq́; naturę ordinis signa. Iam obstructionum hoc pacto ex cruditatibus, accersendarumq́; inde febriũ, occasio maxima: tum bilis quoq; reciprocatio in ventriculum, vnaq; alterius bilis ex sanguine calidioreq́; aliquo ibi fortè humore generatio, nimis diu operato calore, ex quo siccitas sitisq́ue, quum contrà, ex rectè riteq́ue captato, atq; absoluto, sitis etiam antea facta tollatur.

Ἐν τῷ ἐγρηγορέναι δίψη ἐπιπολαίῳ ὕπνος ἄκος, inquit Hippocrates, (Epidẽ. vj.) leuem aliquam sitim notans. id enim ἐπιπόλαιος δίψα fuerit, quæ superficiem vnã occupat, non altiùs adacta sitis est. Hanc, quam non sanè magnus aliquis affectus fecerit partiũ, quæ circa ventrem sunt, & quæ ex siccitate tantummodo oriatur, & calore locorum, per quæ cibo potuiq́ue ab ore in ventriculum transitus, sedat modicus somnus, humiditate inuecta ex sanguine, qui tũ ad profunda corporis conuertitur. Repetitamq́; legimus eandem sentẽtiam in Aphorismorum libris his verbis: ὁκόσοισι δὲ πίνειν ὄρεξις νύκτωρ, τοῖσι μὴ πάνυ διψώδεσι ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἄγαθον. nã seu siccitas aliqua fuerit leuior, siue etiã paulò liberaliore vini potu id contigerit, sedabitur sitis somno, dicta de causa; siccitatis nimirũ vtriusque, siue leuioris illius, siue ex vino etiã factæ, quam ipsam quoq; nõ magnã esse oporteat, correctione. Nam quòd Author idem descriptis paulò antea de contracta vigilando leui siti verbis, illa alia addiderit, τοῖσδ' ἐξ ὕπνου ἐγρήγορσις ἐνίοις, leuiorem ex somno contractã sitim vigilijs in quibusdam sanari significans: nõ somni sitis ea est iusti, rectique; sed aut immodici; aut eorũ qui intemperantiùs vsi fuerint vino, eoq; paulò meraciore, siccitate ita leuiuscula correptis partibus ijsdẽ illis, ꝑ quas iter cibo, simul inter dormiendum concoquendumq́; calidis eò ex vino, reliquisq́; id genus cibarijs missis vaporibus: quibus in vigilia cessantibus iam, nisi siccitatẽ altiùs egerint, cessans sedetur haud ita difficulter sitis vnã. Nunquam autem moderatus, legibusq́ue suis contentus, ac materiam nactus quam concoquat legitimã, sitis quicquam fecerit Somnus.

Et pinguescent fortasse quidẽ longiore Somno corpora, si cuncta, quę modò attulimus, incõmoda vitentur alia, vt Glires, vt Montanos mures, hominumq́; multos videmus; & curabitur eo pacto cuticula meliùs. At hoc ipsum vel maximè damnabitur nobis, vt alijs elegans, atq; optabile videatur: nobis, inquam, qui longè pluris facimus mediocrem corporis habitudinem, quam ex re quoque bonam dicimus, q̃ prostantem multo abdomine aqualiculum. Simul M. Varroni fidẽ adhibebimus, somniculosos pueros detestanti; nimioq́; ætatis eius, quæ tamen, si qua alia, maximum inde beneficium sentit, somno hebetiora fieri, sensuum, ingenij, mentis, segnitiem torporemq́ue corporibus addi, eorumq́; ita proceritati plurimum detrahi, affirmanti. Neq; id iniuria, opinor, si, quæ suprà disputata de Somno fuêre, in memoriam reuocentur; considerenturq́; Calidi eo tempore innati officia, nihil aliud quàm cibũ coquentis, præparantisq́; ad alendum tantummodo; non iam alentis, statum præsertim corporis totũ, molémque, quod vigiliarum peculiare est, & incrementum addere corporibus maximè solet, distributo tunc digestione per omnia, diductóque, ac addito partibus alimento, caloris ex motibus actionumq́; genere omni excitatione, qua diffusa per totũ alimonia augescendi corporaturæ abundè semper materiã præbeat. Somni nimij noxa vel Platonis dicto notabitur, tantæ authoritatis teste. Libet autẽ adscribere verba, (De legi. vij.) sed auro oportuisset interlita: ὕπνος γὰρ δὲ πολὺς οὔτε τοῖς σώμασιν, οὔτε ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, οὐδ' αὖ ταῖς πράξεσι ταῖς περὶ ταῦτα πάντα ἁρμόττων ἐστὶ κατὰ φύσιν. καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν, μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος. Hęc somniculosorũ Lecto, & non somniculosorum quoque, ne tales fierent, literis pedalibus inscribi par fuerat, quæq́; alia Author is eodem in loco appositissimè ad rem hanc, nimietate tantùm somni damnata, non commoditate & necessitate, scripta reliquit. Absoluti, rectè iustique, ructus signũ, & contractior venter; tum, si cui sensus sui benè noti fuerint, nõ inanimaduersus prorsus in inferiorem ventrẽ descensus de ventriculo cibi factus.

Diurni quoque Somni, pomeridianis, aut meridianis ipsis horis facti, euidentissima sæpe nocumenta visuntur, paratis inde plerisque viscerũ obstructionibus multis, subortisq́ue multoties febribus, præbitáque interdum generandis ex hoc abscessibus occasione. Distillationũ quidem sæpenumero hęc vna causa fuit, maliq́; habitus, & cõtracti per corpus palloris: multos nihil æquè torpidos facit, quàm hoc, & ad agendas res segnes. Alij flatulẽti inde fiunt, aut acidos ructus, aut ventris fluctuationem percipiunt, degrauariq́ue sibi corpus sentiunt, quasi laxatis neruorum compagibus ponderosum. Quippe aggreditur

quidem tunc cibariorum concoctionē natiuus calor, sed hoc tantū aggreditur, temporis autem breuitate non perficit. Itaque inchoatam tātummodo imperfectamque relinquit, veluti ab officio suo reuocatus. neq; enim interdiu tantū dari somno temporis potest, quòd id nec negotia permittant, nec rerum reliquarū ratio vlla patiatur, quantum absoluendæ iustæ concoctioni futurum satis sit: nisi verò prandium cœnæ vno continuare somno velimus, totumq; id, quod inter vtrunq; est, temporis non nisi dormiendo transmittendū esse duxerimus, ineptè atq; intēpestiuè nimis. Discedente igitur ab operis solùm inchoatione calore, turbata intus omnia manent. Et aliàs ea diei hora valde capiendo somno incōueniens esse reperietur, ambiente tunc calidiore, qui euocet ad exteriora calorem, non intrò pellat, opposita prorsus Somni rationibus ratione omni, qui inuitari, quo se ad interiora potiùs addat, circumambientis frigore debeat, quale noctis ipsius tēpus est, ad hoc ipsum inprimis (credo) à Natura institutum, vt, accedēte præsertim tunc quoque rerum omniū silentio, & tenebrarum circunfusione, integra sensibus omnibus pararetur quies, omniumque obliuisceremur: & nocturnum hoc haberetur, cōgruumq; somni tempus, sicuti actionum omnium diurnum, redeunte luce, ac veluti agēdis commodè rebus præferente nobis facem Sole. Quo tempore circunstrepentibus cunctis, nec commodum, neq; ex rei natura, nec futurum salubre sit, dormiuisse: id scilicet vel Plauti tempestate damnatum fuisse legere est, apud quem Simo, (in Mostel.) Non bonus est somnus (inquit) homini de prandio.

Vincere tamen sententiā hanc nonnullorum consuetudo potest, & quorundam natura superare, quos scimus, nisi meridientur, totam diem tristiores transigere, & morosos fieri consuêsse. Qua vti consideratione Salubrem Artificem decet, non hîc solùm, sed in omnibus alijs: nulla vt, aut perquàm rara certè, existimetur tradi de rebus his ex regula posse perpetuò, atque in vniuersum semper, vlla absq; omnino exceptione, vera, quin aliter aliquādo, quàm quomodo pronuntiatum fuerit, euenire, diuersis aut naturarū, aut temporum, aut consuetudinum, aut locorum, aut huiusmodi, rationibus solitum sit: semelque dictum, intelligi semper id etiam non dictum debeat.

Quis dormientium situs præferendus alijs sit. Supinè, pronéve decumbentium, in Somno noxæ: ac, pro ventriculi, & iecoris temperamentis diuersis, diuersus conueniens. Cubantis vt tectum esse oporteat corpus.

CAPVT VII.



Quæri dehinc solet, (qd non indignū existimārūt summæ authoritatis Medici, vt id quoq; de somno quæreretur) vtrum premendum in somno latus primò, dextrum'ne, an sinistrū sit. Nam supinū se dedisse statim, inq; eo perseuerâsse, id verò omniū pessimum esse, pessimarumq; sæpe ægritudinū occasionem dare solitum, dedisseq; iam multis obseruatū fuisse scribūt, ad vnum omnes, attoniti, Comitialisq; morbi, magnarum distillationū: Incubū autē, seu Ephialtem quem vocant, non alia faciliùs ratione, aut nouum fieri, aut consuetū antea accersiri. Nec planè deest, si quæratur, facti ratio manifesta. Etenim non, qua eliciendis de cerebro excrementis institutæ à naturæ sunt viæ, illac permeabunt, canalesq; suos, & colamenta sequentur, quæ in palatū naresq; tendunt: decūbent potiùs retrò, aut eò deferentur, vnde nullus illis è capite exitus futurus sit, oppressisq; ita cerebri vētriculis attonitos reddent: aut, vt exeant tamen, propellanturque; vel proximā neruorum originē petēt, & Comitiales facient; vel in subiectas quasq; partes dilabentur, periculumq; his afferent ex perpetuò distillantis de capite eò materiæ alicuius nocumento.

Pronus verò in faciē dormientis decubitus, vt concoctionē iuuare inprimis existimatur, (fouētur enim eo pacto vēter, partesq; circà maximè) ita laboriosus, qa ferri diutiùs cōmmodè satis haud quit: eoq; nec perfectè quidem cōcoquendi officium in plenumque absoluerit. Receptior ea, nec sanè minùs, cur talis habenda sit, rationibus suis nixa, dormiendi ratio, primus vt Somnus ineatur in dextrū cubando: quòd facilior ita ingesto cibo, ad ima ventriculi, vbi potissima maximaq; peragitur concoctio, paretur descensus. Est porrò vētriculi situs ille flectētis se dextrorsum in imo. Intereà ex suppositi iecoris viscere, venisque mesaraicis, tanquam ex subditi ignis alicuius foco, feruebit coctura non parū. Quod quum factū fuerit, vt ventriculi fundū petierit cibus, seseq; ibi reposuerit: (id autem primi ferè captati somni tēpus est) tum verò iubent in sinistrū cōuersi vt incūbamus, imposito tunc ventriculo iecinore, totūq; circumquaq; veluti manu comprehensum tenente, & vndiq; plurimū amplectēte, fotuq; caloris maximo tegēte, inchoatę priùs cōcoctioni in totū iā absoluēdę appositissimè. Maior nēpe ita vētriculo caloris vis ingruet ex tanti visceris amplexu vndequaq; arcto, in quo calorificæ, insitæq; nobis substantiæ

ſtantiæ ac qualitatis ſedes propè, ſimul eo decubitu, quo vẽtriculi fundum paulò ſe altiùs erigit, compreſſior antea arctatusq́; magis cibus, iã laxatus ac diductior factus, calorem meliùs accipiet, acceptumq́ue retinebit. Præſtiterit nihilominùs Somni tẽpora finiuiſſe reditione ad dextrũ, ideo quòd paratus magis deſcendenti iam in inteſtina cibo poſitu eo tranſitus ſit, propenſo tunc in id ventriculo ima ſui parte, qui πυλωρὸς eſt. Qua planè de cauſa quũ, quæ hactenus explicata à nobis de reb⁹ his ſunt, exquiſiti temperamenti, omniq́ue ex parte ſano homini conueniant; nec, ſi rectam ſequi ſalubris Artis rationẽ voluerimus, aliter nobis dicendum, faciendúmve ſit: variare tamen continget nonnunquam ob idipſum hoc, eiuſdemq́ue poſitus ratione, quòd dexto in latere iacẽti inferiùs vergat extremi ventriculi orificium. Proinde ſi quis adſtricta fortè ſit aluo, huic futurum id haud dubiè ex vſu fuerit, vt eam potiùs decumbendi eo modo rationem vſurpet; ſi laxa, contrariam: quoniam his ſiniſtrum dormiendo latus occupantibus, nõ vſque eò promptè efluant de ventriculo contenta. Sed hæc his tantùm caſibus facienda: ſeruanda autẽ in vniuerſum, niſi quum noui aliquid interuenerit, quo deflectere de via cogamur, quam paulò antè præſcripſimus, regula ac norma.

Quibus & illud addemus, Præſtare, ne, qui calidiore iecoris temperamẽto ſunt, in ſiniſtro; quíve vẽtriculi frigidiore, in dextro: cõtraq́; , qui iecoris frigidiore, in dextro; vẽtriculi calidiore, in ſiniſtro latere ne cubẽt. propterea, quòd ex ſiniſtro iecoris calor nimius decubitu veluti ſuccendatur; ex dextro, ventriculi frigiditas nullum caloris vſum ſentiat, cuius indiget: ventriculus autem calidior quidem ex ſiniſtro, impoſiti iocinoris calorem non ſine noxa laturus ſit; frigidius verò iecur ex dextro, eadem calorifica vi, quum maximè egeat, cariturum. Sed hæc priuatarum intemperaturarum ſunt: illa meliorum, atque exquiſitarũ, dicta priùs. Vt & id, ſurrecta, quantum capere ſomnum cõmodè licebit, corporis parte ſuperna dormitionis initium vt fiat, inferna demiſſiore. Nec tanta enim prębebitur occaſio impetentibus caput exhalationibus, & concoctio perfici meliùs conſueuit, inclinato ceruicalibus capite paulò elatioribus, ob deſcenſum ſic cibi faciliorẽ, melioremq́; ita inſiti nobis caloris veluti ventilationem. neque enim grauatè adeò reſpiratur tunc, eo nec tanta caloris oppreſſio. Conſilium quoq; in his eſt, ne quis ſe crebrò nimis circumagat verſetq́; in lecto, vt hi ſolent, quos ἀσώδεις vocamus: quod Symptoma eorũ ferè eſt, qui aut nimiũ ſe repleuerint cibo, aut quibus ſtomachus, ventriculi nempe ipſius os, quoquo modo afficitur, aut vtrunque. Ea agitatio, & corporis quaſi fluctuãtis anxietas, impedimentum affert concoctioni, flatũq́ue & rugit⁹ creat: crebraq́; illa nimis ſomni vigiliarumq́; viciſſitudine, & modò ab internis membris ad externa, modò è contrario ab externis ad interna, quum frequẽter nimis id fit, veluti vndabũda reciprocatione quadam, perturbabitur neceſſariò corpus, fluentis ac refluẽtis maris in morẽ æſtuans.

Et quoniam, iuxta Hippocratẽ (Epidẽ. vj.) ἐμφανῶς ἐγρηγορὼς θερμότερος τὰ ἔξω, τὰ ἔσω δὲ ψυχρότερος, καθεύδων τἀναντία. quo monemur, cõtraria quàm in vigilijs ratione, dormiẽtem intùs calere, frigere foris magis: huius quoq; rei habenda in Somno ratio, pluribusq́; noctu quàm interdiu operiendũ tegumẽtis corpus fuerit, muniendumq́; tunc aduerſus nocturni frigoris iniuriã caput. Quod niſi fiat, nõ ſine noxa fiet: nõ itidem quũ vigilamus, quo tempore minùs tectis capite corporeq́ue toto innoxiè eſſe nobis licebit, maximo argumento, externarũ corporis partium frigiditatis in ſomno. Simul ob hoc faciendũ nobis id fuerit, ſimul etiã ob id, quòd quũ maxima ex parte, imò penè ſemper, ineatur, aut iniri certè debeat noctu ſomnus, quod tempus humidũ frigidumq́; cenſetur, hac prætereà quoq; de cauſa tegumentorũ tunc adijci oportebit rationi aliquid. Iam ſi illud quoq; cogitãrimus nobiſcũ, reperiri quoſdã calido vſq; adeò, igneoq́; temperamento, vt, pręter ſomni naturã intrò, vt ſępe iam diximus, abigentis calorẽ, ſi circumambientis prætereà frigore etiamnũ magis eodem impellatur, exæſtuatura proculdubio prorſus his ſint viſcera cuncta intus, niſi integumentorum auxilio occurratur, quibus tanquam reuocatus foras ex parte ſeſe agat calor, aut non tam ad interna propulſus incũbat, extima corporis ſuperficie pluſculis operimẽtis ex calfacta, faciendũ id quoq; nobis aliquando ea de cauſa eſſe iudicabimus: tantùm ne ſtragulis nimio plùs oneremus, quibus ſuccurrere ita voluerimus, id enim calorẽ per omnia etiamnũ maiorẽ introduxerit. Sed id vt huic hominum generi vtile, ne igneſcant nimis: ita contrariæ rationis alijs inutile futurum, quibus viſcerũ frigiditatem demi cum hac caloris ad interiora quibuſcunq; rationibus reuocatione, atq; impulſione, quo fortior ita factus fortiùs quoq; concalefacere partes eas queat, præſtiterit: tum alia in his facienda ad intemperaturæ emendationem multa, de quibus ſuo loco agendum deinde fuerit.

Nunc vel in optimi temperamenti aliquo, quẽ toties iam nobis pro norma quadam

dam

dam propoſuimus, valiturum Hippocraticum illud credimus: ὕπνος ἐν ψύχει ἐπιβεβλημένῳ. Cui ipſi quoque, in frigore dormituro, niſi ſtragulis cooperto benè ſatis totus intrò confertimq; adigi calor non permittatur, accenſum quandoque iri nimio quodam calore viſcera credibile eſt: præter id, quòd & Somni, vt dictum iam eſt, natura, & ambientis frigiditas, atque magis ſemper, quo maior reperta ea fuerit, idē omnino vt fiat, expoſcere videantur, ſub lodice non nimis leuidenſi, hyeme præſertim, & operimentis ſomnū vt capiamus, inquam.

Somnia an hoc in negotio effectus aliquos præſtare queant. Non præſtare, eo quidem modo, quo res ſex non naturales aliæ, longa ſatis diſputatione oſtenſum.

CAPVT VIII.

Somniorum ratio non magnopere tractanda nobis hoc loco eſt, ne ſepta noſtra tranſiliamus, quod hactenus feciſſe nō credimus. nam ſi qua fuère, in quæ digreſſi excurrerimus, (quæ pauca omnino fuère) vtique diuerticula habenda ea quædam ſunt, & eſſe fatemur: ſed de via tamen Medica deducta, & ex Salubris Artis medio prodeuntia, non artem prorſus egreſſa. De Somnijs quid tradi hîc quidem poſſit, niſi Artem ſupra, non occurrit. Ad præſagiēdum quidem in morbis, vel hac quoque Medicinæ, quę nūc nobis in manibus eſt, parte, vt quæ ſæpenumero futuros præſagiant, portendantque, quos faciliùs deinde præcauere etiam poſſim⁹, morbos, inſomnia valuerint. Qua de re nos antea ex Hippocrate & Galeno paucula quædam in tranſcurſu. At Salutaris Artis huiuſce, quā nūc verſamus, quomodo prætereà iuuare parte ex aliqua, aut membro illius alicui rectè addi adſcribive queant, non ſanè diſpicio: non aëri, non exercitationi, non alimento, non his quæ excernuntur, aut retinentur, nō animi affectibus, quanquam hos ſæpe denotant, & ab his fiunt. Sed hoc de indicio ex his capiendo affectionum multarum, cùm in morbis, tum verò hac etiam Medicinę in parte, facilè concedimus.

Illud autem, præſtare aliquid poſſe, effectúmve edere aliquem Somnia, quo opus, quodcunque perficiundum nobis hoc in negotio cēſuerimus, promoueri per ſe primoq; poſſit: nō concedimus. Quod tamen in multis & animi affectus ipſi præſtant, vt opus ſæpenumero faciant, aut faciendum vel maximè iuuent, vt paulò pòſt docebimus, & ſomnus ipſe non minùs, vt iam docuimus. Ac in ſomno quidem fiunt Inſomnia: at ſomni tamen partes non ſunt. Eſſent, ſi cum ſomno ſemper fierent. nunc quot, quęſo, ſunt, qui dormientes nihil interdum ſomniant? vt Gentes totæ eſſe dicātur tales alicubi. nec, vt de ſomno oſtenſum eſt, excalefacere, aut refrigerare, ſiccare, humectum facere, concoquere, replere, exinanire, ne multa, quoquo tandem modo, aut quauis tandem ratione cōſeruare, aut immutare ad Sanitatem vel tuendam, vel præcauendum etiam, aut propulſandum morbos, corpus ſolent. Non deſint quanuis, qui id nobis multis aliquando rationibus perſuadere conati fuerint, promouere Inſomnia morborum curationem poſſe. Quod ſi poſſunt: iam ſine dubio illud non ſanè minùs recipiēdum eſſet, vt & præcauere tuerique nos ab imminentibus morbis poſſint, in valetudine nos noſtra bona cuſtoditos conſeruare, reficere ab ægritudine, temperamentū in melius immutare noſtrum, breuiter, omnia ea peragere, quæcunq; Artis eius munia officiaq; habētur, cuius nūc vias ac rationes aperimus, & præcepta tradimus, Salubremq; vocamus, & ſalutarem eſſe credimus: vtpote quæ altera Medicinę totius, & quidem pręcipua, ac potiſſima pars, cum Curatrice altera maximè conueniat, duntaxat in eo, quòd ijſdem vtraq; nixa fundamentis, ijſdemque progreſſa carceribus, non admodum in diuerſa ferātur: quin ijſdem vtraq; ſimul rationibus operi peragendo ſuo vtatur, maioris tantùm minoriſq; operæ diſcrimine. Cætera eadem omnia, ſubiectum idem, affectionū in ſubiecto dignotio, agēdi qualitas, ratioque, modus, tempus, opportunitas, inſtrumenta, ſupellex, materia omnis: minimè vt ambigendum de eo reſtet, ſi ad Curatricem faciunt Inſomnia, quin factura ad hanc quoque noſtram ſint Præcautricem; ſique fugandis morbis cōferunt, tuēdæ quoq; ſanitati hac in parte cōferant.

Conferre aūt contendunt eo, ꝙ cauſam plerunq; morborum indicēt, qua cognita, certus firmuſque, quantū quidem poſitum in Artis adminiculo fuerit, conſtitui extēplo curationis modus ac via poſſit; imò nō cognita, priùs non poſſit: vt idem trahere ad inſtitutum hoc propoſitumq; noſtrum liceat nobis. Cuius rei ne fruſtra atq; inaniter ab alijs, quum ab Hippocrate ipſo poſſimus, teſtimonia emēdicemus, eſſe magno ſatis argumento vniuerſę Medicinæ, quam hodie habemus, parentis libellus περὶ ἐνυπνίων, De inſomnijs, poteſt, totus propè negotio huic vni dicatus, quo nō factorum, ſed imminētiū poti⁹ morborū indicia, ſignaq; aperiūtur nobis, vniuerſumq; deinde totius ſcriptionis eius eò tantūmodo tēdere videtur

detur opus, vt venietibus morbis occurratur, nō facti tollantur: adscribiq; ideo vni solùm Præcautrici Medicinæ parti debeat, tam quidem, quum illius lectione præcognoscere futuros mox, nisi cauerimus, morbos, quàm quum hos ipsos præcauere docemur. Quæ planè cuncta nos quoque libenter agnoscimus, nec diffitemur verissima esse. Ac de signis ex Insomnijs facilè iam antea concessimus, hícque nunc de præcautione quoque illa & præseruatione libelli illius Hippocratica æquè facilè, libenterque concedimus: at sic, vt significatione quidem somniorū, sed nō per somnia; tuendæque Sanitatis præceptis ingeniosè ab Hippocrate excogitatis, nō insomniorum ipsorum interuentu, nō ope vlla, aut adminiculo, nec quicquam illis de suo tūc ad præseruationem perficiendam operæ prorsus, aut auxilij afferentibus, ea succedant. Id quod præseruare demum, ac præcauere iustum, legitimumque habendum foret, si interuenientibus intermedijsque illis ista fierent; vt somno, vt animi affectibus, alijsque, quæ modò memorauimus, operas in hoc suas operi toti explēdo conferentibus, fiunt. Tanquam signa igitur faciunt, non tanquam causę Insomnia.

Dicent hîc, (scio) concipi plurimū interdum spei ex Insomnijs posse, atq; etiam confidētiæ sæpe, si quis placita sibi & optata somniârit, certoque ideo cōfisus aliquis morbum se inde euasurum, euadat, ac bonæ spei plenus sumpto animo, timoreque omni deposito, quasi recolligens sese spirituum copia, multaque alacritate profliget factum iam malum: longè magis, futurum, atque imminēs. Nemo autem nescit, quantum sæpe spes bona boni ægrotis attulerit, quantumque fides, vel quam adhibere hi Medico plerunque, cuicunque tandem fidant, consueuerunt, ad recuperandam sanitatem, vel maximorum Medicorum testimonio, faciat: idemque, atque adeò longè faciliùs in Salubris Artis huiusce actionibus omnibus futurum sit, vt eueniat.

Verissimè quidem cuncta, non enim dici aliter potest, aut debet, si modò hoc Insomnia sola facerent ipsa, ac non spes potiùs, aut fides, aut conceptum ex insomnijs gaudium, & alacritas, atque huiusmodi: quæ quum inter animi affectus numerētur cuncta, vnamque sibi hi de rebus sex non naturalibus classem vendicauerint, quibus faciendorum hac Medicinæ in parte materia tota constat; nō hoc præstitisse insomnia, sed animi potiùs affectus, quibus insomnia causam dederint, dicemus; minimeque ab insomnijs id, sed ab animi potiùs affectibus, effectum redditum contendemus. Nec Insomnia vnquam ipsa, si hoc tantùm insomnia essent, non autem animi affectus ederent, factura hoc fuerint: quando quidem multa & contrario modo cadunt, & inania abeunt sæpe, ac, nisi affectum quoquo pacto animum relinquāt, nec profutura, nec obfutura quicquam sint. eadem nanque vtriusque ducenda ratio est. Neq; verò eò confugere possunt, vt dicāt adscribi animi affectibus Insomnia, eorumq; augere numerum debere. Quod si esset, inque eorum ritè classem venirent: vinceret profectò. Nunc nō veniunt, manēt insomnia: nisi verò, quæcunque animi affectus, lætitiam, mœrorem, iram, metum, ac reliqua id genus, adferunt alicui, continuò inter animi quoque habenda affectus esset censuerimus. Quis autem somnians tantummodo, hoc vnum, & non aut exhilaratus inde, sanatus est, si lætum fuerit somnium; aut tristior factus non peiùs habuit, mortémve etiam quandoque obiuit, si mœstum? Quis aduenientē morbū effugit, vel etiam incurrit, nisi alterutro horū facto, aut similibus?

At enim plurimi (inquiunt) admoniti Insomnijs, & præsentem morbum euaserunt, & occurrentem vitârunt. Quorum quū innumera recitari possint ex Authorum præstantissimorū, fideq; omni dignissimorum, monumentis exempla: vno esse possumus Galeno authore cōtenti, quē cū suā ipsum aliquādo insomnijs salutem acceptam retulisse, tum idē non semel de alijs ꝓdidisse, & patrij numinis sui Aesculapij ad morborū curationē in templo somnia ęgrotis immittentis meminisse, legimus. Et ad antrum Charonium, Strabo, Iunonisq; delubrum in luco pro ægrotis ipsis sacrorum inibi peritos dormientes curationem ex insomnijs captare, author est, vt non ægrotis solùm ipsis pro membrorum suorum sanatione, sed alijs etiam pro aliorum salute immitti somnia sciamus. Quid tū? num proptereà Somnijs curatos ægrotos dicemus illos, quibus somniorum monitu adhibita curatio fuerit? æquè ac si oblata fortè herba rerum Medicarum imperitus aliquis sanādos doceat Quartanarios. Fortuita ista sunt, nec arte vlla continentur, quod nos quærimus: præterquàm quòd non ea est nobis hoc loco de rebus his quæstio, quæ, qualisve, aut curādi & præcauendi morbos, tuendæque quomodocunque aliter Sanitatis, ratio modúsve sit, (id quod posteà fusiùs commodiusque sua operis in parte tractabitur) sed ceu instrumēta, quibus id fiat, quærimus: nec Somnia hîc an retinendæ recuperandæque sanitatis viam ac rationem ostendant, sed an interuenientibus his assequi nobis id liceat, inquirimus: quumque antea per nos ipsi rei huiusce methodum inierimus, num per somnia, somnio-

somniorumque auxilio, remedio, instrumento, medicamento, sanare, tuerive sanitatem queamus, vt somno aut vigilia, quarum causa de somnijs quoque quæstio hæc existat. Certo autem certius est, eo modo Insomnia præstare nihil omnino solere, aut posse. nam ad scribi animorum affectibus nequire, pauló antè docuimus, qua vna ratione venire rerum sex non naturalium in censum, eoque instrumentorum nostræ huic Medicinæ parti destinatorum subire rationem, possent.

Sed enim (rursus inquient) è cœlo mittuntur Somnia, & à Deo sæpe sunt, & cœleste & diuinum somnium est, in quo liberiùs anima, corporeis retinaculis quasi soluta iam, functionibusque ac gubernaculis, quæ circa corpus sunt, nuntio remisso, altiùs euolans, propioreq; ad diuinas substantias applicatione diuinitatis cuiusdam particeps iam facta, multa, multoq; potiora, edere intelligendi, ratiocinãdi, consultandi, deliberandi, vaticinandi, huius ipsius rationis, de qua nunc agimus, sanandi, defendendiq; à morbis corporis, seorsum ipsa posita edere opera queat. Vincũt hæc, non esse veluti instrumentorum in Insomnijs vsum peragendis his, quod nos volumus: sed faciendorum inesse rationem quandam ostendunt, quod non negamus, nimirum non qualem nos sequimur, ac diuinitus potiùs instillatam tunc, & ἐπέκεινα τῆς τέχνης. At quod supra Artem nostram, nihil ad Artem nostram. Nostra nanq; Ars habitus est animæ recta quidem ratione facientis, sed corporis tamen functionibus vacantis, eiusque muneribus, ac sensuũ officijs vtentis, ad res suas, actionumque suarum rectiùs ac certiùs obeundarum rationes deinde methodo sua aptè colligendas. Ideo quæ per Insomnia fient vtracunque Artis in parte opera, fiẽt illa quidem, & sanationis, & præseruationis erunt: at Artis nostræ non erũt. Neque enim necessarium est à Rationali semper Medico introduci sanitatem, aut defendi: sed & Empiricus eam potest, & Methodicus inuehere, & incantationes, & casus, & fortuna, & miracula, & eiusmodi alia quædã, facere, quam Rationalis certè Medicus non fecerit. Ita quoque Insomnia hęc ipsa si quid vsquam opis Medicæ præstiterint, alterius generis id fuerit, nõ nostri. Quod enim supra nos, quemadmodum dictum iam fuit, nihil ad nos. Iam tum nanq; anima quasi supra hominem, nihil propè hominis facit, nec humanas ritè artes, nec humanè consuetoque exercere modo potest: nec, si aut mœret, aut lætatur, aut tale quippiam agit somnians ipsa extra corpus propè iam posita, officijs certè corporeis bona ex parte renuntians, redundare id in corpus, ipsumq; magnopere afficere videmus. Eoque nec affectus esse dici ve rectè potest: quoniã recta animæ affectuũ notio est, receptaque, quoties in commercium trahitur corpus vnà, vsumque aut noxam aliquam persentit affectum. Hæc autem sicuti dicuntur, ita nihil, quàm insomnia, aliud sint, nimirum ὀνείρατα: res quippe nihili, nulliusque rebus hoc in loco nostris augendis momenti. Nos enim vt Artis, quam excolendam hîc suscepimus, partem hanc cõstructam erigamus, ὕπαρ, non ὄναρ quærimus.

Εγρήγορσις & ἀγρυπνία, quasi Vigilantiam & Vigilias quasdam dicamus, quomodo differant: & quæ vicissim commoda, atque incommoda afferant. ἀγρυπνίη βορρὸν Hippocratis dictum quomodo accipiendũ sit: & quousque vigilâsse conueniat.

CAP. VIII.

NON fuerat valde necessarium de Vigilijs addidisse, dicto antea de Somni, Somniorumque natura: quippe prodũt se inuicem contraria, naturamq; manifestant suam, vt altero cognito, neque ignotum statim futurum sit reliquum; facultatesque ac vires eius continuò sese aperiant, compertis alterius, opposita tantummodo seruata ratione: vt, si somnũ humectare sciuerimus, vigilias quoque quamprimùm siccare sciamus. Et quantum quidem huc spectat, verum est: non enim necessarium est. At quoniam priuatim de Vigilijs, sicuti de Somno quoque, dici, considerarique quædam possunt, intantum, si seorsum tractentur, futurum in eo operæpretij tamẽ aliquid sit. Etenim diuersum omnino quiddam in vtroque conspicitur, vel in ipso statim vtriusque ortu. Somnum quidem inchoamus sensim, placideque, somnolenti primùm simus, tum etiã soporosi, antequàm dormire incipiamus; penè insidiantẽ, paulatimque surrepẽtem somnum sentimus, continuato semper progressu. Excitamur autem à somno repentè, clamore, strepitu, turbulẽtis insomnijs, tangi quum nos sentimus, aut qua alia de causa, subitaria in his facta mutatione, intercisè semper. Atque vt horum nihil sit, ipsique per nos expergiscamur, peracto placidi prorsus somni totius tempore: repentino tamẽ adhuc id à somno in vigilias trãsitu fieri experimur, apertisq; extemplo oculis, & diductis palpebris vigilamus, maxima immutatione, propè alij facti, quũ clausis nec statim dormiamus, nec semper. Itaque in excitis à somno

mno confeſtim cùm aliter immutari diffe-
rentijs quibuſdam pulſum, tum etiam per-
turbari tangentes ſentimus, violenta qua-
dam innati nobis caloris ab interioribus in
extrinſecas corporis partes, perque totam
habitudinis molē delatione. Collecta nan-
que per ſomnum ex cibariorum elaborati-
one humiditate in meatibus, perque cor-
poris omnes, ad extimæ vſque ſuperficiei
ambitum, partes, vaporoſa materia multa,
non ſanè facilis calori neque expeditus per
obſtructa erumpēti foras progreſſus. Hinc
illa perturbatio pulſantis arteriæ, hinc pā-
diculationes, à ſomno vaporoſæ ſemper
per muſculos diffuſæ materiæ ſoboles, na-
turæque effectus, diſtortione partium ea
noxæ ſenſum diſcutientis, abigentiſque:
qua cum ſomno excuſſa, ἐγρήγορσις eſt, nem-
pe iuſtum vigilandi, humaniſque actioni-
bus omnibus edendis accommodum, tem-
pus.

Nam ἀγρυπνία immodicæ fortaſſe vigi-
liæ quædam fuerint, penéque iam morbo-
ſæ, aut coactæ illæ, quæ exiccando, magnó-
que ſæpe corpori incōmodo futuræ ſint.
ἐγρήγορσις autē vigilantia quædam iuſta eſt,
obeundis rebus, peragendiſque negotijs,
quorum perneceſſarius vitę humanę com-
modè ducendę vſus, opportuna; tum ſine
qua vita noſtra, vitęque noſtræ commodi-
tas omnis atq; vtilitas, quæ actionibus con-
ſiſtit, caſſa, mancáque, ac peritura tota fue-
rit. Hanc commēdabimus ſemper magno-
pere, tanquam rebus noſtris maximè, atque
inprimis neceſſariam, tantum abeſt vt da-
mnemus, donec iuſtum vigilādi peractum
tempus ſit: vtpote qua excitentur ante o-
mnia ſenſus, muniáque ſua potiſſimùm
tunc exerceant; commotiones corporis
omnes vigeant, nihil in eo ferietur, viuant
omnia, vitæque officia alacriter obeantur
cuncta; vnamquanq; partem ſpiritus per-
ambulent, inque vniuerſa ſeſe membra ad-
dant, obitis motionum omnium differen-
tijs, ſurſum, deorſum, retrò, prorſum, ad
dextra, ad ſiniſtra vagi, ſed corporibus ta-
men viuificandis, atque alendis neceſſariò,
commodè, atque officiosè. Iam quo alio
tempore excrementis repurgatum corpus
ſuis emundatur omnibus quàm vigilando
meliùs? Hæc eſt ἐγρήγορσις, vitæ commoda,
vt par eſt, ducendæ ac perquàm neceſſaria
noſtræ, quam Vigilantiam interpretamur:
neque tamen ſic religiosè, vt non & Vigili-
am dicere nos eandem poſſe arbitremur,
ſicuti & ἐγρήγορσιν ἀγρυπνίαν: modò rerum
nobis ſignificata conſtent, & alteram mo-
dicam, conuenientiſque, ac iuſti temporis
vigiliam faciamus, potiorem illam: immo-
dicam alteram, temporiſque iuſti exceſſu
damnatam. Qua partes corporis totius exa-
refactæ tandem reſiccantur, cerebrique in-
primis temperamētum corrumpitur, hisq;
ipſis vigilijs affectū vigilias alias parit, ma-
gis magisq; ſemp imbecille redditur ipſum;
ratiocinandi vires confunduntur, pertur-
batis vigiliáque nimia mixtim inter ſe con-
curſantibus rerū ſpeciebus; exaſſantur hu-
mores, acutique morbi gignūtur; ſpiritus
diſſoluūtur debilitati, repletúrque caput
vaporibus; exæſtuat primò corpus, tum
verò etiam ſiccatū nimis refrigeratur, for-
máque eius corrumpitur, ſplendido flori-
dóque colore illo amiſſo, totóque ceu fœ-
dato, ac veluti lurido ſæpe facto, excauatá-
que oculorum ſede; ac concoctio tandem
impeditur, biliſque plurimum procreatur
flauæ, ac cruda tamen intereà atque incon-
cocta cuncta manent, nō operato ſatis cir-
ca viſcera calore, quem quidem vigiliæ ni-
miæ foras ad corporis ambitus ſuperficiem
euocant. ἀγρυπνίη ἰσχυρὴ, ait Hippocrates,
(De rati. vic. in mor. acut. ij.) πῶμα ϗ σιτία
ὠμὰ, ϗ ἀπεπτότερα ποιέει, ϗ ἡ ἐπὶ τὰ ἕτερα αὖ με-
ταβολὴ διαλύει τὸ σῶμα, ϗ ἑφθότητα, ϗ καρηβαρίαν
ἐμποιέει. Fortis, inquit, vigilia potum ac ci-
bos crudos inconcoctósque reddit, atq; in
diuerſa mutatio corpus diſſoluit, elixatio-
némque, & capitis grauitatem adfert, vt ſi
ſomno nimio atque inconſueto veluti eli-
xum excoctúmque corpus robore ſuo ſol-
uitur, (ita quidem vulgò quoque dicentes
nonnullos audias. Ille, aiunt, ſomno ſe to-
tum coquit) idque humiditate ſuperflua
calidáque, quæ elixandi ratio eſt, contingit
vigilijs quoque immodicis exarefactum,
ſubſtantiæque multæ diflatione exolutum
debilitari, ac caloris tunc partium, quæ in
profundo ſunt, paucitate incōcoctionem
ſentire queat, accedentéque cruditate, mox
tamen calore ac ſiccitate nimia, quam vigi-
liæ pariant, bilis nō ſanè parum tunc quo-
que generetur. Atq; hoc planè fuerit, quòd
vtraque, ſomnum atque vigiliam, alibi
(Aphoriſ. ij.) Author idem malo eſſe pro-
nuntiārit, exceſſu immodico: qui nihilo-
minùs aliquādo ſcripſerit, ὕδωρ βορβόν, ἀγρυ-
πνίη βορβόν. Quod ea intelligentia accipien-
dum eſt, vt ne inſigniter tamen debilitētur
inde vires. Nam quū ex vigilijs plurimum
ſubſtantiæ euaporatum digeratur in hali-
tum corporeæ, quæ refici mox poſtulet,
hocq; ipſum appetentiam demum faciat; ſi
nimium tamen id fiat, etiam hanc deiectam
adimet, deiectis debilitatiſq; viribus, nedū
torpentem excitet. Tum verò ſi cubitū nos
conferentes exacta noctis parte dormiēdo,
reliquam inſomnē duxerimus partē, nihil
aliud tum, quàm vigilantes, vel potiùs ſo-
mnum oculis capere impotentes quauis de
cauſa, ne ſic quidem ἀγρυπνίη βορβόν. Quin
exoluitur eo pacto virtus potiùs, minusq;

& appetimus, & concoquimus. nec enim inculpata distributio fit, eoq; nec appetentia, quòd nec vigiliarū satis sit, & quę sunt, decumbendo tantùm, non satis digerere in corporis ambitum, perq; euaporationem emittere alimenti substantiam potuerint, ex quo fames: simul verò inchoatus propemodum solùm somnus concoctionem perferre ad extremum nequit.

Vna propè illa ἀγρυπνίη βορρόν, quæ aut nullo intercisa somno fiat, vt in peruigilijs quibusdam cōtingit, agentibus semper aliquid nobis; aut aliquo tamē intercedente somno, temporis reliquum nō segni nimis decubitu, sed actionis genere tandē aliquo placidè transigatur. Sic enim & exinanitio sequetur corporeæ molis, appetendi cibi desiderium secum statim trahens, nec aliquod virium expectari inde incommodum debebit, effatu quidem dignū. Quod quum primùm animaduertetur, viriumq; labentium sensus aliquis suborietur, iam tum nullus vltrà vigiliarum vsus.

Quamobrem eò vsq; vigilâsse cōueniet, dum vegetū adhuc corpus sentimus, motusq; omnes cū alacritate exercemus, ac sensus vigere etiamnum, muniaq; facultatum suarum cuncta nondum oscitabundè torpidam obire animā posse viderimus. Post id dandum quieti, somnoq; concedendum temporis quantum concoctioni peragendæ satis sit, recreādisq; spiritibus, quorum refocillatu hilares redire ad officia vitæ, muniaque exercenda, ac subeundas validiùs cum facultatum omnium robore functiones queamus, suas quisque.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

Animarum affectiones diuersè tractabit Philosophus, & Medicus. ἁμαρτήματα, & παθήματα quæ dicantur. Non rectè sensisse Stoicos, qui Iudicio cuncta tribuerint: in quo multo meliùs iudicâsse Plato & Aristoteles demonstrantur.

CAPVT I.



Hinc ad animi affectus trāsgressi, sic nobis eos tractandos sumemus, vt meminerim⁹ Medicos nos hîc agere, nō Philosophos debere, quorū præceptis atq; doctrina benè moratos esse oporteat, integritatem tantùm animæ capessentibus illis ex hoc, & ne quo pacto vitiosa, quæ ægritudo animæ est, reddatur procurantibus. Hactenus Philosophi tantùm: quò quum peruenerint, cessaturi in officio suo sint, nec magnopere curaturi, qua quidem Philosophi, quid inde in corpus boni, malíve redūdet, & vt perueniāt, præceptis institutisq; Philosophię facient, vt ex anima abigantur: hacq; vsi magistra, ac rerū, quas tractaturi sunt, explicata natura, componendos esse mores, vt sua animo sanitas integra maneat, quoq; hi componendi modo sint, docebūt: si modò doceri possunt. Possunt autē, ex maximorum Authorum sententia, modò diligens prætereà ac diuturna consuetudo accedat, qua rectis animi iudicijs, præcurrentiq; agēdarum rerum rationi inferiores illæ, proinde deterioris quoq; notæ, partes, tāquam dominæ parere, dictoq; audientes esse assuescant, mosq; ita introducatur, vnde Moralis Philosophię pars ea, vt opinor, appellata, quæ regendis instituendisq; moribus dicata est, ac virtutem, qua diximus ratione, docet. Hac morum ita compositione, virtutumq; habitu, quē Philosophus humanę menti animoq; induerit, libentissimè Medicus ad rerum suarum vsum trahet, proq; instrumento vtetur Sanator, sanitatisque Tutor, isq; inprimis atq; omniū maximè, ne de sanitate sua corpus affectionum animæ turbine, aut procella aliqua impulsum deijciatur, vitabit ipse, & quàm poterit longissimè, ne quid tale animo occurrat, néve qua occurrendi occasio detur, prospiciet: nec tam instruet, aut docebit, (nam hoc esse Philosophi munus diximus: ac si præstare idem Medicus poterit, tanquam Philosophus poterit) quàm admonebit diligenter, ac iubebit seuerè, noxis incommodisque, quæ sequi ista soleant, quæq; ineuitabilia, nisi initio caueatur, futura deinde sint, ostensis, ac veluti sub oculos positis omnibus: hócque, quū malè casura hæc arbitrabitur. Tempus enim erit, quum in rem hæc

quoque

quoque suã vertat aliquãdo, quoties paululùm inclinata alicuius istorum occursu, antequàm in morbum prorsus lapsa cadat, cõtrariæ affectionis adhibitione reuocanda fuerit sanitas. Instrumẽta nanq; sunt, & faciendi materia in his, quemadmodum in commemoratis superiorum rerum tractatione omnibus alijs, vt Artificis tãtùm manum moderationémque, ac veluti iussa expectent, bonóque, & cessura malo sint, pro vtentis dexteritate. Quapropter eorũ natura, vt sciatur, monstranda, quæ quidem factura proposito institutóque nostro sit: quo videlicet & opis aliquando inde ad vsus nostros aliquid accersere, quod tamẽ in hac quidem Salubri Medicinæ parte rariùs omnino cõtingit; & euitare prorsus, proculq; à nobis repellere nouerim⁹, quod sæpissimè, imò verò semper, si æqui vndique temperamenti, ac reliqua mediocriter habentem cuncta, propositũ nobis ante oculos, pro regula amussiq; nostra, (quod facere debemus) habuerimus aliquem. In hoc siquidem nunquã affectionũ passionumq; animæ ratio omnis non damnanda, maximopereq; semper fugienda: in reliquis vsus aliquando illarum veniet, vt, quo narrauimus casu, labascente iam sanitate: neq; tamẽ in collapsa iam ex toto, penitusq; amissa, non aliqua inde etiam peti sumiq; commoditas possit. Sed hæc alterius iam, quæ Therapeutice est, partis opera.

Πάθη appellamus hoc loco animi affectus & affectiones: Passiones non permittẽt nobis dicere Latiniores. Quòd si per eos liceret, hæc quoq; vsu emolliri posset, aut potiùs emollita iam diu essent, & vberior facta Latinitas. Nunc Græcissare malumus, & Pathemata dicimus, Passiones dicere veriti. Sed sint sanè nobis affectus hi animorum ægritudinésque ac morbi, quos duæ illæ animæ potẽtiæ ac facultates ferãt, θυμοειδὴς in corde domiciliũ suum posuisse ostensa, & ἐπιθυμητικὴ in iecore. Harum virtutes, ac vitia sunt: sicuti & Superioris animæ partis, quæ ἡγεμονικὴ est, & Ratiocinatrix, scientia, virtus; vitium, ignorantia, deceptio, error. in iudicando enim posita ea est, sciendóque, ac cognoscendo: vt aut virtute futura integra sua sit, si rectè hoc fecerit; ignoranter atq; errabundè, si secus. Inferiorum Irascibilis primò, quam dicunt, & θυμοειδὴς est, maxima fortitudo virtus: vitia, timor, metúsque, & præceps temerariáque audacia, animi deiectio, excandescentia, iracundia, ac veluti iræ efferuescentia quædã, multáque prætereà eiusmodi vitia, virtutesque alię. Cõcupiscibilis, quę ἐπιθυμητικὴ erat, cũ aliæ moderatę cupiditates nõnullę pro virtutibus certis sunt, tum vel maximè temperantia, ac cõtinentia: altera, suscepti iam habitus, & in hũc induti animi, tum cui nulla iam aduersus cupiditates pugna: proficientis, longeq; procedentis in virtute capessenda, altera. Cõtraria his vitia incontinentia, quæ ἀκρατεῖς facit, quum ratione cesserit cupiditas, sed tamen ex aduerso pugnãti; effrænisq; ad multa libido, quę ἀκολάστους, proteruos doctiorib⁹ dictos, nempe calcato pudore omni, & protrita supplantataq; ratione, in cupiditates, exuto iudicio, delatos innumeras. bellua enim multorum capitum est illa.

Iam Græcis ἁμαρτήματα huiusmodi non sunt, nec dicũtur quidẽ. Rationis enim ea esse iudicantur non rectè colligentis, aberrantisq; à cognitione rerũ iusta. inde sanè errores, errataq; dicuntur. πάθη autẽ & παθήματα sunt, itáque nominantur, animi, vt dictum est, affectus: nos, & ægritudines, & morbos, deterioris scilicet notæ facultatũ animæ duarum illarum vitia, dicemus seorsum, separatimque, per se censenda.

Et fuere ex Stoicis, qui reducere omnia ad rationis iudicium conati sint, aut hoc ipsum certè iudiciũ insequi contenderint, nulla omnino vt essent pathemata: sed cũcta iudicãtis, rectéque an secus ratiocinantis, animę partis haberentur; atq; in erroribus ita tantummodo opinione nostra decepti, nec rectam cognitionẽ sequuti versaremur, non etiam cupiditatibus, aut affectibus traheremur, sublatis hoc pacto ambabus animæ, quarum tam manifesta appareãt vbiq; nobis, ac tam altè impressa vestigia, facultatibus; aut, si non hoc, illarũ quidem officijs abolitis: pessimè in hoc sentientes, nec aduersarij solùm veritatis facti, sed viam nobis præcidentes omnẽ educandorum rectè liberorum, instruendæq; ad imbuẽdos ritè ab initio mores tenellę ætatis, primosq; ac ineuntes annos ad suscipiendam deinde vitæ reliquę totius inculpatam institutionem informandi: hoc est, fundamenta nobis futuri boni viri subruentes omnia, & iter præstruentes ad malitiam, vitiorumq; genus omne, in quæ proni alioqui, procliuésque, ac nostrapte natura propẽsi ferimur. Quid enim futurũ aliud est, aut q̃d expectabimus, si, nullas has esse facultates, nulláve illarũ officia, iudicato, cũctisq; vni rationis iudicio permissis, deinde nec iræ, quæ nulla sit, inchoantes primò ignes restinxerimus nimię; & cupiditatum exerentia se tot vndiq; capita retuderimus, dũ licet, priusquàm, sumpto incremẽto ac viribus, altissimè sese efferant, supraq; rationem attollant, despicatui mox hanc ipsam & contemptui, cumq; hac cuncta illius, habitura? Frustra sine dubio, vt existimo, rationis iudicia expectabimus, cui non antè parere, præstoq; esse docuerimus, atq; adeò assuefecerimus quosdã illius veluti satellites, ac ministros, quasiq; auxiliarem

liarem manũ quandam, & famulantẽ, quarum alteri Iraſcibilis ſeu animoſitatis, alteri Concupiſcibilis ſeu cupiditatum illa ſimilima eſſe reperietur potentia.

Quamobrẽ lõgè meliùs his ſummus Philoſophus Ariſtoteles, atque Ariſtotele ipſo Plato, Philoſophorũ omniũ ſydus quoddam, cùm exactiùs, tum veriùs, rebusq́; noſtris cõmodiùs de his nobis tradidiſſe videri poſſint. Quorũ Ariſtoteles, non modò diuerſa nouit animæ officia, ratiocinandi, iraſcendi, deſiderãdi, facultatesq́; has attulit, ac tripertitã quãdoq; (Topic. v.) animã dixiſſe viſus eſt, partesq́; fecit ἐπιθυμητικὸν, & λογιστικὸν, & θυμοειδὲς, nõ ſemel: verùm etiã his tanq̃ doctrinæ vniuerſæ ſuæ fundamẽtis iactis, qualẽ ac quantamcunq; ſcriptam nobis reliquit, totã partibus hiſce diuerſis accõmodatam aptiſſimè exædificauit, λογιστικὸν quidẽ vbiq; exercẽs, quicquid nos doceat: at diuerſos ſemper profeſſus habitus rationalis partis, reliquarumq́; duarũ irrationaliũ, quas ideo ἀλογίστους vocant, videlicet ratione carentes. Quippe τὸ λογιστικὸν excolimus ſcientia, hoc tantũ, nihil pręterea, hocq́; ſciẽtes nos facit; moratos autem, expolitũ excultumq́; ritè τὸ ἐπιθυμητικὸν, & τὸ θυμοειδὲς. Cęterùm Plato etiã ſpecies animę dixiſſe tres, diſſimilesq́; inter ſeſe, adeóque aduerſantes ſæpe feciſſe, varijsq́; ideo eaſdẽ ſedib⁹ collocâſſe animaduertimus, Medicis vſibus, functionibusq́; omnibus, quotieſcũq; partes eę, ſpeciesq́; animę, quomodocunq; offenſam aliquã incurrũt, cõmodiſſimè, & perinde ſedandis quoq; animæ affectibus, atq; ægritudinibus, tollendisq́ue, aut mitigãdis perturbationibus, nec commodè, nec aptè aut cõcinnè minùs: vt, quibus corporis partibus applicanda eſſent remedia hac in re, nõ neſciremus, quãto quidem magis cũ corpore ſemper affectus ipſi ſunt, vnde affectus dicti, vt quibus maximè afficiatur corpus. ἅμα γὰρ τούτοις πάσχει τι τὸ σῶμα, ſi Ariſtoteli (De anim. j.) credimus. &, τὸ ὀργίζεσθαι, inquit, κίνησις τὶς τοῦ τοιοῦδε σώματος, ἢ μέρους, ἢ δυνάμεως. Motũ audis corporis quendam, aut partis, aut facultatis: vt in ea, q̃ de his dicta à nobis antea fuit, ſentẽtia confirmemur, illudq́; demũ colligamus, cuius gratia cuncta hæc attulimus, neminem, q̃ Medicos, præſertim Platonem ſequutos, meliùs animi affectus, quod ad corporeę, in qua domiciliũ ſuum poſuêre, materię rationẽ attinet, aut ſanare, aut ne fiant prohibere, aut factos inchoatosq́; tãtùm coercere poſſe, ſi qua tandẽ, pręter pręcepta inſtitutaq́; Philoſophię, petenda à Medicis hoc in negotio remedia fuerint. Soli nanq; hi demũ nouerint, quæ quoq; in affectu tractanda pars ſit in corpore, cui adhibẽda auxilia; tũ, qua id ratione, quibúsve faciendũ viribus facultatibusq́; ſit: vt Cordis ſedi, ſiquidẽ correptũ fuerit, aut, ne vehementiùs corripiatur his vel illis affectibus, periculũ immineat, hac & hac ratiõe ſubueniamus; pariter & Iecori, ſi ſui generis alijs. quorũ omniũ ſuo deinde loco ſpecimen aliquod exhibendũ habebimus. Nunc præmiſſa hæc oportuit, vt, qua Philoſophis, quáve Medicis, de rebus his dicendũ tractãdumq́; ratione eſſet, non ignoraremus; ſimul adductis eodẽ maximorum Authorũ dictis, collatisq́; in vnum eadẽ de re ſententijs, meliùs cuncta elucidarentur; ſciremusq́; à quibuſnam tandẽ ſtandum nobis eſſet, quarumq́; eſſe partiũ deberemus, modò rationes noſtras ſequi voluerimus, neque à principijs, noſtris, totiusq́ue exædificationis Medicæ, quæ nobis tam diu antea optimi οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες iecerunt, fundamentis diſcedere, conſtitutum apud nos habuerimus.

Damnum corporibus ex nimia ratiocinandi functione obueniens. Et breui poſſe Rationalem animæ partem doceri: Irrationales autem condocefaciendas & conſuefaciendas eſſe longiore temporis ſpatio.

CAPVT II.

NEq; tamẽ ſolæ hæ deterioris cõditionis, atq; irrationales meritò habitæ animæ partes negotiũ nobis faceſſint, affectibus, perturbationibusq́; ſuis, ad perturbandã ſanitatẽ. Ratiocinatrix quoque ipſa, ac veluti in arce ſumma collocata pars, quanquam non illa quidẽ craſſiori materiæ admodũ addicta, cuiusq́; ſæpe caput mens, relicto domicilij ſui carcere, ac ſumma intelligẽdi vi vſa ſæpenumero, ipſa ſeſe inter ſeparatas intelligentias ipſas abdat: corporis nihilominùs cõmercio vſa, & tẽperamento conſentit illius, rurſusq́; huius ipſius viſuntur in corpore altiùs ſæpe impreſſa operũ actionũq́; veſtigia, non tam quidẽ quum lucubrationibus nimijs ingeniũ exercemus, & peruigilio ſæpe ductis inſomnibus noctibus vigilandi conſuetudinem introducimus, (id enim vigiliarũ potiùs ſit, de quibus dictum antea fuit) quàm quũ cogitationibus cõtinuis, inquirẽdisq́ue, atq; inueſtigãdis ratiocinio omni, quęcunq; nobis, quacunq; in arte, aut ſciẽtia quærenda propoſuerimus, intẽti in eo laboramus; ſpirituumq́; ita diſtractione animaliũ primò, tum deinde reliquorũ quoq; diſſipatione, naturales functiones, impeditis per corpus omne cõcoctionibus, ab officio ſuo auocamus, vitæq́; inſigne ſæpe ita nocumentũ inferimus noſtræ. Ex quo Mineruam nõ ineruditi quidam, quòd neruos imminuat, non ineptè dictam autument.

Atq; ita ſanè fiet, vt omni ex parte, niſi optimè tractetur, illatum ſibi ab animæ facultatibus

cultatibus

cultatibus omnibus detrimenti semper aliquid sensurum corpus sit. Cæterùm, quod ad animę facultatem Ratiocinatricem attinet, vnus est, ne noxa inde corpus insequatur vlla, modus, si modus adhibeatur, & moderamen quæramus studiorum: ne horũ amœnitate pellecti, plùs quàm ferre corpusculi interdum nostri vires possint, nimiam illis, & intempestiuam sæpe operam nauemus, atque, quod facetè inprimis dici à multis audiui ipse, ne sciendi amore qualitatem vtcunq; hãc adepti, nostri substantiam destructã perdamus, aut labefactemus saltem. Idq; positũ in nobis est, vt & quum volumus desistere à laboribus his, & assumere, iterum quum animus fuerit, liceat.

Quod in animæ affectibus minimè licebit. Assuescant priùs oportet geminæ illæ Irrationalis animæ partes imperata facere rationis superioris, quod fieri momento temporis haud potest: diu antea multumq; veluti condocefaciendæ erunt, vt id facere discant, quod partiũ suarum sit, munusq; atq; officium suum impleant. Sicuti planè ne dediscũtur quidem statim ista, quæ bonitatis priùs habitũ acceperint, ac benè moratum hominem induerint. Nemo repentè malus, dictum quidem id Sapientis, ita nec improuisò bonus, qui ingressi iam firmiorem morum suorum habitum fuerint malũ bonúmve. de his enim accipiendũ. Non sanè ex Epicureo, & affectuum voluptatumq; omnium mancipio, extemplo fieri quenquam Stoicum videmus summum illũ, cui affectus, perturbationesq; animi suæ in manu omnes sua sint, quas pro arbitrio regat moderetúrq; suo, quique tot tantarumq; absolutarũ virtutum diues subitò euadat, seq; deniq; Regum appellare regem meritò possit, neq; verò dolorem vnquam fassurus malum sit, derepentè, vt dixi, ex Epicureo Stoicus factus, non professione, & studio, & quandoq; simulatione, intelligo, sed vita. Cęterùm nec rursus ex Stoico cõfestim ita Epicureus vt fiat aliquis videmus. Ita mediusfidius est, sic re ipsa experimur: disputare de his, versaréque in partes omnes, ac rationis dictatis parendum atq; obtemperandum semper esse, & ne latum quidem vnguem discedendum ab ea, cuius ductum flexúmque, ac habenarũ moderamen in summo sedentis, frenati volentesq; sequãtur iugales, atq; adeò nutum eius intelligant, faciántque, ostendere, demonstrareq; rationib⁹ atq; argumẽtis vel breui temporis curriculo non ita difficulter possumus: vt aũt idem illud fiat, verbaq; res sequuta ipsa comprobet, breui quidem non possumus: longioris id temporis opus, quo leonẽ, multorumq; ac diuersorũ capitum belluam alteram illam domitos, rectorem placidè sequi suum consuefaciamus. Atq; hęc lõgè diuersam esse superiorem animæ partem illam ab inferioribus his ostẽdent, secus quàm Stoici opinati fuerint.

Quæ mala Curas, & Solicitudines animi sequantur: quæ've, Timorem, Tristitiam, Mœrorem, Pauorem, Trepidationem, Exanimationem, Odium, Liuorem: & quamobrem.

CAP. III.



Vo magis annitẽdum erit, quum nondũ nos tantos in Philosophia ꝓgressus fecisse viderimus, vt tẽtati resistere valeamus, primùm, vt ne animæ nostrę interiora irrumpãt hæc: tum deinde, si fortè irruperint, ne occupatam teneãt, depellanturq; extemplo, nimio quàm læsura, si diutiùs manserint, principemq; de statu sedeq; sua deiectura partẽ, ac turbas corporibus cõcitatura ingentes, semper aũt vt iacturã sanitatis suę aliquam faciant, & aut morbis tententur, effectura, aut morbos etiã incurrant ipsos, eosq; non leues. Neq; enim leues existimãdi morbi fuerint, ardens, hecticaq; febris: quarũ altera inter acutos quũ numeretur, vitę discrimẽ semper secum adfert: (nõ enim alia acutorũ natura censetur) altera paulò altiùs corporib⁹ addita certissimũ ineuitabilis mortis præludiũ est. Atqui vtranq; Ira certè fecerit, ardentẽ aũt etiam paulò vehemẽtior atque intenta nimis rei alicuius cogitatio. Eosdẽ legimus affectus, Tristitiã, Iram, Metũ, facere abortũ, & qd non, quæso, aliorũ quoq; malorũ posse? Mœrorem quidem & curas appositissimo vocabulo Græci μελεδῶνας vocant, quippe quibus mẽbra absumpta exedantur, subscribẽte in hoc Hippocrati quoq; ipsi Galeno, diserteq; inprimis docente nos, quàm animi solicitudinibus & ærumnis facta in corpore exiccatio, exsiccatiõe alia deterior sit. Etenim animi sæpe ægritudinũ fluctibus agitatum, atq; ingenti curarũ ęstu accensum corpus, partibus suis colliquescit, mollioribꝰ pręsertim, & si qua tenerior, cõcretæq; nuper similis reperta in corpore caro fuerit: abitq; deinde in solidiores quoque non minùs partes ipsas siccitas. Colliquationis aũt pars tenuior, serosaq; magis, discedit primò illa quidẽ, & in auras exhalata diflatur: at crassior magis manet, quę tẽpore deinde glutinosior facta muci similitudinẽ quandã refert. Atq; ita & mẽbra ipsa interiùs siccescẽt ęstuantibus curis exesa, & mucore circũ replebuntur ex liquationis efferuescentia collecto. idq; ferè transmissum recipi in articulorũ cauitates solet. Μυξωδέστερα τοῦτα πάντα τὰ ἄρθρα τοῖσιν ἀσάρκοισιν, ἢ τοῖσι σεσαρκωμένοισιν ἐστίν, iuxta Hippocratis (De artic.) sententiam, quod etiam difficiliorẽ reddat luxa-

tarum partiũ illarum repositionem, ne videlicet mucoris lubrico fluxæ lapsæq; iterum excidant, reponẽdæ iterũ iterúmque, nisi ignis tandẽ vi vstulatis partib⁹ succurratur. Tantum aliquando (quod nõ facilè quis credat) ex nõ benè compositi animi affectibus prouenire mali possit: præcipuè verò, anxietudinibus, atque angoribus. sic enim quoq; vocãt, ꝙ animus inde arctatus angustusq; factus solicitè angatur, atq; anxiè tractetur. Omniũ nanq; maximè Cura is ac solicitudine, & anxietatib⁹, hisq; ipsis, quos dicebamus, angoribus, qui tristitiæ & mœrores quidã sunt multiplices, multisq; sępe de causis afficitur, affectusque deriuat in corpus malũ, possesso primùm quidem corde, velut arce expugnata; tum facilè deinde hinc in reliquũ excurrẽs, ac proxima quæq; inuadens, depopulatur Solicitudo, corporisq; alimentũ totius præreptum depascitur. Et, quod nõ nisi tardiùs, lentoq; satis, nisi ꝓuocetur priùs ipsa, pede, suoq; demũ tantùm tempore accedens, nonnunquam etiam artificio, si rectè cuncta fiant, retardata factura fuit Senectus, vt necessaria tandẽ siccitate inuecta, frigiditas quoq; sequeretur ipsa, mortiq; ita naturali pararetur iter, quo placidè mox, & in summa animi tranquillitate cõcederemus naturæ, & tanquam in longissimi tẽporis cõuiuio adhibiti vitæ iã pleni saturiq;, lubẽtes volẽtesq; recederemus; hoc multo sępe citiùs, priusq; quàm Naturę leges ferãt, animi affectibus his introductũ anteuertit, acceleratamq; mortẽ accersit, in medio sæpe ætatis flore inuento, ex causis quoq; his, quanquam non solis, morbo, quem ἐκ νόσου γῆρας appellãrunt, nihilq; aliud est, quàm intempestiua atq; longè cõstitutos ætati nostræ terminos pręcurrens senectus, festinata frigiditatis & siccitatis via, quæ ad mortẽ statim ducat. Fit quidẽ id maximis de causis, sed non sine ratione. Etenim quum (quod cõmune affectionibus huiusmodi omnib⁹ est) non aliter quàm caloris cum sanguine nostri, modò foras, modò intrò exagitatione cõtingant ista, ac sæpenumero confertim in eo, affatimque, ac magno cũ impetu ingruens in vtramuis partem calor, quod dixi, natiuus noster feratur, sanguisq; vnà, ac spiritus nõ parum, recurrẽtibus ita vltrò citróque, ac nunc ex diuersis, nunc ex eodẽ quoque, vt in Pudore, affectu reciprocantibus, substantiæ huic suæ depereat necessum est: & in quas se conferunt calor, sanguisque, ac spiritus partes, caloris ibi semper plus satis quum accẽdant; quásve relinquunt, frigiditas extemplo eas quoq; insequatur; vtrobiq; aũt succedat siccitas, calorem ibi socium sequuta nimium, quo veluti obruantur partes, & extingui periclitẽtur, hîc frigiditati associata ex natiui caloris depauperatione obortæ: meritò hîc, atq; ibi, tam natiui caloris cõferto nimis ingressu, seq; ideo suffocatione quadã perimente, quàm aliũde discessu, fugáque, frigiditas omnino ac siccitas partibus acquiritur, caloris inprimis innati defectu, quo priùs fotæ humiditatem quoque suam seruabant insitam, natiuámque.

Et quanquam in Tristitia violenta non sit, neq; impetuosa, vt in Timore, ad penetralia vitæque nostræ principia ingressio, sensimq; ac pedetentim id fiat: attamẽ perseuerãtia in eo (qui Mœror tũ rectiùs nominabitur) corundẽ semper malorũ causa fuerit. Et, nisi ꝙ non tam subitarios, vt interdum Timor, attulisse alicui obitus visa est, par in reliquis noxa. nam & ephemera inde sæpe febris, nimirũ diei quidem vnius tantùm primò, exoritur, sed quæ si paulò diutiùs protrahatur, (protrahitur aũt cùm Medicorum sæpe inscitia, eorũ præsertim, qui rectam Diæteticen ignorant; tum acto etiam altiùs calore) iam in cordis prætereà substãtiam recepta firmatáque hac, hectica quoq; ipsa aderit febris, nõ plurium solùm dierũ, sed quã, si paulùm modò progressam indi partibus altiùs siueris, nulla deinde vincere ratione queas. Id scilicet in corporib⁹ siccis antea calidisq; natura faciliùs vsu venit, vt febribus his corripiãtur, atq; etiã, nisi in tẽpore caueatur, ex marasmo tabem incurrant. At in quibus coniuncta siccitati naturalis frigiditas fuerit, promptus, paratusq; his in melãcholicos affectus transitus ex tristitia sanguinis exiguitate, eiusq; minimè multo calore humoreq; pręditi, proinde exiguis quoq; spiritibus, & his tenebricosis, iamq; ꝓpè dixerim tristibus ipsis, certè qui obuenientibus extrinsecus, si qua paulò minùs læta sese facie offerunt, minimè resistant, seq; intrò cum sanguine refugientes abdãt. Quod quum diutiùs fit, iam & Mœror accedit, quem productam tristitiam esse diximus, & Metus, & Timor additur, quẽ Galenus (De cau. symp. ij.) à tristitia non alium, quàm magnitudine solummodo & vehementia distantem, fecerit. Non est aũt id in huiusmodi, quæ præter naturam in corporibus fiunt, omnibus infrequẽs: sed nec abs ratione fit, vti eiusdem generis multa à tenuibus sæpe profecta initijs, sumpto magis magisq; semper incremento, maiora fiant, atq; eodem etiamnum tamen genere contineantur, quum & contraria possint, tãto magis paulò tantùm diuersa. Quapropter eodẽ modo ex tristitia facilè timor, imò verò cum tristitia timor vnà sæpe, vt nullos, quàm tristes, quos ad minima quæq; expauescere videmus, nec frequẽtiùs, nec faciliùs timor inuadat: non dissimiliter ac quos paruis, futilibus, ac momẽti sæpe nullius rebus moueri in affectus

soli-

solitos scripsit Aristoteles, (De anim. j.) iam antea in affectu positos. Atqui Hippocratis enuntiatum est, vbi tristitię ac timoris diuturnior perseuerãtia, ibi certam constitui statim melancholici affectus naturam debere. Hoc pacto facilis ex Tristitia in melancholiam migratio. At ijdem in Iram quoque proni: quippe sibijpsis displicentes, quum nihil iucundi lætique animo accipiant, vertunt in Tristitiæ speciem omnia, quæ perquàm leui animi irritatione, affecti iam sponteque sua labentis in id, Iram pariat. Rursus Aristoteles comitem iræ tristitiã facit. ἡδ' ὀργὴ μετὰ λύπης, inquit, (Politic. x.) potiùs vt iram insequi tristitia his videri possit. Verùm hæ complexiones veriùs quædam affectuum habendæ sunt, quibus non modò eorum, qui cor obsidere ipsum solent, diuersæ aliquando inter se naturæ facilè cohæreant: sed etiam qui ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ sunt, & iecoris sedem occupârunt, vt quum iram cum cupiditate aliqua coniungimus: quarum altera Irascibilis cordis est, altera Concupiscibilis iecoris facultatum affectiones. Enimuerò vt in omnibus alijs, ita hîc quoque rerum inter se distinxisse cogitatione sua notiones oportet, vt, quas sępe coeuntes in vnum, alterius tamen atque alterius internum, alterius tamen atque alterius interdum naturæ videmus, eas mentis acie dispescamus, quo videlicet, quum se nobis considerandas offerent, nec confusio vlla, nec cum cõfusione rerum omnium ignorantia suboriatur. Hoc si fecerimus, non nobis fieri non posse videbitur, vt & ex tristitia Ira exoriatur, cui causam tristior animus præbeat, diuersi affectus; & Tristitia iræ misceatur aliunde orta, diuersi item. Quin si statuere Iram partim ex tristitia quoque voluerit quis, vt iratus tristis etiam sit; aut ex ira Tristitiam, vt tristis iratus quoque habeatur: non magnopere repugnaturus sim, neq; inconuenire prorsus arbitrer, affectionis cuiuspiam naturam esse miscellaneam posse, vt ἐν τῷ θυμοειδεῖ partim, partimque ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ sit. Cæterùm illud ante omnia cauendum in his, nobis præsertim Medicis, & vt Aristotelico ad rem hãc verbo vtar, εὐλαβητέον μάλιστα, ne, quod Irascibilis sit, Concupiscibili tribuamus; néve è contrario, quod Concupiscibilis, Irascibili; magno quidẽ apud Peripateticos quoque Philosophos errore, qui potestates animæ hasce diuersas inuexerũt; nedum Platonicos, qui pugnantes prætereà fecerunt, & diuersarum factionum, locáque constituerunt cordis ac iocinoris diuersa; minimè verò omnium apud Medicos ferendo, qui Platonem in hoc, sicuti in reliquis penè omnibus, sequuti, siquidem standum sibi firmiter sententiæ semel suæ esse duxerint, aliam curandorum Irascibilis facultatis seu speciei, vel etiam ne incurrant procùl arcendorum, aut quoquo modo tractandorũ, affectuum viam ac rationem ineundam sibi proponent, atque aliam Concupiscibilis, diuersorum vtrobique viscerum temperamentis, naturalique constitutioni consulentes. nĩ id faciant, affectuum vehementiam aucturi, quos sedatos cupiant. Nam Philosophi verbo tantùm tenus processerint, nostris se rebus ad faciendum conuenienter opus non immiscuerint illi. quanquam eos quoque, maximè conuenientia sibi, & cohærẽtia tradidisse decebat. Quod an ab Aristotele obseruatum hac in re fuerit, consideretur, reposita ab eo aliquando (Topic. iiij.) ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ Tristitia. Debuit quidem, qui diuersas animę facultates has ac vires indicâsset nobis, metumq; ac timorem Irascibilis potestatis habendos affectus esse notum satis foret, eadem propè ratione deputari ab eo cũ his tristitia mœrorq;, non Concupiscibili adscribi: quando nihil aliud Timor metúsque, quàm tristitia quædam & mœror, imminentis mali formidine contractus, sit Nos igitur, vt opinor, meliùs Medici, qui eodem contineri genere Tristitiã, Mœrorem, Metum, etiam Terrorem existimemus, omnia refugientis intrò, condentisque se in penetralibus cũ spiritibus vnà & sanguine, innati caloris symptomata. Tristitiæ, vel lenioris hoc in genere affectionis nomen; Mœroris, non nisi perseuerantis: Metus seu Timor formidinem addit imminentis alicuius mali tristitiæ, vt nihil ideo aliud censeri, quàm tristis imminentis, siue affuturi potiùs mali, expectatio debeat.

Nam iam iam ingruentis, quasiq; incurrentis in nos, Terror, & Pauor est, magna à timore, neque tamen nisi maioris minorisque, differentia. Hoc quoq; enim notare placuit discriminis, inanima duersum quidem hactenus alijs, ac Medica (quod nos hoc tempore facimus) tractantibus necessarium. Maiore nanq; omnino consilio, atque efficaciùs, cùm factus tollẽdus statim, tum iam inuadens cauendus in limine iam ipso timor, quem Terrorem & Pauorẽ diximus, quoniã maius quoq; ex hoc semper vitæ periculũ, morsq; ipsa sæpe in foribus.

Trepidatio quidem ingens in eo tũ, atq; animi cõsternatio, vt hũc ipsum animum despondẽtes omnino, consilij quoq; cum eo vnà rationem omnem abijciant.

Iamq; Exanimatio, cum qua linquuntur animo, extinguique & præfocari periclitatur natiuus calor; tum, si natura imbecillior animula, deiectissimisque viribus fuerit, verè iam restinctus ex toto, præfocatúsque calor idem mortem adfert,

adfert,aut potiùs mors ipsa est. At in paulò remotioris, neque tam derepentè imminentis, sed futuri tamen mali metu, quemadmodum in omnibus alijs euenit, vt procul à nobis, longiúsque dissitas res quasque minore semper quantitate Phantasia dijudicet: ita tum minore quadam omnino specie illius ipsius mali, huic ipsi, qua imaginamur, facultati offertur facies. Quapropter nec timoris tantum, & consilij adhuc aliquid tamen est, nec perculsio animi, aut consternatio vlla, longéque minùs exanimatio, nec mors vnquam, ne si vel imbecillissima quidem reperta animula fuerit, timoris certè metúsque tantùm ipsius ex causa. Nam ex alijs, quos non modò Timor quamlibet leuior aliquis, sed vel Mœror ac Tristitia gignant, affectibus correptum postmodum interire posse aliquem, id verò hoc ipsum est, quod nos toto hoc sermone intendimus, & cauẽdum diligenter monemus. Gignuntur autem non parui sanè morbi, Hecticá ante omnia febris, quæ habitum, statúmque corporis vniuersum obsidens occupat, háncque Marasmus sequitur, certissimus mortis anteambulo, in quo perit tota corporis moles sensim, corrumpitur certè, aut imminuitur concoctricis facultatis officium, demensóque defraudátur suo ad alendũ partes omnes, nobiles, ignobiles; exarescũt solidiores, & nõ reperto pabulo, natiuus calor penitissimum illarũ alimentũ exhaurit, donec sensim paulatimque ipse quoq; deficiente nutrimento euanescat. Enimuerò laborantis perpetuò in his omnibus plùs, minùs, innati caloris visuntur passim signa, nec dubia spectari argumenta possunt, exanguis, pallescentisque corporis totius, extremarúmque inprimis, ac cutanearum, cutique proximè subiectarum partium facies, destituente nimirum has cum calore sanguine, frigidasque etiã relinquente. Iam Horror, qui affectuum horum plures, sæpiusque; & Rigor, qui metum interdum, vehementiorem præsertim, insequi solent: non aliud parti vlli maius, quàm naturali calori, negotium exhibent, & periculum inferunt, refrigeratione sua, calori semper infensissima, huic ipsi infesti maximè: vt, si frigefacere pergat Rigor, calorémque introrsum fugatum repellere, coactus in vnum confertim, ac violenter nimis, compulsúsque ad principia, in foco ipse suo præfocatus intereà necessariò calor, simul & refrigerationis vehementia, affectu natura sibi maximè aduerso, expugnatus extinguatur. Itaque victus tandem cedit, maximè verò, quoniam non, vt in alijs quibusdam affectibus, ita in timore quoque paulò præsertim maiore, deiectum, sæpe etiam consternatum, consilijq; omnis inopem animum erigere in spem vllam ratio vlla potest: sed nec, vt erigat quidem, aut ad excitandum se repugnandumq; impellat, conatur, intantum sæpe affectum, vt aut extinctione, aut præfocatione pereundum illi ita penitus statim sit, aut in paulò minoribus affectibus, paulatim absumpto, marcescentique, in nihilum tandẽ abeundum. Atq; hi sunt eiusdem omnes rationis animi affectus, hæ pestes, Curę, & Solicitudines dictæ, internecini vitalitatis hostes. Qui cor quidem primò ipsum vitæ nostræ fontem & originem, tum deinde reliquum quoque corporis perpetuò quasi tineæ arrodentes vellicant; nec minùs se interdum in supremam quoque capitis arcem conferunt, ibi quoq; turbas vt concitẽt, & de statu suo deijciant nobilissimã animæ facultatũ. quippe cũ Tristitia Timor si lõgiùs perdurârint, (quod suprà etiam diximus) atrabilarios morbos cient, mentique ita offuscata ratione officiunt, non modò corpus assiduè exedentes atterunt, atque ad extremum conficiunt.

Minor in Odio affectus animi, minusque ideo ex affectu noxæ, si simplex odium sit, ac non commixtum tristitiæ, aut inuidiæ, aut huiuscemodi alterius affectus habuerit aliquid, vt certè commisceri sæpe videmus. Idque nisi animaduertatur, ambiguitates sanè multas introduxerit, quæ consideratione diligenti, inspectáque sedulò affectionis vniuscuiusque seorsum natura, perquàm facilè tollantur omnes. Odij natura, vt malè velimus rei alicui, & vt auersemur, nihil prætereà. Si prætereà tristamur ex hoc, si irascimur: ecce tibi alij affectus. Odêre mali bonos, & boni malos ęquè: vt aduersantium inter se naturarum odium fit. quod & animaduerti in brutis licet, & licet ad inanimata etiam, si libet, transferre. Odio prosequimur malos, id nimirum bonorum virorum est odisse malos. hîc nec ira, nec tristitia, & inimicitia tantùm quædam, eáque naturalis. Quòd si inimicitia: non necessariò profectò animi deiectio ibi vlla: quin excitatio potiùs aliqua, cũ aliqua nõ minùs indignatione auersantis rẽ, quã odit, animi. Iccirco minùs nociturũ esse diximus simplex Odium, etiã maximũ, &, quod dici de vehemẽti solet, Vatinianum: modò simplex, nec affectionis vllius mixturæ particeps: quòd in eo paulò erectior animus non facilè succumbat, id quod in metu, pauoréque, & inueterata maximè tristitia damnabatur. Neque tamen non nociturum prorsus velim existimemus: noxæ minus dictum est allaturum id, non autem nihil: & rationem addidimus.

Secus de Liuore, & Inuidia. Liuorem enim inuidiam facimus, quæ bonis alienis angi-

angitur. Cuius si pensiculatiùs natura examinata cōsideretur, & verū fateri voluerimus, animi affectus sit Tristitiæ connumerandus. Angitur, dicimus, inuidus, tristatur aliorum felicitate ac bonis: vt tristitia omnino sit, verbum enim id sonat. Sed ex peculiari hac causa, quæ malè aliquem habeat, & tristem faciat, in tristitiam certè, & mœrorem redit hoc quidem Inuidiæ genus, seu liuor. Proinde Liuori, quicquid tristitię, & quidem vehementi, ac maximæ conuenit, non sanè inconuenit, vel Poëtarum testimonio, qui tabificum liuorem venenum esse dicant; vorare faciant ossibus intactis medullas, totúmque combibere ex artubus cruorem; ipsum sibi pœnam semper esse, suspirare, frigidū sudare, pallere, emaciari, quæque alia de antea relatis animi affectibus cōmemorata à nobis fuêre. Nec inuētum Siculis Tyrannis tormentum hac maius, cecinêre Poëtæ alij: qui æneum tamen taurum ad exercendos hominum cruciatus inuenissent. Quòd si Inuidiam eam quoque acceperimus, quæ cùm, vt hæc ipsa de qua nunc diximus, aliorum successionibus mœret, tum præterea ablata ijs, quibus illa inuidet, tralata in se cupit bona: iam hæc non tristitia modò, sed cupiditas quoque fuerit, affectuúmque mixtura duorum, ἐν τῷ θυμοειδεῖ, & ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ positorum, vt ideo effectus quoque perinde sequuturi affectus peculiariter sint suos quique, aut commixti simul. Recensuimus ferè Irascibilis animæ partis affectus, quibus sopitus magna ex parte innatus calor iacet potius, & præfocari, aut extingui periclitatur, extinguitúrque, & præfocatūr interdum vehementiùs ingruentibus illis: semper autem sensim ad interitum tendit, durantibus illis, extinctione paulatim irrepente, nec satis animaduersa euanescens, intereà refrigerato nimis corpore caloris innati depauperatione, conuersóque ad pituitosum & frigidum temperamentum. Non desunt eiusdem cōditionis morbi attoniti, comitiales, ventriculi, principaliúmque membrorum omniū frigidior intemperies, & ex intemperie vitiata imminutáque concoctio. vnde cruditatum aceruus, iecorisque, ac viscerum reliquorum, ex parata inconcoctionis causa obstructio, magniq; sæpe infarctus, distillationes, fluxionésque multæ, & penè quicquid collectos ex natiui caloris imbecillitate in corpore humores sequi malorum consueuit.

Quid ab effuso nimis Gaudio expectandum mali. Iræ affectus quos parere morbos solitus sit: vt euitari possint. Ac de temperanda Ira. Et temperatior facta quibus adhiberi vsibus commodè debeat.

CAPVT IIII.



Ontraria est affectuum illorum ratio, ac natura, qui partis quidem, cuius nunc affectus numerantur, Irascibilis animæ habentur, at calorem excitāt innatum potiùs, quàm torpere sinant, aut vim imminuant illius vllam, primò quidem. Nam diutiùs perseuerantes hi quoque refrigerârint: supra moderamen verò omne effusi, atque effrænes, calorem ipsum non solùm excitant, sed vehementer nimis accendunt: vt cum excandescentia efferuescens Ira, propter quam febres sæpe ardentissimæ subortæ sunt, & veluti sufferuefacto sanguine, bullientéque, ac concitatis ita spiritibus, flatuoso facto, nec facilè intra vasa contineri vlteriùs potēte, non sanè mirum si disrumpi aliquando venas, delati per eas eiusmodi sanguinis impetu, contingat: vt Gaudium exultans illud, aut inexpectatum improuisúmq; nimis occurrēs, quod mortem non paucis attulisse visum, pusilli exiguique, & imbecillis nimis animi. Idē nanque, in contrariæ quanuis rationis affectibus diuersis, vt mors vtrobique sequatur, contingere posse non admodum inconueniēs est; inque repentino vehementique timore, qui pauor & terror est, suffocatus extinctúsque vt pereat calor, concitatè nimis introrsum ad cordis penetralia vndique sanguinis fuga facta, accumulatóque ita nimiùm illo obrutus. Itémque in Gaudio, effusa itidem nimis extrorsum, longéque à vitæ principijs discessione, in auras per adapertos nimis meatus dissolutus, vt intereat calor idem. Sicuti sanè ignem quoq; ipsum videmus, & vehementiùs aliqua de causa ad principium intrinsecum suum conuersum, impulsúmque, seipsum perimere; & extrà fusè nimis delatum, distractione partium solutarum dissipari. Atqui quum idem ex Ira quoque eueniat, vt foras se agat calor, præcépsque eò cum sanguine feratur: non tamen, vt in Gaudio, vitæ subitur discrimen tunc. nempe mouendi se eodem diuersitas facit. Suscitantis se in Ira, & robur colligentis, viresque vndique conferentis suas, ac sese tanquam in aduersum hostem cum impetu parantis, sanguinis, calorisque, & spirituum motus est. In Gaudio laxiora cūcta, nec virium quicquam animo-sè accersitarum, & quæ antea erant solutiores iam neglectæ indefensæque, nihil aliud quàm lætæ rei occurrere in pace gaudentis animi sunt, effundentisque se largè liberalitérque in partes omnes cum alacritate, quæ laxè & dissolutè fit; non autem perrumpētis, aut cum impetu delati, quod

nisi

nisi cum robore & virium collectione non sequitur.

Ea propter Iram calor semper comitatur præter consuetũ accensus quidam: Gaudij frigiditas potiùs comes, quoniã & mors sępe, calor certè præternaturalis nullus. Plusculum autem semper virium, vbi adauctus calor, agendi simul vehementiæ confert, vtique dum calor tantùm, non etiam ex calore intemperies quæpiã, qua maximè deijciantur vires. Furere quidẽ aspicimus iratos, quo magis incaluerint, magis maniacos, phreneticos, validissimarum virium feruẽte adhuc bile. Qui desipiunt aũt, si ex intemperie tantùm sit qualicunque, partiũ debilitas succedit. ex intẽperie enim debilitas, nec motus, qui voluntate peragitur, robur vllum. At ex bile desipientia, & hanc ipsam mouendi facultatem, quæ voluntatis est, validã, robustamq́; habet; & exire de potestate sua deq́; mente vehemẽter facit, longeq́; alienos à ratione magis constituit. vsq; adeò bilis caliditate sua peragendis rebus efficaciã addit. Quod idem eademq́; de causa Ira quoq; solet, non quidem cui suffundatur aliunde frigida, sed de suo, calore nempe & siccitate, duabus ad agẽdum efficacibus maximè qualitatibus pollẽs potensq́ue, ex propria officina, quod dici solet, non ex aliena. Itaque validè agens, robúrque suum seruans in his connatus nobis calor non facilè perit, viriúmque & ad agendum, & ad durandum, vt resistere aduersantibus causis valeat, adfert satis.

At eadem non solùm febres, quod diximus, & quidẽ ardentes, periculosasq́; sæpe, sed calidorũ morborũ genus omne progignere, & furiosos, atq; ad vltimũ atra quoque bile vexatos facere potest, longè omnium pessima, vt quæ non fæculenti sanguinis, sed feruidioris, ac vitellinæ interdum bilis exustione progenita, quanuis in cinerem propè iã versa, plurimum tamẽ superuacanei etiã tum caloris ex materia retineat. Hinc cùm sæuiora, quã in alio melãcholico affectu vllo, & grauiora symptomata, tũ mors in prõptu, parataq́; interdũ magis. Et quod perire ex Ira diximus suprà neminem, verũ est ex ira, nimirũ furore illo breui: at ex his, quos parere Ira affectus morbosq́ue potest, & multi sæpe intereunt, & haud scio an atrocioribus verendisq́; magis morbis vlli alij. Nisi fortè magni periculosiq́; morbi non sunt, qui corporis obsidere habitum solent, & acutæ febres: alteræ, si naturã absolutè suam induerint, quas euadere non detur; alteræ, quas vix: aut non sæuus, atróxque, minimeq́ue periculo vacans, μανία morbus existimandus sit: vel non id iudicârit nobis Galenus aliquãdo, (Aphoris. vj.) ex indignatione, atq; ira & tristitia oriri maniam solere. καὶ γὰρ, καὶ μανία πολλοῖς ἤδη φαίνεται γεγενημένη διὰ θυμὸν, ἢ ὀργὴν, ἢ λύπην ἀρξαμένη. Θυμὸν indignationẽ interpretamur, quũ percitꝰ rei alicuius indignitate excãdescit animus, & hoc ipsum quod dicitur, animos sumit ad se vlciscendum. ὀργὴν aũt, adultã iam esse Irã volunt, sicuti inueteratã durantémque, μῆνιν. Ex omnibus his morbi, quos diximus, alijq́; insuper leuiores quidã, sed quos nõ cõtemnẽdi mox insequantur alij, impedita vitiosaq́; vẽtriculi cõcoctio, & nidorulentiã maximè adferens corruptela, igneusq́; per totũ calor, sanguisq́; exæstuãs, ac bilis, quæ non calore minùs & substãtia oui vitellum, quàm nomine referat. Iam perturbatio mẽtis in iracundia quãta? quæ vultus deformitas? quę oculorũ micatio, linguę balbuties, corporis totius horror, sæpeq́; prę ira tremor, sui in totum ignorantia? non meminit se esse hominem, qui lapides, ligna, ferrum, quicquid obuium habuerit, iratus mordet, in quæ bilem euomat, canum ritu proiectos in se lapides morsu stultissimè impetẽtiũ.

Vitanda hæc maximè sunt, quibus bestijs maximè assimilamur, exuimus hominẽ: nec alius affectus ætatis ratione penitus carẽtis ꝓprius magis, nec cuius succidi magis tunc radices cõueniat, ne altiùs actæ reliquis deinde ætatibus euelli quũ nequeãt, iracũdos perpetuò, atq; implacabiles, ac propè detestabiles faciat, nec cõmercio hominum dignos satis, nec quorũ cõsuetudine viri boni, modestusq́; aliquis vti magnopere percupiat; tam præter rationẽ brutorum more leuissimis plerunq; de causis in grauissimam irã rapi solitos, vt nihil pensi habituri sint, quicquid tunc iracundia suggesserit, quin committant extemplo; omniaq́ue quo iure, qua iniuria, aduersus Deos, hominesq́ue inconsideratè, atque etiam furibundè sæpe perpetrent.

Quòd si iudiciũ adhibeatur, & consulatur ratio, deinde dictante iubenteq́; ea, Iræ animorumq́ue aliquid ad peragendum meliùs, & absolutiùs perficiendum, quæcunque peragere ac perficere consultò statuerimus, aduocetur, quo vehementior, efficaciáque maior addatur rebus, seruatúrque semper rationi, ac comitetur hanc auxiliatrix Ira; non autem præiens ira anteuertat, aut dum se opponere temerariè concitatæ studet ratio, supplantatam conculcet: id verò etiam laudi dabitur, functámque munere atq; officio suo partẽ hãc animę dicemus, cuius rei gratia initio instituta à Natura videri queat. Quod Authores maximi, meliorisq́ue Philosophiæ totius parentes probant: vt equum nobis ex ea fręni sessorisque patientem; aut nutus nostros intelligentem, præstóque semper qui adsit, & iussa expectet, canem; non autem indomitum leonẽ, aut scorpium, aut

viperam,

viperam, aut si quid tandē peius est, faciamus, quod aut ratione omnino nulla, aut nulla certè illius monita præceptáve audiens, præceps semper ad nocendū feratur.

Affectionum animi numerus maior, minórque. Gaudij, Lætitiæ, Spei natura, & effectus: oppositorumq; his, Pauoris, Tristitiæ, Metus, atque horum omnium mediæ Euthymiæ: tum verò Agoniæ etiam, & Verecundiæ.

CAP. V.



Ttulimus partis animæ, quæ θυμοειδὴς dicitur, affectus nocentissimos quosque, vt excepta ἐπιθυμία, quæ Cupiditas est, & Cōcupiscentia, atq; ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ reponitur, imò ἐπιθυμητικὸν totum facit ipsa, reliqui traditi iā explicatiq; videri meritò possint omnes; naturaq; eorū, inquantū quidem pertinere huc visum est, ostensa, & monstratæ noxę, quę vitētur. Nam de vsu, nisi in trāscursu, dicendum nō fuit, quod & fecimus: quia particularem magis id, inque actu ipso iam rerum rationem quandam exposcere videatur. alioqui, ostensis noxis, sciri & vsus protinus possit. Quin demonstrata, patefactaq; natura, id quod omnibus quoq; alijs cōmune, sciri vnà vsus, noxæq;, & reliqua possint omnia, nec alia melior tractandarū rerū ratio. Sed tradenda necessariò tamen alia quoq; ad rem commodè atque vtiliter inprimis fuēre.

Legimus, veteres quinq; tantùm fecisse, quos Galenus (libel. de dignot. & cura affec. anim.) enumerat, animorum affectus, λύπην, ὀργὴν, θυμὸν, ἐπιθυμίαν, φόβον: arbitror, quòd multo maximæ, ingentesq; ex his generi humano prouenire noxę ac pestes, animorumq; iuxtà ac corporū detrimenta, viderētur, siue hoc ita credendum, siue deduci reliqui in hos bona sanè ex parte possunt: vt Inuidiā Mœroris Tristitięq; genus quoddā faciamus, Odiū Iræ. Sicuti planè & Tristitiā à Timore non nisi magnitudine; & ὀργὴν, quā Græci dicunt, ab eo, quem θυμὸν ijdē, rursusq; aliā, quā μῆνιν, tēpore tātùm distare, dictum: hocq; modo pauciores etiam numerare liceat, quàm quinque. Ipse quidem Galenus, nimis properè vehementerque aut amare aliquē incipere, aut odisse, inter affectus quoque ponit.

Gaudiū porrò ac Lætitia, quū Tristitiæ ac Mœrori cōtraria sint, quēadmodū & Timori Spes; quum dictum de illis sit, de his quoq; pariter dictum existimari debet, ꝙ, quum cōtraria eodē genere cōprehendantur, (cōtraria aūt esse nemo ambigit) eadem simul cōprehensa doctrina videatur: eo vno seruato, vt eadē, similiq; ratiōe cōtraria cōtrarijs adhibeātur hoc in negotio omnia signa, causæ, effectus. Ideo quū secundū cūcta hæc de Tristitia, Mœrore, ac Metu tradiderimus: quæ his tribuimus, illorū contraria omnia in Gaudio, Lætitia, Spe inesse iudicaturos nos rectè opinor. Sic quidē Gaudio dicebamus effundi spiritus, sanguinemq; cū calore vnà foras, exultante & gestiēte illo magis; paulò minùs in Lætitia, quæ Spei proxima est, superat autem boni certitudine maiore, ac propè præsentia. Spes enim futuri boni est, sicut Metus mali. quæ cōtraria inter se sunt. Quemadmodum eodē in genere Lætitiæ, quam certior pleniorq; spes fouens alit, ex aduersum rectè, opinor, opponetur paulò maior Metus innominatus, nisi Timorē dicere hunc velimus. Sed non necesse est rebus quibuscunque, præsertim verò, quæ maioris minorisq; solùm inter se discrimine distent, imposita reperisse vocabula semper: præstaret vtique, sed necesse nō est. Gestuoso aūt Gaudio, siue Exultationi malimus, Pauorem quē diximus & Terrorē, contrariæ oppositæq; maximè naturę existimabimꝰ, vt in quibus repētina vtrobiq; spirituum, sanguinisq; hîc extrorsum, introrsum illic cōmotio, & ex cōmotione, oppositas licèt in partes facta, effectus tamen sæpe idem, diuersisque de causis sequatur, spirituum dissipatione in exultante Gaudio, nimia oppressione in Pauore, animi verò in vtraque imbecillitate, atque exiguitate.

Omniū horum in medio, parato animo, trāquilloq; sedes posita sua est, quæ εὐθυμία esse potest: fortitudo etiam poterat animi quædā sola, quæ τοῦ θυμοειδοῦς virtus habetur, quaq; fortes viros dicimus, nō solùm qui fortiter aduersus hostes, & in prælio nullo mortis metu, neq; temerariè tamē, pugnāt: sed etiā qui fortiter aduersas res, magnaq; æquissimi animi trāquillitate ferūt, atq; in vniuersum, nō minùs aduersus nō minores sanè hostes animi affectus quoscunque, ac cuiuscunq; tandē generis, tristitiā, metum, terrorē; aliaq; ex parte, spē, lætitiā, gaudiū; tum verò cupiditatū omniū agmina fortissimè semper pugnando sese opponere, victoriāq; inde reportare didicēre: nec despōdent in his animū terriculamētis vllis, nec aduersitatibus deiectum submittunt, nec attollunt rursus secundis in rebus, seseq; efferūt, nō cupiditates, nisi necessarias, sequūtur alias vllas: vt εὐθυμίαν nos virtute sedati, atque in summa rerum omniū trāquillitate, nullaq; omnino perturbatiōe agētis animi, tā quæ ἐν τῷ θυμοειδεῖ, quā quę ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ sitæ sunt, medium prorsus occupantē nobis hoc loco, atq; his rationib. faciamus. Quā vniuersus Philosophorū chorus, multo maxima certè eorum

pars,

pars, Epicurus quoq; ipse, ambisse videntur, ad animorum quidē integrā quandam sanitatem illi, quod Philosophos inprimis decuit: Medici etiam ad corporum possunt, vt ex qua non minus, quàm in animum, redundare in corpus vsus ad rem hanc, atque emolumēti queat, vsque adeò quidem, vt Authores habeamus ex Platonicorum familia non contemnendos, Qui vitæ cursum suæ perpetuò tenore eo peregerit, vt seruare semper statum eundem possit, nec vnquam ab animi tranquillitate hac, in diuersa curis ac solicitudinibus, cupiditatibúsque transuersus actus rapiatur, inuiolatúmque se atque impenetrabilem affectibus in totum omnibus, duntaxat à mediocritate, temperamentóque hoc deflectentibus, præstet, hunc proximè ad immortalitatis speciem quandam accessurum, arbitrãtes. Nos longiora ita vitæ spatia producturum, eóque modo tam benè affectum maximum mehercle ad longæuitatem momentum secum semper allaturum, non dubitabimus. Vt illud intereà sileamus, etiam si non vsque adeò multū nobis inde ad protrahendos viuendi annos promitti temporis posset: quanti tamen relaturum sit, tam placidè, ingentique semper, atque alta, ac profunda pacatissimæ mentis quiete vitam omnem traduxisse; vndique impetentium canicularum latratus nō sensisse, aut magno animo contempsisse; morsus nūquam expertum vellicantium tam sæpe vehementer, atque importunè, támque imperiosarum perturbationum; vitam denique extra omnem aliorum penè omnium aleam positum beatissimam degisse. Quod quanquam perquàm rarum omnino sit, & factu non facile: qui tamen eò proximiùs se contulerit, multo plus illum ex eo commoditatis, & ad diutiùs salubriusque, & ad beatiùs viuendum, reportaturum, non iniuria censebimus. Et de alijs quidem animi affectibus, quos anxietudines, & perturbationes faciunt, non perinde fortasse miremur, si tantopere vitæ humanę officiant, excedentes membra, artúsq; omnes, & penitissima viscera absumentes; si de statu suo mentem deijciant, & deturbatam sæpe egredi de potestate sua cogant, cōmunicata summæ cerebri arci noxa, & spiritibus tãquam defensoribus suis ac custodibus nudata, aut corruptis potiùs, & in seditionē actis, obuersante animo mali semper specie aliqua in his, qua perterriti, aut in melācholicos affectus de loco sedeq; sua deturbētur, aut concitatiores facti maniaci fiant. Sed si contraria pariter specie ostendente se aliquando boni, vitam id quoque in discrimen trahat; mirabimur sanè magis. Quod contingere interdum solere, certum. Et notæ quorundam sunt historiæ, in exultatione nimia, gestientéque supra modum gaudio effundentibus se totos affatim spiritibus tunc, & domicilij sui intima relinquentibus, quo certatim occurrentes expectati boni in proximo faciem excipiant, vt disiecti & dissipati ita, palantésque per auras in nihilum abierint, ac mortem attulerint.

Longè tutius, vt in omnibus, medium, quam ἐυθυμίαν diximus, licèt Lætitiam alij hanc, alij Alacritatem interpretati sint, quæ si cum recta animi constitutione, terrore omni liberi, alacritas est, sit sanè: modò mediocritatem hanc esse quandam intelligamus, lætitiam & alacritatem dictam, quòd terroribus, animiq; doloribus omnibus careat, pathematúmque, & affectionū cunctarum vacuitate constet: proximior tamen medio (quod idem in virtutū comparatione contingere videmus quarundam aliarum) quàm ex altera parte positi Metus, ac Tristitia: imò verò, quum primùm à mediocritate, quam in animi tranquillitate illa collocauimus, in hac rerum serie, tristitiam metúmque versus à medio, in quo ἐυθυμία, discesserimus; deteriora semper cuncta occurrent, fugiendáque Medicis non minùs, quàm Philosophis. Alterius ordinis, excepto Gaudio nimio illo, quod effusum, exultans, gestuosum vocauimus, amplexari cuncta licebit, Medicis quidem ad Sanitatis per omnia tutelam, corporisque totius conseruandas, augendásque vires commodissimè, interdum & depellendos non minimi negotij morbos; Philosophorumq; præterea non admodum tetricis, nec Stoicis, aut Cynicis, qui sæpiùs seuerè nimiùm nobiscum agentes, nobis nec vt alacriores aliquando simus, nec vt hilares nos, lætósque in tempore amicis exhibeamus, permissuri videntur, ne quando metam præfixósque sedatæ penitus omnique ex parte mentis cancellos transilientes egrediamur. Tametsi ne Medici quidem ipsi abnuerint, adhibendum hoc quoque in negotio modum inprimis esse, & hanc ipsam Alacritatem, animique hilaritatem probaturi maximè sint, qua contrarijs ex toto, quàm in Timore & Tristitia, rationibus, optimæ semper spei pleni læti degimus, ritéque inprimis ac rectè partium omnium maiorū minorumq; peracta concoctione, & sanguificatione facta, plurimum assiduè suggeritur spirituum corpori. Qui in partes vbiq; omnes distributi, quin ipsi sese in partē omnem, vt ex eo animati credantur, commouentes, naturalissimo calore fouent cuncta, & particulis omnibus illustres, luminosique

maximè

maximè facti inferuntur, multumque ita membris firmioris sanitatis, vitæq; vnà adijcere possunt. Neq; enim, vt in mœrore, aduersi sibi quicquam refugiunt, exterritique, deserta reliquarũ partiũ statione, cõferunt se tristiores tenebrosiq; in penetralia: quin lumen potiùs quærunt, luminosi ipsi natura, exterioriq; se quoquo modo cõiungere, aut occurrere certè illi, quo meliùs adhuc inde illustrentur, properant. Hinc nimirũ illustri tranquilloq; cœlo, & Phœbea lãpade serenante circùm cuncta, lætos nos nescio quid sentimus, alacresque obimus negotia semper: tristes contrà segnesq; ad omnia, turbido nebulosoq;. Scilicet clarescẽtibus hîc spiritibus circuniecti luminis vicinia ac cõmercio, splendescentibusque, ac nos ipsos exhilarãtibus; turbidioribus ibi, & tenebricosis factis, eàdemq; animo turbiditatem nostro ac tenebras offundẽtibus: vt & emaciari tristitia corpora mirũ esse nõ debeat, adeoq; ossa quoque ipsa resiccari de Sapientis dicto; lætitiáque mediocri pinguescere, quæ nõ efferat se nimis, sed spirituũ corporũ particulis omnibus, calorisq; vnà ac sanguinis, quantũ sa-tis sit, subministret, nõ extrà ferri cogat. Ex quo habitiores hac inprimis de causa, pinguioresque multo fieri animaduertimus quosdã, cũ spirituũ copia sanguine quoq; vnà plurimo (nõ enim cõtingere aliter potest) nutritioni ad partiũ alimoniã omniũ in hilaritate suppeditato. Quamobrẽ non minùs in eo Medici quoq; officium spectabitur, qui Salubritati præsit, vt, quũ rei huiusce opus futurum esse videbitur, tunc potissimùm adhibeãtur cum alijs ad rẽ facientibus eandẽ ista, hoc est, quum tabescere mœrore corpus animaduerterimus, par è diuerso gaudium, aut lætitiã, aut alacritatem quandã aduocemus: aut quum alioqui macilẽtioribus quibusdã meliorẽ conciliare habitudinẽ studuerimus, hinc quoque opis omnino aliquid præter alia petere nos posse credamus: aut è diuerso, quum pinguescentiã fortè nimiam demere propositũ habebimus, mœroris in eo aliquid ac tristitiæ accersamus. Mediocris autem vndequaq; status ac cõditionis hominem potiùs in εὐθυμίᾳ illa, quam toties iam commendauimus, conseruãdum nobis esse existimemus: ne videlicet, si supra id gaudeat, aut lætetur, cæteraque sequantur, quæ comitari hæc ipsa solẽt; nõ vsquequaque probatũ ad status optimi mediocritatem habitum induat. Verùm hæc alterius iam tractatus sint, nempe quum particulariùs ista, atq; in præsenti temporibus suis quæque cõmodè applicata aptabũtur, in quem ne quando incurrat, vix contineri, rerum affinitate eò pertractus, stylus queat.

Restant affectionum animi earum, quæ proposito huic nostro deseruiant, & ἐν τῷ θυμοειδεῖ versantur, simpliciorum nullæ. oẽs enim aut explicatę iam sunt, ad institutum nostrum satis; aut, si quæ nos fugerunt, in has ipsas, quas enumeratas exposuimus, deduci eæ à modò non penitus in rebus his rudi facilè possint. Compositarum autem innumeræ, quas tempus diesque, & rerum ac negotiorum varietas, casúsve alius aliquis ferat, atque in vnum sæpe coniungat: has sibi de suo prudens Lector componere ipse, conferreq; simul poterit, vt Lætitiam metu, modò etiã spem; Iram gaudio, nunc tristitiam quoque connectat: ita alia alijs, & huiusmodi multa connectere, connexámque omnium ita inter se rationẽ effectusq; ad Artis aptè opera traducere licebit.

Natura porrò sponteq; sua, non casu aliqo compositarum, quæ nisi complexione sua consistere aliter haud valeant, duæ supersunt solæ, ἀγωνία, & Verecundia: non magni valde altera nostro hoc in negotio momenti habenda, altera etiam maximi. Quid enim corpori attulerit Verecundia detrimenti, aut quid offecerit? animi affectus, quo temporis momento quodam intrò forasq; propulsus calor, sanguisq; subitaria reciprocatione vltrò citrò remeans, nec opprimendorum, nec discutiẽdorum inferre discrimẽ spirituum visus vnquam sit. Sed neque fieri posse, vt periculũ vllum sequatur, inspecta rei natura docet. Virginalis Verecundia affectus est, in quo mali, aut inconuenientis nullius metu, aut timore, animæ facultas delicatioris, mollioris que, insito quodã pudore, quem multo se meliorem iudicauerit, hoc tantùm, ferre illius præsentiã nequiẽs, aspectui se statim subtrahit, moxque recolligẽs sese in subsidium extemplo redit desertarum primò partium, necdum refrigeratarum. In quo quid metuendum sit, aut ad sanitatis, aut ad vitæ iacturam, periculi, non video.

At in Agonia, vt quæ ex ira & metu constituatur, vteruis affectus superet, siue etiam pariter afficiant, non agi malè atque incommodè non potest, prauorum per se antea coniunctione affectuum, inprimisq; noxiorum, tunc etiã eodem tempore molestorum maximè, atq; in diuersa trahentium. Vnde concursatio & conflictatio inter se spirituũ maxima, animiq; trepidantis perturbatio ingens: quam facilè arteriarum pulsus arguat inæqualis, & quòd eo-dẽ loco cõsistere consternati nequeãt, qui affecto eo corripiũtur, pedibusq; & corpore inæqualiter in diuersa ferantur; quid omnino agãt, aut quid nõ agant, aut quid consilij captẽt, aut quò se demũ vertãt, nesciũ, quasi qui extra se positi, iræ'ne, an me-

tus imperata faciant, ambigui, vehementer intereà animo discrucientur, nec minore corporis prætereà, vt in omnibus id genus alijs, detrimento. Hi sunt ferè animorum affectus, dolores, cruciatus, angores, parti θυμοειδεῖ proprij; hæ perturbationes, hę pestes, in corpora etiam sæpe, vt docuimus, deriuatæ, ac sæuituræ.

Concupiscibilis animæ partis, belluæ nimirum multicipitis, Affectus corporibus damnum inferentes multi, Cupiditates inprimis non necessariæ, Edacitas, Bibacitas, Ebrietas, Ebriositas.

CAPVT VI.

ILlæ alterius partis, quæ ἐπιθυμητικὴ dicitur, ratione & ipsa carẽs, Gulositas, Ebrietas, Edacitas, Luxuria, libidinosarúmque voluptatũ genus omne, & immoderata rerũ multarum desideria, Amor: breuiter, cupiditates cunctę nec necessariæ, nec naturales, & inanes semper, ac superuacaneæ, gloriæ, honorũ, dominationis, diuitiarũ, quæq; omnia facultatis huius animæ pathemata, & affectiones iudicãtur: animũ quidẽ ipsę quoque conficiẽtes primò, quoties immoderatè in eas, ac sine cõsilio vllo, rationisq; examine incurrit, intẽperanterq; vsus totũ se deinde rapiendũ illis, & in illicita præcipitiaq; ferendũ exhibet; lõgè miserabilius tot iam cupiditatũ mancipiũ factũ, quàm si perpetuã illi atq; assiduã seruiendũ seruitutẽ esset, in bello, aut ex hostili aliquãdo præda capto, vt ex qua lõgè se faciliùs vnusquisq; ac minore semper negotio vendicare in libertatem possit, quàm si cupiditatibus illis obsessus vinctúsque, atq; adstrictus teneatur. Quæ semel admissæ, si possederint animũ, dominiumq; in eo aliquãdiu exercuerint, inuecta cõsuetudine, indutoq; habitu, iã nulla vlteriùs reliqua spes sit excutiẽdi iugum hoc, aut seruitutẽ exuendi. Quæ miserã mehercle perpetuò, atq; amarissimã vitã efficiat, pessimè semper nõ solùm animo ita affecto; verùm etiã abducto in eandem seruitutẽ, eademq; incõmoda, corpore, nec malorũ inde, nec morborũ certè minus sensuro, quã ex superioribus illis, quos memorauimus, alterius irrationalis partis animę affectibus, ac tãto quidẽ certiùs, quãto magis ex hac parte corpori non plures modò ex pluribus velut hostibus sustinendæ incursiones fuerint, multiceps nanque reuera ac propè innumerabiliũ existimata semper capitũ bellua est, sed ꝙ indomitam se eadẽ atq; insuperabilẽ, semel victrix, ad omnia exhibet, atq; etiã inexorabilẽ, longè quidem minùs semper ἐπιθυμητικὴ hęc pars obtẽperauerit rationi, eiusq; iussa fecerit, aut admonitiones audierit, quàm prior θυμοειδὴς: nẽpe cuius propriũ maximè sit, dicto semper audientem præstare se rationi, frænisq; patiens esse, nec magnopere egere calcariũ stimulis, nutuque ac cohortatione tãtùm gyros in omnẽ partẽ edere, quocũq; se verterit ratio, aut flexerit habenas, equi melioris officio functa, bijugis, candidi, ardua ceruice incedẽtis, imꝑterriti, pudẽtis, verę glorię cupidi: vt deterior alter ille, ita efferatior, facie, coloreq; diuerso, ceruicis obrigidæ, nec calcaribꝰ, nec cohortationibus agi prõptus. Itaq; omnis opera luditur, quæcunq; perdomandis Cupiditatibus his reponitur, altissimè iã infixis, quas tam impotens atq; effrænis animæ nostræ facultas aluerit. Occurrendũ igitur initio erit, sedulò ac diligẽter intẽtis, ne qua furtim illapsæ profundiùs se ad animi vsque penetralia immittãt, quando nisi in nõ benè intentos non facilè incurrunt, & inanimaduersæ fallunt altiùs transmissæ, vnde euellere illas facile deinde futurum nõ sit, nec iussas, nec persuasas, ac coactas tantùm. Cogi nãq; possunt, & ceu vinculis adstrictæ coërceri, ne efferant se, violentiaq; tantũmodo tunc adhiberi, tãquam indomitæ feræ, debebit parti illi, quam præceptis iam monitisq;, aut hortatibus mollire vllis nequeas, nec ratione vlteriùs vlla traducere ad recta officia, nec flectere oratione possis. Quod enim de ventre à Catone, vt arbitror, dictũ fuit, non habere eum aures: id transferri ad Cupiditatũ innumeras species, quæ minimè monentẽ audiunt, quũ aures, sicuti diximus, nõ habeant, aut surdas habeant, poterit. Et dominandi quidem cupiditas, aut gloriæ, aut diuitiarum, reliquæq; id genus, quarũ natura eò directa tẽdit, vt appetitu ducãtur rerũ extra corporis bonũ positarũ, eoq; non valde corporibus officere, vnde nec admodum instituto huic nostro cõferre vtilitatis tractatæ possint: meliùs fortasse Philosophis tractãdę, sedãdæque, aut mitigãdæ, aut ex toto, quoad eius fieri poterit, tempestiuumq; fuerit, tollendæ atq; eradicãdæ relinquentur. Nos eas nobis sumemus Medici, quas versemus, in quibus apertus cũ corpore cõsensus visitur, ac cõmercium, appetendiq; illarũ vis ex corporis tẽperamento progressa, huiusque ipsius constitutionẽ sequuta, in corpore, & per corpus vires facultatesq; ꝓfert suas, muniaq; obeuntes sua facultates alias iuuat, moderatè tẽperanterq; officio ipsa vsa suo: sicuti intẽperantiùs atq; immoderatiùs lacessens, sæpeq; intempestiuè nimis adlatrans, ac sopitos commodè necessarios naturæ vsus ante tempus blanditijs, illecebrisq; multis prouocãs, & maiores faciens, voluptates corporibus affert nec natura-

les,

les, nec necessarias, ac proinde omnium maximè sępenumero noxias, malorumque inuincibiliũ, quæq; ad mortẽ vsq; comitentur, aut hanc ipsam multo ante tẽpus properatã acersant, causam. Etenim Cupiditates infinitas has atq; immensas, nec quibus remedij quicquam adhiberi ad auferendas eas possit, morbi par est sequãtur (hi nanq; illarũ haud dubiè soboles habẽtur) infiniti atq; immensi, nec remedia sæpe, nec auxilij quicquã, aut opis demũ medicę admittẽtes.

Hic iam quorsum attinet, quos Gulositas, quos Ebrietas, quos Libido generis omnis morbos procreare solitæ sint, quàm rebelles, quàm contumaces, vitæque ipsius fonti, sanitatisq; totius nostræ ac salubritatis authori Calori illi innato nostro insultantes, commemorare? Scitum illud sapiẽtissimi, sanctissimiq; viri, Plures gulam interfecisse, quàm gladium. Et verũ est, verumq; quotidie experimur, qui nõ alios frequẽtiores, quàm de repletione morbos tractemus, in quos tantùm non quotidie, ac non in horas potiùs incidimus. Et quum degrauãte corporis totius Rectricem, sustentatricemq; virtutẽ, humorum, ab Edacitate nimia collectorum, sarcina, tãquam immenso, nec ferendo oneri succumbere tandẽ coguntur plerique, nec aliunde maior certiorq; cruditatum omnium in corpore coaceruatio, corruptorumq; per totũ succorũ cumulus, vnde innumeri, atque hi pessimi, periculosissimiq; semper morbi. Neq; verò præposterũ hic iniectorũ ciborũ ordinẽ, aut inopportunũ, præterque temporis rationem vsum, aut huiusmodi, quæ facere idẽ possint, causamur: de mensura tantùm querimur, quã Gulositas atq; Edacitas ingerere nimiã semper solent. Id enim ventri gulæq; deditorum proprium maximè ac peculiare vnum, vt infarciant, & accipere sæpe nolentem, non exigentem certè, nõnunquam etiã auersantem cogant tamen vẽtriculum, nec sibi in hoc nisi distentis benè, & ad summum vsq; os saturis satisfactũ esse putent, vi mediusfidius maxima naturę illata. Atq; in Athletarum deniq; morẽ deficientes, quos πρὸς ἀνάγκην, & ἐξ ἀνάγκης intrusos congessisse in corpus cibos necessariò legimus, sustentãdis ita validis lacertorum viribus, ad palmam ex victoria reportandam, aliquo ibi tamen vsu, hoc ipso videlicet, captandæ per omnem Græciã apud oẽs famæ. Cui rei perficiundæ, ex plurimo semper sanguine, quẽ coacta necessariaq; ad id Edacitas faceret, plurimũ quoq; roboris ac virium sustinendæ fortiter corporaturæ, staturæq; toti, meritò expectabatur. At hic quò tandem Edacitas? nimirum vt se expleat, nihil aliud: ac quemadmodũ desiderijs suis alijs, & quascunque iusserint præeuntes Cupiditates, voluptatibus corporeis; sic nec Gulositati finem vnquam vllum faciant, nihil, quorsum errata tãdem illa recidant, curãtes, aut quos allatura ea sint morbos, soliciti; non modò vitæ, quam festinè sępe decurtatam truncant, inimicos, sed etiã perpetuos atq; assiduos sanitatis hostes, vitæq; misere semper, perq; omnes deinde cruciatus ducendæ, cui vir fortis mortẽ etiã præferat, causam. Et præferunt quidẽ sæpe, at longè interea alio animorum habitu, nõ minùs ipsi. victi enim voluptatibus his, quas eliminare nõ possunt, & tot tãtorúmque morborum causas esse monuimus, alijs super alios incidentibus his, vitã sæpe festinatò nimis finiunt. In quo mortẽ sibi ipsis cõscīscere, non quidẽ animi fortitudine vlla, cõtraq; mollitie veriùs quadam, & obstinata erratorump erseuerãtia, dici meritissimò possunt. Iamque, si Dijs placet, etiam dicaces tum eorũ multos reperias, quũ, vt tandem desistant, moniti, non perinde referre dicunt, vitæ alicui spatia decennio plus minúsve prorogẽtur, an adimãtur: de se quidem non ineptè prorsus confessi, quorum vita pecudum semper more ducta, sicuti nemini, aut sui similibus tantùm, neque id ad virtutẽ tamen, vsui vnquam vlli est, ꝓducta longiùs: ita nec abrupta quidẽ magnum allatura sit rebus humanis detrimentum, vt eorũ quosdã etiam nõ natos, non sanè conqueri admodũ fas sit, quid aliud, quæso, si fatendum verum est, quàm inertia terræ pondera?

Proxima Edacitati Bibacitas, ex eodem capite socia, ac parum tamen in diuersa deinde tendens. Genus idẽ, naturæq; ex parte cognatio nõ planè diuersæ: repletionis vtraq; nimiæ causa: solidioris hæc alimenti, illa liquidioris. Hactenus variorum quoq; morborũ productrix vtraque, humorum succorúmque, quos diuersos generãt, varietate: Crassiores prior, glutinosósque magis, dẽsiores, spissiores; ꝓinde meatus corporis, pręsertim angustiores, obstructuros facilè, morborumq; genera facturos solui difficilia, quantũ quidẽ in eo positũ est, nisi aliũde humoris tenuitas alicuius accedẽs solutiorẽ constitutionẽ faciat morbificarum causarũ, vnde contumaciã vnà morbi quoq; deponãt quãprimùm: posterior serosos magis, tenuésque, ac fluxiles. Non eò dico, ꝙ ex nimio vini potu, aut Bibacitate, nõ & alij quoq; humores generari affirmẽ; aut ex Edacitate serosos etiam gigni posse negẽ: sed ꝙ crassorũ ex hac sine dubio, dẽsorumq; maior corpori copia semper prouenit; serosorũ ex potu, magisq; ex Ebrietate, vt quã humor quisq; serosam cõtinet (quod sæpenumero videre est) partẽ, hanc aut

aut solam, aut potissimam ex potu trahere, pro certo habendum sit. Tantum enim remittere aliquando vrinæ videmus egregios potores hosce, quæ serosa inprimis pars est, vt hoc esse vnum argumẽto certo possit, de potu serositatẽ maximè atq; inprimis colligi. Itaq; sicuti obstructiones ex vino factas deobstrui faciliùs posse scripsisse aliquando (De tuen. sani. v.) Galenũ meminimus, quòd crassities, densitasq; ea non insit, quæ vehementia, efficaciaq; ad hoc remedia expostulet: sic sanè morbos quoq; inde ortos discuti soluiq; faciliores nõ iniuria esse existimabimus, si modò paria reliqua cuncta fecerimus eorum, quos cibus nimius, quosq; potus gignunt, morborũ. Non enim ignoramus, certis quibusdam de causis esse alios alijs hosce salubriores, & periculosiores posse. Neq; immemores sumus, nos sic de illis disputare hoc loco debere, tanquam quos non simpliciter cibus ac potus, sed nimij hi (quod Edacitatis, & Bibacitatis, siue Ebrietatis, quæ Bibacitatẽ ferè insequi solet, nominibus significamus) gignere consueuerunt. Quos ergo voluptates hæ faciunt, de his nũc dicimus morbis. Porrò aũt ex Cupiditatibus inter animæ Affectus, de quibus institutus nobis hic tractatus est, numeratis, voluptates eæ oriuntur: vt hos quoq; morbos fecisse animi affectus intelligantur, quippe quos voluptates fecerint, quas cupiditates eiusmodi pariant, aliosq; insuper. Cõmunem illũ non iam morbũ dixerimus, sed internicionẽ corporis, extincto nimietate cibi potusq; Calore natiuo, potusq; inprimis, atq; ante omnia, lõgeq; citiùs, atq; euidentiùs. Cuius quoniã velocior, iuxta Hippocratẽ, (Aphor. ij.) nutritio moderati: ideo ocyor quoq; ad perdendum immoderati trãsitus, quo corporis calor extinctus pereat, morbique statim succedant frigidioris, haud dubiè, naturæ, cõuulsiones attoniti, Comitiales, Tetani, Aqua intercus, hancq; anteire sæpe solita Cachexia, deprauati habitus nomine dicta Latinis, alijq; huiusmodi, eandẽ causam sequuti, Caloris nimirũ natiui abolitionẽ, aut imminutionẽ maximã, alimento quanuis apprimè idoneo affatim nimis ingurgitato obruẽte calorem, quasi qui lucernæ flãmam crebris nimijsq; olei superadditionibus extinguere de industria cõtendant. Aut hæc fiẽt, aut repleta nimis cõfertaq; sanguine vasa, eoq; imperspirabilia facta, alio quodam, quàm paulò antè tradebamus, modo, quo nimia tãtummodo alimẽti vinosi affusione velut obrutus peribat calor, ipsa hunc nihilominùs calorẽ quoq; ipsum perspiratione sua priuatũ restinguẽt, & attonitos alterius cuiusdã generis, quo intercluso respiramine, nõ copia tãtùm nimia obrutus pereat calor, faciẽt: aut disrupta, vel, vt optimè in hoc cadat, osculis apertis extremis, quã ἀναστόμωσιν Græci vocant, tantum interdum effundere cruoris poterunt, vt mors statim sequatur: aut refrigerato ita nimiùm habitu, bona hîc quoque memoratorum iam morborum pars sequetur.

Ebrietatẽ bibendiq; auiditatẽ immensam hanc, atq; inextinguibilẽ sæpe, imò verò victoriã sæpiùs in bibendo quæsitã, altera comitatur, rei præclarè in hoc gestæ palma, Ebriositas. Nõ enim satis fuerat, poculis semel iterumq; certâsse, victoriámque domũ reportâsse, & ornâsse triũpho hoc familiã, vt hæc quoq; gentilitijs imaginibus gloriosè adscriberẽtur: nisi sæpiùs descendendũ esset in arenã, crebriusque hoc dein factitato tandem indueret se in habitum fortitudo hæc, quã tanti illi faciant. Quanuis hoc multi interdũ alij, & quidem meliùs sapere visi, similius esse dicant, ęquè ac si intermittente priùs febre laborans aliquis, errore deinde in continuam deferatur. Quid enim aliud Ebriositas, quàm continua quædam, nunquámque ex toto cessans Ebrietas est? remittens se quidem affectus laxatur, mox vires iterum sumit vehementior, non vnquam in plenum deseret, quem semel occupauit. Itaque Ebrietatis perpetuò alicuius signa in ebriosis aliqua: attonitæ, perturbatæque similima semper mens, temulenta, retusa ratiocinandi vis; inepti, nihil quicquam rectè vnquam agentes, sensu propè communi carent, sópitis similes, vel priusquàm inebrientur, ebrij. Ijdem toto corpore tremuli vacillant, turgido humore suffusa facie spectantur, flaccescentibus, demissisque, ac pendulis ad mentũ buccis; siccis, pallescentibúsque labijs, certissima, os ventriculumque, & intermedias partes obuestiẽtis membranæ vitiosa qualitate per totum infectę, nota. vnde fœtẽtis insuper mirum in modum animæ exhalatio assidua, & ἑωλοσυγκρασίας reflatus continuus, quã non ex pridiana temulentia, sed perpetuam circunferunt. Atq; hęc minimè quidem conuenire ebrijs videbũtur: ebriosis autẽ maximè.

Ex Libidine mala, quæ vitare diligenter monemur. Quid μετεμψύχωσις *Pythagorica sibi velit. Nõ mores solùm corporis temperamento assimilari, sed vice etiam versa moribus corporum constitutionem accommodari interdum.*

CAPVT VII.

Hominis inuenisse nos Leonem, quum iram diximus, arbitrari licet; Lupum, quũ voracitatem. Quodnam animantis genus Bibacitate referat, inuenire

uenire non licet: nobis certè non succurrit. Naturâ, credo, in alijs, paulò magis necessarijs visis, exemplum edente inter bruta excessus ingentis, incontinentiæque, atque intemperantiæ, sed quod naturale tamen aliquibus esse reperiretur: in hoc vno modum statuente, nec vllum prodente bibacitatis specimen in his. Quo nimirum significaret (vt ego quidem sentio) rerum opifex natura nobis, præter suas omnino, quas ab initio statuerit, habendum id leges esse, cuius in animalium generis temperamento, ac facultatibus positi, nullam tamen constituere inter hæc, quam quoquo modo imitandam haberemus, similitudinem voluisset: vt in quo non solùm corporearum facultatum, sed etiam animalium non leuem facturi semper iacturam essemus, & quidem principalium deprauata inde semper ratione, sæpe etiam dementati. Nec Libidinis, enormisque sæpe luxuriæ, quam multorum generum variam, vagam, concessam, inconcessam, plerunque etiam insatiabilem vterque sexus obtinet, non similitudinis multum cum animalium aliquo contrahent rei huic deditinimis, in quibus quis non credat, aut non affirmare iure meritóque possit, Caprum inhabitare, aut Suem, aut si quod aliud his luxuria maiore tenetur animal, tanto quidem magis, quanto proculcata hoc illi ratione prorsus faciunt: quam quum habeant, non vtuntur ea, trahique illam sinunt, mancipij ritu, in quæcunque partes eæ iusserint, quibus procacissimas bestias referunt: quibus tamen statis tantummodo anni temporibus quibusdam ferri in hæc, sæuiréque, ac furere datum. At indissueta homini ad hoc tempora, omnibus dierum noctiúmque horis; tempestiuáque satis censetur à multis Venus, quotiescunque libuit, & vires ad peragendum suppetunt. Nam licere, id verò quoniam olim totantè seculis prolata à summæ atque adeò Imperatoriæ domus fœmina sententia, Licere, si libeat: iam præiudicatum circunfertur, ne in cogitationé quidem sæpe hominum venit. Non attinet huc veterum Messalinas, temporúmque illorum monstra adducere, quas ex maximis familijs quæsisse sibi palmam in eo constat, prouocatis ad certamen stipe merentium in lupanari ancillarum nobilissimis, fortissimisque, ac gloriatas vicisse numerosiore concubitu. Compares his Sardanapali, eadem in arena quæsita nominis fama ex altero sexu, quasi inito certamine, propositóque præmio, vtris victoria cederet, præpositis, qui plures in eo confecissent pugnas. Apagesis à nobis portentosas has libidines, quibus & animus, & corpus effœminatur. Vsque eò certè corpus in consensum animi vita moribúsque illis imbuti affectum trahitur, vt exuto homine perditissimam sæpe bestiam, cuius mores acceperit, prorsus induat, inque animantis facilè illius naturam ab humana discedat, cuius vitam actionésque, quibus vita potissimùm constat, æmuletur.

Hinc μετεμψύχωσις illa Pythagorica: nec aliud planè sensisse tot deinde asserentem ista Pythagoram tanto consensu sequutos summos, suæ quemque ætatis, Philosophos, verisimile est, quàm brutorũ vitæ deditorũ hominũ trãsmigrationẽ factã brutaliũ (vt ita dicã) animarũ, de suo in alienũ statum degenerantiũ, quæ, manente hominis tantùm effigie, ferinos mores, & consuetudinem induissent. Monstra quidem hæc hominum appellamus quotidie. Quid aliud, quæso, quàm sub hominis facie portentum aliquod residere existimantes, hominis forma, ac statura tantùm; vita, moribusque, ac reliquis bruti bestiæque omnibus? Eadem significatione iracundos maximè, voraces, libidinosos, Viperarum, Luporum, Suum nominibus vocamus. Et hercule sunt: qui hominis tantùm effigiem retinent, mores, vitámque abiecerunt, ac pro his ferinos ac bestiales sumpserunt.

Ac fieri tamen nonnunquam posse, atque etiam contingere id solere videmus sæpe, vti non mores modò, (ne quis nos de moribus tantùm dicere instituti nostri oblitos cauilletur, quo de metuendis fugiendisque ex animorum affectibus tractandum morbis habemus) verùm etiam corpora quoque interdum ipsa pro moribus, actionibúsque, quas animus ediderit, immutata spectemus, vice hîc quoque, quemadmodum in plerisque alijs, versa: vt, sicuti mores temperamentum corporum insequi ipsum iam diu indubitatum est; ita è contrario moribus, ac quascunque mores edunt actionibus, nõ parum sæpe corporis accommodari temperamentũ, constitutionémque adeò quandoque ipsam à natura experiamur. Sic quidem Iracundos temperamento suo calidos siccósque, cuiusmodi ferè Leonum est, euadere cõspicimus; Gulosos, ac in segni turpique, tanquam in cœno sues, otio assiduè volutatos, eosdem temperamento, & nonnihil habitudinis quoq; similitudine aliqua referre Sues; Libidinosos partibus non solùm, quas in primis exercitas habent, pollere, easq; & validas, & maiores reddere, sed etiam Hircum redolere, vt in quorum corpore trux habitare Caper soleat, & eorundem more hirtos hispidosque per totum fieri. Quid? an non Aristotelem authorem habemus, (De histor. anim. viiij.) vidimus-

que partim aliquando ipsi idem nos, Gallinas, quæ maris animũ induissent, ex parta semel de Gallo victoria, superuenire coitu mares solitas, irrito quidem conatu, sed solitas tamen; &, quod dicta inprimis nostra confirmat, vtque author idem est, crista caudáque Gallorum in morem erecta visas, tãta marium similitudine, vt discernere non facile fuerit. ijsdem obseruatum parua quoque enata calcaria quædam locis suis. Iam è diuerso mares fungi matris, quæ fortè interijsset, officio diligenter spectatos narrant, ductâsse pullos, fouisse, educâsse, non cucurisse vlteriùs, non coijsse. Quæ cuncta hoc à nobis loco ea allata fuêre ratione, vt argumentũ inde certum ducere nobis liceret, quum quantũ ex moribus his, actionibusque, quas procul dubio animorum affectus, & pathemata quædam gignunt, atq; edunt, in corpora immutationis deriuaretur, perspectũ haberemus; idem ex affectibus ijsdẽ de morbis censendum nobis esse, quos dictę paulò antè cupiditates, non sanè leues animi affectus, parere, atque inferre corporibus posse crederemus, postquàm temperamentum quoque propè totum, & immutatam in diuersum naturam cum constitutione interdum, formáque, ac effigie ipsa, videremus. Nunc de Amore.

De Amoris affectu, quatenus tantùm officere corporibus solitus est, illatis multipliciter, multorúmque generum, damnis.

CAPVT VIII.

IN Amore hæc sunt, quæ memorauimus, multa, cupiditasq; inprimis, ac pulchri præterea desiderium. Hoc enim ipsum Amor est, generandi desiderium in pulchro. Amorque non alio, quàm Cupidinis, indicari à Poëtis nobis meliùs nomine consueuit. Hoc si fruare, quod cupis, quod desideras, gaudium ac voluptatem accedere ingentem manifestum est: si non fruare, tristitiam, solicitudinem, & ex promptè sæpe in mœrore accensa bili iram sequi solere non manifestum minùs. Iam vnde, quæso, paratior alicui, quàm ex Amore, μελαγχολία; quippe μελαγχολῶσιν amantes maximè: prorsus vt non θυμοειδοῦς minus hîc, quàm ἐπιθυμητικῆς inesse partis affectus deprehendere liceat; & superioris insuper nobiliorisque multo animæ partis oblæsio euidẽs, apertaq; appareat; sitque Amor aut hæc cuncta habendus, aut meliùs, veriusque, cupiditatum genere quum contineatur, rectéque ac consideratiùs cogitanti collocandus ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ veniat, reliquis omnibus, quæque omnia hæc insequuntur, alijs causam præbere censendus sit. Itaq; quoniã tristari, cupere, gaudere, flere, exultare, patiere, sperare, metuere, audacissimè eosdẽ, & timidissimè, torpidè, sagaciter, stultè, sapienter, & quid non eiusmodi, agere amantes quotidie experimur: ne mirari quidem debemus, siquidem quæcunque comitari animorum affectus hos solent, ea sequi hîc quoque, atq; ab animo deniq; in corpora migrare incõmoda multa, cõpertum sępe habeamus. Maiores tamen semper, atq; euidentiores, atq; etiã citiùs contingere in his effectus conspicimus ab animi affectibus, qui tristitiæ sunt, ac solicitudinũ, mœroris, anxietudinũ, & melancholiæ: eo quòd in Cõcupiscibili parte licèt repositus animi affectus sit primò, ex Amore, nõ ferè tamen breui, aut sic statim, nec nisi longo demum pòst tẽpore redundare in corpora ex hoc mali effatu quidẽ digni quicquã videmus: nisi veluti degenerãtes, aut accersito potiùs alio præterea affectuum genere, in mœstitiã quoq; sese induant, animorumq; pathemata id genus alia, vel melancholicũ etiã inuehãt: vt nõ immeritò ideo, perstãte in omnibus Cupidine suo illo, nec cessantibus vnquã, quas initio sumpsêre, cupiditatibus, quãtopere nõ minùs præterea insaniãt, discruciẽtur, angunturq; animo semper, atque in maxima assiduè anxiaque valde solicitudine versentur, animaduertere in promptu apertoq; omnibus sit. Ex quo pallor, & macies, ac corporis totius status imminutio insignis, non alia planè de causa, quàm pessimè affecto nõ solũ vtraq; Irrationali in parte animo; sed etiã nobiliori, ac principali magis illa, omniũq; præcipua, de statione sua exeũte, quasiq; in aliarũ partes adducta. Hîc iã nulla ꝓpè animo cura alẽdi corporis, curãti alia, curisq; alijs multis lõgè sibi potioribus visis occupato, qua tantùm ratione, quibúsve modis amata re potiatur sua, cui totus potiundæ inhiat, id vnũ solicitus. Quocirca iacẽt depositæ atq; abiectæ, aut tenues certè & imbecillæ manẽt, & reliquæ fiunt cupiditates omnes, hæc vna vt alatur, cõtinuæ spei fomẽto, ac veluti irrigatione, maius subinde maiusq; incrementũ ex cõsuetudine cũ aliarũ vnà detrimẽto sumens. Auersi igitur à cibo, nec illũ capiũt, aut nõ valde certè appetentes capiũt; &, si quẽ ingerũt, nec arctè amplectitur vẽtriculus eum, nec vt par est cõcoquere potest, distractis auersisq; aliò, neq; intẽtis satis nutricationis muneri naturalibus facultatibus, nec spirituum satis suorũ cõferre in id valẽtibus, quos officijs alijs obeũdis dissipatos habent. De Amore paucula hæc. nõ enim explicãda nobis hoc loco vniuersa illius natura erat, quod prolixè

lixè

lixè facere potuimus: sed si quid corporibus officere affectionis genus id, aut alio modo immutare posset, tradendū id fuit.

De Libidine autem, quæ ferè Amorem sequi deterioris notæ & conditionis illum solet, longè autem reuera natura sua dissita ab Amore est, vt in qua vis interdum violentiaq; insit multa, quæ in Amore nulla; quoniam generatim antè, vt de animi affectu quodam, tradidimus: age nunc speciatim quoque, particulatimque magis, de Venereorum opere, vsuque, qua prodesse, quaque obesse corporibus solita sint, agamus.

Veneris vsus ad Sanitatis tantùm rationes quærendus hic. Et ex diu nimis contento semine nocumenta in vtroq; sexu, quæ euitari debeant excretione tempestiua, aut præcauendo.

CAPVT IX.



DE coeundi officio, siue Venere, præfandū illud esse arbitror: nō futurum fuisse, vt à nobis ista tractarentur, nisi Sanitatis rationibus maximè collatura esse existimâssemus. Quibus si quid vsquam, aut quoquo tandem modo cōfert, aut earum summam auget, aut ad rem ratione aliqua facit; id à nobis diligenter vndiq; conquisitū totum conferri in opus, quod hoc tempore molimur, huiusmodi debet: nisi verò præuaricationis suspicione insigni, atq; manifesta, transmittēda nobis silentio sæpe sint quædā, quæ vel obscœnitas, vel turpitudo aliqua fari prohibeat, maximi alioqui ad rerū tractandarum institutionem momenti, atque vsus, vt, nisi suam quoq; hæc tractationis in partem veniant, defuturum operi aliquid ad summam omnino sit, nec perfectum id, neq; numeris absolutum suis dici omnibus possit. Quanquam nulla prorsus esse in re obscœnitas poterit, si vsum tantū coeundi sequamur legitimū, æquúmque, cum voluptate quidem coniunctum sua, eiusdē nempe conditionis æquæ, legibusq; suis vndique, ne qua ex parte terminos suos egressa transiliat, coercita. Vsum hic præcipuum illum propagandi generis humani in nobis, quò cuncta hęc rationis huiusce à natura destinata tendunt, omittemus: salutarē tantùm retinendæ hoc pacto particularis cuiusq; sanitatis sequemur, in communem potioremque, quem diximus, illum contendentem hunc quidē quoque, sed quem præfixus Sanitatis tantummodo nostræ tuendæ scopus, nihil prætereà, aliū quendā faciat. Neq; tamen nō cōiungi, cōueniréque in vnum optimè vtriusq; rationes queant, vt eodem tempore, & corporis salubritati, & procreādis liberis detur opera. Nos tamen intra septa nos nostra continebimus, vsumq; tantummodo, & cōmoda ad Sanitatis tutelam, ex recto opportunóque coeundi vsu; rursusq; incōmoda, ex intempestiuo spectabimus: quo & hæc accersere ad res nostras, quum opus fuerit; & illa euitare, quum nocitura nobis esse videbūtur, liceat. Nec voluptatē quidē consideraturi in hoc, nisi quatenus functionem hanc necessariò insequitur: nec pro scopo habituri, ac noxij solummodo excrementi eiusmodi, si diutiùs retineatur, expulsionē de corpore capturi, Diogenis quidem instituto ac more, sed Diogenico tamē exemplo minimè. Huius nanq; probare viri morem, institutumq; possumus depellēdæ ita noxæ, ab excrementitia vitiosaq; materia contractæ: exemplum improbabimus mastrupationis, inepti nimis hominis, vtpote Cynici, atq; inuerecundè admodum professi τὴν χεῖρα φθάσαι τὸν ὑμέναιον ᾄσαι.

Quod porrò vitium, quæ malitia, imò quāta venenosæ cuiusdam materiæ noxa, collectitio diu nimis intra vasa sua semini insit, quærentibus nō defutura sunt exempla eorum, qui grauissima ob hoc incurrerunt symptomata, assuetorum præsertim Venereis antea, si repētina desuetudine, cō trario sibi proposito instituto, vigentique adhuc ætate, & corporis temperamēto, gignēdo colligendóque copiosè semini idoneo, nec Venereorum memoriā deponant, & victus tamen intereà rationem prioris seruent, semineæ itidē materiæ multæ procreandæ aptam. His corporis totius grauitas quædam accedit inusitata, inguinumq; ac vicinarum circà partium extensio; vbi, si plusculum acceperit caloris præternaturalis semen, vt ferè euenit, quoties calore humoréque locorum non admodum dissimilis naturæ materia diutiùs conclusa cōcalescit magis magisq; semper, per communes arterias venasq; facilè cordi quoq; id caloris impertire, febremq; gignere, possit. Nec minùs cerebrum impetere exhalati inde vapores quidam, ijdem & praui, sensusque hebetare, & intelligendi vim rationemq; perturbare, & oculorū aciē offuscare, capitiq; vnà grauitatem adferre, valent. Sæpe melancholicos fieri ex hoc, sibiq; ipsis displicentes, ac præter rationem omnē tristes, & desperantibus similes, interdum & maniacos, frequentiùs vertiginosos, videmus. Veluti fractū intereà viribus suis sentitur corpus vniuersū, & tremere præcordia, & pectoris partes cōtractionis, quasiq; cōuulsionis cuiusdā nōnihil sentire apparet, perq; totū suboritur frigus, ac torpere sibi videntur, moueriq; segnes, nec cibum capiunt, nec, si capiunt, facilè conficiunt.

Iisdem symptomatis vrgentur fœminæ, prætérque conuulsione sæpe partium manifesta magis, vuluæque interdum strãgulatu, quem vocant, vsque adeò vt mortuis simillimæ iaceant, nulla nec respiratione, nec corporis vlla omnino ex parte cõmotione aliqua, nec arteriarũ pulsu, quem quidem percipere tãgendo queas, nec sentiendi facultatis cuiuspiam functione immotæ prorsus, nec remanentis in corpore vitæ signum aut vestigium saltem aliquod ostendentes: excepto, quòd medium corporis circa caloris tamen alicuius sensum tangentibus ostendunt, cætera frigidæ. Animam verò non in totum efflatam egisse colligi potest, appositis ad nares discerptæ carptim lanæ floccis, si quoquo modo motitari visi fuerint, commeante vltrò citróque, perexiguo licèt, aliquo tamẽ inde spiritu: aut, si vasculum aquæ ad summũ plenum aliquod ventriculi ori imponatur, animæ etiamnum præsentiam alicuius deprehensurum, effusa aquæ particula. Irrespirabiles ex argumento vocant Græci: sua quidem Heraclidæ authori ἄπνους ea ratione est, quæ libro titulum fecerit. ὑστερικὴν πνῖγα, affectum vocant, & ἄπνοιαν ὑστερικὴν: nos vteri præfocationem possumus, & respirationis ob idem priuationem. Neque tamen tam vehemens semper affectus, vt in strangulatu spirandi semper & se commouẽdi facultate destituãtur, arteriarúmque pulsus in omnibus ex toto cesset. Nam & sentientes quasdam, nec immotas prorsus, nec quicquam de ratione mentéque egressas, easdem & vuluæ strangulatu periclitantes videmus. Sed detenti diu nimis in fœmellis seminis vim, mirámque extraneæ cuiusdam, noxiæque admodum inde, materiæ efficaciam notâsse proposito nostro conuenienter voluimus. Quod mirũ non videbitur, fœminini seminis naturã, & cũ masculino diuersitatem, considerantibus, minùs & concocti, & excremẽtitij, serosiq; magis; ideóque peregrinam, atq; alienam, naturęque nostrę aduersam suscipere qualitatem idonei, paratique magis. Quòd si sanguinis tanta est vis mẽstrui, ea malitia, tantúmque in illo ad multa, eáque dictu incredibilia, virium, quãtum à rerum harũ Scriptoribus tribuitur; nec præsentis vtiq; temporis fides derogat, quin longè adhuc plura, nec magna nec mira minùs, arrogat, quæ nec operæpretium, nec instituto huic nostro conueniens sit referre: non vsque adeò mirabimur, in proxima menstrui sanguinis materia, semine, si talia cõtingant, diuturnáque nimis mora id, ac longiore, quàm quũ excerni requirat, temporis mora cõtentum, praua vitiosáq; inprimis accepta qualitate, symptomata adferat, quę diximus, mortémq; propiùs, quàm vitam, pessimè ita affectum corpus constituat.

Ergo perquàm necessaria seminεę vtroque in sexu excretio; aut, ne colligatur, nocere quod possit, pręcautio; aut collecti iam aliquo pacto restinctio. Præcautio potior: proxima restinctio, in his nimirum, quibus propositum fuerit ab huiusmodi se in totum quacunque de causa operibus abdicâsse, sibíque ipsis Veneris muneribus interdixisse: tractabitúrque de hoc pòst paulò. Nunc, quibus semen etiamnum colligitur prolificũ, ætatéque & temperamento fuerint progignẽdo huic fœcũdi, (nam nec ætas, nec temperamentum ad id omne aptum) atque ætate maximè consistentes, vel proximi quoque huic, calidioréque & humidiore natura, vel huic affines, plurimum, noxiúmque maximè coarceruant. Atque hi, præsertim verò si notos antea concubitus habuerint, intermissa statim præter consuetum Veneris consuetudine superiùs numerata symptomata incurrẽt: &, quod ad sanitatis tutelam attinet, exercenda habebunt temporum interuallis iustis munia hæc necessariò.

Vsus & commoditates ex Veneris vsu cõmodè inito: tum, quæ præcaueantur ex eo, mala.

CAPVT X.



Væ si loco ac tempore facta fuerint, mirum quàm noxę illæ omnes anteuertantur, moxq; corpore inuasuræ repellantur, & iam occupantes discutiantur, vegetato extẽplo corpore, quod priùs tãquam onusto quodam pondere depressum videbatur. In melius promouentur statim cõcoctiones, vniuersaq; nutriendi corporis officia peragũtur clarificatis & illustratis spiritibus meliùs, natiuóque calore exuscitato, qui antea velut suffocatus premebatur: vt authores sint & quidem classici, augumẽtum inde sumere corpus solere. Quod nõ alia de causa fit, quàm, qua diximus, innati caloris exuscitatione, semine nimio torpentis, quem moderatus, quum opus est, coitus excitet, superfluosq; vnà humores absumat. Ex hoc agilitas quoq; corporibus, & floridior quidã calor accedit, tristitia omnis abit, redit alacritas, ac optimæ nescio quo pacto spei plenus exhilaratur animus: caligare desinũt oculi, meliùs audimus, odoramur, gustamus, exactiùs sentimus, ingenio valemus magis, cogitationẽ ad potiora grauioraq; transferimus, inanibus ac futilibus relictis. Nec alia re faciliùs deferbuerit ira, & ad agendas res promptitudo atq; alacritas accesse-

cesserit, aut compositis magis moribus spectabilis animus euadet: sedatis quippe importunissimis Deæ illius stimulis, & represso canicularum vndique animum impetentium, & ab recto abstrahentiũ, latratu; simul excremẽtitia superfluitate ea, cuius perquã deprauatis exhalationibus totum corpus infectũ vitiabatur, sensus offuscabantur, ingenij vires hebetabantur, propulsa. Quã vsq; eò coaceruatam colligi in corpore par sit, dum naturæ institutũ perficiatur, procreãdo tantùm propagandóque generi introductũ ab ea. id quidem excrementi ad hæc tantummodo vtile, in hosce quoq; vsus collegisse conueniet, vt quo debuerit tẽpore opportunè excernatur, nocuum semper vltra id futurum, vtpote quod non in corporis, in quo colligitur, gratiam, sed prolificãdi solùm causa, in loca ea coniectum ab Opifice nostri fuerit, remittendum de corpore, loculamentisq; suis ad naturæ opera destinata.

Pituitosos morbos (si quis & in Curatrice quoque Medicinæ parte vsum ex hoc quęrat) coitu sanari, author Hippocrates est: (Epidem. vj.) λαγνείη τῶν ἀπὸ φλέγματος νούσων ὠφέλιμον. Factos à pituita morbos, inquit, Venus iuuat: vt exemplo eodem in altera quoq; nostra hac, quam nunc præ manibus habemus, Medicinæ parte vsus futurus nobis sit remedij eiusdẽ, quoties pituita molesta erit, modò vires vnà adsint. Nam id in virium imbecillitate tẽtâsse, maximo semper damno cesserit, sæpe vitæ discrimẽ attulerit, aucta Veneris exercitio, quo resolutũ, nisi suppetat robur, flaccescere maximè corpus consueuerit, virium debilitate, & siccitate addita, quę Venerem semper sequitur. Iccirco consumendæ pituitæ non paruus sanè ex ea profectus, vnà & ob calefaciendi potentiam, quam robustis ex Venere contingere videmus, excitatis spiritibus, caloréque, ac fortiore facto commotione ea corporis tota; quũ imbecillioribus idẽ quoq; vsu veniat sępe, vt concalescant quidem primò, tum agitationem eam non ferentibus viribus, simul voluptate perfusi structuram maximè corporis laxante, exitum natiuo calori spiritibusq; parẽt, moxque ita insigniter refrigerentur: non secus, atq; in exercitationum genere omni euenire alio experimur, vbi excitatum commotionibus calorẽ augeri, viresq; sumere validum videmus, imbecillum destrui; & magnũ ignem ventorum flatibus ventilatum crescere, paruum extingui sæpe. Quanuis Veneris ea pręterea ratio quoq; sit, spiritosas ante omnia partes roborãtis adhuc magis, si validæ fuerint; debilitantis, si imbecillæ: eoq; auctis illustribusq; factis spiritibus concalfacientis corpus, vt imminutis obscuratisq; refrigerantis. Eandem ob rem renum calculo obnoxios, qui pituitosam maximè, crassamque, ac viscidam generationis suæ materiam habet, haud parum sanè iuuerit, ne gignatur prohibito, Venus: (vt in parte tantùm Salubris Artis versemur) idq; partim consumpta (quod facere inprimis solet) pituita, partim (quod nõ minùs præstat) calorifica vi eliquata eadem fluxiliq; facta, proinde nec hæsura diutiùs renum vijs, vt cogi in calculum valeat. eo præsertim, quod vicinitate partium, quæ in Venere potissimùm exercentur, imò & affinitate coniunctionéque, consentire, ac virtute sua excitati propellẽte emittere renes noxia, quasiq; sese exonerare tunc consueuerint. Quod idem præstat, vt & inguinum, circuniectęq; partes genitales omnes, abscessibus aliâs, aut malo alicui fortè opportunæ, vnius sępe Veneris ope tempestiuè adhibita illæsæ seruentur.

Quantum nocumentorum afferat intempestiua Venus, functionésque omnes destruens, Naturales, Vitales, Animales.

CAP. XI.



Tq; hęc ferè sunt, quę ex Veneris operibus reportari ad vsus nostros cõmoda queant, si meliore boni ex parte arrepta teneantur, custoditæq; seruẽtur, quæcunque, ne malè nobis in his cedat, diligenter retinendæ fuerint, rerũ omnium, de quibus mox dicendum erit, conditiones. Quod nisi maximo semper opere ab errore omni inoffensum defendatur opus: nec minora, nec pauciora, nisi fortè longè & plura, & peiora, ex eiusdem prorsus rei, sed diuersè acceptæ, vsu allaturum incommoda sit, quàm antea commoda. Vsq; adeò retulerit, ex qua rem quamq; ansa capias, geminę quacunq; in re quum sint, si Epictetum authorem sequimur, boni malique. Boni iam ostẽdimus ex Venereorũ vsu ansam, si, qua debet ex parte, prehẽsa teneatur: nũc mali quoq; ostendamus. Et quanuis Poëta nescio quis,

Vno nanque modo Vina Venúsque nocent.

dixerit, atq; in multis verum esse probetur, quæ ille recenset: rebus in nostris, his inquam, quæ Medicam, nostrámque inprimis tractationem hanc tangunt, (nam in Curatrice, & quæ rectè Clinice vocatur, Medicinæ parte, decũbentibus ęgrotis nulla, aut perquàm rara admodum, Venereorum cogitatio) diuersa omnino ratio vtriusq; spectabitur, vel in eo inprimis, quòd nimietate ac humoris redũdantia alterum ante omnia officiat, Vinum; tenuitate pauci-

paucitateque altera, & resiccatione nimia, Venus: ex altero, ne suffocatus pereat calor alimēto supra modum ingesto oppressus, periculū sit; ex altera, ne debilitatus calor idem, & ceu alimonia iusta sua destitutus, viriúmque suarum imminutione potiùs quadam resolutus euanescat. Vtrunq; quidem, sicut idem Poëta cecinit,

Vt Venus eneruat vires, sic copia Bacchi,
Et tentat gressus, debilitátque pedes.

Vtrunque, si quid aliud, neruosis maximè partibus officit, vtrunque oculis: ab vtroque festinata nimis senectus, ac præpropera sæpe, atque ante tempus multo accersita mors expectāda, atq; haud scio an ex Venere magis. Improuisæ quidem & inanimaduersæ, ac repentinæ mortes, ex Baccho citiùs, frequentiúsque occurrent: certiores, & ineuitabiles magis, ex Venere. In eo, dubio procul omni, ac scribentium de rebus his omnium consensu, damnosissima reperta Venus, quòd præter oculorū offensionem, quam multo, quàm ex vino, maiorē ex Venere persentiscunt, non facilè quicquam, quod ęquè vētriculi functionibus vniuersis obsit, reperire aliud sit: vt, quibuscunq; natura imbecillior pars ea sit, nisi abstinuerint, aut se, circunspectis diligenter, atq; ad amussim obseruatis legibus omnibus, cōtinuerint, ac tāquam ad præscriptū fecerint, vel contemptim nimis ac negligenter sese gesserint, quando minimè omnium oporteat, incumbendo in id: daturi mox pœnas sint, haud dubiè non leues, refrigerato, resiccatóque nimis corpore, vētréque inprimis ipso, (etenim εἰς τὴν γαστέρα potissimùm incidit noxa ea, quod dici solet) & depauperatis visceribus calore suo omnibus, vnde accelerato senio, mors in promptu. Hęc nanq; præcipua noxę omnis ex frequētata, aut aliàs intempestiua, inordinatáq; Venere causa, refrigeratio & resiccatio corporeę molis totius, cum caloris vnà natiui deperditione. Quem, quū calore humoreq; maximè ex substantia sua cōsistat, nō alia magis, quàm frigoris ac siccitatis qualitate introducta imminui, atque adeò extingui quoq; sæpe posse cōstat. Pereunt inde spiritus vnà ipsi quoq; extemplo, generis cuiuscunque, detrimentum certè patiuntur, ac velut subtrahitur animæ instrumētum, quo naturales functiones suas ritè obitas peragere solet, vitales, animales. hoc est, nihil aliud, quàm vitæ ipsi insidiæ tendūtur, impetu in præcipua viuendi officia facto. Exoluitur, iacētque corpus viribus destitutum suis omnibus: magisque, quo impigrè magis, viribúsque omnibus nixi, quàm validi eo in officio prętando sint, ostendere cupierint, supra vires suas, ex quo deiectæ deinde illæ prostratęque mox iaceant, molliti; aut maioris voluptatis desiderio, noua semper aliqua, miráque ad id, ac præternaturalia sæpe allectamēta quæsierint, minimè vulgari communiq; cōtenti, nec nisi accersita, blanditijsque atq; illecebris inuitata, Venere vsi: vt non cestus illi futurus satis suus sit, sed & māgonio prętereà egisse oporteat, quo voluptuosior voluptas ipsa fiat. Hinc planè artificium adhibent, & admouent machinas, non dico excitandę, quæ torpeat, sed excitatę per se concitatiùs etiamnum ac vehemētiùs deinde ferendæ; inuitamq; propè cogunt ingētibus semper stimulis, vt sufficere voluptati corpus possit, qua mox viribus suis defectum pereat.

Itaq; ergo vera tum ludibria fiūt, ipsa per se Venus meritissimò ludibrium dici quum possit tota: ac laxata membrorū omnium compage, collabi sępe videmus vim potentiamq; eorū omnem; simul concidere corporis iuxtà atq; animi vires omnes, debilitatis nimio plùs vitæ nostræ principijs vnà cunctis, deductisq; ad internicionem penè spiritibus, cùm exinatione nimia, tum voluptatis naturales limites egressæ, blandæque, ac irritatæ sensu, corporis ęquè ac animæ neruos omnes incisos auferentis. Peritque visus sæpe, aut obtenebratur, aut suffusione tentatur; exurdescit auditus, nec mens peræquè intelligit, nec ratio colligit: omnia ob siccitatis intemperaturam altiùs adactā sensiterijs, cerebróque, ac spirituum infrequentiam. Longè aliter, quàm quum retento vltra iusti tēporis metas semine eadem omnia eueniebant: nihil aliud, quàm praua tunc tantùm resilientium inde exhalationum qualitate infectis, ac veluti obtenebratis spiritibus, vnáque repletione laborantibus partibus: facili ad omnia inanitionis remedio, simul & spirituū illustratione aliqua. Hîc nec eorum corrigi facilè exiguitas introducta multitudine potest, quādoquidē vnaquaq; in re difficilius habitū semper fuerit colligere, quàm dissipare: & temperamēti siccitas, quàm nunquam restitui facilis sit, vt ritè humescant partes, experimur quotidie; præcipuè verò, si, vt ex nimia Venere contingere necessum est, paulò ad profundum atq; intima magis inuecta qualitate ea, siccescere pergant membra, nulla ꝓpè iam spe reliqua, quin in habitum tandem totum recepta siccitate tabis genere, μαρασμώδη quam Græci vocāt, correpti consumptiq; pereant. Haud ita sanè mirum quod futurum sit, cōsiderantibus, quantum coeundi frequentia, furiosaq; & insatiabili Venere alimentosæ humiditatis deperdatur, defraudatis nutrimento suo partibꝰ: quippe vndiq; ea in re de vniuersi corporis particulis quasi supplementū mittēte natura, vt sufficere operi possit labor, ac pro-

ac proximam femini ſanguinis materiam, quæ mox nutritura corpus fuerat, effundente, donec remiſſis iam habenis eodem corriuetur ſæpe vitalis quoque ex arterijs cũ cruore vnà ipſo ſpiritus, maximo corporaturæ totius vitæque ſimul detriméto. Iámque reſeratis ita vijs, adapertiſque meatibus, in partium laxitatem coeundi labore eo, atque ex labore caliditate fuſi, citiúque, voluptate ante omnia ingenti accedente, feruntur humores, hoc tantùm, quod diximus, fundi cieriq́; ex eo qui poſſint, non etiam abſumi, aut reſolui, debilitato antea, exiguóque facto calore. Hinc Arthritis, Chiragráque, & Podagra, & Iſchias, malorum nomina ex humore omnium in partes imbecilliores recepto, fluxili quidẽ caloris vi alicuius facto, ſed cuius pertinacia maiorem, vt abſumatur, diſſoluatúrque, huius ipſius caloris vim requirat. Hærebit igitur, & non magno quanuis partis calore, tractu temporis exſiccatus ſicceſcet, & tophos nobis gignet; &, ne multa, nodoſam Podagrã faciet, iam, quod ad curationem attinet, depoſitam penitus ab omnibus ac conclamatam. Memini Authores eſſe, qui in Venere exigui Comitialis affectus ſpecimen reperiri contendant, nec conferre hęc inter ſe dubitent aſſimilatione multa.

Quid igitur mirabimur, ſi cuncta hæc mala ex hoc vno veluti fonte fluant, aut his fortè plura? Non enim, vt arbitror, recenſuimus cuncta: ſed nec recenſere potuimus. quis enim poſſit? nemo, inquam, mirari debuerit tot inde incommoda prouenire, vbi ſupra iuſtam ſemineæ materiæ emiſſionem, qua ſe exercitio eo exonerârint partes recipiendo ſemini deſtinatæ, exinanitáque vaſa fuerint, ſi quis voluptatis ineptæ atque importunæ blanditijs allectus vlteriùs vrſerit, vimque ita inferre naturæ irritatæ eo pacto, coactæque decreuerit. Excitata illa in ſeminis defectu proximam huic materiam, iam iam partibus omnibus apponendam, tanquam penſum pro alimento quo nutrirẽtur, rorulentam, diſperſamque per omnia, his ipſis ademptam, ad loca veluti ſuppetias ferẽs ea mittit, & ſubtractam alijs defert, vt præſto ſit quo repleantur, ne incaſſum verſari opere in eo contingat laborantes, ſi, quod eiaculentur, (id quod maximè tum exoptant) habuerint nihil: mox deficiente hac quoque ipſa, ſequuturus & cruor (quod paulò antè diximus) ſit, cúmque cruore vitalis quoque ſpiritus, relaxatis arterijs: tum naturalis ex venis, tum animalis, cui peculiariter Venere nihil nocẽtius nimia, infeſtius nihil. Authores habemus ex Arabibus præcipuos, Quadragies tantundem mitti de corpore ſanguinis æquè innoxiè poſſe, quàm ſeminis effundi, imò longè nocentiùs ſeminis. arbitrati, credo, antequàm naturam rectè induat ſuam ſemen ex ſanguine, quadrageſimæ vix pro rata portiunculæ rationem obtinere id: ſimul, quia plurimum quoque ſecum ſpirituum de corpore eductum auferat omnium. An nõ hæc parata ſtatim, apertáque, atque etiam compendiaria (ſi cui compendia hæc ſectari in animo fuerit) via, quæ recta in libitinam, atque adeò non longa temporis mora, ferat, deſtructis, diſſipatiſque ſpiritibus, & caloris innati deperditione tanta? paſſerculorum eorum exemplo, quos ob ſalacitatem nimiam vix ad anni circum vertentis ſpatia peruenire poſſe, Authores maximi ſunt: & certum eſt. Quocirca Pugiles olim, & Athletæ, & corporis viribus colligendis oſtẽtandiſque dediti, noſtróque hoc tempore idem profeſſi Turcæ, vt ludibrium hoc, viriúmque eneruationem vitarẽt, alij modum ſibi fecerunt in eo; alij, atque hi maxima pars, nuntium remiſêre prorſus, ſeſeque à Deæ illius ſacris amouerũt, cuius myſtas imbecillimos videbãt, & abdicãrũt opera, luctandiq́; rationem eam detrectârunt, ex qua minimè in veros fortéſque luctatores euadere, palmamque inde reportare ſe poſſe confiderent.

Non eſſe ob enumerata incommoda ab opportuno propterea Venereorum vſu abſiſtendum: ſeruatis modò legibus Temperamentorũ primùm, tum Aetatum, tum Conſuetudinum. Et de prolifico Semine.

CAPVT XII.



Occurret hoc loco aliquis: Et ſtat ergo (inquiet) ſentẽtia hæc, vt noxis his, ac detrimentis tot perterriti Veneris opera ne attingamus vnquã, néve in his nos exerceamus, in quibus, ſi qua poſteritatis ratio habẽda fuerit, perquàm exerceri neceſſarium tamẽ ſit. Minimè verò, dicemus. quæ enim ſtultitia eſſet hoc affirmare? Coeamus, volumus: ſed modus ſit. Naturæ nolumus aduerſemur. hoc enim eſſet θεομαχεῖν. Sed eandem ne irritare velimus, monemus; huius ipſius dictata vt ſequamur, cupimus, rectè ac ritè operatæ: laceſſiuiſſe, & ad opus inuitam pellexiſſe, allectæq́; ſtimulos inuſitatos addidiſſe, hoc verò eſt, quod nos deteſtandum maximè eſſe arbitramur, Salutaris hac operis in parte pręcepta tradentes. Et alioqui monita illius tantummodo, ductúmque ſequuti, ſatis ſine dubio, opinor, facultatum viriumque afferemus, vt & dãdæ liberis operæ ſufficere, & valetudinem omni ex parte defenſam

sam tueri nostram valeamus; coniunctaq; cum Veneris opera, suscipiendæ soboli necessaria, tuendæ Sanitatis nostræ integrè atque perfectè futura opera sit: quanquam omnium primã ac præcipuam hac quidem Medicinæ in parte, vnámque illam, quę Sanitatis tãtummodo retinendæ rationes respicit, intendamus. nõ enim Venereorum nos vsum concesserimus, hãc ipsam, quam nunc tractamus, Artis stationem seruantes, vt proles inde, verùm vt sanitas potiùs existat: illud quanuis in votis maximè futurum sit, vt vtrunque nobis eadem opera accedat. Cæterùm modò alterũ adsit, quod vnum intentum quærimus, Sanitas, hancq; solam tueamur: nõ magnopere, neq; anxiè quæremus alterum.

Seruetur tantùm faciẽdorum omnium ratio. neque enim conseruata aliter retineri possit sanitas. Temporis, Aetatum, Consuetudinum, Temperamentorum, & id genus consideratio adhibeatur. Imò verò, si rectam rerum nostrarum rationem expendere voluerimus, ne danda quidem liberis procreandis opera nobis erit, nisi Sanitatis id ratio omnis admittat. Tantum facit seruatus perpetuò rei cuiusque, quem primò tibi, in quo mentis aciem defigas, propositum eris, scopus. Is diligenter ac pensiculatè custoditus, & commoditates nobis ostendet exercendorum Venereorum, quas primo loco memorauimus; & vitãda incommoda monstrabit, quæ posteriore.

Prima illa occurrit cautio Melancholicorum, (frigidos & siccos natura intelligo, genitalium maximè partium temperamento) quibus aduersissima semper esse censetur Venus: atque vt illorum aliqui, quos flatu prætereà repleri cõtingit, hanc ipsam inprimis appetere videantur, sufficere tamen operi nequeunt, & in labore statim ipso fatiscũt, frigidique & sicci antea, frequentato exercitio hoc, tales magis ac magis subinde redduntur, viámque sibi ad senectam, mox & mortem faciliorem, celeriorémque ita præstruunt. Videre his est tremere aliquando & salientem palpitare cordis ex hoc vno sedem, promptéque Cardiacos eos fieri: breuiter, malorum paulò antea enumeratorum agmine corripi, ad quæ mors. Proximi ab his Biliosi habentur, calidi nempe, & sicci, qui feruidè sæpe eò feruntur, magnóque interdum impetu rapiuntur, desituri quamprimùm; quo quidem vehementiùs incubuerint, eo celeriùs ab opere cessaturi, animorúmque satis, virium non satis multum allaturi explendo, protrahendóque iustè operi. Nec illi quidem segnes aut elumbes in Venerem nimis, sed initio concitatiùs agentes, inter opus ipsum desertores sæpe coeuntis fœmellæ desideria anteruetunt. Et hi insignem inde noxam sentient, aucta semper siccitate, conuersoque in frigus extinctione multa calore, nec in vllis tam illud τὸ μετανοεῖν post Venerem promptum. Siccis item, caloris autem & frigoris in medio positis, eadem parata nocumenta: minora tamen, ob iustum altera iam ex parte temperamentum, ex altera tantùm claudicans. Quod vtrinque æquale si fuerit, vt omni ex parte medium tenentes munia hæc aggrediantur, & promptiùs id facere, & validiùs perficere, multóque inde, quàm superiores, noxæ referre minus, poterũt; ac longè minus semper minúsque, quo maiore à temperamenti æquabilitate recessu in humidum tetenderint: omnium verò minimè, si humiditati calor additus temperamẽtum fecerit. Quo nec validiùs subire aliud Veneris munera, nec innoxiùs perferre ad extremũ, nec frequentiùs magno absque detrimento, quin nullo sæpe, atq; interdum vel cum euidenti emolumento aliquo, possint.

Hi demum sunt, qui robustissimè inire pugnam hanc, & committere prælium, persistéreque in eo diutiùs, ac victores inde vltimo loco discedere, atq; incolumes valeant. Hi, quos inter adolescẽdi adhuc tempora (vt de Aetatũ quoq; discrimine ad rẽ hanc dicamus) Venereis officijs assuescere, necnon augescere tamen intereà, atq; adeò promouere quoq; in eo posse, scriptis suis tradidêre nobis fide digni Authores: quũ aliâs alio in temperamento vetitum id, ob id inprimis, quòd incremẽti multum corporibꝰ inde auferatur, legamus. In his humor facit, calórque, ac sanguis multus, eóque genituræ ingens vis, vt satis cõferri ad coeundum seminis, & relinqui ad corporis augumentum alimẽto si adhuc sanguinis satis queat, adeóque incrementum inde maius assumere sibi corpus, excitato nimirum calore, inq; humiditate largiore egregiè operato, ad partium circunquaque extensionem. Ijdem, easdem ob causas, in senecta, cui alioqui interdictum ab omnibus operibus hisce est, & labores subibunt eiusmodi quàm reliqui eiusdem ætatis faciliùs, & perdurabunt promptiùs, & fungentur officio suo aptiùs. Omninóque per ætatum omniũ decursum æquales hi suos, sed diuersi temperamẽti, in obeundis muneribus his longè post se relinquent, & egregiè superatos vincent.

Qui si prætereà rei huic assueuerint, (contingere enim non parum sæpe videmus, vt temperamento tali præditi, desuetudine tamen Venereorum vtantur) iam hoc quoque à nobis suffragium ferent, vt potiores in eo ob consuetudinem meritò habeantur. Assuescere autem omniũ certè

facilimè

facilimè poterũt hi, propterea quòd & inuitentur eò à natura; & nisi dictata illius, quasiq; iussa quædam sequantur, noceri sibi inde quum persenserint, etiam si per se minimè id facturi fuerint, repetere tamen sæpe coguntur, ad depellendam ea ratione noxam. quo demum pacto consuetudo introducitur. Est autem Consuetudinis vis tanta, quemadmodum in omnibus fermè, ita vel maximè hoc in negotio, vt minimè apti nati Veneri exercendæ, quales suprà finximus, maximáque inde nocumenta recensita à nobis prius illa sensuri, nisi antea assueuerint; assuetudine tamen ea melioris ad rem hanc temperamenti alios, pronosq; magis in Venerem, atque veluti admissuræ cuidam maximè idoneos, sed desuetos, atq; inexpertos, longè anteeant, & operis faciundi promptitudine atque efficacia, & laboris tolerantia, & minoris sæpe ex eo detrimenti lucro.

Illud tamen in vniuersum, (quod ad Aetatum hac in re differentiam attinet) dicẽdum, Cuius cuius modi temperamẽtum fuerit, etiam vt benè calidum atque humidũ sit, quod maximè perferre labores hosce posse docuimus: vigentis tamen tãtummodo ætatis, aut huius certè potissimùm, habendam esse Venerẽ munus: non solùm, quòd ætati illi minùs nocua, in quo Medicum consilium sequimur: sed etiam, quòd per id ætatis tãtùm instituta à natura videri Venus possit, paratúmque tunc demum vtile & prolificũ semen fortibus & robustis creandis habeatur, quod boni viri est, non generâsse modò patriæ ciuem, sed validum generâsse: neque ex immaturo, quale teneriorum adhuc annorum est, semine, aut infœcundo, quale senile, seuisse hominem, nisi robustum atq; incolumem, non satis vtilem, rebúsque agendis nauum atq; industrium, neq; laborum tolerantem futurum, toto deinde viuendi tempore, per diuersos semper rerum casus exantlandorum: vt hìc quoque ab instituti tamen nostri rationibus ne discedamus ꝓrsus. Nam si hominũ nobis proposita est, à qua nunquam oculos deflectamus, Sanitas, quãtum situm in nobis est, quorumcunque, ac cuiusmodi tandem cunque conditionis, ordinísve: quanto longiùs prouiderimus, vt integra atque inculpata contingat, ac, ne de statu suo decidat, præcauerimus, tanto quidem plus in eo artificij insit: vt iccirco nondum quoque natorum incolumitati semper, bonæque habitudini, consultum multo antè ita velle debeamus. Atqui scimus, nisi ætate florentibus, Prolificum verè exactéque quod sit, non effundi semen; atque ante, póstve id temporis, aut nullum, aut infœcundum, aut deprauatè fœcundum haberi. Quod postremum cauendum nobis summopere est, tanquã Salutaris Artis huiusce nostræ rationibus maximè aduersans, quæ longissimè prouidens, etiam nasciturí, imò nondum etiam concepti, incolumitati ac valetudinis firmitati consultum maximéque prospectũ velit. At ex vitioso, prauéque fœcundo semine, vitiosa semper, ac valetudinaria expectanda proles fuerit. Et alia quidem cõmunia Aetatibus omnibus sunt: aër, exercitatio, cibus, potus, somnus, animi affectiones; quæ etiã paruulis contingunt, quos vagire, plorare, irasci videmus; quæ euacuantur, quæ retinentur: quorum omniũ Aetatibus omnibus, diuersa quanuis lege ac cõditione quadam, competit semper tamen ratio aliqua. Vna est Venus, quæ non omnibus conueniat.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Hoc nos versiculo Poëtæ admonent: illa sententia Philosophi, qua iubemur, hac vna de causa, suscipiẽdorum optime conditionis liberorum, tempora ætatis iusta expectâsse, nec quauis ætate nubere mulieri, nec quauis vxorem ducere viro permittitur.

Quæ anni Tempora dicata magis Veneris operibus habeantur: quæ've circumambientis aëris constitutiones: & quæ ad hoc corporis habitudo potior. Et vtrius sexus maior in eo voluptas.

CAPVT XIII.

Temporis autem, quo se paulò plùs exercere in his, idque minore sanitatis cum detrimento, liceat, aut quo abstinuisse magis cõueniat, diligenter capiendi, non aliũde quàm ex temperamenti ipsius ratione, pendere videbitur ratio, & ea quidem vniuersalior quædam. Nam particularis magis alia, quæ temporis opportunitatem inquirit, hoc est, agendarum rerum καιρόν; ea, quũ quasi in ipso rerum actu faciendorum occasionem quęsitam aperiemus, quod posteriùs fiet, ita posteriori quoque tractationi reseruabitur. Nunc ex temperamento coniijciendum de Tempore, vt subscripturum negotio huic nostro peragendo existimemus, calidum atque humidum non modò anni tempus, sed earundem quoque qualitatum circumambientis nos aëris constitutionem, quoniam & temperamentũ, naturáque eadem subscribebat: obstaturum contrarium, frigidum & siccum: in medio horum, aut potiùs intra hæc futurum, quodcunque temporis discessu ab his facto, diuersimodè has inter se qualitates copulatas miscuerit, vt

aut ex toto temperatum, & neutra ex parte claudicans sit; aut altera solùm ex parte, calidum nempe, aut humidum tantùm: eodemque modo frigidum, aut siccum, hoc vnum, seorsumque; aut calido & sicco in vnum coeuntibus, rursusque in vnum frigido atq; humido. In quibus omnibus quo plus inuentum in connexionibus his caloris humorisque fuerit, frigiditatis siccitatisque minus: plus inde semper ad rem nostram calculorum ducemus; minus, si contrarium. Quapropter quod ad anni Tempora attinet, quoniam caliditatē & humiditatem inter hæc exuperantes non habemus, Veris temperamentum habebimus, rei huic accommodum inprimis. Quo etiam tempore, velut renascēte iam anno, & aperiente se cœlo, Elemētisque circùm omnibus, hacque ipsa, de qua nunc agimus, maximè tunc alma in cuncta descendente, atque immittente se Venere, genitalia terra marique, perque aëra totum, rerum omnium semina concipiuntur; inuitanturque, natura sic stimulāte, nec nisi pro more institutoque suo ex vsu illorum hoc factura, animalia in opus id cuncta: ne fortè credamus, leges has iussaque naturæ sequutis non statim benè quoque successurum, si, quo maximè anni tēpore naturalibus Veneris irritamentis præter solitum quibusdā admonemur, illo inprimis nauiter operi huic incumbamus.

Proximum est innocuę Veneris tempus Hyems. Quæ si, quantum humoris, caloris insuper tantum accepisset, Veris quoque hac in re commoditatem superatura fuerit: quemadmodum, benè calidam atq; humidam naturam, temperata meliùs magisque, sine dubio, innoxiè labores laturam hos, operisque frequentationem, diximus. Nunc humoris Hyemi, ad opera hæc factitanda, satis: caloris non satis, ex ambiente quidem: nam intrinsecus eo anni tempore multus, magnúsque, certè, quātus tolerando vel paulò vehementiùs inito exercitio huic satis esset, tantus: verùm & ambientis requiritur calor ad hæc omnino aliquis, ob corporeæ habitudinis refrigerationem, quæ crebriorem concitatioremque Venerem insequitur ferè.

Tertius erit Aestati locus in his, in qua cum siccitate calor. Siccitas noxia: iuuaret calor, nisi consociatam siccitatem haberet. Nunc & siccitas addita veluti exacuit calorem, & ambientis circùm aëris calor interdum nimius tanquam exitum de corpore natiuo calori parat, rarefacta cute, magisq; etiamnum rarescente semper ex Veneris vsu. Ex quo parata sæpe haud dubia corpori imbecillitas, ac refrigeratio nimia, largiore innati caloris diflatione.

Autumnus in hac causa, vt & in alijs fermè omnibus, damnatissimus: quorundam licèt diuersum opinantium sententia contrà stet. Quibus, vni tamen tantùm atque alteri, neq; his magnæ in Philosophica, aut Medica Republica authoritatis, visus commēdabile ad rem hanc tempus Autumnus. Democritus atque Oribasius fuēre, qui hoc ita senserint. Rationis nihil adferunt. Nos, quam sequamur, habemus, cui reclamare facile non sit, de temperamenti, sicuti diximus, ratione ductam. Etenim si frigiditatem incurrere nos & siccitatem ex Venereorum vsu, in confesso apud omnes est: quærendum nobis profectò, quo qualitatum huiusmodi prauitas propè dixerim lethifera repressa mitigetur potiùs quidem, quàm intendatur, tempus. Atqui intenderit has Autumnus magis certè semper, represserit calida atq; humida constitutio inprimis, proximéque ab hac Ver, calore & humore eo, qui temperamentum quidem faciant, neque parum tamē frigori, siccitatiq; autumnali opponatur. Quòd si atrabilarium Venereo hoc opere humorem, (neque enim, quid sequi in hoc aliud potuerint, dispicere possū) qui Autumni potissimùm tempore colligatur, euacuari existimârunt, eoque laudârunt: sciant, neque perpetuum id esse in omnibus, vt humor is eò vsque tunc temporis excrescat, vt necessaria ad exinanitionem eius futura Venus vlla sit; &, quum excreuerit, potiorem tamē ducendam semper temperamenti esse, quàm euacuandi rationem humoris, quam præsertim pluribus alijs peragere liceat modis.

Eadem habebitur constitutionum Aēris ratio, quæ anni Temporum. Et latiùs patet hæc. cunctas nanque in se complexa accipit Temperaturarum coniugationes, temperatarum, intemperatarum, nouem in vniuersum quæ esse statuuntur, temperata vna, intemperatæ reliquæ: quum anni Temporum quatuor tantùm numeretur, Verique temperata attribuatur; calida autem, & humida per excessum, quæ dicitur, desit: quatuorque, in quibus discessio à tēperamento altera tantùm ex parte sit, reliquæ. Quorum planè omniū rationem, nostri huius instituti accommodare rationi, facili rerum inter se harum animaduersione licebit.

Diei autem hora quæ conueniat magis; & pleno´ne, an vacuo facere id corpore præstet: id verò, quoniam ad particularem magis spectat agendi vsum, in postremam meliùs operis partem reijcietur. Nunc ceu vniuersalia tantùm quædam tractamus.

Habitum restat dixisse corporis, qualem exigat hoc opus. In quo cui dubium valida,

valida, robuſtaque, ac penè dixerim Athletica oportere eſſe habitudine, qui certamina Veneris hęc inire, atque ad extremum perducere, Diuæque huius ſacra excolere debuerit. Carnoſum requirũt corpus hæc, benè habitum, ſucci plenum, vt & ſubminiſtrari humor inde operi corpora maximè reſiccanti, & ſufficere prætereà alendis his idem ille queat humor: ne, ſi affectus aliter ſit, & tenuitate corpuſculi laboret aliquis, ex quo vix vi expreſſum tantum ſupereſſe ſucci poſſe appareat, quantũ alimoniæ per totum diſtribuendæ ſatis ſit, deinde exercitationi ſe huic commiſerit: perferre ad iuſtam vſque metam nequeat, inualidumque ſe atque elumbem, quum & fortem maximè ac ſtrenuum neceſſum ſit, præſtet; ſæpe etiam irritis conatibus tentamenta tãtùm quædam exhibeat; nec minùs ſæpe medio in conamine ipſo deficiat: &, vt præclarè cecinit Poëta,

--ſi quando ad prælia ventum eſt,
Vt quondam in ſtipula magnus ſine viribus ignis,
Incaſſum furit.

Mitto hîc dicere (quoniam id nihil quicquã priuato ita affecti incolumitatis vſui confert, quanuis futuri inde fœtus ſanitati, ac robori, animaduerſum conferat) qualem inde ſperare nobis liceat prolem, quàm tenuem, eiuſdemq́; prorſus generis, quàm imbecillam: niſi melioris habitudinis, atq́; adeò cõtrariæ temperaturæ, fœminam nacti, hoc ſibi pacto conſuluerint, quæ ſeminis ſanguinisque bonitate, potioreque vndique conditione, viri incommoda ad feliciùs procreandam ſobolem emendet: vterique deinde tanti tẽporis geſtatione, continueque, atque aſſiduè de ſuo præbita alimonia, ſuum ſibi illa totum, quaſique ſuarum omnino partium, fœtum faciat. Cæterùm hoc alterius iã negotij fuerit, quod ipſum quoque paucis fortaſſe poſteà attingemus.

Illud non omittendum hîc, quæ de cõmodis ex Venere, atque incommodis dicta hactenus ſunt, ea vtrique habenda eſſe ſexui communia: de mulieribus priuatum id, ac peculiare, vehementioribus corripi eas & periculoſioribus, detento diutiùs ſemine, ſymptomatibus: minùs autem in coitu affici, vtpote quæ minùs quoque exerceantur, nec tam quàm ſexus alter crebrò ſemineæ materiæ effuſione vtantur, maiore quanuis extentaque magis. quippe in partes plures fuſa, non modò intenta vincamur voluptate, ob ſeminis non ſolùm ſui eiaculationem, effuſionemque: ſed etiam virilis attractionem, tum fricationis etiam pluſculum. Quæ ſi ſexui illi in Venere exercenda contingerent ſemper cuncta, maior futura fuit reſolutio, imbecillitas maior: nunc minùs frequentata, nõ enim quàm frequens illis Venus, tam integra peracti quoq́; operis totius abſolutio frequens, minùs quoque officient. Porrò autem libido, tentigoq́; in fœminis ſine controuerſia maior, quæ Venereæ rei indefatigationem multis attulit, quaſdamq́; eiuſmodi fecit, vt inſatiabiles prorſus eſſent, quæque delaſſari antea opere in ipſo, quàm ſatiari vnquam, potuerint.

Deteſtanda conſuetudo execandi mares in Eunuchos damnata, nec ſanitati, nec vitæ ducendæ congrua. Naturam nunquam ex mare fœminam feciſſe: ex fœmina autem marem quandoque.

CAPVT XIIII.



ANόητα hæc dixêre Greci, meritiſſimo amentiæ vocabulo notata. τὸ γὰρ ἀνοηταίνειν μωραίνειν διὰ τὸ ἀφροδισιάζειν ἔλενον. Nos inſanire dicimus, Latini. Galle quid inſanis? inquit Poëta. Hoc quidem ait ipſe: plurimi autem alij amorem inſaniam dixêre, & Ariſtophanes, ὕπνουτ᾽ ἀπέχειν, καὶ ἀνόητων πάντον, nimirum Venerea intelligens ἀνόητα ipſa, ex rerum ſignificatione quadam cum ſomno ſemper coniuncta: vt, Dormiuiſſe, aut ſomnum cepiſſe cum ea, vſitatiſſimè loquamur, cum qua conſuetudo alicui aliqua fuerit. Voluptatem hãc fœdam facto, dictóque turpem, vt & latebras quęrat, niſi Diogenem quis agere voluerit, ſemper; & lucem fugiat, nec cuiuſquam aſpectum ferat, dum peragitur; nec nominari, niſi circuitione aliqua, & id quidem non ſine ruboris ſemper alicuius ſuffuſione, poſſit: auerſati multi ſunt, alij tanquam corporis, alij etiam tanquam animæ viribus inimicam, & ſponte ſe caſtrauerũt ſua. Alijs idem in ſeruitutem tenella adhuc ætate abductis contigit, vt execti fierent: alijs ſæpe morbo, alijs alia qua de cauſa, caſuque, ac euentu alio. Hinc ſanè εὐνοῦχοι, ἐκτομίαι, θλιβίαι, θλαδίαι, & θλασίαι, Spadonum omnia, aut quoquo modo euiratorum, nomina. Quos omnes à recta ſanitatis ſuæ ratione aut propoſitum, vt diximus, aut caſus aliquis abſtulit. Quid enim ſanitati adderet euiratio illa? ac non contrà potiùs demeret, roburque & vires frangeret, totumque immutaret in alienum ſexum hominem? quin ambiguum redderet, vtrarum habendus eſſet partium. Virilitatem quidem aufert, & temperamentum inuehit aliud, ideo & naturam: nec meliorem tamen, nec optabiliorem, mancam,

 mutilam,

mutilam, degenerem, origini suæ repugnantem, partibus quæ virum faciunt, maximè oblæsam, muliebrem, & mulierosam tamen aliquando. nequicquam enim conantes quandoque cupiunt, iam non nisi æquiuoca quadam ratione genitalibus his dicendis partibus, tanquam si statuarum cereæ, aut lapideæ forent. Reddendæ tamen vrinæ officium manet, & exonerandæ vesicæ: at non in hoc principaliter formatæ illæ fuerant. Ex superabundanti hoc eis, & ἐξ ἐπιμέτρου concessum à natura: primum, ac præcipuum generandi munus earum. Ita secundarium manet, deperdito amissoque primario, ac potissimo, nullo eius iam ætate nulla, vsu. Transfertur interea temperamentum in aliud, & effœminatur, naturæque donum maximum, quo virilitatem, non autem alterius sexus conditionem induimus, amittitur, atque in contrarium, quantum quidem positum in hoc est, agitur. Caliditatem exuimus, potissimum naturæ totius operũ instrumentum, ac vitæ adminiculum; & in frigiditatem declinamus, aduersissimã naturę operibus, non solùm ad sanitatem, quam hîc tamen primò atque inprimis intendimus, sed ad vitæ quoque ipsius producendę terminos, qui ferè sequi sanitatem solent, bonam protracti magis, contractiores malam. si qua dici sanitas mala potest, quam firmam inconcussamque minùs à lædentibus illam vndique causis intelligimus. Muliebria igitur in his penè omnia, natura, temperamentum, quod ipsum natura est, corporis species effœminati, animus maligni nescio quid resipiens, imbellisque, aut malitiosè audax, & in multis suprà quàm virum deceat suspicax, nec mores sæpe reliqui non respondent. Querula certè semper sanitas, & causis offendiculisq; omnibus exposita, vtpote quæ perfectionem priùs sexus indepta, retrocessione quadam præternaturali, quasique monstrifica, ad imperfectionem redierit. Certè quidẽ speciem retinere certam suam hi, eiusque implere naturam omnem quomodo verè dici possint, non satis video.

Tametsi nostris his temporibus, diúque, ex Christianæ primùm pietatis persuasione, antea, desitum iam sæuire in naturam hoc pacto. Scythis ista relinquimus, & Turcis, Scythicæ ipsis quoque genti. Apud nos nihil iam tale: nec nisi morbo, casúve aliquo alio factos Eunuchos, aut Spadones, aut seruitia, monstraque hæc habemus, auersamur potiùs. Ipsi quidem ex proposito non facimus, moremq; hunc olim execandi pueros, ad quos volebant vsus, aut abusus potiùs, cum alijs pessimis quibusdam longissimè terrarum reiecimus in barbaras gentes. Et humanitatis officia omnia, omnibus alijs meliùs ex Religione, legibusque nostris, tum sponte deinde ipsi quoque nostra, seruata diligẽter, & custodita retinemus. Nec nostra iam hæc ætas, vt veterum legimus, tantum vsquam monstri, opinor, aluerit, vt alium penitus sexum facere tentet, quod Neronem fecisse narrant, transfigurato in naturam muliebrem Sporo, ductóque publicè in vxorem, quemadmodum Doryphoro ipse antea nupserat, vt monstra hæc faceret, videretque, monstrum ipse hominis.

Iam nunc in his non præfari honorem auribus oportet, sed obturandæ potiùs ad hæc essent, ne exaudirent talia aures, pollerenturque ipsæ, & polluerent animum, adeoque horrorem inferrent, transmissa auditione, quam tãtopere abhorreat, præterque fas omne & æquum, humanarumque legum seriem esse, meritò iudicet, vt multorum vix fieri potuisse sibi persuadeat animus, quod factum fuisse certæ historiæ referunt. Nostræ, inquam, huic ætati, nostróque huic Orbi gratulandum, cui insueta, inauditáque hæc, vt euirati execentur, & ad deterioris sexus conditionem traducantur aliqui; quodque ipsa perfectum, quantumque fieri in eo potuit, absolutũ edidit opus Natura, nos retrò se agere ad inchoatum tantummodo atque imperfectum cogamus. Quum tamen, si quando in his præfixas illi operibus suis leges metásque exire contingat, nunquam ex viro fœminam; nonnunquam ex fœminą virum ab ea factum, nõ solùm ex Authorum fide multis antè seculis scribentium, sed etiam nostra hac tempestate auditu certo perceperimus. Patrum quidem nostrorum memoria, in Hispaniæ parte quadam id contigisse, certo certius, desueto quidem, sed non inaudito tamen prorsus exemplo, habetur, neque non vel cum rationis alicuius peruasione possibili. Quãdoquidem imperfecto aliquando operi, quod fœmina est, sed necessarium ad propagationem tamen, vt, quanuis id primitus non intendisset, perfectionem quandoque addat natura deinde, aut caloris noui alicuius accessione, aut spiritibus superuenientibus nouis, calorificisque magis, non fieri prorsus non possit. Quod, cui notæ probè fuerint genitales sexus vtriusque partes omnes, non perinde miraturus sit, si propulsis tantùm foras, quæ priùs intus latebant in fœmina, membris, ac veluti euersis, vir fiat.

Castrari fœminas, homines scilicet, (nã in animalibus alijs, vt canibus fœminis, vt gallinis, quibusdamque alijs vulgò iam fit) etiam si nusquam gentium receptum fuisse repe-

reperiam: castratas tamen fuisse indomitæ libidinis quasdam, Authores habeo certos.

Nõ pugnabimus igitur naturę. hoc enim esset θεομαχεῖν. Quid autem aliud natura, quàm Deus, aut potestas Dei? Sui cuique sexus leges ac conditiones inuiolatas relinquemus: seruabimus potiùs, ac promouebimus, & naturę in his errata, incommodaque emẽdata corrigemus, nedum imminuta destructaque commoda velle debeamus. Si quid partium earum causa, quæ marem, ac fœminam constituunt, aduersi incolumitati euenire animaduerterimus, ex Arte id nostra tollemus: nõ auferemus partes, membráque, & cum membris substantiam totam: præsertim quum nihil inde prouenire omnino incommodi ad sanitatis tuitionem humanæ queat, quod non (neque id magno tamen admodum negotio) absq; eo, quòd partes eæ vsque adeò lædantur, repelli possit, siue exacta victus ratione seruata, quæ factura esse ad rem hanc videatur, siue consuetudine meliore inuecta, siue remedijs etiam adhibitis salutaribus. Neque tamen non & vitæ intereà officijs institutisque nostræ omnibus seruire, atque integrum corporis mentisque nõ minùs statum ad extremũ vsque perferre nobis licebit.

Videri nõnullis fortasse possit, addenda hîc alia prætereà fuisse à nobis, vt & id quod Græci ὀνειρώττειν dicunt, Polluere Latini, & Pollutionem nocturnam, genituræ videlicet per somnium emissionem, cuius eadẽ, aut paulò certè minùs, quàm voluntariæ atq; experrectæ Veneris, ratio, iuuãtis nocentisque, pro varia diuersarũ rerum conditione; & modò id vnum exonerantis superfluitate ea partes, modò partium earundem, aut cum his aliarum quoque ratione aliqua coniunctarum affectum insequentis: qui, nisi valde insignis aliquis fuerit, quo euidenter actiones offensæ appareat, remedium à nobis poscet, Salutarisq; Artis huiusce nostræ officium expectabit. Verùm vt de alijs quibusdam eiusmodi, ita de his quoque meliùs inter Salubria medicamenta dicetur, nos q; iccirco consultò in id vsque distulimus, quum particulariter, velut in rem præsentem agendorum venerimus, & quo quidque nobis tempore, quamque opportunè faciẽdum sit, admonendum esse videbitur.

Mediam autem interseruimus tractationem de rebus Venereis hanc, de animæ affectibus, & de inanitione, & repletione tractatibus: quòd velut in confinio sit, vtriusque naturam ex parte quadam referens. Non propterea, dico, quòd sicuti antea meminimus μελαγχολῶσι, qui amant, & insania quædam Venus est, aut insanire certè faciat, hoc enim in parte animæ Ratiocinatrice: verùm potiùs, quòd mœrorem sæpe ac tristitiam, modò lætitiam & gaudium afferat, verissimos animæ affectus, ἐν τῷ θυμοειδεῖ sitos. Rursus autem superuacui excrementi (quanquam longè alterius, quàm reliqua omnia, rationis, & ad posteritatem tantùm speciei que humanæ conseruationem parati) nimia, atque intempestiua, siue excretio, siue retẽtio, propiùs repletioni atq; inanitioni hoc ipsum facit, de quo potissimùm quærendum à nobis fuit. Et sanè pro virili quæsiuimus. coeundi nanque vsum, aut secus, exposuimus hoc loco: Venerem sæpiùs appellauimus, aurium ita honori cõsultum meliùs putantes, & non inusitata tamen rei eiusdem significatione vsi. Nam huius ipsius, nempe coitus, (siue libidinem vocare malimus) prout tristitiam gaudiumque infert, longè diuersa ab hoc consideratio est, & inter affectionum animæ causas, quæ multæ sunt, numerandus tantùm ille tunc: minimè verò tractatui huic adscribendus. Si quid enim tunc facit, interuenientibus animi affectibus facit, nõ, vt quæ multa suprà memorauimus, per se. Quumque Venerem insaniam dicimus, aut tristitiam, aut desiderium; non sanè hoc ipsum coeundi seu libidinis officium intelligimus, sed amorem; neq; omnem tamen, & dementiæ solùm, furorisque, aut affectus alicuius, aut concupiscentiæ, siue cupiditatis genus. Cęterùm illud vel inprimis mixtam officij functionisq; huius naturam constituit, quòd cum genituræ vnà emissione, & excremẽti depositione, etiam voluptas inest in re penitus ipsa mirifica insignisque illa, ac sui prorsus generis; tum qua nõ animus minùs lætitia quadam perfusus, quàm resolutione pertentatum corpus, afficiatur. Atque ita naturæ manifestò vtriusque particeps quum sit: non iniuria, hunc sibi, vt de ea hîc diceretur, locum occupauit.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVSTERTIVS.

Confinia partium Medicinæ retinentis Sanitatem, & amissam recuperantis. Atque vt alterius manifesta magis signa appareant, alterius occultentur.

CAPVT I.



Venerea, quòd partim animæ affectus attingât, ex cupiditatibus enim nascuntur, quas animæ affectus statuimus, rursusq; affectus alios pariũt; partim ob genituram excrementorum rationem spectare videri possunt; media, vti diximus, inserenda fuisse arbitrati sumus tractationi de animæ affectibus, huicque, quam nunc aggredimur, de inanitione & repletione. Nõ minima hæc Salutaris totius Artis pars, nec momenti sanè minimi; & quanuis postremo loco hîc à nobis recensita, eo tamen inter res, quas non naturales vocant, numero, vt plurimum semper positum in ea visum non immeritò omnibus fuerit, ad tutandam inprimis sanitatem, corporũ quidem, si ritè tractetur, omnium; præsertim verò quæ morbis iam tentantur, moxque, ni prouideatur, incursura in eos sunt, ne id tandem contingat, prohibendum. Anteuertimus quidẽ sæpenumero, humorum quacunque tandem de causa collectorum euacuatione leuiore aliqua, magnos periculososque futuros morbos multos: simul & quum exinanita nimis, iamque in eo esse, vt si paulùm modò plùs inaniantur, necessariò manifesta functionum suarum alicuius oblæsione ægrotẽt corpora, animaduerterimus; nõ magna repletione, sed quæ plùs iusto euacuatum tãtummodo impleat, occurrere in tempore, maximaq; interdum mala præcauere nobis dabitur, quasi in cõfinio iam versantibus Curatricis partis, atque in ipso propè Therapeutices methodi limine cõstitutis, quum iam iam ingressuros in eã multos prouidentia ea vsi veluti morbis ereptos reuocamus. Non genere quidem diuersa tractantes, atque eandem omnino in totum hîc quoque Medicinãm facientes, vt quam summus illius princeps atque imperator non aliam aliquando esse statuerit, quàm inanitionẽ, & repletionem: sed eadem hac etiam in parte euacuandi, replendique ratione vsi, minore solùm opera, quia minorem exigere res ipsa videatur, minoreque adhibito apparatu, facimus semper, vt cùm sanitatis ita statum optimum tutemur, tum paulò magis discedentem ab hoc, & in morbos iam inclinantem alium retrò inhibeamus. ἰατρικὴ γὰρ ἐστὶ πρόσθεσις, καὶ ἀφαίρεσις, inquit. Quod quum perpetuò faciamus, vt, quacunque in parte Medicinæ versemur, nihil aliud quàm aut addamus, aut auferamus de corpore: maioris tantùm ac minoris, sicuti diximus, rerum interstitij discrimine, notata apparebũt præsentem defendentis, atque amissam recuperantis sanitatem Artificis officia.

Quod quoniam bifariam fit, (aut enim quantitatis, aut qualitatis, natura constitutioneque sua tributarum corporibus rerum excessus, defectúsve, plùs minùs vtrobique operati corrigimus) illud sciendum, in Curandi prouincia, quemadmodum maius negotium profligandorum morborum subitur; ita manifestiora, atque euidentiora multo, eorundemmet colligi hac in parte signa notasque solere: in altera hac nostra contrà fieri, vbi non valdè multum reponendum nobis sit operæ, vt officio nostro functi, non magno admodum negotio, quod debemus, præstemus, modò in tempore cuncta fiant. At intereà non vsquequaque certis monebimur repletionis inanitionisque non iustæ indicijs, tanquam tum primùm inchoantium, necdum adultarum, eoque non ad plenum satis notis indicijsque suis cognoscendarum. Vt quidem exorientes primùm herbulas, aut immensas etiam arbores, non ferè cuiusmodi sint scire satis queas; quas tamen in herba iam, aut paulò maiores factas, de facie statim sua agnoscas: aut (vt veriùs similiusq; æquiparentur ista) nondum exortos, pullulantesque,

tesque, & vix terra quum erumpunt, sentes, aut zizania tum primùm emergentia, non satis tutò aggrediare vt extirpes, non priùs diligenter cognita; nondum verò supra terrã sese quicquã efferentia, quantis radice iam tum sua nitantur, quĩ possis, quum vel inter erumpendum dum iam visuntur, tellurisque corium exuperant, perquàm difficulter, idque non nisi à peritissimis, dignosci satis queant. Atqui non dissimilis planè morbosarum in corporibus nostris exorientium causarum, suasque veluti radices agentium inibi, ratio, quas extirpatas euulsisse, antequàm pullulantes inde morbi nascantur, manifestantes quidem apertiùs se illi magis magisque iam, & eo semper eradicatu difficiliores facti, præstabilissimum futurum sit. Alias igitur ex his notis signisque omnino quibusdam suis apprehensas tenebimus causas, quas paulò maior humorum iam quantitas, aut intentior eorummet qualitas aliqua faciat: alias coniectura tantùm assequi nobis licebit quadam. Quis enim paruum admodum succum aliquem corporis parte aliqua collectum, nullum dum sensum sui exhibentem, sed qui tamen plusculum iam exuperet, atque accumulari iam incipiat, manifestis deprehendere notis possit? Quis dispersam per musculorum interstitia, interque eorum fibras, carnosasque partes omnes, aut serosam alimenti humiditatem, qua tanquam vehiculo vsum illud delatum ad membrorum nutritionem fuit; aut fuliginosi id excrementi, quod cibariorum multis inest, natura vitiosorum, nec affigi tamen membris, neque assimilari potuêre, ac naturæ operatæ iam elaborationem omnem subterfugêre, eoque euacuari omnino de corpore exposcunt; euidenter, indicijsque suis tenere se posse, nisi coniecturis ductus, confidat? Quæ tamen quo difficiliùs noscuntur, eo tolluntur faciliùs, sæpe aut perfrictionibus, aut balneis, aut ficciore circumambientis constitutione discuti solita: quum alia, quæ apertioribus nobis signis innotescunt, maiore quoque semper opera auferri debeant, antequàm morborum causa fiant, vt aut exercitatione iusta, aut etiam salubribus medicamentis, de quibus suo dicendum opportunè loco fuerit, in tempore occurratur. Quapropter diligenter incumbendum in id, non solùm repletio in corpore vlla an suboriatur, & an timenda inanitio sit, vt sciamus; verùm etiam, quarum quantarumque illæ iam virium habendæ sint, quibúsve in locis resideant, ne ignoremus: quo videlicet accommodare deinde ad omnia consilij nostri rationem, pro rerum necessitate plùs minùs, ac sua quæque locis adaptare, præeunte recta semper consideratione, possimus. Quod quoniam in vniuersum antea, quum de signis notisque corporum in morbos iam incurrere periclitantium, quæ neutra decidentiæ vocant, tractaretur, explicatum satis est; speciatim nunc, hocque ideo breuiùs, quantum repletionem solummodo, atque inanitionem attingere ista videbuntur, tradendum, exponendúmque fuerit: si illud tamen antea admonuerimus, quòd in hoc rerum hîc tractatu omnium maximè attendere, atque etiam in id intendere inprimis debemus, quæ quantaque sequi inanitionis repletionis've nimiæ excessum mala consueuerunt; tum verò, quot qualibúsve introduci hæc in corpora causis soleant, quæ've illas occasiones faciant, quo nimirum vitari meliùs possint.

Repletionis, atque Inanitionis, Excrementorúmque omnium excernendorum, aut continendorum, consideratio necessaria.

CAP. II.

Faciunt autem, quæ hactenus enumerauimus, tractauimusque, omnia. Etenim prẹter id quòd refrigerant, excalfaciunt, humectant, resiccant, multaque huiuscemodi edunt in corporibus nostris alia, vt superioribus libris ostẽsum esse arbitror: cuncta repleuerint prætereà, aut inanierint, vllo sine dubio, idque vel per se statim, vel intermedijs certè alijs quibusdam, aër, motus quiesque, cibus potusque, somnus atque vigilia, atque animorum postremò affectiones. Quorum quoniam tradita iam omnium, quantum fieri à nobis potuit, diligenter, atque exactè ratio est: sanè de eo, quod in his explicatum antea spectare huc videtur, nihil à nobis hoc loco, ne nimijs ac superfluis oneremus Lectorem, dicetur.

Restat propria huic tractationi, quam nunc in manus sumimus, Inanitionis ac Repletionis ratio, ea scilicet, propter quam locus his quoque ipsis assignatus suus est, vt inter sex illa numerarentur, minimè communis alijs, priuatamque ac peculiarem hanc totius Salutaris huius negotij partem constituens. Ea ducitur ab Excrementorum inprimis ratione ratio, totamque propè tangit distribuenda per corporis partes omnes alimoniæ œconomiam, atque interiorem operati caloris naturalis officinam ingreditur,

ne quid vſquam excrementorum in corpore, vbi opus non ſit, hæreat; vt apertæ atque expeditæ viæ omnes, miniméque impuri meatus ſint, per quos cùm attrahi, dum concoctionum diuerſis in locis opera feruent repurgando exquiſitè alimento, tum foras etiam de corpore ad exonerandum propelli excrementa debeant, vtque inſtructi à natura ſapienter ad hoc canales pateant: neque nimis tamen, ſeruetúrque modus in omnibus, ac diligenter cuncta, ſuo quæque tempore opportunè fiant. Quæ ſi negligantur, aut non iuſta ſatis cum cura tractentur, vniuerſus quamprimùm periturus ſit nutritionis corporeæ fructus; & aut Repletio procul dubio preternaturalis ſucceſſura, ſuppreſſis, quæ prodire debuerant, excrementis; aut concitatiùs prorumpentibus, Inanitio. Atq; ita reliquarum quoq; partium, quas hactenus fuſè ſatis tractauimus, omnium opera ad hoc ipſum ſæpe vtemur, vt medium ſeruemus, & nimietati occurramus. Nam & ſomno, & quiete, alijsque eiuſdem modi, Inanitionem nimiam iam incipientem tollere; & contrarijs vigilia motúque, & ſimilibus, Repletionē inchoantem diſcutere poſſimus. Seſeque inuicem hæc iuuare in tempore animaduerſa valebunt, & mutua ſibi auxilia præſtabunt aduocata ſubſidio, quum opus eſſe videbitur. Semper autem curabimus, vt, quacunque de cauſa inuecta Repletio fuerit, meatuum deobſtructione, viarúmque, per quas facilè humores ferantur, tollatur; aut repreſſis, ſi fortè nimiùm ferantur, occluſisque, quatenus æquum eſſe videatur, vijs, Inanitioni nimiæ occurratur; aut teneatur etiam medium, ſi quidem ex vſu futurum id eſſe videbitur. Omnino nanque multo maxima, eadem & præcipua, vniuerſæ Salubris Artis in eo repoſita pars videri poteſt, vt, quoniam ex geminis his cauſis magna ferè, ac frequens ſemper morborum plurimorum occaſio exit; atque vbi Excrementorum quantitas modica, ibi plurimum quoq; ineſſe vitæ Authores maximos habemus: vtriuſque rei meritò, & ad ſanitatem tuendam, præcauendúmque morbos, & ad vitæ productionem, (quorum tamen alterum conſequi ferè alterum ſolet) maxima ſemper habeatur conſideratio. Et cùm de Repletione, atque Euacuatione omni, tum verò de Excrementorum inprimis, atque ante omnia, vtraque ex parte moderandorum, ne aut retenta, aut effuſa nimis officiant, rationibus, quibus Inanitionis æquè, ac vt Repletionis, ratio propè tota nititur, exactè ſemper Salubri Artifici cogitandum ſit.

Non eandem omnino eſſe Plenitudinis, & Inanitionis, atque Excrementorum rationem: tametſi hæc illarum ſæpe cauſa ſint: tractandamq́; hanc priore loco eſſe. Retentorum alui Excrementorum cauſæ, ſecretorúmque, & remedia.

CAPVT III.



QVòd ſi iuſtam ſequi rerum rationem voluerimus, nec diſcedendum nobis à recta nominum ſignificatione eſſe duxerimus: non quidem Repletionem, aut Plenitudinem, quę πλῆθος, & πλήρωσις eſt; Inanitionem'ue, vt iam omnes ferè faciunt, aut Euacuationem, quæ κένωσις, & ἐκκένωσις: ſed ἐκκρινόμενα, & ἐπεχόμενα, (ſic quidem ſcriptum adhuc legimus ex Galeno) partem hanc faciemus, nempe quæ excernuntur de corpore, aut in eo quoque, quum non deberent, retinentur, nec alio vllo ſignificantiùs, quàm Excrementorum indicari nomine poſſunt, ſi vno verbo Excreta, & Retenta dixerimus. Ea differentia, quòd communia magis illa eſſe in corpore poſſunt integra excrementorum ratione adhuc omni, vt quum exuberantia tantùm in corpore notabitur humorum, aut æquabiliter redundantium, quæ Plethora eſt; aut vno aliquo illorum ſuperante, quæ Cacochymia; magisque, ſi non quantitate ſolùm abundet, ſed etiam qualitate intendatur eiuſmodi humor, facultatibus intereà naturalibus, viribúsque munere officióque ſuo perfunctis omnibus, ſequeſtrando, diducendóque excrementorum genere vnoquoque, ſuisque quocunque ſedibus reponendo, atque etiam ſecretos humores, ſuccosque omnes vijs ac meatibus ſuis propellendo: vt iſta iam particularis omnino, ac priuata magis ſit ratio ſecernendorum locis ſuis, depellendorúmque excrementorum, ne quid corporibus officiant, quæ propriam hanc partem faciat: porrò autem alia Plenitudo illa ſit, ex qua extra excrementorum loca, aut redundante extendentéque nimis venas, molémque corporis totam æquè humorum ſimul omnium cum ſanguine, ſed iuſtis tamen ſeruatis humoris cuiuſque portionibus, aut ſanguinei quoque humoris ipſius tantùm copia, vaſorum diſruptionis, aut innati caloris ſuffocationis periculum imminet; aut facultas ex eo, non diſtendantur licèt vaſa, virtúsque corporum rectrix, onerata grauatur tamen,

men, aut qualitate aliqua praua notabitur humor separatim aliquis, succique malitia. Primam vsitatè iam Plenitudinem vocant ad vasa ; alteram, ad virtutem ; tertiam Cacochymiæ nomine circunferunt. Hæc profectò nemo vnquam rectè Excrementa appellârit, quorum iam hac operis totius in parte, quam propriam sibi, ac peculiarem, vti diximus, vendicârunt, rationes tradentur à nobis omnes : sic tamen, vt communem quoque reliquis omnibus illam Repletionis atque Inanitionis, paulò antè dictam, quippe cui hæc quoque ipsa causam non parum sæpe præbeant, subire rationem debere existimemus.

Quòd nullum inueniri posset omnino alimentum, quo rudi atque impolito, ac nulla præeunte elaboratione, membris statim apposito applicatóque, ac demum vnito, nutritio partium omnium perageretur tota : iccirco fabricandæ instrumentorum multæ à natura ceu officinæ fuêre, quibus veluti rudimentum primò deponeret, quod ingestum est alimenti, ac partium crassamento segregato, inque excrementorum locum reiecto, elaborandum alibi in corpore caloris vbique ac semper innati opera traderetur, donec circuncisis absumptisque diligenter, atque exquisitè superfluis, & inutilibus omnibus, totum purum putum pro alimonia corporibus cederet, qua, quæcunque in corpore facta partis alicuius substantiæ iactura esset, restituta ea nouæ alterius supplemento instauraretur. Et reliqua quidem ad rem hanc affabrè omnium maximè, à natura, sapienterque, atque incredibili admirandoque inprimis artificio, fabrefacta, institutáque, quorsum attinet hîc referre ? Illud vnum proposito huic nostro necessarium memorandum, non potuisse hæc, quum superuacua partim expurganda, secernendáque necessariò natura haberet, partim deducenda, partim colligenda in vnum, partim expellenda, absque multo instrumentorum vbique apparatu fieri. Quorum omnium in aliquo si quid peccetur, non id sine sanitatis intertrimento, vel retentis, quæ non debuerant, vel excretis, fiet. Excrementorum omnium primum à prima quoque omnium ventriculi concoctione (Quam enim in ore fieri contendunt, specimen tantùm rerum harum est quoddam) peragitur. Simul ac enim expleta ea fuerit, tantúmque aspersum inde ventriculus acceperit, quantum alendo illi satis sit, aut quo quasi irroratus refocilletur : reliquum quod factum est, (quæ multo tamen maxima totius cibi ingesti pars est) in tenuia primùm intestina protrusum, chylus iam factus, per pylorum excernitur. Ibi eum excipiunt venæ vndique in hosce vsus paratæ, quæ tanquam hirudines, osculis, succosi quicquid inuenerint, eliciant, & in mesenterium primò, perque hoc in iecur demum quoque ipsum deferant, vsque adeò semper vehementi (modò legibus institutisque naturæ omnibus ritè negotium totum absoluatur) exuctu, vt in quod delatus fertur cibus alterum à primo, quod ἔκφυσιν, & δωδεκαδάκτυλον à protensa digitorum duodecim mensura, vocant Græci, intestinum ex argumento Ieiuni nomen sortitum sit, vacuum exinanitumque repertum, eoque alimenti semper aliquid poscere visum. Impulsus deinde protrudentibus intestinorum tunicis per tot illorum anfractus, sinuosasque circunuolutionum multarum ambages, cibus, descensu primùm in crassiora, quæ vocantur, intestina, fæcum iam nomine, quarum inibi, præcipuè verò in eo, quod κῶλον dixêre, formam figuramque accipit, aliquibus semper occurret per totum venis, quæ, quod fortè elapsum fugerat superiores, attractum ad se exugant ipsæ, pro sanguinis materia futurum. Non enim solùm per totum intestinorum decursum alimenti per dispositas vbique venas, plus licèt semper minúsque, pro superiorum, inferiorúmque partium ratione, agitur attractio : sed etiam concoquendi virium per totum, eundemque tractum inesse intestinis aliquid existimandum, quo maiore semper concoctione elaboratum, plusculum quoque ad extremum vsque podicis musculum, qui σφιγκτὴρ est, & ne alui excrementa nolentibus prolabantur obsistit, corporibus alimentum obueniat.

Hoc Excrementi genus notum omnibus : & vt notum, ita prospectum prouisúmque, multis sæpe, alijs alia, certatim remedia afferentibus astrictæ citatæ- ve nimis alui. Hoc faciunt manifesta semper ob damna, quæ vtraque ex parte percipiunt, seu sistat se præter solitum, seu profluat nimiùm. Nam & ex suppressa facilè impediri concoctionem sentiunt, putredinosæ ad ventriculum, vicinásque partes, exhalationis ascensu ; quæ aut concoquendi officium præpeditum interturbet, aut corruptela quandoque etiam aliqua correptum afficiat. Eadem, quibus imbecillum præsertim natura caput fuerit, si superiores partes petierit, aut degrauabit id copiosa, aut morsiunculis quibusdam vellicabit acris, aut

flatuosa

flatuosa extendet: vt inuenire aliquos sit, quibus nisi quotidie egerat aliquid aluus, ac penè stata tempora sua quædam in eo seruet, offensiunculæ extemplo nonnihil in capite percepturos se esse prædicere non falsò soleant; tum verò & in reliquo corpore molestiæ non parum persentiscant: multis paratus inde colicus quoque dolor fit, siue ex retentis fæcum excrementis vehementior ille, siue ex flatuositate inter intestinorum flexuosas circuitiones conclusa non sanè minimus, quando non remissa sæpe ex ventris quoque crepitu, seu pedore, seu qua alia de causa flatulentia, multa multis suboriri inde per corpus interdum vniuersum incōmoda solere scimus. non iniuria. Quippe ex fæculento omnium maximè, sordidóque, atque ab ingesti primùm alimenti materia ruditer tantùm à natura veluti dedolato excremento, idcóque nondum multa à calore naturali inter operandum elaboratione accepta, manente intus, quod primo quoque tempore peracto naturæ opere prodire foras, atque adeò eliminari ab ad id destinata expultrice facultate oportuerat. Citæ autem nimis alui, hoc quidem in negotio, ac primis diebus, non vsque eò incommoda multa aut magna numerabuntur: bono potiùs erit sæpenumero, quum aut facta fortè in ventriculo corruptela leuior aliqua, vnde nondum manifestò morbus appareat, repurgabitur eo pacto; vel etiam ab excretoria facultate de toto interdum corporis ambitu deducti per ventriculum atque intestina morbum aliquem facturi succi, humorésque naturæ iam ordinem illum, quem κόσμον eius nuncupant, egressi, foras deturbati protrudentur. Quod si fiat, neque in longum productum id iri solet, cessaturúmque sua sponte exonerata natura sit, ac multorū prætereà morborum causam secum vnà abstulerit: tantum aberit, vt mali inde formidare quicquam debeamus. Porrò eousque citata si feratur aluus, vt symptoma habendum sit, non quale modò retulimus, quod à facultate naturali fit, noxium, ac præter naturam in corpore aliquid, priusquàm morbum inferat, depellente, sed quod morbum iam factum insequatur aliquem necessariò: iam tum habendus nobis de eo sermo non fuerit, quòd proposito huic nostro atque instituto minimè conueniat, nec prouinciæ nostræ terminis contineatur. In qua id vnum considerandum nobis proponitur, quinam, si quid in tota hac Excrementorum ratione aberratum à naturali rerum constitutione fuerit, timēdi morbi sint, ne ignoremus. Quo videlicet, seruato diligēter naturali statu, caueri, vitariq; possint: conuersa penitus, quàm in Curandi prouincia, ratione, vbi hæc ipsa ἐκκρινόμενα, καὶ ἐπεχόμενα, tertium sibi morbosorum Symptomatum locū vendicant, & cum morbis tolluntur ipsis iam factis; aut vehementiora effecta, quum aut morbos adaugere, aut vires destruere posse videbuntur, propriam sibi exposcunt curationem ipsa. Itaque latiùs patet eorum quoque tunc significatum, & quicquid quacunque de causa, morbosa tamen iam, quacunque ex parte, corporis've sedibus præter naturam propulsum foras secernitur, aut è diuerso continetur, in considerationem totum venit. Nobis hoc loco vna proponitur Excrementorum ratio de eo consideranda, vt iuxta naturæ leges ab alimento secreta, in præparata sibi iam à natura loca transferantur, vbi tam diu morentur, donec collecta capacitates suas, quibus eæ tributæ fuêre, impleuerint; stimulatáque demum expultrice facultate de sedibus suis extra corpus pulsa ferantur, ne negotium incolumitati diu nimis morata exhibeant: simul vt in eo etiam adhibeatur à natura modus, ne, si præcipitanter nimis deturbentur, hac quoq; non minùs de causa nocumenti corporibus aliquid morbique afferatur. Ita inquantum futurorum morborum causa, quos effugere cognitis his liceat, tractari debebunt à nobis ista, ex hoc nostro instituto, sicuti in Curatorio, vt horum ipsorum potiùs effectus morborum sese considerantibus offerunt. Quod hîc de ventriculi aluiq; Excrementis obiter, atque in transcursu dictum, commune tamen reliquis etiam, de quibus dicturi mox sumus, Excremētis esse volumus. Retentorum plus iusto ventris inferioris Excrementorum mala exposuimus ferè, quanquam & multa sequi alia possunt, si morari diu nimis pergant, ac plus semper inde ac plus corruptionis accipiant, vnde febres cùm ephemeræ, tum aliorum generum multæ.

Citam diximus aluum commodi interdum quoque allaturam nonnihil, qua indicatum est ratione, exonerantis se eo sæpe modo, noxámque longè à se propulsantis, naturæ. At id Excrementorum primò quidem ratione tantùm fieri minimè censendum est, quæ noxia natura sua, ac praua habentur: sed expellentis potentiæ beneficium agnoscere in eo debemus, quæ noxiæ rei stimulis exagitata, velut excutere à se noxam onúsque percupiens, malis corpus vnà quoque liberat. Neque tamen id malorum sæpe suspicionibus, adeóque euentu etiam interdum caruit. Nam intestinorum ex hoc facilè, abrasis,

rasis, detersisque primò nimiùm, dein etiam exulceratis illis, difficultates, & Tinismi fient: tum inuecta ventriculo intestinisque vnà, pituitosa interdum ex materia, intemperatura, interdum ex morsionibus, quas pertransiens acer aliquis humor fecerit, læuitates exortæ succedent. Iam & priuabitur alimento suo corpus inde, destitutæque eo, præter insignem virium, quam paulò diuturniores fluxiones sequi necessariũ est, imbecillitatem, etiam ἀτροφίαν incurrent partes; ac si biliosi fortè acrésque fuerint, qui citati per loca ea feruntur humores, vel febricula accedere aliqua commotione humorum ea nimia possit, atque eandem ex crebra desidendi frequentia facilè adaugeri continget. Sed hoc ex accidenti quodam: cætera sua propriáque euenire ratione poterunt omnia. Quocirca diligenter cauendum vtrunque, Sanitatem tutanti inprimis, quam à multis magnisque ita malis defensam tuebitur; tum verò etiam amissam recuperanti. Quo in negotio non in ventriculi modò, atque intestinorum morbis, vbi præcipua ac potissima habenda semper Excrementorum, hoc genus, ratio sit: sed in reliquis quoque omnibus, notius apertiúsque omnibus est, quàm quòd demonstrari à nobis hoc loco debeat, quantum intersit, vt excrementa quæque, aut ne retenta nimis vnà morbificam quoque sæpe causam, quique euacuari inde postulent, humores, maximo ægroti cum damno retineant; aut concitatiùs lata plurimorum quidem esse morborum causa possint ipsa quoque; sed & factis iam magnitudinem adijcere, & ingens prætereà adferre vitæ discrimen, prostratis sæpe viribus, valeant. Proinde horum iam ratio quoniam in vtriusque Artis Medicæ partis rationibus versatur, imò communis vtrique est, diligenter tractanda. Tractabitur autem, si causæ priùs inquirentur, cur aut coercita supprimantur, aut remissa profluant: supprimantur autem inprimis. Quòd & id in Salubri quidem ratione repertum semper nocentius sit; & cognito eo, cognosci magna ex parte protinus reliquum quoque possit. Sic quidem (vt hoc primùm loco de alui Excrementis agamus) perspectæ suppressionis forinsecus aduenientes causæ & caueri poterunt, si naturaliter aliâs se in eo habuerint ventriculus, atque intestina; & si præter naturæ statum aliquid illis contigerit, tum faciliùs, tum verò certiùs malis omnibus occurri. Illud semel admonuisse hîc præstiterit priùs, quum alterius partis in confinio posita, quæ Therapeutice est, hæc de Excrementis tractatio sit, multisque sæpe in locis eam necessariò attingat, propè vt de sua in alterius ingredi prouinciã videatur; contineri stylum sæpe nequaquam posse, ne quando vel inuitus in conterminos sibi limites rapiatur.

Retinendorum alui Excrementorum duæ inprimis causæ: Altera instituto magis nostro conueniens, ex his, quæ intrò sumuntur, cibique ac potus nomine significantur, progressa: altera, parti Medicinæ alteri affinior, ventrem intestináque vnà sequuta causam habet. Et cibus quidem ac potus, vel austeritate, acerbitatéve aliqua, vel consistentiæ siccitate, (quod cibo tamen magis conuenit) aluum adstrinxerint: pinguiaque ad hæc, quemadmodum sanè dulcia, at liquidiora, lenierint. iterum quantitate, quæ si iusto minor fuerit, cohibebit, nam nec ad reiectionem stimulat pauca, & amplectitur eam contentrix facultas totam, & continet diutiùs: neque, vt faciliùs ac citiùs conficiatur, excrementorum tantum gignit, quæ quantitate iusta eximulare virtutem, cuius officium id est, ad expulsionem queat: æquo autem maior ingesta ventriculo cibi potúsve quantitas, hac ipsa stimulante quantitate, veluti deponere onus cogit citiùs, quod grauatè priùs susceperat ventriculus. Austeris diximus cibariorum qualitatibus siccisque adstringi, vt contrarijs fluxam reddi aluum, si sumpta eandem retulerint omnia qualitatem: at si diuersa ex eadem mensa ingerantur, hîc pro ingestorum ordine, aut stricta cohibebitur, aut laxa soluetur aluus. Siccis, austeris, acerbis priùs inditis strictior; liquidis, dulcibus, pinguibus laxior. Hoc ab ordine: illud ab vtendi modo ducetur, bis capiendus cibus quum fuerit, si semel tantùm die sumatur; contráve, quum semel, si bis. In quo non tam quantitatis ratio spectatur, (quæ, quod suprà monuimus, iusto maior minórve, adstringat ventrem, laxétve) quàm assumendi modus ac ratio, & ἀκαιρία quędam, quæ intempestiuitas est. Semel qui die vescetur, bis solitus id facere, si consuetam sibi quãtitatem sumpserit, proculdubio adstrictiore aluo fuerit, sibi enim seruabit diu natura auidè auareque complexa: rursus bis qui ederit, quum semel tantùm de more deberet, in eo superueniente cibo ventriculus nouo præter consuetum ceu pondus auersatus deijciet citiùs, vt eadem tamen vtrobique seruetur cibi quantitas. Quæ si augeatur, minuatúrve: iam tum superiùs de ciborum aucta imminutáve quantitate dicta sequentur. Horum omnium alia id tantùm, de quo hîc agimus, aluum aut supprimunt,

aut

aut leniunt: alia etiam inconcoctionum, cruditatum, corruptelæque multæ causæ sunt, præsertim verò, quæ supprimunt. E diuerso autem quæ leniunt, plerunque hoc ipso quòd leniunt, aluúmque solutam citò reddunt, etiam paratam futuramque mox cruditatem, corruptionémve aliquam dempserint.

Cæterùm ventris intestinorumq; ipsorum culpa, quam alteram numerabamus causam, cohiberi Excrementa, vel plùs iusto quoque atq; ante tempus ferri, (eadem enim genere vtrunque sæpe causa facit) aut naturali vno aliquo partium illarum vitio, aut aduentitio solent. Priùs naturalia percurramus, quod quidem ad partiũ tantummodo earum rationem attinet, nam quę aliunde proueniunt, alius modi sunt. Horum quædam intemperaturam solùm causam habent, ab initio naturaque sua contractam: quædam instrumentario vitio aliquo fiunt itidem naturali. Etenim & præditus venter ab origine calido, siccoq; temperamento, vel in infantili ætate ipsa, præter ætatis rationem, modúmque, resiccare aluum potest; quanuis id ætatis lubrica satit contingere pueris aluus solita sit, natiuæ simul humiditatis, alimẽtiq; quod de mammis sugunt, ratione; simul contentricis facultatis imbecillitate. Quo quidem temperamento caliditatis, & siccitatis, potissimùm verò siccitatis durante, ætatibus omnibus, pro rata cuiusque parte, aliquid semper sequetur ex eo adstrictionis: sicuti relaxationis, ex humiditate. Hæc nanque cùm lubricas vias illas facit, tum verò contentricem etiam facultatẽ imbecilliorem: vt siccitas contrarium. Quanuis cùm hæ ipsæ, tum reliquæ quoque intemperaturæ omnes, tam simplices, quàm compositæ, postquàm summum quendam magnitudinis gradum attigerint, insigniter quoq; læsuræ vbique in corpore non hîc solùm retentricis atque expultricis facultatis munia sint. Cæterùm hæc iam instituti huiusce nostri septa transilient. Eædem porrò, aut ætate, aut aliqua ratione alia immutatæ qualitates, siccitas atque humiditas, inquã, vnà statim aluum quoque, quod ad excrementorum excretionem, aut retentionem pertinet, immutabunt. Quo propè modo ex parte qualitatum harum (nam alia quoque sunt, propter quæ idem eueniat) pronuntiatum ab Hippocrate (Sec. Aphor. ij. apho. xx.) accepimus, Quibus in iuuenta siccæ alui fuerint, his in senecta humectari easdem consueuisse: at quibus priùs humidæ, his postremò siccescere. Quod quatenus ætatum tantummodo rationem spectat, verissimè dictum est ex ea parte, qua humidæ priùs ac fluidæ quæ fuerant, siccas demum atq; adstrictas reddi aluos, scripsit. Etenim ξηραίνονται ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἀπογηράσκουσι, vt alibi (ead. Sec. aphor. liij.) prolatum ab eodem fuisse reperitur, nempe ob naturalem senio siccitatem. Quod quanquam maiori ex parte vsu ita venire solitum sit, ac, si naturæ atque ætatum rationem & temperamentum tantummodo sequamur, nunquam aliter eueniat: est tamen, quando cùm ob alia, tum temperaturæ quoque ipsius variatione, suis, proprijsque de causis introductæ, diuersam addi ætatibus naturam videmus. Eodémque modo senectuti non minùs humiditatis tantum accersiri posse credemus, vt lubricæ faciendæ aluo, quæ alioqui esse durior ea ætate consueuerit, satis sit. Verùm hoc inter acquisititia iam Temperamenta numerabitur, de quibus aliàs.

Illud, præter iam dictã, natiui reperiri ad ciendam sistendámve aluum in ventre intestinisque vitij potest, sed instrumentarij; si fortè, qui bilis in intestinum ad proritandum portionem defert, factus à natura iusto maior minórve canalis fuerit: siquidem maior ampliórque pluscu lum semper sine dubio illuc quoque bilis transmittet, eoque citiùs, vehementiusque ad exitum prouocabit; minor cõtrà. Nanque aliud illud naturæ in hoc quandoque erratum, vt trãsposito situ superior, meatus huius, canaliculus in pyloron deferatur, ventriculique fundo incumbat, aliam adferet constitutionem eorum, quos assiduus ferè quidam bilis semper vomitus exerceat. Sed nobis de Excrementorum per intestina deiectione negotium nunc est, quam iuuari, aut lædi meatus illius amplitudine, aut angustia posse diximus, qui bilem à vesicula in iecore ad superius intestinum deriuat, seu simplex ille fuerit, siue verò geminus altera sui parte ventriculi ima, altera intestina petat.

Clausa, apertáve erit aluus etiam ex eo, quum aut sentiendi vi multa præditæ partes eæ, irritatu faciles, illico oborta, vel non grauatè admodum alium quempiam læsura noxa, ad excernendum statim suscitabuntur; aut parum sensibiles, diutiùs multúmque ferentes, vix tandem ad propellendum insurgent. Sed hæc referri ad temperamentum potiùs debent natiuum.

Iam, præter ventris atque intestinorum vitia, aliunde quoque ingruere de corpore possunt, vt hæc eadem sequantur, causæ, iecoreque inprimis, ob viciniam. Cùius calidius fortè ac siccius natura temperamentum attingere ventriculi supernásque intestinorum partes, hisque ipsis siccitatem addere, simul & exuctione vehementiore paulò magis exucca ibi facere cuncta potest,

teſt, vnde firmata ſiſtatur aluus: quemadmodum planè liberiùs eadem fluet, contrarias ob cauſas, humidiorem nempe viſceris eiuſdem & frigidiorem intemperaturam, quæ nec reſiccare valde partes ſibi vicinas, ſed nec humoris multum exugere de chylo valeat. Indidem, ſi bilis multum per meatus ſuos ad inteſtina deferatur, ſatis id erit cauſæ, quamobrem non diu morentur in inteſtinis excrementa; ſi non multum, vt morentur.

Atque hæc quidem innatæ alicui rerum harum cauſæ habebuntur, quæ immutari tamen aut in totum, aut ex parte omnes poſſint. Nam canalis de bilis veſica quam non debet in partem tendens maior fabrefactus à natura, maior quin ad extremum vſque maneat, id verò nulla fieri ratione poterit: at ne tãtum bilis per eum fluat, fieri ætatis mutatione, in qua minimè tantum de ea generetur, poteſt. ita cauſę pars peribit eo modo præcipua. Cæterùm temperamenta, vnde aut retineri, aut excerni alui excrementa ſolita fuerint, mutari ex toto poſſunt, cùm ætatum ratione variarum, quo de Hippocratis ſententia narrauimus, modo; tum verò longis quoque, ac diutinis aſſuetudinibus alia omnino euadent. Qua de re, quum tractatum de immutandis intemperaturis ingreſſi erimus, dicendum à nobis fuerit diligentiùs. Non ſolùm enim, quum hodie fortè, heri've, aut cras humentia, liquidáque, ac pinguia; aut contrà ſicca, acerba, dura ingeſſerimus; hîc ſecernentur excrementa, retinebuntur ibi: (quod ciborum tantummodo qualitatibus illis euenire antea memorauimus) ſed etiam pergentibus in eo totum in aliud vertetur, accedentibus nihilominùs reliquis, quæ præſtare idem valeant omnibus, temperamentum, vt ſecus ob id, quàm antea, excretio, retentio've Excrementorum ſuccedat. Verùm hoc, quum iam naturam induerimus aliam, intelligendum, quæ ſtatas iam, atque etiam conſtitutas cauſas ſuas habeat, & effectum producere eundem ſemper (niſi quid maius intereà aliud interueniat) conſueuerit. Recèns autem factæ, necdum tamen in habitum quæ abierint, & κατὰ σχέσιν tantùm, eadem præſtiterint, tantiſper dum intemperaturæ ſunt, modò ad id magnitudinis peruenerint, lædi vt inde expultrix contentrix've facultas poſſit: vti iam hic quoque non procul ab eo ſimus, quin conterminam nacti alteram Medicinæ prouinciam, pedem in illam inferamus. Sed retrahet inde nos, quòd καθ' ἕξιν hæc non ſint, & morbi quidem iam cuiuſdam ſpecimen omnino aliquod exhibeant, offenſa quoquo modo apertè actione; nec ſolicitum tamē habere Salubrem Artificem aliquem magnopere debeant, per trãſennam tãtùm quandam, atque in tranſitu ventrem ſolùm inteſtináve tenuia, aut craſſa per ſe, vel cuncta hæc quoque interdum ſimul perſtringentia. Veluti ſi cibi alicuius fortè, aut potus, paulò magis medicamentoſæ facultatis aliquid alterutram in partem, aut ſiſtendæ, aut laxandæ alui, cui inſit, aſſumptione id contigerit; & aut excalfactæ partes eæ, quas diximus, aut refrigeratæ, aut humefactæ, aut ſiccatæ, aut coniunctim etiam hæc ipſa, quo coniungi modo poſſunt, effectæ fuerint, recèns, atque in tranſcurſu, & ſic tamen laxari inde tunc adſtringi've vt aluus poſſit. Atque hoc ab intra corpus ſumptis: illud ab his quæ extrinſecus accedunt, ſi aut aëris occurſu alicuius, aut aquæ in qua quis lauerit, aut fortè fortuna vnguento: breuiter, quodcunque foris incidens, ventris inteſtinorúmque dictas iam toties partes frigefacere, excalfacere, ſiccas humectas reddere, aut ex his quædam inter ſe connectere ſoleant, quibus ſupprimi, aut remitti alui Excrementa poſſint, factum idem fuiſſe inueniatur.

Quod quum factum fuerit, ne numerata priùs incommoda ſequantur, cauendum extemplo contrariarum ſemper cauſarum adhibitione. Præſertim verò intentos in id atque ante omnia eſſe oportebit, de Excrementorum ſuppreſſione, quandoquidem multo plus inde quoque perpetuò formidandum nobis malorum ſit. Itaque facienti ſuppreſſionem cauſæ, aut quæ iam fecerit, contrariam opponemus: vt, ſi iuſto pauciore ingeſta fuerint, ſuppreſſaque ob id aluus ſit; plura: ſi ſicciora, humida indamus: ſi auſtera atque acerba, dulcia ac pinguia multa ingeramus. Si ordine, ſi vtendi modo erratum ſit: redeamus in viam, ac quæſita adſtrictæ fortè alui lenitione pinguia, dulcia, liquidiora præponamus, poſthabeamus contraria. Si, quum bis debuiſſet, ſemel tantùm ſumptus cibus fuerit, ſiſteritque ſe propterea aluus: remedium quæremus, non bis modò, ſed pluries quoque interdum cibum exhibendo, quo videlicet retinendi auiditas ex ſemel aſſumpto tantùm cibo, quæ aluum ſupprimit, nec remiſſura fortè excrementa iterata ſolùm aſſumptione videatur; frequentiore liberalioris alimenti ingeſtione inuitetur, ſimul & paulò magis grauata inde ad excernendum irritetur. Recèns autem contractas intemperaturas, quas hoc idem efficere poſſe diximus, manifeſtum eſt non aliter, quàm contrariæ ſemper qualitatis applicatione, auferri ſta-

tim debere. Cuiusmodi planè materiæ magna vbique in Medicorum libris sylua, vnde deligi conuenienter ad rem hanc, cùm quæ qualitatis genere, tum quæ ordinibus non minùs ac gradibus suis responsura, facturáque ad propositam tunc faciendorum intentionem fuerint. Iam quanuis meritò minor rei huius hac in parte cura: citatæ quoque nimio plùs tamen ac præter solitum alui remedia eodem modo petentur, atque etiam indidem, iisdémque, vt ita dicamus, ex fontibus, ac contrarijs tamen tantùm, vt Hippocrates ipse aiebat, rationibus idem vt fiat. Quæ quoniam esse vnicuiq; in aperto possunt, quædámque prçtereà de his tradẽda posteriùs quoq; erunt, sanè omittantur nunc.

Atque hæ ferè sunt, retentorum præter consuetum in sanitate alui Excrementorum; eorundem interdum iusto quoque plùs excretorum, remedia, causæ, rationes. Quarum quidem modus ille sit, vt quemadmodum vni alicui, præter illius in sanitate naturam, contingere possunt, ac sæpe solent: ita non vsque eò difficilis eiusmodi causarum futura ablatio sit. vt quidem non difficile esse experimur, quicquid admissum peccati in eo fuerit, ex cibi potúsve, quantitate, qualitate, ordine, intempestiuitate, contrarium solummodo peragendo, quod factu facile semper sit, correxisse; simul & haud ita magno negotio, magnóque maioris alicuius operæ molimine, recentiores illas idipsum hoc facientes intemperaturas, non altè adactas, neque diu per se, nisi verò diuturniore rerum earundem consuetudinis perseuerantia foueantur, duraturas, emendâsse, vtpote aduentitias tum primùm, & acquisititias. Alias porrò, quas, quoniam idem efficere posse videbantur, superiùs reliquis adnumerauimus, naturæ ab origine vitiosæ culpa contractas causas, tanquam maioris atque operosioris ad dimouendum negotij, suo deinde proprióque, ac destinato loco tractandas seruabimus. Quarum aliç cum aliarũ vnà intemperaturarũ corrigendarũ ratione dicentur: aliæ, quũ corrigi ex toto nõ queant, (quis enim, quod antea quoque diximus, debito maiorem minorémve à natura factum deferentem in intestina bilis portionem canaliculum, aut eiusdem etiam præternaturalem atque inuersam transpositionẽ emendauerit?) aliquid tamen ex Arte auxilij hęc quoque ac ceu solaminis accipient, minùs vt incommodè in his agatur, quàm si naturæ prorsus suæ relinquerentur.

Flauæ, Atræq; bilis, ac Serositatis excrementorum retentorum, aut excretorum nimis errata, quorum morborum causæ sint.

CAPVT IIII.



Sequitur aliud Excrementorum genus, Flauæ, Atræq; bilis. Quorum alterum vinosi succi excremento tenuiori, quem florem vocant: alterum succi eiusdem crassiori fæci assimilant. Elaborati bona propè iam ex parte sanguinis repurgamenta, atque inter sanguificandum operati vehementiùs natiui caloris sequestratione à puriore succo segregata: vt alterum, Flauam, facta ad id à natura, appositaq; iecori vesica; alterum, Atram bilem, lien traheret: déque his locis ad suum vtraque vsum, in tenuiorum intestinorum principia Flaua bilis impellendis inde superfluis; ad ventriculum Atra excitandæ appetentię, mitterẽtur; ferentúrque ita demum per sinuosos, flexuososque intestinorum anfractus illos cum Excrementis vnà extra corpus. Redundat & in venis, atque arterijs, serosæ lactis parti, postquàm densatum coijt, haud absimilis humor. Quem appositi vtrinque de venis arterijsque maioribus illis repurgatum trahunt ad se renes, moxque in vesicam totius illius humiditatis receptaculum pęr vreteras, vrinarios meatus sic dictos, transmittunt. Non attrahit, inquam, ad se liquorem vesica illum, vt videri cuipiam possit: sed missum in se recipit, pro volũtatis deinde nostræ arbitrio, quum tempus visum opportunum fuerit, foras remittendum, reserante se, quocunq; tempore iussus fuerit, non secus ac podici additus alter ille, musculo. Qui vesicæ colli claustra seruans, vrinam priùs, ne iniussu nostro prolaberetur, cohibebat, cõtinente quidem suã quoque tunc partem vrinam, cui delegatum id muneris sit, facultate: sicuti in emissione, cùm effluentem transmittit eam, cedens reclususq; musculus, tum officio suo fungitur expultrix vis, vnaque adiungunt se ad opus abdominis, vt in alui quoque secernendis excrementis, musculi.

Hæc nisi opportunè suoq; omnia tẽpore à natura fiant, multa sanè sequantur mala, morbiq; in corpore suboriãtur plurimi. Quos multo antè cauisse optimum sit, causarum abscissione, quæ tum primũ in corpore pullulascunt. Cæterùm sequẽtur impeditam primùm Flauæ bilis attractionem illius ipsius per vniuersum corpus transfusio, quod ictericos regióve morbo laborãtes facit. Miscetur enim sanguini tũ indiscretè, perq; corporis partes omnes ad cutim vsq; fertur, quam auriginoso eo colore inficit: at alui excremẽta intereà colorata non inficiet. nã si non attrahitur primò,

ne propelletur quidem ad intestina. Ita certè non propulsa priùs eò, ipsa ne propellere quoq; excrementa in tempore quierit: ac diutiùs iusto morabuntur ea, coloreque suo demum tincta non prodibunt. Eadem quum secerni quidem cœperit, trahique à delegato ad rem hanc à natura canali ad vesicam: sed aut perfectè satis factum id non fuerit, aut alter ille, per cuius meatum deferri propulsa in superiorem intestinorum partem solita est Bilis, quoquo modò obstructus sit canalis, reciprocatione facta impelletur retrò, non satis expeditis inuentis vijs, & vomitu ventriculum ciebit, sæpeque subuersum infestabit, ac multa prætereà afferre incommoda, malaque alia potest. Sed nos instituti nostri, susceptæque à nobis alterius tantùm Medicinæ partis tractandæ prouinciæ, memores, ea potissimùm hoc loco numeranda esse duximus, quæ Excrementorum solummodo atque inprimis impeditas rationes sequuntur, idque adeò per se primòque, si neq; secundùm naturæ ordinem, constitutasq; ad hoc leges secreta ritè attrahantur; neq; attracta suo de corporibus tempore foras expellantur, morenturque diu nimis; aut etiã nimiùm properata illorum secretio non satis bona naturæ cũ commoditate fiat, citra morbosas affectiones, causásque omnia. Est porrò naturæ lex ea Excrementis ab initio dicta, vt segregata repurgentur, defæcando meliùs semper alimento, ne impurum vlla ex parte maneat, quod corporis deinde partes nutriturum sit. Id non alia ratione contingit, quàm exquisita caloris innati elaboratione primò, cuius opera diuersi generis disiuncta separentur, atque eiusdem in vnum coniuncta colligantur: tum deinde trahentium ad se impuriora illa ex innata sibi facultate, aut quarũdam etiam impellentium partium vi. Non enim priuatam esse secretricem vnam quandam operi tantùm huic destinatam facultatem arbitrandum est: sed operato natiuo nostri calore perfici quidem naturas diuersas puriores atq; impuriores, easque quoquo modo in vnum conuenire ab attractrice illarum facultate collectas, sui generis quasque, atque ita repurgando demum ventriculi alimento, sanguineq; deinde, in suas quæque sedes tracta adduci Excrementa credendum: vel impelli quoque, vt quidem impulsa à ventriculo in intestina feruntur omnium prima, vnde per longũ satis circuitionum multarum tractum foras protrusa tantùm eijciantur, non etiam attracta. Et lotium receptantem vesicam diximus minimè quidem id attrahere ipsam, sed per vrinarios meatus à renibus depulsam suscipere, susceptamque colligere solitam, vt hîc obiter hoc quoque à nobis dictum accipiatur.

In hunc planè modum lien non minùs ipse factum fæculentum, atrumque, naturæque iam suæ humorem, atque sanguine etiamnum tamen contentum, secernit, rapitque, quò alatur primùm: tum particulam quoq; inde ad eum, quem priùs narrauimus, irritãdi appetitus vsum, velut eructatam in ventriculum reijcit. Quod nisi fiat, atq; aliqua de causa munia hæc attrahentis expellentisque humorem hunc naturæ cessent, aut interturbentur; cùm delatus per corpus omne non sanè alia, quàm quæ de Flaua bile dictũ fuit, ratione, Ater is succus nigricantè icterum, quem vocãt, faciet, natiuumque cuiusq; colorem atrata cute nigrore quodam confundet, ac iusto vnà alimento defraudabit corpus, aut deprauatũ certè & vitiosum adijciet: tum verò nutrimento lien destitutus suo indies magis magisq; imbecillior factus, minusque ideo ac minus semper de eo trahens, non habebit quod proritandæ appetẽtiæ in ventriculi partes mittat, aut nõ satis bonum vsuiq; illi commodũ habebit, quodque deiecturum potiùs appetendi vim, quàm promoturũ sit. Hocque, quũ, quantum satis fuerat, genitus succus is pro naturæ ordine, non quantum pro naturæ ordine satis est attrahitur.

Interdum autem fit, vti (quod dictum priùs de Flaua bile oportuit, dicendumq; atque intelligendum pòst paulò de seroso quoq; excremento erit) vsq; adeò multum humorum huiuscemodi à natura in corporibus generetur, vt trahantur licèt in sedes, locaq; sua, pro eo ac fieri conuenienter ea in re debet; supersit nihilominùs semper adhuc humoris illius aliquid, trahentique ad se ac fortiter rapienti validiori virtuti reliquum fiat, quod in corporis partes omnes cũ sanguine vnà diffusum feratur, eodemq; cutim totam colore infectam vitiet, auriginoso ex Flaua; ex Atra, de qua nunc agimus bile, nigricante. Vna aliqua autem corporis in parte collectam ita Flauam Erysipelata, & Herpetes sequentur; Atram Cãcer, aut quemadmodũ niger per cutim totam Icterus, ita etiam totũ intercutim corpus occupans Elephas, assumpto paulò maiore deterioris cuiusdam qualitatis vitio. Adductos autem, quò par fuerat, humores hosce perfunctarum munere suo facultatum opera, cæterùm nimis diu moratos atq; hærentes quamcunq; ob causam, malitia semper maior insequetur quędam: vt aut acriores ex partiũ ibi calore euadãt, Flauaq; sæpe bilis ex pallescente, dilutaq; satis, vitelli colorem vnà ac consistentiam accipiat; Nigra, ex nigro humore illo,

illo, ſanguinisq́ue tantùm priùs fæce, poſtremò veluti exuſta, in μέλαιναν χολὴν vertatur, Atram nimirum bilem; ad quam ne muſcæ quidem aduolent, omnium pernicioſiſſimam, terramq́ue quam attigerit æſtuoſè velut fermento miſcentem, in quam vitellina quoque ipſa, quæ dicitur, ſi fortè diu nimis torreatur, facilè degeneret, iam tum materiæ, vnde originem trahit, ratione numeros omnes malitiæ impleturam. Hinc plurima deinde mala, eáque deterrima, febres quoque ſæpenumero, accepta humorum putrefactione, continuę, interpolatę, tertianę ex Flaua; ex Nigra, quartanę, bile. Tumoresq́; pręterea viſcerũ ex hac cauſa, retentione dico humorum, qui morati, ſuperuenientibus alijs, attollere in tumorem, Melancholicus quidem humor, quod ſæpe videmus, lienẽ; iecur Bilis, poſſunt. non tam quidem manifeſto hîc, ſed obſeruatum tamen non ſemel, cauſam iecori in tumorem excreſcendi phlegmonoſum, eryſipelatoſum, ſcirrhoſum've, hanc vnam dediſſe Bilem, pernicioſiorem ſemper retentione diuturna factam, tum verò quantitate prætereà temporis mora ea auctam.

Eodem modo partem ſeroſę humiditatis ſuam niſi rapuerint renes; aut etiam ſi rapiant debitam ſibi illi quidem, totam verò atque vniuerſam non poſſint, vtpote cuius maior tum fortè in corpore, quàm vt attrahi omnis à renibus queat, redundet copia: futurum mox aut aſcitem Hydropem, deſcendente miſſoq́ue à venis in ventrem humore eo; aut cum ſanguine ſimul per venas in corporis molem delato, ſubitarias illas aquæ intercutis totũ occupantis ambitũ ſuffuſiones, diuinare licet, quas experti interdum ſumus improuiſò hanc ob cauſam cœpiſſe, nec multo pòſt, reſtituta renibus facultate ſua, deſijſſe ſtatim. Quòd ſi benè valida fortisq́ue inprimis fuerit attractoria renum virtus, redundetq́; ſeroſitatis in corpore vis ingens, quacunque de cauſa, præſertim verò ob ſuccorum venis contentorum in ſeroſos ichoras colliquationem: aqua quidem intercus non ſequetur vlla, qualem narrauimus: at diabetes ſequetur affectus, quem tamen veteres inter alia nomina etiam ὕδερον εἰς ἀμίδα vocâſſe videntur, quòd nõnihil illis omnino ſubtercutaneæ obtinere affectionis viſus eſſet, quum arreptam quantumcunque multã ſeroſam de ſanguine humiditatem renes confeſtim, atq; aſſiduè in veſicã trãſferunt, replentq́; illã, multoq́ue ſemper, ac crebro mingẽdi officio fungi cogũt, non, vt in Stranguria, ſtillatim. Quod nõ idem in Melancholici humoris, Flauę've bilis attractione, aut excretione fit, vt in exuperãtibus quãuis, magnaq́ue, vt quandoq; euenit, copia redũdantibus, tanta illorum tamen attractio fiat, aut extra corpus, forasq́ue propulſio, quantã in diabete videmus. nimirum nec attrahendi partium illarum vis tanta ac facultas, quanta renum; nec tam facilis attrahi tamq́; promptè profluens humor: ſed neq; eorum in corpore vſque eò vt ſeroſitatis copia inſignis, neq; paratæ tam amplæ, per quas ferantur, forasq́; expellantur, viæ. Quæ omnia in ſeroſo humore abundè à natura ſuppeditata vſibus omnibus his fuêre, vt geminata propterea quaſi fuiſſe videantur excrementi huius inſtrumenta, quibus attractum repurgaretur, quibusq́ue collectum contineretur, eijcereturq́ue. Rapitur nanq; à renibus ſecretum primò, moxq́; paruula ibi temporis mora interpoſita, ac curriculo tãtùm non aſſiduè in veſicam mittitur, vnde de venis arterijsq́; omnibus corriuatum collectumq́ue foras demum propulſum excernatur. Sanè ibi quoque aut diutiùs retentum, aut iuſto ocyùs remiſſum, moleſtię ſemper aliquid corporibus allaturum. Nam & retentun ceu pondus partes eas degrauat, & extenſione nimia doloris ſenſum infert, & prolabente eò ſemper magis magisq́ue humore, oppletaq́; capacitate tota, supernè à renibus demiſſum quum ſuſcipere vlteriùs veſica nequeat, retrò agi coget præter naturam omnino, magnoq́; ſæpe cum diſcrimine partium, in quas ingruet; tum veſica ipſa ad ſummum extenta, neq; initium capere fibrarum adſtrictionis poterit ad eijciendum, & veluti officij ſui oblita torpebit. Quæ tam per ſe periculoſa cũcta, quàm multis inſuper malis alijs cauſam præbere poſſunt. Neq; ſecus ſanè de excretione nimia, feſtinataque, ac frequentiore, quanquam multo ſemper in hac mali minus, iudicandum.

Pituitoſi excrementi plùs iuſto retenti incommoda. Et quos minetur morbos in toto, & per partes.

CAPVT V.

PItuitæ nulla priuata peculiarisq́ue à natura conſtituta ſedes fuit, quò, ſicuti humores alij, colligenda deferretur; permiſſumq́ue illi, vt per venas omnes vagaretur, tanquam futuræ aliquando alimento, qua fortè parte defeciſſet ſanguis; nec quota tamen illius pars in vẽtriculo, inteſtinorumq́; inuolucris reſideret, ad hunc quidẽ quoq; ipſum nutriendi aliquando, ſed & alios prætereà vſus quoſdã, nõ hoc loco recenſendos. Atque is tamen tam mitis, benignusq́;, ac com-

modus corporibus nostris humor, nisi quantus, qualisq; futurus vtilis sit, manserit, & aut nimius, aut aliena qualitate vitiatus euaserit; noxius inprimis fiet, excerniq; tunc non sanè quàm alij minùs postulabit, aut naturæ suæ, quoad eius fieri poterit, restitui. Acidus nanq; possit: salsus (vtrunq; enim fit) nõ possit. Dulcis autem id genus mitissimus omnium, ac sanguini proximus, iamque in eo, propè vt in illum non multa innati caloris opera conuertatur. Sed nos de excretione tantùm humorum ac retentione nunc loquimur, quosq; eæ affectus, quæ've adferre incõmoda consueuerint. Pituitæ nimietas in vētriculo, quum modica prçsertim acida facere appetentiam solita sit, etiam hāc destruet. Idem expectandum ex salsa: quoniam naturalis ordinis limites iam egressa est, & accepto plusculo calore, siue ex calfactione id maiore, siue biliosæ materię additione factũ fuerit, nec reuocari ad nutrimenti materiam, tanquam semel sanguinis qualitatibus superatis, potest: vt nec bilis, nec melãcholicus humor, atraq; lõgè minùs bilis: quum & acida, & dulcis, quod diximus, Pituita possit. Quę nihilominùs omnes putredine accepta extra venas, præcipuè verò in ventriculo, quotidianas quoque febres fecerint: sicuti venis contentæ, putrefactęque, continuas.

Atq; eædem per corporis ambitum diffusæ vniuersum quidem, intercutis aquæ genus producẽt, quod λευκοφλεγματίαν vocant: in partem verò aliquam recepta, pituitosum tumorem œdema; & ex eadem materia in toto sæpe, sui quasque generis humorem referentes, pustulas. Ac cùm hæc cuncta humores hosce omnes nimios, nimiumque diu retentos; tum alia prætereà non pauca sequi incommoda queāt, commixtorumq; inter se humorum multiplices quidam varijq; admodum affectus alij: qui singulorum priùs faciem rectè inspicere didicerit, huic extemplò aperti omnes fient.

Retentæ Flauæ, Atræq; bilis causæ, atque excretæ nimis: Serosi item excrementi, ex eodem omnes fonte petitæ.

CAPVT VI.

NVnc retentionis horũ omniũ causas explicemus, Bilis vtriusque, Flauæ, Atræque, Serosi, Pituitosiq; humoris: ex quibus sciri & excretionis poterunt, vnaq; ad præcauendũ mala hæc ne fiant, factaq; simul tollendum, facilior parabitur certiorque, cognitis antea causis, via.

Retentæ Flauæ bilis causæ non aliæ veriores, quàm attrahētis, excernentis've illam, facultatis imbecillitas; aut meatuum, per quos attrahitur, excernitúrve, angustia. Fit idem sçpe excrementi non minùs huius ipsius, vt in alijs omnibus quoque, vitio, si vel crassum, vel glutinosum nimis fuerit, vel etiam multitudine exuperet, vt attrahi his de causis nequeat. Quæ cùm singula per se retinere excrementum hoc, illiusque ideo plenitudinem in corpore adaugere; tum multò magis, quum plures ex his in vnum cõuenerint causæ, possunt. Et facultatum quidem imbecillitas non alia fuerit, quàm impositæ iecori vesiculæ infirmitas; simul & meatuum, quibus primò trahit, dein eijcit quoq;, diuersis, diuersarumque facultatum, illis: quippe quorum alteri attrahant, alteri excernāt, quum intereà vesica vtroq; officio fungatur sola. Imbecillitas porrò ex mala intēperatura aliqua, atq; ea recèns tantùm cõtracta, nondũ firmata, necdum ideo morbi absoluti loco habēda, quicquid illam causæ fecerit. Quod tamen magna ex parte ex cibatu potuq; cõtinget, quem in modum de alui excrementis traditum suprà fuit: aut ex his etiã, quæ foris corporibus admota, aut aliunde ingruentia, intemperiei suæ, eousque ad vesiculam Bilis, eiusq; canaliculos illos, adigere valeant qualitatem. Id quod & ambiens interdum aër, & balnea, & vnguenta, & fomenta, & quicquid tale est, efficere possit. Meatuũ angustia, (quoniam hanc quoq; eiusmodi esse oportet, vt supra instituti nostri septa ne transiliat) quã fortè phlegmone, aut scirrhus, aut apertus manifestiorq; morbus aliquis alius fecerit, nõ admittetur à nobis huc: ac nõ nisi ex leuicula obstructione aliqua, osculorúmve cõniuentia factã recipiemus: vel si circuniacentes vesicam, meatúsque illos, partes compressu aliquo innixuque angustiam illis inferant, ob plenitudinem hoc maximè casu, & humorum crassitiem; sicuti ex plenitudine quidem eadem quoque illa cõniuere possunt, prçterque ex siccitate. nam phlegmone & scirrhus, quibus fieri conniuentia, compressusque possit, cũ alijs vnà, quæ planè morbi haberi queant, reiecta à nobis aliò sunt. Cæterùm siccitatem, ex qua conniuentia, tum vehementer adstringentia fecerint, tum quæ excalfaciant simul atque exiccent. Nam & quæ valenter adstringunt, exprimere humiditatem de vesica meatibusque illis, eosdemq; & contrahere, & constringere, & densare possunt; & calida dissipato humore siccitatem inuehunt, quam angustia necessariò, contractioribus factis partibus, insequetur. Obstructionem autem,

tem, & crassities, & viscíditas humoris, & plenitudo faciet, quæ eadem conniuentiam quoque & compressionem faciebat, sed has ex his, quæ circum vesicam, meatúsque tum attrahentem tum expellentem sunt, partibus: obstructionem verò, intrà recepta. Atque alia etiamnum est plenitudo illa, quum tanta biliosi huiusce humoris genita in corpore vis fuerit, vt rapere vesica meatúsque totam, aut capere nequeat. Feretur igitur per corpus quod recipi nequiuerit reliquum, ac, quum intra receptacula sua, quò peruenire primùm, indéque demum eijci quoque foras debuerat, suscepta non fuerit: retineatur in corpore præter naturam opus est, cum offensione semper aliqua. Sed & idem humor, biliosus inquam, vel Bilis potiùs ipsa, non multitudine solùm redundans excipi tota in sedes suas nequit: verùm crassitie etiam euenire idem illi, & viscíditate potest, quo minùs trahi eò rectè valeat. idque diuersum ab illo fuerit, quod diximus, ex humoris viscíditate, aut crassitie, obstructionem fieri: quippe qui iam intrò receptus infarciat, hic ne recipi quidem initio queat. Hæc leuiora omnia, & à leuioribus causis progressa citra morbi absolutam naturam, subsistunt tamen, & noxæ quoque aliquid exhibent non euidentis multum, nisi caueatur, processura vlteriùs, iámque manifestarios morbos allatura.

Excretionis humoris huiusce modi inordinatæ, quæ retentioni contraria est, contrariæ quoque meritò causæ habebuntur, quas enumeràsse nullum futurum operæpretium sit, peti nanque à retentionis causis possunt, exaduersum illis positæ omnes: & alioqui quarum non perinde necessarius, nostro quidem in negotio hoc, sed nec ex vsu valde futurus tractatus sit, quanuis hîc quoque seruandus diligenter modus, vt ne plus iusto euacuetur, inanitionéque nimia illius ipsius in corpore non omnino nullus vsus amittatur totus.

Pariter minimè necessarium, ac superuacuum etiam fuerit, singillatim cuncta, eadémque prorsus omnia de Atræ bilis humorisque eius retentione atque excretione recensuisse: quum futurum in hoc satis sit, si collatis inter se, atque assimilatis pro rata quadam & analoga rerum ratione, partibus cuncta ab illis in has ipsas deducta transferantur. Porrò autem simillimus omni ex parte (quod quidem huc spectat) Amaræ bilis vesicæ erit lien ipse, vasculis, quæ hanc ipsam bilem in vesicam rapiunt. vena, quæ à iocineris porta in lienem protenditur, meatui, qui bilem in intestina euomit Flauam, delata, ex liene in ventriculum itidem vena iustissima respondere proportione reperietur.

Nec diuersa valde obseruabitur, siquidem animaduersum rectè in eo fuerit, Serosi excrementi retenti secretiq; proportionis totius ratio. quanquam hîc paululum variatum à natura fuerit, suis de causis. Sed hîc tamen nõ dissimiliter venæ, quas emulgentes ex re cum Medicis alijs dicimus, habere se existimabuntur meritò tractam ducenti in vesicam bilem Flauam meatui: sicuti alteri, per quam in intestina Bilis eadem egeritur, vreteres. Per hosce enim in vesicam, lotij totius receptaculum, è renibus mittitur Serosa humiditas tota; quemadmodum ijdem eandem renes humiditatem per emulgentes trahunt, mox percolatione in aliud capacitatis maioris vas remittendam, vbi tandiu detineretur, donec collecta iusta pro capacitate quantitas foras per canales ad id paratos eijceretur: vt hîc quoque iam, & per quos Serosum hoc excrementum attrahitur, simillimè alteris habeant meatus, & per quos expellitur, duplicato tantùm ob humoris non qualitatem minùs, quàm quantitatẽ, instrumento, quo arreptum priùs ex venis atq; arterijs percolaretur, & quo transmissum reciperetur totum ampliore ventris inferioris in parte, vnde proximus paratiórque multo futurus esset illi de corpore exitus. Reliqua, vt dixi, simillima omnia: neque hoc tamen dissimile geminatum (id scilicet vnum) instrumentum: cæterùm quorum omnium non aliæ recenseri causæ possint, aut debeant, quàm quæ allatæ aliorum suprà fuère. Omnino nanque hac quoque in parte aut intemperatura aliqua recentior in causa erit, quamobrem, quò debet, non trahatur excrementum id, secernatur've, postquàm retentum suo tempore fuerit: aut meatuum angustia, eáque aut ex obstructione, aut compressu, aut conniuentia. Quæ rursus cuncta superiùs dictas causas habebunt omnes, vt non magnopere necessum sit hoc illas loco repetere. Ducentúrque ex ijsdem penitus generibus, quanuis rationis oppositæ, excretionum Serosi huiusce humoris, non satis leges ordinemque naturæ sequutarum, causæ: sed eiusmodi, vt prouinciæ nostræ terminos non excedant: puta, leniores quædam, & ex recenti factæ, necdum obfirmatæ; tum verò quæ propè quidem sint, vt morbos faciant, nondum tamen fecerint, facturæ profectò adducturæque nos in morbos omnino, nisi cauerimus, obuiamque iuerimus, huius ipsius Salubris, quam nunc tractamus, Artis præceptis confisi.

Pituitosi excrementi retentionis causæ. Et cùm eius, tum reliquorum Excrementorum omnium repurgandorum necessitas, ratióque, ac modus.

CAPVT VII.



Sum ac necessitatem Pituitæ diximus, quæ pro alimento sæpe cedat, si defuerit sanguis, quo partes nutriantur. Quam planè ob rem factũ fuerit, vt seorsum nullus huic institutus natura vnus aliquis, quò attracta ferretur, locus sit, nisi fortè in corpus per venas cum sanguine. Multa tamẽ in ventriculo sæpe, atq; intestinis sedet, ad vsus, qui à Medicis traduntur, vtq; ea veluti oblinerentur eæ partes. quanquam hæc propè iam alterius generis sit, sicuti haud dubiè ea est, quæ de capite per nares profluit, quam mucum dicimus. Cunctæ retentione nimia auctæ, sæpe etiam qualitatem deteriorẽ nactæ, primùm in sanitate constitutis molestæ erunt, demum morbos quoq; gignent, vel ea, quam in sanguinis penuria alere posse diximus; vtpote quæ copiosior venas primò habitumq; frigidis crudisq; humoribus (quippe frigida ipsamet crudiorque est) repleat, inflatosq; ac turgidos reddat, postremò etiam ἀνὰ σάρκα intercutem morbum, concoctrice facultate, qua nutriendi officium fit, debilitata, producere soleat.

Collectionis causa omnium vna ac præcipua, innati caloris, conficientisq; alimẽti facultatis ex intemperatura aliqua hoc nostro in negotio nuper facta, infirmitas. Alia ex erratis, quæ in victus ratiõe admittuntur, prouenit, si aut nimio plus, quantum ne benè robusta quidem virtus concoquere valeat, ingestũ cibi fuerit; aut naturæ eius, qualem plurimũ progignere Pituitæ necessum sit: aut præposterus ciborũ ordo, aut intempestiuum sumendi tempus idem efficiant, vt Pituitæ copia generetur: aut vitæ genere sedentariæ, otiosæque, ac desidis, animiq; insuper torpore interdũ, non diuersum quid contingat, vt in ventriculo primò genitus humor is in habitũ prçtereà per venas cum sanguine vnà feratur, caputq; etiam plurimus petat; aut ibi certè ex multa idoneaq; ad id materia facilè multusque proueniat. Congestionis hæ ferè causæ Pituitosæ diuersis in locis materiæ. Nam canalium, aut meatuum, qui illam ad destinatum vnum aliquem locum tractam, aut corriuatam deuehant, quoniam nulli hi: sic ne causa quidem vlla vel intemperaturæ, vel illorum omnino angustiæ, quçcunq; hanc ipsam facere, vt in Excrementorum aliorum antea dictũ ratione, causæ vnquam in sanitate possint.

Aliqua tamẽ hîc quoq; extrudentiũ aut emittentium Pituitam meatuum similitudo, atq; ex eorũ causa humoris eius retentio, & ex retentione redundantia. Colligitur nanq; in ventriculo intestinisq; sponte sua multa, magisq; si nõ multa bile de intestinis deiecta deturbetur, forasq; protrudatur: simul in capite emissaria illius, per quæ exonerare sese Pituitæ muco cerebrũ solitum est, clausa fortè plurimum humoris eius accumulari facient. Tanquam enim princeps pars quædam, ac principalis animę partis domicilium, quum osse vndique septũ denso muniretur, nec nisi per suturas occulta illa sensumq; nostrum fallente superfluorum transpiratione iuuaretur: multos prætereà sortiri id à natura meatus oportuit, vnde ritè satisq; excrementis repurgari suis, quæ multa sæpe colligerêtur, posset. Itaq; nõ multas modò præter suturarum idipsum quoq; præstantium vsum, vias in hoc paratas habuit: sed magnas quoque ex eis quasdam habuit, nares, palatum, oculos, aures: non quæ propellerent ipsæ quidem, vt canaliũ multi, quibus vis ea indita à natura fuit, sed vnde tamẽ excremẽta eiecta transmitterentur: oculi nihilominùs (tametsi enim non inter principatum in corpore obtinentes partes numerentur hi: at in puritate splendoreq; seruari suo, vt videndi munere rectè fungatur, exquisitè repurgati volunt) cùm ipsi vi sua propria, quam excrementorum expultricẽ obtinuerunt, exonerare sese his per euidentes satis nariũ, palpebrarumq; circùm meatus, tum cerebrũ prætereà ipsum iuuare in hoc possunt. Quod nisi assequuti fuerimus, vt cerebri repurgamenta de emissarijs his eliciamus, quæ contenta fuerint, redundatura ea intus nimio plùs sint, totasq; eas sedes occupatura: vnde inferiùs delabentia nobilissimis sæpe partibus periculum creent, aut in pulmones pectúsve impetũ, aut in ventriculum facto. Sæpiùs ne ignobilioribus quidẽ partibus parci in eo solet, quin ingentem inde noxam sentiant. Illud autem atrox & periculosum malum, quũ aut in neruorum originem reiectis superfluitatibus, Comitialem; aut oppletis cerebri ventriculis, Attonitum inde derepentè exoriri morbos quotidie penè experimur. Puros quidem ac synceros ad ratiocinandum, obeundaque atque exercenda nobiliora insignium facultatum munia habituri spiritus aliter non sumus, nec emunctæ satis naris futuri, nisi procuratis Excrementorum rationibus omnibus.

Atq; id de vniuerso Excrementorũ genere verissimum esse reperietur, nõ solùm de eo, quod nuper dicere destitimus, capi-

tis cerebrique: si primùm, ne in corpore nimia accumulentur, præcauerimus semper; tum demum, vt accumulata, vel quoquo modo aggesta, per meatus quamprimùm, canalesque, ac vias repurgētur suas, omnia diligenter procurârimus; perpetuoq́; nobis faciendum esse existimemus id, vt, quasi Belides, repleta assiduè euacuanda habeamus, & vt collecta semel ante repletionem nimiam secernamus; multo autem magis, ne in posterum colligantur, prouideamus.

Quę quidem, cognitis iam explicatisque causis, quibus cōtingāt, haud ita factu difficile fuerit ne fiant; aut, quod proximum est, ne tam multa magnaq́; fiant, vnde insignitè noceri corporibus possit, cauisse. Quod vnica ratione consequemur, vitatis semper, quæcunq; efficere id solent, causis. Factum autem causarum id quoq; semper dimotione tollemus, contrarijs vnicuique causæ, quæ iam fecerit, aut etiamnū faciat, applicatis. Vt bili iam retenta amara, si qua id nuper cōtracta, vel vesicæ felleæ, vel meatuum ipsorum attrahentium, aut egerentiū intemperatura fiat; amissam hanc, quæ priùs rectum naturæ ordinē partibus conseruabat, reuocare studebimus temperaturam: si ex obstructione, attenuante victus ratione vtemur, quam quidem crassities fecerit: vt, quam visciditas, etiam detergentibus amouere curabimus; quam plenitudo, euacuatione. Angustiam meatuum vesiculæq́; ob cōpressum, propterea quòd is quoque circuniacentium meatibus partiū aut ob plenitudinem, aut ob humorum crassitiem degrauantium meatus comprimentiumq́; contingit; aut euacuantibus necessariò, aut extenuantibus, tollemus. Osculorū conniuentiam, austerorū vsu factam, pinguibus & dulcibus auferemus; calefacientium & resiccantium, refrigerantibus atq; humectantibus. Quemadmodū sanè & biliosi humoris redundantiam vsq; eò interdum in sanitate auctā, vt, quū causæ nihil tamen aliud sit, rapere ad se vniuersam illam vesicula bilis non valeat, nō aliter meliùs, quàm exinaniemus: nec purgantibus tamen semper medicamentis, sed & aluum placidè subducētibus, leniētibusque, educere de corpore; & vrinā, cumq́; hac bilem quoque ipsam, cientibus minuere, & sudoribus diflare, & per σύγκρασιν ad temperamentum quandoque deducere, licebit.

Quòd autem meminimus vnā aliquando, præter plenitudinem, bilis ipsius crassitiem, & glutinositatem esse in causa posse, quo minùs non obstructionem aut dictorum aliquid incōmodorum inuehant, sed, id vnum, trahi intrò, intraque meatus non queant: vsus in hoc sine dubio attenuantiū atq; abstergentium commodissimus fuerit. Ea porrò ipsa, quę omnia hæc pręstēt, abstergant, attenuent, deobstruant; calidum, frigidum, humidū, siccum faciant, & quicquid eiusmodi: partim peti ex superioribus libris de cibatu, cui tamen multū præterea inesse non raro medicamentosi compertū est, possunt; partim dicentur posteà compositiora quædā; partim, sicubi paulò magis efficaciæ exposcere res visa fuerit, ipsa de materiæ Medicæ libris transferri ad negotiū remq́; suā à non imperito prorsus Artifice ὑγιεινῷ aptè ac concinnè debebunt.

Quod de retenta bile Flaua, secretaq; dictū; de Atræ quoq;, Serosæq́; ad hęc humiditatis retentione & excretione accipi dictum debuerit; relatis, quæ proportione queq; sua respondeant, inter se congeneribus suis omnibus, adhibitisque eodem modo remediorum rationibus ijsdem, vt cuncta partium harum affectionibus demum cunctis remedia rectissimè, analoga ratione quadam, ita applicata adaptentur.

Vltimæ nutritionis excrementa quibus causis retineantur, tenuius, crassiúsque: & præcautio adhibita ne id fiat: tum, ne nimis etiam distentur.

CAPVT VIII.

SVperest in Excrementorum ratione Excrementi genus vltimū, cui ne ipsi quidē præscriptus à natura certus vllus meatus sit. Distributi nanq; per corporis particulas omēs, hasq́; ipsas nutriētis extremi, hoc in opere, alimenti superfluitas paratos habuit, quorum plenum vniuersum corpus est, cutisq́; tota, exiguos quosdā, vnde foras per molliora corpora delatum ferretur, meatus. Duplex hoc, duplicisq́; naturæ: alterū, tenuius atq; humidius, serosi illius excrementi portiuncula, & alimenti in corpoream molem distribuendi ceu vehiculum, quod postquàm perfunctū officio fuerit, secernitur ipsum quoque, extraq́; agitur, cedētibus facilè violentiùs acto corporibus, quæ mollia diximus, maximè verò, si maiore aliquo vehementioris spiritus impulsu feratur. Crassius alterū, & quod assimilari enutritę particulæ haud potuerit, veluti semiconcoctum reliquū factū ipsum fuit. Prius, vtpote tenuissimū, facilè excernitur, partim natiui caloris opera in halitū quendā digestum; (quod quū multos lateret, oculorumque fidem falleret ob tenuitatem, tanquam nihil esset, ne nomen quidem inuenit vulgo: atque ab his tamen, qui ratione hoc ipsum animaduersum deprehendêre, sensum effugiēs transpiratio nomen accepit) partim violentiore exagitatione,

con-

confertimque eiectum in sudorem abit; & hoc ipsum dicitur sudor, iam naturę ordinem egressus, si Diocli credimus. Sed de hoc aliàs quæretur opportuniùs. Alterum porrò, crassiusque generis huius, quod diximus, excrementum, ipsum quoque ex particula aliqua, quod elaboratum paulò magis à calore natiuo fuerit, conspectum nostrum fallenti transpirationi illi paret. Reliquum quod euinci nequiuit, vt eijciatur, néve in cute hæreat, totamque exeat propulsum, & vehementiore agatur calore opus fuerit, & maiore deferatur impulsu. Ex hoc sordities illa, quæ omnium cuti innascitur; alteraque in vulneribus superfluitas, quæ detergeri postulat; tum verò pilis etiam exortus suus hinc. Ex priore altero redundante, sudores sæpe multi: tum siccandi semper vulnera necessitas.

Atque hæc, prodeuntibus tamen & erumpentibus excremẽtis huiusmodi, euenient: conclusis autem ac retentis, necessariò deteriora timenda. Nam impersspirabile factum corpus, & transpiratione ea priuatum, vtrunq; colliget intra se excrementi genus, fietque omnino ex primo quidem corporeę molis totius in ambitu iusto plùs humidum: sordidi autem quicquid coaceruabitur, alterius generis, totum id præter naturam illi cõtinget. Tum deinde interiùs quoq; sese paulatim adiget ea noxa, ac præter naturam constituere partes, quocunque peruenerit, atque ita interdum afficere poterit, vt alimẽto impediantur suo, aut iusto saltẽ, sibiq; debito, non fruãtur.

Et hîc igitur quoque repressa continebuntur excrementa hæc, vt in antea dictis sæpe, vel plenitudine ipsorum, vel crassitie, vel visciditate impediente; vel, qui dissoluisse illa debuerat, caloris imbecillitate; vel exitus angustijs prohibita. Quãdoquidem, vt meatus, per quos excremẽtis transitus, ampli satis sint, nec extrudi commodè multitudo illorum nimia potest, & crassities obstat, & tenaciùs hæret visciditas. Atque, vt nihil horũ sit, sola esse impedimento meatuum angustia interdum solet, ne liberè ferãtur. Rursus, nihil causæ reliquis alijs omnibus afferentibus, nisi validus satis conficiendis illis inuentus calor fuerit, immota morabuntur: vt nullam omnino esse causarum huiuscemodi oporteat, si apertus patere debeat excrementis his extra corpus transitus, solaque resistere sæpe atq; vnica possit causa, conuenientibus autẽ in vnum pluribus, maior ita haud dubiè futura semper affectio sit. Cæterùm cuncta hæc (quod memoria sæpe refricandũ est, ne obliuioni tradatur) eiusmodi erunt, vt morborum quidem instar quoddam referant, morbi autem non sint: siue quòd minor illorũ causa habeatur, quàm vt implere integram morbi conditionem queat; siue quòd quicquid est causæ, recens nuperque oborta nec contumaciter figitur, & discussu facilis, opponentis sese Artificis consilio statim cessura, introducendam sanitatem permittet. Etenim & caloris imbecillitas ipsius, excrementorũ portionem soluere inualidi, negligentiùs fortè omissę exercitationis cessatione causam habebit, & trãsitus angustia ex scirrho & phlegmone quidem quoque oriri possunt; sed quæ toties iam de prouincia nostra hac exterminârimus, tanquã manifestos iam numerisque suis omnibus expletos morbos. Eandem autem hoc in negotio, angustiã dico, ex obstructionibus, compressibus, conniuentijs exortam, libenter recipimus. Quorum esse causę leuiusculę, & aliquid tamen intereà transitus impedire possunt, vt non manifestò, neque euidenter satis id fiat, eoque infra morbi naturam subsistant, nempe cuius illa sit conditio, affectus vt sit. Quod ipsum per se nõ parum sanè discriminis afferat, siquidem leuicula aliqua affectio, dici beriq; affectus rectè non mereatur; tum verò, cum actionũ aliquarum præter naturam oblæsione non solùm, sed manifesta atque euidenti idem vt appareat, opus est. Hinc planè fit, vt omnia ista auferre nobis quamprimùm liceat, causarum dimotione nõ sanè operòsa valde, ac reliquam factam etiamnum meatuum conniuentiam, quam fortè ambiens frigus fecerit, excalfacientibus reserabimus: quam calor, ac siccitas, veluti in ardorib⁹ euenit, refrigerantibus, atq; humectantibus: quam adstringentium occursus, cuiusmodi aluminosa balnea sunt, pinguib⁹, ac mollibus frictionibus, vnà ac dulcium aquarum balneo: compressum, ex plenitudine, aut crassitie, aut glutinositate vicinarum partium factum, euacuando, dissecando, abstergendo, variè pro causæ diuersitate tollemus. idem faciemus, quum excremẽti ipsius, vt retineatur, causa aut plenitudo, aut visciditas, aut crassities fuerit, non iã quæ compressum, aut obstructionem vllam ratione vlla faciant, sed quæ recipi intra meatus ipsos nequeãt. Quæ quoniam ex cibatu ferè ac potu, aut facta nuper nutriendarum partiũ facultatis alteratricis aliqua de causa infirmitate oboriuntur, contrarij statim cibi ac potus ratione subueniemus. Cæterùm infirmã, quæ immutare rectè alimentum non satis valeat, facultatem, calorificis, simul & incidentibus, quibus ipsis immutandi quodammodo ad concoctionem alimenti virium aliquid inest, iuuabimus. Et quia non parũ quoque positum esse in caloris vi diximus, cuius opera non nihil

vtriusque

vtriusque huiusce excrementi exhalatum dissolueretur, isque non aliam ob rem magis, quàm segnitie torpens iaceat: excitandus exercitatione erit. Cuius auxilio non solum id, quod hîc primò quærimus, assequemur, excrementi id genus ex parte dissolutionem: sed multa insuper sequetur, nec parua, ex eo commoda. Nam & plenitudinis inde minuetur omnino aliquid diflatû, & crassitiei discutietur attenuatum, & visciditatis fusum diluetur, præstante cuncta hæc facilè calore exercitationis ope iam validiore facto. Eiusdem caloris suscitati ita beneficio apertis vijs, facilior semper patebit excrementis exitus, extenuatioribus primùm factis, tum deinde etiam caloris vi omnia permeatis protrusis. longè quidem faciliùs, ac tutiùs, quàm si tenuantium idem medicamentorum cibariorúmve vsu moliamur. Quib⁹ dissecari quidem excrementa, quo promptiùs exigantur de corpore, possũt: at nec cuius vi tam vehementer impellantur habebunt, & attenuantium vsu eo liquari sæpe carnes, atque habitudinis multum decedere, & graciles fieri solidorum extenuatione, videmus. Quæ in exercendo incommoda prorsus nulla sunt, cõtraque potiùs robur partibus, instrumentisque omnibus acquiritur, mutuo inter se attritu duratis, fortibusque aduersus noxam omnem factis: simul aucti iam natiui caloris efficacia, peruadentis omnia, absumentisque, secumq; violenter deferentis, expediuntur cuncta, donec eiectis superfluitatibus omnibus liberum iam excrementis, idque nullo accepto, vt ex medicamentorum sæpe vsu, incommodo, corpus maneat. Quò quũ peruentum erit, sistendum ibi fuerit: ne nimia è diuerso cutaneorum meatuum reseratione exitus alimento paretur æquo maior, cumque virium debilitate, aperta sequatur corporis totius extenuatioris facti emaciatio, incommodaque alia quædam.

Atque hæ ferè fuerint retentorum, eiectorumque Excrementorum rationes: hi, ne plùs iusto id fiat, aut factum statim soluatur, modi, ac viæ, prohibendis nimirum vitiosorum in corpore succorum collectionibus. Quod quum effectum fuerit, vt collectitiorum humorum iam nimis multum in corpore sit, signis notisque clarescent suis cuncta: aliudque tũc consilij capiendum, ineunda ratio alia, antequàm morbos, quibus iam ita tentamur, præstoque hi in foribus esse tunc videntur, imprudentes incurramus.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

Morbosorum Symptomatum, quorundámque aliorum tractationem præsentis negotij habendam esse, quanquam in confinio partis vtriusque positorum.

CAPVT I.



Vc progressis necessariò tractanda ea se offerunt, quæ velut in cõfinio Medicinæ partis vtriusq; posita, & contermina ambigunt, in vtramuis partem facilè ab ingenijs, quibus cordi ista sunt, ob viciniam rerumque inter se affinitatem, disputationibus factis, rapienda. Quæ fieri tamen possint, si solidis, verisque rationibus, non inanibus cauillamentis agatur res. sępe nanque quęstionibus huiusmodi & veritas quęsita inuenitur, & exercentur ingenia. Sed seorsum semper tractanda hæc, quoniam Logicam inquisitionem requirunt: ad operis partem, quod faciendorum rationibus dicatum sit, tum quo res tantùm seriæ veniant, & recta semper factorum ratio exigitur vt nos sequatur, admittenda non sunt: nec inquinandum opus Logicis tantummodo quæstionibus, aut Sophisticis etiam plerunque nugamentis, quæ secum sæpe trahere quæstiones illiusmodi solitæ sint. Hoc nos institutum toto hoc opere, quo hactenus peruenimus, seruâsse credimus, seruaturique in reliquo non minùs, quod superest, sumus: ne, quantum fieri poterit, inania à nobis afferantur; ac si quæ quæstiones existent, rerum eæ sint, non verborum; earumque rerum, quæ ad negotij

gotij totius summã facere posse videbuntur, nõ autem aliunde inaniter sæpe ac de nihilo accersantur. Quanquam de eo hîc, Vtrùm morbosa symptomata, de quibus tractaturi breuiter sumus, partis habenda sint corporis humani valetudinem tuentis, an amissam eam recuperantis: non scrupulosè admodum inquirendum nobis fuerit, si Hippocratem sequi authorem decreuerimus, eiusque nobis standum esse dicto, ac prolatæ semel de his sententiæ cuidam duxerimus. κόποι, inquit, αὐτόματοι φράζουσι νούσους. Sponte sua obortæ lassitudines morbos nuntiant. Futuros quippe, opinor, φράζουσι, non præsentes factosque δεικνύουσι: nuntiant, non demonstrant. id enim est φράζουσι, quod alio nomine dictum à Galeno est, ἀπαγγέλουσι, quasi quæ præcurrentes futurorum aduentantiumque iam morborum nũtij sint. Ergo in opere meritò nostro versabimur, ac negotio, præcauendi quod sit, nec extra limites, quos ipsi nobis præfiximus, nostros feremur, tractãtes hæc. Simul quia non sanè diuersæ hæc rationis sunt, quàm quæ exercitationẽ insequuntur, atque tractari sine controuersia à Salubri Artifice debẽt: necessarium fore videtur, vt eodem huc & illa veniant, cumque his affectus prætereà alij quidam, non omnino dissimiles, de quibus omnibus dicendum.

Plenitudinis, quæ Plethora dicitur, ratio, causæ, ac notæ. Et quæ hanc ipsam plerunque insequi discrimina solent.

CAPVT II.

NOs intereà ab instituto nostro non discedentes cõmunia priùs quædam, quibus, præter lassitudines alia etiam cõtineantur pleraque, quorundamque aliorũ causa sint, trademus: Plenitudinẽ vtranque, quæ ad vasa, quæque ad vires dicitur: succi prauitatem, quæ κακοχυμία est: tum notas horum, quæ ve inprimis loca occupent, quis inde timor: postremò, quid adhibẽdum ad hæc remedij omnia, antequàm erumpẽtes corpus ipsum possideant morbi, quo videlicet proposito semper nostro seruiamus. Plenitudinem, quæ supra, quàm accipere eam vasa possint, aucta sit, Plethoram vocant: non omnem, sed in qua succi æquabiliter omnes cum sanguine, pro sua quisque rata parte, aucti esse inueniantur. In quo proportio seruatur humorũ arithmetica potiùs quædam. Augescere quidem humores vnà omnes opus est, si consistere Plethora debebit: sed qualis priùs erat, temperati sanique hominis sanguis, (hanc enim semper normam intuemur) talis ad extremũm seruandus est, sumpto tantùm incremẽto, purus vt semper tamẽ sanguis, quem syncerum per seque intelligimus, quantitate pituitam vincat: pituita melancholiam, hæc bilem: auctique hac analogia simul cuncti Plenitudinem, qualem diximus, faciant humores. Quãuis enim purioris illius sanguinis maior, maiórque semper copia in hac: quia tamen reliquorum quoque rata vniuscuiusque pars cum eo succrescit, natura qualitásque sanguinis, quæ ab initio fuerat, seruatur, excrescit quãtitas. Proinde nec alia, quàm quantitatis huius ipsius ratione, aut nocumentum infert, aut auferri postulat. In hac pristinum vires robur perpetuò suum retinent. quin auctas easdem asseueranter dicere, maiorésque factas cũ sanguinis copia, vnde vberius semper corpori alimentum, viriumque plus, non inconueniet: duntaxat in eo, si lacertosæ athletarum, pugilúmque multorum, quos tali sæpe esse plenitudine atque habitudine præditos oporteat, vires considerentur, modò imminentia semper ingentium sæpe malorum pericula abessent. Hæc in vasis potissimùm quidem intelligitur, quæ extendit, quorúmque de nomine appellatur. Sed & musculos tamen occupat, carnémque totã, solidásque corporis partes extensione infestat, ac tensiuam lassitudinem, quam ex re ita dicunt, gignit. neque tamen semper. Esse namque Plethoræ aliquid iustos iam naturæ terminos egressæ potest, in qua nihilominùs lassitudinis huiusce sensus nondum suboriatur in corpore vllus. Paulò adauctior, quàm quum inchoat tantùm, Plethora ea sit oportet, quæ lassitudinem hanc faciat.

Nec dubium, sanguinis copiam tantam, qua tendantur vsque adeò venæ, atque ex sanguine alimentum, quo solidiores partes, ortum non aliunde, quàm ex cibo, potuque habere, optimis quidem illis, optimique per omnia ac maximè probi succi, sed nimij tãtummodo. Quocirca benè validum esse necessarium fuerit, qui tantum cibi conficiat, ventriculum primùm; tum deinde reliqui totius corporis concoctricem vim omnem, calorisque vbique natiui plurimum, quo peracta alendi vbertim per totum corporis distributione vniuersa illa, corporaturæ inde moles augmẽtum viresque vnà sumat: ne corporis status, quibus studium id est, concidens labatur, si non, suffecto assiduè alimento, plusque semper, quàm exposcere natura videatur, aut quàm quod diflatũ reponi exigat, ingesto, flaccescat. Itaque ergo non semper expectandum habent, dum famescentes cibum

bum capiant, & appetens ventriculus idipsum,quod cibũ capere est, lacessens prouocet: anteuertere sæpe, atque antequàm stomachus eo pacto capiat, assumere ipsi coguntur, detergereque cibi fastidia conantur, vt dempta nausea appetentiam assumant. Hinc illa ἐξ ἀνάγκης comestio, coacta scilicet sustentando corporis statu. Videlicet id erit quoque signi Plenitudinis huius,si causæ hæ præcesserint: ingestio ciborum tanta, quæ fastidium pariat, quam cogimus,atque ad necessitatem adigimus; & eorum copia, quibus multo maxima insit alendi corporis facultas, si nihil defuerit eorum, quæ cùm cōcoctionem iuuant, tum alimenti per corpus distributionem minimè morantur: quæ carne repleat frictio, (mediocrem hanc statuit Hippocrates) exercitationis genus idem præstans itidem mediocre: balnea à cibo, quibus maximè euocari ad extima corporis alimẽtum consueuit. Tum si qua priùs consueta, quibus sanguinis copia melioris minueretur, omissa tunc sint, aut mitti suis quibusdam temporibus solito sanguine è naribus, vel etiã aliqualiter scarificatu, vel quũ sponte is quandoque sua profluit de hæmorrhoidibus, aut peruenientibus ad intestina venis, vnde non ater semper aut melancholicus, sed floridus erumpere sanguis visus sit, tanquam qui remitti de superiorum quoq; intestinorum inuolucris, vel de recti quoque exortu, multo supra extremæ sedis meatum, in parte corporis aliqua mutilatis soleat: aut his quandoque, qui consueta exercitia intermisêre, assuetis antea, aut athleticè exercere se, aut opus aliquod rusticũ, vrbanúmve facere, quo superuacanea alimenti discuterentur. Quæ quum negligentiùs agunt, vel ex toto etiam omittunt, atque intereà ijsdem, quibus priùs dum exercerentur, alimentis vtuntur; Plethoræ necessariò non parum colligent, ortisq; inde morbis corripientur. nisi aut inedia, aut sudoribus, aut quacunque tandem euacuatione alia, quam peragere sani consueuerint, subtractus sanguis crescere Plenitudinem eam non permittat: aut nisi naturæ ope aliquo se inde pacto exonerare conantis aliunde profluat de corpore Plethoræ materia sanguis, vel è naribus, quod diximus, vel imæ sedis intestino, vel è superioribus etiam statis quibusdã temporum interuallis misso, dictæ ab Hippocrate dysenteriæ in modum, quæ dysenteria tamen non sit, sed totum ita corpus liberantis à Plethoræ suspicione naturæ opus. Maximè verò, si nec fluxerint ista, & vita ad hæc deses prorsus accesserit, somníque multi, ac curarum omnium expers; in optimi temperamenti laudatique vndique sanguinis homine ortum, auctumque iri Plethoræ plurimum, valde verisimile fit.

Vtemurque causarũ id genus antegressione pro signorum quorundam indicio, qui στοχασμός est, & coniectura. Nam signa notásque ex eo demum certiores ducemus, quum turgescere venas viderimus omnes æqualiter, corporeáque moles plenior, ac corpulentior fiat, quasique in tumorẽ surgat, cum florido quodam per totum colore, quod habitum totius occupantis Plethoræ signum habeatur: vt alterum quoq; illud, venarum turgidiorum aspectus, modò is corporis seruetur in eo status sitúsque, quo locis suis humores succiq; omnes consistant; nõ impulsi tractíve aliò ferantur, vbi Plenitudinis huius edere speciem nonnullam possint. Obseruandum igitur, ne in partes, qua fortè demissæ pẽdeant, ingruens immissusque sanguis extensione ita illarum Plethoræ cuiusdam faciem repræsentet. vt quum caput demittitur inflexo collo, cui non, quæso, si paulùm modò diutiùs in eo perseueret, tota statim rubebit facies? ac Plethoræ speciem referet turgentibus venis? qualis ferè temulentorum est, aut benè potorum, pransorumque, quos Burrhos, vt arbitror, interdum etiam rubidos appellãt. Nihil igitur horum sit, oportet, vt Plethora ipsa sit, nec aut commotione nimia, aut ambientis aëris occursu, aut balnei, aut vaporariorum vsu, aut frictionibus, aut exercitationis vehementia, aut si quæ eiusmodi causæ reperiũtur aliæ, euocatus foras cum spiritibus sanguis Plethorę nos facie deceptos quadam teneat. Accersita hęc est Plethora, & temporaria quædam. Veram illam sua, quæ diximus, comitabuntur signa perpetuò, plùs minùs, semper tamen. pulsus in hac vehemens magnúsque, vitalis facultatis validæ signum.

Neque tamen duarum quoque reliquarum fortium signa desunt facultatum, donec nimiùm iam excrescens, & tensiuæ lassitudinis sensum inferat, præsertim in carnosam iam musculorũ partem recepta; & vitæ discrimen afferat venis, atque arterijs contenta: quas vsque adeò quandoque infarctas obturet, vt expletis ad plenũ, quum nec supersit vacuum, nec recipere extrinsecus, quod refocillando natiuo calori necessarium esse demonstratum est, vlteriùs valeant, illud relinquatur, vt suffocato repente calore animal illicò concidat, quod & contingit sæpe. Estque id alterum attoniti morbi genus, quod interceptis, qua ratione dictum ab Hippocrate fuit, venis arterijsque fit: non quale impedito animalium spirituum progressu, ex occupante cerebri ventriculos pituitosa materia multa, viscidáve, aut crassa, euenire solet. Nec hoc

hoc solùm discriminis, quod grauissimum tamen habendum est, distentionem venarum illam, atque arteriarum, ex Plenitudine sequitur: sed illud vel maximè, quòd vena sæpe præ repletione nimia, aut transmittere sanguinem per διαπήδησιν, aut reseratis violenter osculis per ἀναστόμωσιν effundere, aut ad minimā quamque occasionem disrupta etiam aliqua corporis in parte facere pessimum morbi genus ἐκχύμωσιν cogitur: aut, si id in pulmonibus thoraceve cōtingat, phthisim tandem, tabemq; inducere potest, (vt intereà sileatur hic sanguinis putredines nimietate ea genitę, quam regere natura nequeat) & infarctu nimio, atq; ex obstructione ortas synochas, febres ardentissimas illas. Quæ vitâsse nobis cuncta licebit infra Plenitudinis huius vitia facilè subsistētibus, aut inchoatam iam, progressamq; paulò, antequàm ad nocendum vsq; perueniat, resistentibus.

Plenitudinis ad vires ratio, notæq; etiam per partes. Et qui inde timendi morbi sint. Hippocratis dictum de his, de vtraq; intelligi Plenitudine debere.

CAPVT III.

Alterum est Plenitudinis genus, ad vires vocāt. In ea sanguis qualitatem quantitatemque naturæ terminos nusquam excedentes conseruat, prorsusq; eadem, quæ superioris, qualitas est. Quantitas, quæ ibi supra modum iustū excreuerat, hic egressa hunc ipsum nondum est. Solæ inde premuntur vires vtili quanuis sanguine, nec supra venarum capacitatē tamen, quicquid tandem causæ sit, quod vires degrauet. Potest enim sine dubio, quoniam ἐν τῷ πρός τι cūcta hæc sunt, quod vni alicui sanguinis oneri nulli fuerit, alteri cuipiam ponderosum reperiri, corporumque rectrices facultates onerare.

Quæ quoniā triplices sunt, sic quoq; rei huiusce, onerātisq; Plenitudinis, signa sua quamq; sequentur. Degrauatam animalem facultatem, corporis veluti pondere quodam onusti sensus, & ad se commouēdum pigrities. Eiusdem rei recurret aliquando vel in insomnijs imaginatio, vt quū dormiētes succumbere oneri, quod gestamus, nobis ipsis, nec promouere, aut artus attollere posse, videmur. Vitalem nihil æquè, quàm arteriarū à naturæ ordine desciscentes pulsus imbecilli, parui, inæquales manifestant. Naturalem, cùm alui excrementa ostēderint, si modico ingesto cibo superare eum ventriculus nequiuerit, idq; per excrementa deprehendamus cruditatis notas præ se ferentia: aut priùs etiam ante excrementorum egestionem obortus post non immodici cibi assumptionem grauitatis in ventriculo sensus quidam idem indicauerit. Hæc naturalem stomachi facultatem quanuis non exuperantia, quæ quidem capacitatem eius distendat, nec qualitatis vitio vllo infestum, grauatè tamen cibū accipere, nec conficere posse, hancq; illi supra vires existimandam Plenitudinem esse, indicio erunt, iocinoris, venarumque illa ab vrinis ducta. Eadem, si non nimio sumpto cibo, vnde nec nimius sanè gigni sanguis queat, sanguificatio nihilominùs nō procedat, visanturque ideo inconcoctionis in vrina signa, nō prauitatis, inquam, aut vitiositatis succi alicuius, hocq; tantummodo inconcoctionis, quoties nihil aliud, quàm victam sanguificantem facultatē notant, quæ perferre ad iustā elaborationem id ad se, modicū licèt, transmissum alimentum minimè valuerit.

Atque ita non quarū modò facultatum vires Plenitudine hac degrauētur, colligere ex his, sed quæ etiam corporis partes occupentur, dignoscere poterimus: quandoquidem facultatum vires triplicium corporis loca sortitæ fuēre diuersa vnaquæque, vnde veluti de fontibus quibusdam emanantes signa semper secum roboris, infirmitatisve suæ afferant, vnà & locorum semper suorum sedes aperiant. Enimuerò quanuis vtraque Plenitudo potissimùm quidem in venis primò, tum deinde in ambitu etiā corporis toto, musculosisq; partibus, accipienda sit: intelligi tamen non minùs priuatim in reliquis quoq; corporis vniuersi particulis omnib⁹ rectissimè queat, vel quas natura limitibus quibusdā circunscripsisse ab alijs videtur, vt μόρια vocari possent. Sic quidem & ventriculi, & capitis, & thoracis, & pulmonum, & oculorum fortasse quoque, ac similium, tum distendi vtilioris alimēti nimietate loca; tum degrauari etiam modica illius quantitate posse, non sine ratione prorsus aliqua, vt opinor, arbitrabimur, signaque visemus in omnib⁹ Plenitudinis vtriusq; nō obscura.

Nec sanè non etiam eadem hinc, quæ ex alijs in corpore, timēda mala fuerint, quando verissimè dictū ab Hippocrate aliquādo (Aphor. ij.) sit, ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων εἰσέλθῃ, τοῦτο νόσον ποιέει: pronuntiatumq; de vtraq; æquè id Plenitudine accipi cum ratione possit ac debeat. Quanuis enim repleta sæpe supra modum vasa distentaq; euincere alimētum ingestum possint, diciq; ideo non præter naturam debere alicui fortasse id videatur: periculosissima tamē, quæ inde tam sæpe manifestò imminent, ac relata à nobis antea fuēre, mala,

fateri vnumquemq; coget, hoc quoq; Plenitudinis genus censuisse præter naturam Hippocratem, præsertim quod vel ex professo, in operum suorũ præcipuo omnium ac potissimo, disertis inprimis verbis damnatum (Aphoris. j.) à se voluerit. ἐν τοῖσιν γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί, inquit. Quid aliud porrò sit, periculosas habendas esse bonas illas athletarum habitudines, quæ plenitudine ea constant, quæ plethora est; quàm morbos eã facere posse? id quod ibi τοῦτο νόσον ποιέει dixerat. Idq; adeò magis credemus, quum reputárimus nobiscum, quę vulgatos morbos faciunt, si præter naturam sunt, tanto quidem magis dici id de his debere, quæ repentinam sæpe improuisamque mortem inferunt.

Nam de Plenitudine ad vires, quam dicimus, dubium esse non potest, id de ea scriptum ab Hippocrate fuisse, & prętet naturam omnino ducendam esse, & morbos gignere. Gignit enim non vsq; adeò atroces, sæuosque, ac repentè interimẽtes illos quidem: sed quũ debilior ibi facultas quaqua de causa trãsmissum sibi arreptumq; conficere alimentum nequeat, quod tanquam oneri sibi esse sentit, nec perfungi munere suo poterit; & inconcoctio sequetur, crudiorumq; excrementorũ multitudo, morborum semper multorũ causa, certumque vitæ intertrimẽtum, debilitata inde magis semper magisq; partium illarum facultate, quam minui semper, quo maior excrementorum vis ingruit, necesse sit: vt sensim crescentibus his decrescãt necessariò vires, augeaturq; malum, iamq; nec concoquendo, nec expellẽdo futurum satis parti sit roboris; pereatq; ita paulatim naturæ, qui corpori ritè alendo debetur, vniuersus ordo. Ex quo morborũ soboles non sanè paucorum: putredinum primò, vnde multorum generum febres, regere gubernareq; nõ valente materiam innato calore, vincenteque extraneo: atq; ab excrementorum multitudine, visciditate, crassitie, obstructiones insignes, quæ malorũ sæpe affectuũ secum agmen trahant, victaq; tandem succumbat rectrix, gubernatrixq; corporeę totius molis virtus, minutatim dilabentibus de corpore viribus, & ingressis hostiliter atque occultè, quæ vitæ fundamenta omnis conuulsa radicitus extirpent. Quo magis annitendum Salutaris Medicinæ Artifici, circunspicienti diligenter cũcta, ne quid hac quoque in parte corporum valetudini incommodetur.

Cacochymiæ ratio totius, quæ qualitate sola constat, non quantitate, vt existimare visi sunt quidam. Tum huius quoque causa.

CAP. IIII.

Alia ab his succorũ prauitas, ac malitia est: Gręci κακοχυμίαν dixêre, iamq; & Latinorum multos eandem sequutos fuisse vocem videmus. Quæ nec plenitudo est, & qualitate tantũmodo præternaturali cẽsetur: quãuis nõ desint de nostris, qui impuram hanc plenitudinem nominẽt, ac supra vires, naturæq; grauem fecerint. Quod esse nõ potest. Molesta quidem infestaque est, atq; aduersans naturæ nostræ maximè, multorumque, ac magnorũ sæpe morborũ fomes: at quo degrauare naturam, virésve eius possit, pondus nullũ. Quippe cuius in eo spectari cõditio solo, vnicoq; debeat, si qualitatis tantummodo vnius alicuius vitio corporibus incõmodet, vel calore præternaturali, vel frigiditate, siccitate, humiditate, etiam extranea aliqua, ac peregrina prorsus, temperamentoq; humano inimica qualitate, crassitie prętereà, tenuitate nimia, si natura esse eiusmodi nõ debuerit, glutinositate, acrimonia, & similibus officiens. Hanc Cacochymiã appellamus, humorumq; prauitatem. Cui si addita prætereà quãtitas quoq; fuerit, vt non solùm talis, verùm etiã tanta euadat: vtiq; plus in ea ad nocendũ virium, duntaxat ex qualitate, quæ, sicuti in alijs nõ minùs experimur, in quantitate maiori efficacior semper. Ac degrauare quidẽ quoque poterit aliquatenus: verùm nullũ inde corporibus nocumẽtum accedit, vt quidẽ ex plenitudine ad vires accedit, vtpote quã grauiter admodum vires ferant solę supra, quàm tolerare eam valeant, quantitate noxiam. Non dissimiliter, ac si impositũ nudis humeris spinarum fasciculum ferens quis pungi se inde sentiat, alioq; ac tertio imposito puncturis se infestari magis, manifestò satis percipiat quidem ille: at non sanè magnopere curaturus põdus sit, quod vę prematur quidẽ onustus; multoq; min⁹, quòd virium imbecillitate succũbat, conquesturus: ac si abijcere fasciculos festinet, infesta aculeatorũ sentium molestia irritatus sanè abijciet, minimè ponderis grauitatem conquestus deponet, quam si aliquam tamen persentiscat, facilè laturus illã ad extremũ vsq; fuerit, quã grauitas; nisi quã spinosa, pungensque, obstitisset. Non sunt igitur confundendæ inter se rerum notiones, ac naturæ, quo per se singula spectentur seorsum noscenda. Quin, quæ natura persæpe miscet, nos ea intelligentię nostrę vi seiungere, inq; naturæ tantũ suæ conditionibus posita perspicere, ac contemplari debemus. sic nanq; coniuncta quoq; alijs cõsociataq; internoscentur melius. Cacochymiam dicimus,

cimus, ſucci prauitatem, vitium, malitiam, qualitatis ſemper nominibus his malæ improbæq́; notatam; iamq́; extra naturalis tēperamenti ſui, ſiue etiā ſubſtātiæ, aut conſtitutionis, limites in deterius prolapſæ. Sic Cacochymia nobis erit, quum aggeſtus in corpore humor aliquis immodice ſordidū id impurumq́; ex parte ſua reddiderit, quacunq; corporis in parte id contingat; ſiue etiam in venis proportio humorum illa, quā in Plenitudine vtraq; ſeruari diximus, hîc nō ſeruetur, & aut pituita, aut bilis flaua, nigráve, pro rata, tributaq́; ſibi à natura portione, manifeſto notari exceſſu poſſit. Nam vbi purior ſanguinis meri ſynceriq́; ſuccus ille exuperet, ibi tū Plethoræ potiùs naturā ſubeſſe exiſtimabimus meritò. non enim qualitatis is vitio ſuæ, quam temperatam & mediocrē, in mediocri itidem temperamento, retinet, offecerit vnquā, id ſcilicet vnum exuperans ſolùm, nihil aliud: quantitate quidē poterit, venarum tunicas extendēte, quod Plethoræ eſt: qualitate ſua nō poterit, niſi ſanguis iam eſſe deſinat, & aut in bilem degeneret ex parte ſui tenuiore flauam, aut in atrā ex craſſiore, alterius naturæ iam factus. quo tēpore putrefactus diuerſas ſimul, minimè verò ſui generis, febres edit. At humores reliqui poterunt, in qualitatis ſuæ natura atq; ordine perſtantes, accumulati tātummodo atq; aucti, nocentiores inde qualitate tamen ſua fieri. Ex quo planè qualitatis quoq; vitioſæ vnius nomen retinet, Cacochymia dicta: quantitatis autem nullius. Nec minùs dici Cacochymia hæc merebitur, quo maior, magis: quādo plus quoq; in ea vitij, ac malignitatis, quo in maiore reperta quātitate fuerit, præſertim ex qua corruptio deinde inſuper humoribus aduenit, ac putrefactio quædam, ſubſtātiæq́; propriæ ac temperamēti ſui immutata in deteriorem qualitatē deperditio: quum bilis, atra, aut flaua, bilis corruptæ, exuta temperaturæ ſuæ natura, alienam, ac peiorē induunt. ſanè venire in hāc & purior ſanguis ille, quem ſucci tantùm ſui humore intelligimus, corruptus aliquando, putreſcensq́; poteſt. Et pituita ita, præter naturam ſuam aut acidior, aut ſalſior, aut quoquo modo corruptior, aut putrefactione aliqua infecta, aut etiam natura ſua tenacior, crudiorq́;, qualis vitrea, ipſa quoq; frigiditate præternaturali notata, meritiſſimò cacochymus ſuccus habebitur. Bilis pari modo craſſior, coloratiórque, cuiuſmodi vitellinam quā dicūt; & melancholia, quæ μέλαινα χολὴ ſit, fermenti more ſufferueſcentis exæſtuans tota iam; deniq; quicquid contentis corpore humoribus, quod illos de naturali ſuo ſtatu deijciat, qualitatis vitio aliquo obuenire poteſt, aut intēperiei, aut duritię, mollitię ve, craſſitiæ, tenuitatisve, viſciditatis, dilutioriſve cōſiſtentiæ, aut corruptionis, aut putredinis: totum Cacochymiæ id genere, quod diximus, iſto comprehendetur.

Succorū prauorū cauſa multo maxima in Excrementorū ratione poſita, cuius contēptu, ſi paulò negligentiùs tractentur, nec modus ineatur, quo modo ſecreta de corpore eijciantur, quū opus eſt, aut quantum eorū futurū ſatis ſit, retineatur: & profluuio ſæpe nimio negotium exhibebunt, & plùs iuſto retenta dubio procul peſſimis ſemper humoribus replebūt corpus, quod ingenti Cacochymiæ vi collecta ita ſordeſcet totum, multiſq́; ac malis ęgritudinibus obnoxium ſtatim fiet. In eo quid Salutaris huius Artis faciendum præſidi eſſet, traditum ſuprà ſatis. Dictum ſcriptumq́; non abundè minùs opinor antea de eo quoque fuiſſe, in quo plurimum ſemper, niſi rectè diligenterq́; inprimis tractetur, vitioſitatis ſuccorum cauſę repoſitum eſt. Quod cibatus totius, potuſq́; vnà generibus omnibus contineretur, reliquiq́; victus omnis rationibus vniuerſis, aëris, exercitationum, ſomni, affectionum animi, & ſimlium. Quorum planè omniū tam rectè atq; exactè obſeruata ſedulò ratio tutos à vitioſorū ſuccorum collectione, quàm incuſtodita, negligentiuſq́; habita obnoxios reddere queat. Ea porrò in aperto ſunt legere atq; obſeruata exequi volētibus. Hoc loco, in tractationis parte quæ Repletionē atq; Inanitionē reſpicit, quacunq; de cauſa collectæ ſuccorū malitiæ, colligenda nobis diligenter ſigna erunt: vt, ſicuti cauſas prius tradidimus, quæ ſi vitarentur, obſiſti facilè poſſet, quo minùs accumulati obeſſent; ita coaceruatis iam ratio quoq; à nobis doceatur, qua, priuſquàm morbi inde exoriātur, occurri in tempore poſſit. Quod nō niſi notis antea ſigniſq́; ſuis cognita humorū diuerſitate, quorū vnuſquiſque peculiarem quandam rationem expoſcat, aſſequi commodè poterimus.

Collectæ ſuccorum prauitatis coniecturæ, & ſigna. Et cuiuſmodi collecta Bilioſæ, Atrabilariæ, Pituitoſæ. Quomodo has cauſæ, quæ faciunt, eadem etiam indicent.

CAPVT V.

Atque idem, quod, quū Plenitudinis vtriuſq; notæ traderentur, dictum fuit, dicendum hîc quoq; eſt: Ex cauſarum, quæ prægreſſæ ſunt, vel etiā non prægreſſæ, trahi præſentis abſentisve humoris alicuius coniecturam, ϛοχασμὸν nimirum; ſigna aūt, notaſq́; certiores, ex alijs duci. In vniuerſum ſucci praui frequētatus cibus, quem præſertim cruditates,

ditates, corruptelæq; multæ excipiat, coniecturæ nobis non parum faciet succorum prauitatis. Augebitur suspicio ea in eo, q naturę ac cōditionis illius fuerit, vt sponte sua, ac propte succos coaceruare in corpore malos solitus sit: vt sunt, q scabie sæpe, qui lepra, qui vitiliginib⁹, qui pustulis per corpus quibusdam, aut erysipelate, aut huiusmodi alijs, laborent. Tertio ab his loco considerandum, num (de quo satis superq; tractatum superiùs fuit) Excrementorum naturaliū aliqua, alui, vesicæ've vtriusque, aut lienis, aut vniuersæ corporeę molis, retenta idem arguant. Postremò, si qua vsus antea aliquis ex medicamento aliquo purgatione, aut aluū deijciente, aut vomitum ciente, aut lotiū, sudorémve eliciente, facere postmodum id destiterit. Cuncta hæc quidem, atq; etiā singula per se interdum, suspicioné gignere collecti omnino vitiosi succi alicuius in corpore debebunt, pro causarū faciētium magnitudine, ac numero, exiguam leuemque, aut multā magnamque. Nam & causarum vnaquæq; istarū seorsum ac per se perseuerās diutiùs, multaq; semper ac magna, indicio esse poterit maximo rei huiusce; magisque etiamnum magisque, conuenientibus pluribus ijsdé, ac magnis causis. Rursus exigua vna aliqua ex his, citoque discedens, aut plures quoq; simul, sed tenues, minimamque tēporis moram trahentes, non sanè firmioris coniecturæ in rebus his multum præbuerint.

Neq; hoc solum tamen ex his, collectam vniuersè prauorum humorū copiam esse, verùm cuiusmodi hi, quémve demum locum occupent, conijcere nobis non ita difficile fuerit. Etenim bilem'ne, an pituitam, an melancholicum potiùs humoré quæ generent; eumq; tenuem an crassum, lentum an acré, atq; huiusmodi omnia: traditum cùm ab alijs multis, tum à nobis quoq; retrò explicatum satis est: vt, quo quisq; cibo vsus fuerit quum sciuerimus, eadé statim ratione, quis, cuiusmodive, quoq; genitus in corpore humor expectari debeat, non ignoraturi simus. Quin eodé sæpe in genere diuersitatis inerit multum, ad huius, illiúsve modi Cacochymiam procreandam: vt ex musteo, exempli causa, vino crudum pituitosumque, & quidé flatulentū & crassum; ex vetere ac meraco biliosum ac tenuē gigni succū, conijciendū nobis sit: multisq; aliméti generibus alijs idé, quæ minimè attineat hoc loco frustra repetere. Tum verò in alia quoq; victus ratione omni non diuersum quid animaduertetur. Aliud nāq; cœlum, circumambiensq; nos aër, humores alios genuerit: Austrinus vel nebulosus, crassos frigidosque, pituitæq; semper multū: siccior æstuansque, bilis calidiorumque humorū copiā. Itaq; ex horū varia natura, varios diuersosq; dominantes in corpore humores diuinabimus. Quemadmodū planè duci ab exercitatione vehementiore, illorum ipsorū tenuitatis, calorisque; à moderata, mediocritatis; ab otio ac segnitie, crassitiei ac frigiditatis, argumenta ęquissimum fuerit. Idé somnus multus indicârit, frigidos inquam, & crassos, atq; in totū pituitosos succos: vigilia cōtrarios, népe calidos, biliososq;, ac tenues. cuiusmodi inter animi affectus & ira facit, æquè quidem ac metus timorq; lōgioris temporis aliquis pituitosos, naturæq; omnino frigidioris, alijq; alios. vnde nō incerta prorsus trahatur altiùs in corporibus residentiū diuersorū humorum, qui Cacochymiā faciant, coniectura. Nec sanè percurrisse multa necessum est, cùm antea singillatim descriptis omnib⁹, tū verò, quæ traducere sibi quisq; ad rem præsentem, quoties futurū id opus sit, facilè possit: nos de hoc exemplis his erimus cōtenti. Pariter, quod altero loco cōsiderandū esse diximus, de facilè naturaq; quadā sua vitiosi semper succi aliquid cumulantibus, si herpes, si erysipelas erūpere cōsueuerint alicui, biliosi humoris genera coniectabimus: si quod elephantiasim referat aliqd, bilis atræ, melancholicí've humoris, in eo sese aperient signa. Minimè verò existimandū, institutū nobis de his sermoné nūc esse, qui morbis his iam affecti laborent: qui lōgè extra partis huius Medicinæ, quam nunc tractamus, nostrę positi maiorem quandā curam postulant. Sed si lateāt cuncta, ducendæ verò cōiecturæ atq; indicia aliqua humorum fuerint: id nunc dicimus, petenda hinc quoq; ea esse, quo quis morbo antea affici solitus sit, etiā si impræsentiarū non laboret, vt humoris nihilomin⁹ delitescētis detegi inde naturā posse, ex morbi natura credamus. Ad hūc modū, pręter iam dicta, si Tertianā quis incurrere febrem solitus, quid tūc, quum de eo quærimus, Cacochymiæ contineat, quum ambigemus; biliosæ eā habendā esse materiæ, non ineptè augurabimur: sicuti melācholici humoris, in eo, quem nuper Quartana fortè reliquerit. Si qué pruritus infestârit, sordidæ cuiusdam esse Cacochymiæ materiam dicemus, ex cruditatibus contractæ, vltimiq; alimenti excremento, exustæ iam ac terrestris propè cōditionis melācholicæ: si scabies, aut lepra; nō diuersi quidé generis, substantia tamé crassiore multo, ac pluri: si pustulæ quædā, aut epinyctides, achorésve; nitrosę, salsęque, ac marcidę cuiusdā pituitę fuerint: si ophiasis, aut alopecia; Cacochymiæ soboles hæc, quę humores omes ambiat, coloribus distinguatur. ater enim melācholiam denotabit, pallens albicansq; pituitā, flauus croceusq; bilem: ac tale subesse tunc etiā Cacochymiæ genus iudicandum.

dum. Sicuti sanè ex vlcerosæ lassitudinis sensu, certũ vitiosorũ succorũ acriũ mordétiumq́; , in sensu prȩditis ambitus totius corporei partibus indicium capimus, quos tenues biliososq́; magna ex parte esse oporteat. Eodem modo biliosæ, vitiosæq́; materiȩ restare in eo conijciemus multum, qui assuetus statis quibusdã temporibus naturæ ope, aut ex vomitu, aut ex aluo cita biliosis deiectionibus repurgari, naturæ beneficio eo aliquandiu caruerit; vt pituitosæ, quum pituitosis; melancholicȩ, quum melancholicis. Quod quidem non minùs indicabunt cessantes, quibus antea melãcholici humoris educi de corpore plurimũ solitum esset, hæmorrhoides. Pariq́; ratione mulierum mẽses, quos aut pituita albidos, aut flaua bilis ex luteo pallescentes, aut atra nigricantes reddere solebat, diu suppressi, eodem Cacochymiæ genere infectum sordescere corpus, argumento fuerint. Similima ratio illorum, quibus non sponte naturæ id contingit, sed studio proprio efficiunt: & alijs subtrahendæ humorũ malitiȩ aluũ cientibus medicamentis consuetudo, alijs vomitione, alijs medicatorum balneorum vsu, alijs aliter. Qua intermissa, haud dubia cõiectura accumulatȩ eiusdem modi, quæ expelli priùs assueuerat, Cacochymiæ fuerit. non enim repetere eadem toties iam ad fastidiũ vsq; necesse habemus. Mox cuncta hæc certiores quȩdam notȩ sequentur aliũde adductæ. Neq; enim fidei parum faciet, malitiam bilis subesse multam, citrinus faciei pallor ac macilẽtia, vniuersusq́; corporis habitus gracilis, venæ amplæ, sanguineq́; multo distentæ, in icteri colorem versæ ipsæ, ætate p̃sertim iuuenili. Magisq́; adhuc, si ab initio tẽperamentũ eiusmodi fuerit, aut vescendi consuetudine idem factum frequẽtiore eorũ cibatu, quæ simul & introducere biliosum temperamentum, & eiusdem generis Cacochymiæ non parum coaceruare queant: accedentibus eodẽ ȩstate, cœli ve cõstitutione, aut regione, quæq́; alia consideranda venient humores rectè educere conãti, vt ritè id atq; ex vsu omnino fiat. Exq́ue solo sæpe colore, nisi altè ad profundũ reciprocãtes cesserint humores, (quod ferè affectu animi aliquo, timore vtputa, aut vehementi tristitia, aut incipiente verecundia, aut frigore, aut rigore fit) certitudo nobis dominatis humoris ac Cacochymiȩ oboritur: neq; verò foras in extimam corporis superficiem acti ferantur humores, vt in vehementer iratis, verecundiáve iam affectis, aut immodico ambientis calore euenit. Fallax nanq; ex colore signũ tũc: absq; hoc, si nulla humorũ neq; intrò, neq; foras reciprocatio, firma atq; indubitata ꝓrsus ex coloris diuersitate de humorum varietate nota. humores quippe color indicat, minimè licèt solidas corporis ipsius partes. Nec minùs innotescẽt humores ex his, quæ apparere persæpe solita sunt in cute, exanthematis, pustulis ve quibusdam, bilem hanc, illúmve, aut pituitam etiam referentibus. Idemq́; ex sudoribus nõ minùs sæpe discernetur, quorum diuerso colore, adeoq́; sapore, quum fortè lapsus in affecti os de fronte sudor saporis specimen exhibuerit, diuersitas cognosci humorũ possit: in deterso autem ex strigili omnibus esse in aperto poterit aut bilis, aut humoris alterius color. Nõ secus ac in vrinis, quas serosus humoris cuiusq́; ichor, ꝓ natiuo colore suo tingit flauo, atro, albo, rubro; bilem, melancholiam, pituitam, sanguinẽ significantibus. Ex serosa aũt humiditate sudor quoque intereà, & sensus suborietur nõ minimo futurus indicio calidiorũ calidissimus sæpe, vt frigidiorũ frigidissimus. Atq; hæc habitudinis deinde statu maximè cõfirmãtur, & animi qualitatibus, hunc aut illum corporis habitũ ac conditionem libentiùs semper inhabitantis. ne plura alia adferantur, quæ causarũ potiùs in hoc locum obtinent, & indicio tamen esse possunt: vt ætas, vt anni tempus, hisq́; ipsis congenera alia, ex quibus humores procreantur, atq; hactenus humorum iam denuntiare præsentiam tanquam certissimæ illorũ causæ, possunt: at corporis color, habitusq́; , animiq́; diuersitas, horum effectus humorum ipsorum sunt, eoq́ue signi naturam iustissimam retinent, hac quidem in parte.

Quapropter vt in vnum conferantur omnia, certiores fieri de Cacochymiæ genere, cuius fortè *Bilis materia sit, satis poterimus*: si faciei nobis cutisq́; luteus (modò non, vt antea diximus, in reciprocatione humorũ aliqua id cõtingat) apparebit color, si pustulæ, aut exanthemata eiusdẽ cõditionis fuerint, gracile spectetur corpus, pronus propensusq́; in iracũdiam animus sit. Cuius autẽ Melãcholia, si cum nigrore corporisq́; fuscedine, mœrentiq́; ac squalido aspectu, gracilitas itidẽ fuerit, aliquaq́; in cute efflorescant, quæ humoris idem denuntient; tristis cogitabundusq́ue, ac multorũ semper consuetudinem auersans animus, auersusq́ue à lætis, & in mœsta omnia inclinans, solitarius, taciturnus, mira atq; inania sibi ipsi fingens semper. Ac si sæuius illud atq; atrocius melancholiæ genus fuerit, quæ μέλαινα χολὴ est, exustionis maioris, præsertim quã flaua bilis fecerit, mixta spectabuntur feritatis cuiusdam non obscuræ signa. ferocit quippe animus tũc sæpe, atq; in furias agitur, vt minari maniacos affectus possit. Sed hoc vltra institutum iam nostrum. nondum enim eò progressæ me-

 lancho-

lancholiæ, quæ morbos faciant, nunc signa colligimus nos: sed quæ factura tamen sit, sumptis paulò maioribus viribus. Igitur eodē pacto ex Pituitosa materia, cui succi vitium insideat, albicabit, turgescetq; corpus, interdū & liuescet ex crudiore, plumbeumq; colorem induet, quos propterea μολυβδοχρῶτας dixêre veteres Græciæ Medici. Interdū respersa videri poterit cutis, factis haud dubiè ab humore eodē maculis, pustulisve. Animi in his segnities insignis, in agendo torpor, & ad aggrediendum res pigritia, cessatio, procrastinatio, mēs hebetior, sensusq; vnà omnes, atq; ad agēdum in omnibus dormitatio, cūctatio vbiq; maxima. Et hæc ferè sunt collectitiæ in corpore Cacochymiæ generis omnis, ex proposito quidē nostro, signa. Nō enim factorum iam ex ea morborū notas atq; indicia hîc colligimus, quæ colligi ex pluribus ad hæc alijs solent: sed futurorū inquirimus, ex vitiosorū succorū notis, obsidentiū quidem corpora iam, necdū tamen morbi quicquā qui fecerint; deprehensisq; his iam in corpore ex notarū hac ita collectione humoribus, si prætereà causas præcessisse alias idipsum faciētes animaduerterimus, quas sæpe memorauimus; ętatē, temperamentum, viuēdi morē, studiaq;, ac cætera huc facientia, anniq; insuper tempus, regionem, aëris constitutionem, & huiusmodi, laborē ad hæc in exercendo ipsum, temporisq; in eo longitudinē. Quę quo productior, eo plus exusti semper, crassiq; ac melācholici gigni humoris verisimile est: quo breuior, dilutioris cuiusdam, minusq; crassi, ac serosi magis, præsertim si citra sudorē constiterit exercitatio. Qui si māserit, serosi excrementi pars quum sit quędam, difluent certè humores magis. vt multus quū fuerit, quo copiosior, eo crassiores intus exuccosq; magis succos corporisque humores ipsos relinquet: vt sciri humoris non modò qualitas, sed etiā constitutio ita, & substātia possit. Iam tū igitur ex his, veluti ex causarum cōcursu plurimarū, perficere efficacium suos quarumq; humores, certitudinis sanè maioris cuiusdam vim deducemus in sententiam de rebus his nostram, atque adeò confirmari in ea poterimus, quo tutiùs nobis in his agere licitum sit.

Cacochymiæ diuersa loca occupantis notæ per ambitū corporis dispersæ, Venis contentæ, Ventriculo, Capite; Biliosæ, Melancholicæ, Pituitosæ, Serosæ, Flatulentæ.

CAP. VI.



Aeterùm ne id quidē ignorandū, quod ad exigendos de corpore humores maximè faciat, quā quisq; vitiosus succus corporis partem occupauerit. Idq; scitu non vsq; eò difficile tamē habebitur. Editum fuit cognitionis huius ceu specimen priùs. Vlcerosam lassitudinem illam diximus acrium excremētorum Cacochymiæ indubitatā esse notam, ambitū corporis, qua sensibiles partes sunt, occupātium. Pariter biliosus inibi humor, caloris; pituitosus, frigiditatis sensum inuehet. Ijdem si venis tantūmodo contineantur, nondū exierint eas in corporis molem; nullum de se signū sensumque, præterquàm ex lotio, exhibebunt, duntaxat cōtenti illis. Etenim mitigatur acrimonia illorū sanguine humorum benignissimo impermixtorum, & dilutior facta corrigitur, trāsfluxuq; dilabens molesta non est, tracta à renibus, dum meitur: deinde mordax sentitur, & flauescit inde vrina, flammeoq; interdū colore quodā cōspicitur, vtpote accepto ab acribus, biliosisq; humoribus colore. Ijdem hi sitim, æstumq; in vētriculo faciēt, in capite vigilias, hæcq; habebūt sui inibi indicia.

Non fuerint nobis, vt arbitror, referēda hîc Melancholiæ sæuioris, efferæq; illius, quas ea corporis partes obsideat, signa. Quamcunq; enim teneat, morbi aliquid fecerit statim, vnaq; ab instituti nostri proposito defecerit. At Melācholici humoris, nimirum sanguineæ fæcis, vitiosi quidem, at nondū morbo genito vllo, præter vigilandi consuetudinē, quæ cōmunis illi cum Bilioso humore nota est, ex somno quanuis pauco, signa tamē colligas cerebri sedibus contenti, vbi turbulēta terrorisq; plena, ac nigricantium plerunq; rerum, insomnia fuerint: sicuti sanè biliosi, vbi incendia, ignisque, & flammæ specie occursent aliqua. Quæ tametsi ex toto nō minùs corpore exhalatis sursum, caputq; ac cerebrū impetentibus, contingere solent vaporibus: potissimùm tamē infecto, anima, succis domicilio suo prauis, pro illorū diuersitate, ac malitia, sic diuersas vitiosasque ex insomnijs imaginationum species facilè concipit: & absumptis reliquo in corpore sæpe humoribus, cessanteq; ideo exhalatione, manent nihilominùs, qui hoc ipsum effectum reddant, intra cerebri sedes mali, vitiatiq; succi. Venosum genus insedisse ex eodem humore atro Cacochymiam, ab vrinę inspectione coarguetur, albę tenuisque visæ: talis enim in melancholicis apparet: nisi quum exonerante se fortè humore eo, natura, liuido quodam, nigróve colore notetur, crassescatq; insuper. Multum deferri à liene ad ventriculum melancholici succi, indicio erit vehementior appetētia, interdum quæ ad caninam illam accedat; tum deinde etiam corruptior quandoque, nēpe degenerante iam humore tractu temporis in extraneam prorsusq; alienam, atq;

etiam indicibilē aliquando qualitatē, quæ appetendi secum vim eodem facilè trahat.

Eadem præstare solet Pituita iisdē ventriculi, in quo accumulari maximè solita sit, locis contenta: diuersa tamen, pro naturæ suæ diuersitate. Et acidior quidem illa prouocare appetitum possit qualitate sua: paulò magis salsa, aut aliâs corrupta etiam destruet, aut vim inferet ventriculo corruptè ipsi quoque appetendi. Sic quidem salsilaginosa Pituita, tam quæ ob acceptæ putredinis aliquid, quàm quæ ob bilis admistionem, siue inediam etiam quandoque, (propter cuncta hæc enim fit) salsedinem induit; capiendi cibum appetitū imminuet, aut corrumpet: altera ex putredine, quæ semper id faciat; altera ex biliosi humoris portione, non minùs semper appetentiæ aduersantis. Quod quum eueniet, vt ab iisdem propè notis, quod quidem pertinere huc videtur, melancholiam, pituitámve ventriculo inesse accipere possimus: adhibenda distinctio ex aliis. Quæ quidem non pauca erunt, quæque sæpiùs antea relata sunt: temperamentum, ætas, victus præteriti vel præsentis etiam ratio, anni tempora, constitutiones, cognataque his alia; color prætereà, habitusque corporis, & animi, in quibus assequi id nobis licuerit, mores. Quanquam quod ad corruptè appetendi affectionem attinet, alia omnino futura esse videatur ex pituita, quàm ex melancholia, ob humoris vtriusque diuersitatem, appetentiæ corruptela: deterior quippe & morosior multo ex melancholia, ex pituita minùs.

Auctę intra venas Pituitæ signa ducemus ab vrina albicāte: sed in crassicula substantiæ consistentia, ac turbidata sæpe, atq; in crudioris illius inconcoctique humoris pręsentia, qui & ipse pituitosus humor est, sedimēti plurimum crassioris, albidiq; inerit. Inque huius concoctione demum vrinæ etiā superficies pinguioris oleosiq; liquamēti coacti natatione inducta cōspicietur: quod liquamen tamen minimè est, ac concoctum tantummodo iri properantis humoris leuior, ac tenuior superiora lotii petēs pars. γραῦν dixêre anum quippe, magna ad fallendum similitudine, vt subesse in corpore pinguedinis alicuius colliquationem suspicaremur, nisi sedimento distinguerentur, quali diximus. quod rursus puris specie simillima spectatur sæpe, vsque adeò, vt veterum nōnullis hoc nomine dictum fuerit pus; rursusque odore ac consistētia distinguendū à pure, in quo fœtoris semper aliquid, & cōsistentiæ siue cōstitutiōis crassities, ac tenacitas nōnulla.

Caput ac cerebri sedes inuasisse Pituitā certi erimus vel ex vna sæpe somnolentia, qua propensi ad capiēdum semper somnū simus: quumque ceperimus profundè immersi, diu pòst excitamur, etiā tum somniculosi sæpe.

Eodem huc spectabūt, quoniā pituitæ is quoq; genere cōtinetur, Serosi humoris cōsiderationes, quibus ille notis redūdare significetur, quæve insedisse loca existimari debeat. Habitus in hoc corporis, qualis ex pituita, si habitū obsederit: turgidiusculus tamē, & qui digiti impressionē faciliùs accipiat, cauūq; mox vestigiū remittat. Venis contentū lotii multitudo sequetur, quod fieri in senili ætate videmus, vbi plurimum excrementū hoc: nisi si tamē secernēdi, eliciendique huius renibus attributa facultas laboret. Sed iā tū in foribus quāprimùm aqua intercus, & qua venter inferior repleatur, & qua habitudo corporis suffundatur tota. Nos nō ista versamus nunc, & redundantiæ humorum notas atque indicia perquirimus cacochymorum, in corporibus, paratis quidem iam ac procliuibus in morbos, at prolapsis nondum. Quocirca alia de humore hoc omittemus, quæ eorum, qui iam morbos ipsos incurrerunt, sunt.

Illud nanq;, quod in quibusdā, sanitatis adhuc campo cōtinentibus se, euenire animaduertim⁹, vt intra abdomē, vmbilicūq; inter ferè ac stomachum, fluctuātis nescio cuius sonitus exaudiatur sæpe: esse id paulò magis aquosæ, ac tenuis in vacuo iactatæ pituitæ signū, arbitrandū esse censerē potiùs, quàm serositatis alicuius. Quæ si eò redūdaret serositas: haud ambigendū, indubitateq; tenendū, initia ea fore, vel esse potiùs iā, ascitis hydropis. Atqui non paucos eiusmodi nouimus, quibus diutissimè id symptomatis, validis perpetuò alioqui, & integra, absq; hoc vno, valetudine gestare cōtigerit. Nō enim, quemadmodū in vtraq; bile vsu venit, flaua, nigraq;, vt in vētriculo, atq; intestinis, circūfusisq; locis ibidē aliis, quò suapte nō min⁹ natura ferâtur, exuperare citra morbosi affectus vllius suspicionē possint: idē de Seroso etiā excremēto credēdū. Quod quidē si eas partes petat, aut transmissū, aut repulsū, aut redūdans: oīa pter naturā statim fiēt, vniuersæq; dispēsationis illius tot⁹ inuersus immutabitur ꝑtinus ordo, præsentib⁹ iā & in foribus ipsis intercutaneis affectionibus sæpissimè: interdū quoq;, (quod notâsse semel memini) obstructis, per quos paratus à natura exitus lotio, vrinariis meatibus, ac canalibus omnib⁹, excremēti per os ipsum, in paucis pòst diebus mortuo, Serosi huius reiectatio. Proinde nec quærenda nostro quidē in negotio hoc vlteriùs, partes vllas, q̄ quas diximus, alias occupantis superfluitatis huiusce argumenta. Nā quę huius quidē gene-

ris est,& pro vehiculo diducendo per corporis particulas omnes alimento cedit, ea & exigua est, & tenuis, quum naturaliter se habet, sensumq; nostrum effugit exhalata: aut paulò pluscula, agitatiorq; facta, ex sudoribus dignoscetur: nimiò autem plùs redundans iam, ex cutis quoque colore,& corporis ambitu signa dabit, qui digitorum summorũ compressu cedens facilè cauitatis aliquid accipiat, manente primò, nec multo pòst recedente vestigio, itidem, vt in serositate ex venis paulò copiosiùs emissa narratum est antea.

Ex pituita etiam Flatuositatis multum maximè, atq, præcipuè: deinde ex melancholia, hæc enim flatuosa quoque. At operatus in pituitosa materia, frigida nempe & humida, paululùm calor flatulẽtiæ multo semper plus genuerit, quàm frigida & sicca, cuiusmodi melãcholia habetur: quòd plus ibi, quàm hic, materiæ ad generandos flatus, atque eius quidem aptæ natæ magis ad id. Porrò autem quacunq; corporis in parte genita flatulenta ea materia fuerit, aut alioqui coiuerit, prodet se: vt quæ delitescere haud sanè diu potis sit, propter mobilitatem, qua exagitata, exitúmque sibi quęrens, in partes omnes vagatur: & quòd præternaturalis ex toto (neque enim humiditas ea est vlla, qua corporis status subsistere soleat; neque spiritus, cuiusmodi spiritus dicimus animæ instrumenta nostræ, animatos ipsos ex parte) vndequaque propellitur à natura, veluti operibus maximè eius infensa. Detegit ergo se vel partium extensione inflatarum, in quibus est, sequuto interdum dolorifico aliquo sensu in transcursu; vel obambulante loca ea murmure, vel erumpente foras flatu, vt ex stomacho ructibus, ventris crepitu ex intestinis. Sæpenumero palpitans cutis flatulenti aliquid inesse ibi, aut in subiectis cuti musculis, ostenderit, vbicunque tandem factum id fuerit. Quod faciliùs nihilominùs ac crebriùs in oculorum palpebris, aut genis, aut labijs, aut vbi laxior denique cutis est, accidere consueuit. Sintque hæc Cacochymię, malitiæq; succorum omnis, quorundamque insuper, quæ ferè comitari ista solent, signa, atque indicia hæc: vtique quibus futurorum tantummodo malorum admoneamur, nullos dum autem factos iam morbos nobis significent.

Morborum omnium causam inueniri posse Cacochymiam esse, etiam referentis venenum prorsus materiæ: maiorem tamen, minoremq; hanc futuram, pro suscipientis illam humoris diuersitate. Ex Pituita noxæ plurimum, commoditatis autem minimum, & perquàm rarò, idemq; de alijs.

CAPVT VII.



QVi, quot, qualésve futuri sint, quàm varij generis, pessimorumq; sæpe ac periculosissimorum affectuum, nisi prouisum in tempore fuerit: notum satis esse vnicuiq; debet, paulò diligentiùs secum consideranti succorum tantùm ipsam prauitatis ac malitiæ naturam. Hoc quidẽ, quod nomen ipsum sonat, vel solum mali semper inde prauique expectandum assiduè aliquid esse auguratur, Cacochymia. Ratamq; profectò fidem atque expectationem habebit augurium, nisi obsistatur imminentibus iã causis, morborum genus propè omne facturis, imò omne verissimè. Nam & calidos, & frigidos, & humidos, & siccos, compositosque ex his, gignere facilè possunt, ipsi qualitatibus his præditi vitiati ita succi. Nec aliunde partium intemperaturæ, quas quidem cum humoribus esse dicimus, quàm ex his. Et soluere continuitatem possunt acres, & actiones lædẽtem magnitudinẽ facere multi in partem aliquã missi, collectique. Ac factis tumoribus præter naturam, & partium numerum minuent, corrupta illarum aliqua, vt ex Gangræna, vt ex Sphacelo, aliáve quauis putrefactione, præbente semper corruptioni causam Cacochymia; & partibus addent præter naturam aliquid, vt in oculorum suffusionibus, vnguibus; & conformationem vitiabũt factis obstructionibus, inuecta asperitate, aut lenitate præternaturali, deformatáque, vt in elephãtiacis & phthisicis, figura. vnde? nisi ex succorum primò malitia? & luxabũtur hac de causa artus, quando maximus totius corporis articulus coxendix, decumbẽtibus eò vitiosis humoribus, exilire interdum de loco suo, amisso naturali situ, cogitur. Atqui hęc sunt morborum genera cuncta: nec plura his inuenies. Iam febres, quas ex re κακοήθεις vocãt, malignas scilicet, & intemperaturarum generibus continentur; quis, quæso, faciliùs produxerit, quàm malignus itidem, hoc est, egregiè vitiatus humor? quis pestilentes illas alius?

Et quod quęsisse aliquando veteres Medicos legimus, Num certa quædam haberi possent potionatorum signa; ideo quòd nullo interdum sumpto prorsus veneno, sumpti tamen apparerent in corpore signa, eousque progressa tunc succorũ malitia, vt veneni penitus cuiusdam vim, ac naturam induat; sequanturque hoc prorsus, quę epoti veneni eædem notæ: id non aliunde ortum, quàm ex humorum Cacochymia habet. Nec alijs meliùs certiusque

usq; sciri, cognosciq; indicijs solet, Venenum'ne sit, an veneni in totũ similitudinẽ gerens, effectusq; eosdem reddens succus: quàm si mali prauiq; succi sese aliquis cibarijs ingurgitauerit, diuq; in his perseuerauerit. certa enim tunc, vt in his, coniectura, non aliã inuestigandã rei causam, quàm sponte subortam sua in corpore ex vitiosorum alimentorum vsu malitiam, maioris mox malignitatis accessione etiam venenosam naturam excepturam.

Quod si euenit: minùs mirabimur, reliquos longè inferioris malitiæ morbos originem suam ex Cacochymia trahere, semper quidem valetudini nostræ infesta maximè atq; in vniuersum, alia tamen magis alia. Nam & corruptela ea, succorumq; vitium qualecunque, minùs magis've malignum, in quo quodque acceptum humore fuerit, maioris minorisque, pro suscipientis malitiam humoris natura, proculdubio malignitatis euadet. Ac venenositas illa, qua æquari notis atque effectibus omnibus penè veneni assumptionẽ memorauimus, per se in corporibus orta, maior profectò & malitiosior futura in melancholici humoris, atræq; adhuc magis bilis corruptione sit; vehementior fortasse atq; efficacior in flaua; mitior in pituita, si cadere tamen in pituitam venenositatis tantum possit. Quod posse credibile est. non enim repugnat: quãuis placidiora in hac omnia, lentaq; magis, ac minùs semper horrida expectanda fuerint. Sic de reliquis succorũ prauitatibus, maioribusq; ac minoribus putrefactionibus ex Cacochymia, vnde febriũ plurimarũ diuersitas, morborumq; multorum aliorũ varietas, iudicãdum: vt in hoc, quàm in illo, mitiores, sæuiorésve existimandæ, humore pro illius natura, sint.

Quanuis intereà ex Pituita, vt bilis vtraque efficacior, adeoq; efferatior, ac vehementior habeatur; hæc autem mitior, ac lenior multo, nec tam putredinibus vehementioribus exposita: nõ pauciora tamen proueniant sæpe mala, vereq; circunferatur illud: Benè habituros nos, nisi quum pituita molesta est, præsertim verò, quum ex capite delabitur. vnde sanè non exigua illius in multis in subiectas partes defluxio, impetusque, interdum & destillatio lentior quidem illa, at nec damnosa nec periculosa minùs, nisi fortè magis, tenuioris quidem, & salsedinis nocentioris, tactis exulceratisq; sæpissimè ita pulmonibus, reiectoque erosa inde illorum vena cruore, ex quo phthisis; vel etiam non sequuto sanguine, in pulmonis tamen substantiã serpente sensim vlcere, ad perfectam vsq; totius tabẽ, & consumptionem. οἷσι ῥίνες ὑγρότεραι φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσι νοσηλότερον· οἷσι δὲ τἀναντία, ὑγιεινότερον. Quorum, inquit (Aphoris. vj.) Hippocrates, natura nares humectiores fuerint, aut genitura humectior, horum minùs integra sanitas est. Quippe id non facilè vsu veniet, nisi benè humido natura cerebro, ac repleri facili pituita, & ad minimæ cuiusque causæ occursum distillationibus obnoxio. Eaque aut in palatum, orisq; partes delapsa, has ipsas fatigabit, correptis aut faucibus, aut aspera arteria; aut larynge, anginaque sæpe ibi facta; aut thorace, pulmonibusque, vbi tussim ac spirandi difficultatem excitet; aut aliò conuersa in proximam, intercedente isthmo, gulam, ac ventriculum infestabit hæc, suamq; his intẽperiem addet, & concoctioni obstabit. Diarrhœas, intestinorumq; lęuitates, si notior illa ac frequentior pituita fuerit; sin paulò salsior, difficultates adferet. Modò etiam impetitis musculorum, diuersisq; reliquæ totius corporaturæ locis, dolores sæpe gignet, ac queribundos maximè faciet: nec minùs Medicorum sæpe multis, τὰ ἀναίτια αἰτιᾶσθαι assuetis, negotij non parum exhibebit.

Atqui alia quadam ex parte hæc ipsa Pituita salsa, aut quoquo modo acrimoniæ aliquid adepta, ventriculo intestinisque incumbens, proritatisque ad excretionem illis, ac secum ita detractis multis alijs de corpore superfluitatibus, à malorum quorundam liberare suspicione possit. Quod acida quoque faciet, hanc quidem quoque ob rationem, prouocatæ nempe alui beneficio, quam fluidãm lubricitate quoque prætereà sua reddere humor is solet: tum verò illam ipsam, dissectis etiam acoris vi, quos inuenerit, humoribus crassis, eiectuque ita facilibus factis, promptè humectet: sed & ob id, quòd natura, si cum alijs multis conferatur, crassior non facilè in corporis particulas omnes induat se ad nocendum; densas quidem non ferè petat, vt membranæ quoque habentur: vnde dictum aliquando (Apho. vj.) Hippocrati sit, οἱ ὀξυρεγμιώδεες οὐ πάνυ τὶ πλευριτικοὶ γίνονται. Quemadmodum sanè ab eodem Authore scriptum alibi (Aphoris. v.) reperimus è diuerso, οἱ ἰκτεριώδεες οὐ πάνυ τὶ πνευματώδεες εἰσί. Ex bile enim icterus, humore ex quo nõ facilè gigni flatulentia solita sit, quæ ex pituita sæpe plurima. vt vtrinque commodi semper aliquid & incommodi ex humorum natura agnoscamus. Cæterùm si cum morborum, propè dixerim, agminibus, quos illorum in corpore producere, productosque fouere, Cacochymia consueuit, conferantur: commoditates nullius fermè momenti futuræ eæ sint.

Minuendæ Plethoræ modi varij, atq; horum potiores alijs alij interdum. Præsentißimum omnium Venæ sectio remedium: Inedia non æquè. Aliorum tamen quorundam vsus quandoque in hoc commodus.

CAPVT VIII.

PArtes erũt artificis Salutaris Artis præsidis, cui tuendæ humanæ valetudinis demandata cura fuerit, partem hanc inspiciundi potissimã ac præcipuam, quæ Excrementorum primùm rationẽ omnẽ respicit secernẽdorũ, egerendorũq; : ne accumulata sanitati officiãt, & inchoãdæ sępe, augẽdæ aũt semper, humorũ cunctorũ malitiæ causa sint, quod diximus: tũ deinde hãc ipsam, quod dicturi nũc sumus, quoquo pacto coaceruatã iã Cacochymiã, simul & Plenitudinẽ vtrãque, priusquàm euidẽs inde ac manifestũ actionũ suarũ, aut in totũ, aut ex parte, impedimentũ, atq; oblæsionẽ accipiat, hoc est, priusquàm in morbos incidat ipsos, arte omni abegisse de corpore. Quo quidem propiores hæ morbis sunt, ac paululũ progressæ extẽplo introducturæ affectus eos haud dubiè esse vidẽtur, à quibus minimũ quid abesse solent, ipsæ morbificæ iã causę, & corporũ intestinæ. Antecedẽtes peculiariter vocant, in humorũ rationibus collocatas, quas intra se corpus alat, ad morbos producẽdos aptissimas. Nam cæteræ fermè extrinsecus accedũt oẽs: aër, cũ quiete motus, cũ potu cibus, cũ vigilia somnus. Animi quoq; affectiones ipsæ, quibus cõmoueantur, causas foris aduenietes habuerint. Solæ hæ propè intrinsecæ, atque intra corpus partibus, quibus insistere morbi soliti sint, intimæ, ac propinquæ, morbos iã, nisi percaueatur, facturæ videri possunt, aut per se spõteq; sua; aut ab alijs excitatæ, vt quarũ cõmotione, atq; interuentu, externæ, ac Primitiuæ quę vocãtur, morbos plerunq; generent; ipsæq; etiã ab externis illis generẽtur sæpissimè causis; ab ambienteq; ad hæc nos aëre, ab exercitationibus, harũque intermissionibus, ab his quibus nutrimur, à vigilãdi dormiẽdiq; cõsuetudine, à curis ac solicitudinibus oriãtur. Decet igitur, quo intestina magis hæc mala, (mala enim meritò vocẽtur, quorũ præsentia, nisi amoueãtur, quasiq; auerruncẽtur, multum nobis malorũ immineat) quoq; plures maioresq; causas habent, ac cùm per se, tũ cum alijs faciũt: eo diligẽtiùs, ac lõgiùs prospicientẽ Artificẽ, sedulã atq; omnimodam in eo operã nauatã posuisse. Primùm, ne supra vires naturamq; nostri aucta fatigare nos valeant. deinde, quod proximũ est, vt aucta primo quoq; tempore detruncẽtur, deleãturq;, quantũ quidẽ valetudinis ferre nostræ ratio posse videbitur: vt nec quantitate humorũ nimia degrauatis, malá ve aliqua illorũ qualitate infectis, neq; etiã exinanitione eorundẽ nimia affectis, incolumibus esse nobis, quoad eius fieri hoc in negotio poterit, perpetuò, priusquàm in morbos ipsos incidamus, liceat. Et Excrementa quidẽ corporis genus quodcũque, alui, vesicæ vtriusque, felleæ, & vrinariæ; Vltimæ denique nutricationis illa, quo tractari modo, excludique, aut retineri debeant: satis, nisi fallor, ostensum antea fuit. Nunc persequamur reliqua, qua ratione Plenitudo vtraq; in tẽpore educẽda, quóve Cacochymia pacto ante exortos inde morbos euacuanda, attemperandáve sit.

Non esse dubiũ potest, quũ Plethoram, nempe plenitudinẽ, quã vasorũ capacitate intelligimus, in adauctis plùs iusto æquè cum sanguinis vnà humore humoribus, pro rata vnoquoq; parte sua reliquis statuerimus: quin demenda illis nimietas ea sit, qua vna naturæ egressi terminos fuisse videtur: idq; venę potissimùm sectione assequamur, humores ex æquo oẽs euacuante; tũ verò quibusdã etiã alijs. In perfecta verò iã Plethora, quæcunq; ingentia illa, quæ suprà cõmemorauimus, in ꝓximo esse pericula minetur repẽtinæ mortis, aut disrũpendorum vasorum, aut aliter innati caloris præfocandi; aut in tensiua quoque lassitudine: non solùm mittendus sanguis, sed etiam festinatò id faciendum, effugiendis periculis ita vndique imminentibus illis, quibus cum omnium certè minimè inducijs agendum esse videatur. In minore, mitioreque, necdum ad tantam vasorum ab exuperantia sua extensionem quæ processerit, possumus & frictionibus sæpe, & balneis, & vnctionibus discutientibus, & inedia, quod satis in hoc sit, cõmodéque præstare. Frictionibus ante omnia assiduis multisque, quæ siquidem suis aptè temporibus ineantur, nimirum non à cibo, sed ante cibum capiendum, quo tempore nullo alio ad locum attracto, quod inest loco alimentum, perfricto frictionum assiduitate, ac multitudine, cum sanguinis vnà humorumque cæterorum redundantia discuti, abigique poterit: vsque eò interdum, vt in vel paulò maiore plenitudine, (modò nõ maxima illa) si quis fortè nimia animi mollitie inductus, sanguinis missionẽ detrectässet, sectæ venę vicẽ gessisse visę sint. Quin & purgantis sæpe pharmaci loco successére, dissipata hic quoque humorum vitiositate fricandi vi; non multorum quidem vitiosorum, sed qui repurgatione tamẽ egere apparuissent.

Sicuti

Sicuti sanè nec maximæ Plethoræ frictiones ritè adhibuerimus: cùm, quòd præstare hæ tantū, tamque, quum res id exposcere videbitur, citò nequeant, quantū, quamque citò misso protinus sanguine minui, ac manifestò subsidere sæpe Plethoram aliqua ex parte cōspicimus ipsam: tum, quòd desueti frictionibus aliqui, si paulò diutiùs vehemētiusque, id quod hoc casu fecisse oporteat, fricentur; lassitudinis confestim affectu maiore, aut nouo etiam interdum aliquo, facilè corripiantur: alijs durior densiorq; iusto cutis, vehementi satis licèt, multiq; temporis frictione, quo minùs multa sequatur euacuatio, obstiterit tamē.

Eadem fuerit balneorū ratio, & per halitum digerentium vnctionum: vt temporum opportunitate eadem fiant, sitque ea illorū vis, vt non modò attrahere eò, quod de partibus eliciunt ad cutim, verùm etiam discutere inde exhalatum, & in auras resoluere valeant: atque eædem hîc quoque intelligātur incōmoditates. Inedia (hanc aut cibi potusque abstinentia in totum aliquandiu, aut maxima alimentorum parcitate, & famis molestia intelligimus) soluere quoque quidem Plethorā possit, quandoquidem κενεαγγέειν Hippocrates aliquādo, quod vasa exinanire est, & κενεαγγείην pro inedia accepisse videtur, vt ex hac non minimum contentos vasis humores euacuari posse intelligeremus. id scilicet ex accidenti quodā, quatenus diflata assiduè per sensum nostrum latentē transpirationem partium substantia, nec in locum eius succedente ad alendum alia, extenuētur membra necesse est, & residat corporis status, musculorumque ac venarum refertarum nimis turgiditas cesset; calore semper natiuo pabulum quærente, quod operatus absumat, & nuper importato non inuento, conuertente se in præsentem, qualemcunque eam offenderit, materiam, quam depascēdo, venarū ita quoq; succos exhauriat.

At exhaurit citissimè emissus incisa vena sanguis, sequiturq; vtilitas manifestissima. Abit enim periculum quamprimùm omne natiui caloris extinguendi, attoniti morbi, vasorum disruptionis, quum continere ampliùs non possint, periculosissimi affectus, vt mitissimi, quum ob eandem causam referatis plenissima distentione venarum oscillis, quæ ad nares pertingunt, aut in intestinorum reuolutiones perueniunt, cōmodè inde facta anastomosi, exoneratur Plenitudo: quod disrupta vena maximo semper cum vitæ discrimine, quacunq; id in parte cōtingat, fiet. Liberat malorum omnium horū suspicionibus dissecta vena, quod diximus, quasi qui mustei vini repletione distentum nimis vas curāt, nisi statim depleuerint, aut pertusum aliqua in parte exhalare permiserint, disrūpi violēter quandoq; cernāt: vnaq; calor totius, qui suffocari periclitabatur misso sanguine, ceu ventilatus exhilarescit, sibiq; vegetior restitutus actiones suas alacriùs aggreditur, ac perficit omnes.

Quod quidē præstare Inedia nō quit his casibus, vt tā præsens inde accipiatur, tāq; euidens iuuamentū. Itaq; vsus illius solùm in minore paulò Plethora, aut quoties nō tantū inde impēderit discriminis, aut quū fortè remediū à venæ sectione petijsse non satis animi fuerit alicui. Alioqui vigilādi quoq; incōmoditas maxima ex Inedia exorietur, multis & inquies in corpore molesta: vitiabiturq; ventriculus, & corrūpentur humores prolecti eò vndiq; ex vicinis circùm maximè partibus. Sūt, quibus comitiali statim inde corripi affectu contingat, malè ita affecto, trahenteq; secū in consensum cerebri partes vētriculo. ijdem si quid modò, vt panis fortè offulam, ex diluto vino anteuertētes ingesserint, discrimē id effugient. Alijs etiā lotium interdū supprimetur ipsum ex Inedia: alijs alia cōtingent incommoda. Quorū omniū metu liberabimur, si cōsentientibus, quæ diximus, sanguinis missionē aggrediemur. In qua, quū res exposcere videtur, nec reclamant alia, periculi minimum: quin securitas potiùs maxima, vt quam, etiā pertusa vena, moderari nihilominùs nobis tunc quoq; liceat. Porrò autem summa sæpenumero illius in multis necessitas apparet. Nam nec citiùs, nec tutiùs, nec cōmodiùs, nō solùm maximam illam venarum Plenitudinem, vt iam docuimus, auferes, quàm venę sectiōe: sed tensiuā etiā lassitudinē, corporis molē turgidiusculè extendentē, nō aliter quàm misso sanguine faciliùs subsidentem videbis. Phlegmonosā aūt, nisi remedio statim hoc subueniatur, scimus quantū semper afferre discriminis cōsueuerit, accersita sæpe intra paucissimas horas vehemētissima, ex feruētissimo sanguine, febre, cuiusmodi febrē illam gignere cōsueuit, vt ideo detrahi in ea plurimus semper postulet, adeoq; ad animi sæpe vsq; deliquiū. Sed nūc de demēda tantùm Plethora loquimur: Phlegmonosa aūt lassitudo Cacochymię partem quoque habet non exiguam. Iam si cui Plenitudo hæc adsit, aut articulari, aut podagrico, aut comitiali, aut melācholico corripi affectu solito; aut qui sanguinem priùs reiecerit de pectore; aut peripneumonia antea, aut pleuritide, aut magno denique affectu aliquo laboret: huic, nisi præmeditati, quę necessaria in hoc esse diximus, primo quoq; tempore missi sanguinis remedium admouerimus, nónne incursurus

quam-

quamprimùm in consuetum sibi morbum sit? vt nos causam dedisse malo videri possimus, qui, quo tempore anteuertere, aduentansque repellere malum posse videbamur, non fecerimus. Quòd si ne horum quidem quicquam euenire cuiquam consueuerit, cæteraque egregiè constituto ad omnia, partibusque suis benè omnibus composito sit corpore; incontinens autem, & intemperans quidam sit: huic quoque ipsi Plethora laboranti perquàm futura necessaria sit venæ incisio. Nam continentior aliquis, & moderati attemperatique victus, possit is frictionibus, lauacris, deambulationibus, cõmotionibusq; multis, quæque alia de hoc diximus, Plenitudinem tollere: incontinens, & intemperans non possit, nempe ob idipsum, quia incontinens. Nec quicquam tamen est, quo æquè missionis sanguinis admoneamur detrahendæ Plenitudini, si aduersari rationibus voluerimus, quàm quum neglecto hoc, (nisi deterius antea aliquid contigerit) naturam videmus hoc ipsum moliri sæpe, ac perficere; & vel sanguinis è naribus profluuio, vel ex hæmorrhoidibus, vel in fœminis ex menstrua prætereà purgatione, onus deponere, aut tensionis nimiæ sensum subterfugere solitã: prorsus vt nimis quàm obstinatè acturi sint, qui naturam egregiè sæpe ac feliciter ita operatam quum viderint, exemplum ipsi sequi nolint. Sed hoc Erasistratei fecerint αἱμοφόβοι aliqui: nos non verebimur, nostro præsertim in negotio, vbi Plethoram, aut tensiuam, aut phlegmonosam lassitudinem tractantes, in sanis etiamnum non sanè magnopere de virium robore soliciti esse debeamus: ac, nisi ætas tantummodo obstiterit, quæ vna propè esse, ne peragi id rectè possit, impedimento in his possit; peragemus cuncta.

Neque tamen vlla prorsus absque exceptione, perpetuum nobis statuendum esse auxilij huius in rebus his vsum esse iudicabimus. Et aliquibus quandoque de causis iam commemoratis commodè à nobis, in non maxima præsertim Plethora, adhibebuntur alia ad rem hanc, cùm de quibus iam mentio facta est, tum vel ipsius Erasistrati iudicio atque præcepto, præter cibi detractionem, qua, prandio in totũ omisso, iubemur cœna quoque vti minore, in his, qui exercere se non sint soliti; cibatu insuper eo, cui alimenti minimum insit in quantitate maxima, & emolliendi alui facultas adsit; vt non multum hac quoque in parte, subtractis citò vnde elici sanguinis aliquid materijs solet, suppeditetur corpori alimoniæ, ac defecta ita Plethora subsidat. quod genus olera sunt plurima, cucurbitæque, & cucumeres, & dilutiores melones, & recentiores ficus, & cum oleribus quibusdam elixa legumina, panisq; ad hæc non valde elaboratus subactúsve, qualis ne valde quidem nutriat. Tum vomitionibus à cœna, non ita multo interposito tempore, vtemur: quo videlicet suspensum adhuc cibum, antequàm vel adijci ventriculo, vel distribui inde incipiat, reijci faciliorem habeamus. Sudorem ad hæc, & vrinam elicientibus, & deambulationibus, dictisq; priùs alijs etiam aluum deijcientibus medicamentis, assequi idem posse non desperabimus: quæ corpus, quod propè facere purgantia medicamenta solent, paulò magis commotum reddãt; quibusque, quemadmodum in vehementioribus vomitibus contingit, concitati ferantur, quò primùm impetus illos quidam egerit, de vniuersa mole humores.

Plenitudini ad vires quomodo succurri sanguinis missione poßit, quando verò non: & quibus tunc auxilijs vtendũ. Quæ sanguinis detractioni subscribant, quæ ve aduersentur particulatim. Plenitudo vtraque per membra quomodo tractanda.

CAP. IX.

MEmorauimus, quibus ferè minui, detrahi, tolli Plenitudo vasorum capacitate intellecta rationibus ritè, antequàm morbos faciat, possit. Eadẽ seruabuntur in altero Plenitudinis genere, quæ virium respectu, neq; vlla tamen Cacochymiæ mistura, & sola humorum æquabilitate accipitur tota. Minora tamen erunt omnia, quo quidem minus in hac imminentium tãta cum formidine, tamq; sæpe improuisò malorum, minorq; humorum quantitas, & imbecillior virtus: vt ex omnibus his, nec tanta opus fore remediorum, tamq; accelerata præparatione, appareat, quòd nec res exigere id videatur, & virium infirmitas efficacia nimis & δραστικώτατα illa latura non facilè sit. Quapropter neq; tantum detrahemus sanguinis, vt animo delinquantur; neq; inediæ tãtum imperabimus. quomodo enim? in viribus, quarũ debilitati subueniendũ potiùs esse videatur? Faciemus tamen omnia, non in omnibus quidem omnia, neq; verò eodem tempore, coniunctimq; simul cuncta: ac sæpe aut sola sanguinis missione, aut vna ciborũ detractione, aut leuioribus exercitationibus, deambulationibus, frictionibus, balneis, sudoribus, & huiusmodi, satis quod intendimus consequi nos posse sperabimus. Neq; tamen,

tamen, vt non tantopere vrgeat Plenitudo iſta, magnam aliquam oſcitabundi nimiùm Artificis ceſſationem feret. Quandoquidem eundem ſeruare diutiùs ſtatum haud poſſit, quin imbecillior facultas, quod oneri ſibi eſſe ſentit, quum nec conficere, nec abijcere queat, facta corruptione aliqua, (nō enim fieri aliter poteſt, non accipiente materia iuſtam, ſibique debitam naturæ elaborationem) ſuccumbat tandem, inque morboſos affectus aliquos prolabatur neceſſariò corpus. Maturandum igitur hîc quoque, ſi non intantum feſtinandum, antequàm deijciantur prorſus vires. Nam, quod videri fortaſſe cuipiam poſſit ex voce, qua Plenitudo ad vires nominatur, deiectio ac proſtratio ſignificari virium quædam: non ſignificatur, neque ita eſt. Onerantur quidem illæ: at onus circunferunt nihilominùs, grauatim quanuis, plùs, minùs; denique proſternendæ, niſi ſuccurratur. Et vt, qui pondera ferunt onuſti, tantiſper dum erecti ferunt, dici rectè deiectis viribus non debent, niſi oppreſſi tandem iaceant: ita iacent, qui morbo correpti decumbunt, cúmque his conflictantur. inde Clinice dicta. Qui morbis tantummodo tentantur, ſibiq́; diſplicent, & oneris ſe geſtare aliquid ſentiunt, ferunt nihilominùs; hos nemo, vt opinor, ægrotare dicet, aut oppreſſis prorſus eſſe viribus: quum eos quoque, qui nondum cum morbis rectè luctantur, aut paululùm luctati nondum depoſiti cubant; hos ὀρθοστάδην tātùm affici, aliquoties dixerit Hippocrates. Quorſum hæc? vt ſciatur, in ſanis etiamnum, quantumuis Plenitudine ad vires laborare dicantur, non eam eſſe tamen virium imbecillitatē poſſe, qua nobis ſanguinis detractione interdicatur. In morbis id contingit ſępe, in quibus, commiſſa iam morbum inter & vires ipſas pugna, laborare eas neceſſum fuerit, adeoq́; interdū ſuccumbere, eiuſq́; rei ſigna de ſe dare non obſcura quædam. Quo tempore multa ac diligens de mittendo ſanguine reuocanda in conſilium conſideratio eſt, ne videlicet ad virium imbecillitatē hoc etiam. In ſimplici ad vires Plenitudine illa, quam contingere ſalubriter aliâs adhuc degētibus videmus, non eſt neceſſum, hoc inquam, de ſecanda vena, quod quidem ad virium debilitatem ex Plenitudine ea ſpectat.

Niſi verò crudus aliquis redundârit in corpore humor Plenitudinis rationem exuperans, eoq́; ſanguinis detractionem prohibens meritò, ne amoto ſanguine crudeſcat magis humor: aut etiā in æſtuoſa ambientis conſtitutione, ſi prætereà mollis fluxæq́; aliquis habitudinis repertus fuerit, ne proſternantur ita inde vires, vt reſurgere illis haud facile deinde ſit, ſequaturq́ue interdum febris, animiq́ue nonnunquam defectus, reſoluto perquàm facilè horum habitu etiam in non valde magna febri: aut quum in ambiente frigido, naturaq́; frigidiore aliquo, venæ ſectionem corporis totius refrigeratio ſtatim vehementior ne ſubſequatur, maiorq́ue ex ea humoribus, hanc quoque ob cauſam, cruditatis vis addatur, timemus. quæ crudioris humoris illius reſpectu eueniunt cuncta. Frictionibus tunc igitur tantummodo, ac moderata victus ratione, calidisq́ue vnguentis, & humorum craſſitiem diſſecanti, ac modicè calefaciente, potu curandi: ſanguinis miſſionem, quoties ita redundârit crudior ille humor nimis, non admittemus, quam Plenitudo tamen etiam ad vires illa per ſe admittat.

Sed & in ea tamen, quæq́; ad vaſa, quæq́; ad vires Plenitudo eſt, quoties mitti poſſe videbitur ſanguis, contemptim aut negligenter prorſus habenda non ſunt, quæ deinde reſtant. Nam & quantum detrahendum fuerit ſanguinis, quáve id faciendum in parte, quóve tempore, diligenter conſiderandum. Atq; in his maxima ſemper adhibenda & ſedula inprimis cogitatio, vt & anni tempus, & cōſtitutio, & corporis habitudo, & ætas, & conſuetudo, quædamq́; huiuſmodi alia, expendantur diligenter: quorum alia ſemel deliberatam ſanguinis miſſionem ſuffragijs ſuis augere, imminuere alia poſſunt. Neq; enim ambigendum reſtat, Vere, vernaq́ue cōſtitutione, & paulò magis temperata regione, pluſculū mittendum eſſe ſanguinis: magisq́ue, ſi venæ ſecandæ aſſueuerit aliquis, habitudineq́ue ſit idem preſſa, ſolidaq́ue magis, non fluxa, vnaq́; floridior accedat ætas. Contrarium autem in contrarijs omnibus ſeruabitur.

Leuari igitur onere, quo degrauari ſe ſentiunt, Plenitudine ad vires affecti venæ quoq; ſectione poterunt. Eadem ijſdē etiam, quibus ad vaſa altera illa, tolli, minuíve non incōuenienter debebit, exercitationibus, frictionibus, balneis, digerentibus medicamētis, & huiuſmodi, atq; etiam inedia: quanquam hac pauló minùs tutò, niſi ventriculi vicinarumq́; partium Plenitudo ſit, quòd prolapſus ex inedia virium metuendus maior ſit in ea, quæ alioqui vires imbecilliores ſentit, Plenitudine. Quamobrem vbi ventriculi tantùm, aut circuniectarum partium fuerit Plenitudo, (vt particulariter iam de quibuſdam agatur) ſiue ea ad vaſa, ſiue ad vires dicetur; inedia proderit, qua proculdubio propè in ipſo innati caloris foco abſumātur paulatim humores, nec multo nouoq́; ſuperueniente cibo degrauentur partes. At in

capitis,pectoris've, aut pulmonum, iecoris,renum, extremarúmve partiũ Plenitudine nõ peræquè. Præstiterit enim illa quidem quoq; aliquid inedia, siue famis tolerantia aliqua: at longè magis alia,quorum modò meminimus, illa iuuerint; præsertim verò, quæ virium suarũ potestate partem respexerint ipsam. Vt pedum,exempli causa,& cruriũ factam iam Plenitudinem, nec quam nouo subinde humorum affluxu auctam iri metuamus, prouiso antea ne ex impuro corpore maior eò humorũ copia adducatur, deambulationibus meliùs discutiemus: vt manuum & brachiorum superiorũ partiũ exercitationibus, quod genus χειρονομεῖν ferè, & πιτυλίζειν apud Græcos est: itemq; alijs, fricando, illinẽdo, scarificando, cubiti manúsve extremæ venas aperiendo, si modò nulla vlteriùs restet in corpore humorum eò fluxio, factamq; ex toto iam tractemus Plenitudinẽ vtranque. Ita sanè iecori non minùs, thoracique,ac capiti,quum aut refertæ illorum venæ distendũtur,aut grauitatis sensus inerit, si nihil eò dũ fluat ampliùs, secta proxima quaque,quo attingere poterimus,vena consulemus. Vt si caput fortè affectũ ita sit, grauitasq; percipiatur,aut temporum musculi cum venis extendantur, pulsusq; adsit, idq; non multo aut nullo interdum calore: venam tundẽdam sumemus nobis,quæ de parte ea citò detrahat, cubiti humeralẽ, si paulùm de affluxu maiore metuerimus: in nulla autem suspicione hac,etiã frontis mediam,quam dicunt. Quam planè seruare in omnibus rationem licebit.

Obiter, quibus rationibus diuersa corporis in parte mittendus sanguis sit, præsertim verò in Præcautrice Artis parte. Cur adigendus longißimè ab affici assueta parte cultellus, explicata ratio, & expositus Hippocratis locus.

CAP. X.

ATq; adeò in vniuersali corporis totius, vtriusq; generis, Plenitudine diuersum non sit,tunditurq; tũ vena cõmodissimè (non enim attingere proximiùs exoriẽtis tũ sanguinis fontẽ licet) dexterioris brachij, qua de tota mole citissimè missus sanguis exhauriatur, Iecoraria. Itaq; eadem in priuata quoq; iecoris plenitudine nõ ineptè incidenda sumetur. Nam siue haurire ex sanguificationis fonte libeat, siue de vniuerso educere: non aliũde mitti meliùs aut commodiùs sanguis possit, ob principalem visceris facultatem, cui sanguificãdi demandatũ officium sit: & quocunq; inde educatur sanguis modo, proximè cùm de viscere ipso,tum de toto effluere videri necessariò potest. Quòd si hîc quoq; tamen in visceris huius plenitudine particulari, de qua loquimur, expleta, quo nihil iam corriuari aliud posse metus esset, attingere eò daretur: de viscere quoq; ipso sumeremus exinaniendam. Nunc,quũ id non possimus, quod proximũ est facimus, vt omniũ maximè proximam arripiamus. Id quod in cæterarum quoq; partium plenitudinibus vsu veniet, quæcunq; altiùs in profundo latitant. Quarum aut fomentis, aut frictionibus, aut scarificatu, quæ propiùs tamen partes attingant, plenitudinem discutiendam curabimus, si qua facta reliqua fuerit, quam incisa auferre vena nequiuerit.

Atque hæc de Plenitudine vtraque vniuersi corporis, tum verò partium non minùs multarum facta, expletaque, iam demenda. Alia illius, quam ne fiat præcauere cupiuerimus, ratio quædam: neque tamen omni ex parte diuersa. Iisdem nanque, quibus ex plenitudine iam suborta in corpore absolutaque, ne morbi sequerentur, præcauebamus; ritè pariter, ne plenitudo initio sequatur vlla, præcauerimus, victus rationibus omnibus, cæterisque, quæ toties obtundendo repetenda non semper sunt; minoribus tantùm etiamnũ cunctis, quàm quum, ex plenitudine iam facta ne morbi oriantur, cautio est.

Maius tamen in partium priuatim quarundam vitanda plenitudine incidendæ venæ discrimen hîc, vt hac quidem in parte multum intersit. Etenim vel de Hippocratis ipsius præcepto monemur semotissimis tunc partibus in corpore adigẽdum scalpellum esse: vt si cui fortè humorũ plenitudine aut extendi, aut onerari caput solitum sit, huic malleoli aperiendum esse venam mandemus. Idem faciemus in comitiali ac vertiginoso affectu, quibus quis obnoxius repertus fuerit. In his enim affectibus iam præsentibus licèt materiæ affectum facientis respectu, quæ aut frigida & pituitosa, aut etiam flatulenta quædam interdum est, nõ semper cõuenire sanguinis detractio videri iure ac meritò possit: quãdocunq; tamen lõgè antè futuros affectus hosce præcauisse consiliũ fuerit, venę semper sectione vti præstiterit, qua diximus corporis in parte: quo videlicet natura sensim paulatimq; immittere eò, quo priùs consueuerat, facturam affectus eiusmodi materiã ad caput veluti dediscat; &, quod Hippocrates eodem loco dicebat, vt immutata cõsuetudine desuescant iam eo loci semper materiæ aggregatæ colligi. τὸ ἔθος μεταστήσαις ἄν, ὥστε μηκέτι εἰς τὸ αὐτὸ χωρίον συλλέγεσθαι. sic enim ait. Deferri autem perquàm facilè per venas eò cũ sanguine vnà

humo-

humores possunt, qui venas postmodum egressi, cuius cuius modi illi fuerint, affectus suos quisq; cieant. hac itaq; ratione aliò auertetur. In anginæ pariter, in pleuritidis, peripneumonici affectus, sanguinis sputi; osq;, breuiter, aut fauces, aut asperam arteriam, aut pulmones, thoracisque, aut pectoris occupare partes assuetorum morborũ, suspicionibus, multo antè præoccupâsse rationem eam, quã diximus, reuellendi sensim retrahendique aliò à partibus illis in contrariam partem edoctos iam ferri humores, scissa nimirum suo tempore in malleolo vena, præstiterit. Quod quũ fit, fluit sanguis primò quidem ille soluta, qua priùs continebatur, cõtinuitate, simul & doloris sensu nonnihil, & arctioris fortè ligaturæ compressu eò attractus: at vicinæ circùm partes intereà sensu eo excitatæ, innata sibi facultate ad mittendum statim illuc, vbi nouatum quid in corpore senserint, insurgunt; expultriceque in eo facultate vsæ, quæ transuersis venarũ fibris peragitur, proximæ quæq; primò, tum continuata post has serie aliæ atque aliæ sanguinem eò missum transfundunt, donec ex tota mole, si paulò perseueret fluor, concurrat eò confluatque; aut certè ad illuc transmittendum sese status totius corporis partes excitent, transuersarum semper, si sanguis sit, qui per venas mittatur, fibrarum officio ad hoc ipsum perficiendũ vsę, in longum protensarũ nullo. Quæ alimento ferè tantummodo venis quidem à natura datæ sunt, adducendo, aut familiari sibi humori alicui in alijs. Præcisa autem vena quid attrahant, quæso, ad se venæ, vel proximæ, vel lõginquæ magis? Emittitur tantùm per sectæ venæ foramen sanguis, forasque effundi pulsus missusq; finitur, non attractus. attraheretur, si quid esset in vulnere facto causę, quãobrem fieri attractio longarum quidem per venas fibrarum ope deberet. Nunc nec sanguinis tunc humorem in speciem proprij sibi aut partibus alimenti, nec familiaris aliâs, attrahere posse dicetur, quippe quem transmittant potiùs: tantum abest, vt retineant. quod facerent, si tanquam amicum, proprium, familiaré arriperent ad se. Nam quòd ex dissectione, & compressis arctè funiculo inter mittendum sanguinem partibus, dolor attrahat, cui dubium? Attrahere fatemur: sed ex circunpositis particulis omnibus, atque his vicinis semper magis, nullo tum fibrarum discrimine, raptim, tractimque, propè dixerim: non autem ex longinquo valde trahit. Simul hoc fit, simul insurgũt ob dolorificum sensum, quod dicebam, excitantque se tunc proximæ, aliæque deinde quoque, continuatione quadam ac serie, ad vnum partes omnes; quin, si Hippocrati credendum, etiam cõspiratione mittendo eò sanguini per venas, transmittentibus quidem sanguinem, hoc est, fluere illac sinentibus longis quoque fibris, ex quibus venæ partim constituuntur: at in munere reliquo suo, quod attrahendi est, feriantibus tunc prorsus, solisque transuersis operatis. Cuius sanè rei miræ quædam visuntur plerunque in multis exempla, quoties ex minimis rerum causarumque quarundam momentis, frigiditatisque fortè aliquando alicuius extrinsecus occursu, retrò ab extima vndique corporis superficie deferri sæpe in aluum, non alia, quàm expultrice facultate hac actos, pulsosque humores videmus: aut in non remisso quauis de causa infernè ventris flatu, ab ima sedis parte per tot intestinorum reuolutiones anfractusque sinuosos facultatis eiusdem vi, geminis tunc duplicis tunicæ transuersim positis fibris ad propellendum vsæ, flatulentam materiam eandem repulsam sursum, temporis momento impelli, eructatamque ocyùs excludi experimur, ne, si idem in propellendo per venas sanguine contingat, magnopere id miremur.

Quæ si ita se habent, vt mehercle habere existimo: iam & causam inuenimus, cur Hippocrates longissimè ab affici assueta parte secari venam iusserit. Nanque quo in longinquo magis factum id fuerit, eo abesse à periculo quoque longiùs pars poterit, à qua longissimè in alias repulsa deriuari iam noxa paulatim assueuerit. Idem & scarificatis, & perfrictis quoque semotissimis quibusque partibus assequemur: vt circuniectæ his partes, tum aliæ atque aliæ ab his tanquam concursu facto eò sese suscitatę effundant totas; sanguinemque, quod possunt, & humores, & spiritus impulsos mittant, conuersæque illuc in contrariam, atque quàm solitæ priùs erant, agere partem discant. Quod attractione, quæ nulla penitus in corpore ratione tam à procùl remotis fieri queat, quæcunque ea fuerit, minimè consequi nos posse sperabimus, vt scilicet valde ita semotæ partes ab affici consueta noxam ad se eo pacto trahant. Cùm hæc ita inuenimus, inquã, tum illud obiter admonemur: non aliunde meliùs petendam esse cædendæ in morbis quoque ipsis venæ, quàm hinc, rationem; potissimùm, vbi phlegmone primùm suboritur in corpore, aut suborta iam creuit. Enimuerò inter primos ipsius ortus procùl pariter iubemur ab ea, quam occupare iam incipiat, parte sanguinem detrahere. Id quod verissimum reperietur, quam attulimus, rationem hãc sequutis, quæcunq; tandem phlegmonem causa creet. Nam si à

ſanguinis ex toto, vt in plethora fortè, fluxu, aut partis alicuius exonerantis ſe eo pacto in aliam vi id fiat; expultrix ſemper erit facultas, quæ tranſuerſis eò ad partem, faciendamque phlegmonem, ſanguinis materiam fibris propellat: ſiue ex ipſamet affici iam incipiente parte phlegmones cauſa initium ſumat, vt fortè concalfacta nimis, aut dolente. In concalfacta hoc ipſum videlicet cenſuit Aſclepiades, fluere eò humores, non trahi: vt ſic quoque in hoc nulla omnino ex parte dubia futura ſit ratio, ſi Authorem hunc ſequamur. Sin trahi dixerimus ob caloris vim, quod Galenus voluit, in Therapeuticis: quoniam idem attractionem eam vicinorum eſſe humorum addidit: ἤτοιγε ἕλκεσθαι, inquit, τοὺς πλησιάζοντας χυμοὺς ὥς ἡμεῖς φαμὲν. concedemus in proximo tantùm eam fieri: ex reliquis autem, ex quibus quoq; ipſis haud dubiè eodem omnino confluent, humores agi, protrudique eò illos ab expultrice vi, fluxione humorum ad expellendum irritata, dicemus. Nam de phlegmones ortu ex dolore certum confeſſumque, cauſæ quidem initium in eo, quod dolore affligitur, eſſe: at ſuperpoſitas partes, quicquid eſt phlegmones, perficere. τὰ δ' ὑπερκείμενα, ait, (Therap. xiij.) τὸ σύμπαν ἐργάζεται τῆς φλεγμονῆς. Si totam atque vniuerſam conficiunt ipſæ, non aliter, quàm expultricis in partem eam, quod mox deinde edocuit, facultatis vſu conficient: prorſus vt in omnibus iam phlegmonem facientibus cauſis, omnium potiſſima membris inſita expultrix facultas ſit, quę faciat, quo in omnibus retulimus modo, fibriſque ad id muneris obeũdum tranſuerſis ſemper ſuis vſa. Quæ ſi dedoceatur id facere, aut propellendarum materierum impetum, conuerſis in contrariam partem fibris, aliò atque in oppoſitum transferre diſcat: maximo ſemper futurum id, ſine dubio, auxilio atque adiumento ſit, ne aut corripiatur phlegmone, affectúve, qui oriri inde poſſet, vlla pars; aut correpta iam minùs vt multo maximè affecta laboret, conuerſa hîc quoque illico humorum fluxione retrorſum, atq; in contrarium, qua diximus ratione, acta. Fiet autem id remotiſſimè, vt ſæpe iam dictum, miſſo ſanguine in Præcautione: in morborum autem exortu quorundã, non vſque adeò. Semper autem in alia ita loca auerſo, auulſoque, vel ſi dicendum propriùs ac veriùs ſit, impulſo retrò actóque, nomen quidem ἀντίσπασις eſt, reuulſio nempe, & retractio: res, vt docuimus, abigendo propellendoque peragitur. Quam quidem ſolam atque vnicam exequendam nobis animo cõcipimus, quum nihil dum morbi inchoatum, & futuri tamen ſuſpicio aliqua ſit. Vt in Ophthalmia laborare ſolito aliquo, nihil propoſitum habemus aliud tunc, quàm inciſa longiſſimè ab oculis tali vena potiſſimùm quidem, ſed & ſcarificationibus, & frictionibus, & huiuſmodi alijs propultricis facultatis, ſenſim ex conſuetudine humores ad oculum ſurſum verſus vicinasque ibi partes agentis ſemper, vim retrò conuerſam reuocare, vt in oppoſitam inferiorem corporis partem trudere eos potiùs diſcat. Idem faciemus, quum iam tum primulum tentari affectu eo cœperint oculi. quo tempore ſolius propè, atque vnius adhuc reuulſionis eſſe conſideratio debet, quaſi qui nondum facti quicquam affectus curandum habeamus, inque ſola Præcautrice Artis parte verſemur: vt benè remotus in eo quoque propterea quærendus nobis cædendæ venæ locus ſit, donec paulatim magis magisque affluente in oculos humore, iam tum curandi quoque, atque humoris de affecto iam loco deducendi alicuius miſcere nos rationem, non id ſolùm ne eò agatur cauiſſe, opporteat; idque emiſſo, de cubiti humerali vena, ſanguine ſuccedat, eoque ita demum perueniatur, vt nulla iam præcautione vſi, vnicam adhibeamus affectui curationem; id vnum ſoliciti, vt collectitij affectæ partis humores quoquo pacto diſcutiantur.

Hac rerum conſideratione ita ſeruata, ratio tenebitur perpetua cuiuſcunque affectuum huiuſcemodi temporis, quæ quaque peragenda occaſione ſint: vnaque apparebit modus, cur obſeruanda partium in his rectitudo fuerit, toties iam decantatiſſima illa, quæ Græcis κατ' ἶξιν eſt, cui conſenſus inprimis conſentiat ille non minùs vulgatus Hippocraticus. Nam ſi reducendæ, repellendæque aliquem in locum confluentes materiæ ſunt; ex affinibus autem maximè fluunt, cognatiſque: eodem quoque faciliùs reuocabũtur, repellenturque, vnde impetum cepêre primò. Porrò cognationem hanc & affinitatem maximè inter ſe obtinent dextræ ſiniſtræque partes, quibus veluti diuiduum initio omnium primo factum fuit corpus, intercurrente trunci medium tãquam ſepto quodam vertebrarum ſpina, ad diuaricationem vſque crurium per totum, quibus ſiniſtro dextroque circunſcriptæ iam, vt & brachijs, vniuerſum corpus diſpeſcitur in longitudinem.

Quam ipſam magnitudinem vocâſſe Hippocrates (Aphoriſ. ij.) viſus eſt, dum diceret: (non enim in alium trahi ſenſum id poteſt) μεγέθη δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν ἐλευθέριον, καὶ οὐκ ἀειδές ἐστιν, ἐγγηράσαι δὲ δύσχρηστον, καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων. vt vſitatũ iam ſit, quan-

uis proprium nomen longitudinem habeat, eandem tamen magnitudinis quoque voce intelligi: hacque ideo, quia in longissimum protenditur, quoties præcauere solum consilium est, multóque pôst tempore euenientes morbos arcere, vtamur sola. Quumque coaceruari cœpere humores, morbiq; iam aliquid inchoârint; quo magis hoc fit, & vtranque coniungere cogimur Præcauendi Curandique vnà rationem: iam tum propiùs quoque admoueamus scalpellum incidendæ venæ: tuncque hanc quoque quidem, quæ per longum ducitur, loci contrarietatem sequi; sed & antè, retrò, dextrorsum, sinistrorsum, intrò, foras agere nobis humores liceat. Veruntamen hæc alterius simul & commodioris temporis, locique fuerint, vt prolixiùs tractari atque exquisitiùs posset. multa enim adhuc restarent dicẽda. Propinquitas rerum tractatui ea immiscuit: vt vitandorum affectuum ratio, quamcunque sanguinis detractio præstat, quoniam coniunctam plerunque curandi quoque rationem habet, sic vnà etiam aliqua ex parte hoc in loco traderetur ea à nobis. Nunc ad simplicem præcauendi, quod restat, & ex Vena secta sumitur, considerationem redimus.

Præcauendo, qua potißimùm corporis in parte secanda Vena sit, particulatim magis expositum, in futuris, qui vitari debeant, Capitis, Pectoris, Iecoris, Lienis, Renum, Vesicæ, Vteri, Coxendicis, & reliquorum, Febrium etiam affectibus. Tum de interpolatarum febrium foco paucula.

CAPVT XI.

LOngissimè à locis corripi phlegmone, aut affectu quoque aliquo alio solitis, Hippocratis Galenique vnà sentẽtiam sequuti, euocandam esse venæ sectione materiam narrauimus. Ob id assueto Ophthalmia affici infimi pedis in malleolo venam secabimus dextri, sinistri've, pro eo ac dexter sinisterve obnoxius ophthalmiæ oculus fuerit. Seruandum enim hîc quoque præceptum illud Hippocraticum, vt κατ' ἴξιν secemus, non solùm quum in laborantibus, correptisque iam phlegmone curationem aggredimur: sed præter relatas paulò antè caussas, in præcauendo etiam, propter admirandum non partium minùs inter se ad partem vnam aliquam, quàm totius ad totum, consensum, Hippocraticamq; σύμπνοιαν illam, qua inuicem conspirant, vt totum toti, sic pars parti.

Eadem seruabitur ratio in alterutrius lateris Pleuritide, vt tali è directo cædatur vena ad præcauendum. At vbi ex æquo pars affectu corripitur aliquo, vt pulmones Peripneumonico, aut cerebri sedes Phrenitico, aut Comitiali: nisi certa quædam alterius partis affici consuetæ indicia adfuerint, præcauentes dexterioris pedis tutissimè vtemur incisione, quòd pars ea, veluti in qua sanguificationis fõs & origo totius sita sit, Iecur, hanc ferre prærogatiuam meritissimò posse videatur: vt si paria fiant reliqua, ipsa ad euacuandum potior reperta semper sit; quumque hoc vnum euacuare animus fuerit, non aliam vnquam præferendam in hoc habeamus. Quòd si eiusdem præterea partis laborare consuetæ, vt dextra ea sit, calculus accesserit: omnibus tum suffragijs in sententiam eam ibimus.

Itaque si cui opportunum Iecur Phlegmone, iecorarióve alioqui affectui cuipiam fuerit, & anteuertere malum velimus: huic quoque idem haud dubiè consilij dabimus, vt dematur ex dextro pede sanguis, ob paulò semotiùs positam partem, quod in Præcautrice maximè parte quærimus. Sed si huic tamen quoque ipsi dextri cubiti sumendam eo in negotio Basilicam esse consuluerimus, non pessimè nos consulturos arbitror. Etenim subtracto ita, subductoque ex fonte sanguine, totum id toti simul subtrahitur subduciturq; corpori, vt depletum ita sensurum humorum redundantiam non sit; ideoque non repulsurum aliò, cuius ipse indigeat alimenti.

Renes, vt positu corporis ambigunt, sic sanè & iam affecti, postque etiam afficiendi, ambigere faciunt. Et affecti quidem recẽs, in sanguinis prǽsertim plenitudine, positi è regione brachij venã exposcẽt: inueteratiores, vt nephritici qui dicuntur, genu, aut malleoli, tanquam quæ de affecti magis loci sede ipsa educere existimentur. At in afficiendis pôst, vtracunque in parte figatur scalpellum, non magnopere relaturum id crediderim. Nam & cædi commodè malleolus poterit, qui paulò longiùs absit, auocatione humorum à Renum sede non dubia: & non aptè minùs cubiti incidetur vena, quòd supernè ex corporis partibus illis acti impulsique descendere in Renes humores queant, proinde reuocatione vehementiore hi egeant; vnaq; plenitudinis ex eo de tota mole, trũcoq; corporis exhaurietur omnino non parũ, maximo ad prohibendum ne partes laborent adiumento.

Eademq; omnino accõmodabitur Vesicæ quoque ratio, maiorque, quo in fra Renes posita paulò distat longiùs.

Nec dissimilis prsus Vteri, qua quidem

expositus is quoq; phlegmonis affectibus-
quealijs fit: at qua menstruarum insuper
in fœminis purgationum locus habetur,
per quem aut fluāt, aut suppressæ retineā-
tur, eatenus diuersa. Vt si mensiū retentio-
nem futurā suspicabimur, consuetam ali-
cui, malleolū tractemus: sin profluuium,
brachia, dexteriorū vtrobiq; partium, ob
causam quā[dixímus, quum vtra, hac qui-
dem in re, in parte affectus fiant, ignorabi-
mus: quin & ob id, quòd è toto potiùs vn-
diq; effluant, aut in toto supprimantur;
in dextra aūt sanguificationis fons parte
reponatur. Hancq; planè ob rem ipsam v-
trinque plerunq; detrahimus, consultū ita
meliùs opinantes totius omni ex parte ple-
nitudini demendæ, & arcendis ex eo mor-
bis. Cæterùm instituto nostro, quod præ-
cauēdo nūc agitur, magis semper etiā con-
ueniet vtrinque deductus è talo sanguis,
magis quoq; semper solicitis nobis de sup-
pressione, ne eueniat, euenire antea solita,
quàm ne profluuiū cōtingat. Quod semel
factū, (non aūt temerè id aut de nihilo fit,
sed aut disruptione violētiore, aut erosio-
ne aliqua) extra campū iam sanitatis omnē
constitutū curari sanarique, nō pręcaueri,
postulat. Quæ verò intra incolumitatis li-
mites adhuc cōtentis sanguinis cōtingunt
ab vtero fluxiones, exonerāte se quandoq;
per ea loca natura: eæ quoniam expultricis
facultatis operibus adnumerātur, quæ bo-
no sunt, non nisi quū iā esse nimiæ incepe-
rint, ac viriū illas imbecillitas sequetur, co-
hibendę brachij vtriusque, si opus ita esse
videbitur, sectionib9 fuerint. Sed hoc nec
futuri multo antè præcautio est, (quod
propositū hîc habemus) & erūpens iā san-
guis coercetur ipse. Quo nihilominùs co-
ercito, vitati dici poterſit affectus exube-
rantē nimis interdū fluorem illum insequi
assueti, malus, vtputa, corporis totius ha-
bitus, nōnunquā & aqua intercus. Idem-
que applicari cōsiderationis modus pote-
rit hæmorrhoidibus, quarū fortè proflu-
uiū hi quoq; ipsi comitantur affectus, cūq;
profluuio simul ipso insequuta quandoq;
actutū mors. Quod effugere malū secta in
tēpore cubiti vtriusq;, re ita poscēte, vena
licebit; sicuti earundem retentionem, cui
fortè nocitura videatur, eodem remedij
genere elicuisse, sed pedibus admoto.

Nec dubiū Coxendicum dolorē euitari
meliùs multo antè sanguinis ex cubito par-
tis suæ semper emissione debere, quoniam
præsentē parte ex eadem pedis missus præ-
sentaneo maximè auxilio sępe tollit. Simul
futura in locū eum defluxio, quū ex super-
positis pluribus, succorūq; semper plenio-
ribus, partibus lōgè faciliùs decumbat eò,
sic superioribus venis incisis multo com-
modiùs, atq; efficaciùs retrò inhibita ferē-
tur. Multoq; magis id fiet, si Podagricus, ni-
mirū pedū ipsorū, quē futurū timeamus,
sit affectus: vt si Chiragricus, nempe manu-
um totarū, quo significato vniuersa ab hu-
meri initio ad extremos vsque digitos pars
cōtinetur, cōtraria, sed eiusdē tamē ratio-
nis, indicatione positū è regione pedis ad
id talum sumemus; aut vtrunque, si indis-
certè vtraq; affici assueuerit manus.

In communibus aūt articulorum dolo-
ribus, quibus æqualiter extremæ manus,
pedesq; affligi solent, quod tamen nō per-
inde frequens est, raroq; euenire videmus,
quin alterutræ manuum pedúmve magis
minúsve affici partes consueuerint: quo
casu sine dubio ex minùs obnoxijs affectu
dememus. Sed si nullo discrimine æquè oēs
expositę articularibus cruciatibus fuerint,
quod quidem rationē hanc spectet, nihil
fortasse intersit, hac illáve ex parte trahas:
at rationis tamen aliquid non defuerit,
quamobrē de fonte potiùs exhaurias, vn-
de ęquabiliter ex corporatura omni dedu-
catur sanguis, atq; extimam ideo corporei
status superficiē, proinde etiā extrema pe-
tere dediscat intrò ad medium reuocatus
sanguis, forasq; inde missus. Simul qui san-
guificationis totius fontē iustè depleuerit,
nō est dubium Plethoræ hunc occasionem
maximam ademptùrum, qua ferè vniuer-
sus articularis affectus constat.

Pariter qui febribus corripi, morbo nem-
pe corpori toti cōmuni, soliti sępe sunt; &
in his quidē venā secueris nō incommodè,
qua libuerit cūq; corporis in parte. vndiq;
enim factura febrē materia, si manserit, ex-
trahetur de corpore, & futuræ plenitudi-
nis suspicio demetur. At meliùs demptū iri
ratio persuaserit ex parte ea, qua in parte
febriū, continuarū præsertim semper, sæ-
pe etiam interpolatarum, origo & occasio
omnis est. Id porrò egregiè pręstiterit dex-
tri cubiti incisa Iecoraria, per quam & ex
maioribus illis, vbi synocharum causa est,
ortusq;, alas inter atq; inguina positis, ve-
nis; & ex reliquis, quibus continuarū reli-
quarū materia cōtinetur; & ex præcordijs,
vbi interpolatarū fomes quidā accenden-
darū semper restat, detracta educi sangui-
nis, cumque hoc cæterorum humorum co-
pia non exigua, possit.

Quarū, interpolatarū dico, causa, mate-
ria, & origo licèt minimè venis continea-
tur, extraq; feratur, eoq; præsentes iam fa-
ctæq; nō sanè admodum, hoc quidē respe-
ctu, nisi qua alia de causa, indigere misso
sanguine meritò videātur: certè vt præca-
ueantur, eguerint. Ex sanguine enim hu-
mores quidē quoq; partibus tandē incum-
bentes illis ingruūt, vbi generaturi mox fe-
brem

brem sint, sui generis quisque, venas extra delati, emissique: præcipuè verò, si Tertiana timeatur febris, cuiꝰ in iecore sedes, sanguinis fonte ac domicilio, vt iuuari ideo maximè remisso quoq; inde sanguine, atq; anteuerti posse, valde verisimile sit. Ideq; de Quartana censeatur, ob sedis suę locum, quam in liene posuit, viscere venarum atq; arteriarum pleno. Eo verò casu emissus de sinistro brachio extremáve manu sanguis competet in præsenti affectu haud dubiè: in futuræ autẽ Quartanæ timore dextrum præferremus, ob dictas toties iam causas, & plenitudinis totius faciliùs ita tollendæ, ideo & à liene remouendæ gratia, & peragendo longinquiùs ab affligi consueto loco fluere eò materiæ solitæ auocamento.

Omnium minimè in Quotidiana intermittente sanguinis detractione opus, & ad curandũ, & ad præcauendum: ne nimiùm ex eo habitudo fortè refrigeretur tota, humoriq; per se frigido, maior atque intentior ita frigiditatis qualitas acquiratur. Nisi tamẽ aut in præsenti causæ accesserint aliæ aliquæ facere id cogentes, (quod perquàm rarò fit) aut in inuasuræ postmodũ expectatione plus satis in venis pituitæ cũ sanguine vnà ipso fluentis oberret, vt cædi iure tum mittendo sanguini pituitoso vena debeat: quando crudus quoque humor, de pituitæ & ipse genere sanguini cõmixtus, vtiliter satis demi nonnunquam venarum incisione posse videatur; ac proinde hoc quoque casu anteuertendus sit, ne venas egressus, ventriculoque immoratus, cõfluensque eodem aliunde, viuendique ad hæc erroribus collectus putrefactusque, febrem demum Quotidianam, quam diximus, faciat. Fomes ibi focusque quotidianarũ accessionũ ex putredine factus, minimẽ quidem venis cõtentus ille, (vt hoc quoq; obiter dicatur) cęterùm ventriculi tunicis, mẽbranisque, ac solidioribus illius partibus receptus, acceptáque ibidem putredine, ex qua febris, febrisque vnà accessionibus suis recurrentis semper initia sunt, putrescente nihilo secius tũ, eodẽq; tẽpore per corpus nõ minùs reliquũ extra venas eodẽ illo pituitę humore, vt in Tertiana, bili; in Quartana, melancholia. Quarum vtraque in intermittentibus, quas putridæ factæ gignũt, febribus: altera iocineris simul partes, quæ παρέγχυμα illius sunt, ac vicinas circùm occupat, simul reliquæ molis totius, præter venas, loca: altera lienis eodem pacto, partesque corporis itidem cæteras, sed musculorum carnosas solidásque extra venarum riuulos semper, quibus inclusæ, ac putrefactæ, continuas producant, sui vnaquæque generis, febres: seclusæ autem, intermittentes. Porrò autem, præter venas illarumque cauitatẽ, per totum corporis totius statum, intus, foris, in pręcordijs, in visceribus, carnosæ partes vbique reperiuntur solidæ, παρεγχύματα, membranæ. Quibus omnibus hęrere humores, succique, & morati putredinem contrahere, eóque pacto febres sui generis illas interpolatas gignere, valeant: verissimumque futurũ ita sit, quum interpolatas hasce febres causam habere audimus putridos quosdam extra venas humores, omnem vt partem, præter venarũ atq; arteriarum, quæ tamen ipsæ quoque venarum sæpe nomine comprehẽsæ intelligantur, cauitatem, mente statim amplectamur; potissimùm verò hac in re sensu præditæ quæ fuerint, per quas humorum putrefactorum commotio minor maiórve horrorem, aut rigorem in febribus illis creet: adeóque, vt, quum cauitatẽ tantummodo venarum dicimus, aut arteriarum; harũ substantiam, corpúsque, vasaque demum ipsa cum reliquis solidioribus partibus numeraturi simus, quibus ipsis quoque insistere, & per quæ ferri humores ijdẽ illi possint, ea tamen cogitatione, vt putrescãt quidem æquè in corpore extra venas vbique in interpolatis humores: atque intereà tamen (quod quomodo inconueniat non satis dispicio) putrefactionis ceu fomes quidã, ac focus, pituitę in ventriculo, bilis in iocinere, in liene melancholiæ, habeatur semper, propter maiorẽ quorumcunq; horum sede cuiusq; sua ac domicilio quodam vim ac copiam. Verùm totum hoc in trãscursu quodam de intermittentium febriũ fomite, ac foco, quatenus tãtummodo Venæ sectionem ad præcauendũ respicit, dictum accipiatur: quandoquidem ab vtraq; Plenitudine eiusmodi febres, nisi hac ex parte, quo ostendimus modo, caueatur, gigni posse facilè crediderim. Restaret tollendæ Cacochymiæ ratio dicenda. Quam quoniam capere totam præsens liber non facilè posse videtur, in nimium quippe excresceret: in sequẽtis initium libri exinde ordiemur.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVSQVINTVS.

Præcauendorum ex Cacochymia morborũ ratio. Cacochymiæq́, ipsius, ne generetur, & genitæ tollendæ modus. Quantum ad sanitatis securitatem attenuatoria victus ratio faciat. Rursus habitiores qui esse student, quomodo se gerere debeant.

CAPVT I.



Nvnc ergo alterã Precautricis huius Artis, repurgãdæ Cacochymiæ, aut cõtemperãdæ, aut absumendæ, aut ad meliꝰ deducendæ, in qua sperare id liceat, aut deniq; quoquo tandẽ modo, anteq̃ morbos gignat, dimouẽdæ dicatam partẽ contemplandã sumemus; postquàm de mittendo hoc in opere sanguine, quæ altera fuerat Præcauendi pars, satis, vt arbitror, ad rem hãc superiùs egisse videri possumus. Geminis quidem hisce continetur totum considerationis negotium hoc: Sanguinis missione, aut quęcunq; huius ipsius subire vicem possunt, quibus Plenitudo vtraq; illa dematur: & vitiositatis succorũ in corpore, quæ Cacochymia est, repurgatione, qua ante morbi generationẽ noxius qualitate sua humor tollatur, aut ratione aliqua alia infringatur, aut melior etiã aliquando fiat. Quæ duo quũ diligenter prouiderimus, vt ne plenitudo in corpore vlla, néve humorũ vitium vllum, aut reperta malitia sit: satis cõsultum fore, ne labi quis in morbos, aut ne tẽtari etiam his aliquando possit, arbitrabimur. Nam secretio humorum de corpore interdum nimia, quam haud dubiè morbi quandoq; ipsam quoq; insequuntur, ea id ꝓfectò neq; aliud quicquã causæ habebit, vt aut Plethora extenta nimis vasa disruptaq; sanguinẽ effundãt, aut plenitudine ad vires degrauata, aut succi alicuius malitia irritata expultrix facultas fluores adferat: breuiter, humorũ vel quãtitate, vel qualitate stimulata, seseq; exonerare festinãs, nimio interdũ humorum plus eijciat. Atq; ita corporeæ internæque morborũ causæ, quæ in Tutãtis sanitatem, venientesq; morbos anteuertentis, Artificis cogitationẽ cadunt, vniuersæ hæ fuerint, quas priùs quoq; attulimus, eædem. Externas enim forisq; ingruẽtes, eas vt sibi vnusquisq; prouisas effugiat, id verò positũ in vniuscuiusq; potestate atque arbitrio est, vnicuiq; his adhibetur, minimè ex Artis penetralibus ductũ, pręceptum, vt caueantur admonitis. Cętera artificij omnia erunt exacti, nõ modò quid, quáve quodq; faciendum ratione modoq; sit; sed etiam quo remediorum genere, quóve id exequi tempore debeamus, diligenter vt perpendamus.

Omnium autem præstabilissimũ fuerit, hîc quoque, sicuti quũ de Plenitudinibus agebamus, vt quemadmodũ ibi fugiendam esse repletionẽ semper, cibariorũq; inprimis maximè alibiliũ monuimus: ita hîc praui, vitiosiq; succi vitãda esse in vniuersum omnia moneamus. Quarũ planè rerum, & reijciendarũ, & eligendarũ, abundè veluti delectus quidã haberi ex superioribus potest. Quod quũ perficere poterimus, vt delectũ semper alimẽti perpetuò ad extremũ vsq; seruemus, securis nobis à morbis, grauioribus præsertim, degere licebit. Scilicet confirmatum id nostrę, totiusq; Medicinę post Hippocratẽ parentis testimonio, (lib. De bo. & ma. suc. ci.) imitandumq; habebimus, qui priùs inter adolescentiæ annos, ex inobseruata victus ratione, multis sæpe ac periculosis morbis, ad abscessus vsque, quo loco iocineri transuersum septũ cohæret, suspicionẽ correptus, ac prudentior deinde factus, abdicatis æstiuis fructibus omnibus, quos ὡραίους Græci vocãt, succiq; mali cibis, integra deinde sanitate ad extremum vsq; vixit: sociosq; habuit ea in re, eodemq; successu, æqualiũ suorũ, quibus idem persuasisset, plurimos. Atqui præcipua fuerit ac potissima nõ coaceruandę Cacochymię cautio hæc, obseruata nimirum victus in omnibus ad vnguẽ ratio. neq; in cibo tamẽ solùm, & potu: sed & reliquis, quorũ antea pręcesserunt tractatus, omniũ, aëris, motus ac quietis, somni ac vigiliæ, animiq; affectionũ. Horum nanq; diligenti obseruatione cunctorũ, plurimum semper caueri Cacochymiæ possit, ne colligatur: tũ deinde & collectæ multum tolli, adeoq; etiam in totum auferri, vt exercitationibus potissimùm ante cibũ initis. Quibus tribui meritò tantum potest, vt harum ope, si opportunè ineantur, securitatem sibi quis pollice- ri, etiam

vi, etiam in nō admodum exquiſita victus
ratione, poſſit. Qua ſi priuetur, neque vti
exercendi ſe beneficio in tempore potue-
rit: huic, ſiquidem ſeruare ſe immunem à
morbis volet, neceſſariò exacta quadam
opus erit viuendi ratione, vt & cibatus de-
ligatur laudati ſemper ſucci, & iuſta dele-
ctum hunc quantitas ſequatur, ſumendi-
que opportunitas accedat, ſtudiumque ac
cura, ne cruditas ſuccedat aliqua, reponā-
tur. Quod quum fit, nempe vt cruditas
ſuboriatur in corpore aliqua: vix fieri ali-
ter poſſe credendum eſt, quin morbi his de
cauſis incurrantur multi. niſi quis initio
ſtatim aut alui ſubductione per minora
quædam temporum interualla occurrat
ipſe, aut paulò etiam maiore corporis re-
purgatione per maiora, tempeſtiuaque in-
terdum ſanguinis detractione, ſalutaribus-
que ad hæc epotis tēpore ſuo medicamen-
tis quibuſdam, quæ paulò pòſt tradentur.
At quanto ſatius fuerit ſic ſe geſſiſſe in vi-
ctus ratione omni, nullus vt vſus futurus
neceſſarius ſit talium medicaminum, cùm
ipſe per ſe moleſtus ſemper, tum quo non
admodum laudata introducatur corpori
conſuetudo, ſi perpetuò ducenda inter
medicamentorum vſum miſerè interdum,
atque infeliciter vita fuerit. Quæ tamen
neceſſaria futura ſunt, quum primùm ac-
cumulari cœperint vitioſi in corpore hu-
mores; niſi abſumpti quamprimùm aliqua
tandem ratione diſſipentur, morbos ſta-
tim facturi. Et qui ſeruitutem quidem
aliquam ſeruiunt, aut aliàs negotiorū mo-
le obruuntur ſæpiùs, aut aliqua alia de
cauſa impediuntur, quo minùs curæ ac di-
ligentiæ adhibere hoc in opere, quantum
futurum ſatis ſit, queant: hos ſanè excuſan-
dos habebimus, ſi quando recurſu illis ad
hæc futurum opus ſit. Incontinentes verò
& intemperantes, ſpontéque ſua in errores
hoſce delatos, ac culpa tantùm ſua miſe-
ros, in neceſſariū vſum incidiſſe coargue-
mus rerum non neceſſariarum futurarum,
ſi, quod poterant, conſultum ſibimet ini-
tio eſſe voluiſſent; neque ſe extra viam,
qua certiſſimis victus totius rationibus in
ſanitate tutò pergitur, voluptatis ſæpe
paruæ illecebris victos rapi ſiuiſſent. De-
creto enim ſummorum Medicorum illi fi-
dimus, Nunquam febre correptū iri quem-
quam, aut grauiore aliquo morbo tentan-
dum, cui præcipua ea cura fuerit ſeruandæ
victus rationis per omnia. Huic enim ab
internis quidē cau ſis nihil impendere ma-
li poſſe, quas nullas in corpore foueat, cre-
dēdum: nec ſuccreſcere eas, aut ad morbos
vſq; faciēdos vires ſumere permittet vita,
cuiuſmodi narrauimus, per præcepta de-
fendendæ à morbis morborúmque cauſis
ſanitatis diligenter ducta. Ab externis for-
tè fortuna ingruere mali aliquid poterit
cauſis: ſed eas, in poteſtate ſæpe noſtra po-
ſitum eſt, vt vitemus: & quum ingruunt
neceſſariò aliquando tamen, corporeas il-
las antegreſſas, & antecedentes morborum
quas vocant, quum non offendant in cor-
pore; ſic ne morbos quidem gignent, niſi
ſui generis quoſdam. Vt labor fortè ali-
quis, aut inſolatio, æſtúſve, aut frigus, (ex-
empli hæc tantū loco ponimus) purū cor-
pus nō magnopere offenſura ſint, ipſa nō
admodū vehemētia: vehemētiora aūt vnā
fortaſſe intemperaturā aliquam fecerint,
protinus diſceſſione cauſarum abolēdam,
aut non magno negotio mitigandam; aut
etiam ephemeræ aliquid febris accerſiue-
rint, ſed quæ non vltra conditionis ſuæ
terminos, niſi ex Medicorum erratis, facilè
producatur. At impurum cauſæ eædem,
ſuccisq; refertum malis, nactæ, etiam non
vehementes ac magnæ, in vehementes ta-
men ac magnos ſæpe morbos impulſum
corpus adducēt. Vſque adeò ad firmam ſa-
nitatis tuitionem contulerit, ſedulò ſem-
per ac diligenter, ne qua intereà ſuboria-
tur cauſa, modis omnibus prouidiſſe: quæ
vel per ſe ſpontéque ipſa ſua ſeditiones in
corpore moueat, & inteſtina mala cieat;
vel idem exterioribus cauſis commotior
facta introducat.

Scitum eſt illud, quod Hippocratē au-
thorem habet, ac Medicorum deinde cho-
rus omnis ſciuit, & mortaliū propè omniū
aſſenſum meruit: (Epidem. vj.) ἄσκησις ὑγίης
ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. vt meditari nō ali-
ter valetudinis firmitudinem noſtræ poſſe
videamur, nî alimētorum primùm modus
nobis conſtet vniuerſorum, atq; impigrè
ſemper laboremus. Hisque duabus ſummis
rationes tranſigendę ſalubriter vitæ conti-
nebuntur omnes, quarum caput alterius id
habeatur, & quidem præcipuum, ac potiſ-
mū, ἀκορίη τροφῆς: quo primore quidem cō-
ſideratione in ſpeciem tantùm quantitatis
cibi admoneamur, ne ad ſatietatem vſque
ingeratur, cæterùm non qualitatis minùs
formula cōprehenſa intelligatur. Nā ſi vel
optimi cuiuſq; cibi nimietas fugienda, quę
ἀκορίη eſt: tanto magis peſſimi, vitioſi nimi-
rum, & praui, abdicanda repletio, vtpote
cuius vſus etiam nō immoderatus damno-
ſus ſæpiùs repertus ſit. Atqui hunc tamen
quoq; interdum vel exercitationibus labo-
rioſis diſcuſſum opportunè inchoatis, ne
febres inde, aut obſtructio exoriatur ali-
qua; vel, ſi nimius nō fuerit, contēperamē-
to emendatū corrigere licuit: modū exce-
dentem, niſi paulò fortiùs repurgantibu
pharmacis, amouiſſe non liceat, iam, vt an-
tea quoque dictum, naturæ infeſtis noſ-
træ

ſtræ, at neceſſarijs tamẽ per interualla quædam futuris, ne deteriora contingant. Hæc eò dicuntur omnia, vt ſtudium, curaque in eo diligens ponatur ſemper, ne humor vnquã accumulari aliquis in corpore permittatur vitioſus, qui etiamnum paucus malitia tamen ſuſpectus nobis ſua ſit: paulò auctior iam corpus obſidere, & negotij aliquid exhibere incipiat, morborum ſæpe multorum tentamentis: multus verò, dominãſque, eò ſtatim adigat, vt, niſi maiore opere, quaſiq; iam iuſtis armis repulſus abigatur, irrupturus ſtatim in ſanitatis campum ſit, & conſtitutas naturæ inibi leges, ordinemque quamprimùm omnem perturbaturus.

Proxima eſt cautio ad ſanitatis inoffenſæ cuſtodiam, (quanquam & hoc ipſum Cacochymiæ nomine generatim cõtineatur) ne craſſus glutinoſuſque paulatim exortus radices altiùs agat ſuccus, antequàm extirpari euelliq; poſſit, multa deinde mala introducturus; aut ſuſpectam certè, pluri miſque, ac minimis ſæpe, occaſionibus obnoxiam, cuiuſcunque humor is corpus occupârit, ſanitatem facturus. Neque enim incolumitatis noſtræ rationibus acccommoda valde humorum in corpore craſſities, aut glutinoſitas, aut craſſos hoſce glutinoſoſque faciendi ſtudium, quod ſedulò nihilominùs quidam faciunt: quum contraria huic attenuandi ratio, ex victu diligenter quæſita, habita ſemper ab omnibus potior fuerit, atque omnium potiſſima. Cuius vnius propè beneficio liberi atque expediti corporis meatus omnes ſunt interni, externique, cutanei nimirum ipſi ſuperficiei extimæ: vt nec intus timeri nimis infarctus vlli debeat, multorum maximorumque ſæpe morborum cauſa; neque ſuperuacanearum materierum diflatio ne ſequatur metuendum, quæ per ſenſum noſtrum fallentem tranſpirationem agitur, excrementorúmve ſordidorũ eiectio, quæ inhæſiſſe cuti ſæpe viſitur. vtraque autem vt rectè fiat, recluſos ſemper vniuerſã corporis ſuperficiem ambiẽtes meatus omnes exigit, magna euitandorum morborum ſecuritate, qui ab interna nobis cauſa impendere videtur, prohibita humorum, ob obductos adſtrictóſve, aut cõniuentes meatus eos, euaporatione. Rurſus, licèt ex hoc ingruentibus extrinſecus cauſis expoſiti magis ſiamus: minore tamen ſemper negotio, quod foris adueniet, deuitare, aut occurrens iam repellere, ſæpe etiam declinare in totum licebit, quàm ſeditioſo ſemper atque inteſtino, & quod nobiſcum perpetuò circungeſtemus, laborare malo.

Atque hæc eſt Sanitatis ex attenuante victu ratio ſecurè atque inoffenſè degentium multorum, non magnis quidem viribus præditæ, neque habitudine ea, quæ lacertoſos, aut pectoroſos, aut corpulentos faciat, tolerandiſque laboribus ſæpe multis ciuilibus, aut ruſticanis, aut militaribus quoque validos aptóſque, quos ferè benè habitos nominare mos eſt: ſed quam tamen optare ſibi poſſint pacatè ac tranquillè degentium, miniméque ſe laborioſis negotijs implicãtium, multi; qui aut Muſarum otia ſequuti, aut placidiora quæque ſtudia alia, ſibique ipſis ac ſui tantùm generis quibuſdam viuentes, actuoſæ negotioſæque vitæ remiſerunt penitus nuntium. Hoſce & commodè victuros, neque minore tamen, quàm habitiores multi, longæuitate; &, quod propoſitum ab initio habuêre, perfecturos, ſeu ſtudia illi literarũ ſectanda habuerint, ſeu ingenij quoduis opus aliud, in quo induſtriam ſuã ponant, perficiundũ in vita ſua deſumpſerint; (quando quod dicitur σῶμα παχὺ ὀυ πάνυ τίκτει νοῦν) facilè & libenter credemus, abdicato craſſiorum ac viſcidorum vſu.

Quibus ſi quis tamen vti volet, cui fortè ſanitatis conditio quoque ea arrideat magis, aut vitæ ſuæ rationibus accommodatiorem eligat, quæ cum periculo interrumpendæ valetudinis aliquo ſit magis, quàm vt morborum ſecurus tenui gracilique habitudine degat: huic illud conſtitutum eſſe debebit, vt prouideat diligenter, quandoquidem periculoſa omnino ea victus ratio eſt, quam neceſſariò de viuendi inſtituto ſuo init, ne alia deſint aliqua, quibus incommodum id emendatum reſarciatur: vt, ſi per otium illi liceat, neque admodum negotijs diſtrictus detineatur, ac temporis ſemper ſuffurari aliquid poſſit, valetudini ſuæ tribuendum, in eo ſe ante balnei vſum exerceat, recuratoriúmque deinde exercitium præterea adhibeat. Ita nanque ſi, quæ par eſt, alia in ratione quoq; victus exequatur, quanuis paulò magis craſſis ac glutinoſis neceſſariò fouendæ habitudini ſuæ cibarijs vſus, euaſurus tamen incolumis ſit. Quibus ſi præſidijs deſtituatur, & eam inſiſtere viuendi viam perrexerit: nõ ſemper ſpes ſit ab omni hũc ægritudine illæſum ad vltimum permanſurum. Itaque demendum huic aliquid de conſueta victus craſſitie tũc, quum negotijs impedietur, ne peragere ad ſanitatis ſuæ tutelã cuncta poſſit. Vel ſi nihil remittendum ſibi de cibariorum qualitate ea eſſe exiſtimârit, veritus ne bonitas habitus, quem vnum perſequitur, iacturam in eo aliquam faciat, cogaturque propterea craſſi viſcidique cibatus vſum ſemper retinere: id ſaltem curet, vt, quo tempore indigentiã ſenſerit, hoc eſt, quum alimento ege-

tò egere suo corpus perceperit, id tantùm faciat, quo videlicet auidè sumpta, in nutrimenti alterius vacuitate, faciliùs calore tum naturali nostro conficiantur. Possit & is, cui curæ bona ea habitudo fuerit, & exercendi se, aliáve, in crassi viscidíve cibi, ne ęgritudo vlla inde sequatur, vsu, faciēdi commoditas defuerit; eo tantùm tempore, ex mediæ materiæ cibis crassum inter & tenue, quæque nec plurimùm, nec minimùm tamen alant, bonam habitudinem illam custodire, & sanitatē vnà tueri suam. De cętero quoties vacare sibi animaduerterit, simul vt peragere necessaria quæ diximus ad euitandam noxam sequi inde solitam possit, redire ad sui generis alimenta licebit, quibus bonam habitudinem, quæ εὐεξία est, iusta nempe corpulētia cum temperamento quędam, & cadere tamen in securam satis valetudinem queat, conseruare sibi ac sustētare valeat. Quam tamē dum custoditam multi cupiunt, caueant ne in alteram Athletarum illam omnium periculosissimam, multisq; mortibus sæpenumero obnoxiam, imprudenter labantur. Nam altera, εὐεξίαν quam diximus, tametsi ad securitatem conferri cum paulò attenuatioris corpusculi sanitate nequeat, propter suborientem iam in ea Plethoram, & obstructionum interdum multarū inde periculum: longissimè tamen athleticam bonitate vincit, nō solùm quòd salubrior multo, multóque vnà minùs vitæ discriminibus obnoxia; sed etiam quòd obeundis, peragendisque negotijs sępe multis cùm ciuilibus, tum militaribus, tum generis vniuscuiusque, promptior ac paratior, adeóque efficacior esse inuenitur; simul impigrè ac nauiter aggrediens, simul in opere fortiter perdurans, miniméque in eo fatiscens, donec ad exitum perducat. Quorum in Athletarum habitudine illa nullū. proinde, ne, dum benè habiti esse student quidam, malè idem fiant, quòd proximus esset ab altera in alterā transitus, eo diximus. Veruntamē hęc suo loco, suoq; tēpore, aptiùs ac conueniētiùs fortasse traderētur omnia.

Vitandam monuimus succorum malitiam, vitiumque omne, ad sanitatis defensionem. Nunc facta suboririque iam cœpta Cacochymia quomodo tollatur, (quanquam de hoc iam quoq; aliquid antea) breuiter trademus.

Corrigi, attemperari, reduci ad bonitatem, partim etiam concoqui Cacochymia potest; postremò vel subduci, vel vomitu reijci, vel repurgari. Quod quum quibusdam alijs, tum verò & vrinam cientibus medicamentū fit.

CAPVT II.

Non omnis statim Cacochymiæ admouenda purgationis machina. Sæpe iam tum primùm pullulans alteratione contraria corrigi, sæpe victus ratione meliore per cōtemperamentum ad naturæ bonitatem reduci; sæpe minimo negotio natiui caloris opera, nōdum prorsus naturales limites egressa, aut verti adhuc in alimentū, si illiusmodi materia fuerit, vel etiam à natura aliâs consumi poterit. Quorum si neutrum, aut nullum potiùs horum fieri dabitur, coque progressa vsque fuerit, vt, nisi de corpore statim expellatur, concitatura turbas sit, & sanitatis quietem inuasura: iam tum eijcienda omnino fuerit: si ventriculum, vicinásque fortè partes lienis, aut iecoris caui, aut mesenterij occupauerit; lenientibus placidè, aluúmque molliter subducentibus medicamentis, quæque Græci ab effectu ἐκκοπρωτικά, Latini Stercoraria vocāt, nō ferè primæ illius regionis loca pertranseuntibus, nec vnquā iecinoris cauū vltra progressis: & modò, quicquid ibi materiæ inuenerint, deuehētibus in intestina secum, immixtúmque fæcibus ita ac prouolutum eijcientibus foras, vt fistularis casia, vt pruna, myxáque, ac malua, lenitione emollitionéque tātùm ventris facta, ex humido, lubricóve suo: modò seorsum etiam priuati aliquid humoris alicuius placidè detrahētibus, vt Aloe bilem; vt Rhabarbarum, si portiuncula huius fuerit, cùm hanc ipsam bilem, sed paulò tamen crassiorem, tum pituitæ quoq; aliquid; & Myrobalani prunorū genus, Senáque herbula modicè sumpta atrum humorem.

Etiam hærentes intestinis vitiosos humores, generis cuiuscunque, acres etiam quandoque, doloremque & morsum inferentes, citata interdum inde non minùs sępe aluo Clyster commodè eduxit, simplex minimeque operosus aliquis, aut ex ptisana, aut oleo, aut carnium iusculo, addito saccharo impuriore illo, quod culinarium est, vt quod maioris abstersionis sit.

At ventriculo contentos, fluctuantésque ibi, vomitione educemus non magno negotio, seu pituitæ, seu bilis, siue etiam transfusæ eò melancholiæ vitium fuerit: perinde enim habebitur. Impactos verò, implicatósque tunicis, & visciditate tenaciore eijci contumaces, (quod genus lenta valde, ac tenax sæpe pituita quædam est) dissectos priùs incidendi vi aliqua, vt puta radicula ex oxymelite; tum demum in paratis ad id vomitu expulisse pręstiterit: sin minùs, inferiùs deiectos egessisse.

In

In non æquè lento humore, nec tã pertinaciter adhærente, satis erit ex ptisana idẽ, aut melicrato conari. detersoria enim vi sua, qua pollent, detractos ventriculo humores, aut vomitioni, aut deiectioni parabunt: paulò tamẽ semper plus assumptis, quum ciendus vomitus, quàm quum subducenda aluus erit, quòd sursum agi humores paulò maioribus exposcãt. Hisq; ac melicrato inprimis si incoquatur aliquãdo absinthij quoq; coma, aptissimum id auferẽdis de ventriculi ore tenuioribus humoribus, biliosisque habebitur, quibus sæpenumero infestari in sanorum multis solet.

Præstantissimum autem omnium, tot iam ante postque Galenum ætatum suffragijs comprobatius semper factum, ad contentos ventriculi tunicis vitiosos corruptósque humores in sanitate tollendos, Hieræ medicamen, Picram quam nuncupãt hodiéque officinæ, siue bilis inde, siue pituitæ insuper demenda Cacochymia sit. Addita nanque aromata, dissectam incidendi, qua non parum præstant, facultate pituitam, simul & immutatam detersamque eductu facilẽ reddere possunt. Sumenda in id Aloe bifariam, summorum Medicorum præcepto, lota, non lota, magis minusque vt subducat, maiore itidem minoréque semper cum offensa ventriculi. Traderurque huius, cum medicamẽtis salubribus alijs quibusdam, præparandi ratio.

Rursus cum sanguine vnà contenti intra venas si vitiosi humores fluitent, quum non hæ illis tunc pateant, communésque aperiãtur, per quas protrusi impulsu non magno ferantur extrà, viæ, auferendique omnino fuerint: ineũda ratio alia. Ea nulla vnquam hoc in opere inueniri melior, quàm repurgãdi modo facta, poterit: quo vitiosus humor, medicaminis vi alicuius, proprium sibi ac peculiarem trahẽtis, educentisque de venis, purum purgatúmque, qui inficiebatur priùs, sanguinem eductus relinquat. Erunt autem, quæ hoc præstare debuerint, aut vehementioris purgatoriæ facultatis alicuius, sed modicè his casibus sumpta: aut ex mitioribus illis maior necessariò sumetur ad hunc vsum quantitas. Simul & quæretur modus, quo superatis primæ regionis illius locis, iamque in iocinoris sima adducta, distributáque, proprium sibi quæque ac familiarem eliciant, trahantque succum; ac mox inde pellantur, expultrice tum primùm facultate noxam eam sentiente, commotis loco humoribus, & ad propellendum irritata. Atque hæc esse tamen omnia eiusmodi oporteat, vt, quanuis eliciendi proprietate, ac familiaritate ea humores valeant: non vehementer tamen id, aut violenter agant, aut in valde procùl etiam dissitos in corpore humores eliciendos ad se eorum vis transferatur: vt quædam sunt, tantæ eo in opere efficaciæ, vt vehementissimè repurgent, indubitanter cum ipsa potestate illa trahendi vehementiore quadam prædita; tum coniunctam secum (vt ferè in his fit, quæ efficaciter id faciũt) extraneam ac malignam qualitatem aliquam retinentia, quæ proposito huic nostro, institutóque, quo salubria tãtummodo medicamenta quædam tractamus, accommodãsse non facilè fuerit. non enim facilè deponere noxam illam, quam præter attrahendi humores facultatem obtinent, possunt. Par est autem, vt corporis statui ægroti, sanique, aut tentati morbis, nondũ tamen correpti, proportione semper quadam respondeant pharmaca. Quis enim, modò nõ ineptissimus, supra, quàm aut res exposcere, aut admittere affectionis conditio videatur, nõ necessarijs medicamẽtis oneret corpus? Porrò hoc casu periclitanti alicui ne morbosum affectum incurrat, æquando sanguini, quum fortè vitiosi humoris malitia in eo exuperauit, satis futurum est superque, si biliosa materia extiterit, Rhabarbari vsus: si pituitosa, cũ huius eiusdem, tum Carthami & Agarici: si atrabilaria, Myrobalanorum, potissimùm verò nigrorum, & Senæ. quãuis hæc inprimis quidẽ retorridos humores hosce euacuare existimata sit, non minùs tamen propè & pituitam. quod idem & Chebuli, & Emblici, & Belirici pręstant: vt flauam Citrini detrahere creduntur, cum Tamarindis vnà. Quòd si nequaquam ad venas vsque pertingere horum vim posse obiecerit aliquis: sciat is, posse, sed præparata ad id, vt peruadere expeditè angustos mesenterij, iecorisque meatus valeant; pluráque, quàm si vẽtriculum tantummodo, circunie ctásque huic partes, repurgare propositũ esset, sumpta.

Neque tamen defutura alia quædam sunt, quæ indubitatò id faciant. Fecerit enim proculdubio Manna, aëreum id mel, quo bilis vlla absque molestia, viriumque omnium offensione, pituitæque insuper semper aliquid ademptũ sanguini, superuacuũque, ac vitiosum detrahitur: vt non defutura sint remedia, quibus in sanitate arcendis imminentibus iam morbis abundemus. Suntque hæc simpliciora: composita autem ex his, quædamque ad hæc alia, tradentur posteà.

Visum prætereà nonnunquam succorum, qui venarum cauitate continerẽtur, prauitatem reponi à natura in renes, perque hos in vesicam, tãquam quò colluuies sæpe de corpore toto cõfluat, extrudi, forasque

rasque

rasque mitti solitam, si modò cietibus vrinam medicamentis adiuta impetum eò ceperit. Quo quidē euacuationis genere, cuiusque modi vitiositas æqualiter cum sero secreta, sequestratáque de sanguine, trahi à renibus eximique inde poterit; præcipuè verò tenuior, vel quæ in seri abire partem extenuatione maiore solita sit: vt humorū omnium ichores, tum crudior etiam humor Praxagoreus ille, accepta concoctione, libēter partes hasce renum petere, & in vrinæ fundo subsidens purulentæ materię speciem exhibere consueuit. Quod antequàm coctionis aliquid accipiat, ac præ se ferat, non valde sanè tentandum, vt vehementiùs cientibus vrinam medicamentis agere in eo conemur. Quæ quoniam plùs nimio excalfaciunt sanguinem, atque eliquant; simul humorum quietem, qua maximè, atque inprimis ad concoctionem indigent, perturbabunt.

Mittendi in Cacochymia sanguinis scopi duo inprimis: vt nec nimis multus, nec vitiosus valde sit, qui educi ita humor debeat. In reliquis cur fugienda Vena sectio, rationes dictæ.

CAPVT III.



Væsitum ab eruditioribus & de Venæ sectione, num hæc quoque mixtę sanguini Cacochymiæ, venosoque generę coercitæ, adhibita conferre ratione aliqua posse videatur. Qui fieri autem poterit, quæso, vt conducat, primaria quidem ratione vlla? quum nos primo præcipuoq; respectu demptum tantummodo laboremus humoris vnius alicuius vitium. Vena autem incisa, cùm is, tum reliqui, quibus fortè vitij, aut malitiæ nihil insit, cū ipsissimo, vt ita dicam, sanguinis liquore, ineptè, extráque propositū nobis in actione eiusmodi scopum, auferuntur. Itaq; demitur quidem sic quoque vitiosi humoris pars: verùm quota ea reliqui totius portio? Ac siquidem hanc sibi prosequendam quis demendæ Cacochymiæ rationem censuerit, huic totius fortè corporis mittendus sanguis sit, id vt demū assequatur: nō vt in Plethora, vbi detracta, quæ redundare nobis videbatur, reliquam naturæ integram irreprehēsamque suæ relinquimus. Quorsum igitur viam ingredi eam tentabimus, ad præcauendū à morbis, quam conficere, nisi perditis prorsus eius, cui consultum ita voluerimus, rebus, adeóque vitæ priuatione, nequeamus? aut quis vnquam inanem conatum rebus peragendis suis ratione nixus aliqua, quem inanem esse sciat, susceperit? Minimè igitur primaria vtique ratio vlla est, quæ nobis hoc ipsum persuadeat. Cacochymiæ nanque primò omnino, ac per se, purgatio aut cōtemperamentum debetur, sicuti Plenitudini depletio.

Sed aliqua tamen id de causa, & quidem rationibus nostris accōmodata fiet, vt venam in hanc quidem quoque gratiam secemus quandoque: at non ea sola negotium totū absoluere vt nos posse speremus, neq; verò perpetuò id faciendū esse arbitremur: ac præter virium robur, de quo prima semper, ac necessaria in mittēdo sanguine consideratio retinenda est, illud etiam his casibus maximè dispiciendū, quum Cacochymię in hoc rationes tractandas habebimus, illiusque causa cædēdam venam sumemus; quantus, qualisve vitiosus is succus, quem ablatū cupimus, sit, postquàm nec contemperari, neque in naturæ ordinem bonitatémque reduci vllo pacto quiuerit. Plurimum enim intererit, cuiusmodi, aut quàm multus esse credi possit, ritè vt incidi ad rē hanc vena debeat. Ac de multitudine quidem simplicior atque expeditior cōsideratio. Etenim si cum multo sanguine fluitare in venis (sunt porrò rerū harum signa tradita) exiguus vitiosus humor aliquis videatur, quod quidem huc spectat, tutò accedendum ad venæ sectionem fuerit. Simul enim & copia vitiositatis demetur ita aliqua tamen, vt faciliùs deinde repurgādum se exhibeat, quod factum reliquum fuerit, idque vllo absque prosternendarū virium discrimine, ob sanguinis melioris exuperātiam, cum qua virium penè semper cōiunctū robur est: simul fluxione ea motus loco humor, seseq; iam in viam dans, attrahenti mox medicamento cesserit, quasiq; volens sequetur. Successusq; ita repurgandi noxij humoris, aliquāto iam minoris vnà, & mobilioris, eóque eductu facilioris facti, expectandus omnino felicior fuerit. Veruntamen non id satis ad conditiones iustas ferendas detrahendi in Cacochymia sanguinis, vt exiguus vitiosus humor multo innatet sanguini: nisi eiusmodi insuper ille repertus fuerit, qui à vera purioris sanguinis natura nō multum absit, in hanc illámve partem discedens. Nam quum medium occupauerit temperamentum sanguis; pituitosus autē humor, alius penè iam is sit, vt paulò magis concoctus sanguinis statim naturam induat, cuiusmodi vulgatior pituita; alius, crudus scilicet qui vocatur humor, cruditatis plus præ se ferens, ac semiconcoctus tantùm quidam, longiùs adhuc absit; atque hoc ipso multo etiamnum crudior alius, & sicut crassus minùs, ita longè tum viscidior, tum frigidior, quem vitreum vocat Praxagoras, cuique nihil dum

concoctionis vestigium insit vllum; longissimo, antequàm fieri sanguis possit, ab eo interuallo discesserit; de pituitæ tamen genere, citra iustam sanguinis perfecti elaborationem consistentes, ideoque frigiditate notati omnes: vltra autem hanc, peractamq; sanguificationem explete, operati toto eo tempore insiti nobis caloris vi, in vtraque bile plurimum semper caloris insit indubitati in flaua; in nigra præteriti vestigium non obscurum remaneat, ex absumpta in cinerem exustionis vehementia materia cum siccitate: aliusque semper alio magis horum remotiùs à sanguinis natura, atque temperaméto qualitatum suarum malitia, ac nimietate discessionem fecerit: quo factum hoc magis magisque fuerit, eo minus quoque ac minus semper educendi minuendique sanguinis argumentum inde ducemus, aut sumemus indicationem. vt si multus vitiosus humor fuerit in venis, & is quidem, qui longissimè à sanguinis temperaméto summotus, vel citra constiterit, vel progressus vltra fuerit: abdicãdum in totum remediũ hoc esse existimemus, ne videlicet aut in crudo admodum illo, qui nullam propè dum innati caloris operam ad concoquendum accepit, cruditas vnà ac frigiditas etiamnũ maior sequatur, quod necessariũ est, depauperato sanguinis melioris euacuatione importuna calore, & imminutis spiritibus: aut hanc quoque eandem ob causam, in insigni illa, multóque post se sanguinis temperamentum relinquente, flauæ atræ've bilis cacochymia, huic, atræ nimirum, maior statim addatur ex frigiditate maiore malitia; illius autem, flauæ nempe bilis, infringatur quidẽ parte aliqua calor, at crescat intereà siccitatis vitium, quæ sanguinei humoris præsentia mitis benigniique fouebatur, cuius quo minor semper in venis copia, sanguinis inquam, (minor autem fit minorq; incisa semper vena) ita minus necessariò semper minusque caloris, humorisque inesse censendum. Quas, modicę ac temperatæ si fuerint, omnium mitissimas ac placidissimas qualitates experimur, earumq; ad vitæ totius cõmoditatem nostræ insignem semper vsum sentimus.

Iamque vel hanc vnam ob causam, si nullæ aliæ essent, quæ tamen aliquæ sunt, in modum excedente vtranque in partem succorum vitio, vel nondum inchoatæ, vel productæ nimiùm humorum concoctionis, nullatenus rationisque nullius suasu detrahere vnquam de corpore sanguinem necessum sit, quòd amicissimus familiarissimusque naturæ ita humor aufertur, quum opus non est. Minimè verò mehercle opus est pauxillulum nescio quid, si reliquum spectemus, malitiæ humorum detraxisse, vt omnium præcipui, vitæque nostræ operibus commodissimi humoris tantundem, aut eo etiam fortasse plus, detrahamus toti vniuersoque corpori, cumque eo naturalium spirituum plurimos, plurimumque vnà vitalium ac naturalium gignendorum materiæ; viribusque ita defectum suis relinquamus corpus, quas alioqui, in Cacochymiæ præsertim vehementioris alicuius præsentia, nunquam iustos obtinet. Adeóque hoc ipsum quoque satis esse causæ possit, quamobrem non temerè, neque inconsideratè statim accedendum nobis his casibus ad id remedij genus esse putemus, nimirum ne ad prioré, sponteque sua ex nimio humorum vitio factam, virium debilitatem, hæc præterea addatur ipsa ex sanguine misso ducta. Idque demum, quod ab Arabum summo pronuntiatum aliquando, à multis nunc in controuersiam rapitur, Metuendũ esse, ne quãdo euacuato sanguine, aut bilis efferuescentia sequatur, quãdo sanguis bilis ipsius ceu frænũ habendũ sit; aut pituitosæ materiæ cruditas maior: si hac rerum intelligentia dictum accipiatur, non pessimè penitus dictum videri possit. Non eo quidem, quòd detractus ademptusque iam sanguis (quis enim hoc iudicet?) bilis frænare vehementiam possit, detractus, nullúsque in corpore iam, quin de corpore non solus, sed associatam secum bilem, humorésque reliquos trahens, emissus: verùm quòd detractione ea demptionéque sanquis reliquus factus qui fuerit, minus & spirituum, & caloris humorisque temperati sui, hoc est, innati caloris minus obtineat, minúsque proinde munera peragere sua, vniuersamque illam nutritionis dispensationem absoluere, consueuerit. Ex quo tum crudi atque inconcocti, caloris natiui priuatione, imminutione certè, crudiores, inconcoctique etiamnum magis euadant humores: tum biliosi, atque vltra sanguinis iam temperamentum positi cum biliosis melancholici, plus omnino inde virium ad malitiæ vehementiæque suæ naturam adiunctum assumant, minore iam valde deiecti caloris, humorisque optimi moderatique temperamento coerciti, ideóque, veluti arrogata sibi iam licentia, effrænes, atque in naturæ suæ summum puræ synceræque ex toto abeuntes. Scimus autem, quantopere Medicinæ totius parens & dux humorum puritatem hanc, & synceritatem, impermixtámque alijs improbare naturam solitus sit. Quæ quum in corpore contingit, sic temperamentum protinus perire illius oporteat, dominium exercente humorum

vno

vno aliquo, viresque alijs omnibus maiores obtinente naturæ suæ necessariò calidissimæ, frigidissimæ, humidissimæ, siccissimæ, cuius tandem cunque esse conditionis naturæque contigerit humorem illum: quem quidem, modò purus prorsus, intaminatusque alijs, naturæ tantùm suæ relinquatur, esse eiusmodi in summo semper constitutum oporteat. Quòd si, vt contingere aliquando id possit, atque ad summum malitiæ suæ perueniant humores, causæ sæpe, quoties intempestiuè id fit, in sanguinis detractione repositum plurimum est: tanto quidem minùs, quum factum iam id in corpore reperietur, atque ad summum Cacochymia, seu quę pituitosorum humorum est inconcoctorum, seu quæ biliosorum, nigrorúmque, peruenerit, audacter ad venæ sectionem accedendum, mittendúsve nobis erit sanguis, maximum humorum reliquorum temperamentum, naturæque in summa (quod dicitur) thesaurus nostræ habitus meritò, existimatúsque semper. At in propioribus sanguinis formæ humoribus, qui nondum ingressi sanguificationem iustam, in proximo sunt, vt ingrediantur; aut ab ea processerunt quidem iam, neque recesserunt tamen multum: in his tutò ac securè, quasi qui sanguinis natura formáque comprehendantur, mittemus sanguinem: aut quæ vicem huius gerere possint moliemur, prouocatis fortè mensibus in mulieribus; & in viris, qui opportuni rei huic inuenti fuerint, hæmorrhoidibus.

Horum superiorumque in medio positis mediam quoque rectè adhibebimus considerationem: vt, si alia quædam prætereà admonuerint, ætas, corporis habitudo, anni tempus, constitutio, faciendúmque id esse persuaserint, faciamus: sin minùs, desistamus, aut parciùs certè faciamus: præsertim verò, quum crudiores venis humores continebuntur, quos maioris semper cruditatis suspicio alienos maximè à sanguinis detractione reddit.

Qua repurgari ratione debeant vitiosi Venis contenti humores. Et qua vtendum in hoc præparatione sit in humorum diuersitate.

CAPVT IIII.



NEque tamen, quum demendæ Cacochymiæ sectionem adhibendam esse venæ dictàrint nobis multa, rè in eo peregisse nos totam credemus. Etenim leuata tunc detracto sanguine ex parte aliqua natura, repurgandus manebit humor omnino, suo sibi proprióque medicamento quisque: biliosus suo, ac melancholicus item suo. Atque hi quum ducendi de corpore fuerint, non semper tamē præparatione multa opus erit: sæpe tenuitate sua biliosusque inprimis facilem se exhibebit, neque purgationem vlla ex parte morabitur. Sed & huius tamen interdum, melancholici autem semper, crassities attenuari ad faciliùs atque expeditiùs educendum volet. Simul meatus, viæque, qua euocandi humores erunt, aperiri ac patefieri poscent eadem opera omnes. Crudiori autem illi, necdum ad sanguificationem perducto, præter hæc, (quoniam & ipse crassus dissecari, & lentus detergeri volet) etiam concoctio debebitur, quo promptiùs atque expeditiùs foras eijciatur: moraturus alioqui purgationem, piger natura, & moueri loco difficilis, propter frigiditatem, & crassitiem; tum verò etiam commotus ijsdem hisce qualitatibus obstructurus vias, præcipuè verò angustiores omnes. Per quas quum nec expeditè deferri ipse queat, & interclusos alios, quo minùs liberè prodiātur, impediat: necessariò inter purgandum & tormina, & rosiones faciet, & animi interdum deliquia accedent: neque magna tamen, neque iusta purgatio sequetur. De hoc dictum maximè Hippocratis circunfertur illud: πέπονα φαρμακεύειν, μὴ ὠμά. Quo, nisi concoctum, minimè repurgante medicamento aggrediendum esse crudum hunc humorem iubemur. Itaque præter cibum potionemque, atque etiam medicamenta attenuandi incidendique facultate prædita, & ad conficiendam humorum crassitiem apta, quanquam his quoque ipsis non parum insit concoctionis moliēdæ virium: admouenda tamen succorum eiusmodi cruditati sunt, quæ hoc ipsum priuatim faciant, nempe concoquant; Piperis, genus omne, & Zingiber, compositáque ex his, aliaque ad hæc nonnulla posteà dicenda, quorum calorifica vis sit; at mitior semper, ac benignior quædam, præsertim si crudi, de quibus nunc agimus, primis illis, quæ circum iecur & mesenterium sunt, cumulati humores venis fuerint. Nam paulò vehementior excalfaciendi tum vis abductos inde in totam corporis molem ambitúmque succos detulerit etiamnum crudos. Quod causæ etiam sit, præter suprà dictas, ne tam libenter hîc, contentis scilicet eo loci crudioribus succis, ad venæ statim incisionem accedamus, quanuis coaceruatis venas intra humoribus debeatur ea aliâs. Quoniam eo casu secta vena bo-

nus quidem prodierit foras sanguis primò: mox è venis illis prioribus malus (hoc enim suppositum est) continuatione quadam sequutus raptusq; in vniuersum corpus feretur.

Ita nec exercuisse, nec lauâsse, eandem ob rem, nec omnino commouisse præstiterit: quieuisse operæpretium fuerit, (qua maximè ratione peragi concoctio solet) boniq; succi sorbitionibus vsum, & vino, dedisse somno se quoque in tempore. Quem iam vinum non minùs ipsum conciliârit, modicè ac temperatè sumptum, vnáque semicrudos humores concoxerit, (quod illius proprium est) & qui redigi ad concoctionem nequiuerunt, per vrinam & sudores elicuerit. Quiete autem hæc omnia facilè peraguntur. Quæ peracta quum fuerint, tum verò & humoris illius plurimum expletæ iam sanguificationi cesserit; & si quid huius illam effugerit, & nec vrinam, nec sudores sequutum fuerit, is demum præparatus ita humor dissectus, detersus, coctus, ad exeundum de corpore accinctus, cùm minore omnino negotio, tum tutiùs multo ac securiùs, minimeq; renitens, educendum se nec vehementiori alicui medicamento præbebit. Atque hæc ferè occurrêre de venis etiamnum contenta generis omnis Cacochymia, venę primùm, si fieri id possit, sectione; tum & pharmacis euocanda, forásque eijcienda; denique quoquo tandem modo abolenda, quæ tradi possent, priusquàm, qui non parui sanè, nec pauci impendere inde videntur corporibus, morbi, actis radicibus, pullulent.

Nunc de ea, quæ molem, habitúmque totius atque ambitum corporis obsederit, tractandum restat. Nam quæ in primis illis ventriculi & intestinorum, vicinarúmque ac circuniectarum partium regionibus, cauitatibúsque, & conceptaculis maioribus, sensuque iam manifestis versaretur, sed extra venas tamen: eius verò secundùm instituti nostri formulam tractandæ ratio omnium prima tradita antea, atque explicata est.

Mole corporis contentorum prauorum succorum ratio abigendorum omnium: ac cuiuscunque tandem generis Cacochymiæ, lassitudinem vlcerosam facientis, humoris vitiosi exemplo.

CAPVT V.



Olem hoc loco, habitúmque corporis, carnosum ferè genus omne, solidáque corpora, quacunque ea corporis in parte fuerint, siue interiùs circa penetralia, siue exteriùs in ambitu, accipimus; in quæ recepti loca vitiosi humores, nisi quoquo pacto abigantur, negotium valetudini exhibituri sint introductis morbis, exhibentque iam sæpe sanitatis etiamnum campo contentis, lassitudinem facientes vlcerosam soli, & phlegmonosæ partem ipsi, partem plethora, quæ tensiuam rursus lassitudinem sola creat ipsa. Neque omnis tamen Cacochymia vlcerosam genuerit: sed tenuis tantùm acrisque, & mordens; eáque carni, vt diximus, cutique, ac sensu præditis membris immersa: pauca tamen, aut certè non multa. Quæ si multa, vel paulò acrior fiat, iam horrores quoque ciuerit: magisque adhuc aucta, qualitatéque sua intentior, etiam rigores, calidior quanuis ipsa. hoc enim alibi ostensum iam est, tam calidis, quàm frigidis humoribus per sensibiles corporis partes paulò minùs commotis horrores cieri; paulò magis autem, etiam rigores. Commoueri autem agitatos certum, partim à membrorum facultate, cui insitum sit noxia semper expellendi, partim vehementiore aliquo corporis motu, aut exercitatione facta, aut insolatione, aut quoquo alio modo, ira quoque non minùs sæpe, aliáque animi commotione aliqua. Quocirca hæc ipsa, de qua institutus nobis nũc sermo est, lassitudo vlcerosa & exiguum quid vitiosi humoris causam habet, eamque immotam, si vel paulò auctior, acriórque facta, membra carnosasque partes ad sui expulsionem irritauerit, aut sese illa ipsa commouerit: sine dubio horroris etiam aliquid, interdum verò & rigoris accersiuerit. Idem facient frigidiores humores aliqui, tenuitate assumpta, aut acrimonia. Qui postquàm diu manserint, nec naturæ intereà ordinem elaborati subierint: non modò horrores, rigorésque, quales Hippocratis olim tempestate ignoti fuêre, posterioribus autem Medicis sæpe visi: sed etiam febres inducent putrefacti. Cæterùm hæc propositi iam nostri limites excesserint: itaque sumenda tantùm ea, quæ tractemus, quæ intra commissæ aut desumptæ nobis prouinciæ terminos continentur. Tenues acresque humores, calidi, frigidíve, eatenus in cuti, subiectisque cuti partibus, progressi, vt lassi-

lassitudinē sponte sua vlcerosam gignant, ab vlteriore morbosoq; iam affectu omni alio abstineant. Tum alia vitiosorum humorum genera iisdem locis impacta, nihil dum aut dolorifici, aut vlcerosi sensus, aut molestiæ denique alicuius malum afferentia quidem illa, sed illiusmodi tamen, vt morata diutiùs, nisi aut alterata immutentur, aut aliqua tandem ratione eijciantur, tollāturque de medio; corruptione facta, in non leuia sæpe discrimina vocabunt. vt quum aut transfusam fortè per corpus totum flauam bilem, siue nigram etiam interdum spectare est, certumque crudiorum, ac pituitosorum humorū in partes easdem dispersum specimen visitur. Quos omnes, antequàm quicquam inde mali suboriatur in corpore aliud, humores succosque, aut ad concoctionem deducere opus fuerit, si qui tandem eius fuerint naturæ, vt admittere illud possint, quales ferè crudi qui dicuntur & pituitosi humores sunt: vel si subire hanc nequibūt, nec integram naturæ elaborationem illam recipient, abigendi omnino erunt, cuiuscunque tandem cacochymiæ genus sint: aut dissipati, inque tenuissimas auras exhalati, aut sudoribus excussi, tollendi. Nam medicamentis eos repurgantibus, longiùs, quàm vt attrahi facilioribus quibusdam possint, summotos, eduxisse; id verò sumopere verēdum, vt officij munerisque futurum nostri sit, qui vehementiora hoc in opere, quæ præstare sola idipsum hoc possent, medicamenta rebus peragendis nostris non libenter recipimus, nisi verò fieri aliter haud possit. Et crudiorum quidem, vel semicoctorum perfectam coctionem non aggrediemur, vt in sanguinem succumq; bonum conuertantur ad alendum: quādo nec nisi sanguis priùs facti nutrire, nec sanguis fieri, nisi venis cōtenti, possint; venas autem iā exierint crudi, aut collecti ibi fortè sint: verùm vt attenuati diflentur meliùs, proptereà coctionem moliemur horū, quam poterimus, atque adeò ratione aliqua elaborabuntur, vt hoc assequamur. Idem pariter in reliquis fiet, vt illorū crassities discecetur si qua fuerit, detergatur visciditas, ad meliùs faciliusque dissoluendum, mouendumque loco eos. Simul & cutanei meatus aperti seruabuntur, patefientque omnes.

Tum verò si cutis fuerit affectus tātùm, proximarúmque partium, neque altiùs insederit aut vlcerosæ lassitudinis causa, aut aliâs vitiosus humor aliquis alius: recuratoria exercitationis parte haud ita magno negotio tolletur. satis nanque factura ad id ea esse videtur. Sin altiùs sese abdiderint, & profunda musculorū occupârint: maiore tunc opere incumbēdum in id: atque, si nullæ in interioribus cruditates, nulliq; ibi, aut in venis vsquā, semicōcocti, inconcoctive succi (hoc enim ita nunc ponimus) reperti fuerint; hîc non verebimur (neq; enim verendū est, ne, q̨ nulli hîc sunt, è ꝓfundo in corporis molem crudiores rapiantur humores vlli) ea administrare, quæ vel ad extimam vsque cutis superficiem caliditatem extendere suam valeant, vt ferè oxypora habentur; frictionibusque vti multis, oleo ad hæc adhibito relaxantium aliquo, idque quo tempore primùm à somno surgunt experrecti, vacuo iam ventriculo. Tum quiescentibus priùs deambulatio iniungenda modica, perfricandumque rursus diu multūque, ac balneo vtendum modicè calido: victúsque accommodanda ratio omnium maximè boni laudatiq; succi, minimè crassi, miniméque visci-di; ptisana, panatella quæ vocatur, laudatarū carniū iuscula, saxatiles pisces, minutioresq; fluuiatiles, & mōtanæ auiculæ, ac victus attenuātis ratio omnis. Quòd si pridiana abstinentia præcesserit à cibo, parcúsque is fuerit: cessura omnia meliùs sunt. Non parum enim retulerit, quo securiùs cuncta peragantur, si cōtentos tantummodo in ambitu habitúque corporis humores concoquendos, aut disijciendos habebimus: non etiam timendum nobis sit, ne quid ex ventriculo quoque eodem attrahatur, aut frictionum multarum, aut balnei etiam vsu, victúque extenuante, ac calorifico; tum euocantibus quoque è corporis mole tota humores vnguentis, dissipantibúsque, sæpe etiam cōcoctionem eorundem iuuantibus, qualia sunt, Acopa quæ dicuntur, fiuntque ex abietis semine alia, ex populi floribus alia. Et quod diximus, vtiliter tunc ea insuper assumi medicamenta posse, quæcunq; vel ad extremum vsque cutis per corporeæ molis partes omnes excalfaciendi vim deferant suam: tale erit Diacalaminthes medicamen, cuius facultate & crassa, quæ corporis mole collecta sunt, quò peruenire facilè soleat, si ex minutissimè tenuissiméque cōtusis omnibus compositio fiat, attenuabūtur; & glutinosa detergentur, disijciétúrque; & succorū cruditas, qua poterit ratione, emendabitur; & vrina, mensesque sæpe mulieribus mouebuntur. Atque ita spes esset, bidui aut summū tridui curriculo noxam huiusmodi omnem, vlcerosæque inprimis lassitudinis sensum, discuti haud ita difficulter his omnibus posse. Quorū alia humorum crassitiem incidunt, lentorem alia detergent, quædam calorifica vi extenua-

nuatos absumere, atque in halitum digerere possunt: cuncta verò propè simul crudos concoquere humores ad dissipandum meliùs, eosque ad extremum conficere valent absumptos, per se proprijsque viribus calorifica omnia, Diacalaminthesque ipsum: modò non à cibo sumptum, sed ante potiùs aliquâtum, vel cum cibo quoque interdum ipso, nunc salis ritu inspersum, nunc cum melle aut saccharo etiam exceptum Ellectarij in modum, fluxioris, solidiorisve. Frictioq; ad hæc, & temperatè calidum balneum, præsertim accedente somno, ad quem vel inprimis maximéque balneum ipsum inuitat, placidissimum sępe soporem, humefactis particulis cerebróque ipso, concilians. Quo nihil præstantius, cùm ad concoquendum, tum verò discutiendum digerendumque per halitum humores prauos quoscunque, nempe quàm initus placidè post balneum, ac quietè captatus somnus, antegresso præsertim cibo aut nullo, aut exiguo admodum. Quod ipsum velut ex accidenti, ac secundariò, concoctionem vbique in corpore, non modò in eius mole crudorum, promouere aptum sit, minimè impedita nouo, nimióque sæpe, conficiendo alimento cócoctrice membrorum facultate.

Diuersarum affectionum, locisque diuersis contentarum, próque maioris minorisque diuersitate variè tractandarum modus. Exemplum huius, crudi humoris diuersis locis contenti, & laßitudinum generis omnis, miscella affectio.

CAPVT VI.

PErcurrimus omnia Plenitudinū, ac Cacochymiæ, vt opinor, genera, sed simpliciora, vnde maximus semper futurorum morborum timor, ac suspicio: quaque abigenda hęc ratione sint, addidimus, vt morborum depulsio valetudini iam nostræ imminentium ex hac haud dubiè potissimùm parte pendeat. Quique versatus in hac sedulò fuerit, tractâritque eam, ac parata & in promptu ex illius officina penuque remedia ad manus habuerit, plurimos morborum noxæ subtracturus sit, Eorum, qui dubio sanitatis suæ statu fruuntur, deque eo prorsus iam decessuri sint morbis tentati, quos neutros vocare mos est, decidentiæ diduximus, vt dixi, simpliciter genera: & quo quæque loco (quoniam per magni id relaturum erat) contenta, qua tractanda essent ratione, docuimus.

Verùm enimuerò diligenter animaduertendum id, nec ab eo vnquam dimouendum oculos, si contingat (quod sæpenumero tamen euenit) vt coniuncta componantur hæc, aut illorum quædam, pluráve eodem tempore: tunc quidem rationes quoque eorum misceri, habendámque esse tunc pro cuiusque magnitudine, aut præstantia, considerationem conueniet, æquè ferè ac in parte Artis Curatricę, quum in affectuum, nonnunquam etiam symptomatum, sæpe causarum, miscellanea quadam coitione facturi aliquid, momēta priùs ac pondera rerum omnium diligenter expendimus. Hîc pariter & Plenitudo esse in corpore, & Cacochymia, & hæc illáve loca occupare potest, maior, minórve altera. Próque harum igitur semper diuersitate diuersa quoque faciundis rebus accommodanda erit ratio, non modò quum diuersæ reperientur affectiones: sed etiam, quod iam antea monuimus, quum varijs eædem, aut diuersis quoque diuersæ locis continebuntur. Iam primùm, crudus ille humor, qui ὠμὸς est, & dicitur Praxagoræ, cuiusque non postrema, adeóque omnium prima, ac maxima habenda est consideratio, plurimum intererit, vniuersi'ne corporis partes omnes æqualiter obsideat, an primas tantùm viscerum regiones illas; an etiam ingressus venas sit, hásque an primas tantùm eas, quæ circum iecinoris sima, & in mesenterio sunt, an maiores etiam illas; an verò in mole tantùm habitúque reperiatur ipso. Hic vbicunque locorum fuerit, concoqui semper, aut confici saltem, & discuti debebit: sed alia ratione primæ corporis regionis sedibus, venisve primis, alia alijs, aut in ambitu etiam collectus. Huius præsentia, si qua nobis facienda, admouendáque esse ad præcauendum recta dictârit alioqui ratio, retrò sæpe atque aliò flectere rationem cogimur, & quo minùs perficere queamus, impedimur. Nam nec secabimus venam, quanuis alijs fortasse rationibus nonnullis admoneremur, si primis venis contineatur, aut circum illas; ne raptus feratur cum sanguine in maiores, tum deinde etiam in totam molem: nec vomitu educendum curabimus inibi cumulatum, si pars illius in corporis quoque ambitu fuerit; ne euomendi vehementia ex superficie interiùs ad penetralia trahatur. Concoquemus potiùs, neque id tamen validis ac potentibus medicamentis; ne exagitatus crudúsque adhuc vlteriùs per corpus

fera-

feratur. Piperis aliquo erimus contenti, aut ex tribus piperis generibus composito medicamento, sed simpliciore illo, quod διὰ τριῶν πεπέρεων est: vel etiam Diaspolitico, quum præsertim concocti iam partem per aluũ subducere consiliũ fuerit. Crassitiem autem humoris satis erit nobis incidisse simul & cōcoctionem eo pacto promouisse, quandoquidem incidentia, atque attenuantia idipsum faciendi facultatem sæpe non exiguam obtinent. Non quidem valentioribus, aut quorum excalfaciendi prætereà vis multa sit, sed Oxymelite id quidem moliemur, non compositiore, simplicique potiùs, & acri vehementique minùs. quoniam compositum magis aliquod, ac valentius, commotam succorum cruditatem in corpus transuehet.

Eadem humorum cruditas si in vniuerso corpore constiterit, adsitque prætereà vlcerosa lassitudo, quæ acrium humorum Cacochymia est, inire eam rationem oportebit, qua vtrique succorum prauitati, quacunque corporis in parte, optimè consulatur: vt primùm concoquentibus, & incidentibus contentam venis primis circuniectisque partibus materiam tollamus: mox cientibus vrinam, dissecantibusque magis, etiam in venas maiores illapsæ ratio habeatur: postremò cùm his, tum etiam calidioribus, ac longiùs cum caloris potestate sui in corporis extima vsque progressis, perque halitum digerentibus iam, atque euaporantibus, carni cutique inhærentem detrahemus. Hāc rationem sequuti Diatrionpipereon primò vtemur simplici; tum composito etiam magis, quódque quantum anisi, thymi, & gingiberis accepit priùs, tantundem etiam nunc petroselini recipiat: mox etiam Diacalaminthes medicamentum addemus, vnguentisque vtemur tutò iam contentam corporis mole Cacochymiā omnem discutiētibus, eandemque operam præstātibus alijs, perfrictionibus, exercitationibus, balneis, cibo, potúque.

Iam tensiuam lassitudinem, solidiorum partium extensione ob plenitudinem oriri solitam, quoties quidem sponte sua fit, quis nescit præsentaneum habere maximè remedium sanguinis missionem? Præsentaneum dixi, non nesciens alios quoq; esse demendæ plenitudinis eius modos iam antea quoque relatos: at non æquè efficaces, nec quorum tam præsens, atque in numerato auxilium sit: imò qui ob moram sæpe nimiam magno cum discrimine administrentur, vt quum, nisi extemplo detrahatur sanguis, principali parti alicui, cerebro fortè, aut spirandi instrumentis, manifestum interdũ periculũ impendet. Atq; hîc tamen quoq; in ducēdo sanguine, quod & vires, & ætas, & alia quædā admittant; esse, quod diximus, impedimento potest succus vitiosus aliquis, prçcipuè verò crudus, alibi quàm venis maioribus illis cōtentus, neque ibi tamen quantuscunque. Nam nec cum sanguine vnà fluens multus, nec à puriore sanguinis natura recedens multùm venas intra quāuis, neq; verò in minoribus primisq; illis, vel etiam extra omnino positus, detrahi secta vena commodè poterit; quod antea quoque monuimus. Vsq; adeò composuisse omnia semper simul, locaque corporis, & succorũ rationes, quāti hi, qualésve per singulas corporis partes habeantur, cōtulisse inter se, peragēdis rectè rebus, cōducibile meritò visũ semp fuit, vt omni nostro in negotio maioris magisq; vrgentis maior à nobis assiduè ratio habeatur.

At in phlegmonosa extensiuæ vlcerosęque compositione, sanguinis mittēdi anteuertit omnia consideratio statim, prægrauante ingentis sæpe doloris magnitudine, cumq; insignis caliditatis sensu sublatis veluti in tumorē quendā musculis. Quod nisi cōfestim fiat, & detracto extēplo sanguine succurratur: mora nulla, quin certũ vitę discrimē adeāt. nisi, quod ipsi facere neglexerint, naturæ statim ope corrigatur, aut profluente è naribus sanguine, aut sudoris eruptione copiosioris. Nec cessationē patitur malũ, festinādumq; est, & iteratò detrahendus sanguis, vsq; eò, vt expectari animi quoq; deliquiũ in secūda missione possit, refrigerādo ita meliùs habitui, & vt tumorosum ex eo corpus sidat, abeatq; dolor. Ita (quoniā hæc à me hoc loco ea gratia repetūtur, superiùs etiā tradita, vt, quantũ variarũ inter se affectionum vires examinâsse iuuet, sciamus) in phlegmonosa vitiosi succi, qui vlcerosam gignit, & vetare quādoq; sanguinis missionē posse videretur, quasi obscuratur doloris magnitudine, impendētisq; mortis metu, aut vt benè secũ quis actũ putet certę, vehemētissimæq; alicuius febris periculo, ratio omnis. quanquā nec multus hoc casu subesse, qui venę sectionē prohibeat, in corpore crudus humor queat, vbi caloris, ingentisq; cũ tumore doloris tantũ; & quæ paulò magis acriũ humorum Cacochymia fuerit, ea præterquàm ꝙ alterius magnitudine, & dignitate, & periculo superatur, etiam retūdi aliquantisper acrimonia eius atque efferuescētia ex venæ incisione poterit, multoque ideo minùs semper, quàm crudi humoris illius præsentia, sanguinis detractionē impeditura sit.

Quibus rationibus agēdum, ne intrò pulsi, néve foras acti, quũ non oporteat, ferantur humores. Et quæ commotiores eos reddant, vt vitari poßint.

CAPVT VII.



Axima aũt, maximeq; attendenda his rebus cautio ea est, vt simpliciter tãtùm, quod primore quodam respectu admoniti fuerimus, agendum nobis in his esse putemus, quoties aut soli, solaque corporis regione vna aliqua coaceruati humores infestabunt. Vomitione enim tutò educemus prima solaque viarum regione collectos, quum nullum periculum erit, ne mole corporis tota dispersi alij vomendi vehementia citati eò perque venas correpti trahantur. Rursus ijdem, seu mordaces, seu crudi, seu quicunque tandem excrementitij succi, sola extima in mole, solóque habitus totius ambitu collecti, absque suspicione arripiendi aliunde alios eodem, qui nulli tum sint, tutissimò etiam paulò magis valentibus medicamentis attenuari, disijcique, ac discuti, & dissipari poterunt, ac debebunt. Longè secus, quum partem vtranque, extimam, intimamque, aut etiam mediam corporis insederint. Etenim eadem tum vi, qua de locis suis violenter commoti deducuntur proximi quique, vel longiùs etiam dissiti continuatione quadam sibi ipsis semper succedentes, quò primus eos impetus ille tulerit, ferentur, non exiguo sæpe discrimine accumulandorum nimio plus eadem in loca excrementorum, præfocandique ita caloris quandoq; natiui nostri, aut phlegmones tumorésque alios excitandi, aut meatus multos obturandi, aut refertis pessimo succo venis magnis sæpenumero morbis, febribusq; adeò continuis, malignisq; ipsis causæ satis præbendi.

Quapropter cauenda diligenter inprimis cuncta hæc, ne aut foras, quum non oporteat, aut intrò discorditer abacti humores, turbas maiores etiamnum moueant. Placidè igitur & quietè tractandi tũc, qui foris, sensim paulatimque facta per halitum digestione, ne alij vehementiùs discutientibus medicamentis ipsi quoque violenter foras euocentur: qui intùs, leniter incidentibus ac concoquentibus, non efficaciter nimis hoc facientibus, (agitantur enim perturbanturque his, agitantque & perturbant alios, ad seque alliciunt) non vomitu, non solutione alui violentiore, quibus intrò, foris priùs in ambitu corporis positi, succi arripiantur; modicè subducentibus, aut modicè vomitum prouocantibus, extenuatos iam concoctosque molliter eduxisse interdum fortasse liceat.

Porrò quo deuitari faciliùs possint, scire oportet, quibus foras, quibúsque intrò maximè excitati propelli humores in corpore soliti sint. Foras agunt, exercitatio, perfrictio, vnctio excalfaciens aliqua, calida item fomenta, & balneum, & ex animæ pathematis iracundia: intrò, quæcunque extrinsecus cuti occurrere frigida solent, aut quæ adstringendi vi pollent. Sæpe animi tristitia, sæpe horror, quacunque is de causa contingat, hoc fecerit. Qui leui primùm occasione aliqua, maiore deinde humorum commotione, etiam febrium inuasionibus causam aliquando dedisse visus est. Sæpe auditu aspectúque horridum aliquod, incusso terrore, metúque perculsis intrò humores egerit. Quæ antea diligentiùs animaduersa, ne quid inde deterius eueniat, eo vitâsse consultiùs semper, atque in tempore dabitur.

Præcautricis partis officia plura, non modò, qui in propinquo se ostendunt, sed paulò etiam vlteriùs, tum multo quoque longiùs venientes morbos anteuertisse. Victus ad hoc rationem temporis omnis esse; venæ sectionem, & purgationem, solius Veris. Humori cuique ducendo quæ inprimis commoda tempora.

CAPVT VIII.

Sed neq; illud hîc non manifestum, atque in aperto satis, Quo magis vrgere omnia hæc atque instare visa fuerint, eo celeriùs succurrendum esse. Multa enim eiusmodi esse reperientur, quæ nec cessationem, nec dilationem, nec procrastinationem omnino vllam ferant: vt si vel parua sæpe temporis mora interponatur, quemadmodum de phlegmonosa lassitudine dictum est, dicique de alijs non minùs quoq; potest, in foribus statim futura noxa sit. His igitur malis venientibus procùl obuiàm iuisse præoccupantes, propiùs accedentibus appropinquantibusque occurrisse statim, imminentia iam atq; instantia repulisse, expedientissimum semper fuerit, præsentibus paratisque auxilijs semper: vt, quocunque anni tempore aggressurus nos hostis esse videatur, habeamus, quibus sustinere impetum illius, tum deinde etiam ex toto abigere nobis liceat, veluti intercepto interclusoque commeatu, aut intercisis vijs, & quacunque tandem Artis ratione disiectis infestorum nobis humorum copijs; antequàm pedem inferre in prouinciam nostram, quæ nobis tuendæ defendendæque Sanitatis commissa est, possint; aut committere prælium, manusq; conserere iusto, cuiusmodi cũ morbis ipsis quando confligimus fit, prælio cogamur.

Quòd si quædam veluti induciæ cum mor-

morbis nobis aliquibus erunt, nec ictum tamen fœdus, vt recurrentes aliquando, inuasurosque expectemus: iam tum multo antea parare, nósque rationibus illorum omnibus opponere, & consilia interrumpere commodissimè licebit. Id erit tempus anni aptissimum Ver, peragendis his. Ita nanque de belli totius, quod perpetuum cum morbis aut deuitandis, cauendisque, aut repellendis, aut profligandis gerimus, ducendi rationibus instructi facere debemus ab Hippocrate præcepto illo: (Aphor. vj.) ὁκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη συμφέρει, τούτους τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν χρή. vt seruata sedulò atque exquisitè victus ratio omnis, captaque ad prohibendum morborum incursum commoda reliquis omnibus temporibus futura sit: liceátque eius nullo non anni tempore, nullo non loco, maximum semper vsum sentire. Venæ sectio, aut purgatio, quas vitandorum longissimè aliquando accedentium morborum gratia inimus, propriæ verni temporis habeantur: aliâs inchoantis primùm, quod Ver nouum est, vt quum ex plethora morbos timemus, aut pituitosos atrabilariósve repurgare humores consilium fuerit: aliâs finientis iam, vt quum bilem biliosósque. quanuis Autumno etiam atrabilarios liceat. Sed Vere non sanè minùs, clara apertáque omnia ratione: vniuersali primùm illa, ac communi, quòd benignioris tum syderis recursu, vernantisque anni calore, atque humore eliquescere iam incipientes, etiam superiorum anni temporum collectitij succi, fundique, cùm faciliùs medicamentis ducentur etiam lenioribus; tum, nisi ducantur, primo quoque tempore consuetas sibi corporis partes impetent statim, morbósque gignent. Quæ ratio incidendam quoque venam esse persuadet, eo potissimùm tempore, quo cùm multus, (multus enim toto Vere dominium exercet sanguis suum) tum fluxus, fluuidúsque is, minima quaque occasione partes petere imbecilliores transmissus, ac quascunque petit, morbis necessariò infestare plurimis, (nisi plurimus ipse statim detrahatur) potest, pleuritide, peripneumonia, angina, denique phlegmonem facilè facere, quocunq; impulsus se receperit: priuatim verò pituitosum humorem, cuius maxima hyeme tota generatio, quo generatur tempore, educere frigidum suapte natura, ac penè immotum, non satis rectum sit. Ita nec serosos ipsos quoque pituitosos, quanuis hos, vtpote magis mobiles, priores, sed Vere demùm ipso, detraxisse purgationibus liceat, post quos pituitosos aggredi statim eodem anni tempore æquum sit. Sic quidem comitiales, attonitos, spirandi difficultates, podagricos, articulares, quorum frigidior causa, affectus prouisos deuitamus. Sic melancholicos, ne correpti affectu insaniãt, defensos tuebimur. Et incipientes in mulierum mammis Cancri hoc consilio cessâsse visi sunt, repurgatis quippe tunc temporis atrabilarijs humoribus, non illis quidem, quos hyemis tempus produxerit, sed autumno potiùs genitos diu corpore latentes occultauerit hyems, exerturos sese, & periculum corporibus allaturos. Vere enim furores, & atræ biles, morborúmque agmen ab Hippocrate (Aphor. iij.) recensitum illud, nisi depulsi in tempore eijciantur humores.

Licebit nihilominùs autumno hoc idem moliri, ob multam tunc melancholiæ procreationem: simul ne tam multus per hyemem latitans, Vere demum infestior multo producatur. Sic Elephantiasis morbi tanti repressa sæuire desijsse initia scriptum legimus aliquando, hîc venæ quidem quoque sectione ineunte Vere semel facta, subsequutaque mox melancholici humoris subductione, multo autem magis insequentium semper annorum repurgationibus iustis, atque opportunis. Quæ nisi suo tempore fiant omnia, redintegrascere affectus, quasique supullulantes speciem sui præbere videbuntur aliquam semper. Iam biliosus humor cũctus, quippe qui anni anteacti æstate genitus, temporisque eiusdem æstibus euocatus, ipse alioqui tenuioris substantiæ naturæque mobilis, aut difflatus tunc ex parte abierit, aut in atram bilem conuersus maneat, aut frigiditate hyemis retusus, pituitosoque humore pluri veluti infractus, contemperatusque, minùs iam multo sæuiat; meliùs commodiusque demetur tum corpori, quum primùm vires sumere ad nocendum posse videbitur, ne vis copiaque eius excrescat, vt quasi seminarium futuri eo tempore superuacanei de medio ita tollatur, qui desinentis iam in extremo veris, aut ineuntis fortè æstatis mitioris dies sunt, per hosce dies vtiliter inprimis purgabitur bile corpus, præcautúmque commodè ita illi fuerit ab eo morborum inde prouenientium genere. Certè quidem nouimus nobiles cumprimis viros, non vnum, Tertianæ quotannis obnoxios, postquàm conuenienti anni, quod diximus, tempore purgandos se Medicis suis commisissent, febrire desijsse, vixisseque deinde incolumes semper. Vsque adeò videmus experientia comprobatum, quod dictârit priùs ratio, non solùm præoccupandum sani-

ſanitatis ſecuritatem accommodatis alui ſubductionibus, vomitúque interdum, ſæpiùs etiam detracto ſanguine, & huiuſmodi: ſed etiam ſuis id temporibus, ſuiſque locis faciendum.

Nam quòd æſtate iubemur ab Hippocrate (Aphor. iiij.) ſuperiores ventres purgare magis, inferiores hyeme: id verò non tam de his accipi dictum debebit, quos præcauendo tractamus, ac vere tractandos eſſe præceperit, quàm qui quouis anni interdum tempore ſic ingruente neceſſitate purgationibus opus habituri ſunt. Et admonentis tantùm eſt locorum nos, per quę agenda repurgatio ſit, præceptum; totumque dictum id alterius dicti ſententia nititur, quo rurſus monemur (in lib. De humor.) ſuperuacanea omnia, quacunque ſponte ſua, ſuaptéque natura repunt, tendúntque, illac quoque per conferentia loca agenda, exturbandáque de corpore eſſe: vt ſi veris temporibus, quum purgationes faciendas aggrediemur ad præcauendum à morbis noſtras, qua nobis id ex parte faciendum ſit, in conſiderationem venerit; pro humoris, quem educendum ſuſceperimus, natura agamus: & quoniam non aliter ſentiens Hippocrates æſtate ſuperna tentanda ſuaſerit ob bilis tum copiam humoris ſuperna petentis, hyeme inferna ob pituitam, eadem in loca pronam, atque inclinantem: ſic nobis hanc illámve ſequendum eſſe rationem arbitremur: & veris initio fortè in feriora referemus, quum pituitam; ſub finem ſuperiora, quum agere bilem voluerimus, accommodata humoris ſemper ipſius naturæ purgatione: neque id tamen perpetuum ſeruemus, quando μᾶλλον illud affixerit ſcripto ſuo Hippocrates, indicato maiori fortè ex parte agendum nobis eſſe ita, at non prorſus vt non aliter facere nobis in eo ius faſq; ſit, quandoquidem vel illius ipſius præceptum ſit, mox antegreſſum hoc ſubſequens, Melancholicũ humorem deturbandum inferiùs ſemper fore, τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, nihil veritis ſcilicet æſtatẽ. Noſq; ipſi ſæpe vtiliter quaſi exleges in hoc facti, ſed vtiliter tamen, & æſtate infernè deijcimus humores, & hyeme ſupernè; minimè in ea conſuetudine perſtituri, niſi præeuntem operum noſtrorum de more ſucceſſum, quem ſequeremur, haberemus. Quam planè ad rem valiturum id quoque inprimis eſt, conſuetudo, vt vomitionibus aſſuetos, benéque præterea pectoroſos, ad id libentiùs, atque etiam ſecuriùs deducamus: contrarium in his, qui contraria ſe ratione habuerint, agamus. Semper tamen, ſeu vomitibus, ſeu deiectionibus peragendum deſtinatum nobis opus fuerit, id præcedente humorum præparatione facturi, de qua dictum antea à nobis eſt.

Quo pacto autem retundendæ medicamentorum malitiæ, ventriculo, huiuſque inprimis ori, infeſtę, cùm odorata ſemina, tum alia excogitata quædam addantur, quorum additione nec purgandi facultas adimatur, & violentia tamen caſtigetur, componendique hæc ratio, ne introducta inæqualitate diſcorditer deinde purgatio procedat: dicetur mox in tractatione de Salubribus medicamentis, quam nunc breuiter aggreſſuri ſumus, poſt acceptam faciendorum rationem, ne videlicet, quibus exequi cuncta liceat, aptis ad id inſtrumentis deſtituamur.

IVLII

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVSSEXTVS.

Salubria, ac Salutaria medicamenta quæ rectè vocentur. Ex his attenuantium vsus magnus ostensus. & dicendorum ratio.

CAPVT I.



Edicis Græcæ Scholæ omnibus ὑγιεινὰ φάρμακα, quæ Salubria dicere nos & Salutaria possumus, ea habentur, quæcunque tantisper dum sanidegimus valetudini tuendæ nostræ adhibemus. Ac Salutaria quoque appellentur, & Salubria, quæ morbis iam correptos sanitati pristinæ suæ restituunt. quomodo enim non? quæ quidem depulsis morbis sanitatem atque incolumitatem corporibus inuehant, reuocent, reducãt, faciant. Propriè tamen magis, vt opinor, certè nec significanter nec digne minùs, his nominibus nuncupabuntur, quæ hanc ipsam defensam tuentur valetudinem à morborum iniurijs omnibus: vt quidem non minùs salutem attulisse alicui videri meritò possit, qui, ne periculum adeat, néve in paratum, obuiumque, ac certum discrimen incurrat, fecerit, quàm qui implicitum iam eripiat. Quo enim plus in altero discriminis est, salutis in altero; ac propior sine dubio periculo habebitur, ideoque minore salutis suæ cum spe fuerit, qui iam tenetur, quàm qui ne teneatur cauere sibi potest, in quo maior certiorque salus: eo sanè magis, multoque rectiùs, quæ status huiusce ac conditionis fuerint, Salubria ac Salutaria dicentur. Nosque operi huic nostro titulum Salubria fecimus, non nescij factorum quoque iam morborum salubres causas esse: sed multo maioris ambitus, multoq; dignioris, quæ Tuẽdæ sanitatis parti inseruiũt, Salubrium significationem sequuti in eo fuimus.

Multiplicia hæc sunt, multifariamq; diuisa, ac fusiore significatione illa aëris quoque, motusque ac quietis, breuiter, percursarum hactenus rerum omnium differentiæ omnes Salubrium, aut secus, nominibus continebuntur. Sed nos Salubria hîc tantùm tractanda sumemus, quæ hoc totũ Salubria medicaměta sunt, introq; sumuntur, & vel Plenitudinem vtranq; fieri prohibent, vel factam minuunt: pariter Cacochymiam vel ne suboriatur impediunt, vel exortam iam castigant reprimuntque, multipliciter aut contẽperatã, aut extenuatã, aut detersam, aut ad mediocritatẽ deductã, aut vitio suo correctã, aut repurgatã, egestãq;: rursus Excrẽmeta, genus quodcunque, aut nimis retenta eliciunt, aut iusto plùs lata cohibent, & huiusmodi, quorum partim iam explicata fuêre suprà multa, partim explicanda restant. De Excrementorum ratione omni satis multus in superioribus sermo. Quæ Plenitudinis, quæ Cacochymiæ considerationem ad sanitatis semper scopum dirigerent, dicta. Cibi potusque ex parte narrata ea, quibus præter alendi facultatem medicamentosi insuper inesset etiam aliquid, dissecantis, detergentis, succorum vitiositatem diuersè emendantis, ac contrarium his omnibus facientis: vt & euitari, & ad vsum adhiberi, pro diuersa, quam iniremus, rerum actione possent. Atque hæc non vno quidem volumine exposita, iam colligi, notarique, & in rem præsentem deduci debebunt omnia.

Reliqua trademus hîc paucis medicamenta, idipsum quod dicuntur, purgantia, hócque demum pacto Cacochymiam corporibus quæ demant, attenuantiumque ac concoquẽtium compositiora quędam. quoniam simplicia magis, quæ præstare id queant, in vnum congesta omnia à Galeno libellum sunt, De attenuante victus ratione qui inscribitur. Plurimum autem semper adesse attenuantibus concoquendi quoque virium, cùm antea non solùm dictum, sed & reddita dicti ratio; tum testatum id à Medicorum principibus non semel legere vnicuique est. Qui id prætereà alicubi addiderint, Præcipuam, ac potissimam Salubritatis, quod ad medicaměta id genus pertinet, rationem (nam & purgantia suã retinẽt) attenuantibus inprimis contineri. τὰ καλούμενα, inquit, (lib. De bo. & ma. suc. cib.) πρὸς ἰατρῶν ὑγιεινὰ φάρμακα τῆς λεπτυνούσης ἅπαντα ἐστὶ δυνάμεως.

vsque adeò crassum glutinosúmque succum valetudini aduersum infensumq; humanæ existimauerunt illi, non immeritò. Inde nanque obstructiones, & ex obstructionibus febres: inde alimenti progressus impedimentum, & spirituum liberè aliâs permeantium interceptio, ex quo animi deliquia, & attonitus morbus sæpe, aliæq; corporum pestes atrocissimæ. Vnicus contrariæ victus rationis vsus, quum crassum faciendi vsus fortè venit, citis interdum nimiùm fluoribus, quos coercere necessum sit. Atqui Therapeutices iam id muneris, proprium penè semper. Tutandæ, custodiendæque sanitatis in negotio, extenuante victu nihil præstabilius, incrassante nihil periculosius. Nisi verò abdomen, & aqualiculum, & pinguescentiæ sarcinam atque onus, totumque illum proximum, aut ipsius etiam athleticæ habitudinis statum, nihil aliud quàm paratissimam ad improuisas mortes viam, præferendum securissimæ semper esse sanitati duxerimus.

Simplicia primùm eorum, quæ corpora repurgant, describemus, nec multa, nec vehementia: quandoquidem non alia, in commune quidem, ratione, quàm quoties nobis cum morbis ipsis negotium est, sed minore tamen semper apparatu, facienda tractandáque nobis nunc omnia sint. Ac gregariæ quidem sæpenumero operæ alicuius futurum opus est, vt nondum collectæ ad morbi naturam ritè explendam succorum copiæ minore negotio discutiantur: & incident tamen aliquando tempora, quum maiorum quoque remediorum futurus necessarius vsus sit, quoties paulò altiùs immersi humores, latitantesque, atque occultantes se, & fortè articulis interdum ipsis impacti, nō facilè, nisi vehementioribus cessuri, detrahendi erunt. Quod quum vsu venerit, sic attēperanda valentiora illa medicamenta fuerint, minimum vt inde detrimenti integræ adhuc sanitati inferatur: aut fortè fortuna præstiterit, diuisis operis non semel tantùm aggressos violenter nimis, sed partitis vicibus minore vehementia detrahere membris noxam conari, vt iactura tantùm temporis fiat, valetudinis pristinæ status seruetur. Id quomodo exequamur, posteriùs dicendum: nunc paucula priùs quædam trademus, initio ab Agarico facto, quod olim Democritus, tantus in naturæ perscrutatione, familiaris maximè medicamenti nomine dignatus sit.

Agarici vsus in præcauendis morbis. Omniúmque in vniuersum medicamentorum hac in re modus.

CAPVT II.



EST Agaricum fungi omnino genus arboribus innascens, laricibus inprimis nostrâs, quod quidem vidisse mihi hactenus contigerit, idem & efficax, desumptis sibi ex arbore, quæ resinæ multum fundat efficacioris, viribus, vt opinor, aliquibus. Qui herbæ radicem fecêre, aut qui dicentibus, aut scribentibus idem alijs credidêre, nunquam spectâsse laricum aliarúmve arborum truncis inhærens existimari possunt: præsertim qui, vt Dioscorides ipse, Herbariorum omnium sine controuersia summus, ambigunt, & alijs videri Agaricum plantę radicem esse, alijs vt fungos nasci in arborum caudicibus, scribunt. quasi cui incompertum id esset, ac non certò scire illum oportuerit innasci arboribus. Nā Galenus radicem ipse quoque quum dixerit, statim adnatam trunco addidit. Vsus in nostro hoc negotio (nam quæ in parte Artis Curatrice præstat, cùm de hoc, tum de alijs, de quibus dicturi hîc sumus, sanè tractare non attinuerit hoc loco) medicamenti huius deobstruēdi maximus, infarctusque omnes liberādi, vnde timeri morbi possint. Demet articulorum quoque locis, vel colligi iam cœptas ibi, vel contendentes eò reuocabit materias pituitosas, crassioresque, crebriore vsu: at faciliùs vētriculo, proximisque regionibus illis contentas, quas vomitione præterea egeret: maximo semper ad sanitatis tuitionem iuuamento, subtractis propinquis, maximisque morborū causis multis, & auersis alijs, forasque eiectis, ne consueta sibi loca petant: vt, qui podagricis doloribus obnoxij sunt, aut coxendicum; breuiter, articularibus omnibus tentantur, his non aliunde certior tutiorque ad præcauendum via sit. Priuatim capitis & pectoris partes Agarico egregiè repurgabuntur, neruosæque omnes: color corpori conciliabitur, seruabiturque in sanitate cum nitore quodam bonus. Flatus discutere solet vētriculo sępe molestos. At idem leuitate sua parti eidem innatat, vnde ad ciendos vomitus vis illi semper insignis, sæpiùs ad vsus multos quærenda; nonnunquam etiam supernatatione ea incommoditatis aliquid ventriculo allatura, nisi additamentis castigetur id vitij corrigentibus. Castigatur oxymelitis maceratione, & sale gemmeo, idque candidum & friabile. Nam nigrum, vna emendatio est, ne quando in vsum quoquo pacto veniat, cauisse, strangulatus facturum, aut superpurgationes.

Memini

Memini Catapotiorum ex mastiche, aloe, & agarico, scrupulorum duorum pondere assumptione Episcopo Castelamarensi Tridentina in Synodo profluxisse aluum ad quadragies, non aliud causantibus nobis, quàm vitiosum fortè tum in compositione Agaricum. Facultas huic tribuitur à Dioscoride & Galeno purgatoria, sic in vniuersum, non dicto cuiusmodi. Aetius pituitam, & bilem dixit, intellecta Græcorum more amara, simplici bilis pronuntiatione. Mesues vtranque primò bilem protulit, tum & pituitam, quam certum obseruatumque est maximè atq; inprimis Agarici viribus deijci, sæpissimè vomitione quoque educi solam: deinde bilis insuper commixtum nonnihil flauæ, concitatis vomitu humoribus, effusę eo.

Dicendum hîc in cõmune de omnibus, quos medicamentum quodq; morbos persanare aptum fuerit, eosdẽ præcauere longè aptius quoq; futurũ, cùm minore semper mensura, tũ faciliore successu. vt quoniam Agaricum comitialibus, attonitis, suspiriosis, respirandi difficultatibus, febribus ex obstructione, articularibus præsentibus affectibus, mederi scimus: eodem vti remedio ad hosce ipsos affectus longè antè præcauendum non incommodè queamus, minoreque id pondere. Qua ferè ratione, accepto veneno, aut in venenatorum morsionibus, si bini Theriaces denarij legitimum pondus sit deuoratæ, futurum arbitremur esse satis denarium præceptum antè, ne qua obesse veneni deinde vis possit, neu ibi morborũ vllus sequi suspectorum. pari hîc atque ibi ratione, ne nocumentum, quod diximus, insequatur: dispari in eo, quòd morbi ne succedant cautio erit maxima; venenũ etiam si succedat, atque accipiatur, successum tamen habiturum suum non sit, ac si acceptum nullũ esse. Quod huic quoque ipsi, de quo agimus nunc, Agarico tribuitur, venenis, venenatorumque morsibus vt resistat.

De Rheubarbari potestate in hac parte: & præparandi id, exhibendiq; ad vsum hunc, modũ. Tum à quibus inprimis morbis tutos nos reddat præsumptum.

CAPVT III.

NOn minor Rheubarbari adhęc vsus opere in nostro, siue cum Rheupontico cẽsendum idem hoc fuerit, siue verò diuersum, quò magis inclinatanimus. Atq; ita arbitratos fuisse video seculi nostri herbariæ rei totius principes. Calefaciendi, resiccandique potestatem assignârunt ad secundi vsq; recessus efficaciam, aut infra hâc non multùm. Partibus cõstat terreis sine dubio, quod adstringendi vis indicat; igneis calidisque, quod amaror; aëreis, quod leuitas. Quæ planè mixtura conuenientissimũ reddit ad innumera penè medicamen, securique inprimis vsus, non hominum modò omnium ordinibus omnibus, conditionibus, vitæ institutis; in sanitate, in ægritudine, neutra in parte constitutis: verùm temporibus etiã, regionibus, sexui, ętatibus vniuersis accommodum. vt tã pueri, quàm iuuenes, quàm senes; tam viri, quàm mulieres, vel prægnantes etiam ipsæ sæpe impunè, imò maximo cum emolumento capiant. Excepto, quòd (vt hoc quoque obiter dicatur hîc) animaduersum obseruatumque nobis est, in febribus, quarum febrilis maior, quàm aut obstructio, aut humorũ putredo, calor, initio statim exhibitum hoc ipsum accẽdisse sępenumero insigniter calorem visum. Neque tamen aliâs etiam, quanuis tot id cõmendatum laudibus extulerimus, nisi summa semper rerum circũspectione, dandũ. Nam quòd discriminũ omniũ securis sumere id nobis quocunq; tempore, quacunq; ætate licere diximus: id eò tantùm pertinet, vt mitis satis, benignaque, atque, vt inter purgantia medicamenta, minimè effrænis natura intelligeretur. Cæterùm dispici oportere, quæ rem circunstãt multa, modumq; adhibendum esse, ac rationem omnibus, id etiam si nulli nos dicamus, esse tamẽ vnicuiq; in aperto debuerit. Bonitas illi naturæ nõ solùm, quod tenuitate partium, qua meatus omnes permeat in farctibus eos liberans, & adstrictoria facultate pollet, qua robur partibus ijsdem, quas pertransierit, adijcit: sed etiam, quòd repurgatoria, qua præstat, facultas illi purior ac syncerior inest quædam, non magnopere alienis infecta qualitatibus, aut extraneis, aut (vt multo maxima purgantium medicamentorum pars) venenatis. Quæ quũ variæ alteriusq; omnino habẽdæ sint à purgãtibus naturæ, sic tamen in vnã aliquãdo coiuêre substantiam, ægrè vt diuelli inuicẽ, secerniq; valeât: magnoq; sæpe conamine demẽda venenosior illa sit, ac non parum ita purgatoriæ sæpe vnà facultatis pereat.

Rheubarbaro Indicæ nardi momẽtum ad demendam malitiam omnem satis erit: sin macerandum ex liquore aliquo decoctóve sumetur, vini prætereà pauxillulum albi, odoratique. Vires addere illi creditur caprinum serum. Bilis vtroque modo vitiosum humorem detrahet, tum pituitam etiam, tam maceratione dilutũ, quàm etiam pulueratũ. Illo tamen viscera omnia deobstruet meliùs multo, & ichorosos suc-

cos detrahet, modo: hoc crassiores, pauloque plus membris virium addet. Ventriculo tum iecorique maximè accõmodum, iecorique inprimis, cuius mirificè semper obstructiones omnes expeditè liberat. Eádemque opera ex obstructionibus gigni solitos morbos, qui magni ferè, nec sanè pauci numerantur, potenter arcet, & securitatem pollicebitur defensis ab his, si in tempore cuncta fiant. Nec Tertianæ igitur febres, quæ superuenire æstate solitæ sunt, puræ, nothæque, magnopere timendæ, Vere adulto extremóve, quod dixi, facientibus hoc; neque aqua intercus, nec arquatus morbus, nec malus habitus, nec quicquid morborum infarctuum impeditarumque viarum soboles est; expediente omnia, qua narrauimus ratione, egregiè, faciléque Rheubarbari diluto. Mansum (manditur enim sępe, glutitúrque) nõ minùs conferet, bilémq; ita, & pituitam æquè detrahet, corroboratis partibus, præterq; mansu illo pituitosæ materiæ eliciet de capite muciq́ue plurimum, manè si fiat. Ferè autem manè plurima noctu aggregata vndique agitur screatu, expuitione, emunctione, peractæ concoctionis superfluitas, & reliquiæ. Idem in puluerem tritum, aut crassiusculè contusum, incisúmve, permiscetur commodè madefactis priùs ablutisque ex vino passis ad eosdem vsus, abolendósque compunctionum sensus ventriculi, iocinerisque, atque earum partiũ omnium. Clarescere inde sanguis atque emundari perhibetur, maximo ad valetudinem ratione omni defensandã viatico, ac commoditate ingenti, si minimè impurum sanguinem circunferamus. Postque iecoris commoda, cui maximè visceri priua propè familiaritate quadam modis omnibus subueniens opitulatur Rheubarbarum, infarctus quoq; lienis tolli eo factos, multóque magis ne sequantur vetari, certum propè.

Patrum, auorúmque nostrorum memoria, ea huius olim caritas atque etiam penuria, vt auro rependendum semper esset. Nunc penè viluit, egenorum quoque medela factum. itaque in frequentissimo vbique & apud omnes vsu, facilè iam commoditatis ad plurima maximæ, & securitatis, quam præstat, fidem tuetur: antea non nisi quum ventum ad extremum esset, in summo ægrotantium discrimine exhiberi debere existimatum, quod raritas ex caritate ac penuria faciebat, vertente vulgo, trahentéque ad summi, validique inprimis, ac vehementis medicamenti opinionem, quasi qui nihil proficientibus alijs, in nulla propè iam spe, confugio demum vterentur Rheubarbari, viribus ac vehementia exuperantis reliqua: non satis, vt videtur, ex æquo collecta in hoc ratiocinatione. Etenim si laborantibus vehementiùs, viribúsque iam infirmis, conuenienter dandum: non validissimum, sed mite potiùs, sed benignum esse medicamentum oporteat, quod futurum ægrotis ex vsu sit.

Aloes facultates multæ, ac diuersæ: conseruandæ tamen sanitati accommodæ omnes. Et cur alijs magis venarum aperire ora solita sit.

CAPVT IIII.



EXiccantior multo Aloes (succum tantùm intelligimus, nam huius tãtùm vsus) facultas, excalfaciendi vis propè eadem: custodiendę conseruandęque sanitatis partes non sanè minores, vt in qua prouincia quasi ducere ordines possit, sequentibus succenturiatis alijs, extrudendarum fæcum, hoc est, intestinorum sanitatis hostium exturbandorum pollens poténsque, atque inter medicamenta, quæ ἐκκοπρωτικὰ sunt, primum, aut cũ primis. Quod quantum ad sanitatis defensionem conferat, norunt, qui, quantum arcendis longè morbis apertam seruâsse aluũ referat, norũt. Cùm hoc facit, tum cum fæcibus cruditates sæpe multas simul egerit, bilémque, & pituitosæ cacochymiæ nonnihil, hisque ventriculum caputque liberat. Tum verò resiccandi potestate etiam immersas, ventriculi præsertim tunicis, ne putrescant, morbosque generent, materias absumit: atque, vbi absumpserit, adstrictoria facultate, quam non tamen nullam possidet, vnitas corroboratasque minimè difluere partes patitur. quò quid præstantius, aut quod maius ad morborum multorum depulsionem cõmodum sperare possumus? quàm si repurgatis præcordijs, penetralibusque, vbi maximi semper ægritudinum maximarum fomites, roboreque suo firmatis, tuti degamus. Hac ratione vtilissimum ventriculo, orique eius, quod stomachus est, si quod vsquam aliud. hac enim commendatione insignitum legimus à Galeno. Quorum quoque sæpe doloribus, præcipuè verò quum inflammationem æstuationemque ex bile senserint, dempta causa succurrit. Vis eius ad iecinoris vsque sima peruenit, raréter vt gibba illius attingat. Quocunq; autem attingit, imputrescibilitatem secum adfert, magnamq; atq; efficacem aduersus corruptionem omnem repugnantiam, viuentium æquè ac defunctorũ corpori-

poribus: vt non facile sit sentire aliquem putredinem posse, cui frequentior fuerit illius vsus. Tonsoribus profectò ipsis notum, nedum Medicis, quanta cum vtilitate media sæpe in pestilitate Ruffi ex Aloe catapotijs myrrha addita, & Ammoniaci suffimento, tuti versentur multi. Hæc per se, primoque.

Illud quodammodo ex accidenti, & secundariò, quòd reseratis ani sæpissimè, sæpe etiam intestinorum superiorum venarum oscillis, (illotam ad id præferũt) atroque inde fluente, ac multo sanguine, pessimorum morborum sublata ita è medio causa, plurimum aliquando securitatis adferat. Hinc illatæ interdum iecinori noxæ alicuius suspicio, quòd profluuio fortè nimio contingat, aut si nimis multo creber multusque illius vsus sit. Quod malo semper esse, nocumentoque cedere omnibus quoque alijs consueuerit, non modò in hac, vbi reuera si humoris nihil, quod detrahat, repererit in ventriculo Aloe; in illius se statim substantiam conuertat, resiccétque nimis. Ideo senibus quoque, aut natura siccis, damnata: qui tamen ipsi vtiliter sæpe Aloen sumant, eo moderamine, quod humorum fortè in ventriculo præsentia sumentisque natura monstrant. Verùm nisi has, huiusmodique alias, in considerationem adhibeat quis veluti regulas, abusus potiùs rerum futurus quidam sit: nos de vsu loquimur. Cunctaque hæc in Præcautrice etiamnum Artis parte versantibus expectanda erunt ex Aloe. nondum enim (neque enim necessum est) de Curatrice quicquam: in qua nihilominùs multo maximus huius cum euidenti sæpe vtilitate vsus, nullũ vt propè Catapotiorum genus, aut perquàm id rarum valde, habeatur, in quod non virium quoque suarum aliquid Aloe ipsa conferat.

Sedata tandem controuersia de aperiendo venas, & secũdùm Mesuem iudicatum, aperiri. Quid ni? quippe quod tantùm non quotidie experientia sub oculos poneret. At enim adstringendi facultate aliqua prædita est Aloe. Quid tum? num, quæso, tanta, vt magnos intestinorum meatus constringere queat, ne prouolutæ inde fæces cum humoribus vnà ferantur? quorum fortasse acrimonia vellicatarum ora venarum recludantur: quando non his solùm qui Aloen accepêre, verùm alterius etiam medicamenti viribus egestione humorum facta, profluere sanguinem vidęmus, non aliter quàm dehiscentibus hæmorrhoidibus. Hic rursus dicent: per accidens hoc. Et nos dicemus, Mesuæ pronuntiatum de Aloe super hoc simplex non demere nobis intelligentiam quoq; hanc. Tametsi haud ita futurum mirum sit, iudicio quidem meo, si, quum de se primóque Aloe multas ac diuersas, adeoque interdum contrarias sæpe proferat facultates, has quoque de suo ac per se edat: vt, accedente præsertim non sanè paruæ rationis diuersitate, foris admota adstringat ad sistendum vsque emanantem alicunde sanguinem: eadémque intrò recepta operati egregiè caloris vim sentiens, fusaque, & accensa, delitescente tum penitus adstringente facultate, ignei tantummodo caloris vim exerceat, reserétque & aperiat, & irritata venarum oscula compungat ad excernendum: aut etiam transfuso calore, qui suscipi in Aloe ob siccitatem insignis potest, feruidior factus sanguis vnà ac fluxilis magis, citatiórque, exitum quærat, moram præsertim trahente intus Aloe, quàm medicamenta alia multa faciant, diutiùs, eóque efficaciùs operata, quod reliqua in transcursu quodam, ac veluti partes eas perstringentia tantùm, nequeunt.

Dotes fistularis Casiæ, exhibendæq; eius tempus, modus, & quantitas. Et quibus coniuncta cùm corrigatur ipsa, tum alia corrigat.

CAPVT V.



Venit in Salubrium medicamentorum, quæ diximus, censum, venietque semper, neque in paruo hercule numero esse debebit, dotium suarũ commendatione laudem maximam hoc in opere merita Casia. Siliquam illam, Aegyptiam quam dicunt, intelligimus. Huic nescio an primæ debeantur in hoc ordine, ob facultatum eius facilitatem, ac lenitatem insignem, qua placidissimè subducta lenitur aluus. Nihil in ea repurgatoriæ facultatis vehementioris: aut si quid, exiguum omnino nescio quid, quo bilis ac pituita detrahatur, sic tamen ventriculi intestinorumque ac primas illas regiones ne transcendat. Cætera, molliter inprimis, lenis, lubricóque potiùs pinguique suo, ac dulci euoluens, quæ in ventriculo atque intestinis inuenit. Guttur, faucésque lenit, ac pectus, aspritudine ablata, non autem repurgatis humoribus. non enim eò attingit. Vesicæ pariter, ac renibus exasperatis, eademque ratione, amica, minimè arenosa in his humore suo coire patiens, vt durescant, ac pingui lubricoque lentore blanditer sternens vias, vt arenida cũcta differantur. Glycyrrhizæ, violariæ cùm florũ tum seminum, Myxorum,

taliumque in modum, gutturi, faucibus, vesicæ, renibus non alia ratione subuenientium, quàm quasi demulcendo. Pulpa vtimur calore & humore censa modico satis recessu, vnde & bilis reprimi feruor possit, & restingui sitis, & mundari sanguis, naturaq; illius retineri maximè proprijs qualitatibus.

Non quantauis lenierit aluum; aut bilem, & pituitam soluerit: datur ad sescunciam. vncia plerunque quoque satis, adultis; minorique ætati, minus.

Deuorâsse paulò ante prandium cœnámve, & deambulâsse parum ab assumpta, conueniet. Quo propè modo iubemur in placidè subducentibus aluum alijs: vt vel hoc signi sit, non repurgantium illam, sed emollientium potiùs esse, οὐ τῶν καθαιρόντων, ἀλλὰ τῶν λαπαττόντων τὴν γαστέρα.

Vtriusque hæc partis, Tutatricis, Curatricisque, munia latissimè actionum propè omnium occupauit. Itaque additur in Ellectaria lenientia, quorum compositionem interdum auget Salubri nostræ huic prouinciæ commodissimè. Soluentibus, repurgantibúsque paulò efficaciùs corpus, altera ex parte coniunctim mixta, cum ipsa illis vt mitioribus vtamur præstat: tum ab his, quo pingue atque vnctuosum suum illud, laxandis ventriculi fibris nocuum, bonam partem ademptum tollatur, accipit. Sic quidem & quum solius propositus nobis vsus fuerit, adijciendum tamen semper aliquid auferendæ huic noxæ, pro eo ac res, cuius gratia facimus, exposcere videbitur ipsa, aut mastiche, aut anisorum, fœniculi've seminis aliquid, aut glycyrrhizæ: omnium maximè idoneè, modò vsus expostulet, hieram accipiet, & rhabarbarum, quorum vtroque resiccetur parum, simul & hinc illa aliquantulum humescat.

Mannæ vsus hoc in negotio, & præstantia inter benignorum medicamentorum multa, quæ Benedicta vocant. Credi posse, eidem arbori Mannam & roris in morem ex aëre instillari, & missa intus ex arbore humoris materia, gummi modo, extimæ superficiei concretam adhærescere.

CAPVT VI.



EO apparatu non indiguerit Manna, roris cuiusdam cœlestis nomine vetustissimis olim scriptoribus nō incognita. Per se solaque sæpe ex iusculo tātùm diluta vsus suos præstat: interdum ex herbularum decocto aliquo stillatitiáve aqua, facturis quidem ad rem, de qua tunc cogitatio est, at nihil interim illius quicquam emendaturis. Et ijsdem tamen intereà commendatur, quibus Casia, dotibus, eadē lenitate & facilitate. Ritè obseruantibus paulò plus inesse soluendi repurgandique viriū in Manna animaduerti poterit: leniendi, emolliendique in Casia. Egregiè detrahitur bilis ex Manna, pituitæ non vsque eò multum. Vnciarum duarum pondere, plus minus, pro re præsenti, plusculum etiam securè sæpe exhibitū, hactenus non minùs quoque, vt opinor, mite benignūque, &, quod isti vocant, Benedictum repurgatorium existimatum: quòd pondere tanto ὑπερκαθάρσεις tamen non temerè faciat, nec facilè cita ex hac aluus in effrænes iam purgationes illas ferri visa fuerit. Plurimum in ea lenientis simul sine dubio, vnde & pectori, & pulmonibus, & gutturi, & faucibus cōmodè inseruiat cùm per se, tum etiam in Eclegmata recepta. Pueris datur, senibus, vterum gerentibus, omnibus tutò: quocunque omnibus tempore, vel quum lenire tantummodo, aluumq; emolliendo subducere consilium fuerit. Nam bilem licèt, quam detrahat, non inueniat; non vrserit tamen vlteriùs: neque, vt violenter eliciat, membra, solidásve illorum partes adorietur. Verterit se potiùs in alimentum, mitissimorum pharmacorum more, quæ calor insitus noster aggressus facilè euincat: ipsa verò, quum quod agant non habent, nec vnde trahant est, cessant, ceduntque; vtpote quæ longiùs, atque in semota vires magnopere proferre suas nequeant, minimè igitur naturæ tum nostræ aduersantia in partes alimenti cesserint. Huiusmodi est Manna, huiusmodi Casia: neque diuersi tamen vtraque temperamenti, modici propè caloris atq; humoris. Quo temperamento, cùm benignitas illis, quam diximus, conciliatur; tum sitim sedant, minimè resiccantia, abductaque prætereà bile, ex qua sitis.

Mannam hodie, quum roris tantummodo cuiusdam aërij ritu decerpi ex arboribus existimatum antea esset, colligi etiam veluti scarificatu quodam fraxinorum in Calabria cæsim facto, renuntiauerunt eruditiores, testatumq; nobis fecerunt oculorum suorū fide id, persuasione ea, vt non vulneratis modò ita arboribus emanare inde exitu sibi faciliore quæsito Mannam, inque grumos concrescere existiment: sed suapte quoque natura, sponteq; sua, nullis incisuris adiutam, in frondes & folia resudare, demùque inde. vt quarundam arborum resinas videmus per se exteriùs remitti,

mitti, minusque copiosè effluere: copiosiùs autem secto caudice, aut ramis, haud dubiè euocato vberiùs eo pacto foras humore. Mirum, nî fieri vtrunque non obscura valde ratione posse credamus, vt eadem arbor peculiari quadam dote propriaque sua sit, (fraxinus autem ea est, genusq; id vnum) in quam cœlitus irroret melleus quidam liquor, incumbensq; partibus arboris omnibus crassescat: simul & liquorem tum intra se concipiat radicibus attracta materia, pariatque ipsa, non autem, vt ego quidem opinor, extrinsecus irroratum arbori vbique vniuersæ intrò rapiat, rursusque eundem deinde remittat. Nam aut inspersum concrescet matutino frigore antelucano, quod fit, & decerpitur: aut liquescet superueniente Sole, eiusdemque mox ardoribus siccescet, priusquàm ad interiora arboris immigret, quò peruenire neq; per se humor ipse facilè queat per dēsa duraq;, atq; ad ima potiùs dilabetur. madescēt quidē corticis exteriora, vt pluuio humore: intima non penetrabuntur. Neque verò attrahi, absorberique intrò partibus ex illis posse, valde verisimile sit, vbi fibræ, quales arborum alibi attrahendo dicatæ, positu eo longiores nullæ, quæ per arboris semper longitudinem aguntur potiùs. Proinde & alimentum inde attrahitur radicitus, & suggeri materiæ tantum haud difficulter potest, quantum gignendo liquori satis sit: qui foras deinde prolectus lacessita vulneribus arbore, adeóque propulsus interdum ipse gummium in morem coiens extimæ demum arboris superficiei adhærescat. Sicuti non hærere quidem, ac profluere potiùs, cæsim compunctis betulis, quasi stillatitiam aquam, qua lagenæ impleantur, videmus, antequàm folia proferant, radicibus proculdubio in alimenti speciem protractam, aut excrementitiæ alimenti materiæ alicuius in modum, verno tempore in prægnante maximè tunc arbore redundantis, vbertimque adeò, si exitum inuenerit, fluentis. Quam nemo profectò dicere possit, per corticem illapsam priùs, remitti de arbore ea copia posse.

Senæ in his vsus, herbæ iuxtà ac folliculorum. Myrobalanorum item generis omnis commendatio per se. Et de Sero, & Cnici semine, & Mercurialibus, & Beta, & Malua, & Brassica, & Galli iure, & Absinthij coma, & Resinis omnibus.

CAPVT VII.



Ecipi huc adscribique horum numero, neque in postremo tamen loco, & Sena debuerit, vni Actuario inter Græcos memorata, Arabum, vt alia multa, inuentum. Cuius si præter folia esse nobis vsui folliculos siliquásque velimus, admonemur à Rei herbariæ peritioribus, seramus nobis ipsam nos, demetamúsque cum herba, antequàm caduci fiant euanescente propè iam semine, virentes etiamnum, facultatémque suam retinentes cum semine folliculos. Herbæ tamen potiores semper vires habeantur, & quidem exoticæ, Alexandrinæque illius, siue aliàs Syriacæ: ignaris nobis de folliculis, quo decerpti tempore mittantur ad nos. Maximus diluti vsus, tum decocti quoque. Maceratur feruenti aquæ infusa, caprinóve sero, vitro intus illito, opertóque diligenter vase, ne qua euaporata vis exhalet. Additur & zingiber, & cinamomum, & ventriculi ori amica alia, quippe momenta horum, Senæ vtputa vnciæ, demendis noxis, quibus stomachum inprimis, atque intestina vexare creditur. Bilem vtranque egregiè ducit, atrámque inprimis, & pituitæ sæpe partem, ac retorridos ante omnia humores quacunque ex materia ortos, vel de pituita genitos. Quam torreri tandem vsque eò posse, vt in atrabilarium humorem desciscat, minimè diffitendum esse arbitror. Mirum quàm deductis, deturbatisque de cerebro, stomacho, iecinore, liene, corde, pulmonibus, sensiterijs omnibus, vitiosi sæpe succi humoribus, tanquam hostibus, exhilarentur omnia, sensúsque vegetentur inde omnes, totáque sæpe serenetur habitudo, adeóque iuuentutem promoueat productis illius annis, retróque actam senectutem retardet, hoc quidem pacto, qua liceat, in vniuersum melancholicis affectibus omnibus conuenientissima. Quibus deuitandis, si, quo fieri id debuerit tempore, huiusce vsus posthabitus non negligatur: sciant ad præcauendum qui vtentur, non incursuros se facilè in eos, aut multo certè sæuos vehementésque minùs sensuros; delirium, amentiam, tristitiam, lepram, psoram, pruritum, comitialem. Pessimum enim humorem, ac purgatorijs medicamentis valentioribus quoque repugnaturum, nec cessurum facilè, nec temerè mouendum loco, postquàm semel se obfirmârit; sæpe mitius aliquod maiorem illius accumulationem, aut malitiam, aut crassitiem, aut lentorem nimium præueniens mouerit, deieceritque, nosque vnà suspicione omni liberârit. Præstabit contrita in puluerem, sed minore multo pondere, eadem, rerumque, quas addi debere diximus, præparatione.

Inest & Myrobalanis sua in vsus hosce facul-

facultas: non magna quidem illa, nec efficax admodum, sed tutissimę commoditatis. Atque haud scio an reliquorum medicamentorum soluentium vllum, eam cum purgandi potestate roborandi ventriculum, intestináque, ac viscera, iecur, cor, caput, coniunctam laudem, quam Myrobalanis inesse videmus, retineat: tantum abest, vt, quod reliqua ad vnum penè omnia faciunt medicamenta repurgatoria, (quotum quodque enim illorum hoc non facit?) vires partium harum principalium deijciant. Sed quo nomine robur partibus addunt, id quod adstringendi vi faciunt, eodem, nisi caueatur, obstructionum esse causa poterunt. Tollitur noxa extenuantium aperientiúmque additione. Rursus verò hac eadem facultate, adstringendi nimirum, soluentibus addita, impotenter nimis effrænibus violentiam cohibent, securioremque illorum ita vsum præstant. Temperamento sunt refrigerante, atque exiccante Empelica minùs, flaua, nigra, Chepula, Bellirica (nam his ferè generibus distinguuntur) magis. Flauam flaua bilem ducent, & accensam restinguent: Nigra nigram, atque exustam: Chepula, Empelica, Bellirica pituitam. Mœrorem abigere nigra existimantur, & colorem bonum inducere corpori: mentis tenebras discutere Chepula, offuscatumque visum clarare: intelligendi viribus addere Empelica cerebro corroborato: idem & Bellerica. Iuuentutem omnia accersere ac retinere, senectam fugare ac remorari, multas præterea profligandis morbis facultates eorum omittimus. Nos, quæ nostri hoc tempore pensi munerisque esse videntur, tractamus tantùm.

Horum adstrictoria vis, qua vna damnari posse diximus, cùm alijs incidentibus vrinamq; inprimis cientibus multis, tū etiam vim illā lenientibus, tollitur, Seriq; ante omnia caprini maceratione. In quo ipso, dilutionum macerationumque alioqui plurimarum materia, subducendi quoque leuiter ventris facultas non omnino nulla. Stomachum atque intestina, viasque, quascunque pertransit, omnes deterget, eluétque, deuecta secum, vlla absque molestia, humorum inde acrimonia. Addito sale promptiùs descendet, proluetque omnia efficaciùs: vt de hoc dicendum hîc quoque aliquid fuerit, in parte hac operis non inutiliter, ad multa vsurpando, cùm aliâs sæpe; tum quum exposcente ita vsu rerum Vere herbarum aliquarum decoctum, dilutúmve propinandum esse aliquod censuerimus.

Adhibere in vsum insuper & Cnici semen possimus, quo pituita aquosáque multa educantur subductione, & vomitione, neque id infestè tamen nimis: & Mercurialem vtranque, tum mouendæ tantùm aluo, tum si plusculum detur purgandæ etiam bili. hæc stomachum offendere creditur. Et abstersoria facultate sua, nitrosaque potentia prouocaturam aluum Betam, & lubricitate quadam glutinosa Maluam, & succi qualitate sui Brassicæ iusculum. Et Galli item ius vetustioris: & Absinthij comam, detergendis de stomacho, ventriculóque toto, biliosis. Et quædam huiusmodi alia, emolliendæ, ciendæque segniori sæpe ac desidi aluo, sanitatis tempore ex vsu ac necessaria futura.

Accersentur sæpe & Resinæ, quibus non aluus modò cieatur; sed iecur, renes, vesica, vrinarij meatus, pectúsque, ac pulmo, absterſa abductáque sorditie omni, repurgentur; Terebinthina, Larigna, Abiegna. Præfertur in hunc quidem, quo de nunc loquimur, vsum Terebinthina: quippe caliditatis minus retinens, atque adstrictoriæ facultatis plusculum, proinde minore quoque ventriculi totius, reliquarúmque partium offensa. Tum ab hac Laricea, tum Abietina. Cæteræ vsibus his non magnopere adhiberi solitæ.

His, aut si quæ huiusce ordinis alia in mentem venient, aut noua etiam aliquando facie emergent; subducendæ aluo, prouocando, si opus sit, vomitu; Cacochymię generis omnis de partibus omnibus commodè, priusquàm in morbos incurramus ipsos, demendæ, esse contenti poterimus. Satis quidē factura sunt non contemptim prorsus habita, atque tractata.

Humorum præparatio de corpore educendorum. Eorundem correctio, repreſſio, contemperamentum.

CAPVT VIII.

NEque verò huic loco, si, quibus educi propelliq; faciles reddantur humores, adscribenda esse cuncta existimârit aliquis, magnum se in eo operæpretium facturum esse arbitretur: quòd & innumera ferè futura ea sint; ac simplex potiùs, eaque minimè operosa, negotio huic nostro, in quo moliri multa simul magnáque minimè necessarium sit, conueniat ratio quædam. Nam quum dimouendas, auferendasque causas habeamus nondum introductis morbis, sed quæ, nisi tollantur, aut facturæ mox morbos sint, aut longiùs etiam absunt, quàm vt iam ne statim faciant vereamur: satis in longè remo-

remotiore periculi suspicione, minimè quidem negligenter, neq; anxiè tamen, minoribus ac paucioribus agemus: in proximo, vel impendente iam, paulò solicitiùs, at non vsq; eò tamen, vt morbis iam factis, cũcta maioraq; omnia moliemur. Aptabitur igitur à nobis ratio, quicquid faciendum operis erit, semper rebus sua, proq; ea vehementioribus, minùs vehemẽtibus, pluribus, paucioribus, ritè, rectéque, vt opinor, munia nostra partium nostrarum memores exequemur. Perpetuum nihilominùs illud in humorum præparatione, de qua dicere inceperamus, seruabitur, vt plùs minùs nostro hoc in opere, semper tamen, & crassitiem dissecemus eorum, & detergamus lentorem, & obstructos meatus, impeditasq; vias, quà transitus illis futurus est, deobstruamus atq; expediamus: simul vitio eorũ, quo ad eius fieri à nobis poterit, resistatur, infracta, qua naturales sibi qualitates exuperare videbuntur, malitia.

Quapropter Bilis, flaua nimirum, quoniam tenuis per se humor is, vt nõ sæpe attenuari vlteriùs valde postulet; facilis autem illi paratusq; in efferuescentiam excessus, eductusq; simul de corpore facilis: si tamen eò cacochymiæ peruenerit, vt non solùm qua calidior accensaq; magis, verùm qua crassior præterea iusto pauloq; glutinosior, dici iam haberiq; vitiosa possit; in non multo magnoq; excessu hoc, nec multus sanè aut magnus extenuantium & abstergentium, at maior fuerit ac cõmodior refrigerantium vsus. Oxymel tum conueniet simplicissimum cum aqua, quanta satis sit, epotum: aut simile huic, proq; melle saccharum tantùm referens, aquæ verò & aceti portiones easdem, Serapium, aut simplex itidem oxysacchar, aut ex acida citrij parte: aut, si non crassities ea aut lentities fuerit, ex violis Zulapium, aut quid tale aliud.

In Nigra deuitabimus aceti vsum inprimis, quòd bilem exasperare id atram certò appareat: vt flauã reprimere. Incidere natiuam eius crassitiẽ conabimur, siccitatem humefacere. Quæ vitia illius sunt, quum metam excedunt. Serapium hoc faciet, quale ex fumariæ herbæ, aut buglossi tum syluestris, tum domesticæ, quæ borago nostra est, succo paratur. Decoctione item assequemur idem, vel maceratione conuenientium proposito huic herbarum, aut stillatitijs etiam aquis, quibus idem præstari posse speremus, modò ritè paratis, & diplomatis artificio eliciendis. quo vno modo seruari suas herbulis facultates minimò minùs integras sæpe experimur.

Pituitę cacochymiã, vt faciliùs loco suo deijcienda ventre, aut vomitu proijcienda cedat, detergere præ omnibus, & dissecare tentabimus. Tum etiam, quia vnus is concoctionem recipit humor ad sanguificandum, & sanguificatus alimentum corpori prębet, vt hanc ipsam immutationem in melius suscipiat, tentabimus. Melle rosaceo id assequemur, Serapio ex citrij corticibus parato, calorificisque alijs, sed caloris & humoris benignioris, nostriq; ęmuli, potionibus, Serapijs, Zulapijs, dilutionibus, decoctionibus, macerationibus, & huiusmodi.

Componendorum medicamentorum quorundam simpliciorum ratio Salubrium, Oxymelitis exemplo, cuius variæ narrantur coctura. Et Zulapiorum ad hæc, & Serapiorum nonnullorum ad vsus quosdam commendatio.

CAPVT IX.



VEnio ad composita medicamenta, quæ Salubria, & Salutaria dicũtur. quanquam & hæc ipsa componuntur ex diuersis, quæ nunc dicebamus, Serapia & Zulapia: nec aliud, quàm ex herbis, succisque, & medicamentis multis, quo potissimùm anni tempore maximè vigent, decoctiones hæc quædam sunt, igneque semper crassamentum accipiunt, vt dici eiusmodi possint, ob permãsionem diuturniorem. In eandem gratiam & stillatitiæ, quas iam sic vocamus, parantur aquæ ad plurimum sanè temporis perdurabiles, perennantes semper, sæpe etiam vltrà productæ. Cæterùm quum herbæ nobis ad manus fuerint, aut radices, aut semina, aut quæcunque venire in compositiones has solent, libentiùs ferè decoquimus, & decocto, dilutóve, (quæ Græcis Apozemata sunt) eorum vtimur in re præsenti, solo, vel facultatis eiusdem aliquo, vel aliàs ad rem facientibus Serapijs adiuto.

Sunt tamen, quæ multo antè præparata veluti fermẽtantur miscentúrque meliùs, & ex eo formã induunt potiorem omnino. Alia non perinde intererit quo tempore parentur, paratáque vsum semper eundem, viresque ac cõmoda, nullo temporis discrimine, referent, rectamq; compositionem adepta permanebunt. Quorum videlicet materia toto vertente se anno eadem fuerit, nec diuersarum virium, nec immutatæ vsquam qualitatis, vt euanida vires facultatesque exhalent, aut euaporata marcescant, aut situ contracto mucescant; mel, saccharum, acetum, aqua, & si qua huiusmodi alia.

Horum dabimus ſpecimen Oxymeli, quod acetum mulſum eſt, cuius deinde inſtar multa ſequuntur alia, non hîc dicenda. Statuitur autem meritò exemplum in hoc, quòd, quum potiſſima Salutarium, hoc genus, medicamentorum dos, lauſque in extenuando ſit; hoc id maximè ſimul & commodiſſimè præſtare in ſanitate, ſimul & humorum lentorem abſtergere, & infarctus omnes deobſtruere maximo ſemper ad ſanitatem tutandā vſu, queat. Excalfacientium, refrigerantiumque item in medio, aut eouſque potiùs excalfaciendo progreſſum, vt concoctionem tantùm iuuet: (diuerſa enim componendi ratione aſſequi nobis id licebit) nec intemperiem inuehet non neceſſariam, & concoctione adiuta plurimum contulerit. Ac, quod dicebamus, ex paratu præterea facilima locorum vbique, & anni tempore quocunque, atque earundem etiam ſemper facultatum, ad compoſitionem materia.

Quæ eſſe deberet Oxymelitis præparatio, tum quæ illius natura, vſusque, edocemur à Galeno (De rati. vic. acut. comm. iij.) probè. Addito quippe mulſæ aceto, acetum mulſum fit. Non ex aceto & melle ſolis enim, vt ſonare vox videtur, componi Oxymel ſolet: ἀλλ᾽ ἐκ μελικράτου βραχὺ προσλαμβάνοντος ὄξους. Additione igitur aceti modici ad mulſam exiſtet Oxymeli. In mulſa porrò, quæ ex aqua & melle conſtat, rata mellis pars quartæ plus minus portionem obtinet: vt multo maxima ſit aquæ, longè mellis minor, acetique conficiendo Oxymeliti adhuc minor pars, quoniam eſſe hoc βραχὺ debere dixerit. Iam igitur ſumentur ad compoſitionem deſpumati mellis partes duæ, aceti perquàm acris vna, aquæ quatuor: coquenturque ſimul, donec ad craſſamentum iuſtum coierint in vnum, quod ferè ad tertias decocto fit. Licebit & pro guſtantis arbitrio vel acerrimum efficere, ſi, quantum mellis, aceti quoque tantum imponatur: vel dilutiſſimum, ſi dimidio minus aceti multo: vel medium etiam ſeruâſſe ſaporis tenorem quendam. Suum ſibi quiſque guſtum conſulet in hoc. alijs acidius, dilutius alijs non ſolùm arridet magis, ſed & minùs lædit, & iuuamenti plus adfert. Atque, vt in vino, quotidiani vſus potu, mitique, quicunque aqua temperant ad bibendum, hi tamen ferre meracius poſſunt; at ſi paulò dilutius potent, ſtomachi ſtatim ſubuerſionem ſentiant; illi dilutius potare ſoliti ex meraciore capitis dolorem experiūtur: ita in Oxymelite, imò longè magis, quo id minùs nobis familiare, euenire neceſſum eſt. Miſcetur & initio mel, & acetum ijſdem menſuris, & donec vnita coeant, coquuntur: & aut in miſtione, aut ante, detrahitur melli ſpuma. Id quoniam longè addita meliùs aqua fit, quantum deſpumando futurum ſatis ſit melli imponi aquæ oportebit, vel ſoli, vel in miſtione. Hanc ferè Officinæ hodie componendi rationem ſequuntur, quæ aquæ acetique ſingulorum vncias duas addunt mellis duplo, deſpumantque: vt pòſt Oxymelite, propè dixerim, legitimo vtantur, melle nempe & aceto coctione in vnum commixtis, euaporataq; iam inter coquendum aqua: vertantque deinde in vſum admiſtione aquæ ſimplicis, alteriúsve, pro rerum ſuarum commoditate, atque vſu, quiſque.

Poteſt melli quoq; ſoli demi ante omnia ſpuma, tum euaneſcente iam aqua incoqui acetum, ſeruarique ad vſus ita. Vel ſi initio conijcere in vnum tria libuerit, quadruplo plus eſſe aquæ oportebit, quanta videlicet & deſpumationi mellis, & Oxymelitis miſtioni ſuffectura ſit, quæ coquendo ſit, vſq; dum conſiſtentia iuſta ſequatur, conueniantque qualitates in vnum omnium, & aceti ante omnia excoquatur cruditas. Siue hoc, ſiue eo, quo priùs dicebamus, paretur modo, ſicuti ſimpliciſſima aceti mulſi conficiendi ratio; ita omnium iuuantiſſima, incidendo, detergendóque, ac meatus omnes expediendo; & cùm per accidens, diſſecta minutim humorum craſſitie, & ad meliùs cōcoquendum diſtributa cruditate, tum per ſe concoctionem iuuando calorifica familiarique nobis atque amica qualitate, in qua mediocritatem ſeruat. Mulſæ nanque caliditatē, qua ex melle facilè accēſa bileſcit, additum acetum tollit, & ad temperamentum adducit. Ac rurſus temperamento hoc acetum conciliato noxam omnem deponet, qua vna condemnatur, abradendorū inteſtinorum, neruoſarumque partium tentandarum. Ita ſanè fiet, quod ſuprà dixiſſe memini, plus ſemper vt ex contemperantia hac parato Oxymelite expectandū nobis emolumenti, quàm nocumenti ſit: quin, niſi inteſtina quis valde imbecillia, & infirmas neruoſas partes obtineat, nocumenti prorſus nihil, & vtilitatis plurimum. Quapropter compoſitas, medicamētoſaſque magis medicaminis huius præparationes, niſi quum coegerit neceſſitas, nō admittemus. Neque verò componendarum modum hîc trademus, ſicuti ſanè nec multorū aliorū: quorum operibus ijſdem deſtinatorum ingens propè ſylua eſt, petiq; è probatiſſimis Authoribus deſcriptiones poſſunt; tum verò non parare ſibi non poſſit tantùm non obtuſiſſimus Artifex, in rem vſumque ſuum, quaſcunque voluerit, nouas.

Apomelitis, ex fauis fontanaque aqua, inter-

interdum & niue, mitigandæ, arcendæque inprimis siti parari olim soliti, desijt iam diu vsus, succedentibus in locum eius eosdémque vsus Zulapijs multis. Simplicissimo ex aqua & saccharo; ex violarum item succo, & rosarum, earumque stillatitio liquore; ex saccharo, & aceto, quod Oxymelitis instar est. eisdē enim portionibus paratur. Sumiturque in id aceti libra, & mellis loco sacchari duplum: vt pro Oxymelite Oxyzacharum euadat. Serapiū acidum vocant. Eorundem tamen propè vtrunq; vsuum: nisi quòd ex saccharo id delicatulis omnino acceptius. Et vt minùs incidēdo, abstergendoque efficax, minoréque excalfaciendi potestate concoquens, nō tam fortasse commendatur: ita accensum bilis calorem retūdens magis, ac cacochymiam illius corrigens, sitimque sedans, & viscera placidè leniens, laudatur. Ex Limonū item aciditate, Aurantiorum, Punicorum, vuæ immaturæ, & saccharo. Ex Citrij ad idem succo vsus idem, nempe restinguendo bilis feruori, mitigandę sedandęq; siti, & quum opus est humorum malitiæ corrigendæ. neque enim parua hæc illius dos, & ex pomi eiusdem cortice iuuandæ concoctioni, firmando ventriculo, roborandóque cordi, atque aduersus cacochymiam omnem, vel quæ in venenosam iam qualitatem aliquam desciscere incipiat, optimum. Incidentium, abstergentium, cōcoquentium, huius quidem formulę, crassos, lentos, crudos humores, hæc sint specimina.

Diatrionpipereon compositionis modus simplicioris, & vsus, Diospoliticon item, & in transcursu similium multorum. Tum componendorum, & terendorum ratio diuersa, ad affectus diuersos, Diacalaminthes exemplo. Acoporúmque ratio tradita.

CAPVT X.



Lia est, atq; eadem tamen præstans, aridorū ratio. Quæ non facultates tantùm ex rebus, aut madefaciendo, aut decoquendo prolicíunt: sed res recipiunt totas, modò crassiusculè tūsas, modò subtiliùs tritas, modò in pollinem quendam lęuigatas. Quale est Diatrionpipereων, ex piperibus tribus, longo, albo, nigro, anisoq; ad hæc, & thymo, & zingibere, simplicissimum. Quo maximè ad primarum venarum cruditates, vicinarúmque regionum, ac recèns contractam frigiditatem, succosque omnes pituitosos, vtimur. Accipiuntur in id piperis triplicis generis cuiusq; drachmę quinquaginta; zingiberis, thymi, anisi, horum duorum ex optimis locis coma tantùm cum floribus, singulorum autē drachmæ octo. Tunduntur, & per tenue cribrum trāsmissa excipiuntur exquisitè despumato melle. nostri hodie saccharo delicatiùs, confectis inde etiam orbiculis.

Huius medicaminis tanquam simplicioris securior ac frequentior esse vsus, atque horarum propè omniū potest. Semel, bis, sæpiùs, quotidie, quum res poscere videbitur, ante & post cibum, cumq; ipso adeò cibo, plus minus, pro temperaturæ cuiusque ratione, vtare tutissimo: compositioribus alijs non item. Quorum sæpe ineptam nimis, & medicamentosam mixturam, non sine insigni noxa ferat ventriculus, crudaq; etiamnum, & inconcocta adhuc diu pòst ingestorum multa ructibus detegātur, perturbata ex vētriculi vexatione cōcoquendi facultate. Nec minoris tamen vsus erit medicamen idem, cui ad quinquaginta trium piperis generum drachmas, zingiberis, anisi, thymi sexdecim vniuscuiusque adijciantur.

Est & Diospoliticon pharmacū ad hæc eadē faciens, bifariam id quoq; quod præparari cōsueuerit. Altero modo, quum aluum magis subducere propositum erit, recipitq; tunc piperis vnius alicuius generis albi, longive, cumini, rutæ, nitri, æquales omnium partes: altero, quum minor subducendæ alui cura fuerit, in quod eodem reliqua pondere, nitrū dimidio minus, vel quarta tantummodo illius accepta pars fuerit. Huius medicamēti ad cruditates primarum pariter corporis regionū vsus: præcipuè verò, quoties flatuositas prætereà accesserit, & ex inflatione distentio, molestíve aliquid doloris. Quæ cumini maximè, ac rutæ facultatibus discutiantur: sed selectioribus, vt cuminū Aethiopicum, si haberi potest, sit: sin minùs, at ex calida inprimis regione, regionisq; eius editis maximè, siccisq; locis. Acetóque madescat acerrimo maceratum, tundaturque id extemplo, aut in fictili perfectè excocto frictum priùs. Rutę folia modicè siccata sumātur, ne acrimoniam, vexationemq; inde ventriculi, & amaritudinem, excedētemq; calorem siccæ nimis; minùs autem, excrementitium quid reddāt. Hinc, quo traditum paulò antè de Diatrionpipereων medicamēto modo, melli cōmisceri debebunt despumato, sed magna cum cura: quando optimum, exactéque coctum, & cui detracta sedulò spuma fuerit, non paruo erit reliquis ad dissipandos flatus, crassisque ac glutinosis humoribus dissecandis, abstergendisque, adiumento. Sic paratum & præcedet cibum commode, & sequetur. Tum & in orbiculos quosdam de more interceptum saccha-

ſaccharo formabitur, quod liquatum igne læuigatas in puluerem res excipit. Sola item ac per ſe quatuor illa puluerata commixtáque in vnum etiam iuſculis, aut iurulentis aliàs cibis inſperſa vtiliter miſcebuntur.

Accedent ad hæc Græcorum, Arabúmque Medicorum non diuerſi generis medicaméta multa, quæ noſtri Electaria, Confectiones, & Species nuncupant: & alia, præter concoctionis iuuandæ facultatem in omnibus, ventriculo, alia capiti, iecori alia & renibus, alia alijs peculiariter opitulantur: Aromaticum Roſaceum quod vocant, quod Diagallangæ, quod Diambra, quod Diamoſchu, & ſimilia. Quæ quo conficiantur modo cuncta, quæ've adhibenda in his ratio, tum in quibus præparando componendóque erretur: (erratur enim in multis) neceſſarium non eſt hoc loco commemorare. Quia & dictum, ſcriptúmque antea de his ſatis ab eruditis; & profectò alterius hæc negotij, Therapeuticen potiùs ſpectātis, cuius de medicamentorum compoſitione artificium pars eſt. Nos autem hîc paucula quædam, & ea ſimpliciora, nec propoſito tamē noſtro non, vt arbitramur, ſatisfactura excerpſimus. Itaque neque ex malis Cotoneis parari ſolita in vſus hoſce pharmaca adſcribemus, nec ſimplicia, nec compoſita: quibus, præter concoctionis promouendæ facultatem, etiam deiectæ appetentiæ excitandæ vis ineſt. Atque ex Galeni præcepto, ad Struthiorum malorum ſuccum, zingiber primò tantùm, longúmque piper additum accepêre, poſteà adiectis multis ſicuti compoſitiora, ita medicamentoſa magis facta: modò etiam cotoneorum malorum ſucco, ſi quis adſtringēs magis pharmacum concupiuiſſet, additis aromatis idem fiebat. Nūc ex ſucco, ex carne, ex integris propè, aut in fruſta diſſectis, ſaccharóque incoctis, ſtudioſa quadam nobilium inprimis matronarum cura ac diligentia tot exeunt, exiſtuntque inde, longè quàm ex melle delicatiora genera, vt in ſuam quiſque rem atque vſum habiturus ſemper ſit conuenientiſſima; ſeu quis compoſitis concoctionem iuuare ac deperditū reſumere appetitum voluerit; ſeu detracto aromate ſimplicioribus vti, in quib⁹ aut calidi temperamenti ventriculus, aut bile fortè refertus idem fuerit; aut temperaturarum, breuiter, diuerſitas diuerſum id medicaminis, quod Diacydonium vocant, poſcet. vt nō attinuerit eorum hoc loco compoſitiones adſcribere, quorum inuulgata iam ratio vel apud mulierculas; ac poſitum tamen in medio vnicuique intereà ſit ex Arte vſuque, atque ad negotij, inſtitutiq; noſtri propoſitum accommodè paranda ſibi hæc, quum in mentem ita illi venerit, curare.

Illud tamen minimè omittendum, dicendumque in vniuerſum: Quibus ſubduci aluum, aut primæ regionis, primarumq; venarum crudos concoqui humores curauerimus, in his craſſiuſculè tantummdo conterēdis dandam eſſe operam: vt in Dioſpolitico pharmaco, vt in alijs, ſi qua eiuſ modi ſunt. At quibus vrinam mouere, aut diſtributam in corporis habitum, molémque totam concoquere cruditatem, & cacochymiam conficere animus erit: tum verò in his tenuiſſimè, ac minutiſſimè vel in pollinis vſq; ſimilitudinem tuſa tritaque, vt perueniant, diligēter laborandum: quo anguſtiores meatus penetrare, & minutiorum venarum, per quas in ambitum deinde corporis iter, ſubire ora, facultatemque in partes omnes deferre ſuam, poſſint.

Sanè harum quoq; virium medicamētorum nō alibi meliùs, quàm in Diacalaminthe reponetur exemplum: quippe quo egregiè cuncta illa præſtentur, ſi qua ſignificauimus ratione præparetur; vrinæque ſæpe multum proliciatur, crudique per venas, perque vniuerſam habitudinem ſucci concoquantur, cōſumanturque; multoq; interdū magis etiam menſes prouocati effluant. Habet autē compoſitio ad hunc modum ex deſcriptione Galenica, quam, ſicuti ſuperiorum fecimus, ita hîc quoque libentiùs, tāquam minùs & medicamentoſam & vitiatam, ſequimur: Calaminthes, pulegij, petroſelini, ſeſeleos, ſingulorum vncias duas accipiunt; ſeminis apij, cacuminum thymi, vtriuſque vncias quatuor; libiſtici vncias ſexdecim, piperis octo & quadraginta. Tundenda hęc, terendaq; minutiſſimè, vt diximus, perq; tenuiſſimum cribrum tranſmittenda erunt: tum melle, aut ſaccharo excipiēda. Nec commodè autem nec vtiliter minùs ſeruari trita ſola ſiccaq; in vſum poterunt, aut cum iuſculo liquoréve aliquo ſumenda deinde, aut cibis etiam alijs inijcienda pro ſale ad obſonia.

Et quoniam, quod quidem ad hoc pertinet, eundem quoq; vſum præſtant Acopa quædam, vt congeſti per totam corporis molem ſucci, quos concoquere, aut diſijcere neceſſum ſit, diſſipentur, aut conficiantur: ſimpliciſſima horū tràdemus hîc, multorum, quæ comparare ſibi deinde vnuſquiſq; poſſit, inſtar futura: neque hîc ſanè magnopere ſoliciti de cōpoſitionis, præparationiſq; variatione apud multos, & ſimplici tantùm traditione cōtenti, præſertim non ſemel antea præfati, ſimpliciora nobis ſequenda eſſe toto hoc opere; in omnibus autem diligentem ſemper, atque inprimis haben-

habendum esse rerum, quæcunque in compositionem venient, delectum.

Acopon ex Abiete. Abietis seminis, quod circa Arcturi ortum pulcherrimum exit, modius Italicus (hi sextarij sexdecim sunt) in olei, cui relaxandi vis adsit, libras quinque & viginti conijcitur, contusi priùs, vt meliùs id oleum imbibat, per dies minimùm quadraginta. Vbi maceratum id satis esse videbitur, expressum proijcitur: & quod reliquũ factum fuerit olei, (multum autem decedere inde solet, veluti exuctione seminis imminutum) huic ceræ inijciuntur libræ quatuor; resinæ abietinæ, pineæ, vtriusque triẽs: aut in harum defectu terebinthinæ duplum, quantum vtranque æquet. id erunt vnciæ octo. Coquentur in vase duplici meliùs: sin minùs, at lentior quidam prunarum ignis necessarius. Ad idem, eodemque modo, ex Populi nigræ floribus parabitur medicamen. Paulò tamen minus hîc, vtpote macerãdis floribus, olei requiretur: satisque erunt libræ quindecim, aut summũ viginti, Italico florum modio. reliquæ eædem penitus seruabuntur præparandi leges, vt tantundem temporis macerentur, vt modicè contusi priùs adijciantur, expressique deinde abijciantur flores; ceræ ac resinæ tantundem, vt priùs, accipiat, idemque demum adhibeatur coctūræ modus ex duplicibus vasis, quod nõnullis appellare diploma placuit. In vtroque si inter macerandum dimotum quotidie cum vase medicamẽtum in Solis feruores obuertatur, in calidáque id domo fiat: vires proculdubio citiùs ac validiùs cùm florum, tum etiam seminis conceperit ita oleum in se. Quòd si quibus ferẽda non videatur tam longi temporis mora, quæ macerandis his rectè exigitur; vel aliâs cogantur festinatò præparationẽ accelerare: his licebit eandem duplicium vasorum rationem sequutis, qua priùs post perfectã macerationem liquandis tantummodo ceræ ac resinis vtebamur, hîc etiam pro maceratione ea vti, semináque ac flores eo pacto paulò diutiùs præcoxisse: sic tamen inter coquendum ne torreantur, vt aquæ addatur, quãtum futurum satis sit ad perfectam vsque excoctionem durans, ipsa vnà euaporata dein statim quæ abeat; aut vini tantundem, si ad podagricos, aut articulares affectus parabitur, nã ad alia melior aqua. His medicaminibus, & similibus alijs, concoquuntur humores alij crudi molem corporis vniuersam occupantes, alij attenuati digeruntur per halitum; lassitudines tolluntur; impacti, immersique carni, articulisque succi dissipantur; cutanei meatus omnes aperiũtur. Idem à Chamæmelino, & Anethino oleis expectabimus, siue solis, siue cum cera & resinis, quo superiùs narratum modo, præparatis.

Sudorem mouentia intrò sumpta, forisq; admota multa.

CAPVT XI.

IAm ad medicamenta transeundum, quibus, cuiuscunque tandem humoris, cacochymia per aluum maximè deiecta, aut vomitu etiã interdũ proiecta, aut per vrinas, aut sudoribus, plecta corporibus, antequàm in morborum illa affectus abducat, dematur. Sudorifica primùm, quorum expeditior est ratio, modò rite administrentur, non referto scilicet prauis humoribus circũ primas venas ac præcordia corpore, & ab extimis tantùm venis moleq; corporea vniuersa eliciẽdis illis. Sudores euocabit perfricatum cuti valenter Chamæmelum, si aridum priùs cõteratur, & perfrictum superinspergatur oleo relaxãte aliquo. Idem Anisum faciet, & Seseli, & Pyrethrum, eodem modo inspersa oleo incoctáve. Efficacius Nitrum, non nimis tenuiter tritum, & cũ anethino, aut chamæmelino oleo mixtum, fricandóque illitũ cuti. Aristolochia insuper, & Costus, & Acorum, calamus videlicet aromaticus officinarum, & Libanotis. Extrinsecus hæc, & sudorem inprimis excludentia circunfusi aëris excalfactione insigni balnea, vaporaria, & sudatoria, quę vocant. Ad quod sanè auxilij genus, nullo sæpe habito rerum, sed nonnullo tamẽ vitæ discrimine, quum primùm tẽtari aduersa se valetudine senserint, cõfugiunt multi; pessimo euentu, si fortè rapta è penetralibus humorum cruditas, primisque venis in maiores, atque inde in molem prætereà corporis abrepta, horrores primò, tum & rigores commotior facta, atque ad extremũ febres putredine oborta in venis continuas periculosasque faciat.

Intrinsecus illa sudorifica: Mithridatica antidotus, Lacca, Dictamnum, Sisymbrium: & eorum quæ foris admota sudores euocabãt, intus quoque sumpta excludent multa. Pariter & Calaminthæ genus nepeta, quæ & cum oleo cuti infricata, & cum mulsa pota, vtroque modo sudorem elicit: omnium verò maximè Chinæ, Sarsæque, Paryllæ, & Guaiaci, quæ ita nunc vocamus, decoctiones. quarum potionibus felici sæpenumero successu hac in parte, deuitando morborum occursu, impendentium, vsos non paucos fuisse scimus.

Vrinam

Vrinam cientia quæ propriè dicantur, & sint, simpliciora quædam. Tum & componendorum simul modus, atque exemplum.

CAPVT XII.



QVæ sudores prouocãt, illorum nõnulla menses, & ciere vrinã quoque poterũt: benè calida & sicca, vrinam; calida quidẽ quoque, at nõ æquè sicca, menses: vt Sabina, Meum, Iris, Calaminthe, Pulegium, Dictamum, quod nos Cinamomum habemus, Costus, Aristolochia, eiusdémque generis alia, nõ minùs vrinę quoque sæpe multum elicientia, extenuatis absterſisque crassis lentisque humoribus, quibus facilè deinde exitus ita per vrinam pateat. Quum verè tamen, ac propriè Diuretica quæ dicuntur, ea inprimis ratione vrinam moueant, vt non crassitiem tantùm extenuent, sed sanguinem fundant ipsum, eiusque tenuem & aquosam partem secernãt, ingenti vtrunque caloris vi quadam: secretámque ita sanguinis partem, quę serum est, renes proprium sibi, ac familiarem arripiant. Talia habentur: Apij semen, quod Petroselinum dicimus, huiusque ipsius petroselini Macedonici, nuper nostrum etiam cœlum ferre edocti. quippe audio migrâsse iam ad nos, nostrarúmque regionum patiẽs esse factum. Fœniculi item, & Dauci, & Smirnij, & Seseleos semina, Ammique, & Asarũ & Acorum, noster quippe aromaticus calamus. Hæc menses non ciuerint, aut non valde certè ciuerint, nimiam propter siccãdi inprimis potentiam. Quæ verò menses cient, eadem vrinam quoque cuncta propè cient, eo, quo paulò antè memorauimꝰ, modo, crassiorum humorum attenuatione; nõ etiam sanguine fundendo, sequestrandæque serosæ eius aquosæque parti valida, quod legitimè demum dicta hoc nomine Diuretica, numeratáque ex parte aliqua, præstant.

Et quoniam hoc loco composita magis tractamus, vno erimus contenti exemplo, ad quod reliqua formentur. Potio, quam vrinæ eliciendæ accommodam esse experimur. Accipit autem radicum apij, & petroselini, quæ nimirum officinæ hodie ita appellant, vtriusque quantum semel capi manu potest; cicerum rubrorũ dimidium eius; anisorum, seminis apij, petroselini, fœniculi, dauci, cari, singulorũ drachmas duas; rubeæ tinctorum drachmam, spicæ Indicæ drachmæ dimidium; adianti, hyssopi, cussutæ, (siue cassuthe malis) agrimoniæ, singulorum dimidium eius quod capi manu possit; seminum melonũ, cucumerum, vtrorumque drachmas tres; radicis assari vnciam, calami aromatici semunciam. Macerantur aqua primùm omnia, tum excoquuntur ad tertias. Bibuntur vnciæ quinque, dulcanturque, si cui ita libuerit, Serapio, aut Zulapio etiã aliquo, facultatum earundem. Possunt non minùs eadem, tam quæ menses, quàm quæ vrinam prouocant, siccata minutissimum in puluerem conteri, & ex liquore non diuersarum virium aliquo, vinóque etiam diuretico albo ad eosdem vsus vtiliter bibi.

Vomitionem quæ iuuent. Et de præparatis ad hanc, auersisq; ab hac. Quæ obseruanda in ea. Quàm nocuum sit, temerè illi assuêsse.

CAP. XIII.



VOmitus quomodo tentandus sit, suprà quoq; narrâsse meminimus: si modò tentare liceat. Licebit porrò, quũ quoquo pacto vitiosi succi materia, vẽtriculo proximisque locis contenta, egeri ea ratione posse videbitur; nec cacochymiæ prætereà quicquam maioribus venis, extimóve corporis ambitu continebitur, quod ne intrò vomendi vehementia correptum feratur periculum sit; absintque, quibus, ne vomitus suscipiatur, prohibere solemus, cuncta, pectoris ac thoracis, ventrisque medij totius angustia, aduersaque vomitionibus natura, quæ τῶν δυσεμούντων est, cui si vis inferatur, id non sine disrumpendę interdum venæ alicuius periculo fiat. Maxima aũt est vomentium, cogentiumque se ad id vehementia, vt dilaniari, & dilacerari sibi interiora omnia, ac penè conuelli membra sentiant. quod σπαράττειν est. Contrà alios sic pronos in id natura ferri videmus, vt paruo ad radicem linguę intromissis digitis compressu facilè euomant: alios ne id quidem, ac sola, quoties facere id libuerit, ventriculi incitatione, quæ quasi in illorum potestate sit, idem peragere conspicimus. Hosce, quum res poscere videbitur, vomitum exercere non inconueniet. Mirè nanque eo inanitur pituita, vt euacuandæ huius vnius causa bis nobis singulis id faciendum esse mensibus præceperint veteres: nec minùs bilis: leuatúrque dolore caput vitio humorũ in ventriculo facto: ac si qui largiùs se ingestis cibarijs impleuerint, aut liberaliùs potârint, & cruditas timeatur; non alia meliùs ac faciliùs ratione occurretur.

Nec coactè tamen vnquam, nec medicamentis magnis id faciendum, qualia in affectibus quibusdam ciendæ, commouendisque validè ex ea humoribus, vomitioni pro-

propinamus. Nobis, nostra hac Sanitatis Tutandę in parte, si vomitu educendus fore humor videbitur, vometisque habitus, ac corporis status ferat; ex Oxymelite id curâsse satis erit: aut in paulò magis delicatulis, ex Oxysaccharo, etiam ex Ptisana: aut plusculum etiamnum conantibus, ex Radicula, Cepæque aut Porri modico: vel, vt, quũ maximè agere voluerimus, ad summũ nostro in negotio veniamus, radicem Cucumeris tritam in mulsa, aut Attriplicis semen dabimus; aut ex Narcissi bulbo aquę incocto, admixtóque vino, misturam potandam exhibebimus, à valentioribus abstinebimus.

Cibos autem esse oportere tunc, qui sumuntur, non adstringendi facultate præditos, non siccos; humidosque potiùs, dulcesque, ac relaxantes, præsertim qui finiant cibum, partim etiam acres; eosque nec cõmansos valde, impermixtosque; ac vina superbibenda dulcia, quæ innatando ad vomitum inuitent: manifestum esse satis potest. Nec sanè diu ab assumptis cessandum, si quis aggrediendum sibi ad vomitionem esse existimauerit. Intermissoque horulæ spatio, statim id aggrediatur per se, nullo alio adiutus, si factus ad id à natura fuerit: sin paulò auersus, satis sanis fuerit digitis oleo aut auium pinnis intinctis, immissionéque ad fauces, aut vlteriore etiam ad gulam, vel compressu quoque interdum linguæ intimæ magis irritâsse. Hæc, sicuti monuimus, quum tuendæ tantùm sanitatis id exigere vsus videbitur, facienda sunt.

Nam nulla interdũ ad id adductos causa consuêsse vomitionibus, vel temerè potiùs, animique magis, vt quosdam scio, cuiusdam causa eò accedere: id verò cùm alia quædam adfert incommoda, non negligenda; tum obnoxium reddit vẽtriculum suscipiẽdis vndique de corpore prauis sæpe humoribus, quod pessimũ est. sic enim tanquam in lacunam confluere eò discent, non facilè deinde dedocendi, plurimi sępe humores. Atq; hæc ferè sunt, quas in sanitate vomitionibus, quum opus esse visum fuerit, exercendis adhibuisse liceat compositiones, simpliciorumque rerum quarundam ratio.

Compositiones aliquot lenitione subducentes aluum. Eædem interdum & placidißimè soluentes cacochymiæ genera sua quæque, globulorum seu Pilularum, orbiculorum seu Placentularum, aut potionum in modum, siue Zulapiorum. Scammonium quomodo correctißimum haberi poßit.

CAPVT XIIII.

Nunc quibus aluus deijciatur composita medicamenta trademus, quorum, si ritè rebus accommodentur, non incõmodus sæpe multis vsus cessit sanis. Ea vel sola sumuntur sic vt habent primò trita, siccaque: vel in Catapotia formantur, qui globuli quidam sunt deuoratu faciles, Pilulæ officinis: vel in Electaria excipiũtur melle, aut sapa, aut vino, aut quo alio liquore, sed his tamen potissimũ: insuper & saccharo. Quo prætereà eliquato sicca ipsa excepta, adeóque intercepta, mox refrigerata in orbiculos duriora iam coeunt, Placentularum modo. Sæpe etiam in quadrulas exeunt scissa, formantis arbitrio, vel in Serapiorũ consistentiam decoquuntur, dulcoranturque melle, itidẽ & saccharo. Tum humoris alicuius alterius proposito inseruientis adiectione dilutiora facta, aptissimæ Potiones fiunt. Nos mixtim hæc trademus potiùs. neque enim, hoc quidem in opere, cui sanitatis tantummodo conseruandæ studium est, tot dare ad rem hanc medicamenta possumus, vel debemus potiùs, vt explere classes suas ordo quisque possit. Catapotia leniendæ aluo, subducendæque generis omnis cacochymiæ ex primis venis, primáque corporis regione, idonea. Capiunt myrobalanorum luteorum, chepulorum, Indorum, quæ & nigra vocant, singulorum quadrantem; olei ex amygdalis dulcibus expressi sextantem. Macerantur hæc horarum quatuor & viginti curriculo, succis rosarum & fumariæ, & endiuiæ, siue intybi. ipsa nanque vicinitate nominis intybum se esse ostendit. Admoto deinde igne concalescent, fortiterque percolata exprimentur. Tum rursus sumetur sesquiuncia Rhabarbari selectioris, cui vini modicum irrorari debebit odorati, & spicæ Indicæ apponi scrupuli octo. Madescẽt ex aqua absinthij stillatitia. in ea horis duodecim macerabuntur, percolabuntur, ac valenter exprimentur. Tum addentur agarici diligenter priùs præparati quadrans, salis gemmei drachmæ tres, zingiberis sesquidrachma, casiæ recẽs tunc primùm exemptæ quadrans, mannæ optimæ semuncia, aloes bonæ triens, mellis rosati semuncia, bdelij drachma. Cõmixta hæc cuncta, ac simul diu rude circunducta agitantur diebus singulis. Est porrò aliquot id dierum opus, donec iusta inde massa existat formandis in globulos Catapotijs idonea. His, vt existimare est compositionis examinatione, quicquid ventriculo, atq; intestinis, & in mesenterio vitiosi humoris

continebitur, exigetur in tempore, drachmæ pondere vnius, próq; corporaturæ, ætatumque differentijs, plus minus; partim lenitione subductum, partim solutione placidissima, quæ sicuti iecoris regionem hoc quidem medicaminum genere, his præparationibus, eo pondere non facilè transcendat, ita nec corpus quidem aut humores commotos exagitet.

Eorundem propè vsuum, nisi quòd neque ex tot conficitur, neque tam exquisitè paratis castigatisque, eoque vt minoris omnino commendationis, ita minùs quoque operosa compositio: ex æquis modò omnium, rhabarbari, agarici, aloes, portionibus; modò pro rerum, quas tractamus, vsu, vno aliquo illorum superante: adiectis tamen semper suis, proprijsque vnicuique, quibus qualiscunque tandem singulorum emendata malitia retundatur, vulgatis iam, notisque, vt adscribere non attineat. Ex huiuscemodi compositionibus Catapotia ferre poterunt magno sępe vsu paulò valentiores ventriculo, nec vsq; eò delicatuli.

Hic iam quorsum attinet tot alia Catapotiorum seu Pilularũ numerare genera, non paruo sæpe, postulantibus ita rebus, vsui etiam sanis futura, Aggregantium, quas ita vocant, ex agarico Mesuæ, Mastichinarum, Alephanginarum, Ruffi, Stomaticharum, sed detracto turbith: Imperialium, Hierę cum agarico, Hieræ simplicis? Quorsum huius ipsius Hieræ, alteriúsve alicuius non diuersarũ facultatum Electarij compositiones adscribere inuulgatas iam, eruditorumque censuris diligentissimè excussas, atque emendatas? quarum haberi semper delectus, à non imperito Artifice, trahique vtiliter ad commodum vsumque suum à non ignaro prorsus rerum harum vnoquoque poterit. Nos paucula hoc loco tantùm quædam pro exemplo potiùs, ad quod eandem rationem sequutis componere multa alia liceat, damus.

Et quoniam morosis quoque aliquando quibusdam satis faciendum erit, qui delicatè sępe, ac molliter nimis se gerunt; aut natura etiã quandoque ab hoc illóve compositionum genere abhorrent: & sunt, qui Pilulas glutire se non posse affirment, alij non Electaria; alijs Potionibus quantumuis mitibus perturbatus subuertitur stomachus: cum his ineunda ratio aliqua alia fuerit, qua idem præstetur. vt si in puluerem contrita medicamenta ex saccharo in orbes quosdam planos formentur, hunc ferè in modum: Optimi rheubarbari sumatur ad id vncia; adijciantur senæ melioris, nempe vltramarinæ illius, quam Alexandrinam dicũt, drachmæ quinque; epithymi semuncia, cnici seminis drachmæ sex, zingiberis siciliquum, cinamomi drachmæ dimidiũ, maceris tantũdem, mannæ optimæ drachmæ sex, succi rosarum puri semissis, seminis cotoneorum drachmæ duæ, sacchari purissimi tritis medicamentis excipiendis quod futurum satis esse videbitur. Quo ex stillatitio fumariæ liquore ignis vi soluto, in orbium, vt dixi, planorum formam exeat confectio.

Detur & hoc reliqua auersantibus, vt potiones habeant Serapij delicatioris in modum, quas ex iusculo, liquoréve aliquo alio, quicunq; magis placuerit, potent. Exemplum scribemus, quod sequantur, qui conficiendas hoc pacto habebũt, commodè conuenienterque ad id, in quod intenti erunt, compositiones.

Capi poterit senæ Alexandrinæ quincunx, zingiberis siciliquum, rheubarbari drachmæ tres, spicæ Indicæ dimidius scrupulus. Ea crassiore modo trita diem integrum noctemque madefacta feruenti aqua macerabuntur, vasi iniecta angusti oris, curioseque circũclusi, ne qua exhalet. Percolatis deinde, expressisque diligenter, colaturæ adijcientur diluti rosarum, quam infusionem earum solutiuam vocant, libræ duæ, sacchari secundarij libræ quatuor & semissis. Feruebunt bulliendo ad sacchari vsque despumationem. Tunc addi debebit rheubarbari selectioris, & in pulverẽ contriti semuncia, atque iteratò ebulliẽt, donec iustum Zulapij cuiusdam spissamentum acquirãt. Percolatus liquor vitreo condetur vase in cõstricti oris angustiam desinente, seruabiturque ad vsus. Ex eo accepisse pro vice trientem, aut quincuncem satis erit: selibram fortiores, & stomacho valentiores poterunt. Diluetur vtiliter stillatitię aquæ alicuius, quæ subseruire magis proposito videbitur, additione.

Aliud, quo perquàm facilè emollita lenitur aluus, ac, si plusculum sumatur diluculo ieiuno, vel cœnã anticipet horarum duarum spatio plus, serosi excremẽti educere multum solet. Cibum præueniens statim, vel cum cibo etiam acceptum, aut post cibum mox cochlearij mensura, subducit ventrem citra molestiam, & apertum seruat. Habet autẽ succi baccarum spinæ ceruiuæ, vel cerbinæ, (est sentis genus id vulgati) mellis despumati vtriusq; librã. Subdito ex prunis igne lentè decoquuntur ad sapæ crassamentum, & sub finem adijcitur zingiberis siciliquus, cinamomi duella. Sumitur aut cum cochleari, aut iusculo solutius factum, aut aliâs cum iurulentis. Nomẽ Electario fecimus domestico, quo passim iam vtimur.

Aliud, quod Antidotus Vitę nomẽ promeruit.

meruit. Recipit hoc passularũ, quibus exempta fuerint granula, libram; glycyrrhizæ derasæ, ac modicè contusæ semunciam. Inijciuntur aquæ fontanæ libris duabus, colantur, exprimuntur. Colaturæ proiectis passulis adijciuntur corticum myrobalanorum chepulorum, luteorum, nigrorum, (tundi hæc oportet) singulorum vncia; empelicorum, bellericorum, vtriusque generis drachma; florum boraginis, buglossæ, violarum, rorismarini, singulorum bini scrupuli; foliorum senæ bonæ vncia. Coquuntur vnà, & exprimuntur, humorique dein percolato additur candidissimi sacchari dodrans. coquuntur demum iterum, quousque Serapij crassitudinem accipiant. Refrigerari deinde incipienti conijciũtur eò cinamomi optimi drachmæ tres; gariophyllorum, gallangæ, vtriusq; scrupuli duo; nucis moschatæ drachma; seminis fœniculi, anisi, vtriusq; semuncia. Redigitur in antidoti, siue, vt nostri vocant, Electarij formam. Sumitur ex eo, quũ opus est, vncia ieiuno.

Correctissimum, & ex effræni mite maximè habebis Scammonium, si quando sanis illius vsus veniet, hoc pacto: Sumito ad id cinamomi selectissimi, zingiberis, vtriusque drachmam; vnionũ pręparatorum, corallorum rubrorum itidem præparatorum, vtrorumque scrupulum; agallochi, quod nunc aloes lignum habemus, gallangæ, caryophyllorũ, vtriusque scrupulum; cardamomi, maceris, nucis moschatæ, singulorum scrupulum dimidium; diagredij scrupulos quatuor; sacchari stillatitia mẽtæ rosarum aqua eliquati trientem & semunciam, rosarum saccharo conditarum (Conseruam vocant) vnciam. Conficiuntur inde ex concinnandi ista Artis legibus offulæ. Siciliqui, aut duellæ pondere, vsus ieiuno. Atq; hæc ferè sunt, quæ huc exempli tantùm loco, ac pro specimine potiùs, si qua ex horũ formula paranda, componendaque ab alijs alia hunc illúmve in modum fuerint, adducta voluimus.

Partibus corporis singulis, quæ particulatim congrua magis sint medicamenta retinendæ quarumcunque partium sanitati, aut vt tentatis in his subueniatur.

CAP. XV.



PAucula his addemus de compositionibus, quę corporis partibus quibusdam priuatim, præcipuè verò præcipuis, ac principalibus cõferre visę sępe sunt, corroboratis harum vsu illis, confirmatisque, præter vsitatas, omnibusq; in aperto positas: qui desumere sibi illas voluerint, vt habeant vnde accipiant, non nescientes quidem, membris robur viresq; acquiri nõ aliter rectiùs, quàm quum in intemperiem aliquam prolapsa ad temperamentum suum reuocantur. id illis enim demum robur iustum conciliârit. Quod de intemperaturis dictum verissimũ est, quibus extra sanitatis limites delatis adeò partium oblæsa deperditur, imminuitur certè, vel quoquo pacto manifestò vitiatur functio, vt imbecillitas infirmitasque illarum, quamcunque in partem exilierint, non nisi reductis in viam tollatur. Quod nõ aliter quàm calefactis euidenter, frigefactis, siccatis, humefactis, aut coniunctim hoc facto, assequimur. At in negotio nostro ex recèns cõtracta intemperie subortam, aut tum primùm oriri incipientem imbecillitatem, quam suspicemur potiùs, quàm sentiamus, arbitror, etiã vt nihil eorum, quę modò diximus, pręstetur, egregiè quibusdam alijs, nullam in partem magnopere inclinãtibus, ac mediocriter id vel intra modum magis facientibus, & siccãtibus tantummodo parum, quicquid id fuerit, quod membrũ occupârit, humoris, peculiarique insuper dote sua ac facultate quadam tolli auferrique posse; ideoque hac quoque ratione robur viresq; partibus eo modo imbecillitate tentatis addi. Atq; hæc pro formula tamẽ tantùm quadam dabuntur hîc, quam sequi in parandis alijs possit, vt quisque retinendam sibi in componendis his aliam atque aliam diuersi generis rationem esse decreuerit.

Aridum Capiti corroborãdo vtile. Coriandri de more præparati, nucis moschatæ, vtriusque semuncia; ligni aloes drachmæ septem; cariophillorũ, cubebarum, zingiberis, piperis longi, cuiusque sesquidrachma; gallangæ, tormentillæ, thuris albi, cinamomi, calami aromatici, zedoariæ, singulorum drachma; coralli rubri, rosarum, serici crudi tosti, singulorum scrupuli duo; galliæ moschatæ nobilioris drachmæ duæ, qui siciliquus est; betonicæ, saluiæ, vtriusque sesquidrachma; florum rorismarini semuncia. Terito omnia, additoque sacchari, quãtum reliquorum pondus æquet, candidissimi. Hoc inter Tragemata, seu τρώγαμα quæ Græci vocant, vtitor, vt cibum secunda mensa finiat, vel inchoet aliquando, vel interdum prandij, cœnæ've medio sumatur aspersum ferculis. Possis ex arido particulã accipere, quam volueris, eamque iusti ad id ponderis sacharo ex stillatitijs, quæ meliùs facturę tũc videbuntur, aquis ignis opera eliquato in orbiculorum, aut placentularum, aut quadrularum formã redigere, suo deinde tem-

pore vtendarum. Aridum aliud ex asini vngula ad eadem, & puerili infantilique ætati conuenientissimum: comitiales fieri prohibet, & pauores, & terrifica insomnia amouet. Sumũtur in id vngulę asininę torrefactæ drachmæ sex, confectionis diamoschu dulcis drachmæ tres; corallorum rubrorum, ac candidorum vnionum, smaragdi, singulorũ drachmæ duæ; nigellæ, seminum santonici, rutæ, pæoniæ, vnguis odorati, dictamni Cretensis, nuculæ moschatæ, singulorum drachma; radicis pæoniæ, visci querni, vtriusq; drachmæ duæ; ramentorum cornu cerui, amaraci, cranei humani, singulorum drachmæ tres; moschi, ambræ, vtriusque granorũ octo pondus; foliati auri philyras duodecim. Tunduntur omnia, teruntur que, vt subtilissimus puluis existat.

Antidotus Pectori conuenientissima ὑπογλωττίς, incumbentibus thoraci ac pulmonibus de capite acribus humoribus intercipiẽdis in sanitate, vt sæpe fit, atq; etiã expectorandis, vsu cognita, comprobata que, accipit boli Armenicæ ritè concinnatæ drachmas sex; gummi tragacanthi, seminis papaueris albi, vtriusq; drachmam; gummi Arabici candidi semidrachmam; glycyrrhizæ derasæ, pulueratæque drachmam; sacchari durati (Candum vocant) albissimi drachmas tres, nucleorum pineorum quincuncem. Pastilli existent orbiculati inde, parui, plani: detinentur ore sub lingua, vt sensim liquescant, inde ὑπογλωττίδες dicti. Aliud expectorandis humoribus, consumendisq; efficax. Habebit hoc capillorum Veneris, hyssopi, scabiosæ, tussilaginis, betonicæ, buglossi, singulorũ drachmas sex; radicum polypodij, glycyrrhizæ, vtriusque drachmas duas; seminis vrticæ sesquidrachmam. Decoquũtur simul, & percolantur. Exempta deinde decoctionis percolatę sesquilibra, serapij violacei compositi trientem addemus, & sacchari purissimi bessem: admotáque igni hæc iterũ, lento igne decoquentur ad spissitudinem vsque serapij. moxque amota, quum primùm refrigerascent, puluerem accipient hunc: Maceris, ligni aloes, cinamomi, singulorum sesquidrachmam; radicis iridis Illyricæ semunciam. Deducenda ad formam antidoti cuncta, quod Ellectarium vocant. Vsus drachmarum trium manè ieiuno. idẽ Hypoglottidωn vicem, quæ Sublinguares fortè antidoti dici possint, sæpe expleuerit.

Compositio mirifica, Cordi amica, venenis inimica, arida: sed quæ formari statim in Electarium antidotum queat. Accipit seminis mali citrij, detracta exteriore membranula, vnciam; zedoariæ, doronici, radicum bistortæ, tormentillæ, singulorum sesquidrachmam; florum boraginis, buglossi, melissophylli, nymphææ, violarum, singulorum drachmam; corallorum rubrorum, margaritarum, rubini, granatæ, hyacinthi, sapphiri, singulorum scrupulos duos; smaragdorum drachmas duas & dimidiam, auri & argenti moliti in pollinem vtriusq; semidrachmam, croci sesquidrachmam, coriandrorum præparatorum drachmam; vnicornu, ossis cordis ceruini, terræ Lemniæ, singulorum drachmam; rosarum rubrarum sesquidrachmam, confectionis diamoschu aridæ scrupulos duos. Redigi debet in pollinem omnia tenuissimum, misceríque, ac trita minutissimo cribro incerni. Possit ex melle non minùs parari antidotus, vt diximus, vel ex sacchar o addito in Electarij formam, aut in placentulas solidiores concinnandi ista legibus adducta. Datur aridi drachma ex liquore stillatitio aliquo buglossi, vel melissophylli, Electarij semuncia.

Puluisculus Ventriculo mirificè conferens: Coriãdri præparati, cinamomi optimi, vtriusque drachmæ tres; cardamomi, ocymi odoratioris, mentæ, melissophylli, ligni aloes, singulorum drachma, corticis citrij drachmæ duæ; piperis longi, zingiberis, vtriusq; sesquidrachma; maceris, coralli rubri, rosæ rubræ, cuiusque semidrachma; seminis melonum, cucumerum, vtriusq; sesquidrachma; membranularum ventrium gallinarum, (tametsi totum hoc genus reiecisse videatur Galenus) duella. Tusa, tritaque per tenue cribrum aguntur omnia, & candidissimo sacharo commiscentur, quantum gustantis arbitrio satis est. Datur drachma sicci, vel stillatitio mentæ, melissophylli ve liquore soluti ieiuno. Prodest ante & post cibum, ac cum cibo quoq; ipso salis ritu adspersum, sumpsisse. Possit & Electarium inde, addito saccharo, & orbiculi confici. Vtendi modus tunc triplo, aut quadruplo plus.

Antidotũ Iecinoris imbecillitatibus subueniens, humoresq; in eo putrescẽtes exugens. Habet vuarum passarum exemptis gigartis vnciam, pistachiorum semunciam, cuscutæ sesquidrachmam; cinamomi selecti, schœnanthi, vtriusq; drachmã; calami aromatici, agallochi, vtriusque semidrachmam; spodij scrupulum; santali albi, rubri, rosæ rubræ, singulorum scrupulos binos; sacchari albissimi vino odorato diluti quincuncem. Fermentatis existet antidotum Electarium ad ea, quæ diximus, accommodatum. Datur nucis iuglandis magnitudine manè ieiunis. Dari nõ minùs prandiũ inter & cœnam poterit, anteuertentibus cœnã duabus circiter horis.

Aridum

Aridum cum saccharo, emũdandis Renibus vsurpatum, sumitur inter Tragemata, & cum cibo iurulentis iniectum, aut aspersum solidioribus, aut salis vice exceptum, hærere non finit calculi inibi materiam, quam secum deuehit, euerritque alimento commixtum: non præcipitem agit, quod faceret, paulò cibum post si sumeretur. Accipiuntur trichomanis drachmæ duæ; adianti, betonicæ, vtriusq; drachma; seminis petroselini, saxifragiæ, radicis asparagi, hellenij, singulorum sesquidrachma; radicum ononis, glycyrrhizæ, vtriusque drachmæ duæ; sacchari purissimi triens. Commiscentur omnia. Vsus, qualem diximus. Licebit nihilominùs vtiliter ex humore aliquo potâsse ieiunis. Aridum aliud, certo quorundam experimento cõfirmatum, nec adhuc vulgatum, egregiè opitulatur Renibus, vt calculorum totiusque lithiaseωs securi degant, qui vtuntur: Seminis violarum siccatarum in vmbra sextans; virgæ aureæ eodem modo paratæ, saniculæ, vtriusq; semuncia. Teruntur subtilissimè, tritaq; tenuissimo cribro transmittuntur: commiscẽtur, & cum stillatitio aliquo betonicæ fortè, aut violarũ liquore bibuntur aliquandiu.

Medicamen, quod tutos à Podagra reddat, quantũ in illo est, hoc est, si nec intemperantes, nec incontinentes vtantur. Capit betonicæ, myrrhæ optimæ, aiugæ, boli Armenicæ, singulorum drachmam; pimpinellæ, aloes, chamædryos, singulorũ drachmas duas; croci drachmam. Rediguntur in puluisculum, melleq; excipiuntur rosato, & stillatitia saluiæ aqua, vt in massam coeant. Vtendi modus, quarto aut quinto quoq; die, si pilulæ ciceris magnitudine septem inde deuorentur, toto veris tempore: reliquo, bis, térve, mense sumpsisse satis. Aliud ex eodem catapotiorum genere, atq; ad eosdem vsus. Recipit succi aiugæ spissati, succi chamædryos, vtriusque sextantem; hyssopi, seminis hypericonis, vtriusq; semunciam. Redacta in puluerem excipiuntur Terebinthina, quantum satis est, vt existat massa. Datur quotidie eiusdẽ magnitudinis pilula: & intereà abluere sępiùs pedes iubentur lixiuio, ex vitium cinere, cui iniectum aluminis, salisq; nonnihil sit: aliam aquam attigisse non conuenit. Edidimus specimen, & exhibuimus exempla rerum, quas sequantur, quibus hæc curæ erunt.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVSSEPTIMVS.

Hactenus materiam tantũmodo traditam esse quandam rerum: nunc fructum expectari, quasiq; in rem præsentem iri, vbi in rerum actu informanda materia est, particulatim magis congruentium applicatione.

CAPVT I.



ERuctus deinceps tractabitur à nobis, operisq; totius vsus, ac negotij, propositiq; nostri summa. Hactenus enim tradita pro materia tãtummodo rerum habebuntur quædam, quas acturi sumus, malo perinde ac bono futura, nisi veluti forma superueniente, ne qua temerè actiones ingressa impedimento sæpe rebus agendis sit, atq; adeò noxam non minùs sæpe inferat, repressa cohibeatur; quumque vsus poposcerit solùm, qualisque demum ac quanta futura conueniens sit, vt accersita veniat. Cui enim dubiũ esse potest, si cui fortè Exercitatione opus sit vehementiore, multaque; eam eiusmodi, tantoq; tempore opportunè adhibitã, futuram vsui; non adhibitam, vel non qualem, quãtamque, aut quo oporteat tempore adhibitam, nocituram? Idem de circumambiente nos aëre, de cibatu ac potione, de somni & vigiliarũ vsu, de omni denique, quæ senario rerum numero illo cõtinetur, prolixeque satis superioribus libris explicata à nobis fuit, materia existimandum. Quam necessarium quidem est scire, ac pręcognitam tenere: cęterùm profutura nihil vnquam quicquam sit, contraq; damnum potiùs, & insigne interdum detrimentũ allatura, nisi modus mẽsuraque, cum agendi semper opportunitate cõiuncta, scitè atq; aptè rebus accommodetur. Etenim cuncta

alia πρὸ ὑγιεινῆς erunt: hæc demum ὑγιεινά. Alia rerum multarum, materiæq; totius Salubris, cui⁹ cognitio præeat omnino oportet, scientem aliquem fecerint: hæc verum instituet, nostræ prouinciæ ac legitimum, qui præsit, Artificem, quem Salubrem, ac salutarem vocamus: tum cuius eę partes præcipuè sint, vt architecti imperatis ritu vagam dissitamq; vbique materiam ad iustam sanitatis defendendæ exædificationem legibus adductam suis reuocet. Non secus ac alterius Medicinæ partis Artifex, architectusq; Curatricis, tam latè dispersam profligandorum morborum materiam, hoc ipsum tantũmodo pro materia, quod quidem est, deputabit, ac πρὸ ἰατρικῆς solùm, quod Platonis aliquando dictum fuit, vel θεραπευτικῆς potiùs esse existimabit, proq; his habebit, vt ante Medicinam quidē sint Curatricem: ipse verò deinde de suo mentisque propriæ penitiore artificio veram rationum Medicarum consideratione ̄ applicandam esse censebit, nimirum τὰ ἀληθῶς ἰατρικά, καὶ θεραπευτικά. Neque fortasse tam gloriaturus de magno medicamentorũ numero sit, (quod nunc facimus anxij fortè nimis ac soliciti indagãdorum nouorum subinde pharmacorum, quum benè multa ad manus, præcipuaq; ac potissima habeamus) quàm in eo laboraturus, vt ex Artis legibus omnia fiant, magnoq; semper studio, vt potiora ad curandum medicamenta deligantur, neu qua faciendorum occasio elabatur, curabit; beneq; potiùs instructis, quàm numerosis nimis copijs, Artis rationibus omnibus vsus, aduersus morbos pugnabit. Quod nobis quoque faciendum erit nostro hoc in negotio, vt explicata materia ad hoc omni, sex rerũ ordinibus, quasi legionibus sex diuisa, non refertissimis quidem illis aut copiosissimis, sed iustè tamen plenis; harum auxilio, lege, rationibusque ex Arte deductis omnibus ad sanitatis defensionem vtamur, si qua fortè ex parte aut lõgissimè venientes morbos propulsare, aut propiùs accedentes repellere, aut ingruentes iam submouere, opus fuerit. Quod quum agendo semper fiat, (vel si non agere nanque in his sæpe videamur, agimus tamen: vt quum quiescendo quandoq; prorsus ne incurramus tamen noxam cauemus, multaque talia vitamus; si non aliud, at hoc ipsum, quod vitamus, quod cauemus, agimus) porrò autem de Philosophorũ sententia circa particulare aliquod, in quod agat, actio versatur omnis: quærendum non minùs hîc, cui faciendorum à nobis rationem accõmodemus, priuatam ac particularem. Nec aliter sanè facimus, sed nec facere nobis licet, quin quoties tutandam valetudinem ac defendendam suscipimus, vnius alicuius suscipiamus, hocque in re præsenti, atque in actu. At quum facere idem docemur, neq; facimus tamen adhuc, perinde instituimur, ac si in rem præsentem venissemus. Itaque, quoad eius fieri à nobis potest, propiùs ad particularia sermone docendique ratione omni accedimus tunc, vt huius, aut huius, aut alicuius denique præcisè temperamenti, naturæ, habitudinis, status, conditionis, fingamus nobis aliquem, cum quo hac in re quanam agendũ nobis esset ratione, sciamus, si daretur. Quo facto nullus futurus sit omniũ hominum, in quem non aliquod semper dictorum cadat; cuique non vniuersalia Artis modò, verùm particularia quoq; hæc priuataque conueniant priuato. Enimuerò quemadmodum si quis, quem de facie nunquam antea nouerimus, coloribus nobis suis depingat aliquem, statumque corporis & habitudinem demonstret, addatque Comici illud, Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius: num, quæso, agnituri non simus protinus, si occurrat? Eodem modo disputare nobis de his, tractareque ea, æquè ac in re præsenti essemus, licebit; aut non multo secus, collatis in vnũ differentijs omnibus, signisque ac notis eodem adductis, quæcunq; diuersissimarum temperaturarum naturam significare possent: de quibus suo antea loco tractatum satis est. Et quoniam artes omnes, quæcunque tandem ratione aliqua nixæ constituuntur, medij semper cuiusdam consideratione diligēti vtuntur, cuius respectu cuncta, quæ artificiosè in his dici possunt, vera tandem esse reperiatur, imò quo vno totum perpetuò artificium erectum maneat: neque enim subsistere aliter vnquam possent, nisi ad normam quandam & amussim, quæ idipsum, quod modò diximus, medium est, cogitata atque enuntiata, quibus constitutæ eriguntur artes, omnia directa intenderent: fuitque ea nobis in his, quæ hactenus de Arte Salubri tradidimus, statuta in homine regula medij vndique atque exquisiti temperamenti, & inculpatæ omni ex parte constitutionis: par est omnino, vt is quoque ipse hoc loco reliquos omnes præeat, exemplumque in eo faciẽdorum statuatur primum, quo deinde videlicet meliùs alios, ab optima hac hominis huiusce conditione deficientes, eodem, si modò fieri id à nobis liceat, reuocemus; inque ea status, cuius iam quomodo tuenda natura sit rationes cognitas perspectasque habuerimus omnes, conditione cõseruemus: sin minùs, at illorũ tamen valetudini, quantum præstare Arte studioque omni valuerimus, ijsdem omnino rationibus consulamus.

Cura

Cura vtero adhuc gestati fœtus, adeóque ante gestationem, quantacunq; adhiberi per id temporis potest. Et circa prægnantem studium.

CAPVT II.

DVcendus autẽ ab ipso statim ortu diligenti inprimis per ætatum differẽtias omnes cura optimi status & conditionis ille, ne qua de constitutione sua, quam sortitus natura laudatissimã est, prolabés decidat, néve iacturã bonitatis suæ faciat imprudẽter vllam vnquã. Neq; enim antequàm editum in lucẽ conspiciamus, quo tempore signa quoq; secum ac notas naturæ optimæ adferet suæ, suscipere illius nobis curam licebit. Et contenti quidem materna adhuc aluo concipere bonæ aliquid quoq; spei, incertis quãuis admodum indicijs, possimus, talẽ eum esse, editumq; deinde futurum, si causæ, quæ efficere hoc ipsum solent, præcesserint, quæ multæ sint. Illud hercle nostri quoq; habendũ esse officij nemo, vt arbitror, sanioris mẽtis negauerit, quantũ in nostra potestate positũ fuerit, idipsum vt eueniat curâsse, conceptoque iam fœtu, atque adeò ante conceptionem, ea vt fiant studio omni prouidisse, quæ hoc ipsum polliceri, simul & pręstare deinde quoque valeant: vt optimè initio formatus, toto eo, quo vtero gestabitur, tẽpore nutritionem, & qualis qualis adhiberi tunc latitanti ita poterit, educationem sortiatur.

Id conueniẽter fiet, si, quo primùm tempore procreandis liberis opera dabitur, simul & rei huic detur diligens opera, vtroque ex semine probo maximè atq; inculpato generatio vt fiat. Nam si ebriosi, aut podagrosi, aut qualitercunq; malè affecti, in natos nimis multis sæpe exẽplis transferri apertè vitia videmus: & bonitatẽ translatũ iri necessariũ propè fuerit. Curiosè igitur inprimis egisse in eo decet, in quo quædam quasi fundamenta iaciuntur futuræ deinde sanitatis probæ laudatæque perpetuò.

Ac siquidem optimi temperamenti fuerint parẽtes ambo, benè erit. optimã enim adferent sine dubio ad procreandum, leges dictataq; naturæ suæ sequuti, genituram. Sin culpari alter, ambóve intemperaturæ, aut vitiosæ alioqui constitutionis alicuius nota posse videbuntur: in eo demum ponendum studium, vt bona atque inculpata victus totius ratione errata corrigantur, intemperaturarũ quidem haud ita difficulter. Organicarum verò partium & si indubitatè vitia in prolem sæpe deriuentur; genituræ tamen melioris auxilio, quam seruatus diligenter victus, cumque victu reliqua omnia conciliârint, & temperamenti adiumento, quo facilè sese & ad omnia sequax formatrici virtuti semen exhibet, plurimum inde natiuæ illius culpæ auferetur: tota vt interdum ex hac causa aboleri, nihilque ideo inhærere natis ob id vitij visum sæpe sit.

Omnis deinde traducetur cura ad gestationis vteri mensibus nouem spatium, vt per id tẽporis nihil vsquam, quod notatu dignum sit, erretur: cunctáque si non ad præscriptum exactè, at non negligenter tamen aut secordìter tractentur, quibus salubritas vniuersa continetur sedulò administratis, ac dubio procul in fœtus ipsius vsum, aut detrimentum, pro eo ac versata in his fuerit prægnans, redundaturis.

Itaque & de alijs omnibus considerare nobismet ipsis licet, quantum præstet grauidas non solùm ad salubritatis propriæ, sed ad fœtus quoque ipsius rationes, cuius tamen incolumitas cum grauidæ penè semper incolumitate coniuncta est, in aëre per menses eos vixisse commodo; somni & vigiliæ, cibíque ac potus rectam semper rationem duxisse; nullas vehementiores animi commotiones, affectúsque admisisse; excrementorum omnium modus vt sit, egestorum, retentorúmque, curâsse: & ab Authoribus admònemur grauissimis de motu, nõ esse negandũ motũ vel matris adhuc vtero (quo maximè tẽpore concessa his à natura quies quædã esse videtur) contentis, qualis ille cunq; adhiberi tunc vix tũ inchoato puello possit motus, qui vtero gerentis deâbulatione, & exercitatione modica iustus satis tũ ineatur. Auium, inquit Plato, (De leg. vij.) exẽplo, quas circũgestare olim sub axillis soliti, committi audaciores reddebant ad pugnam: vt pariter & matris in vtero gestatio, quæ se modò paulò commouerit, fœtũ iuuet exuscitando, ne prorsus torpeat, innato calori.

Cùm hęc igitur diligẽter prouidẽda per id tẽpus; tũ, ne quid eorũ, quæ maximè interdũ infestare pgnantes solẽt, vehemẽtiùs vrgeat, cauendũ, qđ deinde in fœtũ quoq; nõ minùs ipsum quãdoq; deriuatũ offendat: vt quũ Pica (affectus is est grauidarũ, quo varia, ac mirifica sæpe, nõnullæ etiam terrã ipsam, & extinctos carbones appetũt) vehemẽter, aut diu nimis vrgentur; quum nausea, crebrisq; nimis vomitionibus, aut sputi frequẽtia, stomachi erosionibus infestantur; nonnullæ cibos quoque ex toto fastidiunt, plurimis oboritur in pedibus tumor, quem brassicæ folia, quæ aceto maduerint, illita, aut eodem aceto diluta cum pauco alumine creta facilè discutiat. Veruntamen de hoc, quòd nihil ex

eo fœtui discriminis impendeat, ne solicitos quidē valde esse oportet, sicuti de alijs, quæ paulò antè memorauimus. Quę quanquam tractationis nostræ huius propria non sint, & ad Therapeuticen potiùs pertineant; quia tamen rectà in fœtus detrimentum tendunt, noxam illi factura, si longiùs durârint; iccirco tanquam causæ fœtuum incolumitatem corrupturæ, aduersæque illi maximè, remedia exposcent, sed placida quæque, ne vim illorum vllam tenerior videlicet fœtus sentiat, nec ferre demum possit.

Nauseæ dememus & vomēdi vehementiam, quoniam ex corruptis omnino in stomacho humoribus fiunt hæc, Rhabarbari masticatione, si præstare tantum prægnās quiuerit vt mādat: sin minùs, at idem Rhabarbarum leuiter tunsum, vuisq; passis aspersum, exceptúmque, deuorandum dabimus, ad drachmæ dimidium, aut scrupula duo in paulò fortiore prægnante: vt deiectis ita de stomacho primùm, tum eiectis etiam foras humoribus, præter robur, quod partibus additum relinquere solitum est idē illud Rhabarbarū, (adstringendi enim prætereà vi pollet quadam) pauculis etiam extrinsecus admotis adiutemus; oleo fortè mastichino, crustę panis emplastro, aut diaphœnicon, fotuque priùs aliquo ex absinthij, mentæ, labruscæ, cytinorum, balaustiorúmque, ac odoratorum seminum decocto, cum spongia, quod & ad partis eiusdem erosiones conferet, sique prætereà mollioris lanæ hapso præcordia contegantur. Cùm his omnibus autem affectibus, tum præcipuè flatuositati non raró infestare prægnantes solitæ, absumendisque humoribus, quæ Picam faciūt, nonnunquam etiam, refertis vteri acetabulis, abortum: egregiè opitulari, compertum habemus, fœtúmque intereà non minùs tutū conseruare, Antidotum Electarium, quod in authore Auicennā refertur, ex vnionibus, Diamargariton vocāt calidum.

Tum verò vertēda cura ad cibatus quoque rationem omnis, vt nō denegata prorsus ciborum varietate, adeoque in earum gratiam sæpe pro voluptate animiq; libidine quæsita, potiorem tamen maiori ex parte rationem retineamus: ac paulatim ad boni laudatiq; omnia succi alimentū traducamus. Rubello his casibus vtamur pro potu vino, beneq; odoro, quo & contemperata humorū malitia mitigetur, & accepto robore ventriculus cùm hos ipsos humores, tū cibū etiam cōficere meliùs possit.

Nocentissimos hæ animi affectus experiuntur, iram, tristitiā, incussos repentinos timores, pauoresque, quos sæpe sequutus ineuitabilis abortus sit, non minùs fortassis, quàm ex percussione, aut casu, externaque causa aliqua. Inter quas lucernarum quoque extinctio (quod mirum videatur) abortus fuisse quandoque causa scribitur. Quæ, cumque his eiusdem modi alia, fugienda cuncta sunt. Viri consuetudine interdicitur illis, potissimùm verò inter conceptionis initia, nondum hærente satis firmatóque validè fœtu: ne vterus suscipiendo videlicet semini excitus, totúmq; se in ceruicem, vnde seminis illi expectatio attractatióque, dans, simul & conceptū propellat, quo minimè tēpore oportet. Quod idem causæ sit, vt sub extremum, absoluto totius gestationis tempore, quum iam iuuandus partus est, eadem illa viri consuetudo non improbetur, insurgente tum ita incumbentéque fœtui vndique vtero, & commouente se proptereà magis, commotionisque vnà causam fœtui præbente, qua maximè ratione partus inchoatio peragitur: simul opere eo partes eæ omnes veluti exuscitatæ reserantur, quo inprimis minui pariendi labor, ac puello exitus præberi non parum facilior possit. Reliquo tempore non semel abortui id causam dedisse manifestò satis visum.

Editus primùm in lucem infans quibus notis pernoscendus. Dein quo pacto excipiendus, tractandus, abluendus, reponendus. Germanici de hoc olim moris consideratio: & quorum aspersione munienda cutis.

CAPVT III.

Natus primùm infans, productusq; diligenti obstetricum cura in lucem, postquàm ὀμφαλοτομίαν, & quicqd eiusmodi officij est, ritè acceperit, quæ loci huius non sunt; æqui exquisitiq; temperamenti iudicabitur certis primū argumētis, ac cōniecturis quibusdā; tū deinde etiā inspectione. Etenim si sana, atq; incolumis, prsus totū gestationis vteri tēpus traduxerit grauida, magnū id erit sani quoq; infantis indiciū; magisque, si ex sano itidē, & incolumi viro cōceperit, integra ipsa non minùs antea valetudine frui solita. Color nuper nati optimus subruber per totum. is enim ferè in floridum deinde tandem intra paucos dies cutis vniuersæ colorem, non paruum laudati musculorum subditarumque cuti partium omnium temperamenti signum, desinere solet. Vagitus deinde repositum excipiat oportet validus, eiulatusque clamosus, & exaudibilis, quasi γεγωνῶντος, firmæ spiritalium inprimis membrorum, deinde & reliquorum compagis, temperamentique boni, nec paucorum nec inuali-

ualidorum certè spirituum indiciū. Nam qui submisse nimis vagiunt, hos virium imbecillitate,& mouentis pectoris musculos facultatis infirmitate, ac vitalis fortè spiritus paucitate, facere credibile est, veluti ὀλιγοδρανοῦντας. Itaq; longè semper magis vitales experimur priores illos, quos diximus partus, firmiore quodā eiulatu vociferantes, qui cæteras quoque corporis partes pro ætatulæ illius ratione non segniter, neque quasi resolutè mouere videantur. Iam instrumentariarum partium, corporaturæq; totius ratio sub aspectum visenda, diligentérque considerāda omnis proponitur: tum animaduersa per se, atque etiam inter se collata, pro rata cuiusque parte ac portionibus quæque suis, magnitudine, numero, positu, figura exactè expendi membra poterunt omnia, vt aut probentur, aut damnentur. Nos probatæ constitutionis hoc loco editum partum volumus, simul & laudatæ pro infantili ætate habitudinis, cui prætereà perfectè meatus omnes aperti respondeant, quacunque perforata à natura cutis aliqua de causa vias patefecit, educendis de corpore excrementis, aut intromittendis necessarijs, alicubi etiā vltrò citrò missitandis multis, oris, narium, oculorum, aurium, ani, penis, & in alio sexu vuluæ. In alijs aurium membranæ retrò cuti adhuc hærent, cohærent digiti indiducti, atque indiscreti, nec vnguium adhuc formam accepêre extremorum: aliáque apparent nonnulla imperfecti fœtus indicia, aut formatricis quoque virtutis vitia. Quæ omnia, quanquam studio ac diligentia, atque obstetricum peritia emendari in multis possint ac debeant, longè tamen à nostro hoc absint volumus, quem vndique, omníque ex parte inculpabilem nobis ponimus. Ipsa enim hæc, quæ modò narrauimus, culpatæ vitiosæque omnino alicubi aut temperaturæ, aut structuræ, aut vtriusque, non obscura signa.

Hunc ita factum, formatumque, postquàm peracta singula circa eum fuerint, quæ peragi muliercularum, atque obstetricum officio solent: vt resectus vmbilicus digitorum quatuor à ventre spatio tenus, hapsoque lanæ imposito; tum quarta demum die vstum plumbum, suillúmve talum, aut cochleæ etiam testam vstam itidem, tritamque cum vino nigro austeroque illitam accipiat, postquàm exciderit. sed hoc posteà. Natum autem ita tepida confestim excipiemus. Tum, quæ futuram deinde per vitæ vniuersæ curriculum sanitatem prospiciunt, tuenturque inprimis, aquæ tepore fotum interni materníque caloris illius æmulo, ablutumque, ac detracta viscosa per cutim totam sorditie, tenuissimo conspergimus sale, modicoque: vel, si delicatiùs agere decreuerimus, ptisanæ succo repurgamus, os auresque emundamus, diducimus palpebras, detergemus oculos, instillato etiam oleo ex veterum præcepto: detrahimus naribus sordes digitis expressas, eisdemque his olei aliquid prædulcis imponimus, cuius ad oculos quoque per occultas quasdam, sed communes tamen, vias perueniat facultas. Hæc omnia obstetrix, quæ ani quoque meatum immisso digito circunquaque leniter dispescat: tum id statim excrementi exit, quod meconium Græci vocant. Manuumque prætereà compressu placidiore vesicæ locus impellendus inferiùs, vt vrina exeat, quasique doceatur in hanc emittere partem lotium vesica, quum anteà in vrachum soleret.

Tum verò fascijs demum inclusus mollioribus totus, & obligato leniter instita capite, somno permittitur suo. Hîc iam optimæ obstetricis munus, nutricísve partes erūt, molliter inprimis ac suauiter cuncta puelli membra inter fasciādum tractare, adeoque quæ à naturali conformatione lapsa deflexisse videbuntur, ad rectam structuram reuocare, & in quā voluerint formam, figuramque, vtpote paulò minùs quàm cerea adducere, quàuis nos hîc sponte suaptéque natura optimè constitutum atq; formatum vndequaque tractamus, vt futura hæc opus nō sint. At illud tamen ex hoc ipso monuisse opus, ne optimū sortita statum tenerrima corpora tractantium culpa atq; imperitia confestim in deteriorē labātur, ob hāc ipsam teneritudinē. Ob quā sicuti vitiosa formari in melius tenella admodū infantiū corpora possunt: ita inculpata vitiū facilè negligentiùs habita incurrent. Quocirca nō solùm fasciando, sed etiam fasciato iā reponēdo diligēs semper adhibēda cura, cōmodè vt inprimis ac molliter cubet, surrecto parū capite, minimeq; distorta nec ceruice, nec dorso, nec corporis parte deniq; vlla alia. Fiāt aūt hæc in loco cuncta tenebricoso potiùs ac opaco, vt cōsueti sibi aëris tenebris gaudeat, neq; lucē statim perhorrescat, donec hāc quoq; ferre paulatim didicerit. Qua ꝑpemodū ratione & tepida eductū vtero extēplo abluimus, & sale, quod diximꝰ, cōspergimus. Tepida, vt quēadmodū tenebrarū ex loci, in quo cubare eū oportere dixímꝰ, opacitate similitudinē nō auersabatur: ità teporē hîc quoq; ex aqua ꝑcipiēs offendatur minùs: Sale, ꝙ ab iniurijs hoc tuiturum defensurumq; illum sit extrinsecus iam ingruentibus, sicuti tutus defensusque materna anteà aluo manebat, vbi lenia illi omnia, ac mollia occur-

occurrebant. Ingruunt autem necessariò maximi sæpe calores, & ingentia frigora, ærumnosæque vitæ incommoda semper multa, passim omnibus obuia, in quæ nolentes incidimus, & necopinatò plerunque incidunt nobis.

Quo, vt arbitror, veteres olim Germani, pariter & nationes aliæ quædam, animaduerso, quibus proposita à nascẽdi statim initio inter aduersissima queque & incommodorum occursus assiduos vita, per bella, ac rapinas, ærumnasque omnes dies ac noctes, nubilo, sereno, ventoso, quieto à ventis, tempestuoso ac furenti, pacatóve cœlo, nullo discrimine ducenda; durandam sibi natorũ aduersus ista cutim quàm primùm esse existimârunt, amnium à partu statim immersione: satius esse ducentes, (effero quidem more, & inhumana prorsus ac barbarica consuetudine; at rebus tamen intereà suis, vitæque totius deinde futuræ instituto percommodè) vt vitæ in eo aleam subirent nati, in quo vel ingens expectãda esset atque incomparabilis, ex successu, reliquo omni tempore vtilitas, futuris rerum eiusmodi omnium tam plerunque infestarum securis; vel non succedente, ne miserę quidem futurus esset & innumeris perpetuò casibus obnoxiæ vitę vsus, tum verò & inutilis, & omnibus alijs inuisæ semper degendę; mortéque demum vna id infantium non sanè magnifacienda nationi fœcunditatis suæ consciæ lueretur, quod, id vnum si euaderent discrimen, tantum deinceps toto vitæ vniuersæ tempore repositum haberet commodi atque vsus. Neque id certo tamen, aut frequẽti nimis nuper natorum factum fuisse exitio existimare possum. Neque enim tam vnquam humanitatem exuere posse omnem, efferas quamlibet, barbarasque, & agrestes, ac Scythicas nationes arbitror, vt nulla penitus misericordia tenerentur tam fœdè sæpe misereque pereuntium natorum, viscerum nempe suorũ, si paulò id frequentiùs, vel non nimis etiam sæpe ac plurimùm, sed fieri tamen non minima in parte vidissent. Et vnde tot barbararum olim gentium millia in alienas sedes exundantium de suis, quæ accipere illos iam, alereque ac sustinere nequirent, si in crebro nimis immersorum in profluenti interitu liberorum, suum tamen illis retentum, vsitatum quidem, sed mortibus tam frequentibus infame, impium, atque horrendum βδέλυγμα fuisset? Non temerè consuetudo inolescit apud gentes vllas vlla, eorum quę tam aperto ingentique damno cedunt, & coniunctam insignem, contraque insitas nobis naturæ leges, omnisque prorsus humanitatis modum, impietatem habent. Quamobrem in eo ab his peccatum tam inhumaniter fuisse non facilè adducor vt credam, vt aspicere crudelibus oculis crebrò nimis partuum suorum interitus, quasi morti inter primos ortus suos destinatorum, potuerint; quumque primùm lucem hanc fruendam hausissẽt, eo ipso tempore liberis suis parentes ipsi spem vitæ dubiam facerent, cuius alioqui vsura, vt tunc quidem sese res haberent, & naturæ leges polliceri viderentur, frui diutiùs potuissent; luctarique temerariè nimis atque inconsultò cum morte cogerent, qua primùm die vitam auspicarentur, pignora sua. Itaque periclitantibus tantùm quibusdam, neque illis tamen multis, veterem immergendi in frigidam consuetudinem non intermiserunt: perpetuosque ritus eos seruârunt, paucorũ periculum, ęgram ac difficilem, noxisque ac offensionibus innumeris, vitam victuri qui forent, multo plurium salute, qui viuendo validum ac robustum vitæ genus consequuti, vtilem commodamque sibi ac communitati traducturi per omnia vitam essent, libenter facileque compensantes. Donec introducta meliore vita, & deposita feritate iam diu antea, aliò quasi depulisse barbariem à se omnem existimari meritissimò debet Germania, cumque hac nationes aliæ multæ, veteribus Scriptoribus habitæ appellatæque barbaræ: vti iam indicia visantur in his humanitatis, morumque, atque eruditionis totius longè altiùs, quàm apud humanissimas olim existimatas ab omnibus gentes quasdam, impressa.

Atque is iam multa ante secula exoleuit mos, paulatim cõferẽte se, vt in multis fieri videmus, ad meliora quædã rerũ vsu. Nec cõspergendi tamẽ sale partus retẽtus à multis, successitq; in eius locũ abluẽdi vino cõsuetudo. In quo quidẽ abstergẽdi siccandique, ideoq; durãdi etiam ex parte, potestas inest aliqua: adstringẽdi, nisi ex hoc ipso adstringentiũ genere vinum fuerit, cuiusmodi ferè nigra habẽtur, quibus ad hoc nõ vtimur, nõ magna. Alij cõposito ex glandibus oleo inungũt, ad muniendã aduersus ingruẽtia foris, quæ sæpe iã memorauimus, mala: nõ ineptè, si cuius fortè pueli visa laxior iusto atq; apertior cutis fuerit, cui sicca insuper myrti folia, & huiusmodi alia quædã inspersa, paulò magis medicata cõueniãt. de quibus suo loco dicetur. Nostro huic satis, vt diximus, superq; erit salis tenuioris alicuius ad id quidẽ, quod cõsequi ex ea nos posse speramus, conspersio. Id porrò intendimus vnũ tũc, vt tutus ita ab extrinsecus imminẽtibus incommodis reddatur: eo tamen moderamine, vt, quum assequuti hoc ipsum fuerimus, sista-

ſiſtamus ibi: non etiam, dum nimis in eo contendimus, in alio offendamus, & non minoris ſæpe nocumenti futurum incommodum aliud accerſamus adſtrictæ nimis cutis, Hippocratici dicti illius memores, celebris iam, & in ore Medicorum omnium. ἀραιότης, inquit, (Epidem. vj.) σώματος εἰς διαπνοὴν, οἷς πλεῖστον ἀφαιρέεται, ὑγιεινότερον: οἷσδ᾽ ἔλασσον, νοσερώτερον. Quibus veluti admonemur, vt medium quaſi iter inſiſtamus, neutro magnopere deflectentes, atq; ita apertam perſpiratui cutem ſeruemus, ne aduenientibus forinſecus noxis magnus aliquis aditus pateat: ſic rurſus ne pateat claudamus, vt liberior tamen perſpiratio atque expedita futura ſit: præſertim verò in inculpabilis temperamenti, laudatæque omni ex parte conſtitutionis partu, in quo ſeruandum diligenter in re omni, quæcunque ad ſanitatis eius tuitionem factura eſſe videbuntur, medium eſt.

Nam quaſdam inueniri poſſe corporum compoſitiones, & ſtructuras quaſdam, quæ hanc magis fortè quàm illam conditionem expoſtulent, atque ex alterutra earum habituræ meliùs omnino ſint, vel ex recitatis modò Hippocratis verbis non obſcurè prorſus, ſi rectè expendantur, intelligere liceat: vt, quaſi quibus auferendum plurimum de corpore ineſſe exiſtimârimus, his magno ſanitatis commodo liberiorem ſimul perſpiratum moliamur: quibus non ita, ſecus quoque faciendum nobis ſit, ac de coarctanda magis cute ſoliciti, minùs de tranſpiratione intrinſeca laboremus. Quæ cuiuſmodi ſint corporũ conſtitutiones, dicendũ poſteà.

Nunc longiùs nobis à præſenti inſtituto educandi priùs optimæ omnium conditionis pueri diſcedendum non eſt: idq; eius, qui natales liberi hominis ſortitus ſit, cunctaque habiturus, quæcunque artificioſa conſeruandæ id ætatis promouendæque in melius ſemper ſanitatis ratio facienda eſſe perſuaſerit, & educationis rectæ præcepta monuerint, ſedulò vt atque exactè exequi liceat. Nam quibus id per ſeruitutem facere non liceat, aut qua alia de cauſa, vitæque conditionibus aduerſantibus impeditis: hos in priuatam operis partem propriè illis dicandam, vt de his quoque quid ætatibus omnibus faciendum ſit ſciatur, reijciemus. Sicuti planè alibi, & id quidem poſteriùs, tractandum de his fuerit, qui ab optimo temperamento, corporisq; cõſtitutione optima prolapſi, ſingula tamen peragere, quæcunq; mandabuntur, poſſunt, fortunæ ac conditionis liberioris homines: vel quum id impedimentis iuſtis prohibiti non poſſint, quorum deterrima omnium conditio, quod proximum ſemper in his fuerit, efficiant. Atq; ita ratio tandẽ ineatur aliqua, quo videlicet nõ minùs his, quoad eius fieri ex Arte poterit, ſuccurratur, omnesq; omniũ cõditiones complexa tuendæ ſanitatis Ars cunctis ex intima conſilij ſui ratione exprõpta, tanquam diuitiarum theſauros quoſdam (theſaurus enim maximus ſanitas) præcepta largiatur. Nunc, quod diximus, optimam corporis conſtitutionem cum optimæ ſortis conditione coniunximus, quod ad ſupremum vſque vitæ terminum ſeruabimus primò, deinceps de alijs dicturi.

Qui infantili ætati motus conueniat, & per quæ, & quoad facere id liceat. Et de Balneo, & Frictione ex oleo inprimis.

CAP. IIII.



De aëre dictũ, quo recèns natus vti aëre debeat, quóve is in ambiente collocãdus ſit; tum, quæ peragi ritè circa eum ſolita ſunt alia. Nũc de motu dicendum, qui nõ eſſe alius poteſt in tã tenella ætate, quàm cunis, vel nutricũ vlnis. Cunarũ pẽſiles potiores nuper quidẽ natis, cuiuſmodi in plerìſque Germaniæ locis videre eſt. Nã & agitandarũ cunarũ cõmoditas maior, quòd leni ſępe manuũ impulſu fit, neq; eo aſſiduo tamen, aut appẽſæ fortè faſciæ reductione, vt vel ex cubãtis nutricis manu facilimè id ſequatur: & agitatio longè minor ita erit, quã prætenera ætas ſæpe non cõmodè ſatis ferat, ſi nimia ſit, pauimẽti, aut tabulati, vt fieri ſæpe videmus, vel ſemicirculariũ etiã ſubditorũ cunis pedũ inæqualitate ſuccutiente nimis, interdũ etiã excuſſis inde puellis, ſi paulò magis impellãtur cunæ. quod in pẽſilibus vix cõtingere vnquam queat. Maiore tamẽ ſi quando cõmotione viſum opus fuerit, ea tũ iniri poterit ex humi poſitis cunis ſimul, & in vlnis geſtatione meliùs, cõmoda nihilominùs ſemper, neq; vnde diſtorquendorum pedum partisve alterius alicuius periculum vllum immineat, ſi non rectè geſtentur.

Quantũ verò vel in nuper natis mouendi interdũ, quod pro exercitatione futurũ illis ſit, neceſſitas incũbat: ſatis oſtẽdimus, id materna adhuc aluo cõtentis neceſſariũ eſſe demõſtrato, tãto quidẽ magis in lucem editis. Verùm & vagitus & ploratus ſolo ſæpe motu ſedati, & cõciliatus ita ſomnus peruigilibus, ſatis indicãt, ætatẽ nullã eſſe, quæ, niſi prorſus innaturaliter agatur, torpore, quieteque nimia delectetur, quin moueri ſæpiùs gaudeat: quando, quæ per ſe præſtare hoc ipſum non poteſt ætas,

vt ipsa seipsam commoueat, atque exercent; alienam in hoc opem imploret, & nisi consequatur tandem quietura esse non videatur. Accedit certæ rationis argumentum. Etenim si tertius annus expletus dimidiũ, vt authores quidam sunt, futuræ totius deinde staturæ peregit; atque, vt alij quidam contendunt, quinquennium supra dimidium: multo plurimum eo tempore consumi alimoniæ necessum est, pro rata quidē corporis status parte. Quo tempore non nutrimenti modò ad alendum satis, sed ad incrementi quoque vsque adeò tunc vigentis materiam, non parum sanè suppeditari alimoniæ cõuenit. Quod vt ex ordine fiat, nisi plurimum accesserit laboris, quasiq; defatigationis, tunc quum plurimum alimenti ingruit corpori, excitando innato calori, & ad conficiendum faciliùs alimentum, & ad producendum longiùs latiusque, inque omnem partem, augumenti extensionem: multa magnaque sequentur necessariò incommoda, degrauato veluti sarcina innato calore, ac veluti oneri pigritia nimia & torpore quodam cessuro. Minimè igitur vel tenerrimæ ætati, quoniam in ea quoque non parum augumenti sumit corpus, denegandus motus.

Et quum nondum ipse se commouere poterit puellus, cunis, vt paulò antè dictum; aut pensilibus lectulis, qui instar cunarum sæpe formantur, præstandus illi motus; aut gestandus in vlnis, quod ante tertium tamen mensem non nimis crebrò faciendum. Quum verò repere primùm inceperit, vel ingredi quoque, tum non sanè bonam coniecturam duxeris segnis, desidisque nimis puelli, qui non sese crebrò loco moueat, & quantum possit circunuagetur, non etiam discurrat sæpe, & petulcorum more hœdorum vitulorumque lasciuiens propè defatigetur. Quod certè viuaciores faciunt, quibus insiti caloris satis; ac, si facere prohibeantur, minùs & alacres ad omnia, minusque ad capiendum cibum, reliquaque obeunda, promptos, ac plùs iusto vigiles experiare. Vsque adeò dictata naturæ in plerisq; omnibus si sequamur, benè cesserit: non benè, si aduersemur. præcipuè verò, si optimè à natura instituti, qualis noster hic, dictata fuerint, qui mediocritatem quandam in omnibus sponte ipse sua seruaturus sit, non solùm in commouendo se. Nam alijs non id fortasse permittendum fuerit: neque ferociores calidioresque natura vltra quàm par sit progressi vt defatigentur nimis sinendi, faciunt autem id impellēte eò natura concitati: neque torpentes, contrariæque temperaturæ, frigidiores non excitandi.

In omnibus autem ea vel præcipua cautio adhibenda, quæ si negligatur, in reliquum deinde, quicquid superest, vitæ tempus incommoda deriuet: ne citò nimis, atq; ante tempus ingrediendi officio fungi concedatur illis; néve, quod facere nutrices quasdam imperitè inconsiderateque videmus, insistere pedibus cogantur, ob quod fieri sæpe varos vatiosque videmus, & valgos.

Neque tamen seruari diligenter in tam teneris annis Exercitationum differentiæ illæ poterunt, quas superiùs suo loco memorauimus, vt illarum per omnia mediocritas exquisitè custodiatur. Quis enim ætati hoc ipsum illi imperârit? In frictionibus meliùs teneri modus, & fieri cuncta ratione possent. Sed ne eæ quidem magnopere conuenient habitudini vix dum benè compositæ compactæque satis. Verùm pro hac fasciationem habebimus, quæ ætati illi satis faciat omnium tenerrimæ nuper nati puelli. Atque ad triennium deinde vsque exactum (nam de ad id vsque ætatis pueri motu nunc agimus) eandē quoque ex parte, ex parte autem frictionis adhibere leuioris ac placidioris aliquid licebit.

Pro Exercitatione reptatio omnium primùm qualiscunque cesserit: tum ingressus, quo re primùm aliqua nituntur, aut pariete, aut proximo scamno, aut præcinctos fascia sustentatósque ita, ac progredientes ponè sequitur nutrix. Carri prætereà parui ad hoc ipsum excogitati structura perquàm commoda, quatuor inferiùs subditis rotulis sic compositis, vt, quoquouersum sese egerit puellus, quem medium huic includunt, facilè sequatur. Hoc tanquam ludicro ætas ea capta, nusquàm fallente pede, nec labēte gressu, (non enim falli, vel labi potest) validior fit. Ac leuibus spondis circunquaque nixus puer superiùs, obfirmatúsque, in eo iam animos ad vlteriùs sæpe per se progrediendum sumet: & progredietur facilè, iam antea edoctus suapte consuetudine quomodo figendus, firmandúsque pes, & sistendus gradus sit. Mox sequentur discursus quacunque, & oberrationes in partem omnem, vt pro iustissima sæpe Exercitatione haberi possint.

Hinc Balnei iam vsus ante cibum & lactationem salubris alicuius dulcisq; aquæ, & ante balneum frictionis aliquid ex oleo, retinendæ ætatibus illis temperaturæ commodissimè, quod inprimis necessarium: cùm quòd suum cuique ætati conseruandum semper temperamentum est, in benè instituto, omniq; ex parte inculpato corpore; porrò id similium maximè adhibitione

tione fit; humida autem aqua, & oleum humidum, vt infantium ætas humida: tum verò, quòd in hac maximè id ætate faciendum, custodiendumque diligenter est, ne, si ante tempus siccitas præternaturalis accesserit, multum inde iusti corporaturæ deinde totius incrementi, subtracta extendendi corporis status materia, dematur. Fiet autem id, vt siccescant plùs iusto, ob hoc quidem ipsum, si, quibus naturalis illis humiditas custodienda sua est, omissa negligantur, humidum nempe facientis causæ priuatione. Sed si, quæ siccare solita sunt, etiam accesserint, eo sanè magis in siccitatem contendent paruulorum corpuscula: vt inter alia productus nimio plùs motus, & discursationes illæ, quas narrauimus, & lasciuientes crebræque nimis commotiones, siccescētibus inde membris omnibus, cohibere initio status vniuersi magnitudinem poterunt. A quibus, si qua fortè de causa fieri concitatiùs videbuntur, (nam per se non fecerint, suæ ipsi omnium mediocri & mediocria consectanti naturæ permissi) coercendi statim erunt, damnosis, vti diximus, nisi caueantur, futuris.

Quis recèns admodum nato puero optimè competat cibus. Quo alendus Lacte: cuiusmodi esse Nutrix debeat, si lactare mater aut nolit, aut nequeat. Tum de mammis, ac papillis.

CAPVT V.

PRO omnium primo, quod nuper natis exhiberi debebit, alimēto cōuenienti mel fuerit, butyrum quibusdam alijs visum: sed id tanquam stomacho non valde accommodum, reprobandum potiùs, ac præferendum meritò erit mel, exactè tamen despumatum: atque id quarta demum pòst die faciendum primū esse, inuenio, qui consuluerint.

Vt colostra vitentur præbendum lac, quod de mamma sugat matris quidem, pręomnibus alijs, puellus. Præstat enim hunc lacte ali ex eodem sanguine genito, quo antea nutritus in vtero fuerat. Nam si cuique alimentum omnium optimum, non solùm communi generi humano, sed priuato etiam ac particulari singulorum temperamento quod maximè conueniat: quæ esse maior alimenti, quàm eius, quod de matre sugitur, conuenientia, ac proprietas possit, non video, præsertim verò quæ, cuiusmodi præsupponimus, puerulum pepererit, temperaturæ constitutionisque optimæ, ipsa necessariò quoque non pessimæ.

Sin minùs, & aliquid causæ suberit, quamobrem facere id mater nequeat, aut (vt nunc sunt mores) nolit: tum verò delectus habendus Nutricis diligenter inprimis ac sedulò. Ea mediocris sit habitudinis oportet, annum neque vigesimum infra agat, neque quadragesimum supra. Certum autem est, spatium intra hoc vt quæ trigesimo propior fuerit, eam præferendam tanquam meliorem, si paria cætera inuenta fuerint, habeamus, atque adeò quæ vigesimumquintum propinquiùs attingit, quàm quæ trigesimum excesserit. Ac videri alicui fortasse minutiora hæc poterunt, quàm quæ tam subtiliter distingui debeant. Nobis non videtur, nec turpe esse ducimus, rerum in singulis Artibus differentias omnes persequi, quæ modò Artis summam ex parte aliqua efficiant: eosq; optimos habendos esse Artifices iudicamus, suę quemque artis, quos pauciores lateant rerum omnium differentiæ: Musicum, vocum; Arithmeticum, numerorum; Geometrum, figurarum; Grammaticum, literarum. Etenim quum, quanuis excogitentur multæ, lateant tamen adhuc sæpe differentiæ aliæ quædam, & peritum inprimis habitum à multis Artificem superueniens interdum alius multarum nescium ostendat; & exprimere aliquas sæpe possit, quæ priorem latuerant: si his, quas nescimus, nosque sæpe fugiunt, etiam quas scimus, quòd minutiores videantur, addendas esse existimârimus, vt cunctæ omittantur, magnam profectò faciēt in eo Artes omnes iacturam. Quicquid ad artem quoquo modo pertinet, artis est: & qui minutias alijs fortè quibusdam visas consectatur, summam rerum faciet plerunque non contemnendam.

Quapropter non id solum in disquisitione meliorum Nutricis cōditionum inquirēdum esse volumus, de ætatibus quod attulimus: verùm etiam magnitudinem præterea corporis inspiciendam esse iubemus, quæ iusta esse debet. id enim non parum refert. Tametsi nanque non certum satis iustæ temperaturæ reliquorumque omnium signum duci inde possit: illud tamen sequetur magnitudinem iustam, quod necessariò in Nutrice animaduertendum fuerit, vt magna ex parte papillæ vnà quoque futuræ iustæ sint, ne videlicet magnæ suctionem, quæ nisi adductis in arctum labijs, non rectè, nec commodè satis fit; & linguam in angustum nimis actam ad deglutiendum, impediant; paruæ autem apprehendere cupienti elabantur sæpe, nec teneri aptè queant. Quare frustrati-

one ea elusus infans, & inanem suctum exercens, nonnihil maxillas offenderit; & quod fieri in paucitate quoque lactis videmus, quum sugendo nimiùm ac frustra laborârit, nihil proficiente, attrahitur tamen humoris aliquid eò, qui præternaturales sæpe tumores quosdam faciat: sæpe, quasi loco commotæ videantur infantuli maxillæ, ex eo apparet.

Benè mammosam esse Nutricem, & pectorosam. de pectorosa consensus est: mammosam non esse oportere, asseuerantes quosdam video, contrà quàm alij præceperint magnis eam esse mammis conuenire. In magno enim aiunt illi vbere, plus quàm oporteat lactis colligi, manensque ibi corrumpi, simul & Nutricem inde grauari. Verùm ne diutiùs maneat lac, si qualem posuimus puerulum habebimus benè temperatum, eóque validè satis sugentem, periculum non magnum impendebit: vitarique incommodum id lactis expressione, si redundare videbitur; alteriusve alicuius suctu, si degrauatam se ex eo persenserit Nutrix, facilè poterit. Et optabilius semper fuit copia quàm inopia laborâsse, promptiusque existimatum demere de abundantia, (tametsi nulla hîc futura abundantia nimia est, vt monuimus) quàm paucitate ac defectui subuenire. Itaque præstat magnas esse. Nec tamen, vt magnæ Nutrici cuique mammæ, sic continuò lactis quoque nimium fuerit: ac pro rata parte plus sæpe in paruo animaduertisse licuit, quàm in magno vbere, lactis.

Quibus præditam esse moribus Nutricem oporteat, nimirum laudatis: & quàm partui propinquam.

CAPVT VI.

ILlud nemini dubium esse video, nec quisquam est scribentium de rebus his, qui non fateatur, nõ hortetur, contendatque: Optimis quærendam esse præditam moribus, mitem, castam, sobriam, hilarem. quando cum lacte vnà bibuntur praui boniq; mores, adeóque imbibuntur sæpe, atque imbuuntur, vt nec facilè deinde euelli praui queant; & permansuri boni sint, maximo reliquæ deinde vitæ totius, viro facto, alijsque non minùs ætatibus, vsu ac commoditate. Simul mansuetioris ingenij Nutrix, non iracunda, nec gulosa, nec procax, maximam semper puelli, quem lactabit, rationem ducet; solicitè semper aget, ne quid aut edat, quod nociturum sit; aut iracundi aliquid faciat, tristetúrque, aut mœreat, quod in apertam statim lactentis noxam deriuetur; aut procaciter se gerat. quo nihil ad destruendam lactis bonitatem efficacius, non solùm quum miscentur viris, sed quum petulantem lasciuumq; animum gerunt, totæque interdum in Venereorum luxuriosásque cogitationes versæ, omnem propè ex animo paruulorum curam abijciunt, ac nocturnę interdum pollutione recurrentibus in somno diurnis imaginationibus, aliâsque pollutæ lac quoquo modo inficiunt. Sicuti viri consuetudine & cientur sæpe menses, subtrahitúrque ita lactis copia, deriuata aliorsum materia; & concipiunt sæpe Nutrices, exitioso deinde semper lacte, quod colostratos, qui ita appellantur, infantes reddat: simul & ad insequentes deinceps ætates transmittitur noxa sæpe. Iccirco maximum omnium præceptum illud esto, cuncta vt vitentur, quæ Venerem stimulare creduntur, ac reapse stimulant. Nuclei pinei hi sunt, Bellaria genus fermè omne, acria quęque, Porrum, Cepe, Allium, Salsamenta omnia; Apiumque inprimis, quod peculiari quadam malitia præterquàm quòd salacitatem facit, generationi lactis obstare, aduersarique in totum infantili ætati, animaduersum est.

Pepererit præterea non ita multo antè, opus est: &, si optanda omnia fuerint, marem. Nam & optima tunc lacti constitutio accesserit, & masculam prolem enixa lac exhibebit temperatius omnino: vt, si quidem masculus quoque futurus est, quem educabit, quæsitum ita conueniens illi ex lacte alimentum fuerit: sin fœmella, temperamento hoc educata, nutrimenti vires sensura sit melioris, animorumque inde virilium aliquid conceptura, vt virago fiat.

Lactis probi conditiones numeratæ: & vitiosi correctio ostensa, crassioris iusto, ac tenuioris, simul & acris. Penuria Lactis quibus emendetur, & copia nimia castigetur.

CAPVT VII.

HIs alijsq; quibusdam, quæ hisce tamen continentur omnes, si donatam conditionibus inuenire Nutricẽ dabitur, benè cum puello actum esse existimare debebimus, quasique salutis deinde futuræ vniuersæ, corporis ęquè ac animi, iacta ex hoc certa quędam firmaque omnino fundamenta, arbitrandum. Sequetur magna quidẽ ex parte hanc ita constitutam Nutricem Lactis boni-

bonitas dotibus suis commendabilis. Quæ ferè hæ sunt: Mediocritas inter tenuitatem ac crassitiē, quod ex instillato in pollicis vnguem deprehenditur: defluxu quippe inde citò nimis, tenuitatem; longa mora, vel ne defluens quidem, spissitudinem æquo maiorem coarguet. Gustatusq; eius vnà, ac odoratus suauis vt habeatur, vti nec amaritudine aliqua, aut acore, aut acrimonia, aut salsedine gustum vellicet, & suaui tantummodo dulcedine afficiat; nec nares peregrina aliqua qualitate feriat. Visu candidum, ipsumque sibi particulis omnibus æquale; nulla nec fuscedine, nec virore, nec liuore, malòve colore alio, vel varijs quibusdam interdum, diuersique & coloris & substantiæ, discurrentibus lineis, ac veluti strijs infectum. Laus, vt serosæ partis tantum, quantum casealis sit. Huius experimentum, vitro ampullàve excepti, myrrhæque aut coaguli modico addito, permixtique digitis. concrescit inde, separatæque discernuntur partes. probatio, si neutra nec vincat, nec vincattur: superante sero, tenuitatis vitium; caseo, crassitudinis.

Vtrunque corrigendum. Extenuante victus ratione crassius, quæ multimoda à multis tradita legitur, & pituitosæ insuper materiæ per vomitum eiectione ex Oxymelite. Tum & labores imperandi ante cibum, consumendæ, attenuandæque crassitiæ meliùs; atque ab exercitatione laboriosa balneum, nam & id tenuem simul & diflatilem materiam facit.

Tenuitas contrarijs tollitur. Quocirca à laboribus & balnei vsu temperandum. Victus ratio instituenda ex opposito, vt, pro attenuante, quæ crassum faciat, quæratur. Itaque vsus erit commodus Alicæ, atque Orizæ, ac extremarum quadrupedum multorum partium, Suis, Vituli, Hœdi, Agni: dulciorisque vini potus, nisi aliquo alio impediatur, conueniet.

Interdum contingit, vt acrius iusto Lac euadat. Quo casu studio omni curandum, vt non nisi optimi semper succi cibaria dentur; reliquorum omnium abstinentia fit, tantisper dum lactis acrimonia ea attemperetur. Quod balneorum quoque dulcis aquæ vsu fiet, quibus acrior sanguinis lactisque simul vis illa quasi diluitur.

Interdum in vberibus Lactis tamen vbertas nulla, contráque penuria potiùs. Quod quum eueniet, siquidem morbosi affectus alicuius, vt insignis intemperaturæ, quę iam in habitum abierit, aut maioris cacochymiæ, aut alterius eiusmodi, qui partes eas occupauerit, morbi, vel morbificæ causæ culpa id fiat: negotij præsentis non erit consideratio ea. Quapropter si nihil horum fuerit, magna ex parte sorbitionibus iuuabitur Nutrix, & plenioris victus largiore vsu, & pectoris totius mamillarumque frictionibus; manuumque ac brachiorum exercitio, si non alio, at texendi obeundi've laboris eiusmodi alterius domestici alicuius officio, quo in partes eas veluti euocetur alimentum. Quem planè vsum cucurbitæ quoque pectori applicatæ præstitêre sæpe, fotúsque partium earum cum spongijs ex aqua calida. Vel lanæ hapsu ex candidi lilij oleo, dulciorisque ad hæc vini potu, reuocabitur lac; rerumque multarum, quarum proprium, ac peculiare est, lactis copiā suggerere, aut plurimi gignendi materiam ad mamillas immittere, vsu: vt Fœniculi ac Pastinacæ semina sunt, & radices ex hordei decocto. bibatur decoctum, vt gallinarum & caporum iusulata, cum cinamomo, macere, disiecto simul oui luteo vno aut altero: vt Aneti Anisique semina, Caseus recens, huiusq; ipsius longiore maceratione diluti sorbitiunculæ plures. Præcipuum ad id: Sumuntur terræ intestina, lumbrici hi sunt, quibus piscatores ad fallendos pisces hamos confixis tegentes vtuntur: hos eruisse de terra, non accepisse de fimeto aliquo operæpretium erit, quinque, septémve. Siccati teruntur, sumiturque drachma ex dilutiore hordei iure diebus decem continuis. Item Crystalli in pollinem subtilissimum contusi dimidium drachmæ, ex diluto cicerum, aut pisorum propinatur per dies quatuor. His ferè extinctum redire lac solet, nisi maior quædam morbosaque penitus causa subsit, sed vel alimenti penuria, vel recenti aliqua nec altiùs adacta intemperatura, vel leuiore ac pauca succi malitia factum id fuerit. Nam & liberaliore victu defectus auferetur alimenti, & intemperatura quæuis nuper facta, pariter & succi vitiositas frigidior fortè, seminibus illis, & radicibus, & herbis; calidior Crystalli polline tolletur. Vitium autem omne, modò non malignum nimis, iurulentis dilues, & per contemperamentum abiges. Proprietas verò in lumbricis ad generandum lac, lacti've ex sanguine copiosiorem materiam subministrandam aliqua, fortasse autem & in Crystallo nonnulla insit.

Hoc inopia: illo copia lactis nimia exuberansque demitur modo. Si nanque ferri quandoque nimium videatur, quod non tam vberum magnitudine, quàm aliam sæpiùs ob causam fit: vt propter alimenti eò sanguinisque affatim confluentis copiam, idoneamque producendo lacti qualitatem, atque attractricis facultatis & concoctricis vires, & huiusmodi alia:

subtrahendus copiosior statim cibus, & is deligendus, cui multo quanuis, & abundantiùs sumpto pauca tamen paruáque alendi vis insit. Forinsecus autem vberibus imponentur aptè: cuius tamen rei raró admodum vsus venire solet, quòd frequentiùs lactis, vt suprà quoque monuimus, & natura quadam ferè in multis prætereà alijs comparatum esse videmus, defectu ac paucitate, quàm abundantia ac multitudine vt laboretur; & quum venit, minùs inest incommodi in re, minúsque periculi, & facilior subueniendi ratio. aptè enim, vt dicere instituteram, atque ad manus semper parato remedio vtemur, coctæ impositæque Lenticulæ; aut decocto Myrti, rosarúmque perfundemus; aut lintea integemus, quod Aceti multum eiusque pauló acrioris imbiberit, renouabimusque sæpiùs: vel etiam eidem aceto Cuminum, aut Myrrhæ, Caphurę ve modicum addemus. Quæ omnia singulaque diligenter profectò attendenda erunt: neglecta nanq; non parum sanè oberunt.

Lactis nocumenta, crassioris iuxtà ac tenuioris, multi, pauci. Et de Nutrice mutanda. Et quanti æstimanda sit alimenti bonitas in tenerrima maximè ætate.

CAPVT VIII.



Nimuerò crassiore, quàm par sit, Lacte cohibita intercipiuntur pueri excrementa, quæ prodire foras debebāt, penè omnia, alui, vesicæ, occultioris trāspirationis; infarciuntur viæ, & nec liberè satis procedit spiritus; tum verò impedito alimenti progressu reciprocabit necessariò sese que vomitione eijciet lac, sequetúrque sæpe magna pituitosæ materiæ vis, certum cruditatum multarum argumentum. Exorientur per corpus abscessus interdum aliqui, & furunculi, cum cutis totius decoloratione. Deijcietur appetentia, excitabitur sentieturque flatuositas multa, multi prodibunt muci, & sordidę circa gramosos oculos, palpebrasque eorum, lemæ.

E contrario tenuiore atque acriore, citatior æquo feretur aluus, & morsiunculis tentabitur, ac perquàm acres oborientur in corpore pustulæ, diuersorumq; generum exanthemata; paulatimq; gracilescens ita corpus, neq; cibum valde capiet, nimirum remittente se magis magisq; ex succi acrimonia appetendi vi; neq; alimentum magnopere sentiet, & quod sentiet, prauum vitiosúmque erit.

Multo autem, & redundante nimis, velut obruitur infans sæpe, quū sugit, inflaturque, ac ventre extenso tanquā disrumpi velle videbitur, donec remisso lotio inconcocto, multóque, vel erumpentibus flatibus, subsidat.

Pauco autem, modicoq; nimis, hîc verò totus alimento suo iusto destitutus emaciabitur infans; cibique subministratione defraudata concident extemplo membra, partesque corporis omnes, extremæ primùm, mox & reliquæ, occupante viscera cuncta, illis præsertim annis, fame; quibus, si quando ætate alia, ob innati caloris vehementiam, ac diflabilem maximè habitudinem, & alimento multo assiduoq; opus est, & defectus sentitur statim. Quo diligentiùs prouidendum, ne contingant hęc: & quum contigere, quo docuimus modo emendanda, antequàm extra sanitatis campū prorsus delata ferantur, atq; alterius Artificis, Curatoris nempe, operam tunc requirant.

Vel si non facile id factu esse videbitur, vt Lactis prauitas, quæcunq; ea fuerit Nutricis vitio aliquo contracta, depellatur, & introducatur bonitas: alterius confestim permutatione in melius infantis saluti cōsulemus, cui noxæ oēs absint, adsint commoditates: reputantes in puerorum educatione omni, potissimùm verò omnium prima illa, nulli rei æquè studendum esse, quàm, quę nihil aliud magis quàm alimentum curat, eo ne destituatur; & vt optimo, & selectissimo vtatur ætas ea. Reliquorum enim, in nuper natis, vel non paruo etiam deinceps tempore, nulla, vel minima certè omnium, cura, desiderium nullum, vtpote quorum nullæ dum obuersentur menti species, quæ appetitū alium moueant. Sola, atq; vna sugēdi semper lactis appetentia, imò auiditas, à natura ætatulæ illi insita, perpetuò eos tenet, & solicitos habet: hoc vagitu, hoc fletu ostendunt, hoc insomnijs eorum detegitur, visis sæpe in cunis mouisse labia, & lactentium specie composuisse, dormientibus.

Quo igitur maximè gaudēt ac necesse habent, in eo sedulò curiosos esse oportet, ne quid desit; néve nō solùm nō satis illis semper eius adsit, sed etiā ne malitia, aut vitio deniq; vllo damnandum id sit, magnopere inprimisq;, atq; ante omnia curandū: quo videlicet noxæ vitentur, & incōmoda quæ numerauimus, paratis suscepturisq; tenerioribus annis, quin obnoxijs potiùs, & nocumēto omni opportunis, quodcunq; inferri corporibus ab alimoniæ vitio prauitateq; aliqua potest. Nam quū certissima demonstrationū ratione ostensum accepimus à maioribus nostris nos alij Medico-

dicorum illorum pueri, Vinci, vincereque alimentũ, & superatũ superare tandẽ quoque nõ minùs, manifesta satis in multis dictorũ fide, in tenella id ætate manifestissimũ. Quę aluntur partibus ob teneritudinẽ cedentibus efficaci satis alimento, quod, cùm alienas sæpe qualitates non difficulter suscipiat ipsum, tũ in alios facilè susceptas transfert. Sic pronuntiatũ ab Hippocrate (Epidẽ. vj.) legimus, ad hãc rationem: γυνὴ, αἲξ, ἐλατήριον, ἢ σίκυον ἄγριον βεβρωκυῖαι παιδίοις κάθαρσις. additumque est à Galeno, non de hoc solùm, sed de quocunq; purgante medicamẽto, priuatimq; de Scamonio, quod veris tempore in Asia depastæ capellę purgatoriã illius vim lacti reponant. Confirmatumq; crebra nostri temporis experientia videmus, quoties repurgandis, quũ fortè id vsus requirit, infantibus per Nutricis id medicamentorum assumptionem molimur. Sic quidem eruditorum aliqui ex veteribus Scriptorum obseruârunt, magnum & id rei huiusce argumẽtum, cuius rei suprà quoq; meminimus, sucto scilicet hœdos ouium lacte villosis ita setis suis emollescere, vt vellus gerere credi possint: contráque, caprarum vberibus subditos agnos lanam inde duram setosámque reportaturos. Vt si qualitates hæ de Lactis alimento in lactentes transeunt, quemadmodum sine dubio transire apertissimè videntur: & reliquas facilè transituras omnes colligere non inepto, neque veritati prorsus repugnaturo argumento liceat. Cogamurq; icirco fateri, non minorẽ, quàm ipsius propè puelli, curam nobis de Nutrice, quæque circa illã peragenda sunt, omnibus gerendã esse, vt cõuenienter ipsa non minùs, atque æquè congruè per victus rationem omnẽ ducatur: & cùm reliquorũ, quæ singula partim iam narrata, partim cõsiderari ex his possunt; tum verò Exercitationum suo tempore obeundarum, educẽdorumque de corpore Excrementorum omnium solicita cura sit, vt qua maximè debemus ex parte rectè atq; ordine educationem deinde vniuersam auspicemur. Hæc, quæ ad Nutricem pertinent.

Ter tantùm in die lactandus infans, expresso prius pauxillulo de papilla lacte, & præmisso melleo linctu aliquo. Nec à suctione agitandus.

CAPVT IX.

ILla, in parte puelli sũt, vt laudatum ita lac nactus bis in die, summũ er, sugere de mamillis permittatur. Sic nanq; nec nimio replebitur, & intererit tẽporis semper satis faciendis, quæ suprà monuimus, de frictionibus, motu, & balneo. Quòd tamen accipiendũ est, semel vt intelligatur, vel si pluries, eodẽ tempore cõtinuato suxerit ad satietatem vsq; iustã, terq; idẽ fiat: sæpiùs, inquã, vt repetita, sed minima tẽporis intercapedine, suctione, quũ omissa, vel elapsa papilla statim iterum immissa ori resumitur, sitq; aliquãdiu id, totũ pro vno deputetur tẽpus.

Tũ de papilla expressum prodibit lactis semper pauxillulũ aliquid, atq; emulgebitur, antequàm inseratur ori. Ea ratione & collostratio lactis vitabitur meliùs, & non exũdabit affatim nimis in fauces, gulãque, osq; vniuersũ lac, quasi lactẽtẽ oppressurũ.

Est & illa animaduersio nõ posthabenda, quam rari quidem hoc tẽpore sequuntur, sed non negligenda tamen: vt post mellei liquoris linctum aliquem, quem puer fecerit, ne in ventriculo lac coaguletur, ita demum de vbere exugat. Acre nimis, tenuéque inuentum si lac fuerit, ne præbeatur à ieiuna, cautio est, ac nõ nisi sumpto priùs à Nutrice melioris succi, optimique alimenti cibo. Emendatum ita contemperatúmque tum demum suget.

Post suctionẽ nõ agitãdus cunarũ cõmotione nimia valde infans. id videlicet ipsũ nõ minùs cõmouerit puellũ, perturbaritq; in ventriculo cibũ, vel citò nimis distributum per omnia rapuerint ad se partes.

Quousque præbendum Lac puello. Et quando solidioris exhibendum aliquid cibi: & cuiusmodi. De ablactatione, ac victus ratione ætati huic conuenienti.

CAPVT X.

ATq; is erit Lactis vsus id ætatis ad biennium vsq; pertrahendus, vel sesquiannuũ certè tẽpus, vt conuenientissimo alimento enutritæ partes, benéque ac congruè inprimis humido, plurimum quoque ad insequuturas deinceps ætates omnes huius ipsius insiti sibi innatique humoris seruent.

Intereà & cibi nihilominùs solidioris exhiberi aliquid aliquando posse videbitur, præsertim primoribus editis dentibus, vbi ferre ipsum ac concoquere puellũ posse spes sit. Aliâs nequaquam temerè id faciendum: ac, nisi iusta nos ad id aliqua coactos impulerit causa, non faciemus. Quæ tamen incidere nonnunquam solet: vt si alijs omnibus destituamur auxilijs, & neque nutricum copia fuerit; & quæ fuerit, culpa laboret aliqua, aut lactis, aut alterius vitij, quorum emendari nihil possit: tum demum & huc descendere necessarium ha-

bebimus, vt solidioris prætereà cibi, aut alterius quàm lactis generis, concedamus aliquid, præter id, quòd, vt diximus, etiam si causis maioribus illis vrgeamur nullis, post primorum præcipuè sæpe dentium exortum, non nimis affluente nobis lacte, sustineréque & conficere potente puello, nō absque ratione, vsuque, ac commodo, solidi insuper alimenti nonnihil, neque omissa tamen intereà lactis suctione, dandum esse iudicabimus.

Quod quum fieri ritè posse videbitur, ne sint tamen pulmenta ea, quæso, tūc, quę ex tritici farina, lactéque quocunque, in sartagine parata, coctáque exhibent, oríque ingerunt, intrudunt potiùs & inculcant, exceptáque digito pulte totum circunlinunt os: ipse lingit puer, adiutúsque Nutricis manu, circunquaque illitam congerentis eodem pultem, nihil reliqui facit, donec ad plenum infarciatur maximè viscera omnia obstruēte edulio. Itaque ergo & retinentur excrementa inde sæpe alui vesicæque in infantulis, & intumescit vēter, inflaturque: torpent, somniculosi fiunt: aquosæ, incoctæque vrinæ prodeunt, crudioris repletionis signum: & cùm alij sequuntur affectus mali, tum vel maximè, crebróque nimis cum magno vitæ discrimine, certaque non sanè parum sæpe morte, Comitialis. Quocirca longè meliùs medulla panis ex aqua primùm macerata, vt πλυτὸς primò, lotus nimirum, panis fiat; tum capi, vituli've, vel huiusmodi iusculis incocta nutrietur. Quo cibi genere non modò timenda sit viscerum prorsus obstructio nulla; verùm etiam antea facta tolli vt ex ea, penitusque auferri debeat, sperandum. Addidisseque interdum & sacchari nonnihil, vel butyri, vel vtrunque, detergendæ emolliendæque aluo concinnè satis poterit. Is, quanquam ex solidiore primùm materia, dilutioris tamē specie concinnatus, lac substantia, ac consistentia referet cibus, nucleis amygdalarum sex septémve, neq; id inutiliter, contusis priùs, additisque. Crassiore vtetur, & solidiore eodem, præmansum à Nutrice si accipiat, vt apud multos fit. Mox & legumina, & animalium carnes optimæ, eadem ratione, Nutricis ore quasi semicō-fectæ, ac commansę priùs, puerorum osculis minutatim ac partitè, quod veluti ψωμίζειν erit, potiùs quàm affatim & congestim, immittentur.

Neque alio sanè, quum ex toto ablactandus erit infans, (quod, quo antea diximus, tempore fiet) vtemur cibi primùm genere: addemus tantummodo salis tunc plusculum, vt palato meliùs respondens acceptior fiat cibus, amplexetúrque eum ventriculus, & assuescat; paulatimque magis deinde atque magis solidum alium atque alium capere cibum, confectúmque vertere in alimentum, discat. Neque tamen ab eo vnquam proposito deflectemus oculos, quo initio humidioris victus instituta ratio toto primo triennio vel maximè, atque inprimis obseruanda diligenter fuerit, retinēdę meliùs proprię infantū ætatis temperaturæ. Quod omnibus quidem ætatibus commune in benè constituto corpore, vt eadem institutione custodiantur omnes: in hac verò potissimùm atque ante omnia, propter ingentem, quem insequentes deinceps ex eo fructum percipiunt ætates, aucti iustè corporis, conseruatique quantum fieri potuit, quo necessariò calor semper innatus noster alatur, nutrimenti. Per idem tempus, vt per ætatum deinde omnium decursum semper, maxima habenda simul cura educendorum de corpore excrementorum omnium. Quanquam istius conditionis puellus, optimæ scilicet, atque inculpatæ, quem nunc tractamus, ne hoc quidem cariturus naturæ beneficio sit: nec, seruatis quidem viuendi, quas attulimus, rationibus studiosè omnibus, opus habiturus vnquam, aut durioris, siccatæque nimis alui emolliendæ, aut suppressi plùs iusto lotij ciendi, aut cohibitæ transpirationis per corpus totius reserandæ, multóque minùs liberandorum infarctuum, aut demendæ cacochymiæ, & huiusmodi vt ope aliqua indigeat: tantisper quidem, dum Salutaris Artis præceptis parens, aut Artificem potiùs nactus, qui sedulam in eo sui curam gerat, tantum simul bonæ fortunę secum trahat, vt exequendis, quę iubebuntur, necessariorum nihil desit.

De sedandis pueruli animi affectibus, ac quatenus per ætatem eam licet, assuefaciendo. In quo seruanda semina, rescindenda superflua. Adhiberi methodi aliquid posse animæ quoque sanitati conseruandæ, aut recuperandæ. Iterum de pueri moribus, & Frictione, & Balneo, & Educatione ad triennium vsque.

CAPVT XI.



ET quoniam antea in disputatione de nutricis lacte, quantū relaturū esset, quantūq; in vtranq; partē momenti habiturū ad feliciter, an secus, & qd' propositi nostri est, salubriter, an morbosè degendam vitam totam,

totam, quibus inter initia moribus imbueretur puerulus, narrauimus; facturosque ad id nutricis quoque mores, vitæque instituta diximus, mala æquè ac bona, quæ facilè cum lacte simul imbibere solitus sit infans: dicẽdum de eo hac quoque in parte, in qua omnium postremò per animi affectionum materiam recèns nati infantis ad exactam vsque Trieterida, educationis totius curam deducimus. non quidem vt rationibus hoc loco agendum nobis esse arbitremur, quod Philosophorum potiùs officium habeatur, nec auditura satis ætas ea sit, non enim aures ad hæc habet: verùm vt, quod totius hac quidem in re Educationis summa & caput est, assuefaciendas irrationales animæ partes irascendi ac concupiscendi geminas illas à teneris statim, vt aiunt, vnguiculis vsque eò diligenter esse doceamus, dicto audientes potiori dominæque rationali futuro deinde, quum primùm vsus rei huiusce venerit, tempore vt sese statim præbeant; alterius furoribus & incensis sæpe atque insanis viribus contusis, restinctisque; alterius cupiditatibus varijs effrænisque coercitis, intraque naturalis tantummodo desiderij septa manere iussis. Itaque hac ætate certa firmaque iacientur sedandorum haud ita difficulter deinde animorum affectuum fundamenta: Leonique inijciemus frænum, ne impetuosè feratur, & Apri gulam coarctabimus, ne tam vastè inhiet: factique cicures, molesti rectori ne sint, ac nutus extemplo eius iussi sequantur; aut quæ inhabitant domicilia ne perturbent, concitatis sæpe turbis, & tumultu facto. Quod profectò ita est. Non enim meliùs nec Medicus, ne corporibus noxa vlla ab animi vnquam affectibus in vita tota, aut perturbationes pessimæ inferantur, cauerit; quàm si à primo statim ortu, quum in potestate nostra id est, prouideat, vt retusæ, infractæque vires debilitentur partium animæ, quibus pathematum indita à natura, insitaque fuêre olim semina. Id quidem sola hoc tempore consuetudine faciet. Neque Philosophus, ne animus per totum deinde vitæ curriculum perturbationibus, imò pestibus huiuscemodi laboret, potiùs assequetur; quàm si primis tenerrimæ ætatis annis bestialem brutamque animæ, quam diximus, partem vtranque assuetudine itidem diuturna mansuefactam accipiat, vt præsto reliquis deinde ætatibus rationi sit, eius iussa faciens, ductumque ac vestigia, quocunque se illa præiens contulerit, perpetuò insequens, nec vsquam longiùs discedens: vel si discedat, ad nota subitò signa, si reuocetur, recurrens more sagacis, ac parere iam diutina consuetudine edocti canis; qui non minùs copula primùm vinctus assuetusque illi, volens lubensque ducentis sequi manum nouerit, quàm copula eadem detracta emissus reuocantis tamen clamorem quamprimùm exaudiat, & ad iussa statim redeat, vocisque tantùm optimè sibi iam notæ signum & ceu celeusma quoddam expectet, vt præsto extemplo sit.

Neque tamen primis statim annis affectionum omnium indicia sese detegent, vt consuefacere queamus. Et vnius tantùm iræ signa tunc visuntur, quod ad alteram animositatis partem attinet. alterius, quæ desiderij & cupiditatis est, initio pauca quædam manifestabuntur, paulò pòst aperient se plura, quæ verissimè multiceps dicta proferre quasi capita quędam solita sit bestia, initio vna propè se tantùm detegente sugendi cupiditate. Sed vtrinque vel vnicum sæpe rescissum pullulans, repressúmve ne nimis se exerat, caput, simul & reliqua sæpe consuetudine quadam, & partium circuniectarum societate, ne præter naturam plura, aut altiùs sese efferant, reprimet. Neque enim euellenda extirpandaque hæc sunt: ne fortè hoc existimemus: suaque naturæ semina relinquenda. Quibus penitus extinctis, tanquam Θεομαχοῦντες vniuersam simul hominis naturam extinguemus: vsumque vnà traducendæ vitæ, quum frustra nobis ea tributa à natura non sint, perdemus totum. Quid enim erimus, quæso, si nihil iam, ad subseruiendum quandoque rationi, efficaciæque maioris semper aliquid peragendis rebus afferendum, relictum nobis iræ fuerit? aut necessariarum cupiditatũ nullos omnino igniculos nobis retinuerimus? Quapropter radices rerum harum reliquẽdæ, seminaque, & igniculi. Nascentes verò circa radices plerunq; pulluli plures, excrescẽtesque nimiùm auferendi tantùm; & luxuriantia fortè semina, quum in herba iam fuerint, depascenda, vel aliter coercenda; & igniculi illi, si quando supra modum accensi incendium facturi videbuntur, vt arsura inde omnia sint, restinguẽdi. Quanquã in nostro hoc cuncta hæc operam exposcent non planè magnam, quem neque iratum nimis fore, neque supra æquum appetiturum quicquam, valde verisimile sit, tam benè à natura institutum, conformatumque. Veruntamen, in tam bona licèt puelli conditione, incident tamen sæpenumero quædam diligenter super his animad-

uertenda: vt si fortè quietem per se auturus ipse sit, at fletus sæpe, & irrequietis alicuius causæ non paucæ subsint, quæ irritent, & tranquillitatem animi lacessant: nosque maiori semper ex parte lateant, in rerum omnium nescia ætate, nec quid molestiam sibi adferat dijudicante, sed nec indicij quicquam proferre valente. Circunspicienda nihilo tamen seciùs, & peruestiganda diligenter cuncta, diuinandumque sæpe. Sic quidem sagaciore coniectura assequemur multa eorum, quæ propalam cognitionem nostram subterfugiunt: Galenumque imitabimur, qui, quum plorantis, iactantisque se diu puelli causa ignoraretur, nec mitigari posset; nec proficiente quicquam, multa quanuis satageret, nutrice; ipse, animaduersa lecti, instratorumque, adeoque infantis quoque sorditie, & emundari omnibus iussis, quietem confestim, somnumque puello placidissimum conciliârit. Idque nos sanè aliorum simul admonere debebit, quæ multa offendere sæpe inanimaduersa solent, fletumque & iracundiam ætati illi cōcitare. Quæ quum nondum rationis quicquam retineat, necdum sermone significare, molestiæ quid habeat, possit; tunc fletu, quod potest, angi offendique se, motuque corporis irrequieto, significat. Nobis porrò inquirenda semper restabit offensionis omnis, & inquietudinis causa: vt, siue hoc ipsū, quod modò diximus, immundities fuerit, siue dentire fortè incipiant, siue extrinsecus ingruente molestia aliqua infestentur, vel si incommodè decumbant, aut stratorum onere premantur, vel pulicum etiam interdum & id genus animalculorum morsibus vellicari eos suspicio sit; si vesicam, si aluum exonerare velle, si cibi potusque desiderio teneri tunc posse videbuntur; aut æstus perferre tædium, frigorisve vim aliquam nequire eos, visum verisimile fuerit: his, quibusdamque huiusmodi alijs, quando vel quies interdum ipsa futura molesta sit nimia, priusquā discrucientur nimis, auctusque ita dolor etiam corpus afficiat, commotumque animum reddat, & mansura ibi, si crebrò id fiat, altiùs impressa iracundiæ vestigia relinquat, ne irasci ideo semper faciles efficiat, studio omni ac diligentia occurramus. Id quod optimè simul & confestim fiet amotione causæ, quam diligenti, vti modò monuimus, indagine inuenerimus. Quòd si inuenire non dabitur, sedulò quanuis ac curiosè inuestigantibus; atque adeò vel inuenta fletus atque iræ, simulque ablata causa, concitato nihilominùs commotoque puello, placando, ea statim adhibebimus, quæ, quodcunque tandem id fuerit, quod in iram fletumque concitârit, adhibita sedare penè semper, ac quieti & tranquillitati restituere, solita sunt. Vsuque continuo iam edoctæ peritiores Nutrices ipsæ per se assiduè præstant iniussæ, inserta statim infantis ori papilla blandissimè, cunarum agitatione, gestatione in vlnis, vel succussione interdum modica, auocatione omni à ploratu, quæcunque obuia occurrunt, iocis, blanditijs, tympanorum, & quicquid eiusmodi est, pulsationibus, sonitu, strepitu; super omnia compositis ad eam rem cantilenis, ac nescio quibus nænijs suis vsæ, ac vocem, quantum in eo possunt, modulantes; certissimo quodam musicæ, qua constare animam Philosophorum potissimi contendunt, compositionis argumento, suæque non animæ minùs quàm corporis, imò potiùs atque exactiùs, quanquam non æquè perspectæ & compertæ, constantis ex harmonicis quibusdam rationibus coagmentationis.

Quas qui probè nôsset, næ is optimus retinendæ animorum sanitatis simul atque amissæ eiusdem recuperandæ artifex, hac quoque ex parte rectam instituere curandorum, conseruandorumque animorum rationem, veluti Aesculapium quendam hîc quoque agens, posset. Nunc diuersarum tantummodo animæ, vt Philosophorum alij, facultatum; vt alij, etiam partium; nec solùm, sed locis quoque suis distinctarum, relicta cognitio, aliáque ad hæc quædam non imperspecta prorsus, aliquam quidem etiamnum ineundæ de tali aliqua, ex animorum quoque parte, tuendæ, recuperandæque sanitatis, methodo rationis viam aperiunt: quam fortasse aliquando, si quando tantum concessum nobis fuerit otij, aut vitæ supererit, quod satis futurum ad hæc sit, ingredi conabimur: planam autem, atque, vt in corporibus, quorum cognita nobis substantia, ac natura, non facilè ostenduntilla, aut monstratā expediunt. Quanquam hîc quoque, in corporum ratione tractanda, aliquid omnino, neque id parui sanè momenti, sed illiusmodi, vt eius defectu imperfectionis nonnihil accedat Arti, deesse manifestissimò in multis appareat, quo perterrefacti Arabum doctissimi Medicinam factitare non fuerint ausi: nempe ἰδιοσυγκρασία illa, vni comperta atque explorata Aesculapio.

Cæterùm, quemadmodū dicere institeramus, bonam atq; eam præcipuā Educationis totius, sedandorumq; animorum, in eo positam esse partem existimandum est, vt pri-

vt primo ſtatim à natali die maxima ſemper cura ac ſtudio defenſus cuſtodiatur à cauſis, quæ concitare in iram ac ploratum ſolent, puer: & quoties concitabitur, dimouenda omnino quæratur cauſa: inuentaque & amota, vel etiam non inuenta, ſemper tamen vt ſedata commotione ea, quibuſcunque id aſſequi artibus dabitur, animi quamprimùm trãquillitati placatus reddatur, ſtudendum. Quod primis à natali temporibus, annuo circiter, aut ſeſquiannuo ſpatio, non alia meliùs, (nec planè aliam inuenias) ea ætate, quæ nec iuſſa, nec monitus admittit, ratione, quàm aſſuefaciendo fiet. Aſſuetudine nanque ea morigeratæ ratione carentes partes, non ſanè irreuocabiles ab ira, aut non neceſſarijs cupiditatibus obſequẽtes, quin obtemperantes potiori parti extemplo, & rationis dicto audientes fient, eiusque ſemper imperata volẽtes facturæ primò, mox procedente paulatim tempore indiesque magis ac magis, iam parere plurimùm conſuefacto, domitisque ita non parum inferioribus animæ partibus, & monita noſtra accipiente puerulo, & obſeruante nutus, & imperata faciente, & minas intelligente, formidanteque, & adigi, quò volumus, plagis, ſi renuerit, debente, faciliora nobis omnia reddentur: quo videlicet victi prorſus affectus, nimiùm tum fortè pullulantes, animoſitatis atq; iræ, conquieſcant; & domitę iaceant ſurgentes tum primùm, ac veluti attollentes caput cupiditates nouę, caſtigationibus atque obiurgationibus noſtris repreſſæ.

Tum & faciendorum diſtribuere commodiùs tempora licebit, vt fricandi, exercendi, lauandique, quod priùs non licebat: aut non tam rectè licebat, quũ nec obſecundantes nobis habebamus, & diuinandum coniecturáque aſſequendũ erat, quod nunc certò ſcire, ac facere dabitur. Corpusque hoc pacto temperamento ſuo conſeruare, atque vna & eadem opera obtemperantem præceptis noſtris animum inſtituere, partisque vtriuſque dotibus informatum ad reliquæ obeunda meliùs vitæ munia ſuſcipere puerum poterimus. vt ſi fortè, qua nobis hora commodum, atque ex illius vſu viſum fuerit, aut fricari, aut exerceri, aut balneo vti, aut cibum capere noluerit: perſuadere, admonere, obiurgare, denique cogere etiam ad extremum poſſimus, in quo & corporeæ ſalutis tutela poſita, & animi ritè optimeque inſtituendi ratio eſt. Præcedant autem cibum ſemper iſta oportet, hoc quidem puelli ſtatu, quem nunc in manibus habemus. Nam ſi cui recta aliqua ratione, vt poſt balneum cibum capiat, conſuluerimus, is ab optima ſine dubio melioris ſtatus conſtitutione declinauerit. nẽpe quibus inſignis fortè macies fuerit, & deperditum ſumẽdum corpus erit, ij ſunt. Sed horum poſteriùs tractabitur ratio.

Nunc Triennium pueruli expleuiſſe totum videmur, in quo peragenda cuncta hæc, quæ diximus, ſint. Quibus explicandis multis quidem verbis opus habuimus; ſed id neceſſariò faciendum nobis fuit, maximorum Scriptorum, à quorum nuſquam libenter ſententia diſcedimus, authoritatem ſequutis, qui ſermonum de vnaquaque re principia (de primorum autem annorum tuenda ſanitate inſtitutus hoc primùm loco ſermo nobis fuit) collaudâſſe prolixiora paulò videntur. Atque ijdem hi, quantum interſit non ſolùm priuatæ, ſed communis ciuium vitæ, optima à primis ſtatim natalibus Educatio, quæ rectè peragi abſque quòd vnà quoque curetur corpus, vt ex quo non benè conſtituto multa in animam quoque redundare mala ſolita ſint, nequit; diſertiſſimè, vt omnia, non ſemel demonſtratum nobis reliquêre, & filiorum procreandorum alibi non ſecus ac plantandarum arborũ curam leuem & perquàm haberi facilem dixêre; colendarum verò harum, vel educandorum illorum, grauem, ac difficilem: vt paulò ideo plus in hoc verborum inſumpſiſſe non pœniteat, nec ſanè vitio id nobis verti à non maligno prorſus lectore debeat. Quòd ſi protrahere lõgiùs adhuc orationem de his voluiſſemus, potuiſſemus ſanè; facereque nobis impunè id ac ſine reprehenſione, multorumq; exemplo, licuiſſet, qui Salutaris Artis parti, quæ infantili ætati debetur, vniuerſam prætereà de eorundem morbis tractationem inſertam addiderunt. Atque horum nobis ratio non eſt viſa, quam ſequeremur. Nec rationem video, quamobrem Pædotrophiæ morborum ſuorum curatio cùm medicamentorum diſpenſatione addatur, ætatibus alijs non addatur. Nam ſi proptereà, quòd priuatos quoſdam ac peculiares morbos ætas hæc habet, ideo faciẽdum id fuit: in omnibus faciendum idem fuerat. Etenim omnibus ſui cuiq; morbi ſunt, diligẽter ab Hippocrate aliquando (Aphoriſ. iij.) enumerati. Sin, quũ primùm egreſſi ſanitatis terminos, atq; neutralis cõditionis corporum ſtatũ vltra, oblæſa manifeſtò functionum noſtrarum aliqua, ægrotationem ingreſſi ægrotare neceſſariò dicamur, ſeu pueri, ſeu ſenes, ſeu ætatũ aliarũ: perpetua profectò ſeruanda in omnibus ratio ea erit, vt nulla omnino tunc ætatis alicuius venire retinendæ, vtpote quã iam amiſerit, ſed recuperandę potiùs, ſanitatis conſideratio vnq̃

debeat:

debeat: vel si puerorũ admittimus ad hoc ætatem, & reliquas admittamus opus fuerit. Quod obseruatum à Galeno fuisse videmus, apud quem in parte operis, puerorum sanitati tuendę dicata, de eorum morbis verbum nullum.

Peculiares infantiæ morbi quidã. In dentitione quomodo tractandus puer. Si, ne lac in ventriculo corrumpatur, si strabositati, aut ne pætus fiat, occurrendum erit, & ne albugines in oculis oriantur.

CAPVT XII.

AN illud nobis hoc loco considerandum se offert, quosdam omnino haberi puerilis ętatis morbos, qui morbi ritè habendi non sint, sed insequentes alios habeant, ipsiq; intereà vni illi ætati, atque id semper conueniant? vt dentitio, quam gingiuarum, & maxillarum, circumque eas tendinum inflammationes sequuntur, nonnunquam & conuulsiones, & febres. Hancque sola ætas hæc experitur, nisi quibus fortè genuini nati posteriùs sunt perpaucis. Semper autem dentire tandem pueros necessum est. Alij quidam in hac vna quidem ætate, sed non perpetuò tamen, contingunt morbi: vt oculorum strabositas, vt quam puerorum matrem appellant, vt nonnulli alij, qui ferè lactationis errata causam habent. nõ enim alia quàm hac ætate oculi strabi, neque id perpetuò tamen, fiunt. Hosce igitur, atque huiusmodi alios, qui non multi tamẽ numerari possunt, seruato adhuc proposito, institutoque nostro, recipere in tractatum hunc absque præuaricationis suspicione vlla fas & ius erit. In dẽtitione enim, quod hactenus toto opere fecimus, & facturi de reliquo sumus, idẽ omnino faciemus: non vt sanantes curemus quicquam, sed vt pręcaueamus potiùs, naturæq; opus iuuemus, ne contemptum morbos adducat. Quod tametsi cum soluta continuitate fiat, discedunt enim in eo gingiuę, disparanturque: at quia bono id cessurum est, nec actionis offensa vllius grauior, aut euidentior sequitur, morbosum non dicetur. Sicuti sanè nec profluens de naribus in sanitate sanguis apertis venarum osculis, quæ naturaliter clausa esse oporteat, euitandis sępe morbis multis naturæ opere sese ita exonerantis vtiliter factus commodo fuerit. tantum aberit, vt pro morboso habendum symptomate sit.

Itaque dentiẽtes primũm pueruli, quod circa septimum ferè mensem euenit, nihil tum solidioris cibi mandere debebunt, ne tanquam solidatis ex eo gingiuis, exortus dentium impediatur: & vel leporis, vel, si id in promptu non sit, ouis cerebro, vel melle butyroque vnà, vel gallinæ adipe vnctis illitisque gingiuis, ceruicem, maxillasque, & collum, circaque hæc omnia tendines, mollioribus lanis, beneque putis, quæ dulce calidumque oleum imbiberint, fouere, atque idem aurium quoque meatibus instillare iubemur. Tũc & aperta diligenter custodietur aluus, vt reuocatæ detrahantur per eam materiæ, ne supernas partes petant. Imperandusque aquæ potus Nutrici, & sorbitiunculis tantùm cibarijsque nutrienda tenuissimi victus: puero autem etiam frequentioris tunc balnei, calidique, vsum iniungemus. Lupinos ad hoc ipsum dentes, quomodo & Corallia, vbique pro amuleto argento inclusos appendunt collo. Inuenio, qui viperæ quoque. Sed lupi dens gingiuarum etiam prurituì accommodus tollendo, ante & post dentium exortum, inque exortu ipso inditus ori, gingiuarum cõfricatione. Quod vel per se infantuli, insertis in os digitis, crebroque commorsu eorum faciunt. His & conuulsiones vitabuntur, quæ illam alioqui ætatem crebræ nimis corripere solitæ sunt, cum comitiali vnà inuasione, præsertim quibus habitudo pauló crassior, déstorque, & adstrictior aluus; repentibus facilè tum sursum versùm in neruorum originem causis, debilique admodum per eam ætatem, & exposita noxæ neruosa parte, doloreque irritata, tanquam infixi assiduè pali, erumpẽtium de gingiuis dentium. Imò magis, eo quòd si quid cui parti, vt palus, infixum est, manet id, sistitque se: dentes processu assiduo infestant, quo auctiores indies fiunt, magis.

Multum autem ingestum infanti, optimi quanuis status, ac supra quàm confici rectè possit lac, corruptique ideo ac vitiosi ex corrupto eo humores ventriculo, huiusque inprimis ori incumbentes, pauores in somnis facient, & terriculamenta, eamque quam puerorum matrem vocari communiter iam ab omnibus diximus, præuium nimirum comitialis iam iam, nisi caueatur, superuenturi morbi affectum. Cauebitur rectè, si pauciore nutriatur lacte infans, omninoque in officio contineatur Nutrix, ne quid in victus ratione errati admittatur. Occurreturque comitiali modiculo Diamoschu, aut Diampliris, quod vocant, puluisculo; aut qualem retrò descripsimus ex asini vngula, non modò præsenti affectui laturum auxilium, sed venienti etiam obstaturum.

Eodem

Eodem tempore ne ſtrabo, aut pætus, tam benè aliâs formatus effictusque à natura, ac temperie exquiſita præditus, puer fiat per incuriam, vel imprudẽtiam Nutricum, tractantiúmve illum aliorum, vnaq; ea corporis totius nobiliſſima in parte, qui oculi ſunt, inſigne id vitium accipiat, quo corpus totum deformetur, ſummo ſtudio prouidendum. Fit quidem id & ex comitialis acceſſionibus frequentioribus, vehementioribúsve, quas iam quomodo vitandæ eſſent monuimus. Cæterùm vnus non minùs plerunque iacentis ſitus inanimaduerſus, auerſi à luce, in cauſa eſt: quam dum oculis perquirit in cunis, nec corpus eò, aut flectere ceruicem queat; quocunque poteſt modo, aut limis nimiùm, aut tranſuerſis, aut diſtortis, contortísve oculis ſpectat, tenerosque muſculorum oculos mouentium tendines in conſuetudinem eam adducit, vt naturam inde habitumque induat indelebilem. Quorum quum primùm tale aliquid animaduerſum contigerit: in quam partẽ obuerſus flexerit ſe præter naturam oculus, eius partis exaduerſum ſtatuetur lumen diurnum nocturnúmve, in quod reſpiciens intueatur; aut picturatæ tabulæ, aulæaque variorum colorum opponentur, quorum reſpectu reuocata, antequàm callum obducat, in naturalem locum ſuum redeat oculorum acies.

Eadem in parte ne albugines oriantur, quas eiulatus nimius facit, adhibenda cautio. Fugiendus igitur ploratus multus: atque hunc tamen commendari à nonnullis video, ſi cibum ſtatim præceſſerit, tãquam qui exercitas partes eas, ad capiendũ cibum idoneas magis reddat.

Infantiæ morbi quidam, vt & Senum frigida & ſicca intemperies, curandi ætatis proprij: Suppreſſa, citáque è diuerſo nimis aluus; vmbilici, ſedisq́; procidentia; ſingultus, papulæ, & huiuſmodi alia.

CAPVT XIII.



Vnt & alij paruulis ꝓprij certique, non qui ſolis, nec ſemper quidem, ſed qui magna quadam ex parte contingant eiuſmodi, vt extra ſanitatis cãpum ſtatiorẽ illum ſuæ propriæque ac familiaris non conſtituant omnino tamen, affectus hic dicendi: vt iuuentam quoque laſſitudines inſequuntur, ac ſymptomata prætereà alia, & ſeniũ alia. quanquam de hoc ambigi video: & ſunt, qui Senectutem morbum ipſam ſtatuant. Sed & in hac tamen, vt dicebam, non pauca reperias, quæ neutralitatis ſtatum (ſic enim vocant) conſtituunt veriùs. Pariter & in pueritia, pueritiæque infantia tuſſiunt ſæpe, necdum tamen ægrotare dicentur verè puelli: ſtertunt, ſingultiunt, nauſeabundi fiunt, dolent auribus, eædem his humore multo fluunt, lippiunt oculi, ſternutatio crebra affligit. Cita his fertur aluus, adſtringitur rurſus, intercipitur vox, procidit vmbilicus, procidit ſedes, hiſpidi fiunt, intertrigine laborant femina, papulæ accedunt, tineæ alui & lumbrici ſubeũt, fœtet interdum anima corrupti in ventriculo alimenti ſignũ. Omnia eiuſmodi, vt nondum morbi habendi ſint, quippe ætatulæ illi familiaria, neque euidenter ſatis functionem infantium lædentia vllam: & iam tamẽ eorum multa in ingreſſu ipſo ad naturam morbi poſita Curatoriam Medici manum, operamque, qualem ꝓpè morbis debemus, flagitant. quemadmodum planè & laſſitudinum genus omne ſanorum adhuc hominum in ætate alia, phlegmonoſas in primis, & alia quædam, & frigidam ac ſiccam ſenũ intemperiem, ſenio familiarem ac propriam, tractandam, curandamque ſuſcipimus, vna Præcautrice quoque ſemper Artis parte, ne tranſitum in iuſtos morbos tam propè poſiti faciant, vſi.

Quamobrẽ vt pauciſſimis rem agamus, néve extra prouinciæ noſtræ limites delati feramur: Infantium tuſſiculæ melitiſmo medebimur, lingẽdum nimirum mel dantes, violaceum quod dicimus; tum paruuli compreſſa ad radicem lingua plurimũ ita pituitæ eliciemus. idem ſtertentes iuuabit, & nauſeabundos, & ſingultientes. Vel modicè toſtum lini ſemen cum nucum pinearum nucleis aliquot, & amygdalarum tunſis, melle eodem excipiemus, & pro linctu habebimus, tuſſiculoſis, & difficulter ſpirantibus conuenienti.

Aurium ſordes, defluentesque inde humores cum doloris ſenſu aliquo deterges, eluesque, & dolorem ſedabis cum aqua, & melle, & vino veteri. eodemque medicamento inuolutum linamentum immittes auri.

Lippitudo demetur oculis pompholygis, & cadmiæ, quam Officinæ tutiam vocant, cum aloe diluto, ex roſarum, & fœniculi ſtillatitia aqua.

Sternuere deſinent, tunſo, tritoque, & cribrato ſicciore ocymo, inſufflatoque naribus.

Citatæ nimis aluo optimè faciet emplaſtrum de panis cruſta, quod cum alijs quibuſdam confit, vulgatumque vbique proſtat hoc nomine. Eadem ſuppreſſa meliùs primò glãde irritabitur, aut ex melle, aut ex betæ radicula, aut cum muris ſtercore, vel

vel si vmbilico, circumque eum bubuleum fel cum ebuli succo, contusaque simul aloe exceptũ imponatur, lanáve quæ liquorem eum imbiberit addatur. Idem interceptam vocem restituet. Fit enim maximè id ob adstrictam aluum. Sed & brassicæ succus cũ sale modico epotus, orive puelli instillatus, priuatim opitulabitur.

Procidentem vmbilicum, aut tumefactum coercebis ita: Linteum purum vetusque cremabis: lupinos addes, teresque simul cum asini vngulæ parte aliqua, donec benè puluerẽtur. Tum vino rubro nigróve crassioris substantiæ, atque adstringente, commixta excipies, & obligata impones.

Longioris temporis exumbilicares, ac paulò magis affectos, alia tractandi ratio. aduocanda tunc eò ramicum curatio iusta, extra institutum iam nostrum.

Ijsdem nõ inutiliter sanè vtere & in sedis procidentia. Peculiariter autem hîc faciet, proderitque, quum prociderit, antequàm reponatur, vino nigro abluisse; aut fabrorum aquæ, in qua ferrum tinctum restinguitur, aspergine madefecisse; dein cum myrti, balaustiorum, calyculorum glandium, rosarum, exusti aluminis, & similium puluisculis conspersam sedem repositam occlusisse.

Hispidos, discussis fuliginosis superfluitatibus, quæ sub cute colliguntur, & pilosos reddunt, visos nobis sępe, nudabis pilis caricarum vstarum cinere perfrictos, aut earũdem caricarum decocto ablutos; tum nitro, testisque tritis, & oui candido detersos.

Intertrigines, quæ magna ex parte lotij acrimonia exasperatis detritisque partibus fiunt, myrti siccæ, aut rosarum, aut cyperi, singulorum, cunctorúmve simul insperso polline tolles, aut tenuissima etiam pompholyge, addito caphurę modico.

Eadem propè ratione obortas in corpore ex vitioso maximè lacte papulas delebis: aut, si efficaciore opus habueris, aqua mulsa ablues, cui immaduerint priùs rosæ, myrtus, myrice, malicorium, & nitri pauxillum: tum tenuissima pompholyge conspergito, aut rosarum, aut myrti, aut cadmię polline; vel vnguẽto illine ex cerussa, cum rosaceo oleo eliquato.

Verùm enimuerò extra propositi institutique nostri rationem, præfixosque nobis terminos ferri iam illa videntur: itaque in alium conuenientiùs locum reijcienda. Sicuti sanè neque tractari hîc par est de ascaridibus, & lumbricis, quibusdamque pręthereà alijs, ætati quidem huic consuetis, ac penè familiaribus morbis: at iam morbis, atque ægrotationibus manifestissimis, eoque alibi, quàm in opere de Tuenda sanitate pertractandis: vt mirer congestam à nonnullis talem, ac tantam de morbis in tractatum de puerili ætate tuenda colendaque narrationem. Cur nanque adductos eos in hac oportuit, nõ adductos relictosque in alijs? Nam si propterea factum ab his fuisse hoc defendunt, quòd aliter atq; aliter tractãdi curandiq; in pueris, ac iuuenibus, ætatibusque alijs morbi sint: priuatam faciũt ętatis vnius curandi methodi rationem ætatibus potiùs omnibus cõmunem. In commune enim curandorum morborum, non pro ætatis solùm, sed multorum quoque aliorũ diuersitate, tradi ratio solet. Enimuerò Medicina futura non sit, qualem quidẽ nos hodie profitemur, imò nomen statim suũ amittat prorsus, vt Medicina esse desinat, nisi nõ ætatibus solùm, sed naturis etiam, & consuetudinibus, & regionibus, & quicquid eiusmodi erit, rerum differentias, ductamque ex his rationem semper suam accommodet. Nos rectiùs (nisi prorsus fallor) pauculos quosdam tenerrimam illam ætatem necessariò ac naturaliter insequentes affectus, vt dici ideo verè morbi non debeant, quod genus dentitio est, & vmbilici præcisio, circaq; hunc quædam, leuiter attigimus: multos, quod officij nostri erat, præcauendi modum posuimus. Manifestariò autem egressos sanitatem, vt comitialem, & quam siriasim dicũt, & oris vlcera aphthas, & id genus; aut vltra neutralitatis conditionem illam delatos, qui haud dubiè iam morbi appareant: non habui, de quibus dicendum mihi hoc loco esse videretur.

Quomodo tractandi paruuli Septennij primi reliquo. Et vt minuenda obstinatio, leniendus animus, versandum corpus, vtendum balneo, aëre, exercitatione, cibo, potu, somno, vigilijs, animi affectionibus.

CAPVT XIIII.

Restãt primi Septennij reliqui anni quatuor. Quibus eadẽ cõueniẽt omnia, habebimusque obsequiosos iã & morigeros, meliusque & imperata nostra facturos, & audituros admonitiones: quippe parere iam assuetos, ac geminas inferioresque animæ partes vsque eò edomitas gerentes, vt, quocunque nutus nostros inclinãtes viderint, sequantur: nec repugnaturi nimiùm rationi sint, cuius vel id ætatis quidam veluti igniculi manifestare se incipiunt, vt & facilè persuadeantur, quod rationis est; & blanditijs prætereà, persuasionibusque alijs eodem adducantur.

Quòd si paulò magis refractariolos se ostéderint: persuadere primùm conãdum, tum monendo, obiurgando, minis quoq; territando, denique, si alijs non profecerimus, verberibus cogemus, omnino in id intenti, vt non solùm corpus ad tuendam per vniuersum deinde vitæ tempus sanitatem optimè tum primùm informetur; sed etiã animus, quod nihilo seciùs in corporis beneficium, vt toties iam monuimus, rediturum semper sit, optimis imbutus moribus instituatur. Itaque præter alia id quoque studiosè faciendum, & nõ parum in eo semper operæ ponendum, ne quid vnquam obstinatè, & cum peruicacia faciant. Quod quum crebrò faciunt, induunt se in animi habitum prorsus iussis monitisque omnibus aduersantem, sicq; se alijs opponentem sæpe, vt pertinaciter omnia alia agant, potiùs quàm de cõsilio nostro, aut persuasione egisse quicquam appareat: idque vnũ semper faciant, vt ne facere, nisi sponte cuncta sua videri queant. pessima tum ad mores instituẽdos ratione, quoniam ea consuetudine nihil eos vnquam eorum, quæ cum ratione proponat aliquis, vel iubeat, nisi visum idem illis fuerit, facturos spes est: tum ad corporis sanitatem non minùs, quãdo obstinatione sua, multa etiam quæ rationabilia præcipientur, à Salubris Artis magistro, detrectaturus puer sit.

Itaque omni arte conandum, ne, quam semel arripuerit, quæcunque ea, aut quamcunque tandem ob causam fuerit, præter fas & æquũ opinionem, eam mordicus ad extremum vsque retineat: multisque modis, si contrà stabit, expugnandus, ciboque etiam interdum, tanquam esca, capiendus. vt si fortè nec perfricari, neq; balneum ingredi, aut quæ talia ex Artis præceptis, quũ commodum atque opportunum fuerit, mandabuntur, exequi noluerit; cibum poscenti denegemus, nisi priùs iussa peregerit. Sic fiet, vti eadem opera & corporis saluti & animi moribus optimè consulatur, victa illorum pertinacia simul, simul antegressa in tempore, vt fieri semper debet, cibũ perfrictione, ac opportuno balnei vsu. Quòd si tamen quandoque continget, vt, quod sæpe vsu venit, quacunque tandem de causa commodè satis peragi ea non queant: tunc differantur paulò pòst licebit. intereà puello panis modicum pręebitur ad tolerandam parui temporis famem, quam ætas ea moræ cibique dilationis impatientissima vix fert. Nec quicquam id obstabit, quo minùs mox frictionibus, ac balneo vtatur; modò comederit tantùm, nõ etiam biberit puer. Commixtus enim cibo potus ac balneum anticipãs, secum illum in proximas primò venas, tum & in reliquã corporis molem balnei calore è ventriculo ereptum, crudum etiamnum præcipitauerit. Quod semel hîc dictũ traduci in multa alia possit, ac non in balnei modò vsu, sed in exercitatione etiam tantùm non vehementiore, & quicquid ab intimo foras agere creditur, valitura ratio sit: liceatq; ideo post cibum, quem modò subsequutus potus non fuerit, talia quædam inire, idque intra Medicorum præscripta manentibus adhuc facere. Cæterùm sub Septennij primi finem minor iam incipiet esse vsus balneorum. meritò. Non enim tanta iam naturalis ætatis huius humiditas, quanta primis à natali diebus, aliquantoque deinde tempore, vt custodiri in naturæ suæ statu humefaciendi facultate tanta debeat.

Eodem tempore, atque ob eandem rationem, siquidem exquisitè peragenda nobis cũcta esse decreuerimus, & aëre vtemur minùs iam humecto, & non diuersis ab hac formula frictionibus, nempe minùs iam mollibus.

Exercitatio autem roboratis iam paulò magis membris, & inualescẽtibus partibus omnibus, vtique paulò quoque iam vehementior conuenire videbitur: at non vsq; adeò tamen, vt impedimento ea, atq; oneri crescenti, vt tunc maximè, corporis statui futura sit, duratis nimis citò, siccatisque partibus, inhibitoque ita augumento.

Iam cibariorũ quoque seruabitur modus, caloris idem, quoniam non alius puerorum ac iuuenum, proinde nec intermediarum ętatum demonstratus calor est: humoris minor, quòd ætate prouectiores siccescant semper magis, magisque.

Ambigi de potu potest, Vini'ne is, an aquæ esse potiùs debeat in his. Et de meri quidem potu, quanuis tenuissimi, omniumque maximè oligophori, qui dictorum à nobis retrò de Vini temperamento sicco, fuseque satis explicatorũ meminerit, hunc arbitror non dubitaturum, dandum non esse. Quomodo nanque, cui ætati potus si non humidissimus, at benè tamen adhuc humidus conueniens futurus sit, huic siccus natura congruere posse videbitur? pręsertim verò quum potus, hoc ipsum quod potus est, qui in eam gratiam quæsitus sit, vt inde humescerent membra, vel in siccione natura conseruanda aliquid tamen secum potentiæ humidæ, vt quod esse dicitur ad vltimum conseruet, adferat atque ostendat, necesse sit. Sed ne dilutum quidem hac ipsa, qua diximus, ætate conueniet, quanuis siccitatem dilutione deponat, & humectandi facultatem acquirat. Sed quia cum excalfaciendi vnà viribus quàm humectandi propè semper maioribus id

fit, non enim quàm vini siccitas aquæ humiditate, tam eiusdem illius caliditas, vtpote efficacior, repugnansque magis, ac vaporosa, tolletur frigiditate; vt fortasse dilui ad humefaciẽdi pro ætatis huius ratione temperamentũ possit, ad frigefaciendi nõ æquè possit: hâc ob rem minimè côuenire posse videbitur. Etenim quod satis sit humidũ factũ, nõ quod satis sit frigidum inuenietur. Quòd si frigiditatẽ ex dilutiore vino ætati huic ęquã cõsequi voluerimus, humiditatem quamprimùm plùs ęquo inuehemus. Quod quum erit, noxæ id statim bibenti cedet. vt nanque humefacientem potum admittat hæc ætas: at plùs, quàm congruum futurum sibi sit, non admittet, humorisque extemplo vsu nimij de temperamẽti sui statu deiecta deturbabitur, præsertim cui calor coniunctus sit temperamentum excedens quidam. At ætas huiusmodi, vt reliquæ ad senij vsque initium omnes, calore est temperato, humore licèt paulùm redundet. Nec qua humidum ergo, nec qua calidum, cõiunctim præcipuè simulque, qualicunque ratione dilutũ vinum competere rectè atque ordine huic, adolescentiúmve ætati, ac tanto quidem minùs meracum syncerumque poterit. Accedit ad intemperamenti excessum ex vini vsu caloris atq; humoris ætati illi nimij, etiam exhalatorum in caput vaporum copia, replentiúmque. id quod perquàm facile est in calido & humido tẽperamento, cuiusmodi puerorum id ætatis est, tanquam in quo nec materia desit exhalationum multa, humor; nec, qua excitatę surgant, efficax inprimis causa, calor. Atqui pessimum est, repleri caput halitu tanto, ex quo non solùm perturbatio mentis sæpe, quo nihil annis his excogitari deterius potest, occupante sensim ita præcipuam animę sedem, corporisq; totius, arcem perniciosissimo hoste, Ebriositate: sed inde plurimis semper tanquam de superiore loco decurrentibus, impetumque facientibus in subiectas partes malis, conuerso facilè in distillationum materiam vapore. Vsque adeò vbi facilis, proximusque est ad nimietatem lapsus, si pedẽ extrà tuleris, cauendũ semper fuerit, vt hîc: ne, si paulùm modò aberretur calefaciendo, atq; humectando paulò, mox ob affine temperamentum adauctis qualitatibus eisdẽ redundent iam omnia, ac iusta protinus natiuaque temperatura pereat. Quamobrem hoc tempore, quod Septẽnij primi vltimum est, nulla ex parte vsus vllo modo vini vllus, quin insigne inde in posterum nocumentum accipiatur.

Cõueniẽtior aquæ potus purioris, nullaque extranea aut vitiosa qualitate infectæ, fontanæ recẽtis inprimis: sin minùs, at alterius alicuius minimè malæ. Ceterùm de malitia & bonitate aquarum dictum antea satis: itaque inde petendæ harum notæ, & suis quęque signis persequendæ, vt optimę delectus sit. Quæ si eiusmodi fuerit, nihil vetat puerum æstatis tempore, aut magnis alioqui caloribus, etiam benè frigidam bibisse, pòst assumptum cibum. Non enim permittet is præoccupato ventriculo, tanta eum, cumque eo præcordia, feriri frigiditate: permixtáque cibarijs, quæ calida ingerimus, caloreque ventriculi, circuniectarumque partium, natiuo victa concalescet citò. quæ quidem vel præcipua laudatæ aquæ dos est, citò vt frigefiat, atque incalescat. Non enim tali tempore, talisque aqua frigidior epota nocumenti adferre quicquã poterit. Quòd si vel vacuo prorsus vẽtriculo idem facere tentârimus, periculũ erit, ne valida & infracta adhuc aquæ frigiditas, ventriculum ipsum, ac præcordia, visceraque omnia impetens, nõ parum officiat: vel si illaudatam eodem modò bibendam præbuerimus. Est autem vitiosa non manifestæ solùm malitiæ euidentes notas ostendens quasdam, turbulentia, aut fœtore, aut huiusmodi: sed etiam, quę pura ipsa ac limpida, nec insuauis gustu, diutiùs tamen moratur in præcordijs. Hac ipsa mora hæc, tum verò quia non sanè alteratu facilis, vnde ἀτέραμνον ὕδωρ ex argumento dicta, quæ loca attigerit, extemplo quidẽ offenderit. Huiusmodi igitur nunquam cuiquam frigidam potandam exhibueris: calefactam bibisse expediet, quasi fracta priùs frigiditatis qualitate, & euaporato ex parte vitio. Quod meliùs tamen ex decocta expectandum est. At omni ex parte inculpatæ potus aquę puero irreprehensus, etiam frigidioris, atque egelidæ, si vsus illius venerit: recentis autem, qualis esse fontanæ aquæ solet, frigiditatis semper. neque enim noxa inde vlla pertimescẽda, propterea quòd eiusmodi si fuerit, & immutatur citò, citoque permeat, eoq; minimè diu manens, nõn sanè obesse multùm potest. Iccirco frigidum sumi potum permittimus causis his, ac rationibus confisi: aliter de cibo sensuri, atque acturi, quem calidũ plurimùm capi iubemus, nec tam immutari à ventriculo facilem, & diutiùs inibi moraturum.

Somni hac ætate & vigiliarum ea retinẽnda ratio, conseruandusque modus, vt cedente paulatim somno, vigiliarum longè iam tempus vincat: cùm quòd siccescente indies habitudine non par fuerit nimio *puerum somno, ac supra temperamenti* tunc proprij rationem, humefieri; tum vel maximè, quòd somnolenti, segnesque inde


ac torpidi, nimiùm dormire permissi, fiunt: vnaque augumenti ex eo corporibus iusti non parum subtrahi obseruatum, traditumque à non proletarijs Authoribus quibusdam legere licet. Quanuis si naturæ ipse permittatur suæ talis conditionis ac constitutionis puer, non sanè aberraturus sit non à somni modò & vigiliarum, sed nec reliquorum quidem omnium, mensura. Verùm ne aberrandi, vt in nimium somnum feratur, causæ quicquā detur, propterea diximus: minor tamen semper somni & vigiliarum aberratio in his, causarumque semper minus, vt id fiat; quòd nec tam sese offerunt sæpe peccandi hac in re occasiones; & quum peccatur, modò non nimiùm id vel crebrò nimis contingat, in eam partem peccatur, quæ non magnum allatura detrimētum sit, ob aliquem tamen ex paululùm longiore somno concoctionis, per partes corporis omnes, melioris vsum, ætatemque id adhuc temporis in somnum procliuem satis, vt ideo minùs quoque meritò nociturum id sit.

Maior habenda his adhuc annis affectuum animi sedandorum, componēdorumque morum cura. Nondum enim confirmatum satis, expleto licèt Septennio, riteque atque ordine eousque educatum, accipere nos posse paruulum spes est. Perseuerantia opus: ac nisi quod semel inceptū est perficiatur, vt in via morum, quam priùs ingressus est, rectà pergere insistat; aut è contrario si cursum eius ad bonos mores capessendos retrò inhiberi siuerimus, vt aduersis educationis malæ ventis reflantibus, aut transuersis ijsdem in deuia agatur: operam & oleū prioris temporis amissuri statim simus omnem. Quocirca vel tunc maximè danda opera, vt veluti exædificatio sequatur totius Educationis melioris, ne quid ex deteriore in corpus deinde redundet mali, indulgentiáve nimia, mentis, moxque corporis non minùs, nerui frangantur, facilè etiamnum tunc tenella ętate impressa retinente malæ an secus educationis vestigia. Cùm alia igitur quædam, tum illud quoq; attendendum: vt, quanuis obiurgandos sæpe esse diximus, adeóque verberibus etiam interdum castigandos, si nimiùm reluctētur, postremum tamen hoc omnium sit, necessitasque tantùm eò nos adigat vt facere cogamur, blandeque potiùs ac molliter tractentur: ne obdurati plagis seruile tandem ingenium induant, nec valde tamen his ipsis postremò etiam moueantur. Itaque vel ob hoc ipsum placidis primùm ac mitibus tradēdi literatoribus, nō furiosis quibusdam, quorum sæpe atrocitate & sæuitia, ac rusticis prorsus moribus, odisse penè priùs quàm prima ipsa literarum Elementa aspexisse solent. Tum si fortè in plagosum aliquem inciderint, capitis verberibus, maximo partis eius damno, errata luunt, quæ monstrantis potiùs sæuitia exterriti, quàm ingenij tarditate, admittunt. Blanditijs agendum maximè est, ne minis & verberibus maximè cogamur, efferenturque demum animi plagis exasperati: & non territandi nimiùm, si, quod volumus, consequi aliter licebit, ne animositatis igniculi iustæ ac virilis oppressi restinguantur Ipseque, sicut in alijs multis, naturæ suæ permissus, quam optimam, ac iustissimis semper rerum omnium dictatis obsecundantem, sortitus est, huius conditionis, atque ætatis puer, non temerè deflexurus à recta via sit: ita præeuntes quoque alios sequutus in disciplinis, aut disciplinarū initio, primáq; omnium literatura, quacunque ducetur à magistris, perget; aut recta ducis manu ad summam felicitatis arcem processibus semper magnis euasurus, aut ductorum vitio atque imperitia in deuia ac præcipitia, maximo semper rerum suarum omnium discrimine, deferendus.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVSOCTAVVS.

Septennij secundi institutio ad corporei boni vsum ex animorum quoque informatione.

CAPVT I.



Nnorum Septimanæ alterius initium octauus, in quo de aëre, exercitatione, cibo, potuque nihil mutamus: nisi quòd tamen paululùm magis in siccum vergentis iam aëris, & solidioris alicuius iam cibi vsus esse incipiet, neque id tamen multùm. Magnũ enim semper insiti nobis à natura humidi retinẽdi esse studiũ debet, ne quid siccandi viribus nimijs deteratur de eo ante tempus. Quam planè ob rem quoque exercitatione vtimur his ætatibus non iustè quidem quæ deberetur & tolerari iam posset, nec tam vehementi; atque aliquantum subsistere infrà, antequàm eò perueniatur, iubemur, vnius tantùm resiccationis nimiæ timore. Quod per hoc non minùs Septennium totum, atque adeò multo deinceps semper tempore, donec propè iam in plenum adoleuerint, faciendum. Eoque ne gelida quidem lauari hunc permittemus, nã & id auctionis impedimẽto sæpe fuerit: calidæque tantummodo vsum concedemus, deiectis priùs semper de corpore alui vesicæq; excrementis, néve id ab ingesto statim cibo fiat, animaduerso.

Tradendi demum hac ętate Grammaticis, mox & Rhetoricis, quos ad id natos esse perspectum habuerimus, naturaq; non abhorrere à paulò etiam grauioribus deinde studijs animaduerterimus. Edent autem notas signaq; rerum harum multis modis. Manifestat sese plerunque eo tempore alacritas quędam ad studia literarum: & non illubenter prorsus quidam, præter multorum æqualium consuetudinem, frequentant Scholas. Hosce igitur placidiora quædam studia sequi iubemus tunc, sub Pædagogis ac Præceptoribus, mitioris, vt semper dicimus, ingenij vtrisque. Qui ætatem hanc humanioribus literis, quæ placida & amœna studia appello, sed cum humanitate, morúmque elegantia omni imbutam instituant. non quod facere eorum plerosque videas, qui dum mansuetiores Musas profitentur, multum sæpe secum trahere inhumanitatis, agrestiumque plurimum eos morum ad docendum experimur, eaque in discipulos ferè transmittere vitia, indelebili in posterum, atque hæsura ad extremum vsque vitæ tempus, macula.

Et hîc quoque igitur, non modò in Septennij primi fine, quod monebamus, dispiciendum diligenter, conãdumque erit, vt laudatissimis consuetudinibus, & grauioribus aliquibus disciplinis, quibus non solùm ad modestiam atque humanitatem omnem informari puerorum animus solet, sed plurimum inde etiam vtilitatis tractandis rectè, inque optimo statu suo conseruandis corporibus trahitur, assiduè totam illam ætatem curiosè effingamus; quasique summã Educationis totius quandam in eo versari existimemus, vt his moribus puer cùm institutis optimis imbutus animum gerat mitem per omnia pacatumque, tum ab animo hoc sic effıcto, atq; informato, nihil proficisci transferrive in corpus malorũ posse suspicemur. Et, quod maximũ est, propositoq; nostro inprimis conueniens, vt, quicquid Salubris Artis magister curando corpori iusserit; morigero maximè ingenio, minimeque repugnante, ac parendi facilitate, dicto omnibus audientem se præbeat, volentemque, ac paratum exhibeat, puer: viáque ita ac compẽdium ad omnia faciliùs deinde exequenda muniatur.

Mutuus corporum animorúmque consensus, eóque & mutua institutio. Ad diuersa vitæ genera quomodo informandum corpus: cibaria quæ conueniant, quæ exercitatio, frictio, animorum affectiones.

CAPVT II.

Cuius-


Viusmodi si per totũ secundum Septennium ad decimumquartum vsque annum deduxerimus, vt talem, hisque moribus, hac modestia, hoc exprõpto ad cuncta vegetóque animo, tertium Septennium inchoans accipiat, atq; abhinc ad vigesimũprimum vsq; annum ducat; perquàm futurum facile deinde sit, vt absoluta priore ita educatione, reliqua peracta impleatur institutio ad quarti vsque Septẽnij initia omnis: atque ita perfectum, numerisque suis absolutum omnibus, habituri simus per id tempus adolescentem puerum, corporisq; atq; animi dotibus omni ex parte spectandum atq; integrum. Quod quidẽ, vt animi virtutibus, morumq; integritate commendari quoque possit, quanquam primò Philosophi esse vnius officium videri id debeat: non parum tamẽ, vt sæpe iam monuimus, instituto huic quoque collaturum nostro est, & ad rem pertinebit, quando, quantus sit corporum atque animorũ mutuus penè semper inter se consensus quidam, exempla, si quis sedulò animaduertat, quotidiana propè indicant: vt bona pariter ac mala communicari sæpissimè inuicem tam arcto, intimoque, nec separato vnquam in vita hac, commercio posse non dissimilimum veri sit, & experiamur quotidie, quasique pendere alterius ex altero bonitatem ac malitiam videre sæpe liceat. Initia quidem hinc trahi, duciq; rerum harum certa posse, nec rationes defuturæ sint inuestigantibus; nec exemplorum, quibus veluti experientia res confirmetur, futura penuria. Quod sæpiùs hactenus inculcauimus, vt toties repetitum meliùs memoriæ hæreat, néve surrepat vnquam obliuio rei semper memorandæ. Quæ si obliuioni tradatur, aut contemptui habeatur: quantum paritura deinde sit malorum, insequentes deinceps ętates omnes sensurę, quum nihil quicquam adhiberi remedij inueterato iam malo poterit, magno suo incommodo, mentisq; & corporis insigni semper detrimento, sint. Ergo summa toto hoc tempore imponẽda institutioni manus, formandisque atque effingendis cum corpore vnà moribus adhibenda cura, cuius in reliquũ, quodcunque superfuturum est, temporis vsus perpetuò ac commoditas transeat.

Fiet autem id cùm alijs quibusdam rationibus, quas pertractâsse neq; loci, neque temporis præsentis est: tum vel maximè, atque ante omnia, inuectis optimis semper rerum omnium, quascunque acturus, dicturúsve est, id temporis puer, consuetudinibus, quas inchoatas ante tantùm, nunc perfectas atque absolutas tanquam exædificare conueniat. Sistamus hîc oportet in Septennij tertij limine, qui decimusquintus à natali annus numeratur, in quo tanquam in biuio constitutus quò tendat nescius, & vtram ingrediatur dubius, rectore opus habebit, ac monstratore. Qui non solùm rectam, & ad bona omnia ferentem, arduam quãuis, difficilemque, & asperam primò aspectu visam ostendat, amicaque & fideli manu introducat, nam id Pythagoricæ literæ symbolo monemur semper: verùm etiam, quod munus maximè officiumque nostrum spectat, ad quod inprimis vitæ institutũ natura suapte ducatur quisque, diligenter inquirat: vt, ad quod à natura factus esse videbitur aliquis, in eo studium omne ponatur, ac pro vitæ conditione futuræ institutoque diuerso, sic variè effingendi corpore, animoque atq; informandi sumantur: corpore à nobis primò, huiusque causa etiam animo; contrà à Philosopho animi primùm causa omnia, tum propter animum corporis quoq; cura habenda.

Detegunt autem sese ætate ea igniculi quidam, & veluti elucent rerum omnium scintillæ, naturæ cuiusque specimina, atque argumenta certa. Quibus perspectis, accommodanda ad id educationis atq; institutionis ratio omnis erit. Vt si fortè applicaturus quis animum ad militiam esse videbitur, aut corporis alioqui viribus, & robore lætetur, seseque in eo ostentet: huic robustum inprimis corpus, laborumque omnium tolerantissimum præparemus: de animi dotibus, quæ perinde vitæ institutum id non admodum adiuturæ esse videbuntur, non sanè valde soliciti, neque negligentes in totum tamen. Animositatis hîc igniculos illos fouebimus, partisque eius, quæ irascendi animæ est, facultatem paulò magis alemus, sic tamen, vt rationi dicto semper audiens futura sit: corpusque vnà vt respondeat, diligenter studebimus, quo subseruire in tempore huic, seseque, id quod profectò est, pro instrumento, apto ac concinno, ad quicquid illa ritè recteque iusserit faciendum addat, viresque eodem suppeditaturas satis adferat: breuiter, vt coniunctum in hoc vitæ proposito cũ corporis robore animi quoque robur sit. Idẽ, si luctator, si pugil, athletáve in totum futurus sit, curabimus. Cuius rei gratia tantum olim curando ad id vnum corpori adhibitum diligentiæ fuisse legimus, reliqua vt omnia negligerẽtur, quæ animi essent. Quod nos certè non faciemus, sicque semper, vel ex Artis præceptis nostræ, grauissimorumque in ea Au-

thorum monitis, corporis ducendam esse rationem consulemus, vt debita præbeatur sua animo, neque vnquam ex toto posthabeatur, cura. Itaque meritò illorum desitæ iam sunt artes, qui mentis munia nimia corporis curatione veluti obruere conabātur: nostræ manent, mansuræque sunt. id enim certa quædam, atque ex æquo concepta spes promittit, donec, cuius iure semper victoria esse debet, vincat ratio.

In hanc eandem informandi ita corporis, conciliandiq; aptè ad vitæ institutum, quam ingressurus quisque sit, habitus formulam venient artificum quicunq; laboriosum opus aliquod faciunt, quos multas vitæ ærumnas exantlare opus sit; aut negotiosum vitę genus tractāt. Quorū innumerę fermè conditiones visuntur, vt infinitum futurum sit, si quis singillatim comprehendere cunctas suis ac proprijs vnamquamq; rationibus cupiat. Et tamen nemini vlli mortalium opem suam, aut operam denegat Salubris Ars hæc, non baiulis, aut agricolis, non Iro etiā alicui, aut vilissimo hominum generi cuique: modò vacet, & faciendi quæ iusserit facultas sit, si non in plenū, at ex parte; vel quum hoc non possit, quod in propinquo est tamen vt peragere queat.

Quamobrem quum singula percurrere impossibile habeatur, contrahenda in vnū velut genus sunt multa, quibus in vniuersum præcepta scribantur, vt hîc quoq; dicendum illud in commune fuerit: Aliam inchoandam esse victus rationem militaturis, laboriosumque ac peregrinationum atque ærumnarum huiusmodi plenum vitæ institutum ingressuris, aut artes tractaturis corporis viribus exercendas; atque aliā sedentariū opus aliquod facturis; rursusque aliam liberalioribus artibus ac disciplinis, Philosophiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ, operam daturis. Cui enim dubium esse potest, sicuti alijs aliam, ita primis illis pleniorē deberi victus rationem omnem: durandosq; fore hos à tertij statim Triennij initio, nisi factum antea id fuerit, æstibus æquè ac gelu paulatim, circumambientisque inconstantia omni, ventorumq; atque imbrium tolerātia: frictionibus item, quæ idem præstent, vtendū in his esse duris: exercitationes adhibendas robustas, ac vehementes: vel non plurimùm ab his quæ distent, pro maioris minorisq; laboris ratione futuri vitæ instituti. Cibatum ijsdem largiri oportere, cui sensim assuescāt, alimentosum valde, plenum, crassum, viscidum, durabilem, qui in non magna quantitate magnam tamen egregiè nutriendi facultatem obtineat. Ne expectetur autem à me, dum particulariter cibos hæc ipsa facientes enumerem, dictum priùs de omnibus quum fuerit: vnde priuatim deduci ad vsum in re præsenti, commodéque applicari cuncta poterunt. His paulatim cibarijs assuefaciendus is primùm, vt conficere discat ventriculus: quod fiet, si modicè initio sumantur. Tum facile erit, vt his, quas modò diximus, conditionibus alatur corpus, egregiè, affatim, plenè, durabiliter: viresque inde subministrabuntur corpori ad ferendos labores copiosè, sed innoxiè tamen. non enim Athleticas illas periculosas volumus: sed cùm has innocuas semper, tum militia potiùs, rebusque in communem omnium vsum cum labore obeundis, vtiles. Hîc, quoniam crasso quodam ac viscido opus esse cibo diximus, qui κολλώδης Græcorum est, glutinosus noster, conuenientibus in vnum duobus, vt aliud esse viscidum, aliud glutinosum appareat; attendendum erit, necubi corporis excrementa morētur. Crassus nanq; per se, itemque per se viscidus, quum hoc faciat: tanto magis, in quo coniunctus vterque est, glutinosus fecerit. Huiusce igitur incommodi admoneamur semper necesse est, cauisseque id aliqua semper ratione præstat, aut factum aliquo rursus modorum superiùs enarratorum sustulisse. Curæ huic vitæ generi, in quo validis satis artus præditos esse viribus cupimus, robustosque, (quod esse nisi in benè nutritis non potest) non magnopere conuenient. μελεδῶναι enim sunt, membraq; exedunt potiùs. Irarum atque animorum aliquid magis his cōgruum sit, quibus cùm alimentum per corpus distribuatur meliùs; tum vitetur pituitosi, nonnunquā verò & crudi fortè illius succi copia, ex eo ciborum genere, quo memorauimus, colligi facilis. Neque verò desidia aut pigritia mētem & corpus, longè ab huiuscemodi vitę institutis alienę, inuadant.

Contraria omnia, aut multo certè in vnoquoque genere minora his, (quæ necessarium non fuerit repetere: desumi ad rem semper præsentem ex superioribus libris possunt) in cōtrario huic viuendi genere seruabuntur, vbi sellularij artificij opus; nec negotiorum mole, quæ corporeis viribus nixi obimus, distenta, quietiorque, ac tranquillior, in quantūuis illiberali arte, proposita vita fuerit. Tenuiora enim tunc minusque nutrientia conuenientiùs exhibebuntur: minus & exercitationum proponetur hîc, eorumque, quæ exercendi rationes spectant antè & pòst, omnium: tum reliqua ad regulam respondebunt, ex ambiente, vigilijs, somnoque, excrementis, animorum pathematis ducta.

Quæ obseruanda instituendis id ætatis, de qua nunc agitur, pueris in victus ratione omni. Ac literarum studijs addicti quomodo se gerere debeant in his.

CAPVT III.

Qui verò excolendum disciplinis præstantioribus animum destinârint, ac præclararũ, liberaliumque artium studio tenebũtur, quibus diligenter operam nauent: his præter iam dicta, quæ quietiori tranquillæque magis vitæ conueniunt, etiam spiritus animalis, præcipui ratiocinatricis animæ partis instrumenti, captanda ex omnibus studiosè erit ratio, generandi multi, atque illustris maximè: quo quasi sensa animi, cogitataque, & discursus clarescant, puræque ita, ac nitidæ, naturæque prorsus suæ, rerũ species, miniméque extraneis additamentis obscuratæ, concipiantur. Quod non aliunde meliùs assequemur, quàm ex tenuiore primùm victus ratione; nequaquam crassioris, aut viscidi, aut glutinosi succi cibis; non excrementitijs, neque tam plurimum atque affatim qui alant, quàm qui relicto corpori alimento mediocri, vel paulò etiam magis tenui, spiritus producant, rationisq; functionibus suggerant, puros, nitidos, illustres, synceros, splendescentes.

Iam ergo tempus erit, quoniam non ex laudato tantùm sanguine spiritus laudati oriuntur animales; sed ex attracto etiam naribus ambiente tenui lucidóque, lucidi itidem ac tenues proueniunt: vt huius quoque rectè commodéque capiendi non postrema cura sit. Cuius causa non diuersissimarum modò regionum cœlum aliud alio qui præferant ad rem hanc authores habemus, vt sub hoc illóve magis minúsque profecturus ad scientiæ artisque cuiusque captum vnusquisque sit: sed eiusdem quoque sæpe regionis diuersa ad hoc elegisse sibi loca profuturum esse contendant, quorum subtilis, limpidúsque inprimis ac clarus obseruatus sit semper aër. Quin, eiusdem quoque diei parte in alia, quàm alia, plùs minùs profecturos inquirendis inuestigandisque rerum omnium naturis, & inueniendæ veritati, affirmant. In quo matutinum omniũ maximè aptissimum ad spiritus animalis limpidissimi ac purissimi procreationẽ, ideoq; ad speculãdum, tempus nobis indicãt, quippe discuti tũc incipiẽtibus noctis tenebris, ac crassitie aëris. Idq; sequutos potissimùm Brachmanũ Gymnosophistas exorientis Solis radios saltu excepisse dicunt. quanquam aliud omnino in hoc quiddã spectâsse hi videri possint, longissima à proposito nostro in alienas rationes discessione. Verùm enimuerò haud dubiè, quocunq; modo quæsitus receptusq; in cerebrũ illustris, lucidusq; aër, optimarũ semper ad discutienda meliùs, quæcunq; tandẽ incidere mẽti queãt, ambigua omnia conceptionũ materia fiet.

Et quoniã carne molliore præditos mẽte semper aptiores futuros esse, Aristoteli credendum, idq; rationis alicuius est, meritò vt credi debeat: quemadmodum nanq; crassius iusto, ita ne durius quidem corpus mentis multum pepererit, acumen certè non edet: parandum id curabimus frictionibus mollioribus, blanda mitiq; exercitatione; cibis ante omnia mediocrẽ consistẽtiã, aut tenuem certè magis quàm crassum, sanguinẽ generãtibus, vnde tenerior quoq; caro simul & subtiliorũ spirituũ animalium expectanda nõ iniuria copia sit.

Neq; intereà abijcienda cura excernendarum corporis superfluitatum omnium: quoniã hoc literarũ studijs operã nauantium maximè intersit, vt apertis naturalibus vijs expeditè procedant de corpore excrementa quæque, mentem ratiociniumque omne perturbatura, si retineãtur. Cauendumq; hîc inprimis, quũ quantum studijs æquo plus diligentiæ addimus, tantũ semper de concoctionis iustę opere, debitoq; corpori vniuerso alimento demamus: ne cruditates inde, quod fieri maximè solitũ est, frequẽtiores sequantur: & opportuni ante omnia vẽtriculi imbecillitati Studiosi ferè esse reperiũtur, ex qua incõcoctiones, & pituitosæ materiæ coaceruatio vbique multa. Sic igitur studiorum doctrinæque omnis amore teneri nos oportet, ne quid intereà, vel nõ nimiũ certè, alimẽti sui subministratione iusta defraudemus corpus; néve id prauis vitiosisque succis referciamus: memores, verissimè in vase fictili colligi thesaurũ ab his dici posse, qui dũ assiduis dies noctesq; legẽdi scribendique, atq; intereà etiã indesinenter de literarũ studijs cogitãdi, laboribus instãt, vrgẽtq; idẽ continuè; nec pensi quicquã habẽt, modò vnã studẽdi voluptate fruãtur, atq; ea animum expleant, qua temporis opportunitate, vel inopportunitate id, aut qua corporis iactura, quáve cõmoditate fiat, tandem thesaurũ hunc carbones faciũt. Quẽ qui videat, pro thesauro habiturus nõ sit, vasis sorditie pollutum, & fragilitate nimia ne dilabatur extemplo periculosum. Moderandum igitur in his, & id temperamenti studijs adhibendum, vt non minor, vel certè quæ necessaria rei huic rectè perficiendæ visa fuerit, corporum quàm animorum hîc cura geratur. Quod fieri facilè poterit, si maiorem vtique temporis par-

partem Musis disciplinisque dederimus: atque intereà corpusculi non omnino nullam, sed commodam vitæ proposito huic, quin necessariam potiùs, vti diximus, (siquidem persistere diutiùs in eo, vt par est, voluerimus) rationem iure meritóque ducamus. Ducemus autem, si diligenter egerimus, ac, propè dixerim, studuerimus in eo sedulò, dum studemus, ne cruditates in corpore, vti dicere inceperam, suboriantur; néve diutiùs retenta coaceruentur excrementa; aut vitiosus succus aliquis cumuletur, morborum statim causa futurus, præsertim verò, quæ Studiosis priuatim molesta esse semper solet, pituita.

Cauendum ergo, ne tale aliquid fiat: & factum quum fuerit, auferendum, quo priùs docuimus modo, statim de corpore, antequàm inualescat in morbos, qui totam plerunque corporis substantiam destruant, aut intantum afficiant, vt nulli deinde futurum vsui sit, quale perpetuò valetudinariorum est. Factum est autem inconsiderati valde hominis, aliquid, quantumuis magnum, pretijque maximi, denique etiam beatos nos facturum, tam anxiè & scrupulosè, neglectis omnibus alijs, quærere, vt in eo, qd' quærit, perdat maximè. Perdit aūt profectò, qui tanto labore quæsitū inuentumque, sæpe etiā nondum inuentum, ac notis tantùm suis primùm quibusdam atque indagine inuestigatum, atque animaduersum, non quo etiam diutissimè id, quantum fieri possit, modo ac ratione omni conseruatum retineat, curiosè prouiderit. Atque ita breuiter, quod Præceptores sæpe audisse memini dicentes puer, sic in acquirenda rerū multarum scientia laborandum semper erit, vt ne qualitatem hanc perquirentibus, atque etiam interdum adeptis, quæ scientia quædam sit, substantia nobis interim pereat, quæ corpus: cuius structura collabente ac ruente, eodem secum animum quoq; trahat ruina illa, vt pereunte omnino pereat, sicuti subsistente manet. Scitum enim Aristotelis illud: Primæ substantiæ si nō sint, ne aliorum quidem esse posse quicquam.

Ob idipsum hoc capessendi quoque suo tempore somni magna habenda ratio, ne vel intempestiuus vaporibus caput repleat, incommodáque alia adferat: vel interruptus cruditates, quo maximè vitio lucubrantes laborant, intempesta nocte, concubia videlicet, sese defatigantes. Non enim neque actuosum esse tempus id oportet, somno dicatum ac refocillandis ad obeundas agendasque deinde res meliùs spiritibus: neque contemplationi incumbendum tunc aut studijs magnopere, ob hoc ipsum inprimis, quòd, quo maximè tempore recreatos spiritus oportet, eo illorum maximè dissipationem moliri (hoc autem studia & intempestiua contemplatio faciunt) omnium pessimum habēdum sit; hocque ipso etiamnum tamen deterius id, quum post cœnam statim in multam deinde noctem lectio protrahitur, aut lectione nocentior scriptio: tum deinde etiam, quòd nullum afferri impedimentum concoctioni, quæ tum maximè quasi feruere debet, maius potest, quàm caloris tunc natiui actionem intercepisse, alioque veluti ab officij sui munere auocâsse: vt præpostero quodam ordine manè antelucano tempore, vel surgente etiam tum primùm Sole, quum nobis cum eo vnà surgendum quoque quasi, vigilandumque esset, tum demum, inquam, inuerso rerum ordine, quum ea ipsa rerum natura inuecta luce ceu facem præferens agendum faciendumque nobis esse moneat, peruigilio ad eam vsque horam defatigati somnum rebus nostris accersamus, & fugientem sæpe frustra captemus, nunquam autem capiamus.

Animi affectionibus non succumbere prorsus rectè philosophantem. In tenera maximè ætate introducendam esse consuetudinem. Disputatioq; de hac. Tum in quibus, & per quæ introduci ea solita sit.

CAPVT IIII.

IN tranquillo hoc quietoque viuendi genere, summaq; sedati animi pace, nihil sibi metuere debebit ab animi affectibus, qui præsertim disciplinas omnes gustauerit, & Encyclopædiam illam absoluerit, scientiasque omnes peruagatus, atq; in Philosophiæ demū magistræ præceptis quiescens, perceptos inde ab exculta tot tātorumq; Authorū lectione fructus reportârit eos, vti, (si modò Philosophū agerē non nomine tātùm & professione, atq; inani quadā doctrinæ opinione, sed reuera, vsuque, ac vita voluerit) aduersus ingruētes sæuiētis sæpe fortunæ casus oēs atq; ictus munitus instructusque satis, nec doliturus sit, plùs iusto, si quid sibi suisq; sinistri aut præter spē (vt humanitus multa eueniūt) cōtingat; nec cōtristari magnopere infortunijs, nec admodū exultare successibus, sed neq; in irā præceps nimiùm agi, neq; inuidia aut odio corripi, deniq; nulla ꝓrsus animi affectione eiusmodi, aut pestib' veriùs & excetris quibusdam, vrgeri vsque adeò possit: nimiū vt, ac supra modū omnino, vt inde angatur, & discruciatus afflictusq; torqueatur, animique passio illa corpus quoq; in consensum

secum

secum prætereà vnà quoque trahat. Quod nobis ad institutum hoc nostrũ futurum satis est, si nihil inde corporibus inferatur detrimenti, quod vnum hoc quidem in negotio quærimus. ἀπαθῆ prorsus nescio quem suum sibi habeât Stoici illũ. Nos homine contenti erimus peturbationibus nõ omnino impenetrabili, sed vt ex eo ne noceri valde illiusmet corpori queat; nec qui ingentia inde vulnera accipiat, & quæ acceperit, minimo ea negotio consanescant, antequàm ad corpus perueniant.

Atra tamen bile agi Studiosos interdum necesse est, quam ipsi sibi studijs suis, & cogitationibus assiduis; multi & solitudine quadam, hominum sæpe consortio deuitato, colligunt. Hæc enim cura ac solicitudo vna fermè quum illorum animos angat, altiùs infigitur, & detinet totos, tanto plerunque rerum aliarum omnium neglectu, interdum autem etiam contemptu, vt præ vno literarum studio, quod ipsi diuitias maximas, minimè quidem more hominum, & solatium ingens deputant, floccifacientes cætera, quæ alij tanti æstimant, delirare multis, atraque bile perciti in insaniam ferri sępe videantur. Itaque hæc illis vna esse cura debebit, ne hac nimiùm cura ac solicitudine teneantur, quæ in animum tam plerunque altè descendat, vt vitiosum reddat, atque extra hominum commercia ponat, propè dixerim, incommunicabilem factum, quo nihil ab humana vita alienius. Sed si tradita paulò antè de hoc diligenter custodita seruentur, sobriéque & adhibito omnibus semper moderamine cuncta fiant, nec periculum erit, vt vltrà quàm par sit progressa Studia insaniæ prætereà suspicionem inuehant: & doctrinæ atque eruditionis ad res omnes agendas, excolendúmque animum, satis afferet, qui moderamen adhibuerit, temporisque, & modi, & ordinis rationem habuerit. Neque enim tam nimia aut plùs æquo frequentata, quàm intempestiua, & inordinata studia eò adducunt, vt mente parumper commota quidam, & à communitate reliquorum auersi, prorsusque inconsociabiles videantur; interdum etiam in perniciem expletæ penitus melancholiæ agant, vt quos miserrimè, hanc vnam ob rem malè tractatam habitamque, ad id desipientiæ deuenisse scimus, vt inania, ac puerilia, vanitatisque plena omnia dicerent deinde semper, ac facerent. Quapropter & cauenda hæc, quibus diximus, rationibus, ne imprudenter incurrantur à nobis, errata; & quum primùm aliqua se manifestare affectionum harum quasi semina in animo cœperint, ea studio omni eruentur statim, & ne ferantur intereà alia cauebitur. Quorum vtrunque quum, qua fieri ratione debeat ac possit, explicatum suprà sit, ne repetamus hîc frustra. Dictum autem est, & pullulascentium nimis in corpore humorum quomodo inter initia exortus tollatur repurgatione, ciboque ac potu conuenienti, contráque suborientem succi prauitatem facturo reprimatur, victus denique ratione adhibita omni contemperetur: vt hoc quoque casu iucundissimis præter alia amicissimorum colloquijs, animi affectione atræ bilis ea obsessi sæpenumero molestiam discussisse visis, & mentis mitigâsse alienationem. Tum verò expositus occurrendi insurgentibus altiùs animi affectibus per consuetudinem maximè modus, vt quicquid iusserit ratio, assuetæ dicto ita audientes esse partes animæ, in quas affectus hi cadunt, facere minimè recusent, nec imperata detrectẽt. Tametsi autem obnoxia his vitijs, atræque inprimis bili, adultior maximè ætas sit: dicendum tamen de his hoc loco esse existimauimus. Quo, ne in teneriore ætate inolescant malorum semina, antè omnia admonemur; & quum alijs multis, tum consuetudinibus melioribus, vel succisa deleri prorsus, vel magna ex parte commodiùs, quàm ætate alia vlla, reprimi queant.

Porrò inuehi consuetudinem, dictum, moremq́; fieri & inolescere in tenera maximè ætate primùm: tum deinde toto hoc gemini Septennij, quod nunc tractamus, tempore ad vigesimumprimum vsque annum ita increbrescere posse, vt in habitum vix vnquam deinde exuendum abeant. Sic fieri, vt quibus initio moribus imbutus per id ętatis puer fuerit, bonis malis've, eos per insequentes deinceps omnes ad vltimum vsque vitæ totius finem sæpe secum permansuros deferat, nec vnquàm ex toto deponat. Proinde plurimum semper ad animi iuxtà ac corporis bona momenti in eo esse certum erit, quam quisque tenerioribus ætatibus illis à primo statim natali die per multũ deinde tẽporis consuetudinem introducat, pro natura deinde quadã toto vitæ vniuersæ curriculo futurã. Etenim si temperamentũ natura esse ipsa debet, prout demonstratũ accepimus à Medicorum summis; aut temperamentum certè naturam nobis facit: porrò autem diutina consuetudine temperamentum, præsertim verò ætate teneriore, quod volumus, induimus: naturam in eo induimus, modò affectum temperamentum id sit, non inchoatum tantùm; absolutũ, perfectumq́;, non quasi rude, numerisq́; suis defectũ; breuiter,

καθ᾽ ἕξιν

καθ' ἕξιν iam, non κατὰ σχέσιν ſit; in habitum
abierit, altiusque deſcenderit, non ſuper-
ficiem tantùm tinxerit. quanuis non aliter
intelligi conſuetudo poteſt, quàm diu-
turnus longiorisque temporis vſus. Sic ſa-
nè conſuetudo temperamentum, hoc na-
turam introducit, vel ipſum iam natura
eſt, vti de Medicorum maximorum iudi-
cio ſentimus.

Nec commune ſanè receptumque iam il-
lorum iudicium diſſentit, quos ſæpe audi-
mus,, Conſuetudinem alteram eſſe natu-
ram, pronuntiantes. veriſſimè: quando
ex conſuetudine temperamentum, ex quo
natura, vel quod potiùs natura ipſa eſt,
prodit: & qui naturam ſuam ſequutus, &
qui ex conſuetudine ſua facit, eadem ſem-
per faciat. Tamque miramur, præter con-
ſuetudinem factum ab aliquo aliquid,
quàm præter naturam: vti iam vtriuſque
eadem eſſe ratio, ac conditio in omnibus
videatur. Quo etiam modo natura iracun-
dum alium dicimus, conſuetudine alium:
atque ea quum diutiùs in eodem perſeue-
rârit, iam naturale illi hoc factum, abijſſe-
que in naturam frequentes aimus ex con-
ſuetudine, vel conſuetudinem potiùs na-
turam iam factam ipſam alteram quan-
dam, priore ſcilicet immutata natura alte-
ratáque, & temperamento, migrantéque
in aliam, ac iam tranſitu facto. Quod
quum factum eſt, nouáque iam atque alte-
ra natura introducta ex conſuetudine vi-
get: quæcunque ſecundùm hanc fiunt, ci-
tra noxam affectionemque aut paſſionem
omnia fiunt, quoniam natura, ſecundum-
que naturam ſiue naturaliter prorſus fi-
unt, & contingunt. Naturaliter autem
quæ facimus, congruè nobis, & conueni-
enter, prorſusque commenſuratè, nulla
interueniente contrarietate, facimus: id-
eoque nec timenda tunc quidem offenſio
inde noxáve vlla ſit. omnis enim à contra-
rio actio, paſſióque. Hinc emanauit, quod
maximorum quoque alioqui Authorum
dictum circunferimus: Aſſueta, conſueta-
que nobis paſſionem non inuehere, quo-
niam quidem neque natura inuehit. Eſt-
que id non in temperamenti ſolùm ratio-
ne, quæ natura noſtra habetur corporis,
(quãquam hîc maximè, atque ante omnia)
ita obſeruatum, vt cõſuetudine nouatum
temperamẽtum, naturaque, ab his, quibus
iam diu aſſueuerit, propter quam modò
diximus cauſam, naturæ & conſuetudinis
eandem, detrimentum nõ accipiat: verùm
in his etiã, quæ, temperamentũ licèt ſequã-
tur, huic tamen ipſi repugnare aliquando
poſſunt, alijsque, quorum aliena penitus à
temperamento ratio. Vt quũ animorũ affe-
ctus, moresq;, quos affectus ipſi edũt, tem-
peramentũ corporis ſequi conſuêſſe ſcia-
mus: ſi quis tamẽ fortè minimè bilioſæ na-
turæ, aut temperamẽti, iraſcẽdi conſuetu-
dinẽ faciat; aut ſanguineæ aliquis tẽpera-
turæ, naturaq; hilaris admodũ atq; alacer,
aduerſis, vt ſæpe fit, rebus affligatur, aut in-
gruentibus ſæpiùs cauſis cõtriſtetur: neu-
ter tantum accepturus incõmodi ſit ex eo,
quantum qui tũ primùm omniũ in iſta in-
currerit. Seneſque, & inualidi multi, (niſi
fruſtra hoc ipſum nos doceat Hippocra-
tes, quod nihilo ſeciùs experiẽtia cõproba-
tum quotidiana ꝓpè videmus) laboribus
antea aſſueti, faciliùs hos ipſos tulerint iu-
uenibus, ac validioribus alijs deſuetis. Et
æſtuoſi caloris, gelãtisq; frigoris, lõgè pati-
entiores ſunt experti antea, hisq; aliquo-
ties expoſiti, ac ſub dio aſſiduè degentes,
quàm latitãtes ſępiùs domi οἰκόσιτοι quidã,
ſi tum primùm foras in lucẽ prodeant. In
quibus omnibus, alijsq; pręterea eiuſdẽ hu-
ius rationis nõnullis, abſq; tẽperamenti in-
nouatione, factaq; in aliud prorſus immu-
tatione, ſola atque vna acquiſititia natura
inuecta fuiſſe quędam videri poſſit, cuius
cauſa cuncta, quorũ meminimus, eueniãt.

Verùm enimuerò hîc quoq; non minùs
inſpiciẽti rectè, remq; expẽdenti ipſam, tã-
etſi nõ tam, vt ex cibo fortaſſe, & potu, aut
frictionibus, aut balneo, & huiuſmodi, im-
mutari, atq; alterari penitus, neq; tã breui
corpus ipſum appareat: mutari tandẽ ta-
mẽ, aliudq; in totũ fieri, atq; alteratũ inno-
uari apparet: vt nõ minùs in his, quàm in
alijs illis, tẽperamenti ratio appareat ex cõ-
ſuetudine immutati, alteriusq; iam factæ
propterea naturæ. Nã & animorũ paſſio-
nes, curęque, ac ſolicitudines, ſiccatũ ſæpe
corpus macerâſſe viſæ: quippe μελεδῶναι, &
ſpirituũ multorũ diſſolutione, quã abun-
dè triſtibus ſemper nimijsq; cogitationi-
bus inuehũt, calore ſuo deſtitutũ frigefa-
ciũt, ſiccatũq; ita & frigefactũ, contrarij li-
cet priùs, melãcholici tandẽ temperamenti
ac naturæ cõſtituũt. Iracũdia itidẽ & excã-
deſcẽtia, quibus efferueſcens ſæpe ſanguis
ebullit, calorẽ cũ ſiccitate mẽbris tandẽ ad-
det. deq; alijs affectibus ſimilia pro cuiuſq;
natura ſemper & efficiẽtia expectãda. Ex-
ercendi verò laboribus, lõgaq; ac diuturna
conſuetudine durantur partes, duratæque
vnà ſiccãtur, vt præter duritiæ conſtituti-
onẽ temperamenti nõ minùs ſiccitatem ac-
cipiãt, atq; induãt, proinde & naturã, qua
æquè laborũ defatigationibus reſiſtãt. Et
quãuis frigore dẽſetur ſæpe cutis, eoq; cõ-
dẽſata ita minùs externis cauſis, ſiue eæ fri-
goris, ſiue caloris, ſiue verò alterius eiuſ-
modi futuræ generis ſint, opportuna
eſſe reperiatur, iuuetur que omnino den-
ſior facta: at non ob hoc tamen, neque
denſita-

densitatis ratione ipsius, naturam aut temperamentum, vel consuetudinem etiam contrahet, qua repugnare causis queat. Sed si longioris temporis mora, ac diuturna consuetudine, vel frigoribus, vel caloribus consueuerit, consuefactáque his in naturam atque habitum verterit: in eo demum consuetudo spectabitur, & ex natura, & consuetudine fieri arbitrabimur, dicemúsque, vt ne multum quis à calore vel frigore extrinsecus occurrentibus affectus patiatur. Quamobrem & separatum vtriusque beneficium est, caloris per se, ac frigoris, consuetudine introductum, quo suo vtrobique congenere non valde afficiuntur partes, calori assuetæ hoc ipsum facilè ferentes; frigori item hoc rursum. Densitatis ratio ambobus his resistit, quasi non intromissis causis; minimè verò consuetudine, naturáve. Vnde sanè densitas, eodémque modo raritas, (neque enim diuersa ratio est) multo minore temporis spatio, minoréque introduci, auferríque, quàm caloris aut frigoris consuetudo, aut temperamentum, negotio potest: vt vel hoc vnum diuersum facere possit, atque à natura hæc & consuetudine aliud: affirmaréque ideo constanter in vniuersum liceat, Consuetudinem acquisititiam, & aduentitiam, de qua nunc sermo est, illam, in naturam iam habitúmque conuersam, non alibi quàm in temperamenti ratione versari, & temperamentum esse, causis multis in vnum sæpe conuenientibus: cibi quidem ac potus, ambientisque nos aëris opera inprimis; tum exercitationibus quoque, & exercitationem antecedentibus vel sequentibus alijs; somnóque ad hæc, & vigilijs; retentisque, aut egestis excrementis; postremò, animorum quoque, vt docuimus, & apertum satis iam est, affectibus.

Quæ partes animæ consuetudinibus, nouandoq́; inde temperamento, opportunæ magis sint. Et vt morum diuersitas modò ortum ex consuetudine temperamentum, modò absque temperamento consuetudinem solam sequatur.

CAPVT V.



ATq; ideo causarũ hoc genus omniũ efficiétiam, vt in more & consuetudine ponantur, ac aduentitia quãuis, natura tamen inde fiat, faciliùs semper sentient, recipiéntque, ac diutiùs retinebunt, animæ partes temperamento magis quæ nituntur, & inter ætates tenerior, quo molliore ea temperamento, proinde imprimi etiam faciliore est. Itaque indui habitum bonũ, malúmve, promptiùs ac citiùs, atque eundem seriùs reponi videmus ex concupiscibili facultate: tum ex irascibili, quam irritabilem etiam dicimus: postremò in principali magis, quæ sentiendi, voluntatisque, & ratiocinandi munia edit. Fieri quidem gulosos breui, luxúque deditos quosdã, & huiusmodi cupiditatibus inordinatè agi experimur: eosdem, si paulisper in eo perseuerârint, reuocari in rectam viam difficiliùs posse. Iratum aut furiosum placâris citiùs, & placando crebrò morem & consuetudinem irascendi exueris. Neque stomachus enim, neque iecur aures habet: cor habet. Et biiugum equorum, qui rationis ductum sequi debent, alter monitus, atque aurigæ vocem facilè audit, candidus; alter ne verberibus quidem & flagro adigi sæpe, quò rector vult, potest, ater, obrigidáque ceruice. hunc concupiscentiæ rectè assimilaueris: animositati illum.

In principaliori parte, quæ rationis est, minùs hæc, *minúsque adhuc in mente apparent.* Quo quidem longiùs à temperamenti rationibus semota harum officia habentur, temperamentum illa quidem quoque sequuta, verùm altiùs se interdum, supraque terrena omnia attollentia, proinde nec magnopere interdum his ipsis addicta consuetudinem ac morem faciẽdi aliquid inuehunt: sed ab ea, ex qua naturam nouari, temperamentúmque diuersum fieri diximus, aliam. Cuius exemplum, quod ad corporis constitutionem attinet, in densitate posuimus, & cutis raritate: animi ponere possumus, mores legesque, quibus ab ineunte ætate assueuimus, institutáque, & viuendi receptum primò seruatúmque ad vltimum à diuersissimorum sæpe temperamentorum hominibus, quem communis aliquis vsus inuexerit, morem. A cuius quidem consideratione longiùs iam abest hoc loco oratio nostra, contenta consuetudinum genus id morúmque tractare nunc, quæ naturam habitúmque faciat aduentitium, ex innouato temperamento; vel paulatim naturę temperamentóque inoleuerint priori alicui, sibique conuenienti: vtpote quibus teneriores anni ad vigesimi vsq; primi tempus per totũ Septenarium annorum triplicatum numerum imbuuntur, animi iuxtà ac corporis, laudatum æquè ac illaudatum temperamentum, moresque facturis ex temperamento, vt meliora tamen semper præferamus, adeoq; in hæc ipsa vertamus deteriora. Quod quũ in his vel cũ maximè ætatib⁹, vt narrauimus, fiat; quũq; fit, ad mortẽ vsque, nisi occurratur, comitetur sępe, seu benè factũ, seu malè fuerit: paulò diutiùs his immorari ope-

ri operæpretium viſum fuit, ne quid inenarratum omitteretur eorum, quæ neceſſariò dicenda erant. quoniam non neceſſariorum, ſed quæ venire tamen in diſputationem non ineptè prorſus huc potuiſſent, reliqua facta multa ſunt.

Atque hoc pacto atque his rationibus inſtituendus, informandúsque corpore pariter atque animo recèns natus infans, puer, adoleſcēs. Animo autem ſic, vt huius bona noſtro hoc in negotio, quanuis non neſciamus optanda omnium maximè ab omnibus per ſe, atque inprimis eſſe, ad bona tamen corporis referantur ſemper, huicque ipſi profutura recipiantur, abijciantur nocitura, idque primo quoque tempore fiat: & rectam ingreſſum viam, quem inſtituendum ſuſceperimus, pergere ſinamus, monitiſque ac blandis ſæpe adhortationibus perſequamur: ſin à recta deflexiſſe videbitur, ferrique eum in præceps periculum ſit; reuocabimus quamprimùm modis omnibus, ne corporibus videlicet, quibus prouiſum hìc inprimis volumus, nocumentum inde proueniat.

Tametſi noſter is, ſi naturæ ſuæ tantùm dictata ſequatur, non ſanè valde neque in his, quæ ad corpus, neque ad animum quæ pertineāt, aberraturus ſit, aut magnopere præeunte aliquo opus habiturus, qui viam monſtret: ſed qui potiùs, ne in diuerticula tranſuerſus vento infortunij aliquo rapiatur, néve extra viam alterius imprudentia, aut etiam impudentia, vel malitia, vel ignorantia feratur, diligenter prouideat. Feruntur autem cùm alijs multis offendiculis, quæ facile per eam ætatem incurrere eſt; tum omnium certè maximè ac ſæpiſſimè malarum ſocietatum cōmercio. Quod creberrimè conſortium viſum eſt & corpus, & animum optimorum, optimæque indolis, quorúmque magna concitata eſſet apud bonos omnes expectatio, adoleſcentum perdidiſſe, ſic vt in viam nunquam deinde redierint; ſeu proximorum incuria, ſiue etiam vſque adeò plerunque actis altè atque in profundum malitiæ omnis ac vitiorum radicibus, vt nullo euelli poſſe pacto videri potuerint. Cæterùm non parcendum labori in his vlli, in quibus totius beatè, an ſecus, degendæ vitæ ad exodium vſque, vt ita dicam, conditionis noſtræ verſatur cardo. Nec, ſi quidem cunctæ ſedulò admotæ machinæ, & artificij ratio omnis adhibita fuerit, non expugnatum tandem iri ſpes certa erit, intimiùs quanuis & penitiùs adacta vitia, quæcunq; redundatura in corporis detrimentum eſſe videbuntur, prauáque aliqua conſuetudo introduxerit, inque naturam iam verterit. De huiuſmodi enim tantùm, ſicuti ſæpe iam monuimus, hac operis in parte agimus.

De Conſuetudinis mutatione vt ſenſim ea, ac pedetentim peragenda ſemper ſit. Et quæ facilè, quæ immutari difficulter poßit. Atque vt in mutationis interdum medio quieſcendum.

CAPVT VI.



Vod tamen paulatim ſemper, atque etiam faciēdum minutatim eſt. In quo ſummos Reip. totius literariæ ceu Triumuiros habemus, Hippocratē, Platonem, Ariſtotelem, qui idem nobis perſuadeant, & rationibus, vt faciamus, cogant; ſubſcriptorémque horum Galenū luculentiſſimū omnium. Nam & Hippocratem nouimus, quantum conſuetudini tribuat, vt cum natura aliquando in eodem collocet. Febricitantibus, inquit, (Aphor. j.) humida victus ratio conuenit: ſed pueris ante omnia, & his, qui tali vti victu conſueuerint. Atq; idem repentinas, improuiſasque conſuetudinum mutationes damnet: (Aphor. iij.) πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, ait, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον καὶ ἄλλως ἢν ἐξ ἑτέρου μεταβαίνῃ εἰς ἕτερον. alibique non ſemel idem. Sed & alicubi (De rat. vic. acut. ij.) ab eodem de prandij & cœnæ priuatim, quod exempli tantùm cauſa affertur, mutatione docemur, quàm lędat, ſi inconſideratè fiat: tum, quæ præterea ſeruanda nobis in eo ſit ratio, monemur.

Et Platonem legimus (De legib. vij.) in vniuerſum conſuetudinum immutationem, niſi prauarum, damnâſſe, tam quæ corpus, quàm quæ mentem tangunt: coactúmque aliqua tandem de cauſa aliquem mutare victus, exempli gratia, rationem ſui, non id abſque quòd morbi noxæque aliquid initio ſtatim incurrat facturum, (quod Hippocrates priùs dixerat) redireque interdum ad priſtinum viuendi morem coactum iri. In quo quum vertendas in melius prauas eſſe conſuetudines cenſeat, mutationem autem periculoſam affirmet quamcunque, improuiſam intelligemus: paulatim ſenſimque factam, neceſſariò minimè culpandam habebimus. Porrò introduci hoc maximè modo conſuetudinem, longiſſimè deinde duraturam, puerorum exemplo docet. Qui, quæ ætate illa vel per ludum, iocúmque faciunt, aut dicunt; ea ſenſim corpori mentique inuecta, moribus deinde vtique, mala bonáve, obfutura vel profutura, retineant; adeoq; viri facti eadem ſemper dictis factiſque referant, quibus principio imbuti, eò ætatis perue-

peruenerint. Id quod maximum fuit Aristoteli quandoque (Metaphyſ. ij.) argumentum, quanta eſſet conſuetudinis vis, demonſtranti: qui, quibus quiſque legibus innutritus fuerit, quanuis fabuloſa plerunque & puerilia quædam contineant, neque ignoretur hoc, inepta & ridicula eſſe; vincere tamen conſuetudinem dixerit, vt vera exiſtimet, pareátque. hoc enim innuere mihi videtur, qui ita ſcripſerit: ἡλίκην δὲ ἰσχὺν ἔχει τὸ σύνηθες, οἱ νόμοι δηλοῦσιν, ἐν οἷς τὰ μυθώδη, καὶ παιδαριώδη μεῖζον ἰσχύει τοῦ γινώσκειν περὶ αὐτῶν, διὰ τὸ ἔθος.

At idem non ſemel alibi Philoſophus maximam eſſe vim conſuetudinis ſcripſit, vt quam in naturam iam migrâſſe dicat, ἦ μέγα μέντοι καὶ τὸ ἔθος ἐστὶν ἑκάστοις, φύσις γὰρ ἤδη γίνεται. alibi, ex Eueni Poëtæ ſententia, perquàm naturæ ſimilem faciat: qui tamen ita cecinerit, vt non ſimilem, ſed ipſam iam naturam, ſi procedens perſeueransque finiat, eſſe intelligeremus. Φημὶ πολυχρόνιον μελέτην ἔμμεναι φίλε, καὶ δὴ ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι. Perfectam inquit, & abſolutam, tandem naturam eſſe, aut in naturam demum deſinere, non inchoatam ſolummodo. nam ea paulò longiùs progreſſa ſimilis fortaſſe naturæ ſit, vt expleta natura iam, æquè ac hæc ipſa mutatu difficilis, & mutabilis tandem tamen: prior autem quo ab abſoluto conſuetudinis fine aberit longiùs, eò ſemper mutationibus quoque promptiùs, ac faciliùs ceſſerit. Sicque colligere ex hoc liceat, quam mutatam conſuetudinem in melius velimus, eam, vt haud valde magno negotio immutemus, anteuertendam diligentia omni eſſe, priuſquàm impoſito fine velut callum obducat, cui demendo, conſuetudinique vnà ſicuti & naturæ tollendæ, pluri & tempore & labore futurum opus ſit. Idque ſenſim ſemper minutimque faciendum, vt magna atque ingentia quæque faciliùs demoliemur, non ſi totis ſtatim viribus aggrediamnr, ne fruſtra impetúque vno effuſis ſubſiſtere cogamur fatiſcentes: meliùs tutiúsque paulatim de toto dememus, & parua aſſiduè tollendo ad ſummam tandem proficiemus auferendam, ſummum rerum omnium opificem imitati, qui iuxta Xenophontem (nam & hunc ſubſcriptorem habemus rerum harum) paulatim ſemper progreſſum in contraria, perque tanquam gradus quoſdam, mediarúmque naturarum interuentu, peragi iuſſerit. ἡ γὰρ κατὰ μικρὰ μετάλλαξις πᾶσαν ποιεῖ φύσιν ὑποφέρειν τὰς μεταβολάς. Sic quidem nunquam excipit æſtatem hyems, neque hyemem æſtas: ſed à ſummis caloribus ad ingentia frigora, interiecto autumno; rurſusque ab hyeme in æſtatem, intermedio Vere, vicino vtriſque & in neutro excellente, proceditur: tractimque ita potiùs, minimè verò ſaltuatim proceſſus in multis inſtitutus naturę conſiderantibus apparebit.

Quo quaſi edocemur, vt, quemadmodum ab ipſa rectè atque ex ordine agitur; non ſecus à nobis quoque, ſi modo ritè eam operatam proponere nobis, cuius ductum ſequamur, debemus, ſemper agendum eſſe arbitremur. Neu illam pedetentim ſolitam in diuerſa progredi violéter cogamus ac præcipitanter tranſilire, maximè verò quoties ad oppoſita traducenda conſuetudo fuerit, iam in naturam tandem quæ diſceſſerit: ne videlicet, quo fortè tempore tranſitus à natura vna in aliam more & legibus maximè naturæ faciendus fuerit, tunc maximè in naturaliter, præterque naturæ rectè operatæ conſuetudinem, faciamus, properatò nimis ac feſtinatò agentes: vel quum prauum morem, malámve conſuetudinem aliquam, aut aliquam ob cauſam, quæ plures interdum ſeſe offerunt, commutare temperamentum, naturámque in contrariam, rebus noſtris ſanitatique tuendæ commodiorem, ſtatuerimus; deinde præproperè nimis quaſi totum ſemel perfecturi aggrediamur, irrito plerunque ſucceſſu, quin eo interdum, vt prolapſu in morbos certo, reditio ſtatim ad priora neceſſaria futura ſit. Quod multis quotidie euenire videmus, ac Dionyſio olim Siciliæ Tyranno accidiſſe Hiſtoriæ referunt. Tametſi huic illud, non vt prauam luxurioſè viuendi conſuetudinem meliore permutaret, nec voluntate, ſed neceſſitate contigerit. ſed perinde eſt. Is igitur quum obſideretur, & à ſolito deſiſtendum ſibi eſſe potu protinus, ſic exigentibus tunc rebus, autumâſſet, feciſſetque temporis ſpatio aliquo: tabifico quamprimùm morbo corripi cœptus eſt, nec antè laborare deſijt, quàm ad priſtinum potandi morem, ebrietatémque redijſſet: non ita laboraturus, ſi paulatim id ſenſimque faciendum ſibi eſſe propoſuiſſet, feciſſetque. Vſque adeò magna res eſt Conſuetudo, vt illaudata quanuis, & malorum morum, imò naturali conditioni aduerſa, ac communibus ſæpe viuendi legibus repugnans, ſeruari tamen velit; vel violenter certè, aut properatione nimia tolli auferrique nolit. meritò. Quippe quæ ſenſim increbuit, & paulatim inoleuit; ſenſim quoque, & paulatim deſinenda eſt. Atque eadem ratione, ſi quis fortè, etiam vt vetus abijciendus ſit nullus, ineundus erit nouus mos, nouáque aliqua introducenda con-

suetudo, vel quæ corpus statim attingat ipsum, vel quæ ab animo in corpus finiens migret: vt si exercitationem moliatur aliquis, quod antea non fecerit; vel futura necessaria iracundia, exempli causa, pituitoso fortè humori consumendo visa fuerit: idem faciendum, transeundúmque ad ea pedetentim semper, & quod Græci dicunt κατὰ μικρὸν, Hippocrates aliquando (Epidem. vj.) ἐκ προσαγωγῆς dixit. ἐκ προσαγωγῆς, inquit, τἀναντία προσάγειν, καὶ διαναπαύειν, quasi qui ex accessionibus multis sensim crescentibus cuncta hæc agenda nobis esse suadeat: sic quidem, vt anteactæ vitæ consuetudinem quampiam, si deponenda esse videbitur, sensim eam paulatimque deponamus: & quum contrariam huic sumendam esse iudicârimus, pedetentim itidem sensimque facto pluribus vicibus incremento, non repentè, neque affatim, vt ita dicam, peragamus, atque etiam quiescamus in medio sæpe. Eodem nanque accipi sensu τὸ διαναπαύειν Hippocraticum illud potest.

Atque ita si ab summo otio, exempli causa, transeundum nobis ad grauiores, vehementiorésque exercitationes fuerit; non ab otiosa modò vita sensim ac pedetentim desistamus, contrariámque huic negotiosam, & exercitationibus irrequietam eadem ratione sumamus: sed vtriusque etiam in medio sistendum nobis sit paulisper, priusquàm in contrarium progrediamur.

De corrigenda in tenera potissimùm ætate consuetudine mala, & abolendis vitijs. Quáque id faciendum ratione sit. Tum, cur de Venereis nulla hactenus ætatibus his facta mentio fuerit.

CAPVT VII.



SEcundùm has regulas, optimæ temperaturæ ac constitutionis puellum à primo statim natali die, ne quà à recta via deflectat, cauebimus: lapsum fortè erigemus studiosè, vel erigentem se, quum ea ætate fuerit, vt præstare id possit, subleuatum adiutabimus: progressum longiùs in errore, deuijsque maximè a recto itinere aberrationibus propè iam in præcipitia delatum, reuocabimus in viam, & temperaturæ suæ laudatissimæ restituemus, qua modò attulimus ratione, sensim nempe, ac paulatim.

Quoniam tam longa aberratio transmitti facilè tutóque saltu vno haud potest: tractim potiùs, ac pedetentim, prorsusque recessim conficienda reditio in viam erit, & temperatura, naturáque prior restituenda. Idque per ea omnia, quorum scriptis antè libris materiam peragendis his idoneam proposuimus, tentandum: circumambientis nos aëris vsum illius, aut illius, quem commodum rebus nostris futurum sperârimus; exercitationum diuersarum formulam; cibatus ac potionis delectum; captatum variè somnum, ac vigilias; excrementorum deiectionem, suppressionémve; animi denique affectuum rationem omnem, quicunque corpus quoque vnà afficere possint, diligenter inprimis seruatam. Quæ singulatim explicanda hoc loco minimè esse reor: peti de scripto ex superioribus semper possunt.

Rerum Venerearum hactenus mentio à nobis nulla: propterea quòd, cuius ad sanitatis tuitionem vsus toto hoc tempore, quod vnius & viginti annorum est, instituendo informandóque corporis iuxtà atque animi dotibus puero susceptum, esse reperiretur nullus, ne vllam quidem eius faciendam mentionem esse duximus. Prohibendam ætatem eam à Veneris vsu esse omnem, ratio multa suadet, præterquàm quòd consentire in eo omnes, quorumcunque tribuendum aliquid authoritati sit, inuenio: eáque inprimis, quòd voluptatis illecebrosæ nimis blanditijs allecta, totáque in illam effusa, mentis & corporis viribus destituitur ætas, eneruisque redditur Veneris blanditijs quasi delibuta. Atque ita & diflabile mollitie nimia corpus, Venereorum vsu etiamnum diflabitur magis, frigefiétque ante tempus, & siccabitur: exhalatóque alimento, aut aliorsum auerso, incrementi iusti detrimentum sentiet: simul & mentis perturbatio inuehetur, aperta cogitationibus via inanibus semper & futilibus, quibus sæpe distractus animus, festinata nimis, adeóque intempestiua consuetudine, tenerioris ætatis vitium in reliquas ętates omnes, maximo atque incomparabili damno, transmittit, & lasciuiæ, profligatæque interdum libidini deditos detentósque perpetuò facit.

Non ignoro, quæ suprà tradita à nobis de Consuetudinibus fuêre, ea videri fortasse alicui posse alio meliùs tradenda loco reseruari debuisse, vt quum de mutandis temperaturis agetur. Verùm nos, quòd his potissimùm atque inprimis ætatibus, quas hactenus tractauimus, ob teneram & imbui omnibus facilem naturam, institutio atque informatio mentis æquè ac corporis, ad quod quisque sese applicare statuerit

fuerit vitæ genus, peragenda diligentissimè est, quod consuetudine & moribus, à teneris præsertim annis introductis, optimè assequimur: nostérque is optimam per omnia naturam nactus, quoniã ad omnia pariter accommodaturus actiones suas aptè ac concinnè sit, custodiri in eadem à natali extemplo die, quod facilè tenerrimę ætatis beneficio vsi possumus, necubi erretur, debebit; tum verò, sicubi erratum in eo est, & praui cœpti mores indui, nouáque inolescens consuetudo inuehi mala, toto ea primóque maximè Septennij tertij tempore conuerti in melius ac veluti ad frugem traduci commodè satis potest, aut nunquam deinde aliâs factu id in posterum facile reperietur: iccirco de Consuetudine hîc, eiúsque conseruatione simul, & ad potiora interdum immutatione, operæpretium arbitrati sumus esse, vt pauca hæc non omnino extra rem (vt quidem dictis de causis credimus) traderentur.

Insequentium Septenniorum quatuor explicata ritè tractandorum ratio per ambientis aëris modum, per frictionum formulam, Exercitationum qualitatem, quantitatem, ac opportunitatem.

CAPVT VIII.

SEptẽnia abhinc quatuor ritè ordinéque suo quomodo tractanda sint, docebimus: duo priora iuuentę, quartũ, quintúmque: consistentis iam ætatis reliqua duo, sextum, ac septimum. Quæ pertractari vnà possunt, ac debent omnia. Nanque vna propè erit omnium per vniuersam totius victus rationis formulam ducenda ratio. Nisi quòd quarti Septennij dimidium prius, tertio ob adolescendi adhuc annos, qui vigesimumquintum ferè attingunt, continuatum, eundem cum prioribus exposcere videtur tractationis modum: ita tamen, vt, quod cuncta fermè in medio duorum posita solent, etiam insequentes respiciens, quos tanquam copula simul coniungit, annos, horum meritò quoque totius victus, rerúmque eodem pertinentium omnium, formulam subeat. Suscipiet igitur hoc loco Artificis Salutaris studium iuuentutis iam annos ingressum, virúmque iam factum, optimæ & temperaturæ & constitutionis vniuersæ aliquem, ad omnia, quæ peragere deinde in vita habeat, corpore atque animo instructum, informatúmque: sed conditionis semper suæ retinentem, quam laudato inprimis & temperamento, & corporis totius constitutione, ac structura esse debere prædiximus. Proinde nec ineptè, quæcunque tandem offerentur, vitæ munia obire, & quodcunque viuendi institutum ingredi non incommodè, inque eo persistere, cui præsertim à teneris assueuerit, posse par est eum, qui præditus illa fuerit.

Hunc huiuscemodi, ita factum, itaque institutum, sicuti in medio iam ferè totius viuendi decursus positum, (medium accipio, quòd Septennia, quæ narrauimus, quatuor occupans impleat) rerúmque aliarum, quæ corporis atque animi essentiam constituunt, medium obtinentem: ita per media semper omnia ducemus. Quæ optima & certissima habenda vbique est in suo vnumquemque statu conseruandi ratio: quando verissimum illud esse experimur, Similia nempe similibus conseruari, vt contraria contrarijs tolli. Porrò conseruandam in vnaquaque ætate optimam ætatis illius temperaturam simul & corporaturam esse, ambigere nemo debet: sicuti nec, mediam hanc omnium esse in omnibus, dubitauerit quisquam. Sic fiet, vt necessariò ineunda sit nobis, quam pergere assiduè per mediũ insistamus, via. Et hactenus quidem ad quarti vsque Septennij dimidium progressis, quod ad caloris calefaciendi've rationem attinet, idem perpetuò seruatus fuit nobis caloris modus, seruandúsque posthac per iuuentam, consistentémque totam, ad inclinantem vsque ætatem, fuerit: humoris, humefaciendi've ratio alia. Anteacta enim ætas ad adolescentiæ vsque extrema, & iuuentutis initia, cùm humidioris ætatis ratione, tum ne incrementi subtraheretur materia augescenti, toto eo tempore corpori humidiorem meritò victus rationem poposcit: instituendáque huiusmodi ea fuit à principio, sic quidem, vt humida tamen semper minùs minusque euaderet. At nunc medium quoque quærendum, tenendumque, quæ humectant, quæque exiccant, inter.

Huiuscemodi igitur primùm quærendus vbique aër pro anni temporis ratione, qui poterit maximè medius. id quod Vere, & Autumno haud ita factu difficile, Veréque inprimis; maximè autem in temperata, vel non multùm ab hac discedente in excessum insignem aliquem, regione. Autumni verò vitari inæqualitas, quoad eius fieri poterit, vitatis eiusdem diei frigore aut calore, debebit, vt per id tempus, nimijs, quod matutinum ferè est frigoris, aut duarum circiter à meridie horarum caloris. Aestate loca perquirenda alsiosa: Hyeme, quæ teporem referant, & tempera-

menti aliquid faciat. quod quidem à multo maxima hominum parte fit, quæsitis vbique aut naturaliter ita se habentibus locis, aut arte factis. At sic tamen, vt seruetur intereà anni temporum non prorsus alia facta natura, quam immutare ex toto nec possumus, nec, si possumus, debemus: ne videlicet pereant nobis temporum vicissitudines hæ tam rebus omnibus necessariæ. Temperamentum ex his petimus, quo temperatum humanum corpus fruatur: non abolitam penitus naturam cupimus, tam non producendis modò conseruandisque frugibus, terræque fructibus omnibus opportunam, variè per frigora, & calores traductam, sed animalium quoque corporibus omnibus vtilissimam. Sentiat is noster æstatem volumus atque hyemem, id vnum soliciti, ne caloris, aut frigoris nimij excessibus de statu suo, quem fortitus optimum est, deturbetur. Itaque de alijs naturis alia ratio: quæ quomodo tractandæ per anni tempora sint, posteà dicetur. Huic, quam nunc tractamus, pro temporum ratione, ne excessu agatur nimio vllo, quærendum temperamenti aliquid ex ambiente. Quod per Aestatem ex locis paulò magis algentibus natura, artéve, introducta frigidiore, aut captata gratissima sæpe secus aquarum decursus, aut ex editioribus locis aura aliqua; aut stratis vitium, salicisque, alteriúsve alicuius frigidioris natura arboris folijs; aut aceti cum rosacea aqua aspergine; aut crebriore aquæ alioqui irrigatione; aut huiusmodi aliquo assequemur. Per Hyemem luculento camino iniurias facilè frigoris vitamus, vel modicè quoque excalfactis hypocaustis. Qui ferè humidior calor est, ac, si paulò magis excalescat, vaporosus, eóque humefacientis plus retinens, quàm camini calor: vt, nisi modicè, quod monuimus, fiat, repleturus caput sit vaporibus, calidi præsertim atque humidi temperamenti in corpore, à quo sanè non longè abest in medio omnium positum, de quo nunc agimus. Quocirca hoc caloris genere hyemalis vtique intemperaturę frigorificę retunditur vis: humefaciendi verò remanet, & quidem, nisi modus omnino calori adhibeatur, noxæ semper aliquid allatura.

Ex eadem formula petenda exercitationis ratio, atque ante hanc frictionis, qualitate quidem mediocris, temporis autem quantitate pauca. quoniam mediocris hîc, nempe quantitate, carne replere solet, quod nolumus: pauca verò mediocris opus præstat, quippe nec aucto, nec imminuto corpore.

At exercitatio in omnibus, quæ medium omnium aliarum obtineat, seruanda: & neque vehemens, neque remissa nimis, nec robusta, nec imbecillis haberi possit: & qua tamen corporis partes, aut omnes, aut plures exerceantur. Multa esse huiusce-modi possunt per se primùm talia; multa extremum alioqui occupantia, quæ moderamine tamen adhibito constitui in medio queant: pilæ paruæ, follisque lusus; ascensus, descensúsque montium; armorum exercitatio multiplex, per iustæ sæpe pugnæ simulachra, vniusque aut plurium etiam inter se congressu modicè peragenda; inferendique, aut vitandi, declinandique corpore ictus ratio; deambulatio paulò citatior, longiórque, vt iustæ debitæque ætati huic, & temperamento, hoc est, mediocris modum mensuramq; exercitationis impleat, quò quum peruenerit, subsistat. Sed hæc exempli tantùm causa allata esse velim. nam ex tractatu de Exercitationibus antea scripto deligere sibi vnusquisque possit, quæ conuenire magis videbuntur. idque semel hîc dictum intelligi in omnibus volo, quæ pòst dicentur, quorumque exposita iam priùs materia est omnis, vnde sumi delectus possit in medio omnibus positus. Nunc non materiam rerum harum tradimus: sed vtendi modum, tempusque opportunum, & mensuram, (quoniam propè in eo negotium est, vt veluti singula singulis applicentur) in re præsenti atque in actu ipso aperimus. Et exercitationum quidem modus, mensuraque ætati huic congruens, qualis esse deberet, dictum.

Exercendi autem opportunitas tunc maximè, quum, cuius gratia institutum exercitium fuit, vsus inprimis apparet, arripienda semper est. Id erit, quoniam duo præcipuè numerantur, alij licèt multi sequantur, vsus, Excrementorum omnium euacuatio, & solidarum partium robur, quo primùm tempore hæc peragi commodè posse videbuntur. Peragentur autem, apertis meatibus omnibus, per quos iter excrementis sit. Quod exercitatio præstat excitato calore: roboris autem addetur membris plurimum attritu multo inter se duratis. Qua duritia cùm edendis actionibus suis valida robustaq; fiunt, tum noxis omnibus fortiter resistunt. At intereà caloris excitatione vehementioris innati, spirituumque commotione validiore, aguntur feruntúrque per corpus omnia, cũ discrimine semper, ne, si incocti in ventriculo aliquid, vicinisque circùm partibus, aut primis venis contineatur, in molem corporis concitati caloris vehementia abreptum deducatur, cruditatibusq; illam, succorumque ita prauitate repleat: tantum aberit, vt commodè ac conuenienter alat.

Hoc

Hoc confecti rectè priùs in ventriculo, tum & exquisitè sanguificati iam iamque in corporis habitum distribuendi alimenti, iustum esse debere inchoandæ exercitationis tempus, vincit ratio: quod dictis periculis vacat omne; simul & aliud anteuertit non minus, quod est augendæ croceæ bilis nimiùm, si temporis commoditas ea neglecta prætereatur, & tertia quoque iam peracta concoctione, non solùm prioribus duabus, quas modò retulimus, exerceat se quisquam. augescet enim calor concitatior inde, siccescentq; plùs iusto membra, bilisque luteæ illius copiam gignent, atque ad extremum fatiscent. Captandum igitur tempus ante cibum quidem illud, sic enim cõsulit Hippocrates, Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν. at non à prioris tamen cibi assumptione statim, verùm quum hesternus, priorque confectus, in sanguinem conuersus nutriturus mox corpus sit, vt crudiorum succorum caueatur in habitudinem totam translatio: neque rursus post hoc moremur diu, vt flauæ bilis generandæ simul & exarescentiæ nimiæ suspicio vitetur. consiliumque in hoc quoque Authoris eiusdem sequamur, qui ita scribat: (Ahoris. ij.) ὅκου λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν.

Quomodo accipiendum Hippocraticum illud sit: Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν. Atque vt, si non exercitatione, at deambulatiunculis post cibum vti liceat. Nec valere argumenta, exercitationem etiam suadentium. Tum quousque protrahenda exercitatio sit.

CAPVT IX.

NEque discorditer tamen in diuersa ferri sententias hasce Hippocraticas credamus, qui priùs præcedere labores cibum debere dixerit, huncque posteriorem esse: ac nũc laborandum non esse consuluerit idem, vbi famescendum sit. Atqui fames ante cibum cibique assumptionem semper. sic rursus huius eiusdem Authoris consilio nullus ante cibum labor esse debere videri alicui fortasse poterit. Videri quidem: sed captiosis cauillosisque quibusdam, &, quod dici solet, nodum semper in scirpo quærentibus; quique griphos sibi aliquos in Authorum dictis comminiscuntur. Enimuerò in hunc modum pronuntians, Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν. Labores cibum præcedant. non quocunque tamen id tempore faciendum esse consuluit: sed in tempore, temporisque opportunitate, atque occasione faciendum, cuiusmodi suprà narrauimus; vt & cibum anteeat labor, neque laboremus tamen famescentes nimis, seruata ita tempestiuitate ea, & vtrunque incommodum vt vitetur. Quando, qui præcepta nobis quarumcunque tandem rerum tradunt, si tempore id, ac tempestiuè, matureque vt fiat, vnà non tradunt: at traditum dictumque intelligi volunt, nobisque intelligẽdum ita semper est. Quandoquidem opus omne rectè atque ordine perficiendum, atque absoluendum. Quæ præcepta operum peragendorum sunt, vt ritè fiat, nisi temporis in eo opportunitas obseruetur, occasióque & tempestiuitas actionem opúsque simul comitetur, quasique progrediatur vnà: imperfecta, atque inexpleta exeant omnia, necesse est: quodque sæpe bono futurum erat opportunè accommodè factum, malo cedat non obseruata Græcorum εὐκαιρία illa. Ergo statim cum agendi præceptis comprehensum simul intelligitur opportunè id agendi commodéque, ac tempestiuè faciendi præceptum, vnaque continentur. quoniam cassa atque inanis, mancáque, atque etiam mala futura actio omnis est, nisi hoc accedat, & tanquam condiatur eo. Idque Galenus quum videret, qui omnia in rebus his vidit, vel paucissima certè fugere eum, rumpantur licèt illius hostes, sed ijdem Medicæ quoque Reip. imò & Philosophiæ, quin totius potiùs literariæ communitatis hostes iudicati: Hoc, inquam, ipsum quum animaduerteret Galenus, duos tantùm faciendi rectè scopos constituit, qualitatem, & quantitatem: tertium addere opportunitatem non placuit, nec rationabile illi visum. Nam si tale aliquid, tantúmque, corpori adhibendum esse constiterit: etiam tempore adhibendum suo, atqueopportunè, cõstabit, quasi quod duobus illis prioribus contineatur. Quòd si quando mentio huius fit, maioris doctrinæ gratia id fit, clariùs vt, atque euidentiùs, quæ dicuntur, accipiantur. εἰς δὲ τὴν διδασκαλίαν αὐτῷ πολλάκις ὡς ζ῀ίτῳ χρώμεθα. At hoc non semper necessarium Authoribus facere, vt addant, præcipuè verò natura quadam, & temporum suorum consuetudine, breuiloquis. Qua in re palmam semper tulit Hippocrates. Atque ita planè, vt innumera alia, & illud protulit: Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν.

Tu verò, qui hoc audis, nisi ex his vnus aliquis fueris, qui cauillos exercent, num, quæso, ex illa ansa arripies, quà captiosi solent, verè vt capiant, hoc est, decipiant, dolóque ac cauillo captum teneant, potiùs quàm vt ex legitima veráque intelligentia acceptum menti reponant: &

quum hoc dixerit, arbitrabere exercitationem etiam post prandium statim conuenire posse, quoniam id tempus ante cœnam quoque sit; aut, quia postridianum prandium pridiana cœna, si nihil interea acceptum cibi fuerit, anteit, post hanc exercendum esse contendes, quòd & id ante cibum, paulò quanuis longiùs deinde sequutum, fiat? Non, vt opinor, opinabere hoc, qui scias repletum iri ita crudis habitum humoribus totum, & obstrui angustiores meatus omnes solere exercitationibus, ante absolutas primam atque alteram concoctionem initis. Quòd si non hoc: ne illud quidem, peracta tertia insuper concoctione, postquàm exercendi se vsus omnis iam abierit, inutiliter, adeóque etiam damnosè, aliquis vt se exerceat. Tam hîc nanque, quàm ibi, non faciendi certa quædam ratio subest, quanuis vtrobique de Hippocratis sententia labor cibum præcedat: at faciendi subest aliàs, atque itidem ante cibum, quum vsus poscit, qualem priùs attulimus. Neque quocunque tempore qui cibum anteeat, neque quocunque loco, neque quacunque ratione laborem præire cibum iussit Hippocrates: sed simpliciter sic, Antecedat, ait, cibum labor. nos vt de nostro deinde loci temporisque maximè opportunitatem faciendo adderemus, vt sæpe alibi multa, nobis per nos intelligenda, reliquit. Quod nisi fecerimus, & ad potiorem intelligendi modum Authorum maximorum dicta reuocauerimus: cauillorum & captiuncularum plena erunt omnia. Quarum semper effugiendarum gratia, vt hoc quasi exemplo moniti caueamus, in ista excurrimus: veniamque ideo nos faciliùs impetraturos à non iniquo lectore minimè diffidamus, controuersiæ huius tam nullius, quam tamen inuexerint aliquando aliqui, vilitate monstrata, vt aliæ eiusmodi fugiantur.

Meminerimus autem nos hîc de iusta exercitatione loqui, qua & naturalis calor excitetur, & concitentur in corpore humores, spiritusque. Nam post cibum assumptum etiam non consuetè, vt si prandere quis insuetus prandeat; etiam plus iusto, vt si nimiùm quis se ingurgitauerit; vti innocuè, quin cum vsu, idque ex Hippocratis (De rati. vic. acu.) præcepto, deambulatiunculis tardioribus quidem, sed tamen frequentibus sine intermissione possumus. At hæc non iusta exercitatio est; deambulatio est, quæ non semper pro exercitatione habetur: hîc verò in eam gratiam quæsita, vt, quem fortè non rectè neque exactè confecturus sit cibum ventriculus, eum deambulatione adiutus inferiùs protrudat. Huc arbitror referri illa posse ex Hippocratis scriptura, ἢν ἢ καθεύδειν μὴ δύνανται, βραδεῖαν συχνὴν περίοδον πλανηθέντα μὴ στασίμως δεῖ πονῆσαι μηδὲν, ἢ ὀλίγα, καὶ μὴ βλάβερα. de his docens, qui ex non consueto prandio damnum molestiamque sentiunt. Cui discutiendæ si quæsitus initúsque somnus non successerit, minimè quiescendum, sed aliquandiu potiùs ac placidè circumeundum esse iubet: non vt exercitationem iustam moliamur, sed vt deambulemus tantùm.

Ita sanè ne argumento quidem eo mouebimur, quo tamen non postremæ authoritatis viri vtuntur ad nobis persuadendum, vt à cibo exerceri ne vereamur. Aiunt: Balneo haud dubiè vti licet, & quidem concedente id, quin hortante potiùs Galeno, ab assumptione ciborum, resumendo corpori, habituque vel humefaciendo, modò vsuri balneo natura non eorum sit, qui grauitatem ex eo hypochondrij dextri sentiunt: vt eandem faciant exercendi rationem, quam lauandi, quòd vtroque hoc foras in corporis ambitum ab interioribus euocentur humores, reliquaque. Euocantur quidem: sed non ea ex balneo vehementia, qua ob exercitium, quo, si rectam exercitij naturam impleuerit, concitatiùs omnia agitata ferantur. Itaque multo maiori hominum parti, ac longè pluribus naturis, atque, exceptis, quibus obstruendi hypochondrij suspicio est, omnibus balnei vsum post cibum concesserimus: exercitationis nullis, iustæ quidem atque expletæ. Nam quod ijdem illi frigidis & siccis temperaturis sicuti balneum, ita conuenire eodem tempore exercitium posse dixêre: de balneo verum est, de exercitio omnium minimè. Neque enim tam humescere sicciores partes exercendo continget, quàm lauando accepto cibo: etiam vt non plura maioraque impendere ab exercitio, quæ tamen impendent, quàm à balneo, pericula concedamus. Calor autem vtrinque quidem addi partibus possit: sed exercitatione, cum siccitatis potiùs suspicione quadam; balneo, proculdubio cum humore, quod frigidis & siccis temperaturis conuenientissimum est. Sed non est is intemperaturarum tractandarum locus. Fecimus autem coacti, vt reliqua obiter diceremus. non enim aliter ostendi meliùs exercendi se opportunitas poterat cibum præcedens, quàm si argumenta priùs diluerentur contrà sentientium, inter quæ & illud de frigiditate & siccitate temperaturæ.

Commonstrata exercitationis opportunitate, conuenientique hora inchoatæ; quàm illa diu protrahenda sit, videndum. In quo si iudicio animóque is suo & naturæ relinquatur, vt in alijs omnibus, ita hîc quoque inuenturus extemplo modum mensurámque sit, atque ipse meta sibi iustissima futurus: vt neque ante tempus labore citò nimis fatiscens cesset; & quum ad mensuram temporis æquam peruenerit, naturæ propriæ bonitate, & admonitione desistat statim. Tunc & præfixa iustæ exercendi mensuræ nota signumque aderit, respirationis mutatio, post quam absistendum.

Quæ post exercitationem peragenda, ne lassitudines sequantur, & vt excrementa expeditius procedant. Quod musculorum contentione, & spiritus cohibitione, ac fasciarum circunductu, & balnei vsu aliquo fit.

CAPVT X.



ET quanquam in huiusmodi corporis, itáque animati constitutione, & téperamento, haud sanè magnopere metuenda sit lassitudo aliqua, erratúmve exercitatione insequi solitum vllum: quippe quod sanitatis tantùm causa exerceatur, non autem more Athletarum, perfectum absolutúmque, quod vocant, exercitium implere cogatur; cunctasque seruare in eo leges, vtpote seruitutem nullam seruiens, queat; seruatis autem, quum nihil quicquam peccârit, ne noxam quidem formidaturus meritò vllam sit: attamen si non hac ex parte, vt errata vitentur, quæ nulla hîc futura fortè sint; at qua excrementis ita via exitusque paratur de corpore pellẽdis, hactenus vtendum omnino hîc quoque extrema exercitij parte Apotherapia. Eadẽ porrò opera, & tanquam ex abundãti, lassitudinis metus omnis vitabitur. Parte diximus: quoniam alterum quoddam illius genus exercitationis species est.

Cuiusmodi autem hæc sit, dictum antea: nec attinet vniuersam hîc repete. Illud tantum: frictionibus eam maximè peragi, quæ molles durasque inter habeantur, hac in re, vitatis duris, ne densatum inde corpus excrementa retineat: & quòd tensæ exercitatione partes laxandæ potiùs, atque emolliẽdæ, quàm durandæ sint. At molles hoc ipsum quidem præstare possent, laxare, atque emollire; si modò altiùs illarum vis descenderet, & non in cuti propè ipsa, aut subiectis cuti partibus, ceu languescens mollitie sisteretur, neque excrementorum expulsionem admodum iuuaret. Mediocribus neque densescent membra durabuntúrve, neque non altiùs tamen demittentur facultate sua, iniectis paulò magis valẽter corpori fricantis manibus, propè vt dura exerceri velle videatur frictio, atque id ex pinguis tamen multi lubrico non sequatur, inque mediocritate propterea persistat. Necessarium ad hæc ipsa pingue, quod olei potissimùm sit. Cessante nanque à motu corpore ab exercitio statim, adapertisque meatibus ex calore intus excitato, ne occultè ambientis aëris frigus altiùs se induat, densescatque inde corpus, & constipetur cutis, febresque, vt sæpe euenit, succedant, periculum erit, nisi nudatum custodiatur protinus corpus. Celeritate iccirco opus, vt frictio vniuersum simul atque eodem tempore, in quantum licebit, corpus peruadat. Ad quod tamen, quoad fieri potest, celeriter perficiendum, nihil pinguedine melius: cuius lubricitate simul obiri per totum citiùs frictio queat, præsertim si multorum vnà manibus perficiatur; simul etiam mollescant partes blandè tractatæ.

Intereà contentione vtendum musculorum, qui fricabuntur, & spiritus cohibitione. Vtroque enim, velut manibus ambabus propulsæ, partium superfluitates, atque excrementa, quocunque contentionis vis peruenerit, eliduntur.

Rerum harum suprà meminimus differentias exposuisse: quocirca eò recurrendum, indeque petendæ proposito huic conuenientes, vt Apotherapiam quidem non omnes iuuerint spiritus cohibitiones, sed vel quæ contentis thoracis musculis, & abdominis septique transuersi laxatis, qua contenta medio ventre in inferiorem protrudi solent excrementa; vel mediocriter ipsius quoque abdominis contentis, fiat, qua infra septum transuersum posita deijciuntur.

Eodem pertinent & fasciarum circunductus, qui ijdem ex superioribus petendi, parti huic congrui: vt non, quales exercitationis absolutissimæ, quam κ[illegible]λασκευὴν & καλασκευασικὴν Gymnastici dixêre, esse debẽt, sint cõtinui, ac vehementes. instituto nostro neutrum horum competet. conuenientiùs proponetur, vt per interualla quædam, ac modicè circunducantur. Num verò, intercisa quandoque etiam exercitatione, noster is mediam interponere Apotherapiam hanc ipsam debeat? Non debet, aut non valde certè opus est. Athletæ, & qui grauiori ac præparatorio, quod diximus,

eo quòd ad iustā deinde certaminis palmā præparet, exercitio, κατασκευαςικῷ scilicet, vtuntur, debent. Quiq; prætereà coactè faciūt, vt cibos ingerant, Athleticā habitudinem sustentantes, panem inprimis & Suillam, interdum etiam solos hosce, alterum in prandio, in cœna alterum: his vtique periculum impendet infartis ad necessitatem supráque satietatem grauiori cibo, in grauiori itidem exercitatione, ne, nisi Apotherapiam mediæ inseruerint, infarciantur magis, quàm expediantur meatus viæque corporis omnes. Nostro, qui sanitatem vnam suam sibi conseruandam esse proposuit, & nec tali tantóque cibo, nec tali tantáque exercitatione vtitur, non necesse. Sed nec metuendum sanè huic, modò ex ordine cuncta alia fiant, ne obstructionibus ea de causa corripiatur. Atque ita rectissimè his omnibus peracta in eo qui se ritè exercuerit iuuene cōficietur Apotherapia, quam eandem Recuratoriam Latinè iam dicimus, frictionibus primùm, dein musculorum perfrictorum contentione, denique cohibito etiam spiritu. Nam fasciarum circunducendarum corpori modus ille in hæc ipsa referetur.

Poterat & balnei pars, qua calescimus, & humescimus, & excrementa aliqua eijciuntur, diflantúrque, ad summam Recuratoriæ huius partem aliquam conferre: nisi antegressa iam exercitatio, & mox Apotherapia opus iam totum perfecissent hoc. Nam quòd excrementa, colliquationésque aliquæ intra cutim contentæ, balnei vsu auferantur: id verò nos nihil morabimur. Non enim id exercitij imperabimus, colliquatio vt inde, aut carnis, aut pinguedinis, expectanda vlla sit: & excrementa exercitatione, atque Apotherapiæ opera iam abierint omnia. Quamobrem abluendus tantùm sudor nobis in nostro hoc balnei partis eius vsu. Quod quum factum primùm fuerit, vt calida se lauerit, sudoremq; ita, & sorditiem omnem dempserit; moram in labro ne diutiùs trahat, monebimus, quasi qui sese elixare eo pacto, quod multi hodie quoque faciunt, velit.

De frigidæ lauatione, vitandisque, vt tutus illius ex balneo vsus sit, noxis.

CAPVT XI.



EXeundum igitur inde quamprimùm, & ad frigidę vsum festinanter conferendum se. Quæ planè balnei pars propriam hanc ac priuatam præstare vtilitatem potest, antehac, donec in augumento corpus esset, anteactis ætatibus, ne corporis inde incrementum impediretur, denegata. Nunc quum causa, propter quam adhiberi nō debebat, discesserit, expleto quippe iam corporis augumento; &, quamobrem fieri debeat, accesserit, vtilitas nimirū non contemnenda densandæ durandæque aduersus extrinsecus impetentes iniurias cutis, totiusque vnà corporis, quæ caro illius est, contra eiusdem generis occurrentia incommoda roborandi: minimè quidem desistendum ab hac. Cæterùm summa id ratione faciendum: ne, quod vsui futurū maximo est ritè atque ordine inchoatum, si temerè atque inconsideratè fiat, damnatum negligatur, ac veluti infametur.

Spectandæ igitur, diligentérque tenendæ, quibus id commodè tutóque succedat, initio rectè facto, conditiones cùm externæ, tum corporis ipsius, quod frigidæ vsum incepturum est. Et externæ quidem erunt, vt quo primùm inchoari ista debebunt tempore, æstatis tempus sit incipientis. sic fiet vt toto deinceps ad hyemem vsque tempore frigidæ assuetus, ferre hyeme quoque frigidam meliùs possit. Diesque ad hæc deligendus tranquillus, ventóque omni carens, minimè verò nebulosus: & in calidissima, prout anni tempus id tulerit, illiusmet diei hora: locoque, vbi hæc fient, temperamenti eius, vt frigidior domus pars non sit aliqua, sed calorem diei accipere retinereque maximè idonea.

Hæc corpori, quod rei huic præparabitur, extrà prouidenda. Ipse, qui ista auspicabitur, quarti ferè Septennij medium, qui vigesimusquintus ætatis annus est, obtinebit, constitutionis eius, quam semper hîc supponimus: nec quicquam tum immutatus, & animo, si quando aliâs, vel maximè tunc hilari, transfusisque in ambitum spiritibus, meliùs ita frigidæ occursui obstaturis.

Hîc, quàm vnquam antea, vehementiùs fricetur, duriusque: oleoque illitus, & citatiore exercitatione vsus, repentè atque alacriter inprimis inijciet se totum frigidæ; ne, si cūctanter id vel per partes faciat, horroris sensum alicuius incurrat. Sic porrò frigidam primis his occursibus haberi aquam oportebit, vt glaciem tamen frigiditate non referat, neque ex crudis illis sit, quæ ἀτέραμνα ὕδατα vocantur Græcis; sed nec tepeat tamen: quando, quod maximè hîc quæritur, natiui caloris robur repercussi non efficiat hæc: sicuti crudior, frigidiorque, insolita qualitate tunc primùm sensuras hanc ipsam partes vehementer nimis feriet, quam nihilominùs, sensim primò crescente ita consuetudine, ferre dein-

deinde, quum opus fuerit, possit.


Huic, postquàm frigidam exierit, perfrictusque oleo fuerit à multis eodem tempore simul, quo videlicet tutiùs citiusque incalescat cutis; cibi ac potus, quantum poscet, dabis. Poscet autem cibi pluscu-lum, potionis minus, roborato nempe natiuo calore, nec reficcato quicquam, contraque humefacto potiùs habitu toto. Altero autem idem faciendum die, pluribusque deinceps alijs, introducendæ meliùs consuetudinis causa: vt quam, si peracta primò cuncta ritè fuerint, haud ita multo tempore inuexisse liceat. Prima nanque statim die post primum frigidæ vsum musculosior totus, habituque compactior, robustiorque in plenum apparebit; densiorque, ac durior videbitur cutis.

Omnino autem vegetior secunda statim die ad exercitationem veniet, tertiaque, & quarta etiamnum meliùs. Paruoque temporis processu iterum quoque eadem die, post subsequutam ingressum primum frictionem, immittere frigidæ se poterit: tertiò, quãquam id quibusdam cordi esse video, non placet: secundò fecisse, satis. Immorari autem licebit frigidæ modicè, ac tantisper, dum quod volumus assequamur: duretur scilicet, denseturque cutis, corpusque vniuersum, ac musculosæ partes vegetiores fiant. Signum huius, si frigidam egresso cutis frictione citò concalescat. Quod quum factum tardiùs viderimus, diu nimis moratum esse indicio erit: vt non satis diu, quum nec densatam duratámve cutim, nec quàm antea vegetius redditum corpus.

Hæc de frigidæ balneo, quanuis rarissimus eius iam hoc quidem pacto, atque hac ratione, vsus. Si cui tamen aliquando animo insederit, vt vtatur; vt, qua sibi agendum in eo ratione sit, sciat, tradenda hoc loco esse duximus. Multum enim refert, quo se quisque ad primos huius vsus, ne nocumentum inde contrahat, inque ea tutò assuescat, modo præparet, frictione, exercitatione, tempore ad hanc rem diligenter priùs obseruatis. Nam introducta iam consuetudine, frigidæ lauatio extrema totius balnei pars habebitur, in quam, post calidæ statim vsum, vlla absque tum præparatione alia, eiusmodi conditionis iuuenis sese demittere tutò possit.

Errore interdum agi necessum inter exercendum, aut recurandum: ideóque admissa quomodo emendentur, si fortè Vlcerosa, aut Tensiua, aut Phlegmonosa laßitudo insequatur, quartáque ad hæc Siccitatis affectio.

CAPVT XII.



AC, si quidem rectè cuncta, atque ex ordine fiant, quæ diximus, nullumque negligatur præceptorum; sed neque plura administrentur, quàm oporteat, vt satagere quosdam videmus, in re plerunque non necessaria: nullum omnino sequi ista incommodum errratúmve posse, par est credamus. Verùm enimuerò verissimum scitum illud Simonidis Poëtæ in omnibus esse reperitur: χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. Cui enim tantum tribuerit vnquam Deus, & fortuna, in vllo vnquam agendo faciendoque vt à recta via ne aberret, non à ratione deflectat vsquam, cunctasque actiones suas ad exitum inculpatas penitus perducat? præsertim verò earum, quæ circa corpus versantur nostrum, fluxam rem, ac fragilem, perpetuisque fluoribus vsque eò obnoxiam, vt statui de ea perpetui nihil ratione queat. Minùs vt miremur, si optimi licet temperamenti, & constitutionis ætatisque florentissimæ iuuenis, nemini addictus, vnique sibi viuens, ipseque sibi non modò norma pro naturæ bonitate ac regula quædã in omnibus futurus, sed etiam Artificem sanitatĩ suæ tuendæ præfectum nactus, perpetuum tamen seruare tenorem eum nequeat, vt aliquando tamen, aut ipse, aut præfectus, ipsi aberraturi à scopo non sint, dum exercitatio peragitur. Facilis autem aberratio lapsusque in lassitudinum genus omne, quarum explicata iam natura fuit, discriminaque omnia, vt hac in parte nihil dicendum aliud restet, quàm quo tollantur modo post exercitationem factæ.

Et Vlcerosa quidem primùm, quemadmodum aliæ quoque, qua maximè præcaueri ratione solet; eadem, vel non dissimili, tollitur. vt, quoniam tenuium hanc, & acrium excrementorum copia musculosæ cutaneæque parti vlceris sensum inferens facit; ne colligantur hi, caueamus primò; tum fortè collectos discutiamus. Vtrunque præstabit frictio multa ex oleo multo adstrictionis omnis experte. gustu id exercitati deprehendent statim. Præ omnibus igitur ab ex immaturis oliuis expresso cauendum, deligendumque dulcissimum ad hæc, quo copioso, vt monuimus, cum copiosa itidem perfrictione vtamur primùm ab exercitatione in parte Recuratoria, quo lassitudo ita anteuertatur. postero autem die, in quo suboriri maxi-

maximè laſſitudinis ſenſus ſolet, ſi quid tale incidit, id vt eodem modo diſcuſſum auferatur. Auferetur non minùs exercitio etiam recuratorio lõgiuſculè quidem protracto, ſed per interualla quædam repetito, minimeque concitato, & inter quieſcendum multorum ſimul manibus perfricto quàm celerrimè corpore, ne frigus ſubintret, & euaporentur excremẽta. ita in cute, aut ſub cutem collectã laſſitudinis cauſam digeſſeris. Paulò altiùs cõtentam, non ſolis aſſequi id frictionibus valeas vt diſſipes: verùm motu inſuper opus erit, quo accenſus atque excitatus calor, & cum calore ſpiritus, corporis particulas omnes peruadentes, excrementa vnà impellant ipſa, hoc ipſum muſculorũ prætereà contentione adiuuante. atque ita paulò etiam profundiùs impacta carnibus materia eijcietur. Cibi toto tẽpore conuenient humidiores, viſciditatis omnis expertes, primis verò diebus etiam pauciores.

Atque hoc pacto laſſitudo tolli Vlceroſa poterit: illo Tenſiua, frictionibus nimirum mollibus ex prædulci tepẽtique oleo, laxare nanque atq; emollire cupimus; nec multis tamen, quoniam hic, quæ frictionum multitudine diſcutiamus, acria, vt in priori, tenuiáve excrementa multa non ſunt, aut nulla potiùs. Ab hac quies imperanda, & otium: nec ipſi quidem moueri valde gaudent, nec poſſunt, niſi pigrè admodum, & doloroſè. Ingredi balneum dulcis, modiceque calidæ aquæ, inque eo diutiùs morari, & ab exitu à balneo vngi præſtiterit. Poſteroq; idem die faciendum ſurgenti à ſomno, vngendumque oleo, nũquam ſanè frigido; ſicuti nec frictione vnquam dura in his vtendum. Pauciore adhuc, quàm in ſuperiore, cibo indiguerint hi, ſucci quidem, vt reliquæ etiam laſſitudines quæque, melioris: ſed ſi quid tamen in hac paulò magis viſcoſi fuerit, id non vſquequaque damnabitur à nobis, quaſi quo tenſę partes remittantur meliùs, longiore ſucci adhæſione humeſcentes. Quod idem aduerſiſſimum duabus alijs cibi genus hoc facit, in quibus euaporata tenuia atque acria, nõ glutino aliquo retenta, oportet.

Tertiæ curatio, quæ Phlegmonoſa eſt, ſolaque habitum corporis, muſculoſque, ceu ſi phlegmone laborarent, attollit; triplici rectè conſilio peragetur, vt ſuperfluitas euacuetur, diſtentæ partes relaxentur, refrigerentur inflammatæ. Copioſo igitur oleo, eodemque tepido, perfricandi quàm diutiſſimè. Medij temperamenti balneo, aut paulò etiam tepidiori meliùs, immorandum, quieſcendum diu, & inungendum aſſiduè. Cibus omnium parciſſimus his, boníque ſemper ſucci, conueniet: ablegandus omnis, qui viſciditate notari aliqua poſſit.

Quarta affectio adnumeratur laſſitudinibus, & laſſitudo tamen non eſt: Siccitas ſola & corporis gracilitas eſt, nullo quidem vitioſo ſucco præditi, cæterùm exercitatione nimia vſi, nec poſt exercitationem recurati probè: immodiceque ita exinaniti, ſiccatique, vt nihil aliud ideo ſic affectum corpus, quàm iterum ſtatim nutriri ac madefieri poſtulet. Quod cùm aliàs ſemper, tum hic non minùs cibo optimo, potúque, ac quiete, balneique vſu, rectè fiet. Et balneum quidem, cuiuſmodi ferè priùs diximus, congruum inuenietur, niſi quòd calidiore omnino hîc lauatione vtemur prioris diei, calefaciendæ hoc pacto, roborandæque cuti, ac modicè contrahendæ. Quod præſtare calidior aqua poterit. poſſet & frigidior protinus: ſed in rarefacta nimiùm cute ob iniuſtum exercendi laborem, corporiſque vacuitate tanta, non parum periculi impenderet, ne penetrans altiùs ad profundum frigidæ vis hominem læderet, inſito nobis calore intimiùs etiam, quaſique in penetralibus ſuis, offenſo. Præſtat priori die præmuniſſe partes calidiore, quo frigidæ occurſum ſecuriùs excipiant: & intereà tamen contractionis aliquid, quam quærimus, ſentiat cutis: hancque poſtero deinde, quod ſatis ſit, frigida perficiat die, ſi breuis tamen priùs temporis exercitium, molleque, & lentiùs initum, cum eiuſdem net generis frictionibus, præceſſerit, & à calida repentè piſcina exiliens totum ſe in frigidam demittat, maneatque ita cuti, corporique vtraque qualitate conciliatum robur: ceſſetque tanta iam exhalatio non neceſſaria, ſimul & ad cutem, corpuſque faciliùs deferri alimentum incipiat. Ex quo in foribus ſtatim ipſis ſanitas, abacta longè inanitione, & ſiccitate, atque introducta, cùm ab alimento tum lauationibus, humiditate.

In hanc affectionem tranſire quandoque ſolita eſt Vlceroſa illa, quoties in Recuratoria eius parte commiſſum aliquid fuit, quamobrem id ſequeretur: vt quum nimiam fortè molimur, aut frictionibus, aut apotherapeutica exercitatione, excrementorum diſcuſſionem; cumque his eam ob cauſam probi quoque vnà ſucci multum diflatur, & decedente membris nutrimento ſuo ſiccitas relinquitur. Quod quum euenerit, eodem meritò tractanda, quo illa, erit victus, lauationumque modo, nempe calidiorum, ciboque paulò largiore, & humefaciente exhibito.

Ne

Ne persuadeat igitur sibi quisquam, lassitudini talem victus rationem permitti à nobis, quòd siccitatis affectioni, quæ lassitudo non est, sed in siccitatis affectionem migrârit, concedatur. alia enim prorsus ratio.

Sed neque lassitudini cuicunque conuenire cõsuetum victum arbitretur, quòd Vlcerosæ maiori ex parte conueniat. Phlegmonosa enim & Tensiua non feret: quibus, præsertim verò Phlegmonosæ, subtrahere cibum oporteat. Nec quiete semper tolli lassitudinem credat. quoniam in Phlegmonosa & Tensiua verum id esse reperias: falsum nõnunquam in Vlcerosa. In qua verum quidem, Lassitudinem lassitudine discuti, discutitur enim, neque tamẽ semper: quumque musculis tantummodo inhæsêre excrementa, quæ pridiana fortè exercitatione impacta, sensuque lassitudinis illato, insequente posterioris diei exercitatione abigi, delassatis denuo musculis, seseque commotione ea noua exonerãtibus, possunt. Idque vulgo quoque cognitum, perspectumque, fieri sæpenumero videmus ab his, qui crepatam carnem, (sic enim vocant) ex labore aliquo cõtractam, discutiendam sibi esse labore alio dicunt, ac discutiũt quidam, illa, qua modò diximus, ratione. Et huiuscemodi alia multa, cũ hîc, tum in artibus alijs omnibus. Quibus nisi adhibeatur rerũ semper discrimen, & conferantur dicta præceptaque rebus diuersa diuersis, falsitatis sæpe imago in plerisque suborta egregiè fallat. Quę notatis diligenter differentijs, tanquam luce inuecta, protinus detecta apparet, vultumque vnà excrit suum, veritas reddita nobis, & cuncta discussis tenebris omnibus aperiens.

Reprehensus Theon, qui inscitè de his pronuntiârit. Cutis item post exercitium constipatio quomodo & caueatur, & tollatur. Tum cur omittantur hoc quædam, atque alio reseruentur dicenda loco.

CAPVT XIII.

HAec rerum ignorãtia impulit Theonem, vt de his non rectè sentiret; inscitéque post absolutũ exercitium, quod Athletarum est, & ab illis præparatorium nominari diximus, ζεστολουσίαν, feruentis scilicet aquę lauationem, & cibi paucitatẽ indifferenter imperârit: quum neutrũ perpetuò verum sit. Nam neque, si aut phlegmonosa, aut tensiua, aut vlcerosa quoque lassitudo exercitium eiusmodi sequatur, sed quum quarta tantummodo siccitatis affectio, quam diximus, successerit; calidioris feruentísve aquæ lauatio conueniet. Nec paucitas semper cibi competet: non enim, quum hoc ipsum gymnasium, hæc ipsa siccitatis affectio comitabitur, quam largiorem paulò cibũ exposcere significauimus. Refici nanque alimento cupiunt exinanitæ siccatæq; partes, modò concoquere id valeant. Ac de prima quidem ventriculi, secundaque iecinoris concoctione, nõ perinde ambigendum: quippe quæ ab eo exercitationis genere non valde siccitate tanta affectæ patiantur, vt in concoquendi facultate lædi possint, quæ in habitu moléque corporis fit. Tertia, quoniam maximè tunc laborant musculi, qui corpus constituunt, carnesque; ea possit fortasse post pręparatorium exercitium vsque eò imbecillis reddi, vt conficere missum ad se alimentum, quanuis indigeat maximè corpus, nequeat, si eousque processerit labor, vt altiùs adacta siccitas partes membráque admodum occupet. Quo tantùm casu cibi paucitas futura commoda sit. Aliter ex recèns contracta intemperie non facilè lęsum iri concoctricem, facultatémve aliquam aliam, scimus. Non debuit igitur in vniuersum id pronuntiari, quod minore multo ex parte verum, ex maiore falsum esse obseruantibus appareat.

Quatuor affectiones diximus Exercitationem insequi solitas, erroribus, aut inter exercendum, aut inter recurandum, admissis: tres lassitudinum, siccitatis vnam. Additur & Quinta, Græcis στέγνωσις dicta, quum obstructa densatáve cutis euaporationes superfluitatum non transmittit. Et obstructio quidem, quam lenti, crassique humores ad cutim faciant, in nostro hoc tam omni ex parte, proinde succorum quoque bonitate, commendato, vt exercendi laborem sequatur, haud sanè facilè fieri posse credendum est. Densari faciliùs poterit cutis adstringentibus ac refrigerantibus multis, vt vehementius fortè frigus aliquod, & aluminosum balneum sunt. Quin post balneum interdum, ac sudores, vel aliter quomodocũque rarefacta cute, reflans alicunde aura obstructionem efficere, & densationem cutis poterit. Hęc vel in temperatissimo, optiméque omnium constituto euenire corpore sæpe solent, quoties negligentiùs habetur. Quo magis cauẽda semper hæc, malorum timore, cõstipatam ita, densatamque cutim insequi solitorum.

Factis autem iam remedium extemplo afferendum calefactionis: quippe hęc causæ facienti cõtraria est, quæ frigiditas erat. Id cùm maiore quadam exercitatione assequemur,


quemur, qua interiora primùm concalescunt omnia, atque ad cutim calor pertingat; tum foris balnei calidioris vsu; atque ante balneum, quum primùm se exuerit, olei multi relaxantisque alicuius larga vndique perfusione; paruaq; in frigida mora, nec ipsa tamen benè frigida; &, antequàm induat se, delibuto vnguentorum aliquo calefacientium (magnus autem horum vbique numerus) vniuerso diligenter corpore. quanuis rei huic Anethinũ quoque oleum, præsertim verò ex virenti adhuc Anetho confectũ, satis sæpe facturum sit; vel ex Acopis aliquod lassitudines etiam discutere consuetis, quale inter alia, ex Abietis semine quod conficit.

Affectus huiusce notas, causasque, superiore operis in parte, dum Exercitationem insequentium lassitudinum, hasque ipsas comitātium sæpissimè affectionum signa, facientesque causas tradebamus, non tradidimus, propterea quòd pluribꝰ alijs, quàm exercendi defatigatione, causis euenire consueuerit: vt aliã quoque magis tractatũ requirat, in quo de morbosis Symptomatis, sponteque sua accedentium lassitudinum genere omni, deque ardoribus ad hæc, & refrigerationibus, de cruditatibus, & crapula, & ventris profluuio, & similibus reliquis agatur. Quare hunc quoq; locum affectio huiusmodi, quatenus tãtummodo Exercitationem subsequi quandoque solita est, rectè obtinuerit: alias quum habuerit causas, in eum meliùs, quem modò diximus, locum reijcietur.

Itaque nec de exercitatione quidem hîc post Venerem adhibenda, cuiusmodi ea esse debeat, nec de matutina, aut vespertina frictione agendum esse videtur: ideo quòd cõmodiùs de his, naturáque eorum longè conuenientiùs, qua parte de somni & vigilarum opportuno vsu dicetur, institui tractatus possit. nempe somnum hæc aut anteeunt, aut sequuntur mox, aut cum somni & vigiliarũ rationibus coniunguntur semper. Quocirca in eam quoq; congruè differri posse videntur operis totius partem: pariter & de post vigilias, vel mœrores, vel iracundiam, contractáque aliquo alio pacto siccitate, dispersáve per habitum humiditate, & huiusmodi, suis rectiùs locis inter animi affectus, morbosáve Symptomata, appositè magis dicẽdum reseruabitur.

Complicandarum inter se affectionum dictarum ratio omnium. Et vt simpliciores primò rectè tractásse præstet, quo complexiones meliùs innotescant illarum, versatáq; ritè tractentur.

CAPVT XIIII.



ATque has nos quidem attulimus huc simpliciores affectiones quasdam omnes, Lassitudines tres exercitationũ comites, harum nanq; ꝓprius hic tractatus, non spontanearum: Siccitatis quartam, non iam lassitudinem, sed affectionem tantùm, eámque rarenter admodum exercentem se optimi temperamenti ac constitutionis aliquem, non Athletã, qui præparatorio exercitio vtatur, insequi solitam: Quintam verò nec lassitudinẽ, & longè frequentiùs ab alijs ortam, quàm ab exercitatione, causis adstrictionẽ cutis. Quas si quis coniungere multipliciter inter se volet, priores primùm duas, deinde tertiam quoque addere: (etenim plerunque euenit, vt compositarum inuicem inueniantur lassitudinum modò duarum, trium modò, notæ vnà ac naturæ) multiplices quidem existent cõiugationes binarum, ternarumque: at benè numerabiles tamen, decem in vniuersum: binarum, sex; quatuor, ternarum. Quibus si quartus prætereà affectus gracilitatis addatur, in quo omnes conueniunt, vndecim fient: hisque adiunctis simplicibus quatuor, quindecim in totum. quas veluti digitis supputare sibi quisque paulò attentiùs valeat. Iam si plurimos insuper morbosos affectus alios, qui plurimi morbo tentatis, nondum tamen naturam eius prorsus ingressis, accidere solent, complicare binis, ternísve alijs, vnis, vel pluribus, studuerit: (quod quotupliciter fieri possit, cogitet secum aliquis) in immensum profectò exeat complexionum numerus, & coaceruationes tandem fiant Soriticæ, ac propè cõputationis iam totius ratio pereat. vt mirari subeat, qui concursus horum omnium obseruare se posse sibi ipsis persuasêre.

At quanto tamen ratio illla certior, firmiorque non solùm in hac, sed in Curatrice etiam parte, affectus priùs vniuscuiusq; naturam tenuisse, signísque suis comprehensam notâsse, & quid quisque remedij exigat, ratione omni inquisiuisse: vt coniunctis deinde inter se seu duobus, seu pluribus, accõmodare ad omnia remediorum rationem queamus. Quem planè Hippocrates morem, Medicorumque veterum optimus ac receptissimus quisque sequutus vbique videri potest. Qui sanitatis retinendæ, recuperandæque præcepta nobis tradidêre in vniuersum diligenter, viamq; omnem aperuêre, ac rationum vbique ceu facem quandam prætulêre; multis etiam morborum, & in sanitate affectionum nominatim singulatimque, quomodo regi tracta-

tractarique deberent, manifestò satis declaratis. Nobis alijs in rem præsentem venientibus considerandum reliquêre, quid, qualéve; simplex'ne, an complicatũ, quod tractandum sumeremus, esset. Atque de eo tamen intereà admonuêre, quoties in cõiugatos siue in hac, siue in illa Medicinæ parte incideremus, omnium nobis in omnibus rationem habendam esse, maiorem tamen semper maioris: porrò autem maioris naturam non vnam haberi semper, aliudque dignitate alio maius esse, aliud essentia sua, in rebus quidem his, quas nunc præ manibus habemus. Nam alibi magnitudo etiam à partium corporis nobilitate, læsæq; actionis dignitate ducetur, quarum nulla hoc loco ratio. non enim in eo sumus, vt apertè offensas oblæsasque nobiliorũ partium functiones tractemus. Hîc autem vires, & affectionis qualitas, (quæ tamen dignitas quædam est) magnitudinem faciet: vt hac ratione, si paria alia fuerint, phlegmonosa vlcerosam ac tensiuam lassitudo magnitudine vincat, maioremque nobis sui iccirco ducendam semper esse rationem cogat. Quæ rursus tam esse parua, tamque parum incrementi sumpsisse, quanuis phlegmonosa, potest, vlcerosa, vel etiam tensiua per se, aut simul quoque adauctis; vt ab his rursus altera, ambabúsve vincatur, minorisque ideo cùm momenti sit, minori quoque esse nobis curæ debeat, studiumque inde maius in vlcerosam, tensiuamque, aut vtranque conferamus. Quòd si aucta visa fuerit phlegmonosa, viresque sumpserit, atque è contrario multo infra magnitudinem duæ aliæ, alterâve illarum quasi essentia sua imminutæ substiterint: vicerit vtroque ita calculo phlegmonosa, totamque prope Salubris ad se Artificis curam traxerit.

Quæ coniugatorum omnium est ratio, quorumcunq; suscipienda nobis cura est, non solùm in his, sed in actione propè omni, maiorem semper diligentiam, ac studium vt eò conuertamus, vnde, nî ita fecerimus, maius exhibitum iri nobis negotium, maiusque impendere periculum existimârimus. Isq; si seruabitur à nobis modus, hæc ratio, in affectionum multarum complexionibus, cùm optimè nobis succedet; tum non opus habebimus signorum concursum, συνδρομὴν nimirum Empiricorũ illam, expectare, quam in multis, si rectè cuncta obseruanda fuerint, vix annorum decem millibus contingere semel posse crediderim, in alijs nunquam. Cognita enim cuiuscunque per se separatimque natura diligenter priùs, notisque atque indicijs suis apprehẽsa, etiam alijs multis commixtam signis eisdem illis suis tenebimus: modoque ac via, quam exposuimus, magis minúsve alijs, pro eo ac faciendum nobis esse indicârit ratio, curandam tractandamque aggrediemur. Nunc ad cibi potúsque, modo, temporéque suo sumendorũ, rationes transeundum.

Quàm præstabile sit, rectam cibi ac potus rationem omnem seruâsse. Qualis, quantúsque vterque, quo ordine, quo tempore capiendus sit. Alimenti totius dispensatio per ter tria.

CAPVT XV.



Cibi capiendi necessitas exposita à nobis, quum de corporum fallẽte sensus nostros transpiratione continua, euaporatoq; assiduè alimẽto, traderemus, fuit satis. In cuius diflati locum nisi continuè aliud atque aliud suggereretur, depletique corporis sedes subeunte semper nouo replerentur: fore dicebamus, vti breui viribus suis facultatibúsque omnibus destituta, quum sustentari ampliùs nequirent, conciderent tandem corpora, collapsaque perirent. Id verò vt rectè & tempore semper suo fieret, præter alias multas, eam quoque insitam fuisse à natura corporibus facultatem, conseruandi hac quoque in parte sui, vt, quum primùm inanita refici deberent, hoc ipsum statim sentirent ipsamet, Naturali quidem facultate, partium alia atque alia ab extimo corporis habitu successione quadam de proximis alimentum ad se rapiente, donec ventum ad ventriculi os fuerit: quod sese ita vellicari sugique sentiens animalis iam facultatis potentia neruosis illius partibus innata, nec molestiam eam ferens, subsidium sibi ab alimenti ingestione petit, quod confectum in partes corporis reliquas distribuatur. Ea est sumendi cibi potusque auiditas, ea adlubescentia. In qua si nihil peccetur, cunctáque rectè, modis ordinibúsque suis, & temporibus fiant: sanè maxima in eo, neque omnium profectò postrema collocabitur meritò salubritatis certæ spes: secus, si factum aliter fuerit. Quando victus rationis & diætæ nomine alia licèt quoque contineantur, sæpiùs iam à nobis repetita multa: hanc tamen vocem merito quasi suo sibi vendicare videtur, quod ex cibo ac potione alimenti intra copus sumitur. Quo maior semper in his adhibenda diligentia, & attendenda curiosè omnia, vt neque, nisi qualis, quantúsque

conueniens futurus sit, sumatur cibus, potúsque; neque, nisi tempore ordinéque suo. Quæ duo quantum omni in re, non modò in hac, valeant, quantúmque ad summam cōcoctionis totius exquisitè peragendæ faciant; nemo planè ignoret paulùm modò capessendis Medicorum præceptis assuetus. Et quotusquisque tandem est, qui se non hæc aliquando ipsa, quantum neglecta afferre nocumenti solita sint, expertum affirmare verè possit? & non, aut qualem non opus fuerat, aut quantum, aut non quo tempore, quóve ordine oportebat, assumens quandoque cibum, atque in omnibus his, vel horum saltem aliquo aberrans, manifestum inde sæpe detrimentum reportârit? vti iam non in eo disputandum sit, vera'ne ista, & obseruanda sint: (vera enim esse apparet) verùm ratio potiùs inquirenda, & peruestigandus modus, quo se quisq; ab erroribus, qui committi in rebus his solent, vendicare omnibus possit, tutumque se, ac defensum in omni vita præstet.

Ac de Alimentorum quidem facultatibus, quæ qualitates illorum habentur, quæ tradi à me potuêre, tradita antea sunt. Excernenda ex illis ergo nostro huic conuenientia, quæ esse omnium in medio oporteat, vt omnium quoque temperamenti medij hominem enutritura, præsertim id ætatis, ipsius non minùs aliarum omnium mediæ.

Quantitatis quoque ratio non obscura. Etenim quantum cuique futurum satis esse videbitur sustentãdo corpori, tantum sumendũ semper alimenti. Ne præscribendum autem esse huic quasi dimensum quoddam existimemus, vt libratim, vnciatímve metiamur. Ipse sibi, quod toties iam diximus, regula & præscriptum futurus est, tam æqualis per omnia temperamenti naturæque, sicuti rerum omnium medium, exquisitúmque temperamentum occupantis; ita mediocritate, & temperamento gaudentis: vt nec, donec quidem iustis naturæ suæ legibus ducetur, aliam quàm conuenientem sibi congruamque futuram alimenti qualitatem appetiturus sit, nec se vnquam quantitate eius nimia oneraturus; taléque semper, ac tantum exposciturus sumpturusque, quale quantúmque, alendæ corporaturæ toti, satis fecerit. Nanque quum inculpatis omnibus corporis atque animæ dotibus ac facultatibus sit, neque hanc sanè, quæ appetendi cibum est, non inculpatam obtineat necessum erit. Iusta igitur, culpáque omni vacantia sibi quæret is, qualia quantáque naturam corporis commodo temperamento nutrire possint, eique vnà sustinẽdo materiæ, quod satis sit, suggerant.

Dubitari de tempore potest, & ordine, Num in capiendo cibo, potúque, tempore ordineque suo, iussa naturæ sequutus, quam sortitum optimam esse diximus, nec vsquam à recto aberrantem, aberraturus tamen ipse sit. Ac de ordine quidem ambigi iure meritóque posse video. Non enim hunc magis, quàm illum, antè aut pòst sumi debere cibum, naturæ vnquam vllius, vt opinor, quanuis optimæ, temperatissimæque iussa monitáque impulerint. Fames obuia quæque arripit: & in variorum ferculorum mensa, etiam temperatissimus quisque ad congrua naturæ suæ feretur, nullo tamen, vt arbitror, ordinis discrimine, liquidius'ne sibi an siccius sumendum priùs sit. Præcepta hîc Medica necessaria erunt, fuerintque eæ Præfecti alicuius sanitati partes, vt, quis cuique præferendus, aut postponendus sit cibus, docens admoneat. paulò enim supra, quàm naturalis facultas dictare hoc sibi ipsa possit sola, attollitur ordinis in cibatu omni ratio. qua de re posteà dicendum.

Temporis quæque ritè obseruandi, qua cibum potúmque assumere hora ex ordine debeamus, quanquam naturæ tam laudatæ, quæ ipsa sibi in plerisque omnibus rectissimam semper viam præeat, monitu teneri modus iustus satis, commodusque possit: multum tamen hæc quoque ratio secum considerationis trahet. Non enim, vt primùm famescere incipimus, & initia tantùm famis quædam sese manifestârint; sic arripere extemplo cibum, & ingerere debebimus: sed si peracta omnis in corpore concoctio priùs fuerit. Quæ, quum non apposita modò particulis omnibus alimonia, sed affixa etiam postmodum & assimilata fuerit, rectè peragitur. Iamque post assimilationem perfectam operato assiduè singulisque temporum momentis calore nostro, factáque ita multa subinde, sensimque euaporatæ de membris vniuersis substantiæ deperditione, in eo corpus erit, rursus vt nutriri, nouóque aliquo alimento refici, in tempore requirat. Estque hoc temporis ferè id, in quo dum in partibus membrisque habitus molisque totius extrema assimilationi imposita est manus, iamque effluere aliquid inde substantiæ incipit, omnis aliquandiu antea expleta atque absoluta in ventriculo, circuniectisque partibus, concoctio erit, ac iocineris & venarum in medio.

Sic enim concoquendi, distribuendique per corporis habitudinem omnem alimenti

menti perficitur œconomia, sic instituta à Natura est dispensatio, vt triplici cuncta peragantur ordine quodã, in triplici quoque concoctione, locorumque per corpus distributorum triplici velut officina: vt ter tribus rectissimo naturæ instituto peracta conficiantur huius muneris omnia. Quippe tria sunt loca, ventriculi, dein iecoris venosique generis omnis, tum habitudinis molisque corporis totius: tres itidem locorum eorundem concoctiones, quas primam, secundã, & tertiam dicimus: tria ad hæc cuiuscunque harum officia atque opera, appositio, vnio siue adglutinatio, assimilatio.

Explicata fusius distributi per corpus alimenti natura: atque inde sumendi rectè cibi opportunitas demonstrata. Ratio, cur non, vt primùm famescimus, capiendus extemplo cibus sit.

CAPVT XVI.

Atque hæc ita inter se habent, itáque dispensantur inuicẽ illarum munia, vt accipiat primùm cibum volens, quũ benè appetit, ventriculus, statimque inde aliquid sibi apponat quo fruatur: eiusdemque pauxillulum nescio quid in intestina, atque iecur ceu roscidum transmittitur. Quod dum fit, iamq; quod ingesto cibo abreptum apposuerat, adglutinare tunicarum suarũ partibus incipit ventriculus, intereà reliquum quod factum fuerit concoquendũ aggreditur, vndique complexum, donec confectum ac protrusum eo ipso tempore mesenterij venæ atque iecur ad se de ieiuno maximè intestino trahunt, ac chylosum iam succum factum appositum adaptant sibi. Estq; hoc secundæ in iecore venisque concoctionis initium, tempusq; primum, quod dum peragitur, iam primæ, quæ ventriculi erat, concoctionis medium, quo alimonia adglutinatur, tempus abit: ac mox tertiæ atque vltimæ, quæ θρέψις, & nutritio est habitudinis totius, initia tum erũt, pertrahentibus ad se, alimentũque reponentibus sibi particulis corporis omnibus. Hocque dum hîc fit in tertia, iam primæ, nempe ventriculi, tertium perficitur paulatim tempus totum, in quo partibus assimilatur: & secundæ, quippe iecoris, secũdum, quo adglutinatur siue vnitur alimentum, siue affigitur. sic quidẽ, vt eiusdem omnino assumpti cibi respectu appositio primùm sequatur ad ventriculi tunicas, corpusque eius, vicinæque inde aliquid sibi partes arripiant quoque, post quod exaturato iam ventriculo, appositumq; sibi adglutinante, reliquo autem tanquam onere quodam inferiùs deposito, iecori alimentum applicatur in cõcoctione secunda, apponiturque primùm, simul & exiguum inde aliquid in corporis habitum transfunditur. Hocque perfecto, iam vnire siue adglutinare sibi incipiet, quod apposuerat iecur, venæque, & reliquũ transmittet, quod particulæ corporis aliæ arreptum sibi ipsis apponant, tertiæ concoctioni inchoandæ. Prima verò ventriculi eodem tempore absoluta peragetur concoctio tota, assimilato perfectè alimento omni, quod primùm apposuerat, deinde etiam adglutinauerat siue vnierat. Atque ita triplicis per corpus distributæ concoctionis ex eodem semel accepto cibo, primæ appositio primùm erit tantummodo soláque; mox sequetur agglutinatio, cumque hac secundæ appositio; tertiæ nihil dum erit. Cum secundæ autem agglutinatione, quæ appositionẽ mox sequitur, tertiæ fiet appositio; primæ verò assimilatio, absolutę iam inibi concoctionis vltimum. Tum deinde post adglutinationem siue vnionem secundæ, eiusdem succedet assimilatio, & cum ea eodem tempore tertiæ vnio, siue adglutinatio, perfecta iam antea primæ nutricatione omni. Postremò omnium relinquetur tertiæ concoctionis assimilatio eiusdem alimenti sola, qua nutricationi corporeæ toti elaborato iam cibo omni velut extrema manus imponitur, quemadmodum eiusdem cibi prima atque vna ventriculi appositio elaborationem inchoauerat. Hocque demum tempore, si nouus indatur ventriculo cibus, cum tertiæ assimilatione primæ huius appositio vnà fiet, ac reliqua iam dicta sequentur ordine suo omnia: sic tamen, vt, si festinatò nimis factum id fuerit, periculum sit ne mutuò se deinde actiones hæ impediant, illarumque ita perturbentur sæpe munia, anteuertanturque cùm alia, tum excrementorum maximè resecãdorum, educendorumque de corpore officium, nouo superuenientis ante tempus alimẽti occupatione. Intereà nanque si ritè peragantur cuncta, singulis concoctionibus, tanquam purificando auro argentóque in fornacibus atque officinis suis, vt pura exeant, repurgamenta excoquuntur, alimento circuncisa, circunscriptaque detrahuntur superflua cuncta, quæ Excrementa vocamus.

Quæ repetita hîc, atque adeò inculcata voluimus, ꝓpterea quòd arripi inde quasi ansa quædam posse totius, capiendi rectè cibi, opportunitatis non inepè videbitur.

Etenim si iusti, exactique temperamenti, atque vndiq; irreprehensi aliquis, vt quem hoc nobis loco effinximus, eiusque præterea ætatis, nempe mediæ; quantum semel accipere cibi, neque onerato ventriculo, neque non tamen quod iustum æquumque sit repleto, potest, acceperit; in neutro autem peccaturum, si naturæ suæ iussa sequutus fecerit, credemus: tātum planè accipiet, vt ad non parum deinde temporis duraturus, priusquàm nouo egeat alimento vllo, sit: nec, nisi peractis concoctionibus corporis omnibus, absolutáque omnium postrema, nutritionis totius tertiæ fini, assimilatione, aliud vnquam rectè exposcet, sustentando quidem corpori, alimentum. Quorsum enim? quum tum primùm refectum tota mole sua corpus, & sanguinis adhuc alimentique multū partibus suis additum contineat; necdum vix appositi, vnitique atque adglutinati, postremò etiam assimilati nuper nutrimenti euaporatio iustáq; diflatio inceperit, tanta quidem, vt nouum suggerendum necessariò alimentum sit, nondum euaporato, discussoque priori. Quo tempore ne attrahent quidem, quum non indigeant, de proximis extimę corporis partes; neque de alijs illæ, deque alijs aliæ, quod successione quadam fit, per propinquas semper partes continua, atque etiam continuè: sed in alimenti inopia, inanitis quippe tunc, siccatisque iam membris, ac nouam sibi reponi alimoniam, vnde refici atque humescere, quasique irrigari debeant, exigentibus. Antea si fiat, nec necessarium id; & quum nullum operæpretium in eo reperiatur, nocumentum præterea inde sæpe accipitur, aggestis cruditatibus multis, non spernendum. Nam quanuis vacua tunc ventriculi fortè omnia inueniri queant, puraq; ac detersa illius capacitas, iamque famis etiam aliquid superior eiusdē pars os sentire incipiat: nondum tamen euaporatum esse alimētum apparet, quod tum primùm assimilatum illi fuerat; & stomachus, os nimirum ventriculi, cuius id est muneris, famescere, necdum prorsus alimento suo destitutum, alteriusque penitus indigum, quasi ante tempus, propter nimiam sentiendi ex neruorum multorum præsentia vim, ad appetendum excitatur, faciliùs, citiusque animali partis eius facultate vires exerente suas, quàm alterius inferioris, nimirum fundi, cui potissimum concoquendi munus demādatum, naturalis tantùm, nisi alimento priùs suo planè iam deficiente, non aliud facilè attractura.

Quare ex tolerantia famis putridis ventriculū impleri humoribus scripsère Arabicæ familiæ Authores summi. Quid porrò tolerare aliud fuerit, quàm patienter ferre? at patienter non fert, qui non diu fert, proijciente à se statim cuncta impatientia. Proinde neque toleràsse famem dici meritò possit, qui nō aliquandiu eam pertulerit: ideóque nec ex fame, nisi paulò magis diutina, putridis replebitur ventriculus humoribus. Nec sanè aliter sensit, scriptúmque reliquit Galenus, à cuius hi scriptura mutuati suam sunt. sic enim ait: (De facul. nat. iij.) οὕτω καὶ ἡ γαστὴρ ἐκ τοῦ ἥπατος ἐπισπᾶται ῥαδίως, ὅταν αὐτὴ μὲν ἱκανῶς ὀρέγοιτο τροφῆς, ἐμπεπλησμένον δ᾽ εἴη τὸ σπλάγχνον. Abstracturū dixit ab iocinere ventriculū ἱκανῶς, satis videlicet, atque validè appetentem. quod non nisi assimilati priùs alimenti exhalatione integra fieri necessum est. Moxque eadem libri in parte: εἰδ᾽ ἄσιτος ἀναγκάζοιτο, inquit, μένειν ἡ γαστὴρ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ. coactum proculdubio ieiunium, & necessariam abstinentiam, cibique vacuitatem significans. Atqui id nō sanè momento temporis quouis, atque extemplo, confestimque, ac non nisi persistente temporis iam alicuius fame, vt coacta ea necessitas accedat, fieri posse credemus. Quo tamen tempore, in multùm licèt multiq; iam temporis famelico, vt horarum hîc intelligamus tempus duarum fortè, triúmve, etiam vt comêsse iam possit conuenienter, ac sanitati suæ non incommodè; ac ieiunet tamen aliquandiu, iustúmque & debitum tempus vltra: nondum nihilominùs verè dicetur necessariò repletum iri putridis prauisque humoribus ventriculum. Quod ab Arabibus sic in vniuersum vlla absq; exceptione pronuntiatum falsitatis ex toto nota non caret. Non enim, quum repletum sanguine bono iecur, satisque sibi ac super habiturum inde alimenti etiam elargiri partibus alijs de suo poterit, prauos hosce, vitiososq; ichoras, biliosorū videlicet, ac pituitosorū, serosorumq; humorū ceu saniem quandā, sed melioris potiùs (attractrice id semper faciēte facultate vt potiora sibique conuenientia magis deligat) sanguinis portionem, remittente eam iecinore, quasique in eo negligenter ob copiam agente, arripiet ventriculus: saniosos autem illos, malósque succos, tum tantummodo, quum suum sibi, toto eo indigens, retinuerit sanguinem iecur, nihilque alteri concedens, inutilia libenter depellat aut remittat, famelicus attrahet.

Verùm non id agimus hoc loco, vt persuadere cuiquam conemur, tantum in eo expectandum esse temporis, donec incommoda ea contingant. Id vnum admonitos volumus omnes, non vt quisque famescere primùm incipiet, sic cōtinuò occurrendum ad cibi assumptionem esse. primos enim

enim veluti aggressus famis ferri innocuè posse, vel nondum absoluta prioris nutrimenti per totum digestionis dispensatione, manenteque adhuc assimilati ventriculo inter famis etiam initia nutrimenti parte aliqua: vel, vt nihil maneat, iustumque iam adsit sumendi cibi tempus, subrepturo tamen sibi, remittente id concedenteque tanquam ex superabundanti iecore, boni inde, atque ex mesaraicis venis sanguinis aliquid ventriculo. Neque tantum tamen interponendum esse temporis consulimus, vt hoc sequatur: anteuertisseque id præstabilius erit. Ac fame quidem tentati, sed non protracta diu nimis ea, id verò iustissimum habendum esse capiendi opportunè cibi tempus arbitrabimur. Ante verò id, aut post, vtrinque aliquid semper detrimẽti ne sequatur formidabimus: ante, cruditatum accumulatio, coaceruatis prioribus, additisque semper nouis alijs: post, vitiosorum in ventriculo humorum collectio. Ritè verò, atq; opportunè sumpti cibi, commodè, intra non admodum longum temporis spatium, peracta absque errore vllo concoctio absoluetur.

Quot horarum spatio concoctum perficiatur alimentum vniuersæ corporeæ molis, ac perstans duret. Quot item in ventriculo confici horis verisimile sit. Ex quo prandendi, ac cœnandi introducta consuetudo rationabiliter: comessandi, meridiandi, ientandi, abiecta, hoc quidem Septenniorum decursu.

CAPVT XVII.

ID porrò vniuersum tempus si quot esse debeat horarũ fortè quæratur, sumemus nobis ad id expendendum libellam statim, ac normam, qua hactenus in rebus his omnibus diiudicandis vsi certa ac congrua nostroque huic semper proposito competenti inprimis sumus, vnum nimirum aliquem iusti æquatique per omnia temperamenti, mediæque itidem ætatis, regionisque, atque etiam, si exigenda omnia ritè ad amussim erunt, medij anni totius temporis, quod vernum sit: vt in hoc demum statuere nobis liceat, quantum temporis semel accepti cibi totius rectè tota mole conficiundi dispensationi tribui insumique posse credendum sit. Id erit, recta ratione colligentibus, quam experientia non minùs deinde, multorumque rectè ante omnes alios de rebus his sentientium vsus, & quidem receptissimus iam comprobârit, horarum circiter duodecim: intra quarum spatium munia omnia, primæ, secundæ, tertiæ concoctionis perficiantur; in chylum abeat ingestus cibus, sanguificetur, addatur particulis omnibus, agglutinetur, assimiletur: porrò autem assimilatum alimentum verè iam tale tantisper, tantumque eius maneat, donec diflato atque euaporato omni destitutæ particulæ aliud sibi loco illius reponi postulent, & proximas semper quascunque exugentes vellicationis sensum ori quoque tandem ventriculi deferant, & appetentiam excitent, cui meritò iam noua alimonia debeatur, veram, iustamque.

Auidè primùm arcteque inditũ cibum amplectitur ventriculus, fouetque; ac, si mediocris consistentiæ fuerit, (nam & hoc addendum ad reliqua) neque eorum, quæ concoqui contumacia sunt, & descensum in intestina morantur; iustamq; prætereà quantitatem non excesserit: sex septémve summùm horarum æqualium spatio optimè atque in plenum confecerit. argumento certo, quòd post id tempus neq; ructus sentientur, in eiusmodi quidem ventriculo, vlli; & descendentis insuper intra eas horas inferiùs cibi diligenter obseruanti non obscurus prorsus sensus quidam sese aperiet satis. Nec feriabitur intereà toto eo, quod supererit, tempore, operati assiduè innati caloris officina secunda, tertiaque: atque ordine, quo antea diximus, ac serie quadam, ad assimilationem alimẽtum vltimam, quam nutritionem veram dicimus, perueniet, persistetque in eo, assiduè quanuis euaporans, sensumque nostrum fugiente trãspiratione diflatum, aliquandiu tamen: vt facilè ad duodecim vsque, quod diximus, protrahi id temporis horas possit, priusquàm nouum necessariò suppeditandum nutrimentum fuerit.

Sic planè fiet, vt bis eodem die (Naturalem hîc semper intelligimus) capiendus cibus sit temperato, recteque constituto, sibique viuenti homini, si nec reliquorum, quæ addidimus, defuerit quicquam. Nam multorum aliorum, diuersorumq; ab hoc, aut conditionibus aliquibus, casibusque alijs, diuersa omnino ratio. Quin huius quoq; ipsius, quem temperatissimum ponimus, alius erit ætatibus alijs cibum accipiendi modus. Nam & puer, adolescẽsque, & senex plùs bis, & id quidem rectè faciẽs, comedet: diuersa vtrobique ratione. hic, propter imbecillitatem, vt quasi partiamur in plura, quem bis tantummodo, nisi onerata, accipere ætas ea cibum nequeat: ibi, ob insiti caloris vim, vtpote qui vel pluries acceptum concoquere tamen valeat. Sed nos à rerum omnium medio, quod fieri in actibus omnibus debere scimus, argumẽta du-

ximus formulæ hac in re seruandæ, bisque huic adlubescere in die cibum, bisque ab eo cum ratione capi posse docuimus. Hocque vsus iam & cõsuetudo quædam obtinuit, vt vniuerso propè Orbi, multo maximę quidem eius parti, ac benè inprimis institutis gentibus quasi lex dicta hæc esse videatur, prandij & cœnæ.

Vbi sunt igitur, qui ientacula, merendas, & anticœnia, & comessationes prætereà introduxerunt, ventri semper gulęque dediti homines? Gręcorum quidem quoq; hominum inuenta hæc: (vox enim ipsa ostendit, quãdo pergræcari dicamur, quũ hæc facimus) sed gulonum, lurconumque maximorum. Quos, in tãto præclarissimarum alioqui artium aliarum omnium prouentu atq; excellentia, egregios cibalis potionalisque luxus magistros natio illa habuit. Nunc ientant quidem adhuc apud omnes propè gentes multi, & meridiantur: sed pueri fermè, & seruile genus, & qui manibus opus faciunt, victúmque sibi inde necessarium quęrunt. Comessationem vni propè Germani retinuerunt etiam nomine vulgatissimo iam insignitã, *Schlaff trunck* vocant. Hæc sunt insignia melioris laudatiorisque semper victus rationis errata, hæ corruptelæ non ferendæ homini diu & salubriter victuro, quique cuius diximus naturæ & temperamenti, neminique addictus, ac sibi vni inseruiens incolumitatem omni ex parte defensam custodire, ad exactæ vsque ætatis tempus, suam, vt velit, ita possit.

Nam quòd pueros diximus, & artifices, & ærumnosum ferè, quod assidui laboris alicuius genere vitam ducat, hominum genus comẽsse sæpiùs, ac potare, idque impunè solere: non nostræ huius regulę veritatem imminuit vlla ex parte, quam, in quo & cuiusmodi homine dictũ est, statuimus.

Sed primùm vniuscuiusque aliquid in his facit, fieri vt id moribus propè ac legibus illorũmet possit, ac debeat, pueris ætas ipsa: artificibus vitæ institutũ, sicuti messoribus quoque, & fossoribus, & qui in agro colendo se exercent, vt id meritò fiat, in causa est: quòd, nisi sæpiusculè comedant, suffecturæ fortè vires non sint operi faciendo. Itaque hosce regulæ huic eximit non ætas, quæ in puero optimi licèt pro ætate sua temperamẽti aliud requirit, non secus ac in eiusdem conditionis sene, alia quanuis hic ratione; nõ casus aliquis alius, qui plerunque incidunt, paulò magis crebrò præbere cibum cogentes, & huiusmodi alia. Atque vna tantùm eos hinc aufert, ne lege hac teneantur, vitæ conditio; & quod sibi proposuerũt, vel coactè ingressi sunt, viuendi institutum, propè vt excipi non videantur. Quoniam naturæ suo beneficio eorum multi (multos enim optimo inter hos à natura temperamento præditos reperiri posse credendum certò) non excipiuntur, sed aliâs beneficio eo commodè vsuri ex accidenti potiùs quodam prohibentur, natalium scilicet humilitate, aut vilioris sortis tenuitate, aut fortunæ casibus, aut huiusmodi, quæ in diuersum aliquod eos vitæ institutum rapiant. vnde, si quis eos fortè Deus sorti illi, aut negotioso vitæ generi exemerit, & meliori fortunæ reddiderit, in qua seruitutem nullam seruiant, ac commodis, quantum voluerint, inseruiant suis; nisi facta iam esset cõsuetudo, quam paulatim demere oporteret, eisdem illis statim se prandendi tantùm ac cœnandi subijcere legibus impunè omnino possent. Quas sequi laudatissimum, ac laudatissimi temperamenti & constitutionis vnumquemq; videmus: neq; abhorret reliquorum quoque bona sanè pars, etiam eorum, qui non vsq; adeò probato temperamẽto sunt, multi. Quo planè fiat, vt quicunq; ab hac norma desciscũt, ætatis, sicuti dictum, aut naturæ, aut constitutionis alicuius prauæ vitio: vt quibus ob nimiã cutis raritatem, consumentisq; cibatũ statim omnem caloris vehementiam, frequentiùs cibum sumere necessum est: hi si aliter faciant, cessurũ id illis benè, commodeq; non sit: nec noxæ quicquam sensuri sint, si faciant, nimirum vt sæpiùs quàm bis cibentur. Quicunq; verò casu, aut aduersæ fortunę malitia, aut vitę tantùm instituto coacti faciunt, in eo ipso, quòd, quum quod melius erat non possunt, quod proximum est faciunt, noxam semper & offensam reportabũt aliquam. Quare morbis eos corripi experimur, quos cruditates multæ, ingestusq; alius super alio cibus gignunt; vnde obstructio, & cacochymię multę, & frequentes ex his febres, ex praua, sed necessitate tamen quadam coacta mala victus ratione exortæ omnes: quum intereà, qui, quam temperamenti ac naturæ proprię ratio ducendam esse victus rationẽ suaserit, sequuti fuerint, quanuis plùs bis in die cibati, non tamen eam ob rem detrimenti aliquid accepturi sint in sanitate, quã suum illis temperamentum concesserit. Quippe alteri facere aliter non possunt, quin plùs quàm bis cibum capiant, si rectam sequi rationem voluerint: alteri quum, quod ratio suadet, perficere nequeant, vt bis tantùm comedant, necessitate rerum eò adiguntur, vt plùs bis capiant, errore omnino aliquo. Quod inanimaduersum prorsus prætereundum non erat. iuuerit enim cùm eorũ, quæ dicta iam sunt, tum quæ pòst dicetur, intelligentiam.

Cæte-

Cęterùm, queadmodum nō supra prandium & cœnam reficiendū esse corpus cibo potúque arbitramur, his ætatibus: ita ne minus his faciendū admonemus, retinēdæ quidē sanitati, & cōseruādo rectè corpori habitudinis modicæ, & tēperatę, quale nunc tractamus, naturæ, ne ieiunio nimio siccescat. Non enim displicet nobis, tāetsi summo Philosopho displicuit, (rationem exhibuimus nos : ipse non exhibet) bis in die saturum fieri : modò saturitatem accipiamus, quæ non degrauet, neq; ventriculum quicquam oneret. aliter omnium minimè nobis quoq; placebit. Et inueniri quidem posse non negamus pinguiusculum aliquem, natiui caloris exiguitate affectum, crudis, pituitosisq; humoribus refertum, densiore cute, nec facilè alimenti euaporationem transmittente, qui semel tantummodo eoque non supra modum accepto in die cibo tolerare optimè suamque sibi illam sustentare habitudinem valeat. Quæ planè causæ si in vnum conueniant omnes, & magnæ auctæque valde fuerint, etiam plurium dierum ieiunium ferre aliquem posse facient. Sed is non noster is erit, neque inter hos nostrum hunc reponemus, de quo nunc loquimur.

Num alternis bis ac semel sumere cibum expediat. Non expedire ostensum, nisi consuetudo fortè contrà stet aliqua : quam quum mutare, aut non mutare conueniat, dictum.

CAPVT XVIII.

INuenti etiamnū sunt, qui alternis semel ac bis capiendum esse cibum persuadere nobis conati sint : bis, exēpli causa, vt hodie, semel cras, eiusq; diei postridie bis iterum idem vt fieret: alternatimque eadem semper recurreret dierum sese insequentiū ratio, seruareturq; modus in vniuersum ter tantùm biduo comedēdi. Qui si ita distinguere totū id tēpus, quod quadragintaocto horarū est, potuissent, vt, quamcunq; diei horā inuenissent, qua cibaremur, eandē cōmoda deinde alia sequerētur, quæ sequi necessariū est, capiendi inprimis ad sanitatem ritè tuendā somni, tū exercendi se opportunè, tū alijs quoq; peragendis rebus nonnullis, quāq̄ id lōgū nimis esset, modūq; omnino iustæ alimēti cōcoctionis distributionisq; excederet: ratione tamen niteretur qualicunque, cui si adhærere alicui in animo esset, non omnino dānandus esse videretur.

Nunc, quamcunque hi rationem ineant distribuendi per ter sexdecim horas bidui, quę ter ita multiplicatæ integrum id constituunt ; nunquam tam cómmodè inire vllam, aut subducere tam exquisitè poterunt, vt non tempore non satis conuenienti redeat somnus, quod maximum est; sequāturque incommoda non minùs alia obeundarū actionū, quod rectà tamen ad institutū nostrum non pertingit. Nec cibi igitur, nec somni, sed neq; exercitationis, aliarúmve rerū multarū tempus hîc cōgruum, vel opportunū teneri vllum poterit. Deputet secum ista, qui volet, atque etiam supputet: inueniet nec quadrare sanitatis conseruādę præceptis tēpora, nec rerū executioni cōuenire. Quare nemo vnus gentium aut locorū vsquam sequutus modū hunc est, vel nūc sequitur: quū alios, & semel, & ter, quatérve cibandi se eadem die, hodie quoq; multi sequātur. Quæ porrò, si nō hoc, sed alternatim potiùs id vt fiat volunt per dies, ratio potest esse bona, qua semel hodie, cras bis, aut è cōtrario, sumēdus eidē vni alicui homini cibus sit? Vt pridianæ, dicent, fortè repletionis, qua bis satur fuerat, veluti depleatur vnico postridiano, aut prādio, aut cœna. Quid aūt, si nulla ex modico, & cōueniēti, bis licèt, pridie sumpto cibo sequuta repletio sit, vt sequi propè necesse est nullā, quæ corrigi insequētis diei victus ratione vlla debeat? neq; enim admittātur errata in eo volumus; & nostra hæc documenta homini scribentur obseruaturo diligenter ea, nec aberraturo facilè. Quòd si aberratum tamen fuerit, commissúmque, quod emendari debeat, aliquid : non id huc spectabit, neque sola id posterioris diei victus ratio correxerit, alia fortasse præterea requirentur : atque non in hoc solùm, sed in omnibus contingere idem modis possit, vt errores victus, quamcunque tandem instituęris, rationem comitentur. Quocirca non propterea laudandus modus is, quòd errata ex eo tollantur : sed, cuius vsu errata nulla eueniant, quærendus potiùs. Hic autem, siquidem posterioris diei vnica cibatio emendare prioris errorem iteratæ debet; nullus autem commissus is sit, quando huius inprimis rei gratia instituatur victus vbique ratio omnis, vt ne errata contingant, non autem vt fiant: quum nihil erit, quamobrem vitium, quod factum non est, tollat ; & succorum redundantiam, quę nulla tum est, demat ; nónne malo potiùs id, quàm bono cesserit ? Vtique cesserit, quippe defraudato iusta nutrimenti sui portione corpore, insitóque nobis calore assiduè operato, & alimenti vbique sui satagente, quæsitóque eo, neque nouo inuento, ideo prioris meliores succos inuadente, membrisque propè iam affixum auferente sibi.

Hæc, atque huiusmodi alia, quæ afferri argumenta ad rem hanc possent, sed hæc tamen inprimis, præferendum omnibus alijs bis eadem semper die capiendi cibi, qui prandij, & cœnæ est, modum esse ostenderint. In quo insuper gentium iam propè omnium, vti diximus, consensus quidam visitur, nec sanè dissentientibus Medicorum omnium potissimis Græcorum ac Latinorum: Græcorum, Hippocrate, ac Galeno, quorum vterque prandij sæpe ac cœnæ meminit; ientaculorum, aut merendarum nusquam, quod sciam, ac longè quidem minùs comessationum: Latinorum, Cornelij Celsi, bis potiùs quàm semel cibum capere consulentis. Quamobrem cõseruandus nobis erit mos omnino is, in quo ratio nobis præeat, maximorum Medicorum authoritates sequantur, subscribat vsus, & consuetudo, honestissimi & elegantissimi cuiusque, laudatamque ac commendabilem politè cumprimis ac ciuiliter vitam persequentium, neque se ieiunio longo nimis macerantium, neque verò repetitis eadem die crebrioribus comestionibus poti onibusq; exaturantium.

Exceptione tamen vtemur hîc quoque, vt in omnibus, consuetudinis introductę, receptiq; iã fortè vsus alicuius. Qui si susceptus naturæ temperamentóque & constitutioni conuenienter fuerit, insistendum in eo. Etenim, sicuti monuimus, & semel aliquibus, & ter quaterque etiam competere cibatus potest, quorum nunc rationes non tractamus. Sin aliter visum fuerit, ijque erunt, quibus rectiùs prandium cœnaque competere posse videbitur: modò non exactæ aliquis ætatis sit, sensim paulatimque demenda in tempore deterior, proque ea introducenda melior multo, ac laudatior consuetudo studio omni ac diligentia fuerit.

Ratio exposita, quamobrem, quum bis in die Naturali capiendus cibus sit, non æquis tamen portionibus sumendi cibi tempus diuidatur, vt duodecim vtrinque horæ sint: sed sesquiplam esse temporis proportionem præstet in totum, duplam autem ex altera parte.

CAPVT XIX.

HAc rerum ratione in capiendo cibo, atque his legibus ritè obseruatis fiet, vti nec tam crebrò cibũ, potumque, alienam prorsus à Musis, humanitateque omni, (quoniam id brutorum penè est, natura ventri tantùm semper obedientium) vitam degentes, necessariò frequẽtare cogamur; vsumque ita omnem amittamus intestinorum capacitatis illum, sinuosorumque anfractuum, ac ambagum illarum, & reuolutionum, quæ ad hoc haud dubiè factæ esse videntur, vt tanto suscipiendo cibo sufficerent, quanto suscepto non semper nec sæpe eodem recurrere necessum nobis foret: nec rursus hoc pacto exinanitione nimia, longioreque, quàm æquum futurum sit, inedia, debita alimenti sui portione defraudabimus corpusculum.

Verùm intereà hactenus tantùm progressi in hoc sumus, vt ostẽderemus, bis die sumendum esse cibum, potumque: qua verò idipsum faciendum nobis ratione, modoque, quoniam esse multi possunt, nondum scire ex hoc possumus. Etenim licebit horarum spatium id viginti quatuor, quod diei totius Naturalis est, binis temporum portionibus multifariam, & duodecim vtrinque horarum; (æquales hîc semper æquinoctialésque horas accipimus) & octo ex vna, ex alia sexdecim parte; & quatuordecim, decémque, & alijs huiusmodi aliquot diuisionum spatijs terminare. Ac prior quidem de hoc consideratio sese nobis offerens duodecim vtraque in parte horarum fuerit, æqualiter diffinita. Nec sanè, nisi impedimento aliquid se opponat aliud, fieri aliter deberet. Sed aliud omnino quiddam est, quo minùs id rectam nobis rationem sequutis facere liceat. Neque solus spectandus in hoc cibus, cibandique tempus: sed eorum insuper & quæ præcedunt, & quæ sequuntur, addenda consideratio. Quodque vbique præstare solet Medicina exactior, & consideratio illa, vt ἅμα πρόσω, καὶ ὀπίσω in omnibus spectet; neque eius planè hîc omnino obliuiscetur. Scimus autem non solùm nostrum omnium ducem Hippocratem, verùm etiam antesignanos omnes, victus semper rationem non solo cibo & potu determinâsse, sed alia eodem conclusisse necessaria. Labor, inquit Hippocrates, cibus, potus, somnus, Venus. vt non res modò ipsæ, sed cum rebus ordo ipsis quoque indicaretur. Sequunturq; Medicorũ, dum prolixiùs ista explicant, optimi quique.

Quòd si igitur cibus & potus, vtique soli, minimè nos rectè, diuque, nisi obseruato insuper ex ordine tempestiuo maximè somno, alent: sanè huius quoque ipsius nõ omnino postrema ducenda nobis erit diligenter semperq; ratio. Quo iuuari ante omnia cõcoctio per vniuersi corporis particulas omnes, versatiq; circa hãc, & in somno, vt cùm maximè, operati caloris opus solet. Id porrò est nocturnum ante omnia tempus, reficiendis refocillandisq; dilapsis priùs & dissipatis diurno labore spiritibus

bus institutum à natura inprimis quidem illud, nec minùs tamen conficiendo exquisitè alimento per corpus totum toti apprimè semper commodaturum, necessarium imò futurum, somni tunc omnium maximè ac tempestiuè initi beneficio atque opera. Quocirca quum maximè tunc ferietur atque otiosa quiescat animalis facultas, maximè opus exercent suum vitalis & naturalis, præsertim verò ac potissimũ naturalis hæc. Quòd si tantum positum est in somno rectè inchoato, peractóque, ad absoluendum perfectè concoctionem emolumenti; id autem noctu inprimis rectè atque ex ordine fit: fateri necessariò cogimur, huius hoc in negotio potiorem omnino, quàm alterius, habendam esse rationem aliquam: vt, quoniam feliciùs concoctum iri quod ingesserimus cibi eo tempore cum recta ratione colligimus, tum certa quadam comprobatum experientia quotidie videmus; plusculum etiam huic, quoniam ferre id posse videbitur, concoquendum, conficiendúmque cibum mandemus; nactique temporis occasionem hanc concoctioni feliciter peragendæ inprimis opportuni, etiam plus aliquanto eius ipsius ad id insumamus, detractúmque alteri parti apponamus huic; temporique maximè cibos concoquere valenti, confecturoque hos feliciter, desumpta ad hoc parte diei totius maiore, maiorem simul cibariorum omnium partem in alimentum conuertendam concredamus. Sed de maiore cibi portione in tempus hoc transferenda mox dicendum nobis erit. Nunc plures diei vnius parti vni tribuendas esse, perficiundæ benè atque exactè concoctionis ergò, horas ostendere voluimus, &, vt opinor, ostendimus vel eo solo argumento, quòd in omni actione, non solùm in hac, accommodata peragendis rebus temporis opportunitate, quo plùs in ea persistitur, temporisque consumitur plùs; eo & feliciùs, & exquisitiùs perfectum opus procedit, extremáque illi manus imponitur, vsu semper feliciore, & prospero magis successu rerum, quæcunque longiore opportuni temporis mora peraguntur. Diei igitur pars, in quam nox incurrit, concoctioni destinata, esse productior debebit: quòd, vt melior ea operi huic perficiũdo, ita protrahi in ea tempus, quo maius id, absolutumque magis fiat, debeat. Præcipuè verò accedente prætereà noctium frigiditate, qua veluti conclusus in penetralibus calor, fortiùs atque validiùs operatur. Superet igitur oportet horis aliquot alteram hæc meritò, quoniam tantum causæ, quãobrem id fieri debeat, videmus: demùque alteri tertia posse pars videtur, quæ horæ quatuor sunt, & adijci alteri, vt dupla hæc alterius fiat, factis horis partis sexdecim huius, alterius verò octo. Intra quod temporis spatium, quod à prandio ad cœnam aberit, vt commodè satis minor alimenti totius portio concoquatur, sicuti factu, ita creditu quoque minimè difficile iudicandum. Quod nisi fiat, vt prandio cœna in repurgato tersoque ex priore semper alimento ventriculo, sicuti prandium cœnæ, succedat: incidere in maximos sæpe errores necessum sit, cruditatum plurimarum, ex quibus pessimi interdum & periculosissimi originem sensim trahunt morbi, ad quos interdum mors.

IVLII

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER VIGESIMVSNONVS.

De cœnæ & prandij quantitate. Quibus cœna esse prandio maior debeat rationibus, præter authoritates ad id citatas. Quid Authoritas sit, & quantum ei tribuendum.

CAPVT I.



Ausam narrauimus diductionis temporis in duo, cibo sumendo apti inprimis atque idonei futuri. Simul & ratio ostensa est, quamobrem longius esse alterum debeat necessariò, proportionis quippe duplæ ad alterum, quod horarum octo statuimus prandium inter & cœnam, sexdecim quum alterum habeatur à cœnæ tempore ad insequens vsque prandium numeratarum: confecturum & ipsum quidem, concocturúmque, etiam si duodecim tantùm horarum, æquis diuisum cum altero portionibus, factum esset, dimidium alimenti totius die vna capiundi, & citiùs, & feliciùs, & exquisitiùs. Cæterùm cui ob hanc ipsam concoquendi efficaciam insignem, noctis maximè, somnique, quæ duo eo inprimis tempore vigent, beneficio comparatam, plus primo conficiundi cibi iure, meritóque deberi videatur, vt maiorem haud iniquè prorsus portionem coquendam sumat, efficacius ad id & commodius futurum tempus; tum etiam plusculum adijciatur ad hoc temporis, vt, quod efficere natura alioqui sua posset, pensúmque & dimensum suum absoluere; paulò longiore spatio adiutum etiam penso ac dimenso plus absoluat, non validiore modò, sed diuturniore etiam efficientia. vt ferè videmus robustis, quàm imbecillibus, non solùm maius imponi, quantum illorum ferre posse vires maius visæ fuerint, onus, id enim iustissimè fit: verùm etiam eorundem roboris fiducia suppetijs allatis aliquibus maiore quoque interdum onerari scimus. Nec secus in his, vbi quoniam noctis somnique beneficium, & inclusus, eóque potentior atque efficacior, insitus nobis calor maiorem pollicentur ad maioris quoque portionis coquendam quantitatem efficaciam, hoc ipso confisi plusculum etiamnum addimus: sed tempore, quo peragi id commodiùs possit, aliquãtisper suffragantes.

Atque ita quæstio, quæ hoc loco existere solet, à multis agitata, ab eruditioribus excussa, frequens in ore vulgi, (vbi enim non, quæso, inter pocula, interque epulas inquiri in hæc solet?) Cœna'ne an esse prandium maius debeat? rationem tandem inuenerit suam, quamobrem cœna in hoc vincat. Etenim si, quod fateri necesse est, maiores semper ac longè potiores conficiendi exactè assumpti in cœna cibi causæ præsto sunt: (demonstratum quippe id iam hoc loco ita, pro concesso sumimus) cui esse dubium potest, vel si duodecim tantùm horarum vtriusque temporis spatium esset, æqualitérque distaret, sicuti à prandio cœna, ita ab hac prandium: adhuc tamen cibariorum plus cœnæ quàm prandio elargiendum esse ad concoctionem? Nunc, quum maioribus hisce, ac potioribus, omnique ex parte efficacibus magis causis, longior etiam temporis mora accedat, in qua operatus assiduè calor vehementiùs semper agat: tanto quidem magis cœnæ quàm prandio maiorem rectè alimentorum portionem ad rectè conficiendum concedendam omnino esse nemo, vt arbitror, qui quidem rectè iudicaturus sit, ambigat.

Nanque qui contrà sentiunt, prandendúmque quàm cœnandum largiùs esse censent: hi, quod cibi assumptum prandentibus fuerit, id sine dubio cœnaturis coctum confectúmque iam totum, adeoque etiam distributum esse prorsus debere dicent, vt puro emundatoq; ventriculo cœnent: aut fateantur, crudo priore etiamnum, se suis, quorum sanitatem defendendam susceperint, cibo, impuróque adhuc stomacho, nouum vt & itidem crudum, quo nihil excogitari ad sanitatis conseruationem deteriùs potest, indant concessuros; imò authores semper illis tam insignis, rectaque ad perniciem eorum ferentis, errati futuros. Sed hoc nolent scio.

Quòd

Quòd si igitur permiserint nobis,(permittant autem oportet. vincit enim ratio) liberaliùs pransum, minore multo tempore, concoctionisque causis minoribus multo, minúsque efficacibus, nihil tamen ad cœnam crudi, mundáque & detersa afferre omnia debere: profectò parciùs, vt ipsi volunt, cœnatum, multo maioribus, maiorisque multo efficientiæ subsequentibus, quibus ingestus minor cibus confici queat, causis, tum verò his ipsis longiore multo temporis intercapedine operatis, valde ac perquàm necessarium futurum est, citiùs atque expeditiùs multo, quem acceperit in cœna exiguum satis cibum, concoctum absumpturum, futurúmque citò vt ventriculus in eo id cibi conficiat, abreptúmque illum pariter corporis particulæ citò non minùs in alimentum sui vertant, móxque etiam per halitum euaporatum digerant. Quo facto, quum temporis adhuc non parum superfuturum sit ad prandium vsque: toto eo tempore, quum nihil cui agens incumbat habuerit insitus nobis calor, in succos necessariò quos inuenerit corporis totius potissimos, affixúmque adeò solidioribus partibus alimentum, conuersus, membra quoque ipsa consumens exedet. Quod quidem ita omnino euenire necessum fuerit, eo quidem magis, quòd largiùs quanuis prandenti tantum tamen solummodo capiendum cibi erit, (sic, qui præfectus saluti illius tutandæ fuerit, necessariò, nisi manifestarius haberi præuaricator præcipuorum Salutaris Artis præceptorum voluerit, consulente) quantum ante cœnæ tempus coqui distribuique totum possit. Quod hercule non admodum esse multum debere, & temporis exiguitas, quod à prandio ad cœnam interest; & concoquendi causæ paucæ, ac paruæ cogunt. Quòd si istorum ita nobis præcipientium iussu minus etiamnum multo in cœna ciborum ceperimus, quippe qui minorem nobis semper prandio cœnam faciant, post quam & temporis ad concoquendum, & causarum idem hoc egregiè præstantium multo plus, vt multo quoque ideo plus cibi postulet, & minus tamen exhibeatur: nónne certum propè periculum imminebit nobis, ne, inuerso ita præter æquum iustumque ordine, paucitate cibi nimia destitutus calor potiora inuadat, alimentoque ita suo defraudatum corpus sensim viribus quoque suis defectum collabatur? Et hoc quidem medicas sumendi rectè cibi, quibus ne crudum superueniens crudus ipse non minùs cibus cibum offendat vnquam monemur, regulas obseruantibus, sequutisque continget. Sin neglectis his, vt alimenti satis sit, onerâsse ventriculum non verebuntur, nimio plus, quàm excoquere in cœnæ vsque tempus valeat, ingesto cibo: cruditates certè non vitabunt: & præterquàm quòd negligentiores inueniuntur regularum medicarum, non minora inuehēt corporibus mala obstructionum, febrium, inflammationum, abscessuum, & huiusmodi. Ita vtrocunque modo fecerint, aberrare eos necesse erit; & vel parcè nimis demere de dimenso suo corpori, vel nimio quàm onerato ineuitabiles morbos inferre. Quemadmodū enim nusquam tuta nimietas, qua in vtranuis partem peccetur: ad eundem modum nec parum, nec multum nimis ingessisse cibi, securum.

Id adeò deprauata rerum consideratione, nec satis intellecta earum natura, fit. Quam, quia perpetua ea est, si sequendam nobis proposuissemus, & secundùm illam pronuntiandum esse duxissemus: non tam vacillare dicta de his nostra contingeret. Hac quidem ita sequuti veteres Medicinæ Authores maiores nostri, quorum sententiæ, vtpote ratione semper nixæ, libenter stamus, quoties prandij fortè, aut cœnæ mentio incidit; alterius, prandij, vt parcioris; alterius, cœnæ, vt vberioris, nulla vnquam controuersia de hoc illis oborta, (euoluantur omnia licèt illorum scripta) meminisse videntur. Nec attinet loca hîc scripturæ cuiusq; commemorare non valde recondita, tritis potiùs apertisq; semitis Lectori obuia, Hippocratis, Galeni, Arabicæ familiæ, Latinorū præcipui Cornelij Celsi. Si prandet, inquit, aliquis, vtilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum, sine carne, sine potione sumere. Et itē idem, Aestate verò, inquit, & potione, & cibo corpus sæpiùs eget. ideo prandere quoque commodum est, si commodè prandiū eo tempore sumitur. Sine dubio, quale descriptum priùs ab Authore eodem est, exiguum nempe siccūque, nec carnis quicquam, nec potionis habēs, sumi debebit. Corporis verò refectionem, quam æstate fieri oportere dixerit, quum prandio assequi pauco, & absque potione haud liceat: largiore cœna, cibi quippe cum potione maioris, assequamur necesse est. Nullus vt mihi ex veteribus illis lectus hactenus sit, qui aliter senserit, Medicus. Ex recentioribus autem vnus inter Græcos Actuarius, in libello, (De spir. anim.) quem nos Latinum aliquando fecimus, inuentus, qui oppositam huic sententiam scriptam reliquerit: & inter Latinos alicuius tamen authoritatis aliqui. vt si certandum authoritatibus fuerit, plures ac potiores à cœnæ parte, à prandij pauciores, notæque

tæque omnes inferioris, stare videas. Sed non tanti sanè facere velimus authoritates, vt rationes iaceant, præsertim quas experientia confirmârit. Atqui ea planè est Galenica ratio, (Therap. vij.) quam suprà quoque attulimus, imò rationes duæ, tres imò; ex quiete, ex somno, ex temporis longioris mora desumptæ. ἀλλ' ἐπεὶ μὴ μόνον ἡσυχία, καὶ ὕπνος, ἀλλὰ καὶ χρόνος μακρότερος ἐκδέχεται τὴν τοιαύτην οἰκονομίαν: εὔλογον ὅσα τῶν σιτίων ἰσχυρότερα, κατὰ τοῦτον μάλιστα δίδοσθαι τὸν καιρόν. Iubet nos valentiùs nutritura cibaria tempori reseruare, quod cum quiete & somno futurum longius est, quod proculdubio cœnæ est, quam ista omnia sequuntur. Idque scripsit, quum priùs in his, qui bis cibum capere eadem die possunt, præmittendam esse cibationem primam monuisset, quod sine dubio prandium est, tantam, quantam, antequàm noua superueniat, confecisse ventriculus valeat. idque ibidem Athletarum, qui idem longa, præter rationem, etiam experientia edocti facerent; alibi etiam Medici Antiochi, & Telephi Grãmatici, exemplo confirmat: iusso prætereà puero aliquando comitiali affectu corripi solito tertiam panis partem in prandio cum oleribus sumere, sepositis cum valentioribus vnà obsonijs in cœnam duabus reliquis. Hinc planè & colligi rationes ita faciendi possunt; & exempla notari, quæ experientiæ ipsæ rerum sunt; postremò & authoritatum (si quid tamen Authoritatibus tribuendum esse censuerimus, vt certè, sed cum delectu, censemus) à iuratissimis de rebus his Scriptoribus testimonium recipi, quod in multis nihil aliud, quàm rationibus interdum maximis vti, sit.

Quid enim aliud Authoritates sunt, quàm recepta probatissimorum in re quaque, bonorumque, testimonia? Ad quos quum viuos, si quando vsui nobis in re aliqua futura eorum opera est, libenter authoritate sæpe tantùm illorum vna inuitati accedamus: mortuorum etiam testimonia de rebus ijsdem minimè nobis refutanda esse videbutur, ꝑpptereà quòd hoc illis priùs authoritatis rationum vis, quibus artes omnes veræ ac legitimæ nituntur, cõciliauerit, harumq; illi vsu nomẽ ac famã adepti, existimationẽ eam promeruerunt. Sic nauigaturi, nauclerum quærimus existimationis maioris, qui nos vehat: domituri equos, equisonem; calceos nobis fortè comparaturi, sutorem optimũ adimus: denique artis qualiscunque operum egentes, à maximi semper in ea, vnoquoque, arte nominis famæque magistro, operis artificium petimus. Sic sanitatem nostram tuituri, à probatissimo Salutaris huiusce Artis præfecto operis auxilium petemus. Is, vel nullus certè alius, Galenus erit, cuius post mutos quoque illius cineres viuat tamen de scripto, vigeatque etiamnum hodie, quasi in Salutis templo libris tot consignata, ac voluminibus, ceu tabulis, consecrata authoritas: ne nihil prorsus esse hoc existimemus: ac, si viri aliquando huius authoritate moueri nos fateamur, non iniquis prorsus id ex nobis audiendum auribus sit, postquàm Authoritatem aliud, quàm præcellentis cum re vnà nominis ac famæ dignitatem, editis artificij operibus partam, habendam esse nihil obiter hoc loco ostenderimus, aduersus morosulos quosdam. Qui quum nihil ipsi rationis habeant, authoritates aspernantur: nec satisfacere vnquam maximi etiam ac receptissimi Authoris cuiusuis nomen potest: vt desinant tandem ita ineptire, postquàm sciuerint rationis ac præstantiæ in artibus quibusque, non vana apud omnes opinione authoritatem acquiri, ijsdemque ad extremum artibus retineri, veram quidem illam, & quæ ad posteros etiam, apud illos manens vigénsque, transmittatur.

Quod dicendum hoc maximè loco fuerat, vbi in negotio hoc, in quo vtri tribuendum plus sit, prandióne, an cœnæ, ambigitur; totúmque interdum Scriptorum, aut subscriptorum authoritatibus transigi vidimus: cœnam multo maximos, eosque veteres omnes authores fautorésque habere ostenderemus, qui à se stent; prandium, minorum ordinum cunctos, famæque multo minoris, nonnullos etiam nondum recepti satis inter Medicos nominis, necdum familię Medicę adscriptos, nouos homines, & qui heri aut nudiustertius in lucem prodierint, plebei quidam, & proletarij. quos dicam, noui. Qui si authoritatem, noménque suum cum maiorum nostrorum authoritate ac nominibus conferre, inque eo vincere se posse sperant: more suo faciunt, & à natura non discedunt, nihilque aliud, quàm meliorem illis mentem dari, optandum nobis restat. Sin multo infra illorum dignitatem atque existimationem positi, tenuitatem nominis sui aliqua ex parte agnoscere coguntur: authoritatem aliorum in disputando ne eleuent, qui suam tanti faciant, doctiorum multo, longéque magis existimatorum; minoris ipsi in hoc, confessione etiam sua, fortunæ, & inferiorum classium: vel rationes afferant, quibus credamus, non autem tanquam dominis, quicquid nutibus iusserint, parituros, aut eorum tãquam cœlo demissam, vel ex oraculo prodeuntem, excepturos nos vocem existiment.

Hæc dixisse, scripsisséque hîc fuit necessum, paulò licèt à proposito nostro longiùs, vt si, quos ista tangunt, in nostra hæc incidere forte contigerit, ausos dicere, Authoritate se valere, quanta veterum etiam quisquam alius : admoneamus ex hoc loco authoritatũ diuersarum; eásque tantùm legitimas habendas esse doceamus, ac iustas, quas ratio inprimis pepererit, sequutáque deinde sit existimatio perpetua quędam, consensúsque in hoc multus confirmârit, diuturnum tempus, adeóque ętates plerunque & secula constabiliuerint. Nostras hasce huiusce temporis ne Authoritates quidem esse, vtpote vix dum inchoatas; nec, nisi à ratione, & cum ratione inceperint, nusquam processuras, altissimáque statim obliuione inuoluendas, atque adeò rerum omnium obliteratione de hominum omnium memoria delendas.

Itaque in disputationibus inter nos de Authoritate nostra silendum: rationibus potiùs agendum, quæ posthac temporis tractu authoritatem etiam nobis factam consequantur, si bonæ fuerint, bonam: secus, si malæ, vel nullã potiùs. pereunt enim tandem rationibus nullis innixa quæque. Suam autem aliquid esse credere Authoritatem, quæ nulla penitus sit, inque eo magnificè se circunspicere, imò verò præ sua aliorum, eamque receptorum iam Doctorum, floccifacere, ac nihilipendere, quod facere quidam me audiente non sunt veriti: id verò, quoniam ferendum non esse videbatur, indignitate rei commoti reprehendimus, impulsique in ista excurrimus.

Authoritates allegatæ Arabum etiam, & testimonia ad hoc. Ac restitutus veræ scripturæ, hac de re, Auicennæ locus, Galenicorum exemplarium fide, atque ope.

CAPVT II.

Ita tamen, vt, quod ad veterum de cœnæ & prandij quantitate authoritates attinet, excursus is noster pro excursu omnino habendus non sit, rectamque potiùs hucusque institerimus viã, & insistere adhuc pergamus: Arabumque prætereà authoritates addamus, quoniam Græcorum cum rationibus vnà suis explicatæ iam sunt, Auicennæ inprimis, atque ante omnes, idem quod Galenus multo antè de Athletarum capiendi cibi consuetudine referentis, in commendationem quidem simplicioris cibi, sed ex quo tamen dicto certa omnino & indubitata duci seruati in cœnam valentioris nutrientisque magis cibi ratio possit. Siquidem valentius, multóque robustius pane, carnem, eámque suillam, nutrimentum corpori exhibere fatendum est. Verba sunt Galeni hæc: (De rati. vic acut. j.) φυλάττονται δ' ἀυτὸ μάλιϛα καὶ ὁι γύμνασαι. καὶ ὁιγε νομίμως ἀθλοῦντες ἐπὶ μὲν τοῦ ἀρίϛου τὸν ἄρτον μόνον ἐσθίουσι, ἐπὶ δὲ τοῦ δείπνου τὸ κρέας. Idque omnium maximè cauent, qui gymnasticen exercent. (nimirum ne ciborum varietate vtantur) Et quidem legitimi, inquit, Athletæ solum in prandio panem sumunt, in cœna carnem. Quæ Auicennas verba manifestò ex hoc Galeni loco desumpta, vt ex alijs eiusdem Authoris locis omnia propè sua, ita interpretatus est.

Adscribam autem Authoris verba nihil immutata, quo & non aliunde, quàm de Galeni loco hoc, in suum transtulisse ijsdem propè verbis liquidò appareat: & mendum simul inuersorum turpiter, Authoris'ne, an Arabici interpretis, an librariorum vitio, verborum detegatur. ait: In tempore quoque antiquo, qui exercitabantur, iam fugiêrunt ab hoc. contenti enim erant solius carnis comestione in manè, & solius panis in cœna. transpositis manifestò Græcæ, ex qua ista deriuârunt, scripturæ verbis; panéque, quem Græcus codex prandio assignauerat, cœnæ attributo; conuersáque vice, carne, quæ cœnæ debebatur, in prandium relata, aperto nimis hac quidem in parte errore, fœdóque. Scriptum autem inuenitur à Galeno alibi, (Therapeu. vij.) rectè facere Athletas, qui valentioribus in cœna quàm in prandio cibis vtantur. Eoque necessarium hoc quoque loco sit, pro prandio panem, pro cœna carnem scriptum legi. Cætera, quàm interpretes nostri, meliùs omnia Auicennas. Obseruant, inquiunt hi, id maximè qui luctantur. Mitto hoc, qui luctantur, pro gymnastæ, speciem pro genere: illud verò, obseruant, quo se φυλάττονται rectè reddidisse tam falsò, quàm ineptè credunt, (dicendum enim verum est) præsertim verò hîc, vbi contraria prorsus, quàm Author velit, sententia falsam interpretationem sequitur. quam enim deuitandam nobis esse Athletarum exemplo Galenus consuluisse videtur cibariorum varietatem, hanc vt obseruemus, persuadere conantur hi. Scilicet φυλάττονται illud, φυλάττουσι esse crediderunt, inconsideratè satis, ne imperitè dicam. At quanto meliùs Auicennas, quanquam non satis apposito ad id vocabulo vsus, seruato tamen significato, integráque ac vera manente

nobis ſententia: fugiêrunt, inquit, ab hoc. cauerunt videlicet ſibi, & ne in varietatem eam inciderent, prouiderunt diligenter. Et morem quidem ſimpliciter prandendi cœnandique obſeruârunt, vitata ſemper varietate. Sed hoc in tranſcurſu. Atque is tamen inuectus in codices error, aliarum à veritate partium fecit Authores Latinos quoſdam. Illud, cuius gratia huc delati ſumus, Auicennæ teſtimonij citatio fuit, ſubſcribentis Galeno Authori ipſius quoque, (tametſi mendum vitio aliquo factum in ſcriptura ſubſit) quo loco Athletarum conſuetudo, vt ſimplici vtentium cibo, ita cœnæ valentiùs, prandio imbecilliùs nutrientem attribuentium commendatur.

Accedit Halialbæ Authoris inter Arabas ſecundùm Auicennam præcipui teſtimonium, cœnam prandio anteferendam eſſe, itaque veteres illos feciſſe, fatentis. vt iam ſi certare Authoritatibus velimus, non defuturæ nobis ſint, & quidem potiſſimorum, probatiſſimorumque.

Quinimò ex Galeni alicubi ſcripto, cuius hæc vel ex profeſſo ſententia non modò illum ita ſemper ſenſiſſe probatur, (quod oſtenſum iam, demonſtratúmque eſt: ſimul & rationes additæ) ſed communis tempeſtate ſua veluti conſenſus in hoc elici poteſt, cœnas maximè tanquam lautiores magisque opiparas præferens, & quo plures conuenirent, frequentantium: non item prandia. Hinc adipales cœnæ, ac pontificales: hinc recta, quam cœnam ſimpliciter ſic poſita voce intelligas, clientibus olim ac conuictoribus multis lautè à principibus viris dari ſolita: prandium non itidem. iccirco quòd concelebrandis rectè ſuóque tempore conuiuijs, & capiendo vtiliter cibo, delectum illis, rerum propè ſic inuitante natura, cœnæ tempus fuerit. Hinc ὄψον Græcis dictum, quòd ὀψὲ τῆς ἡμέρας, dicato cœnæ eo ſemper tempore, apponerentur (quaſi quæ validiùs, ſolidiùsque nutrirent, apponenda tunc eſſent) obſonia. Multaque præterea huiuſcemodi argumenta, quibus clarum inprimis atque apertum fieri poſſit, veteribus omnibus id perpetuò moris fuiſſe, largiùs vt & liberaliùs cœnarent, quàm pranderent: vel, ſi vnica tantùm vnius diei conueniret cibatio, veſpertina ea, & cœnæ eſſet; vel introducta iam apud omnes conſuetudine ex naturæ ductu orta, vel monentibus ita Salutaris Artis magiſtris. Prorſus vt mirum videri debebeat, vincentibus, quibus reclamare non ſanè facile ſit, rationibus, vſumque ſuum obtinente conſuetudine, inuentos tamen eſſe, qui diuerſi à veritate in ambages multas ferrentur, & authores ſe oſtenderint contrariæ ſententiæ: multi vt iam prandio ſe expleant, cœna parciſſima vtantur; vel, ſi ſemel tantùm ſumendum ſibi eſſe tota die cibum deliberauerint, nulla, tranſlata in prandij tempus cibatione omni. Qui tamen (nouatores hos dico) abrogatis prioribus legibus, nouas nobis has Medicinæ tabulas figentes, in altum diſputando delati fluctuant, nauimque modò in hanc, modò in illam partem remigio ſuo agunt, ſæpenumero & remos detergent ad ſcopulos; interdum velificatione vtuntur, ſecundo vento veritatis acti, recta, quaſi οὐριοδρομοῦντες, niſi reflantibus in contrarium alijs, & ipſi in diuerſa, ceu turbine quodam impulſi, tranſuerſi agerentur.

Errori cauſam tribuiſſe videtur primam deprauatus Auicennæ locus, quem ſuprà recitauimus, ille. Qui ſi, quod factum à nobis fuit, feciſſent ipſi, vt loca diligenter Authorum inter ſe conferrent, & vnde ſententiam deprompſiſſet ſuam Auicennas, animaduertere ſtatim potuiſſent, & ſuſtuliſſent mendum, & cùm ſibi, tum alijs in poſterum omnibus, viam planam, dempta, quaſi offendiculo, ne pedes impingant, ex tam manifeſta menda (quæ tota ponenda in litura eſt, & reſtituenda vera ſcriptura) progreſſuris in ea, ac iam pergentibus conſtrauiſſent. Reſtituta porrò origini ſuæ, ac tanquam natalibus, (Galenicus nanque hic fœtus eſt) hac agnoſcetur facie, vt in prandio panem, non carnem; in cœna carnem, non panem oſtentet.

Confutatio rationum, quæ prandium cœna largius ſumendum eſſe perſuadere videntur. Et vt alimenti euaporatio in cœna accepti commodè in diei tempus incurrat: vt in noctem, quod prandij erat.

CAPVT III.

DEinde falſiſſimis rationibus manus victas dedere. Aiunt primùm, alimento deperdito inſtaurationem deberi ſemper maiorem maiori. quod veriſſimum eſt. Tum addunt, maiorem hanc futuram in die, propter naturæ calidum viuificatum, (ſic ipſi loquuntur) & ſolare, ac actus, quibus corpus diſſoluitur. id nimirum vnum ſibi volentes ex argumentatio-

tatione hac: Superato quippe noctis frigore, & solaribus ad nos radijs redeuntibus, tum negotiosis quoque actionibus, accedente cutis tunc raritate etiam maiore, deperditionem maiorem semper alimenti sequi, proinde maiorem quoque haud dubiè refocillationem deberi. Verissima, vt diximus, omnia: neque tamen adhuc, quod volunt, conficientia. Vt enim maior die fiat euaporatio: at non ea fit tamen, quæ refici ex prandio tota debeat. Verùm largior ac copiosior sumpta ex proposito atque instituto nostro, quæ antegressa prandium id fuerit, cœna tantum suppeditatura vniuersis corporis particulis alimentosæ materiæ est, vt necdum tamen diflata omni, euaporata quanuis multa, instaurari satis ex prandij assumptione queat, donec adueniente iterum cœna deperditioni illi meliùs in totum consulatur, intercedente assumpti prandij ope tanta, vt duratura corporis moles ad id vsque temporis minimè nec viribus nec corporatura sua collapsa queat. Debetur igitur refectio, sed quæ futura iusta sit, quam suggeret satis prandium etiam cœna multo tenuius, quando multum adhuc ex præterita cœna copiosiùs ingesta affixum assimilatumque membris alimenti restet, diurna licèt diflatione plurimum intereà abeat. Etenim liberalior, ac prandium longè exuperans, cœnæ cibatio, ac benè multa, multum quoque secum trahet per corporis habitum totum alimenti, excrementorum eijciendorum multum. Quæ antequàm depellantur de corpore, cùm alia, tum quæ vltimæ nutritionis sunt tota habitudine contenta; & alimentum euaporet, diei quanuis calore euocatum: multum quoque in eo intercedat temporis, necessum; quumque intercesserit satis, ad aliam vsque similem ex cœna refectionem suffectura sunt, ne concidant, membra prandio refocillata. Ergo debita euaporationi corporis totius omni, sensumque effugienti diflationi maiori maior quoque meritò præbebitur instauratio: sed ea si interdiu maior est, plus quoque habet suggestum iam è cœna in vniuerso corpore, quod exhalet, & maiori euaporationi maior simul suppeditatur tunc materia: vt neque tam citò diflari queat, & diflata refici quidem postulet, sed suo tempore, non statim, neque affatim, congestisque in vnum alimentis simul omnibus, quæ præstare id possent. Hoc enim vincere argumentum id velle videtur, contrà quàm ipsi opinabantur, vt prandium suam minoremque, cœna iterum suam, sed maiorem, in id portionem conferat, eo quòd distributa hoc pacto tempora ita omnino exposcant, rationibus, quas priùs attulimus. Sique diei totius recurrentis in se semper continua quidem, sed interdiu tamen maior, facta alimenti exhalatio, huiusque reficiendi necessitas attendatur, vt attendenda certè est; rursusque concoctionis assiduè illa quoque operata corpore omni administratio, noctu tamen potissimùm, atque inprimis: vt metiamur cuncta simul, quantum euaporatum fuerit tota die, (siquidem rectè administrentur omnia) tantum totius diei concoctionum omnium œconomia reponet, temporibus suis digesta, concoctioni vtrique idoneis, maioris minorisque temporis; at eodem vtrisque, inque opus finemque vnum redituris, nimirum exhalati clanculum, ratione que tantummodo deprehensæ nobis transpirationis vi tota die euaporati alimenti recuperationem, mutuò se in hoc iuuantibus concoctionibus, & alteri altera in tempore succedente, eidem, vt dixi, operi semper perficiendo. Atque hoc pacto rectè, quod debitum corporibus est, ex deperdito alimento instaurandis, redditur totius diei vnius curriculo, intra quod temporis spatium etiam deperditur: idque sic temporibus commodis diuisim, vt in idoneum sibi, omniumque maximè conueniens noctis atque diei, concoctio noctis maior longiórque, diei minor ac breuior, ob dictas antea causas, tempus vtraque incidat. Quod non fieret, si secus, quàm nos faciẽdum esse dicimus, fieret; & maior prandio, cœnæ minor tribueretur à nobis conficiundi cibi portio, conuerso propè tunc rerum ordine omni, vt ferre maius, quàm possit, aut debeat prandium, minus cœna cogatur.

In quo pugnantia hi statim secum, seque mutuò collidentia tradere videntur, dum potissimum diei totius concoquendi alimenti munus prandio, aut post prandium tempori, imponunt; quo tempore maximè, vel illorum ipsorum confessione, digestio alimenti per corpus vigeat, atque inde etiam extra corpus diflatio: multo autem minus cœnæ, diei hora ea totius, quæ noctis tamen est, inprimis concoctionibus destinata, digestionibus autem & diflationibus non admodum subseruiente. Atqui rectè peragi vtrunque opus, ac commodè, vtique simul, haud potest, contrarijs inter se motionibus impeditum: siquidem assequendum hoc æqualiter sit, quod fieri tamen nequit, vt agitato tunc corpore in diuersa, & digestioni diflationique foras, & concoctioni intrò calore

ſpirituque ſuo reuocatis, operæ iuſtæ ſatis pariter impendatur. Quòd ſi gemini huius operis diuerſa diei noctiſque in parte alterum maximè viget, iacet alterum, aut non perinde certè celebre eſt: concoctionis autem cauſæ nocte plures, ac maiores ſemper, digeſtionis diflationiſque minores, die contraria omnia: quo magis die tota euaporatum corpus digeritur, vincit cogétque ratio, eo minus concoctionis tempori ei accommodandum officium eſſe: quáque diei hora omnium maximè tanquam feruet exhalationis, alimentíque diſſipationis, ea omnium minimè peragi concoctionis, vel bona certè maioríque ex parte ceſſare opus debere. Quin igitur contrà potiùs, quàm dixêre, dicunt: Quum maximè euaporatur corpus, & digeritur, tum minimè vacare concoquendis alimentis poſſe, miniméque ideo onerandum eſſe illis. Quod & facere præcipimur, & facimus, vſúque iam comprobatum, confirmatúmque recipimus, vt in reſolutione maxima corporum nunquam onerata ea velimus cibationis ingeſtione multę. quippe onuſta conficere haud poterunt rectè, digeſtionibus intenta, adeóque euaporationibus etiam debilitata. Hinc ſanè optimè atque appoſitè ex prandio conſulimus tenuiter (quoniam id diei tempus maiorem cibum non ferret) euaporationi factæ, quæque continuè fit, donec cœna, nempe conuenientiori multo conficiendis alimentis tempore, per halitum digeſtas perfectè expleamus partes omnes, aut materiam potiùs explendis deinde ſuppeditemus.

Etenim ſi (quod factitâſſe ſuperioribus ſeculis multos legimus, hodiéque à nonnullis fit) ſemel tantummodo die tota, viginti ſcilicet quatuor horarum ſpatio, capiendus cibus eſſet: neminem tam paruos in Medicina progreſſus feciſſe credam, cui non perſpectum ſit, potiores multo in hoc cœnæ partes fore, totum vt illa, longè quàm prandium meliùs, conficiendi cibatus totius munus, officiúmque ſubeat. Cauſas non referam hoc loco, ne rurſus euagari cogar, præſertim iam antea etiam à me relatas. Sed ſi, (quod dicebamus) in ſumendo non plùs ſemel cibo, cœnandi tempori totum id deferimus; bis cibandum ſi fuerit, ſicuti rationes ſubeſſe, quamobrem id ita fieri à nobis hoc tempore oporteat, oſtenſum iam eſt; quid tandem erit cauſæ, cur non hîc quoque, atque his caſibus, potiores etiamnum cœnæ ſemper ducendas eſſe partes exiſtimemns? iiſdem omnino cauſis perſiſtentibus, nec variatis rationibus omnino vllis. Quinimò, quando totum priùs ſola poterat egregiè coctum conficere cibum cœna, nunc tanto magis portionem quanuis maiorem, ac faciliùs quidem atque expeditiùs poterit. Quare, poſtquàm faciendas partes eſſe cibi totius die vna duas demonſtrauimus, faciemus ſanè: & alteram prandio concoquendam dabimus minorem, tertiam ferè eius, quem ſuffecturum vniuerſo diei ac noctis decurſu arbitrati fuerimus, cibi partem: maiorem cœnę, cui tota quoque commiſſa priùs fuerat, committendam reſeruabimus, duas reliquas partes. Ita nec carebit alimento corpus ſuo neceſſario, & in tempore fient omnia, ſempérque quod ſuggeratur euaporatæ alimenti parti erit, copioſiore cœna ſubminiſtrante diei totius euaporationi, multæ quanuis, ac magnæ, multam ſimul ac magnam materiam: & prandio tamen intereà ſuppetias ferente ad id aliquas, ſimul & reliquæ diei totius parti, quæ noctis eſt, habitudini vniuerſæ alimenta ſuggerente; ac, poſtquàm alita ea fuerit, exhalationis inſuper, & occultæ tranſpirationis, qualiſcunque noctu illa fiat, ſatis, antequàm exhalata nimis membra, alimentóque prorſus ſuo depauperata labantur.

Denique ita cenſeamus: quod maximè noctu euaporat, id prandij potiùs; quod interdiu, id cœnę magis eſſe. Neque enim exiſtimandum eſt, non aliquod ſemper horarum ſpatium duabus primùm peragendis cóconctionibus requiri, priuſquàm ſanguificetur in plenum alimentum; tum ſanguificato etiam in tertia abire temporis aliquid apponendo, affigendo, aſſimilando nutrimento. Hocque pacto nimiam illam, qua exhalatæ corporis partes collabantur, alimenti diſcuſſionem, eius, quod ſumptum in prandio fuerit, cœna anteuerti poſſe; vt, quod in cœna, prandio; valde rationabile eſt, ſic vt temporis intercapedine aliqua, quum iam nihil quaſi reſtare alimenti vlteriùs periclitatur, tunc euaneſcentis in locum ſuccedat aliud, conuenientiſſimo vtrobique rerum ordine, ac tempore: nempe cibi exhalatione in prandio capti, quæ minor, & ex minore materia eſt, in noctis tempus incurrente, quum minùs quoque diflantur corpora; cœnæ verò, quæ maior, longeque ex maiore cibo, in diei horas, quibus maxima parata eiſdem eſt per occultam tranſpirationem exinanitio, incidente. ne, ſi contrà eueniret, neque ſufficeret corpora diurnæ euaporationi ex minore cœna; & ex maiore prandio non neceſſariæ ſuppetiæ ferrentur nocturnæ exhalationi, multo, quàm diurna eſt, minori.

Euaporandi per halitum alimenti tempora quàm in longum abeant. Tum, in quam gratiam, atque vsum inuentum prandium sit. Atque vt rectißimè ita dispensentur officia concoctionis, digestionisque, & euaporationis de die, ac nocte.

CAPVT IIII.



Væ enim res quũ sint, concoctio, digestioque deinde; cumque hac assimilati iam alimẽti exhalatio, quam eandem, & discussionem, & dissolutionem, & euaporationem, & transpirationem, atque huiuscemodi nominibus multis voces licet: concoctio, concoctiones imò omnes, quoniam triplex ea est, vt docuimus, quiete meliùs, & somno, & operato interiùs intra penetralia sua insito nobis calore perficiuntur; præcipuè verò prima ac secunda, quarum veluti officina in ipso natiui caloris tanquam foco sita, collocataque est. Tertia autem nutriendæ corporaturæ toti, vniuersæque habitudini destinata, ijsdemmet illa quidem quoque peragitur causis; (cui nanque esse dubium id potest?) sed lentiùs tamen aliquanto illius officium procedit, nimirum à caloris foco paulò remotioris: simul & apponatur priùs nutrimentum partibus oportet, & affigatur, agglutineturque deinde, postremò etiam assimiletur. Ante id tempus cibi, per tot concoctiones deducti, itaque elaborati, euaporatio nulla, aut per halitum digestio, quæ tum demum peracta primùm assimilatione omni inchoet necesse est, multo intereà, antequàm id fiat, interiecto à prima cibi assumptione tempore: multo autem maiore futuro, priusquàm expleatur tota, vniuersumque affixum partibus atque adglutinatum, iamque diligenter illis à natura assimilatum, discussum in auras abeat. Quòd si tamen causæ magnæ exhalandi euaporandique alimenti fuerint, quæ concoquendi causis contrarię omnes sunt; ambientis calore euocatus foras internus calor, vigiliæ, commotiones corporis, laborésque: celeriùs omnino digestum, confectum, consumptumque iri nutrimentum omne, rationabile erit: vt paruas similiter rei huiusce causas parua itidem necessariò sequetur euaporatio. Idemque de concoctionis officio, quam magnę semper causæ maiorem, minorem paruæ faciant: at non ita, vt rerum, quem diximus, ordo commutetur, huiusque hæ, atque illius illæ, semper numerẽtur causæ, ac temporibus vtraque suis commodè, atque aptè inprimis fiat.

Ab his rationibus profecta sumendi cibi institutio, atq; ex hac rerum harum naturæ consideratione pendens nutritionis dispensatio vniuersa: nec conficiendo alimento efficacior, nec agendis rebus commodior, nec sanitati retinendæ aptior inueniri, aut excogitari potuit, quàm qua hodie quoq; vtimur bona pars cœnæ, prãdijque, quibus narratum est modis, sumendi. Etenim quum sufficere fortè semel tantùm acceptus die cibus, idq; vesperi, vt credere par est, potuisset, duraturaq; esset pridiani, antequàm integra illius exhalatio euanesceret, alimenti ad postridiani vsq; initiũ, copia. At periculũ erat, ne peracta intereà multo antè prima secundaque concoctione, bonaq; insuper tertię parte, ieiuno diu nimis vẽtriculo, ieiunis iecinore, venisque, membrisq; multis, aliũde, quacunq; in parte ex proximo possent, quæsitum attraherent alimentũ ad se partes valdiores magis, imbecillæ minùs; raperentq; ac raperentur omnia, & veluti orta intra corpus seditione, belloq; intestino, cõmixta perturbarentur, partesq; alimẽto defraudarentur suo aliæ, aliæ plùs iusto replerentur, vitiosis quoq; nõ parũ sępe pertractis ad se humoribus. Simul etiam id suberat discriminis in nõdum quanuis peracta ad plenũ euaporatione de corpore alimenti omni, ne tamen diei totius inedia non satis subueniri in tempore posset euaporatæ iam alimoniæ, si tũ demum, quũ nulla iam esse in corpore periclitaretur, iamq; adijci partibus noua alia deberet, eius primùm inciperet in vẽtriculo concoctio ingestę, longioréque ita, antequàm sese addere indigis iam membris posset, mora illa intereà siccescerent nimis.

Remedio igitur inuentũ est necessario prandiũ, quo incõmoda hæc tollerentur, & nec referciretur prauis interdũ succis vẽtriculus, nec destituta lõga nimis alimenti expectatione fatiscerent membra: sumereturque tum maximè id, quo tempore sumi omniũ maximè commodè, atq; idoneè, minimeq; noxiè posset: id porrò tempus foret, peractarũ iam cœnæ concoctionũ primæ ac secũdæ absolutissimè, nondũ prorsus absolutæ tertiæ, iã iam verò absoluẽdæ, postque absolutã integrè assimilationẽ inchoãdæ tũ primũm euaporationis agglutinati, assimilatiq; ex toto alimẽti, multoq; dein etiã tẽpore, antequàm exhalata omni ex parte alimonia indigas nouæ subuẽtione partes relinquat, eoq; ad insequẽtis etiã cœnæ fortè initia, aut nõ multo minùs, duraturæ. Vt, quod paulò antè monuimus, frustra atq; inaniter argutentur hi: Deberi maiori trãspirationi instauratiõnẽ quoq; maiorẽ. Quæ vtiq; debetur: sed nõ, quã ipsi ineptè crediderũt, prãdij, suppeditante ex cœna alimẽto tota quãuis die etiã à prãdio

materiæ ad exhalandũ ſatis. Quòd ſi exacta nobis ſignificatione dicendũ ſit, ne debetur quidẽ vlla, quoniã iã antea, qđ euaporet, eſt. Prãdij aũt cõcoctio potiùs debetur, nouiq; alimenti præparatio, vt diflata prioris cœnæ antè alimonia omni, qđ nõ lõgè ab inſequẽti cœna aberit tẽpus, nouæ interim ſuppetias ferat prandiũ in tẽpore, dilapſæ priori ſuccedẽte noua, anteq̃ concidat ꝓrſus corporis habitus. Sed id vergẽte iã in veſperã die fiet, vt accepti in prãdio cibi aſſimilatũ demũ partib9 alimentũ euaporari incipiat, ad futurũ vſq; prandiũ, vel nõ citra multũ, lõgiore licèt tẽpore, & pauciore materia, duraturũ, propter pauciſſimas minimasque toto eo tempore occultæ illius tranſpirationis cauſas.

Atq; ideo illo inter ſe iſta ordine diſpoſita cõparataq; ſunt, vt ſua queq; tẽporibus reſpõdeant, ſingulisq; ſingula quadrent, & cauſas occaſionesq; ſuas aptè ac concinnè ſemper ſequãtur: magnæq; ac maioris cibi portionis cõcoctiones noctis potiſſimùm ſint, vbi plures cõcoquendi cauſæ maioresque; paruæ ac portionis minoris, diei, vbi pauciores ac minores: tranſpirationi itidẽ diei maiori, maior ſuppeditetur ex maiore cœna materia; minori noctis, minor quoque ex prãdio: ſic expẽſis digeſtisq; inuicẽ, atq; ordinatis omnibus, & mutuò ſe excipiẽtibus officijs his, quaſiq; ſupputatis cõcoquẽdi diſpẽſandiq; cibi rationib9 omnibus, ac numeris, vt Algoriſmus ipſe nõ potuerit meliùs. Hinc porrò argumentum quoq; ſtatim corruit aliud, quod incõcinnè admodũ ſtruxerũt. Si, inquiũt, ob calidi innati vnionẽ noctu factã maior facta eſt cõſumptio: inſequẽte noctẽ illã die maior quoq; requiretur inſtauratio. Ita cõfici ex hoc credũt, vt neceſſariò maior prãdio, qđ ſumi die ſolitũ eſt, alimẽti cõficiendi debeatur quãtitas. Sed quę tandem conſumptio præceſſit, quæſo? cõcocti, cõfecti, cõſumpti cibi immutatio, nõ alia, opinor. non enim aliã inuenias, quæ noctis tempore magna ſequatur circa cibi totius cõficiendi œconomiã cõſumptio. Quæ porrò eſſe poteſt cõſumptionis huius inſtauratio? profectò nulla, niſi qua amiſſũ deperditumq; aliquid recuperetur. hãc enim ipſi volunt inſtaurationẽ, recreationem nimirũ, ac deperditæ ſubſtãtiæ alicuius reſtitutionẽ. At hæc ex ingeſto cõfeſtim cibo nulla, niſi cõcoquatur priùs. Inter cõcoquendũ aũt nihil aliud, quàm alteratus immutatur cibus, nec in vẽtriculo, nec in iecore venis've, nec in corporis habitudine tota. Separãtur qdẽ ſecernũturq; excremẽta cõcoctiõis omnis, quæ ſanè deperdũtur pereuntq; alimẽti elaborationi: ſed illa nemo dixerit inſtaurãda, reficiẽdáve, aut reſtituẽda eſſe; vt, quia magna facta fuit ex cœna alui, veſicæ've, & huiuſmodi aliorũ recrementorũ deperditio, atq; amiſſio, neceſſariã iccirco futurã eſſe contendant eorundẽ ex prandio recuperationẽ. Neq; id ſanè dicturos eſſe opinor: quoniã maior quædam peracta ſit nocte cõcoctio, quã illi cõſumptionẽ vocẽt, refici eã diei cõcoctione debere maiore. Quia concoctionẽ cõcoctio hoc pacto nõ iuuet vlla, ſeparatam ſeparata, niſi quo nos diximus modo. Et diuerſiſſima eſt ratio, contraq; potiùs dicendũ, ac ſentiendũ: ꝙ nocte magna atq; ingẽs præceſſerit concoctio, quia magnæ præceſſerunt vnà noctis beneficio cõcoquendi cauſæ, propter contrariã diei naturã, ac qualitatẽ, etiã vt maior deberetur concoctio, id quod tamen haudquaquã eſt, peragi illam nihilominùs nõ poſſe. Ita eodẽ recidere cogimur, nobiſcũq; vnà illi, vt cõſumptionẽ neceſſariò intelligãt alimẽti euaporationẽ per ſẽſus noſtros latentẽ trãſpirationem factã. Quòd ſi ita accipiũt, vt accipere neceſſariũ eſt, quãdo diſſonãt alia omnia: falſitatis conuincẽtur ꝓtinus, primaq; argumentationis aſſumpta ad concluſionẽ inferendã ꝓpoſito vacua veritate omnis reperietur. Nõ enim, vel ipſis libenter hoc faſſuris, maior noctu alimẽti euaporatio: contraq; potiùs in die maxima, nocte minima, vno Scholę totius Medicæ conſenſu, eſt. Sed hoc rurſus nolle vidẽtur. ſic enim aiũt: Propter calidi vnitionẽ intrinſecam maior præceſſit cõſumptio nocte, quã profectò caloris intrinſecus collecti in vnũ coitionẽ alimẽti diſſolutio nõ ſequitur, expãſi potiùs foraſq; delati diductionem ſequitur. Ergo quũ neq; hoc velint, nec illud poſſint: quod inconcinnè, atq; incõpoſitè ab his ſtructũ ruiturum dicebamus argumentũ, omni ex parte vacillans, nec tibicine vllo ſuffultum, ruit. Secus enim, quàm conficere ex his ſe poſſe credebãt, ac cõtraria ꝓrſus euenire perſpicimus omnia: nec diflatione maiore noctu vlla, & maiore quidẽ per idẽ tẽpus concoctione reperta, ſed quæ nec cõſumptio vllo penitus modo alimẽti noui ſuggeſtionẽ expoſcẽs, euaporatio videlicet toties iam à nobis allata illa, dici poſſit: nec propterea, ꝙ nocte maior fiat cõcoctio, idẽ die quoq; fieri poſſe credendũ, diuerſiſſimis ac cõtrarijs maximè de cauſis, quæ cõcoctionẽ noctis quàm diei, euaporationẽ diei quã noctis, maiorẽ vehemẽtioremq; nobis ſemper perſuadeãt. Vt ad argumentũ. Verum eſt: cõſumptio noctu maior, ob innati caloris intrò actã collectionem, ſi cõſumptio hęc concoctio illis erit. ne ſimus enim, quanuis abſurda hæc nomenclatura ſatis, de hoc moroſi valde. Sed nihil eorum quæ volunt ex hac veritate, aliorſum atque res ipſa eſt ſpectante, colligent, vt docuimus. Falſum: accepta pro alimẽti euaporatione

voce

voce cōsumptio. Ne sic igitur quidem colligere illis quicquam licebit. Quumq; neq; hoc, neq; illo adstruere opinionem hanc suam queant modo, alios autem habeant nullos: concidat tota illorum, prorsusque iaceat, ratio oportet, cumq; hac aliæ, quæcunque largiùs nobis prandendum quàm cœnandum esse persuadere conabuntur.

Quinam legi huic cœnandi, ac prandendi ita, eximantur. Et qui aduersus eam peccent. Et quomodo artificiosè tractandi in hoc aliqui, vtputa Agricolæ, atque huiusmodi, aliterque assueti. Tum aduersantiū sententiæ huic argumentorum refutatio.

CAP. V.

NEc dubium cuique futurum esse existimo, quæ hactenus dicta, ꝓnūtiataq; superre hac sunt, ea tēperati omni ex parte, rectéq; vndique cōstituti humani corporis respectu accipi inprimis, præq; omnibus alijs debere: tum verò, plurimorum quoq; aliorum ordinum, ac conditionum, ætatum, temperaturarum, temporum cōstitutionum, propriū ac peculiare habendū idem esse. Neq; tamen sic perpetuum faciemus, quin incidere aliquādo tempora, & interuenire occasiones posse fateamur, quib᷒ aliter, quàm institutum hoc ferat, seu ratione persuasis, siue etiam coactis, agendum nobis, & tanquam de via digredi necessarium futurum sit. Nam quem nunc posuimus temperatum hominem, eundem & liberioris vitæ, nec cuiquam addictum, sibiq; vni seruientem, nec operis quicquā intempestiuè aut coactè facturū, ponimus: vt, cuius reliqua omnia cōueniant, etiam vitæ genus ab hac viuendi lege nō discrepet, possitq; in tempore cūcta sanitatis tuendę ꝓcepta exequi.

Quicunq; verò, vt agricolarum seruileq; ac laboriosum opus aliquod faciētiū multi, quum temperamento eorum & naturæ prandiū tenuius, cœnaq; vberior omni ex parte quadret, ipsi tamē secus faciunt: non hi legi se eximunt iure, vt ijdem hi opinantur, sed contra Salutaris Artis præcepta ac leges faciūt, peccántque, & peccati dāt pœnas grauissimis tandem, quod Galenus (De facul. alim. j.) aiebat, morbis correpti, & senectam sæpe morte præuenientes. Secus, qui aliqua de causa legitimè rationibus his aduersante faciunt, vt qui morborū fortè accessionibus (quāquam de sanis tantummodo disputari hoc loco debeat) sub cœnæ tēpus corripiūtur, aut cōtrariam iam consuetudinem, cœnandiq; tenuiùs & liberaliùs prandendi morē induerunt. hi etenim lege ea non tenebuntur, verè meritoq; exēpti illi, à qua morbi eos tū natura, aut consuetudo immunes fecit. Itaq; impunè illi, non contra legem quidem, quippe quibus dicta ea non est, sed aliter tamē atq; lex illa monet, prandio vtentur vberiore, & tenuiore cœna: si aliter faciant, tum demū non impunè facturi. Longè enim alia est, eximentium se legibus, & contra leges facientium, ratio. alteri nanque impunè faciunt, immunes: alteri, qui deberent, nec pręstāt, nūquam impunè ferunt, & semper pœnas luant oportet aliquas.

Quocirca non rectè considerâsse videntur, qui exceptione vtuntur fossorū, messorúque. Quasi qui, neglecta prādij & cœnæ, quā rectā esse ostendimus, ratione, cōtrariā ingredi viam, siquidē rectè agendum illis sit, debeant. Quū è diuerso potiùs, modò vacet his parūper, & abstinere possint à laboribus statim à prādio ineundis; & vsuri pro iustissimo exercitio sint suo tempore laboribus suis illis, & sumpturi prandium tenuius cōmodè atq; innoxiè, cœnam liberaliùs. ita plane fit, vt rectam regulę huius normam non sequantur, non eo quòd corporis illos natura, aut constitutio subtrahat legi, quam non ferat, fert enim: sed consentientibus omnibus errore vno quidem, sed maximo tamen illo, implicantur, opus post cibum statim faciendi. Quin, si qui eorū in potestate adhuc sua haberent, ac moderarentur, vt paruam modò facere temporis iacturā in opere faciundo liceret illis, suumq; illud opus, quodcunq; facturi essent, tempore inchoare, tēpore desinere; vt, priusquàm siccescere incipiant mēbra, desistant, quæ iusta Exercitationis lex est: nihil prorsus sensuri ex hoc incommodi sint, demptaq; vnà intempestiuè, ac pręter tempus laborandi necessitate, si hanc exuere solam queant, cætera omnia responsura illis ad sanitatis tutelā, qua diximus prandium & cœnā lege sumētibus, egregiè sint. Eamq; ob rem lex his dicta scriptaq; videri eadē omnino possit, si à necessitate se aberrandi in ea, contraq; illius præcepta faciendi, vindicare queant, vt plurimi certè queunt. Quòd si nequeant: in illam operis partem relegandi sunt, in qua de implicita negotijs & incommodis multis vita, vt, si maximè Salubria sequi præcepta cupiant, facere tamen id seruitute aut necessitatibus alijs coacti non possint, tractabitur: non hic de illis agendum.

His autem, qui opere faciundo robusto validoque vitam degunt, prandium præscribere copiosius, tenuiorem cœnam; vitæ genus id, moremq; capiendi ita alimenti eum commendantis est. Quod Artificis certè Salubris non est, errata, præcipuè verò tam aperta in sanitatis tutela, quæ plurimos secum morbos, & eos quidem perquàm atroces sæpe trahunt, interdum

etiam mortem præſentem accerſunt, quaſi collaudâſſe. Trahi verò, & accerſiri mortẽ, etiam ſi Galenus nullus nos de hoc monuiſſet ipſe: at horum vitã, ſucceſſusque in ea, obſeruãtibus planum manifeſtumq; ſatis futurum eſſe arbitror. Ineunda potiùs erat ratio, aliqua & prȩmonſtrãda via, qua fieri poſſet ratione, poſtquàm ita facere coguntur, nec laboribus operibusq; ſuis parcere in tempore poſſunt, (quoniam nemini nõ mortalium omnium conſultum, quantum in ſe eſt, eſſe vult ſemper Salutaris Ars hęc) minore id periculo, minoreq; ſanitatis diſcrimine vt fieret, potiùs quàm in manifeſta nimis errata adducerem⁹: vel, ſi prȩſtare id nobis non liceret, Artisq; prȩſidio omni deſtituerentur, vt multi certè ſunt, quibus nõ facilè artium præcepta vlla accommodes; ſuæ ſibi illos conditioni relinqueremus, nõ noſtra nos opera & conſilio erroribꝰ illos periculoſis implicaremus. Quod hercule cum alijs quoq; omnibus facimus, quorum tale vitæ inſtitutum eſt, vt prȩcepta implere Salubris Artis omnia, negotijs plurimis ac diuerſis impediti, nõ ſatis commodè poſſint. rationem enim tunc inimus aliquam, quam minora omnino incommoda comitentur. Vt ſi fortè lauare quem oporteat, facere verò id negotijs obrutus nequeat in tempore: differat ad veſperam lauationem, tantumq; intereà cibi capiat, quantũ antequàm lauet confectum iri poſſe ſperet, potiùs quàm poſt cibũ balneo ſtatim vtatur, vel inſigne erratum tale aliquod admittatur. hoc enim exẽpli tantùm cauſa attulimus. Pariter in his, quorũ in opere aſſiduè faciendo opera poſita eſt, inuenire tur prãdij adhuc minoris ſeruandi modus aliquis, quo præterea ſupereſſe laboribꝰ corpus poſſet. vt ſi valẽter admodum nutriẽtibus cibis veſcãtur, ſolidisque, ac minimè fluidis, in maiore etiamnũ cœna, ac minore prãdio, hoc enim intelligendum ſemper eſt. Sequuturis quidẽ hîc quoque incõmodis omnino, ſi poſt prandium in opere protinus faciendo verſentur: ſed longè, quàm ſi largiore vſi prandio idem facerẽt, minoribus. quippe quum nec tam facilè abreptũ iri de ventriculo eius generis cibaria vſq; eò cruda, nec tam multa, veriſimile ſit: & intereà valentiùs alentia ſuggerere virium ſatis queant tolerando labori. Plurimum inſuper copioſiore cœna, ex ijſdem optimè nocturni ſomni, cuius maximum ſemper illi vſum ſentiũt, beneficio concoctis, ſuſtentandæ in opere faciendo habitudini toti ad inſequentis vſq; diei vſum immiſſum iri viriũ exiſtimandũ. Vel hac igitur, vel huiuſmodi quapiam alia ratione (nam obiter tantùm de his dictũ hoc loco eſſe velim) ſuccurri minore multo ſanitatis eorum amittendæ periculo, neque prorſus tamen poſthabitis Salubris Artis, quæ prandium & cœnam reſpiciant, regulis, vt ego quidem exiſtimo, huic hominũ generi ac conditioni poſſet.

At enim, inquient, niſi benè exaturatos ſe repleuerint hi in prãdio, ſufficere diurno labori nõ poſſint; & aſſiduo robuſtoq; labore ſicceſcent membra, quæ humeſcere potiùs operæpretiũ ſit. Vt opinor, nõ ſicceſcent, ſumpto, qua modò diximus ratione, atq; eius generis, cibo. Et vt aliquantum ſicceſcant: non tantum ſuberit tamẽ morborum peſſimorũ timor, nec vitȩ alea ſubibitur, quãta ex maiore prandio inchoatoque ſtatim ab eo labore ſubiri ſolet: nec ea erit vnquam ob vnum hoc ſiccitas, vt longè præſtabilius nõ ſit, erratum copioſioris prandij, quod laborioſum opus excipiat, cauiſſe, obſtructionũ maximarum, & continuarũ ſæpe febrium, & phlegmonarum, & abſceſſuum, & huiuſmodi malorũ cauſam, etiam ſi ex parciore prandio vitari ſiccitas ea qualiſcunq; membrorum non ſatis aptè queat. Quæ nihilominùs facilè ſatis alimẽti diei totius in vniuerſum, cuiuſmodi diximus, exhibitione vitabitur.

De cõſuetudine verò quod dicunt, Eo ita illos prandere & cœnare modo aſſuetos benè ferre, & vel ter ſæpe ſaturos cõcoquere tamẽ egregiè alimenta poſſe; nec propter initum intempeſtiuè exercitium cõcoctionem in his ceſſare, quippe adaucto ex hoc calore, neq; appetentiam minui. Mirum verò, nõ addidiſſe eos ex Galeno, (De alim. facul. j.) & azymos ab his panes multo quã ab Athletis etiam ipſis cõfici faciliùs, & bubuleas carnes ſolere, & hircorũ, caprarumque, ad quod multùm conferre conſuetudinẽ vel Galenus ipſe fateatur. Sed & ſumptorũ paucitas, & cõtinua diei totius euaporatio, neceſſariò exantlatos labores illos inſequuta, hoc idẽ iuuat, inquit. Quin vulgo etiam commendari horum ipſorum robur addidit, beatosque cenſeri, quos, quod noſtrûm præſtare nemo poſſet, talia validè concoquentes videant. Idem propè, quod de illis, ijdem hi ad commendationem eorum tradiderunt, vera omnia in ſpeciem rerum præſentium quandam, qua felices multis illi videri ac beati ſolẽt, non reputantibus, quæ deinde mala eos ipſos ſequantur neceſſariò, rapiẽtibus ad ſe crudum omnino de ventre & inconcoctum ſuccũ, ob intempeſtiuum operis faciendi laborem, carnibus, habitu nimirum corporis toto, vnde morborum multorum periculoſorumque ſemper origo.

Verùm non ob id prandium eſſe cœna maius debuerit, quòd foſſores, meſſoresque, & id hominum genus, tota die opus facientes, idque poſt prãdium, æquè concoquere, atque appetere feliciùs alijs videantur.

antur. æquè enim id contingere in minore maioreq; prandio poteſt. Sed ſi poſt prandiũ, cœna ipſa copioſius ab his ſumptum, fiat, nec aliud ſequatur maioris incommodi quicquam: id verò fuerit, quod trahi in argumentum rei huiuſce poſſit ac debeat. Nunc nihil ſanè horum oſtenſum ab his fuit nobis: vt mirer ea adducta, quæ rem ipſam tãgere, & propoſitæ quæſtionis ceu ſtatum, cauſæque ſummam declarare, atque explicatam euoluere non ſatis videantur. Etenim re vera conſuetudo, quam huc allegant, illa non prandij magis quàm cœnæ eſt. Euaporatio autem quemadmodum & propter exercitium calor vehemẽs, quem iſti addunt, diei quidem ſunt magis, vt pertinere ad prandium ideo magis quoque videantur. Cæterùm neutrum horum concoctionem promouens inuerit: læſerit potiùs, auocatóque ab opere ſuo calore foras, digeſtionem quidem alimenti per corpus, & diſcuſſionẽ eiuſdem, reiectionemque de corpore auxerint hæc: ſed quę non quidem prandium maius, quippe poſt cuius aſſumptionem maxima ſui ex parte fiant; contraque cœnam potiùs vberiorem neceſſariò expoſcant ſubſequentem, vtpote quæ tantum exhalationis tranſpirationisque diurnæ reficere prandio conuenientiùs, quanquam hoc quoque ipſum partem, vt docuimus, ſuam conferat, poſſit. Prorſus vt duo hæc, diflatio alimenti maior, maiorque excitatus exercitatione calor, minimè quidem præſentis concoctionis efficaciam vehementiorem, ſed futuræ tantummodo refectionis, quæ concoctione ſuo tempore ſuisque rationibus inita peragitur, neceſſitatem afferant: quam vtrunque quidem elargiri, prandium cœnáque, cœna autem & commodiùs, & largiùs, & periculosè minùs poſſit. Diflatio autem alimẽti maior futuram, quod diximus, inſtaurationem expoſcit: vtique futuram, præſentem concoctionem nullam arguit. Excitatus verò exercitatione calor poſſit ille quidem, qua calor, concoctionis aliquid moliri: ſed perexiguam, ſed quæ cum diſtributione coniuncta vehementi plus ſemper incõmodi ſecum adferat, diſtracto ante tempus alimento crudiore, ob eamque ipſam diſtractionẽ impedito concoquẽdi officio, longè ſemper meliùs quiete perficiundo.

Eodem tendit cibi quoque parcitas, vt reficiendi corporis, quia parciùs ſumptus cibus citiùs euaporet, neceſſitatẽ maiorem, eóque concoctionis rectè atque ex ordine deinde futuræ, faciliorem vſum oſtendat, quòd minimè degrauatus antegreſſo cibo ventriculus, prorſusque iam vacuus, ſuſcepturus ſimul ac confecturus ſuccedentem illi faciliùs ſemper ſit. At hoc iterum prandio æquè ac cœnæ eſſe cõmune quum poſſit: tam enim id ſequetur hac quidem ex ratione, ſi prandij parcior, cœnæ vberior cibus fuerit, quàm ſi è contrario: prandio tamen attribui hoc loco debere magis valde rationabile eſt, quòd capiendi cibi morem temporum ſuorum receptiſſimũ hoſce quoque, hoc genus, homines, de quibus ſermo inſtitutus nobis nunc eſt, ſequutos fuiſſe, nimis quàm veriſimile ſit: nec ſanè, ſi aliter factũ ab his fuiſſet, omiſſurus Galenus fuerit, quin aliquam tam appoſito in loco mentionem eius faceret. Sic quidem in contrarium potiùs recidere illis iſta, rectè ita examinata, videmus.

Porrò autem conſuetudo, quam prauam eſſe conſtet, non in hoc, de quo nunc agimus, negotio, neque in Arte vbiq; Medica tantùm, ſed alibi etiam in re fermè omni non iccirco ſuſcipienda retinendaq; eſt, quòd noxam ſtatim nullam, & vtilitatis interdum atque auxilij ad res præ ſe ferre aliquid videatur: ſed, quòd inſigne tandem neceſſariò (neque enim expectandum aliud ex rei malæ vſu eſt) detrimentum rebus inde ſuis accipiendum ſit, ſenſim paulatimque dimouenda, idq; in tempore: ne in ſenecta demum, quum nullus, aut paucus admodum, introductæ melioris conſuetudinis futurus vſus eſt; vel aliâs mala vſq; adeò inoleuerit, vt nõ niſi magno tolli negotio penè iã inſuperabilis facta poſſit, atq; in neruum, quod dici ſolet, res abierit, decepti, ſerum nimis rebus noſtris fruſtra atq; inaniter auxilium quæramus. Nec Galenus de hac aliud, quàm conſuetudine in his iuuari concoctionẽ, dixit, quod nos quoque fatemur: at idem mala, quæ inde ſequantur, non reticuit, tum quæ nullus non timenda fugiendaque eſſe lubens ſemper fateatur.

Viuendi inſtituta quædam non rectè ſatis adducta fuiſſe, in quibus maius eſſe, minúsve prandium, aut cœna debeat, exercentium ſe præter conſuetum à prandio quorundam exemplo.

CAPVT VI.

Rurſus verò ijdem illi cõtrariæ Galeno ſententiæ authores (in quo tamen, dum Galeni de hoc dicta conciliare ſtudent, non parum illi ſe aduerſari non animaduertũt) vrgent, ac minùs validò, minusque laborioſo vtentes exercitio adducũt: vt ciuilibus fortè, aut familiaribus etiam negotijs implicatos, motoriamque ſemper vitam, & actionibus multis obnoxiam, agentes.

Qui-

Quibus bifariam diuisis, in eos, qui idem semper vitæ genus insistere pergunt, nusquam se aliò, maioribus, maiorisque operis ac laboris, functionibus commouentes: & qui hoc ipsum faciunt, prætereq; viuendi morem negotiosum quidem illũ suum, at longè minoris laboris tamen, aut equitant, aut iter pedibus ingrediuntur longius solito, aut aliâs præter consuetum peregrinantur. hosce igitur hi cœnare largiùs, prandere tenuiùs iubent, ideo quòd de Halyabæ authoritate exercentem se corpore esse emundato oporteat. Quasi verò commune hoc omniũ sese exercentium non sit, aut peculiare hîc, priuatumq; aliquod reperiatur, quare in his id fieri potissimùm debeat.

Itaque illa melior ratio, neque tamen bona: Quia, aiunt, in nõ exercitatione aut labori validiori assuetis concoctionis corruptela facilè sequetur, & succi in corpore praui generabũtur. At hoc ipso tamen facto minuetur, non tolletur error, si tenuiùs quis pransus equum statim conscendat, quàm si largiùs. vtrobiq; enim erratur, sed minùs in eo, erratur tamen: & vtrobique corruptela sequetur in non assuetis id facere, minor licèt in assuetis. Atqui ab Artifice benè sentiẽte erroris, minoris licèt, statui regula vllius vnquam vlla nõ debet, nisi admonito priùs de hoc lectore, auditoréve, errorem inesse in re. Sed neque regula etiamnum existimanda tunc ea est, atque eiusmodi potiùs, vt, quum quod regula indicârit recta facere nobis haud licitũ fuerit, id quod proximum est, quãuis in distortum actum, faciamus; non norma iam aut amussi, aut regula, sed errore, minore autem semper, quo minùs deuij à recta via feremur.

Piget respondere ad reliqua horum, qui lectione, doctrina, authoritate magni, iudicio sæpe (nisi ipse non benè prorsus iudico) vacillante sunt: vt quum vberiorem dandam his esse cœnam dicunt, proptereà quòd debilitatus interdiu calor, dissipatusque, noctu demum vnitus inualescat, conficereq; ideo alimẽtum maius queat. Atqui diurnæ lucis Solisq; calorem, ac spiritus inde viuificos cõfortatos, (sic enim loquuntur) non semel hi, atque adeò disputatione eadem, maximam haberi concoctionis causam dixêre, præcipuè verò ciborũ. nam superfluitatum humorosarũ palmam nocti tribuere visi sunt concoquendarum. Nunc desultoria quadam arte posthabere videntur, pro eo, ac debẽt quidem: sed nihil inde tamẽ in rem suam confecturi. Hæc enim vt sit causa equitaturo, aut iter, aut opus aliquod facturo, facere id antea non consueto, quæ communis reliquis pariter omnibus idem faciendi causa sit? priuatam mihi rei huius, ac peculiarem causam aliquam inueni, propter quam agendum id ita esse appareat. Prandium fortasse conueniet solito minus equitationi, aut itineribus desueto; sed nullo prorsus, quod ad hoc attinet, tum cœnæ respectu, nec quòd felicior maiórve hîc ibíve cõcoctio succedat; atque ob hoc vnum, ne prægrauante ventriculum cibo onus agitatione nimia sentiat, & corruptelam fortè incurrat. Huiuscemodi multis scatent paginæ, quæ persequi animus non est cuncta. Specimen tantùm exhibere operęprętium esse duximus, propositionis veræ per se quidem satis, sed cui, quum non admodum quadrare videantur rationes confirmandæ illi adductæ, inusta forsitan appareat falsitatis alicuius nota.

Nos vtrunque contra leges Medicas facturum arbitramur: quique prandere minùs, cœnare plùs; quique è diuerso facere solitus, equitationi se, vel itineri, vel operi alicui, id genus, factitando, non assuetus antea, non in tempore committat: quando vel assueti in eo peccent, assuetudine quanuis ea minùs tunc lædantur, lædendi tandem tamen pòst. Nec iam huius non satis rectè facti rationem reddi vllam posse credimus, quòd erratorum excusatio potiùs sit, quàm rationum redditio: vt hîc quoque necessitate se coactos aliqua id facere, aut fecisse excusent: non rationes afferant, aut argumenta. quas enim afferant? Minùs tamen semper peccârint, non assuefacti priùs laboribus huiuscemodi à prandio obeundis, vtrocunque modo cœna prandióve vtantur, plùs minúsve alterutro, si de consueto aliquid semper detrahant, hoc facturi: vt, etiam si prandere aliâs minùs cœna consueuerint, demant tamen adhuc, ac parciùs etiamnum prandeant. id quod principalem de cœnę & prandij quantitate disputationem non attingit, sed interuenientis fortè casus consideratio, ac deliberatio quædam est, argumento, quòd si à cœna idem eueniat, vt labores subeundi nobis ijdem sint; quanuis largiùs cœnare soliti, rectè tamen facturi simus, si consuetæ largitati subtraxerimus nonnihil.

Contra præcipientes, multo maximam hominum partem, quæ minimè sese præter consuetum exercendo magnopere commouet, largiùs prandere, ac tenuiùs cœnare debere. Dilutáque argumenta illorum quædam.

CAPVT VII.

Pergunt,

PErgunt, & eos, qui in eodem vitæ instituto manent, domesticis ac ciuilibus tãtùm negotijs occupati, quę multo maxima mortalium omnium pars est, non sese exercendo præter solitum magnopere commouent, largiùs prandere, tenuiùs cœnare ex præcepto volunt. Quòd Antiochum Medicum, Galenus, & Telephum Grammaticum, id factitare solitos (De tuen. sani. vj.) scripserit. Quòd non validæ satis concoctionis corpora, qualia credunt esse horum, Solis caloribus, totiusq; diei luce iuuentur. Quòd euaporationi interdiu cutanei meatꝰ apertiùs pateant transmittendis superfluitatibus. Quòd naturam nocte, vt quum maximè, crudorum humorum concoctioni intentam, auocare ab opere suo ciborum insuper congestione maiore non liceat, quos vnà & crudos humores illos in huiusmodi corporibus concoctrix facultas, noctis licèt beneficio collecta in vnum, eòque fortior facta, fortis tamen adeò euadere nequeat, vt concoquere simul valeat. Quòd excrementa nocte non admodum reclusis meatibus, & intrò se agẽte calore, nocturnóque frigore resistente, nõ valde transpiratione dissipentur. Quòd valida noctu facultas, concoctrixque inprimis sit: valida autem & robusta per se sustentari satis queat, haud ita valde alimenti maioris egena. Denique quòd benè lautéque ac liberaliter pransi, exercitationem, in qua quantum repositum sit ad sanitatis custodiam vsus ac commoditatis, nulli non esse compertum atque exploratum debeat, commodè, suoque opportunè inchoare nobis, & perficere tempore licebit: in vberiore verò idem cœna non licebit. Cuius ingesta copiosiùs cibatio, quãdoquidem vltra horarum duodecim spatium moram in ventre trahat, (hoc ipsi sibi pro confesso, ac demonstrato iam sumunt) priusquàm concoctio expleatur prima, huicque deinde ipsi succedere iecinoris insuper secundam oporteat, quum cõfici tempestiuè satis nequeat, in tempus incurrat exercitatio necesse est matutina, vix dum inchoata iocineris concoctione, contra exercendi se leges, ac præcepta. At in largiùs pranso longè aliter eueniet, inquiunt, vt in noctem quidem vsque ventriculi concoctio extrahatur, eóque primùm tẽpore iecinoris incipiat altera: cęterùm producta ad surgendi vsque manè de somno hæc, calore iam se foras agente, commodissimum omnium tempus exercentibus se relinquet, prima secundáq; ex toto iam concoctione peracta, ventriculi quippe & iecinoris, venarumque; tum verò incipiente membrorũ tertia, quæ quasi oppositũ prioribus motum, nempe internè exteriùs actum, exposcere videatur.

Atque hæc ferè sunt horum argumenta, partim extra rem, partim non satis aptè ad rem allata, partim falsitatis apertæ crimine condemnanda: omnia autem inconstanter nimis titubantia, & hercule tanta hominum horum authoritate, nominisque, & eruditione indigna. Quædam verò eiusmodi, vt, responsione digneris'ne illa, an silentio potiùs transmittenda sint, nescias: ne aut habuisse, quod respondere posses, nihil, aut nugas agere voluisse, videare. Quæ quum ita sint, percurrisse tamen cuncta operæpretij aliquid in eo erit: quòd nec, qui nondum magnos fecerunt in Medicorum libris progressus, (nam prouecti magis per se facere id possint) veritatis indagine aliqua, viæque ostensione in hanc ipsam ferente, carebunt prorsus; & transferri eadẽ ad multa prætereà alia non disputationis modò huius, sed huiusmodi etiam aliarum quarundam, perplexa inter se, euoluenda, atque extricanda poterunt.

Ac de Antiocho quidem, & Telepho, quorum hi in rem suam exempla trahere conati sunt, posteriùs meliùs viderimus, in Gerocomica artis parte. Illud verò intereà: Non venisse illis in mentem, nec animaduertisse extra cancellos propositę quæstionis, quæ de prandio & cœna, gemina quippe tantùm cibatione, instituta est, longiùs ferri, qui ter cibum in die capientes huc allegent. Pereat enim extemplò, ac conuersa sæpe fiat prandij cœnæque ratio vniuersa ter sumentibus cibum, necesse est. vt si quis aut ientaculo nimio, aut merenda itidem nimia vtatur; cui dubium, demendum de prandio, aut cœna huic aliquid semper cum ratione fore? Quòd si iusta seruetur in vtroque, vel alterutro eorum, quantitas: sua pariter quoque seruabitur, quæ priùs fuerat, prandio cœnæque proportio, vt pro rata omniũ parte habitura meritò semper plus sit cœna. Quemadmodum hîc quoque factum existimare non irrationabile rectè cuncta dijudicanti videbitur, manifestiùs in Antiocho; paulò obscuriùs in Telepho, & factum tamen. Prandium enim huic olera primùm, nempe paucissimi alimenti cibus, & ille quidem deijciendæ potiùs aluo idoneus, quod ipsum de aliorum quoque cibariorũ alimento multum demit, subductis scilicet ex ventriculo ante exhibitum iustum de se alimentum illis, post quæ piscium aut auium aliquid gustatorum tantùm (ἰχθύων, ἢ ὀρνίθων γευόμενος,

μενος, quidem ait) sumebat. Cœna autem vespertinusque cibus, panis tantùm ex diluto vino sumptus. Mitto tantum esse id panis potuisse, quum hîc cœnæ, quod ibi prandio, γευόμενος illud non adscripserit, vt proportione facilè vel pisciculos, vel auiculas prandenti sumptas (non enim vtrunque sumebatur) superaret. Illud verò quis non videt, vel eiusdem quãtitatis panem cũ vino, præsertim quale senibus semper consulimus, egregiè nimirum nutriente, piscibus aut auiculis longè cùm alere valentiùs, tum paulò etiam difficiliùs concoqui solere; inque eo proinde seruatam fuisse cœnæ etiam nũ portionem maiorem suam illam.

Nam de Antiocho ambigere nemo potest, quin parcius prãdium illi semper, cœna instituta plenior paulò fuerit. ἠρίστα, inquit, σύμμετρον, modicè pransus, vt emollientium aluum aliquid sumeret, postque piscium etiam nonnihil, præsertim verò saxatilium & pelagiorum. Nihil hîc panis. nam panem Antiochus manè ientans cum melle sumere solitus fuerat: vt prandium non solùm quantitate modicum, verùm etiam qualitate tenue intelligamus. Cœna illi optimi quidem succi edulium aliquod, quod idem nõ facilè corrumpi solitum sit. At hæc scimus, quæ non ita facilè corrumpuntur, eadem nec concoctu quidem facilia, & nutricatu potiora semper inueniri. Eiusmodi erat illi, dimissis piscibus, far cũ mulso, benè & ipsum nutriens, aut ex simplici iure auis. Cùm factum igitur hîc ita videmus, tum idem faciendum Auicennas quoque ipse præcipit, ter senibus capiendum cibum, eumque in cœna, quanquam parum, augendum esse iubens. Quinimò, quo nihil in tãti nominis Authore mirandum magis, illi ipsi in eadem non dico disputationis eiusdem pagina, ac penè columella eadem, versibusque ijsdem, ter cibum capientibus copiosiorem cœnam, additis etiam causis lõgioris somni & futurę quietis maioris, imperant: suamque ita ipsorum vocem, paulò antè conceptis verbis ex ore suo missam, turpiter'ne, an imperitè magis, magna certè atque oscitabunda obliuione ignorant. Ergo exemplum vtrunque ab his de re hac allatum nullum iam.

Videamus an stabilitę magis rationes horum ipsorum maneant. Corpora, aiunt, huiusce viuendi instituti hominum (id enim semper intelligendum est) parum ad concoquendum valida, Solis calore, luceque adiuta, quo ferè tempore sumi prandium solet, meliùs concoquent: vt ideo plus tunc quoque exigere conficiendi alimenti videantur. Verùm, Nunquid nam, quæso, tam debilia erunt huiusmodi corpora, tamque caloris natiui, ac spirituum, quos illi diei luce, quia lux quoque ipsi, vel lucis effigies quædam sint, viuificari dicũt, parum habebunt, vt non nisi luce ac Sole excitati moliri concoctionem possint, tanquam sopiti priùs, ac demortui penè iacentes? vt in vrsis, montanis muribus, gliribus, plurimisq; id genus animalibus? Quorum natura latibula hyeme quærere, & ob caloris natiui paucitatem debilitatemque paucissimo esse cibo contenta, plurima etiam eorum nullo, non ignoramus. Qui tum demum calor vertẽte se anno, & redeunte ad nos Sole, vires iterum quasi exuscitatus sumat, & alimenta exposcat. Quod hoc hominum genus erit? vt pariter illorum calor Solis calorem, dieique lucem expectet, ad meliùs & validiùs coquẽdum? aliter nihil, vt memoratorum nuper animalium, acturus, nec alimentum quidem conficiendum aggressurus, vt similitudo per omnia quadret? Tametsi enim Hippocrate authore, (Aphor.iij.) Naturarum aliæ hyeme, æstate aliæ meliùs, deteriúsve se habeant: inueniri que ideo inter has quædam possint æstate fortè quàm hyeme meliùs cõcoquentes: id tamen in vniuersum tantummodo valuerit de anni tempore. Traduci exemplum ad diei noctisque cõcoctionem non potest: vt videlicet iccirco die, qui æstatem referat, quàm nocte, quæ hyemem, concoctio melior peragatur. Illud enim vt subsistat meliùs innatus imbecilliorum natura calor æstate facit, q hyeme oppressus fortè nimis periclitabantur, essentiæque solummodo illius est potioris opus, idque partes tunc corporis omnes æque peruadentis, ac tam in corporis ambitu, quàm intus in penetralibus robusti imbecilli ve: hæc autem diei noctisque discrimina, agentis operatique caloris sunt, & actionũ functionumque eius, intrò forásve acti, collecti aut dissipati, validarumque iccirco aut debilium viriũ, opus. Proinde ijdem hi, qui æstate meliùs valere, ac cõcoquere, natura; hyeme verò deteriùs, dicuntur; æstate, quum validiores inueniuntur, noctu tamen faciliùs concoctionem exercebunt pariter, atque hyeme, quum debiliores: atq; pro anni tempore ac ratione maior melior q; noctis semper succedet concoctio. Etenim qualiscunque natiuus, aut qualem cunque tandé ob causam, non solùm ob anni tempora, validus aut debilis calor, modò non iacés prorsus, ac veluti, vt animalculorum quorundam, intermortuus, opus exercens vehementiùs atque efficaciùs vnitus semper congregatusque, quod nox præstat, quàm dissipatus diductusque, quod dies, exercebit. Atqui neminem, vt arbitror, reperias, cuius, qualis latitãtium hyeme, torpens

pens ,prsus innatus calor habeatur. Quòd si igitur nullius prorsus hominum calor is est, qui cibum nactus ferietur admodum; aut si cuius est, monstrum id esse hominis oporteat; atque omnium hominum nunquam cessans, neq; ab opere suo desistens, semperque operatus calor coquit, conficit, digerit, euaporat: nō ille Solis calorem, diurnæque lucis aduentum morabitur, vt opus incipiat. at inceptum tamē perfecturus est nocte, an die meliùs? In quo videāt, vtrum ipsi ad hoc eligant, postquàm non ea, quam ipsi sibi finxerant, causa promoueri diei beneficio concoctionem posse vident: num fortè noctis ad id opus deligendum magis tēpus sit, quo natiuus in vnum coiens maximè viget calor, potiùs quàm diei expansum, dissipatumque, atque à penetralibus focoque longiùs suo, feliciùs id præstare eum posse credamus. Hoc nimirum quum omnes libenter fatentur Medici elegantiores, tum isti quoq; fassi non libenter minùs sunt, hac eadem operis sui in parte, de alijs: ac nunc quoque de his, huiusque vitæ propositi, hominibus fateantur necesse est, nō inuenta quam putārant causa. Vbi enim tanta caloris imbecillitas in humano corpore? minimus omnium calor, maximéque imbecillis, eorum est, qui, tanquam vina debiliora trāsfretationem, aut transuectionem longiorem; sic maiorem ferre exercitationē non possunt, quin ad labores paulò nimios fatiscant statim, atque flaccescant. Et horum nihilominùs maiorem, efficacioremque futurum fore nocte calorem in vnum collectum congregatumque, quàm diductum diffusumque die, nemo nō fateatur: quum videlicet extima corporis petēs dissipari totus periclitatur, quo debilior atq; imbecillior, eo celeriùs, certiusque. Quonam igitur, quæso, modo imbecillior ad concoquendum calor, quem foras quacunq; de causa euocatum omni alio citiùs periturum cōstat, Solis calore ac diei luce inualescet? eadem vt causa ad perniciem sui vocet, simulque robur addat.

Ecce tibi igitur conuersam argumēti totius rationem in contrariū, quàm isti opinabantur, falsæ propositionis inductione persuasi, de corporum imbecilliore concoctione status & conditionis hominū, cuiusmodi posuimus, vitę minùs negotiosæ, minusque laboriosę cuiusdam, & ciuilibus tantummodo actionibus se immiscentis, de cætero tranquillæ maximè, ac quietæ. Quorum si hominum genus non athleticè valent, viuuntque: at salubriter valent, & producere vitam athletis longè magis possunt: sanitatem autem longè semper meliùs, quàm illi, tuentur suam, concoquendi quidem viribus non tam validis, sed tantis tamen, vt vitæ longissimæ ac saluberrimæ, negotijsq; instituto suo accōmodis expeditè semper peragendis, satis superq; futuræ sint, si rectūm inchoādæ perficiundæq; concoctionis tempus ac modus seruetur. Quod non exempla modò ostendant Telephi atq; Antiochi, tam exacta ætate hominum, minimè quidem Athletarum, messorumque, aut fossorū; sed alterius Medici, Grammatici alterius, negotijs autem suis placidè vtriusque vacantis: verùm etiam quotidie quęrentes reperiemus eiusdē conditionis ac status hominum innumeros.

Paulò fusiùs tradita ista sunt, quòd ex his patere satis possit, quid ad id quoque, quod deinceps attulére, dicendum sit. Nam quū ostenderimus, nō hoc concoctionem iuuare, quòd cutanei meatus die quàm nocte apertiores superfluitates emittāt; sed illud euocati potiùs foras caloris opus esse, quo tempore minùs multo concoquendo agit, quàm quū in foco & penetralibus suis operi incumbens insistit, non dissipat, aut digerit: (quod suprà quoq; explicatū satis est) simul & illud ostensum fuerit, non debuisse ab his id pro copiosioris prandij argumēto in medium adduci, quod manifesta præuaricatione facturum contra illos esset. Non enim, quia diei Solisq; calor plus exhalatum dissoluat, eodem tempore necessariò subministratio statim, sed reficiendæ euaporationi necessitas quidē paratur maiori semper maior; at, quo primū tempore peragi ea cōmodè atq; ex vsū possit, ineunda peragendaque. idq; noctis potissimùm, ob toties iā dictas causas, sumptorúmque in cœna concoctione fiet, subministrante intereà tempore suo partē quoq; suam prandio, quasiq; in vnum cōspirantibus vtrisq; ad diei totius factam alimenti deperditionem instaurandam. Verùm hæc quoque explicatiùs priùs tradita. ne actum agamus igitur.

Ineptire, qui succorum cruditatem noctu magis, alimenti de die, concoquendo confici posse arbitrantur: Rationesq; de hoc allatæ multæ, & Authorum testimonia, quàm inconueniat.

CAPVT VIII.



ILlud Achilleum magis, vt alicui videri fortasse possit, reuera autem inane, in quo noctis iterū beneficium agnoscunt, caloris innati multum quidem colligentis: at non qui cōcoquere tamen & ingestos ex copiosiore cœna cibos, humoresq; prætereà crudos, quibus quasi eiusmodi corpora nimiùm redundent, va-

leat. Ferè autem fieri opinantur, nocte vt concoctrix facultas cōcoquendos sibi crudos hosce humores aggrediatur, quàm cibos; die cibos, quàm humores, magis. hoc enim velle vidētur: & nisi velint, argumento nullo, vel maximè inani, vtētur. Mirum verò, vnde hæc acceperint; & à quonam illis ista reuelata numine fuerint Medico, dixissent, meliùs crederemus. Quid? partietur operam suam concoctrix facultas, & diei cibo conficiendo, vel maximè huic; nocte humorum cruditati, vel huic certè inprimis, coquēdæ meliùs addicet? Quamnam id ob causam? Ego inire nullam certam possum: nec ipsi aliquam indicārunt, simpliciter ita persuadere nobis idipsum conati. Num quia fortè, quāquam ipsi non dicant, concoctio primùm alimenti peragitur, cuius si quid crudi remanserit, quod caloris innati elaborationem subterfugerit, id insequens deinde concoctio excoquat totum? eiusq; maximè hoc opus sit? Verùm, siquidem consequutæ concoctionis munus hoc est maximū, non magis collectos ex prandio crudiores succos nox, quàm ex cœna dies, coquendos conficiendosq; habuerit. Cur igitur, quum nulla huius magis quàm illius prærogatiua in hoc sit, vni tributū videmus, quod ademptum alteri? vt nox succos magis crudos concoqueret quàm cibos, dies minùs. nondum enim causa vlla apparet, si alterius alteri conficienda cruditas fuerit.

Quòd si, quia nocte concoctio feruet magis vigetque, iccirco crudi per id tempus succi cōcoquendi magis venient: videant, ne è diuerso potiùs existimādum sit, & circa alimentum meritò magis futura facultas sit, cui demādatum hoc muneris est, quanto quidem aptam idoneamq; magis id concoctrici facultati materiā exhibet; vt quo validior hæc atq; efficacior, eo quoq; in ꝓpriam materiam valentiùs feratur. Quod agentium causarum omniū proprium, ac peculiare est, vt in conuenientem magis sibi materiam cōuertant se. Cōuenire autem concoquendi facultati cibum, alimētique, quàm crudorum succorum, materiam magis; præter alia, quæ dici de hoc possent, illud etiam esse argumento debet nō paruo, quòd alimēti noui ingestione à crudorum succorum cōcoquendorum elaboratione concoctricem facultatem ne remoueamus, admonemur subinde. quasi quæ auocetur ita ab illis, & ad coquendum alimentum se conferat; aut nouo addito alimēto, vtriq; rectè vacare, vt vtrunq; conficiat, alimentum & cruditatem, non satis queat.

Sit sanè igitur ęqualis concoctio vtriusque, nec harum magis, quàm illarum partium existimemus facultatem hanc: ne videlicet animal nobis ex ea faciamus ratione vtentem aliquod. tametsi animal non facimus, sed propriam illi materiam, quam libentiùs insequatur, tribuimus. Cæterùm perinde succorum ac alimentorum cruditatem excoquendam aggrediatur innatus calor, quoties vtrunque in corpore subest; noctuque magis id, quàm interdiu fiat, ob vnitam magis facultatem, & intropulsum natiuum calorem: sed diurnum quoq; tamen tempus partem ad id suam conferat, quocunq; crudos subesse succos tempore contigerit. non dubium, si conficiendi insuper alimenti onere leuabitur concoctrix facultas, faciliùs cōcoctum semper iri cruditatem succorum eam, nouiq; ideo his casibus alimenti iniectione auocandum aliò non esse innatū nobis calorem, ne inconcoctos humores relinquat; tātò quidē magis, quòd cruditatem cruditati accumulāsse minimè liceat.

Hoc igitur verissimū perpetuò esse reperietur, diligenterq; inprimis agendum à Medico, salutiq; tuendę pręfecto, ne quando erratum id rebus suis admittat, maximo semper damno in sanitatis tutela futurum: minuēdusq; hac de causa præsentibus crudis in corpore humoribus cibus, si non in totum auferendus. Quod nos quoq; libenter fatemur, ac sedulò cauendum esse præcipimus, ne excoquendis prioribus cruditatibus occupatam nouo insuper aggesto cibo oneremus facultatem, vni plerunque operi, si paulò id nimium sit, non satis facturam, nedum vacare vtrique commodè possit. Hoc si faciēdum nobis est, faciamus sanè, quoties necessariò faciendum esse viderimus. Et in liberaliùs cœnare consueto, prādere parciùs, suam vtriq; subtrahamus partem; paulò maiorem cœnæ, minorem prandio: prandere autē solito largiùs, cœnare tenuiùs, è diuerso de prandio plus, de cœna demendum minus, iuxta consuetudinē, hoc enim vincit ratio. Ducere autem argumentum ex hoc cœnæ in vniuersum minoris, maioris prandij, contrà ve, qui liceat? præsertim verò, quum nec temperati hominis atque in totum liberi cōditio, de quo pronuntiari in commune Medicę regulæ debent; neque verò eorum, de quibus disputationis pars hæc instituta est, ciuilē ac placidè negotiosam vitam degentium, hominum status ferat, vt dici de illis hoc ipsum possit. Qui si eiusmodi esse debent, vt crudis per corpus humoribus redūdent: qualis demum futura est illorū vita, vt excoquendis succis his crudis potior, quàm alimēto, futura semper nox sit; dies alimēto, quàm succis: atq; ex eo, quod iā in præter naturam vergit, neutralitatis certè participes facit, prandendi cœnandiq; legem

sibi

sibi dicant? Sin, quod rationabile ac longè verum magis est, naturaliter potiùs agẽtes, tuncque, quum succorum cruditate nõ laborat corpus, in eo demũ rectè prandij ac cœnæ statuere sibi modum debent: frustra cruditas istiusmodi minuẽdæ cœnæ, prãdijq; augẽdi, causa huc allegabitur: aut bonam certè, maioremq; generis totius humani, quam meliùs multo maximã esse partem diximus, sic affectam esse fatendum nobis erit, vt de sanitatis possessione deiecta in neutralitatis statum, adeoq; extremos sæpe huius limites, valdeq; morborum prouinciȩ proxima spatia, relegẽtur. Quos nihilominùs ad iustæ ætatis terminos peruenire, plurimosq; ac salubres, longè quàm alterius alicuius vitæ instituti homines, exigere annos videmus. id quod efficere in ea succorũ cruditate, haud sanè factu illis futurum facile fuerit. Nemo autem, vt opinor, ignorat, quantum crudi illi in corporibus succi afferre malorum, aut quot, quantaq; nocumenta soliti sint; siue illi primam corporis totius regionẽ, primasq; venas; siue secundas, venosumq; genus totum occupârint; siue etiam in habitudinẽ dispersi, vniuersumq; habitum, decolores, & μολυβδοχρῶτας quos Græci ex coloris argumento ita vocant, quasi plumbicolores, homines quosdam reddant. Quod quantũ à sanitatis notitia, qua maxima mortalium pars frui debeat, absit, vides. Remedia certè adhibere his iubemur in confinio iam morborũ positis, qualia iã iam illos ipsos incursuris debentur, magna semper victus totius rationis consideratione, alimentiq; (quoniã ipsi sæpe pro alimento succi crudi sunt) non in cœna quàm in prãdio magis subtractione: vt dematur quidem de vtroque, at sua itidem vtroq; seruetur rata semper cibariorũ, atq; alimoniæ pars: nec sanè maiore capta somni, quòd in eo succorum inprimis cruditas excoquatur, quàm vigiliarum occasione. Vt enim somnus plurimùm hos conficiat: vigiliæ certè nõ minùs digerunt, atq; in halituosam materiam per occultam illam transpirationem dissipatam eijciũt. Itaq; vtriusq; in humorũ crudorũ prȩsentia habẽdam æquè esse rationẽ monemur.

Neq; verò, quòd humorum cruditatem somnus quàm ciborum concoquat magis, scriptũ dictúmve ibi inuenias. Sed quum de cruditate eo loci humorum sermo esset, quasi vigilias præferens, minimè certè maiorem somni in hoc rationem ducens, huius ipsius nimietatẽ (Therap. xij.) damnat. οὐ μὴν οὐδ᾽ ὁ πλείων ὕπνος ἀγαθὸς τοῖς τοιούτοις, inquit. crudorum succorum præsentiã laboratibus somnus multus nequaquã conueniens. Rationem addit, quia nec diflari permittat crudiores succos, visceraq; insuper degrauet. Iccirco non paruæ esse curæ debere ait, vt iustus seruetur vtriusq; modus, partemq; suam cõcoquat somnus, suam vigiliȩ digerant. Neq; maius fuerit propterea ducẽdum ex somno, qui nocte post cœnam ineatur, consumendorum humorum, quos crudos vocamus; quàm ex vigilijs, quæ interdiu maximè, & à prãdio peraguntur, argumentũ. Nec cœna ideo prandio ipso instituenda parcior sit, vt concoquendis humoribus vacet facultas excoctrix, naturalisq; calor in somno. Quoniã non minor habẽda semper in hoc sit vigilandi quoq; ratio, quæ non parcum minùs prandium suadeat: nec minùs copiosiore prãdio grauatim oneratus calor cessaturus ab humorum crudorum disiectione sit, coquendiq; illos vis nõ minùs aliorsum auersa reuocetur; & discussio dissipatioq; succorũ impediatur, ab extimis corporis partibus ad interiores cõuerso cum spiritibus vnà & sanguine insito nobis calore, facultatibusq; alijs, quarum opera disiectæ euaporant materiæ semper omnes.

Nec in somno igitur maior crudorum succorum quàm ingesti alimẽti peragitur concoctio, atq; huius maior, quàm illorũ, si exacta vti ratione velimus: neq;, vt hoc fiat, potiores tamẽ somni quàm vigiliarum in absumẽdis humoribus crudis partes fuerint. Et vt omnia hæc vera forent, quȩ falsa esse vincit ratio: non aliud ex his collligi vnquam poterit, quàm in succorum cruditate minuẽdum esse cibum, quo meliùs vacare concoquendis illis facultas possit. Id porrò tam esse prandio, quàm cœnæ commune, ac conueniens potest.

Quod autem omnium maximum est, inanis penitus ac vacua horum dissertatio de his, atq; argutatio videbitur, consideranti-bus, hominum conditioni, atq; ordini, cuiusmodi sunt, de quibus hoc loco disputatur, omnium maximè frequentissimo, & in sanitate, qua ad exactam vsq; ætatem perueniat, constituto, minimè cõuenire, vt is illis assignetur extra sanitatis campum locus, vbi morbis semper tentati, ac perpetuò valetudinarij degant, siquidem valitura sit cœnæ parcioris ratio, quam respectus hic faciat.

Quapropter tot iã rationibus velut spiculis confossum iacebit argumentum hoc, cumque eo de humoribus quod attulerant priùs, quibus præsentibus ac vitiosis, prandendum nobis largiùs, cœnãdum esse parciùs, ijsdem ferè rationibus persuasi mandant: vt noua ideo excussione non egeat hoc, prorsusq; dici eadem hic omnia queant. Etenim si rationes eæ in crudis humoribus haud valẽt, ne in vitiosis quidem valebunt: ac tanto quidem minùs, quãto illi

tiosos hosce humores corporũ faciunt sanitatis iam limites manifestò egressorum: vt vel hanc vnam ob causam, propterea quòd in disquisitionem hanc hæc non veniunt, vna tantùm reiectione refellenda sint.

Catarrhis, & destillationibus resiccandis ex siti, fame, vigilijs, vt nocturnum tempus non inconueniat; longè magis diurnum conuenire, proinde & prandium minus.

CAPVT IX.



QVemadmodum & de destillationib⁹, catarrhisque, fame, vigilijs, siti siccãdis, curandisque, quos copiosior ferè cœna augere, quasi quæ humidius corpus reddat, solita sit. At quomodo humectius inde redditur corpus? Etenim rei huiusce ratio omino reddenda aliqua fuerat, quæ peculiaris priuataq; cœnæ foret. Nunc non facilè inuenient, quam nõ eandem dicere prandij quoque possis. vtroq; enim humescet corpus cibo, rectè concocto distributóque. Quoniam si prandium maius, minor cœna fuerit, exacteq; cõfectum inde deducatur per corpus alimentum: vtique ex prandio humescet, quàm ex cœna, magis. tam quidem, quàm ex vberiore quoq; cœna magis, quã ex prãdio, si cœnam maiorem esse prandio contigerit. nõ enim discrimen, aut discriminis video rationẽ. Quòd si non cibi humectationẽ iusti, sed redundantem superuacuæ humiditatis consideratione habendam esse dicemus: tam quidem commissum id erroris in prandio, quàm in cœna, nocumenti simul idem afferet: vt non vnum, quàm alterũ, causari magis iure queamus. Atq; tã, qui largiùs debito prandent, quàm qui cœnant, eodem inconuenienti, noxaq; eadem tenebuntur. eóq; fortasse ampliùs, quòd exuberans prandium maius semper, quàm exuberantem cœnam, propter narratas sæpiùs causas, concoctionis erratum, vnde superfluitatum etiam humidarũ copia existat, sequuturum incommodum sit. Eadem igitur vtrobiq; ratio. At enim, si destillationem reficcatione curãdam sumpserimus, liberaliùs cœnãtem, & prandentem parciùs, cœnã potiùs relinquere quàm prandium iubebimus. Iure quidem, ac meritò. non quòd cœna propterea esse nõ debeat maior: sed quia, maior iure aliâs quã sit, eiusdem illius omissione maior quoq; destillationum materia subtrahitur. Nam & prandij maioris si fuerit consuetudo, omittere id eadem ratione iubebimur magis, quàm cœnam: aut, si (quod potiùs & rectiùs factum foret) non intermissa prorsus alterutrius consuetudine cõsultum in commune siccando catarrho voluerimus, de vtriusq; penso dememus. Hæc nõ cœnæ aut prandio vtri plus largiendum sit cibi ostenderint in sano corpore: sed superuenientibus destillationibus, quomodo seruanda in eo sit ratio, quæ longè alia est, nec hîc à nobis primò quæsita. quanquam & prandere plus solitus, cœnare minus; eque diuerso, plus cœnare, minus prandere; peræquè, vt dictum, si de vtriusq; aliquid penso abstulerit, rectè sanè fecerit, pro sua de vtroque rata parte, magis de eo semper, in quo plusculum quoq; ad suggerendam destillationibus materiam causæ, id erit copiosius seu prandium, seu cœna.

Cæterùm si, quod magis has ipsas destillationes exiccet, inuenerimus, auferátve, aut cõtrà augeat, & humore nouo repleat: in hoc demum disputationis totius cardo versabitur. Exiccat fames, vigiliæ, sitis, ambiens nos aër, & huiusmodi quædã. Vtrùm in prandio magis hæc, an in cœna, maiore vtroque, vel minore, resiccent, vt par pari semper referatur, quærendum: non prandio maiore, minore cœna, aut è contrario. Non enim dubium esse potest, prandium cœna mai⁹, siccare minùs, humefacere magis: sicuti maiorem cœnã humefacere prandio minore magis, siccare minùs. Sed, si paria vbique semper fecerimus, cœna'ne an prandio imminuto exiccetur magis in destillatione corpus cõsiderandum ab siccantibus causis. Qua in re vtro magis tempore, prandij, cœnæ've, vires exercere suas causæ eæ solitæ sint, reuocandum in memoriam: simul & id adhibendum in cõsilium, hæc'ne, an illa diei hora siccescere magis aut humescere soleat corpus. Et haud dubiũ fuerit, propter euaporationem diei semper quàm noctis maiorẽ, quibuscunq; siccantibus causis interdiu corpus exhalandi efficacia adiutis longè siccescere faciliùs posse; nocte minùs, ob cohibitam tũc temporis magna ex parte transpirationem, cœliq; tum humorem, quo vel Poëtarum Latinorum summus noctem Epitheto insigniuerit, cœlo eam humidã præcipitare canens: vt, tametsi hac ratione resiccantium causarum plurimum, quum earum indigemus, adhibere humescenti maximè corpori cõueniret, quod quo minùs semper fiat, nihil obstiterit: superfluitatum tamen humidarum, quas destillatio faciat, citiùs ac cõmodius siccationẽ assequemur, quo tempore euaporatæ materiæ multæ transpiratione adiutæ præstare id feliciùs atque efficaciùs possunt. vt si æqualis dempta prandio, quæ cœnæ, portio fuerit, magis tamẽ facturum id ad resiccandum sit. At hoc non cœnam minorem faciet, quum vtrique æqualiter adimi-

adimitur: minor esset, si maior huic quàm prandio portio subtraheretur, quod his casibus faciendum non est. Satis nanq; superuacuis humoribus siccandis remedij ex æqualiter vtrisq; adempta cibi portiuncula, & euaporatione diei prætereà, consequemur: longeque adhuc magis, si, in quo maioris etiamnum cœnæ ratio seruaretur, plusculum subductum prādio cibi, quàm cœnæ foret. Nam & siccandi occasio efficax ex eo satis, quod ad humores attineret superuacaneos, & distillationē ipsam: simul etiam non multum subducto de cœna, & subducto tamē, corpusculi totius alimento consuleretur, vt, quo maximè tempore debet, quod noctis esse potissimùm docuimus, alitum sustentari ad ferendam ægrotationem possit: & intereà tamen siccarentur distillationes, detracta cœnæ portiuncula aliquantula: maxima autē consumendarum distillationum, & de corpore abigendarum pars in diminuta prandij portione maiore reponeretur, capto hîc quoq; hoc ipsum aptè rectèque faciendi diei totius tempore: vt suæ vtrisq; partes reseruentur, cœnæ, alendi corporis, atque ex parte tamen aliqua distillationibus resistendi; prandio, longè maiores, ac potiores distillationibus resistendi, vt eæ illius propè solæ essent ob narratas causas: nec prorsus tamen alimēti destitueretur sui particula ex prandio corpus, commodéque ita, atq; ad sanitatem vtiliter inprimis, cœnæ his casibus largioris, parcioris prandij, ratio conseruaretur.

Quod de cibi hoc pacto imminutione dictum, dictum & de potu accipi debet. alterius siquidem detractionem fames, alterius sitis insequitur. Famem hîc accipimus sitimque, quas sentire partes quoque ipsæ corporis possint reliquæ, non solùm ventriculus, cuius animalis sensatio est, aliarū naturalis tantùm: vt, quamuis sentire hæ noctu non possint, famescant tamen quoquo modo, & sitiant, membra alimēto suo depauperata, quod ex proximis huius ipsius iam indiga ad se trahunt. Sic quidem famescentia dicere noctu quoq; membra, & famem sentire, dormientibus licèt, fas nobis erit dicere: ne quis fortè obijciat, famem imperare nos ad exiccandum somni tempore, quam vigilantes tantùm sentiant.

Vigiliæ autem, quoniam ipsæ quoq; de siccantibus causis vna numerantur, meliùs ac conuenientiùs cœnantibus liberaliùs, quàm prandentibus, imperabuntur. Non enim sic vigilādum esse in distillationibus præcipitur, nullus vt omnino somnus admittatur: sed vt obseruato, quantum concoquendo alimēto & enutriendo tenuiter tum corpori satis futurum sit ac cōueniat, de cætero vigiletur. Quod nisi noctu, & paulò quàm prandium vberiore cœna, fieri commodè nō poterit, ob somni opportunitatem eo tempore, qui cum cōcoctione feliciùs tum peragenda coniunctus natura quadam sit. sic alimenti tantummodo humorē persentiēt partes. Quod reliquum autem fuerit noctis vigilando distillationes ex parte siccescent, ac reliqua prætereà diei totius pars vigilari tota poterit, postquàm satisfactum naturæ ex nocturno somno fuerit, vnde maior exiccatio, longeq; magis in minore prandio. Quòd si cibum, quo opus habiturum sit distillatione laborans corpus, prandio commiserimus maiore ex parte: nec rectè apteq; satis applicabitur huic somnus, ad concoquendū tamen necessarius; & necessariē insuper siccandis superfluitatibus vigiliæ in incōuenientissimum noctis tempus transferētur, quum resiccando euaporandoq; non multum sanè valebunt, nocturna frigiditate, cœloq; humoris semper aliquid in contrarium afferente, impeditæ: simul quē diei erunt vigiliæ, copiosiore prādio velut obrutæ, dissipationis multo minus, minusq; transpirationis, vnde & resiccationis minimum, efficient. Hæc, aliaq; huiusmodi, detractis prandio ac cœnæ portiunculis, seruataq; tamen, vt in tali affectu, paulò etiamnum vberiore cœna, incommoda effugiemus.

Solutæ argumentationes contrà opinantium, de non reflante noctu valde corporis habitu, validaq; per id tempus virtute.

CAP. X.

De eo autē, quòd non valde reflante tūc corporis habitu, nec reclusa satis transpiratione, qua alimentum euaporet; ꝓinde nec admodū sanè alimento egere tunc temporis videatur corpus: idem quod suprà ad id de euaporatione interdiu multa, multique ideo alimenti necessitate, dictum fuit, sed conuersa tamen ratione quadam, nunc quoque dicendum: non esse argumentum hoc parcioris cœnæ, sicuti planè neq; illud vberioris prandij. Non enim, quia minor noctu euaporatio, iccirco minorem exiget nox cōficiendum sibi cibum: quemadmodum de die quoq; maior nō sanè maiorem ideo exposcebat coquendum. Illud potiùs existimādum, minori euaporationi, minorem omnino sufficere materiam posse, sed quæ in corporaturæ totius mole, habituq; posita sit, hæc nanq; est quē exhalet: non autem in ventriculo venisq; primis cōtentam, tunc primùm concoquendam, vt euaporatio

porationis deinde ipsa quoq; materia fiat.
Vnde non satis rectè deductum argumen-
tum ad materiam ingerēdi nuper cibi tam
longinquā videbitur, quod sistere in pro-
xima euaporationis debebat.

Ita sanè nec valebat: Euaporatio maior:
Ergo cibatio. Minimè verò. sed illud vale-
at: Maior ergo materiæ euaporatæ sugge-
stio necessaria, quæ molis sit corporeæ, nō
ventriculi, aut concoquentium partium,
tum primùm alimentum post enutrita de-
mum membra ex parte tandem euaporan-
dum cōficientium. Error in temporis suc-
cessione, & in diuersitate fallacia. succedit
enim multo antè, temporisq; interstitio ef-
fatu digno satis, concocto alimēto euapo-
ratio. Quæ, quo tempore fit, necessariā ha-
bet proximam sui materiā: remotam illam
concoctionis non habet, tunc quidē. Con-
traq; potiùs euenit, vt, euaporante maximè
habitu, minimè concoctio vigeat; minimè
verò euaporāte, quasiq; sistente se, maximè
tunc cōcoctionis opera ferueant: recipro-
cante innato calore intrò forasque, & in-
trò compulso colligente sese, viresq; perfi-
ciundo meliùs ac valentiùs operi sumente;
foras autem expanso, destitutis cōcoquen-
di officinis, minùs operi incumbente: vt
ideo minus huic quoque ad conficiendum
alimenti tum semper competat, maius ibi.

Quod pariter dicūt, sustentari validam
per id tēpus virtutē ex se satis, absq; quòd
alimēto multo egeat, posse: eodem recidit,
eodemq; propè dilui modo debet. Etenim
tunc quidem non eget quiescens, nec quic-
quam laborās, aut defatigans se: at intereà,
nisi futuræ deinde viriū resolutioni pro-
uidendo cōsulatur, virtutum robur illud
deijciatur statim, ac pessum eat. Id verò cō-
coctionibus, quæ somno, nocturnoq; ma-
ximè tempore peraguntur, potissimùm as-
sequimur: vt initio ab his ducto, collaben-
tibus deinde viribus alimenti in tempore
subministratione succurratur. Validum
virium robur noctu, fatemur. Igitur mini-
mo eguerint alimento. Quo? quali? cuius-
modi? proximo'ne, iamq; per membra dis-
tributo, & materiæ multum viribus sup-
peditante, in præsenti de quo nō disputa-
mus, & verum tamen est, non egere: an,
quod in controuersia positum est, alimen-
tum intelligendum potiùs, vt certè intelli-
gendum, cuius concoctio prima in ventri-
culo est? de hoc enim quæritur hoc loco,
maior'ne eius nocte, quàm die, an è diuer-
so, confici quantitas debeat: vt ex eo quo-
que, parciùs an vberiùs prandendum, cœ-
nandúmve sit, sciamus. At de huiusmodi si
dicatur alimento, Vires noctu validas non
egere multo, dictum ad rem non erit, fal-
sumq; esse reperietur; quòd inchoandę tūc
elaborationis initium, vnde vires demum
ipsæ quoq; sustentētur, cōmodissimū sit.

Quanquam, quod de virium robore di-
citur, quum triplex illarū genus habeatur,
animaliū dici non satis aptè magnum tunc
robur queat, quippe feriantiū, nec roboris
tum exercendo se proferētium quicquam,
at in potentia potestateq; proxima valida-
rum tamen. Vitalium porrò non magnum
noctis dieiq; discrimē. At naturalium, ne-
mo Medicorum nescit, maximum esse no-
ctu, inq; somno robur, maximeq; feruere
eo tempore harum cibariæ in corpore ad-
ministrationis, concoquendæ dispensan-
dæq; opera: vt nos maximè atq; ante omnes
vti hoc argumēto, & aptiùs, & veriùs pos-
simus; quumq; validas inprimis facultates
esse naturales noctu, atque in somno scia-
mus, plus quoq; tunc ad conficiendum illis
exhibendum esse alimenti, iure ac meritò
contendamus.

*Longè meliùs conuenire exercendi se tempora oppor-
tuna, in prandio minore, maiore cœna, quàm
contrà. idq; euidentibus satis rationi-
bus demonstratum.*

CAP. XI.



Aeterùm quòd copio-
siùs cœnantibus erratū
imputant exercitatio-
nis matutinæ, non suo
atq; opportuno tēpo-
re, & ante expletam se-
cundam iecoris vena-
rumque cōcoctionem
obitæ ita sæpe: meminerint, si rectè atq; ex
ordine cūcta fiant, & bipertito diei totius
alimento, quod nutriendo sustentandoq;
iustè corpori futurum satis sit, prādio mi-
nor, maior cœnæ portio contingat; casura
cōmodissimè semper exercitationis tēpo-
ra, consumendis cœnæ excrementis, distri-
buendoq; per corpus illius alimento, manè
ante prandium, prandij verò vesperi ante
cœnam. Nam & maior quanuis cœnæ por-
tio, nocte tota, somnoq; ritè ac naturaliter
capto, confici in ventriculo haud difficul-
ter poterit, secūdamq; vnà perfectè elabo-
rationē, quæ sanguificationis est, subibit,
horarum spatio circiter duodecim cōmo-
dissimè, in non admodū quidem imbecilli
corpore, cuius respectu cūcta hęc dicimus;
& prandij minor, minore quoq; in tempo-
re vtranque, primam nempe ac secundam
concoctionem, expletè sentiet: vt superfu-
turum deinde satis ad se manè vesperique
exercendum, perquàm commodè atque
opportunè, temporis sit.

Absit enim, vt Auicēnas nobis hìc obsit,
obsistátve, à duodecim, ad duas vsq; ac vi-
ginti horas moram trahere in stomacho
inge-

ingestum cibum censens. Cuius authoritati libenter in multis assurgimus, docti hominis, reique Medicæ, maximi, ac Galeni inprimis vel ex professo interpretis: hoc quidem loco non persuadebit nobis. Inuertantur enim cuncta necesse est, si hoc futurum ita est, vt tanto demum pòst tempore descendat de ventriculo cibus, & reliqua, tot præsertim, quæ restant, perfici atque expleri rectè queant consuetæ naturalisque circa cibum œconomiæ munia.

Quapropter, quum tam insigne in Authore tanto erratum, puerile, propè dixerim, ac fœdum vidissent alij, sic interpretati sunt, vt decem tãtùm horarum spatium intelligeretur, quod inter duodecim, duasque & viginti eidem interuallo inclusas interesset, moræ cibi in stomacho. distorta, prorsusque anxia, ne inepta dicam, expositione. Quorsum enim circuitione ea opus fuit? an non erat illi dictu multo atque explicatu facilius, decem eas esse horas? Quid porrò sibi volunt additæ duodecim, quid viginti duæ? si decem solùm percipiendæ nobis intellectu sunt. Ac si post duodecim decem insuper permanet in stomacho horas cibus: vbi locorum in corpore inueniemus illum? duodecim horis illis? an in stomacho tum quoq; quidem, vt viginti duæ in totum, quibus stomacho inhęrens moretur cibus, fiant? Nam de nondum ingesto quis vnquam dictum id accipiat?

Alij quũ factu hæc impossibilia, dictuque incredibilia viderentur: rectiùs multo ac veriùs opinati, verbũ illud [stomacho] induxerunt, iacereque eo in litura ita permisso, pro eo [corpore] substituerunt, castigatius forte exemplar nacti, longè meliore, ac veritati accõmodatiore verborum sensu: vt vniuersa concoquendi, distribuendi, apponendi, agglutinandi, assimilandi cibi administratio, intra id ferè horarum duarum & viginti peragi spatiũ à natura intelligamus, post quod demum tempus euaporatio, assimilatique iam alimenti dissipatio incipiat, idq; in benè instituto, composito, tẽperato, reliquorumq; omnium amussi ac regula corpore. Eaq; hoc modo, hacq; ratione in corpore cibi mora, &, vt ille dixit, permanentia, seu Latiniùs si quis velit, permansio, nõ in stomacho intelligatur.

Atq; id tẽpus multo post exercitationis iustæ inchoandæ tempus fuerit. Simul ac enim perfectam primæ secundæq; concoctionis elaborationem subierit cibus, iam tum exercendi se commodũ extẽplo, atque idoneũ proferet tẽpus. Quod, vt diximus, decem, adeoq; sæpe intra decẽ, duodecim summũ horarũ peragi à cœna spatio per-quàm facilè potest; à prãdio, dimidio huius: si modò sua vtrique, qualẽ toties iam attulimus, portio seruata constet. Sic fiet, vt idem, quod antea quoq; super his dixisse meminimus, hoc iterum loco spõte sua, tanquam sibi ipsi ac veritati maximè consonum redeat: Cœnæ administrationem, circa acceptum cibum in corpore, œconomicam omnem, cum illius ipsius præterea dissipatione, atq; euaporatione, ad alterius vsq; cœnæ peruenire initia posse; prandijq; eodẽ modo ad alterius vsq; insequentis prandij, siquidem ad pensum semper ęquum, atq; ex libella prorsus res agatur: etiam vltra id temporis extendi, si paulò plus iusto acceptum cibi fuerit, confectumque idem, & distributum diflari omnino ex parte debeat; sicuti intra idem quoq; spatium finiri, si minus.

Neq; peribit vnquam tamen iustæ in his exercitationis occasio, quæ peracta statim secunda concoctione maximè opportuna aduenit sumpti in cœna cibi matutino post somnum ante prandium: in prãdio, vesperi ante cœnam aliquãdiu. nihil enim impedit, quo minùs, modò transacta secũdæ cõcoctionis omnia sint, dũ etiamnum peragitur tertia, perstatque, & permansio cibi, quam Auicennas dixit, illa in corpore est, (quod satis multũ, post secundæ concoctionis finitum opus, tempus est) aliquis se cõmodè, atq; opportunè exerceat. Quinimò, si seriùs fiat, bile replebitur corpus plùs iusto attenuatum atq; excalfactũ multa, & inanitum siccabitur: si citiùs, crudis inconcoctisq; per totum humoribus redundabit, paratæque erunt obstructiones, infarctúsque vbique plures.

Quæ isti incõmoda non deuitant, imò deuitare quum possint, incurrũt, qui post parciorem cœnã exerceri nos manè iubent: scilicet vt, defraudato iusto alimento suo corporis habitu, exercitatione insuper intempestiua siccescat. Nec vident, si idem in prandij ratione seruabitur, quod copiosius cœna volũt, (seruari aũt debebit omnino, quũ diuersitatis ratio subsit nulla) incursuros in obstructiones maximas, crudorumq; humorũ copiã collecturos, exercentes se à prandio vberiore ita, vt ferè bona mortalium pars maiores, grauioresque, per id tempus labores init.

Nã quod dicũt, freti Auicẽnæ authoritate, (quæ cuiusmodi habẽda, quóve intelligẽda modo sit, paulò antè ostẽdimus) cœnæ quamuis parcæ extractum iri multo post matutinũ tẽpus secũdę cõcoctionis terminos exercitationi opportunæ destinatos: id verò minimè pro vero recipiendũ esse, recta secũ via rẽ ipsam totã reputãtib9 patere satis arbitror: quãdo etiã in nõ admo-

dum athletico, sed tẽperati, cõmunisq; ac vulgatæ cõditionis, ventriculo etiã maiorem cœnæ quàm prandij portionẽ (modò in reliquis non peccetur) concoqui perficique in tempore commodè solere scimus, ac quotidie experimur.

Quòd si cœnæ leuioris, accedẽte pręsertim somno, tẽporisq; intercapedine maiore, tantũ tamen protrahi concoctionẽ secundã illã volunt: quid cogitandum illis tandẽ erit de prãdio? cuius & copia ingesti cibi secundùm illos maior, & somnus post id aut nullus, aut minor multo, multoq; ad cœnã interstitiũ breuius. vix dũ, quum cœnandi iam tempus instat, fundũ ventriculi petijsse alimentũ, aut vix dũ certè inchoatæ primò concoctionis rudimẽta quædam tũ esse debere, (quãdo in maiori cœna tam id diu protrahatur) dicere atq; existimare, fateriq; perquàm ita opinãtibus necessariũ fuerit. Hoc, post eiusmodi prandium eo tempore nõ parciorem cœnam, sed nullam penitus, sumendam esse coarguet: nisi contra veram Medicinam profitentium imperata legesque agere, crudúmque crudo aggerare, studium nobis fuerit.

Verùm vt iustũ tandẽ, cõmodumq; inuenerint, suumq; assignârint prãdio exercitiũ matutino, intercedente cœna: cœnæ quodnã, quæso, inueniẽt, assignabunt've? quoniã ante prandiũ nolũt; vel prãdentibus, vel prãsis iã necessariò attribuent, velint, nolint: ne opportunitas elabatur exercendi, quæ cõcoctionis est peractæ secũdæ. Vtrũ malunt, eligant. vtrocunq; enim modo fiat, cum opportunitate ea, quã sibi faciunt, vera miscebitur prãdij crudi inter exercendũ inopportunitas: quemadmodũ sanè opportuna prandij, quã illi matutinam statuunt horam, minimè opportunam habebit cœnæ, illorum confessione etiamnum crudæ, exercitationem.

Ita sanè tẽpestiuitas falsa, quã falsam esse mõstrauimus, exercendi se veræ hoc pacto intempestiuitati implicabitur semper.

Nisi verò hîc quoq; persuadere nobis tẽtabunt, quod, quum de crudis humoribus loqueremur, conati sunt facere: vt quẽadmodũ crudos ibi humores nocturna concoctione quàm cibum confici magis, concoctricemque facultatem in illos se magis quàm in hunc conuertere, existimandum sit: eodem modo distincta hîc quoque ita ista esse censeamus, vt sumpti in cœna cibi, iámque ex secunda concoctione elaborati, quod illi post insequens demum prandium, si horum sententiam sequemur, vel in ipso etiam prandio contingat, conueniens ea de causa atque opportuna eo tempore exercitatio futura sit, iustè ac tempestiuè hactenus quidem inita, quippe quæ cœnæ tantummodo alimento nescio qua prouidentia accommodetur, antegressum autem haud ita multo prandium non respiciat, neque ingesta eius cibaria exagitet: sicuti quæ prandij alimento debetur exercitatio, ea, quoniam post cœnæ tempus necessariò de horum sententia extrahetur, (non enim, si parcioris cœnæ tam in longum producantur secundæ concoctionis, vt isti volunt, tempora, copiosi prandij non multo longiùs protrahentur) sic inibitur, vt prandij cibo opportuna atque innoxia sit, cuius perfecta iam secunda concoctio sit; cæterùm cœnæ alimentum congestum nuper, rudeque prorsus & incoctum, nulla ex parte commouens attingat. Nugæ, ineptiæ, & blateramenta omnia. Quam nanque huic operi perficiundo ita moderandóque præfectam esse dicemus naturalem, rationis tantum habentem, facultatem? vt exercendo exercitationis vsus assequatur, crudum in corpore necessariò inuentum cibum non commotum exagitet? aut exagitato, non plurima & ingentia semper mala inuehat?

At quanto satius fuerit, cuncta locis temporibusque suis distribuisse, non faciendi pugnantibus inter se contrarietatibus implicata confudisse, docentibus nos id ita faciendum esse rationibus suprà dictis, vt sua vtrunque exercitatio in tempore sequatur ante superuenientis semper cibi horam, vitando, quod vitari ante omnia debet, contentę adhuc in ventriculo exercentibus se cibationis incommodo: tum verò commoditatibus alijs, & opportunitatibus tempore omnibus suo casuris, quasi ad libellam quandam horarum non prætereundarum exactis: vt ventriculi concoctionem, nulla superiorum cibariorum impuritate immundi, iecoris excipiat concoctio, ac venarum, hanc molis habitusque vniuersi, membrorúmque ac partium corporaturæ omnium, quæ verissima nutritio est, nempe θρέψις iusta: iuuentúrque hæc adhibita exercitatione in tempore, quod peractæ secundæ concoctionis est, nihil dum in ventriculo, aut proximis regionibus illis, crudi quum contineatur: postque id, quoniam appositum affixumque partibus & assimilatum alimentum aliquãdiu quidem perdurãs perstat, (illud quod Auicennas à prima in ventriculũ alimẽti ingestione ad duas vsq; & viginti extrahi horas cẽsuisse videtur) at euaporari tandem, operato assiduè insito nobis calore, ac dissipari necessum est, reliquæ vt duæ, quibus naturalis dies expletur, operi huic tribuantur horæ. Atque antequàm id absoluatur

uatur totum, prorsusq; exhalata alimonia corpus destituat sua, succurrendum tempestiuè, ac maturè prouidendum sit, nouum vt alimentum euaporato protinus succedat. Quasi commeatus ergo quærendus nouus, inferendusq; corpori, qui multis modis repurgatus, elaboratusque priùs, in alimentum cedat, nutricatumque partium, exhalante priore. Itaq; non expectandum donec exhalet: sed vt in prōptu partibus tunc sit, anteuertendum multo antè, quia multæ præparationes, antequàm cōmoda nutritionis materia fiat, requirātur. Id erit tempus, postquàm opportunè exercuerit se aliquis. Quo tempore nihil esse omnino impedimento potest, quo minùs, persistente alimento suo habitudini & corporaturæ toti, modò primæ corporis regiones, venæque primæ, ac iecur expeditè officium iam munusque suum peregerint, noui cibi introductione subueniamus corpori.

Hæc porrò rectè atque ex ordine fient omnia, si parcius prandium, vberior cœna fuerit, propter causas initio disputationis dictas: inuertentur, & cōfundentur, contrà facto, vt docuimus. Nam & incommoda sequentur plurima, quorum partem ostendimus; nec sua vnquam exercitationi, aut concoctionibus, distribuendique alimenti commoditatibus, & administrationibus naturalibus omnibus, nisi intricata, omniúmque maximè impedita, constare ratio poterit.

Minus repleri vaporibus, aut exhalationibus fumidis, nocte quàm die caput, ratione non vna ostenditur. Et de Auicennæ, atque Arabum authoritatibus.

CAPVT XII.

PErstant alij in cōtrouersia etiamnum quidam veritatis aduersarij, atq; inprimis vrgēt ratione, vt ipsi putāt, efficaci; vt nos arbitramur, inani: aientes, lōgè plures noctu vapores caput petere, atque idipsum replere, extrinsecus ambiente frigore coercitos, solitos esse: conclusosque intus, intrò etiam tum conferēte innato calore, vigere, emittique sursum, quò natura suapte tendunt: atque inde non solùm vaporosa, quod iam dictum, repleri materia multa capitis partes omnes; verùm etiam in humorem alium cerebri occursu immutatos destillationum multarum, malarumque, calidarum pariter ac frigidarū, causam fieri, pro exhalatæ infernè materiæ natura: frigidiorum, si frigidior atque humidior, quæ propriè magis vapor est; calidiorum, si calidior & siccior, quæ eiusmodi exhalatio dicitur, materia fuerit. Hanc porrò ipsam ex pluri cibo plusculam semper, ex minori in caput minorem resilire par est existimemus. vt hac, sicuti diximus, ratione vincere se posse credant, cœnandum parciùs omnino fore.

Cæterùm, quos dicant vapores, vel quas nobis afferant exhalationes, videndum. Eos'ne, qui leui quodam placidóque ad cerebrum appulsu somnum nobis conciliant naturalem? non opinor. hi nanque quum in id instituti à natura sint, modò iustos huius ipsius limites non egrediantur, nec qualitate, nec multitudine oberrunt. Nimios autem, fumidásque & fuliginosas exhalationes, quæ obesse possint, dicimus, & asseueranter affirmare non dubitamus, in sanitatis totius latitudine contentis corporibus, nisi errata interueniant, quod in cōsiderationem nostrā hanc non cadit, ex cœna prandio ipso vberiore, sed legitimè facta, genitas, cerebro capitiq; minimè obfuturas: contrâque potiùs, noctu meliùs, quàm interdiu, expiratione illa maiore somni propria copiosiùs semper de corpore quasi efflatas reijci: non capiti, facto in id impetu, officere.

Quin, si rectè consideretur omnia, quiescentibus nocte mēbris, particulisq; corporis omnibus, & exagitatis die cōmotisque, excitatos ita tota corporis mole vapores vndiq; caput impetere, in superna semper sponte sua resiliētes, solere die quàm nocte exuberātiùs, valde verisimile fit. Burrhum certè vocatum fuisse veteribus hominem alicubi legas pransum, ciboque ac potione rubentem, eundem & rubidū. Quod quum de pranso, non de cœnato, pronuntiatum simpliciter, nulla maioris minoris've cibī hîc aut ibi mentione differentiáve, sit: in prandio haud dubiè id quàm in cœna obseruari magis solitum fuisse iudicabimus: atqui certum propè vaporū sursum versus actorum, caputq; ipsum impetentium, ex calore faciei, ruffo rubróve, accipias. Atque iccirco in contrarium, si ritè expenderimus cuncta, casura necessariò deliberatio sit, ac præter tot alias idem nobis persuadentes, imò verò cogentes nos ad id, vt faciamus, causas, futura hæc quoq; nō omnium postrema sit, quamobrem cœnā prandio, quod ad cibariorum copiam attinet, præferamus.

Proinde Galenus, dum puero comitiali consulens, (ne quis fortè in capitis affectibus aliter se habere rem ipsam existimet) victus illi rationem omnem præscribit, anxius in eo, solicitusq; inprimis, ne quid ei, quod caput feriat, repleátve, concedatur; cœnare tamen eundem copiosiùs, parciùs prandere, disertè inprimis,

atque apertè mandauit. sine dubio non facturus, si ex hac capiendi cibi ratione repletum iri caput existimâsset.

Auicennæ autem loca ex ijsdem Galeni locis in opus suum, quod ille ingens maximóque studio de Galeni totum penè thesauris in diuitias suas congessit, translata, sed interpretum vitio, qui ex Arabe Latinum nobis Authorem eum fecêre, aut prauè conuersa, aut inuersa etiam, vt aliorsum modò, quàm quò debent, tendant; modò diuersum quid, modò contrarium prorsus significent, quàm quod Author, vnde manifestaria surreptione desumpta ea sunt, velit: non attingemus hîc, præsertim castigatiora iã facta, viri optimi opera. Qui egregiam inprimis in eo nauârit, atque eiusmodi, vt aut falsitatis scripturæ ex alieno errore (nam de Authore ipso vix ausim id credere) conuicta, non magnopere curanda sint, quicquid dicant, eóque minimè oppugnare sentẽtiam nostram possint authoritate sua: aut vera, responsura omnia ad Galenica sint, quę vbique de cœna & prandij ratione inuicem sibi consentire hactenus ostensa sunt.

Ne quid intereà, quod multi nostri temporis faciunt, & patrum nostrorum memoria fecêre alij, Arabum authoritatem eleuemus nimis, dignitatéque eos sua, quam meritò inter classicos obtinere debẽt, spoliemus, doctrinæ in multis non triuialis nec pœnitẽdæ homines, & traducum multorum in Medicinæ vinea, satorumque in agro authores. Ex quibus frugis sæpe multum ad alenda rerum gerendarum consilia, plurimum autem semper supellectilis medicæ, & vsui medico necessariorũ vtensilium, simplicium, compositorúmque, quum in rem præsentem ventum fuerit, copia existat apparens. quanuis discordes quandoque inter se in multis, contrarijsque interdum studijs in diuersa ferantur, quod in Græcorum Medicorum familia haud temerè inuenias, atq; inter eos in Galeno omnium minimè.

Non dissentire, quod alibi pronuntiatum à Galeno dißimiliter de rebus his esse videri potest. Tum verò rerum rationem hanc in affectibus plurimis seruandam esse, minima acceßionum & consuetudinis exceptione.

CAP. XIII.



NAm quòd in hac ipsa, de cœnæ & prandij quantitate disputatiuncula nõ conuenisse sibi semper, & oppositum aliquando alicubi ab aliquibus sensisse existimari possit: id verò oppositum non est. Eadémque prorsus ibi, quæ in omnium operum suorum voluminibus alibi, missa de rebus ijsdem vox reperietur, si rectè ad examinationem veniant cuncta. Ea oriri suspicio ex Galeni loco in Aphorismorum Hippocraticorum commentarijs posse videbitur, quo loco Authoris huius Aphorismum explicandum sumit eum: (Aphoris. lxvij. iiij. sec.) In febribus ex somnis timores, & conuulsiones, malum. Ibi nanque & in his, qui à cibo in somnum deferuntur, repleri caput dixit, non secus ac in plethoricis affectibus eo ipso repleto somni cerebrum degrauant. Atq; ibidem, sed pauculis versibus interpositis, non solùm collectos in cerebro humores eiusmodi afferre symptomata, sed & ventriculi ore contentos, scripsit: inde sanè euenire, vt in somnis euaporationes fiant, manentibus inconcoctis illis. In quorum quidem verborum serie nulla licèt prandij, aut cœnę facta mentio fuerit: quia tamẽ in commune dictum de somno est, qui post cibum initus caput repleat, quod ferè post cœnam fit noctu: qui cœnandũ liberaliùs esse consulunt, (in qua sententia Galenus quoq; ipse, quãtum ex illius scriptis cognôsse liceat, semper fuerit) cùm ipsi iniquæ imperitæq; sententiæ, tum Galenus non minùs author suæ ipsius ignorantiæ damnari non sine causa possit. Nam si à cibo somnus replet: à maiore certè magis quoque replebit. Ita maioris hi semper repletionis, qua caput degrauetur, & in varios, prauosque affectus incurrat, causæ satis dederint; aut veriùs, vt incommoda ista contingant, consuluerint.

Verissima omnia, ac verissimè dicta. Tum verò, si, quemadmodum fieri ac contingere ista in Aphorismi enarratione scripsit, ita quoque faciendum esse consilium dedisse deprehenderetur: elabi de vitilitigatorum suorum manibus haud posset, quin non ignorantiæ modò sui, vocisque alibi à se de rebus ijsdem emissæ obliuiosus, (quod μνημονικὸν multorum ἁμάρτημα est, & condonari sæpe solet) condemnaretur; sed sceleris propè cuiusdam crimine se imprudens, an sciens, alligâsset, qui nocentissimum sumendæ cœnæ modum tam imperitè nobis proposuisset. Sed si, dum iustam cœnæ ac prandij rationem instituit, rationesq; consilij sui aliquando affert, mentis nobis suæ arcana protulit, Aphorismum verò explicans erratorum meminit quorundam: fraudi id illi esse non debebit. Plethoricos affectus dicit, in quibus repleto capite grauetur cerebrum, & eos, qui à cibo in somnum prolapsi deferuntur, & crudos atque incoctos in ven-

ventriculo contentos humores, affectuum omnia morbosorum nomina. Num hæc ita nobis sequenda esse consuluit? minimè verò. Aut num, quòd talia contingant erratorum admissorum vitio, cœnandi iustam, rationibúsque nixam suis, legem propterea relinquemus? Sic quidem & sanctissimas quasque leges abrogare fas fuerit, eo quòd multi earum præuaricatores inueniantur. Itaque trahenda hæc in exemplum non sunt. ἐπὶ τῇ τροφῇ κατενεχθέντες εἰς ὕπνον, πληροῦνται τὴν κεφαλὴν, inquit. prolapsi, delati, citóque deuoluti, vt qui penè tracti aliquo, viquearrepti deferuntur. nam aliter illud κατενεχθέντες non interpretere. Quod signi sit, benè lautéque sese inuitâsse, atque ingurgitâsse, quibus id contingat, vt à cibo statim obrepens somnus correptos inuadat, atq; occupet.

At nos non id tam parua à cibo morula faciendum esse, haud ita multo pòst docebimus: & antea, vt cœnæ largioris quàm prandij consilium dederimus, non ingurgitandum tamen, neque helluandum esse consuluimus; moribúsque ac legibus suis, nullo interueniente errore, cœnandum prandendúmque esse monuimus. Quod si fiat, exactéque cuncta seruentur, cessura omnia bono sint: nec replebitur, vt in Plethora, à cibo caput ex somno, neque grauate onerabitur cerebrum, neque ex crudis in ventriculo humoribus resilient in caput vapores, qui repleturi illud sint: (nihil enim quicquam horum fuerit) sed placida potiùs mitique appulsione placidi mitesque ijdem, ex largiore quanuis, quàm prandium, cœna, neque ingurgitata tamen, atque optimè, postquàm ventriculi fundum petierit cibus, concocta, caput cerebrúmque ferient, vel leuiter potiùs permulsum inuitabunt ad somnum tempore suo conciliandum. ὡς ἄιγε πέψεις τοὺς ὠφελίμους ἐπιφέρουσιν ὕπνους, inquit Author idem, atque etiam eodem in loco, ijsdemq; prorsus versibus. Manifestum vt esse ex hoc debeat, quæ priùs dixerat, præternaturalia omnia habenda, eoq; minimè eiusmodi, vt audita trahenda in exemplum ritè atque ex natura faciundorum, damnandaq; potiùs ac fugienda sint. non enim erratorum regulæ, ac normæ, sed rectè semper factorum describuntur.

Atq; hæc à me perinde hîc dicuntur, ac si maior his casibus esse prãdio cœna nulla omnino ratione queat: quum esse tamen queat, si rectè atq; exquisitè examinentur, compensenturq; inter se cuncta. non quidem, quòd copiosiore in his cœnam nullum omnino sequatur incommodum, id enim non est: sed quòd, si in prandio æquè quàm cœna copioso aliquo (quod faciendum semper est, vt in rerum comparatione æqualis omniũ vtrinq; collatio sit) eadem contingant, maiora sequutura copiosum prandium, quàm copiosam cœnã, incommoda esse videantur. Fortasse nanque offensionis, noxæque aliquid, (quod ibidem in Aphorismi explicatione verba aliqua subindicent) somno vnicuique insit, qua parte ad profundum corporis viscerâque interiora confluens materia defertur: certissimum autem & indubitatũ id est, quum vel materiæ nimietate, vel non obseruata ineundi somni opportunitate, vel in tali aliquo peccatur, vt vitiosa ciborum qualitate, vt inordinata eorummet assumptione: verùm concoctionis faciendæ ratione atque vsu compensantur omnia, vt vincentibus his non perinde magni deputaturi simus, quod inde acceptum detrimenti fuerit. Atqui quodcunq; sumpseris tibi ex his erratum, (nam quoties rectè atq; ex ordine, nec præteritis vlla ex parte victus legibus, cuncta procedunt, vincere cœnam debere satis, vt opinor, atq; apertè ostensum suprà fuit) sed si quid, vt dicebamus, erroris contingat: maius inde ex copioso prandio, quàm cœna, nocumentum expectandum esse, minoremq; pariter cõcoctionem, rectè expendens animaduertes. Nam & in plethorico affectu, addo etiã calido & humido tẽperamento, quod paulò maiore excessu proximè accedere ad affectum hũc solet, minus ex nocturno somno, qui cœnam, quàm ex diurno, qui prandium, euaporationum in caput; & concoctionis haud dubiè plus, expectabitur. Quam scimus omnes, quanto quàm die feliciùs atq; exquisitiùs perficiatur absoluaturque noctu tota: tum verò, quanuis non admodum reclusis, qui reserari die solent, corporis habitudinisque vniuersæ meatibus, minor tamen euaporatio in caput, multoque minùs agitata feratur. quippe operata tunc cõuersaq; in cibi concoctionem facultate, & in rerum aliarum silentio, tacitaque intempestæ vbiq; ac concubiæ noctis quiete, &, vt Plautus aliquandò dixit, conticinio, quiescentibus etiã humoribus: die verò, Solis luminisq; calore agitatioribus factis, multoq; ideo maiore vaporum inde copia in cerebrũ, caputq; resultante, atque exhalãte. Ac si ineatur tũc somnus, vt iniri necessarium est peragendæ meliùs concoctioni, non parua subsequutura pugna sit, ex qua agitatio etiamnum maior, & ex agitatione euaporatio in caput. Euocante quippe sanguinem humoresq; foras Sole luceque, intra autem reuocante somno, continuaque veluti fluctuatione reciprocantibus, & subsilientibus his: vapores agi, & suscitari exhalationes, verisimile fuerit

fuerit non paucas, ex diurno ita somno. Qua quum nocturnus perturbatione vacet, omnibus se tunc intrò tantùm agentibus, grauari quidem fortasse, si nimius fuerit, cibo viscera possint: sursum efferri euaporatio magna vsque adeò aliqua non possit, certè non, vt in diurno post eandem cibi quantitatem somno, tãta. Quo sanè fiat, vt si à cibo protinus reuoluti in somnum ferantur, quod significanter inprimis χαrενεχθέντες verbo indicatum à Galeno fuit: tanto quidem magis, atque ob easdem etiam causas, & copiosum prandium euaporationum incommoda consequantur magis, & eiusdem rationis cœnam minùs.

Iam si, crudis ventriculi ore contentis, ac permanẽtibus succis, vnde vapores exilire in caput cerebrúmque soliti sint, copiosum'ne prandium æquè, an cœna potiùs, maius allaturum id nocumenti sit, quęratur: respondere non dubitabimus, copiosum prandium nociturum magis, quàm eiusdem copiæ cœnam. cùm ob superiores causas, quæ in idem fere hîc quoque recidant; tum verò, quòd humorum sæpe cruditas, quemadmodum & vitiositas, quum præter concoctionem etiam attemperamentum, quæ ἐπίκρασις Græcis est, admittere queat: porrò autem id non aliter, (quod à Galeno accepimus, ac quotidiana propè experientia comprobatum videmus) quàm vincente assumpto cruditatem aut vitiositatem cibo, vt superior copia & quantitate sit, succedere facilè soleat: atque hanc cibi inuehendo attemperamento necessariam exuperantiam nemo negaturus sit noctu quàm interdiu maiorem, ob plures easque maiores, maiorisque efficientiæ, causas concoctum iri, vt ἐπίκρασις inde fiat. ita his quoque rationibus, atque hanc ob rem iure, meritóque vberem cœnam vberi prandio hoc non minùs casu anteferendam habebimus.

Atque ita nullam adhuc, hactenus quidem inuẽtam à nobis fuisse affirmare possumus, in omnia licèt, quoad eius fieri à nobis potuit, curiosè inquisiuerimus, nec sani, nec displicentis sibi corporis, sed neque affectu etiam interdum correpti morboso aliquo, conditionem, aut causam, aut rationem, quamobrem, quum de cibi sumendi copia certatur, non prandium in eo cœnæ semper posthabendum esse iudicemus.

Nam quòd eruditorum nostri temporis quidam in oculorum affectibus abstinendum esse à largiore cœna monuerit, imbecillibus enim ac laborantibus eam officere, ob meatus quosdam à naribus ad oculos contendentes, qui quum minimè dormientibus occludantur, transmittere ad oculos sursum latos vapores, noxamq; ita inferre possint: scimus meatus hosce neque rectà in oculi compositionem tendere, partésque illius intrinsecas, quod verè officeret: & oculorum tantùm extrinseca perstringentes exhalationes non valde læsuras arbitramur, præsertim noctu, somnoque, quo tempore paucas eas esse, & quiescere potiùs incommotas tunc, modò non redundantibus omnino in ventriculo cibarijs, dictum antea. Nec, cur occlusis, vt ipsi fatetur, meatibus alijs in somno, hi quoque ex parte, si non in plenum, claudi non debeant, ratio ab his affertur vlla: & dormientibus, quibus oculi tanquam valuis palpebris occluduntur, sicuti spiritus multi eò tunc non deferuntur, quum non permeent, ita sanè ne vapores quidem multi, vt esse tam pauci atque hi inualidi queant, vti nihil, vel parum omnino, offensionem inde oculi sentiant: aut si quam sentiant tandem, ea cum concoctionis maximæ vsu conferenda minimè sit, & præ hac vilipendenda illa, nec magnopere sanè curanda. Ita rursus neque hac sanè ex parte fallet nos regula, quam vndique tot alijs rationibus stabilem ac firmam adstruximus.

Verùm enimuerò nullus'ne penitus erit (dicat hîc forsitan aliquis) casus, quo casu minus cœnare, plus prandere, conueniat, vt exceptione tandem aliqua vti liceat? Erit sine dubio. Quis enim tam stolidus, aut rerum Medicarum imperitus, qui, incurrentibus in cœnæ tempus morborum accessionibus, non dico cœnãdum, quàm prandendum, minus esse iubeat, sed in totum posthabendam esse cœnam non consulat? aut quis nescit consuetudinem, cœnandique parciùs morem, initio ita quanuis repugnantibus rationibus institutum; quia tamen consuetudo, & mos est, non facilè nec temerè immutandi, retinendum esse; paulatimque desuescendum ab eo, vt melioribus assuefiamus, potiùs quàm concisim atque abruptè repentinas subitariasque mutationes, quas natura nunquam commodè tulisse visa est, introducamus? Idque in tempore faciendum nobis erit, nondum senium ingressis, aut non longiùs quidem in eo progressis, antequàm cõsenescendo insuescamus, nec immutare deinde facilè queamus; aut, si immutârimus, non sanè multus aut multi temporis superfuturus vsus sit, tarda quidem obrepente iam senecta, sed magnis semper passibus tendente ad libitinarios.

IVLII

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER TRIGESIMVS.

Ciborum qualitas attemperato homini in iuuentute, consistentique ætate congruens explicata.

CAPVT I.

TRAdendum mox & ilud, diligẽterque dicendum, qualis quantaque esse ciborum copia debeat, quo tempore, quóve assumẽda ordine in homine eo, quem nobis pro reliquorũ omnium regula præfixerimus, temperamenti exacti cuiusdam, ac per ætatum spatia ea decurrente, quæ quarto, quinto, sexto, septimóque Septennijs metimur. Et ciborum quidem qualitatem satis constat eiusmodi habendam esse, quæ, quoniam medij vndique iam temperamenti accommodanda corporibus est, ipsa non minùs temperata vndique exhibeatur, oportet. Antegressa enim Septennia, omnium præsertim primum, tum secundum, tum tertium, quanquam hoc longè alijs minùs, cuncta tamen sicuti reliquam victus rationem paulò humidiorem exposcebant omnem, ita non sanè minùs cibatum omnem. Tum verò successura ętatibus his, quas nunc tractamus, tempora aliam omnino quandam exigent, vt tunc docebitur. At quatuor hæc, quæ nunc præ manibus habemus, Septennia, iuuentutis consistentisque ætatis quæ vocamus, mediam proinde & temperatam requirunt, medium nimirum, temperatúmque hominem nutrituram. Itaque deligenda huiusmodi, quod facilimè fiet, ex superioribus in libris tradita atque explicata rei cibariæ copia, & ceu penu, vnde depromi in præsenti, quoties vsus veniet, commodè ad rem vnaquæque facilè possint, frugum, plantarum, animalium temperata. Quæ si talia non fuerint, quęrendum temperamentum ex contrariorum inter se admixtione: vt calida frigidis contemperentur, non secus ac calidis frigida, & sicca humidis, siccis humida. In quo condimentorum maximè ratio valebit, & intinctuum: tum si qua incoquantur elixandis, aut torrendis insigantur, aut qua alia ratione id fiat, quo temperies edulijs concilietur, ne longiore intemperatorum vsu de status sui conditione deturbetur optimi ille temperamenti, quem diximus. idque Vere potissimùm, atque Autumno. Hoc quanuis tempore, nempe Autumno, ob siccitatis non obscuram exuperantiam, quærendum remedium ex paulò humidiore victu, sicuti Hyeme ex calidiore, ex frigidiore Aestate, sit: vt temperamentum maneat, minimè circumambientis aëris excessu destructum. Simul, ne nimio rei cibariæ, eiusdem cum anni temporum excessu intemperaturæ, vsu superuacanea coaceruetur in corpore vitiosi humoris alicuius copia, Hyeme pituitosi, biliosi Aestate, Autumno atrabilarij. nam Vere superfluus ciborũ, anni tempori temperatura sua congruentium, hoc est, temperatorum, vsus cacochymiæ nihil collegerit: plethoram potiùs fecerit. Eadẽ ratio persuadebit nobis, Tẽperato homini, Hyeme sumendum esse actu iam suo calidum, Aestate nõ vsq; adeò, cibum: sicuti sanè vestiendum Hyeme calidiùs, Aestate minùs. omnia, vt anni temporum excessus ad temperamentũ hoc pacto reducatur. Tametsi, quod ad capiendum cibum attinet, capi is quocunq; anni tempore plùs minùs calidus tamen semper actu debeat, ob ventriculi naturam in actu iam ipso frigida non valde libenter admittentis. in tantum, vt vel potum interdum ipsum, quem tamen rectà cũ ratione, propterea quòd frigiditatis atq; humiditatis appetitus is sit, in præsenti frigidũ propinamus, calidum nonnunquam, vel non perinde certè frigidum, exhibendum esse non immeritò censeamus. Verùm hac de re, cibique vnà caliditate & frigiditate, atq; huiusmodi alijs, quum de intemperatorum rationibus tractabitur, conuenientior haberi poterit sermo. Nunc de ciborum qualitatibus satis, ad temperati quidẽ mediæq; ætatis hominis respectum. Quas esse omnino omni ex parte medias oporteat, non solùm primas, verùm etiã secundas, & tertias, priores illas insequentes, quas ita vocamus, cunctas: vt quasi per mediũ progrediendum in omnibus sit, hoc quidem proposito nobis, quod versandum tracte-

mus, Subiecto, atq; hisce Subiecti ætatibus, itidẽ, vt reliqua cuncta, hoc casu in omnium medio positis. Nec dubiũ, quin appetiturus eadem hæc media omnia sit idẽ is, de quo nunc sermo, eâque ætate; cunctaq; illi placitura magis illa sint, quorũ nullam in partẽ notari excessus effatu dignus magnopere vllus queat, quandoquidem regula is sibi vnus inter omnes alios & amussis quædam futurus semper sit.

Nam reliquis in excessu aliquo temperaturæ suæ constitutis paratus perquàm facilis est in proxima quæq; lapsus. Quę dum paulò nimis naturam suam sequuti appetunt, nimietatẽ generis eiusdem promptè sæpissimè colligunt, & in morbos incurrunt calidiores calidi, & frigidi frigidiores. Itaque reuocandi sæpenumero contrariorum temperaturæ suæ, ne vltra sanitatis limites tendant, retrò vsu sunt. Quũ noster is, de quo nũc dicimus, intemperaturarum omniũ in medio, iussa semper naturę suę sequutus, vel perpetuò futurus incolumis sit, gustui palatóque adlubescentibus assiduè, medijs nimirum, sibique conuenientibus, cibis vsus, statumq; ideo semper conseruaturus suũ, nullo ea ratione in partem contrariorum excessuum vllum prolapsu, quòd quidem huc spectat, & cibatus tantummodo qualitatem tangit. Ne exuperet autem quantitas, perpetuò caueatur.

De conuenienti ciborum quantitate in temperato, mediaćque ætatis homine. Et in transcursu, quo moderamine tractandi sint, calidioris, vel frigidioris ventriculi, alij.

CAPVT II.



Ametsi hac quoque in parte, nisi prorsus à natura sua recesserit, & quod illa iusserit, sequendum sibi esse decreuerit; aberraturus nusquam sit, nec se nimio vnquam cibo repleturus, quem ipsius met appetentia non admittat, modico semper contenta, quippe temperata ipsa non minùs. Neque verò Athletarum more ἐξ ἀνάγκης, quod præter iustam adlubescentiã est, distendendæ meliùs corporeæ moli plus ingesturus, quàm ferre ventriculus possit, & ad summũ vsq; infarcturus, vt nausea sequatur, vel cibi fastidium, nimiáque ac superflua aliméti ingestione veluti oppressus intersting uatur natiuus ventriculi, viscerumq; omniũ calor: tum verò cruditates ex hoc sequantur, & ex cruditatibus morborum multorum pessimorumq; series, colicus inprimis non parum sæpe cruciatus, ventriculi vicinarumque circùm partiũ inflatio, & angustia, & morsiunculæ, & obstructiones insignes, totámque corporis molem degrauantis molestiæ sensus, atq; ad agendas res torpor, mentisq; offuscatio ignaua. idque vel si ex quantitate sola peccetur, vt immoderatus solummodo cibus sit, non etiam mala qualitate aliqua præditus. Quòd si hæc insuper accesserit, & intẽperatiorum qualitatum immoderatior congestus in ventriculum cibus primò fuerit: cui dubium, quum dictos iam subortum iri in corporeaffectus, tum alios suam quemq; succi prauitatem referentes? Sed non is in hoc timor, modò naturæ suæ media semper quæque dictanti obsecundet. Cui si obsecundârit, ne alimenti quidem copia degrauaturus vnquam ventriculum sit nimia, maioréque quàm conficere deinde valeat; in quo, qui frigidiore ventriculo sunt, peccant: sicuti, qui calidiore, è diuerso, quàm cõcoquere possint, & quàm alendo corpori sufficere debeat, alimenti accipere minus soliti sunt. Quòd si huiusmodi cibus fuerit, cuius eo, quòd magis palato arrideat, sumptum plusculũ fuerit: iam tum credemus auidiùs hac de causa à ventriculo arreptum, & complexum arctiùs, confectum quoque iri faciliùs. Non secus ac ab Hippocrate (Aphoris. ij.) admonemur, paulò licèt deteriorem cibum ac potum, sed gustui acceptum, meliori minùs tamen accepto, & gustui suaui præferendũ: non alia, vt opinor, ratione, quàm modò dicta, quæ valitura in ciborum tam quantitate, quàm qualitate sit, & commodè transferri ab hac in illam queat: vt non modò paulò deterior, sed paulò exuperantior eodem modo concoqui cibus in ventriculo, atq; adeò in iecore, ac venis, perq; totũ corporis habitũ debeat. Hactenus igitur intelligendum est Hippocraticum monitum illud: ἄσκησις ὑγιὴς, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων.

Neque tamen demensum statui in vniuersum suum cuique, in tanta staturarum ac corporaturarum diuersitate, potest, vt per libras fortè, aut vncias expensa tribuatur cuicunq; mensura. Attendenda in homine tẽperato appetẽtia potiùs. Qui quantæcũque corporaturæ fuerit, (Esse autem status hominum multos, ac diuersos, maiores, minoresque, atque intermedios, mediocri omnes tẽperamento præditos posse, suprà ostendimus) tantũ semper naturę suæ bonitate adiutus appetiturus esse videtur, quantum sustentando corpori habitudinique suæ futurum satis sit.

Atque hic tamen quoq; expendendum diligẽter, nũ id, quod in ore omnibus iam Medicis est, verum hoc quoq; casu esse reperiatur, Famescẽtibus semper etiamnum ex parte relinquendam esse mensam. De mensa quidem vulgo Medicorum surgendum

dum esse aiunt cum reliquijs famis. At nos in hoc, qui iustissima naturæ suæ monita sequitur, & æquissimo vtitur appetendi cibum sensu, quoniam, ne ob hoc ipsum iustam atque æquam sumendi eius mensuram egrediatur, aut naturales metas transiliat, periculum nullum est: non nisi sedata ritè priùs fame desistendum à ciborum assumptione esse monebimus, ac tum demum cessandum,

Postquàm exēpta fames, & amor cōpressus edendi fuerit, vt Poëta cecinit. veriti nimirum, ne, si aliter fiat, iusti aliquid corporibus huiusmodi, ac debiti nutrimenti subtrahatur, bonæque ita habitudinis, quam inesse his supponimus, & adesse semper volumus, iactura omnino aliqua necessariò insequatur. Quapropter suis huic hac quoque sumendi cibi in parte standum legibus iudicamus. Quas æquissimas si sequatur, neque nimio ventriculum onere parte ex vlla degrauaturus est, neque rursus debito corpus alimento defraudaturus.

Qui ventriculo frigidiore sunt, hi fortasse rectiùs lege ea & regula teneantur. Quippe qui, quũ plus semper, quàm conficere possint, appetant; nisi id remedij adhibeant, vt appetendi, famisque semper desiderium ne expleant, perquàm facilè cruditatum vim interdum non paruã contrahant, & in morbos ex hoc incidãt multos, malosque.

Rursus verò, qui calidiore, his si rectè consultum voluerimus, & rectam in hoc quoque rerum rationem sequendam nobis esse duxerimus, contrà potiùs suadebimus: ne vel extincta prorsus fame desistãt, quasique appetentiam cogant ipsam, illudque demum redeat huc nobis ἐξ ἀνάγκης. Alioqui, nisi hoc fecerint, amissuri de suo, & habitudinis molisque corporeæ deperdituri nonnihil, consumente calore plusculum semper, quàm quod ingestum fuerit, ex minore appetendi facultate, quàm qua tantum suggeri possit ventriculo cibi, quantum concocturus ipse sit: ac nequaquam ideo iustum enutriendæ rectè corporaturæ toti alimentum præberi inde solitum sit. neque enim perfici nutritio iusta corporis totius poterit ex non iustè, atque abundè satis initio subministrato cibo, vnde moles vniuersa aleretur. Macrescãt ergo ex eo corpora necesse est, & membra artúsque attenuentur, & flaccescant vires. Sed de his posteriùs.

Nunc cibus, ostensum satis sit, quantus esse debeat in temperato quidem, atque earum, quas nunc tractandas nobis proponimus, ætatum homine: scilicet, vt famem expleat, ac modicè satur fiat, neque exaturetur tamẽ, scilicet ἀκορίη τροφῆς illa hîc quoque non negligenda: breuiter, vt, antequàm degrauandi ventriculi sensus suboriatur aliquis, cessetur statim. Quod signi sit, si suboriatur, ingestum plus iusto esse cibi; vt potionis, si quid innatare in ventriculo videatur fluctuans. Sequetur autem vtrunque, vt neque nauseabundi fiant, qui id moderaminis in hoc adhibuerint; neque acidum, aut nidorulentum, aut extranei aliquid saporis eructent; neque corporis insuper pigritia quædam ponderosior, aut mentis torpor accedat. De cibi quantitate hæc. Nam de partibus huius faciendis dictum suprà, quum de prandio & cœna disputaretur.

Ciborum varietas cur damnetur. Quæq; hanc sequantur incommoda. Qualis intelligenda cibi simplicitas sit. Et quam ob rem nuda hæc quoque prorsus recipienda non sit. Causa, cur panis vnius repletio pessima habeatur.

CAPVT III.



Hvc pertinet de ciborũ varietate disputatio breuiter transigenda, propterea ꝙ omniũ penè scribentium de his consensu reprehensa vitetur, & damnata explodatur. Ferè aũt fit, vt ciborũ varietas illorum met semper quantitatem augeat. Quo nanque varia magis offeruntur, eo plura semper succedunt, adlubescentibus assiduè palato magis magisq; nouis, eoq; excrescit copia. Quo nihil nocentius, neq; concoctioni rectè in ventriculo peragẽdæ aduersum magis, neq; quod corruptionẽ ciborum certiùs, ac manifestiùs adferat. In quo quantum insit nocumẽti, & cõseruandæ sanitatis legibus inimicetur, id nõsse possunt omnes, tam qui rationes rerum harũ vident, quàm qui, quantopere hac in re peccantes, quæ ferè multo maxima nobilium, ac principũ virorum pars est, lædi soliti sint, animaduertentes obseruant. Quos videmus morbis frequenter nimis corripi, ex ciborum primò, tum deinde succorum etiam corruptela, ac vitiositate originem trahentibus multis, & grauibus, nec minus sæpe perniciosis. non immeritò, pugnantibus semper inuicem diuersis cibarijs, quorum quidem diuersæ, ac tanto magis, si contrariæ inter se, facultates fuerint; & alijs ventriculũ morsione tentantibus, quibusdam etiam vellicantibus, alijs flatulẽtiæ multum gignẽtibus; cõcoqui facilibus alijs, alijs difficilibus, eoq; crudis sępe, ac semiconcoctis iam in corruptelã tractis, aut ante tempus cum illis vnà egestis: & modò calidis supra modũ cum frigidis cõmixtis, eodemq; de siccis, atq; humidis modo: sæpe etiã (quod ani-

animaduersum à Galeno fuisse videmus) in nonnullis, eademq; in re, diuersa quidē in parte, contrarijs tamen viribus repertis, vt in Lente & Brassica, quarum cremor iusculis elixatione repositus aluum soluit, corpus solidius cohibet. Et qui animalium cerebrum concinnant garo & oleo, totum dissimilare, sibique ipsi dissidens, conficiunt, sistente se cerebri substantia, & permeante tardiùs; additamentis autem illis, ad excernendū deferri promptis, atque ita concoctionem perturbantibus. Quocirca inter laudes Ptisanę ponitur ab Hippocrate, quòd continuarum sit partium, vel γλίσχασμα potiùs suum continuum obtineat, nempe continuatum eodem modo per totum. iccirco τὸ ἀραδὸν κακὸν illud non habet: habitura dubio procul, si diuersarum, adeoq; cōtrariarum, vt multa, partium esset; & ventriculum perturbatura varietate sua fatigatum. Didicimus enim iuxta Galeni (iij. De ratio. vic. in acut.) sententiam, ὡς ἡ ποικιλία τῶν προσφερομένων, καὶ μάλισθ᾽ ὅταν ἀνόμοια ταῖς δυνάμεσιν ἔῃ, ταραχὴν ἐργάζεται κατὰ τὴν γαστέρα. Sint igitur oportet nō dissimilium, nec diuersarum, minimè autē omnium oppositarū inter se partium, & facultatum, qui ingeruntur cibi: ne perturbatio ea sequatur, huicq; incōmoda quoq; non minora succedāt, quū alia pleraque, cruditates, vitiatasq; concoctiones, & corruptelas comitari solita: tum verò nō minùs iusti in corporibus alimenti defraudatio. Frustrari enim sæpe solet varietas hæc, & spem fallere futuræ iustę nutricationis cōceptā: variantibus nēpe cibis nūquam ęquè nutrientibus, distracto scilicet alimento sanguinis, neq; in vnum conueniente, & eo plerunq; corruptiore, ac dissimilari, proinde nec cōmodè satis, nec æqualiter membra nutrituro. Hoc ipsum sequutus Hippocrates, dum crassitiem corporum attenuare cupit, siue Polybius is sit: πλέονα γὰρ ἔσω τὰ προσαγόμενα, inquit, ὄψα. οὕτω γὰρ ἂν ἀπό γε ἐλαχίστων πεμμάτων ἀνεπίμπλανται. quū priùs obsonia parari mandâsset σησάμοισι καὶ ἡδύσμασι, καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσι τοιουτοτρόποισι. Quasi, qui minùs ita nutriendi sint ἐξ ἐλαχίστων, vt ipse ait, πεμμάτων, dictis paulò antea de causis. Etenim minus semper elicietur alimenti ex pugnātibus inter se, quàm ex cōspirantibus in vnum. Tum etiam perturbata ac degrauata ciebitur aluus citiùs egesta saturitate omni, priusquàm succus inde chylosus ille conflat, iusta sanguificationis materia, proposito quidem illi, quod hoc loco Author is intendit, emaciandorum hac quoque nutrimenti subtractione corporum conuenienter fortasse satis: nobis verò minimè, qui conseruatam temperati hominis suam sibi habitudinem his cibus volumus.

Præstabilissimum igitur fuerit simpliciori cibo vsos perpetuò victus rationem hanc seruâsse, nō quidem vt veteri Athletarum more, atq; instituto, pane tantummodo & carne vescamur, pane manè, vesperi carnibus: neq; enim esse Athletici volumus, quod fugiendum nobis semper esse scimus: sed vt pani obsonij semper aliquid addamus, & carnibus rursus panem. Quod, vt toties iam dictam bonam temperati hominis habitudinē tueamur, futurū nobis satis est, si cū pane opsonij semper aliquid, sed simplicioris, iunxerimus. Simplicitatem opsonij intelligo, qua quū simplex vnum aliquod minimè partium dissimilarium varietate, aut contrarietate secū dissentit ipsum; tum, si plura in vnum consentiant concordentque aliqua. ea enim quoque conuenientia habenda, & simplicitas quędam est. Carnium scilicet, non admodum temperamento, aut qualitatibus reliquis diuersarum inter se, si tostæ apponantur omnes, aut elixæ, aut aliqua simpliciore ratione præparatæ ex culina in mensam veniant, de quibus libandum modicè & degustandum sit, vt ex epularum interdum copia excessus tamen non fiat. Et intelligi cibariorum Varietas ea non possit, quorum & natura, & præparandi ratio, & conditura consentiant; si modus, quod in omnibus optimum semper iudicatum est, hîc quoque adhibeatur.

Atq; ita nec simplici nimis, prorsusque nudo cibo, vt Athletæ, erimus cōtenti: neque rursus, vt helluones, & liguritores, cupedias sectabimur, ex opipara nimis, & dubia, vt Comicus ait, mēsa. Frugalem potiùs apponemus nobis hanc, & medicā, quę & opsonia habeat, sed certa quædā; & nec diuersa valde, nec sibi nimiùm pugnantia: atq; opsonijs cōdimenta respōdeant. ne, si nuda rerum omniū apponatur præter panem in prādio & carnis aliquid in cœna, prætereà nihil; non satis acceptus indatur ventriculo cibus, & nec amplexetur illum ideo rectè, neq; exactè conficiat: vti iā non tā quidē in sumpturi gratiā, quàm vsum, fieri ista debeāt: neq; verò simplicissimo, soloq; pane esse nos contentos debere, manifestum hinc sit.

Et alioqui quū repletio omnis dānetur, panis omniū habendā esse pessimā, vulgo etiā circūfertur. quod necessariū futurum sit, si quē solo, simpliciq; saturū fieri pane oporteat. Exatiatus enim ita, siccoque, & iusto satis, ex quo confieri chylosus succus soleat, humore carēte alimēto refectus, nec cōcoquet facilè, neq; in chylum, quē diximus, vertet; neq; cōmodè distribuet in partes corporis omnes, & quod distribuet, te-

nax erit & ſolidũ nimis, hærensq́; alimen-
tum, tanquam ex eiuſdem cõditionis ſan-
guine membris partibusq́; omnibus addi-
tum. Quo dũ nimiùm replentur corpora,
parata cùm morborũ aliorũ quorundam
non ſine cauſa ſuſpicio; tum vel maximè
attoniti illius, in quo refertis obturatisq́ue
venis, atq; vndequaq; craſſioris ac tenacio-
ris ſanguinis nimietate occluſis earũ oſcu-
lis, cunctisq́; meatibus, ſpiritus ita vias illas
permeare ſoliti interceptione concidit ex-
templo natiuus calor, vitaq́; de improuiſo
priuat, ſanũ atq; incolumem viſum. Quod
Hippocrates aliquãdo mutũ derepentè fi-
eri dixit, ex vno hoc ſymptomate multo-
rum malorũ affectũ colligens; comitialis
morbi, attoniti, qualẽ modò narrauimus,
cardiaci, animiq́; ex hoc deliquij, ad quę ſę-
pe mors. τόδ' ἄφωνον ἐξαίφνης γενέσθαι, ait, φλεβῶν
ἀπολήψιες ποιέουσιν, ἢν ὑγιαίνοντι. τόδε ξυμβῇ ἄ-
νευ προφάσιος, ἢ ἄλλης αἰτίης ἰσχυρῆς. Atqui pa-
nis hoc facere inprimis, qua modò dixi-
mus ratione ſumptus, poteſt ſolus: ideoq́;
huius deterrimã eſſe repletionem, tritum
iam apud omnes habeatur.

*Sumendi cibi tempeſtiuitas vacuo prorſus ventriculo
eſt. Ordo, vt corruptibilia, & emollientia aluum, &
liquida, tenuiáque, ac concoctu & deſcenſu facilia,
præſumantur. Tum aduerſus opinantes non refer-
re quo quiſque ordine ſumatur cibus.*

CAPVT IIII.

IAm verò rectum atque
opportunum ſumen-
di ritè cibi tempus in
eo ſemper erit, minimè
vt, niſi confecto antea
priore, egeſtoque, ac
vacuo & libero pror-
ſus ventriculo ingera-
tur nouus alius: tum verò, ne ſtatim ante
exercitationem, commouendiq́; ſe paulò
magis neceſſitatẽ id fiat. vtrunq; enim no-
xium non ſanè parum. Nam & exercitatio-
nem paulò ante præcedens, ac non tanto
interpoſito tempore, vt concoctus diſtri-
bui valeat; crudus incoctusq́; rapietur in
partes corporis omnes cibus: & aut viſcera
obſtruet, venasq́; inprimis meſaraicas; aut
has ipſas, maioresq́; vnà illas, nonnũquam
& minores reliquas, corporisq́; adeò ambi-
tum totius, ſuccorum cruditate replebit:
interdum cuncta hæc euenient ſimul ma-
la, ſi paulò diutiùs erratum in eo fuerit, &
ſuperingeſtus inconcocto adhuc, aut ſe-
miconcocto, vel etiam ad plenum propè
iam concocto cibo, ſed nondum tamen
ꝓtruſo, nouus alius crudus. Proinde cùm
horũ concoctioni impedimẽto erit omni-
um, ne perfecta abſoluatur, concoctricem
vẽtriculi facultatẽ aliò auertẽs, nouiq́; in-
ſuper alimenti adiectione diſtractæ & de-
grauatæ hac quoq; ex parte morã afferens:
tum victa hoc pacto virtute, in eandẽ faci-
lè trahẽtur noxam omnia. Rapietq́; ita ſe-
cum in corruptelã ſemicõcoctus cibus no-
uũ, atq; ab ipſo rapietur: vnaq́; aut ventri-
culũ diſtendẽt cõgeſti nimij, manẽtesq́ue;
aut eiecti inferiùs, cruditatibus & corru-
ptionibus cũcta infarcient. Sic fiet, vt ex er-
rore hoc, & qualitatis vitio prauæ cuiuſ-
dam, & quantitatis eodẽ tẽpore nimiũ atq;
ante tẽpus cõgeſtæ põdere, inſigne ſemper
nocumentũ ſanitati adferatur. Τοσαύτην οὖν
εἶναι δεῖ τὴν πρώτην, inquit (Therap. vij.) Gale-
nus, ὡς ἀκριβῶς ἅπασαν πεπέφθαι, πρὶν ἢ τὴν δεύ-
τεραν λαμβάνεσθαι. Et mox: καὶ κενῇ, καὶ καθαρᾷ τῇ
γαστρὶ τὴν δευτέραν δοθῆναι τροφήν. Et concoctum
priorẽ eſſe iubet cibũ, priuſquàm ſecũdus
ſumatur: & occurrere hũc vacuo puroq́;
ventriculo vult. Diximus proximè dili-
genter ſanitatẽ ſuã cuſtodiẽti fugiendã eſ-
ſe cibariorũ eodẽ tẽpore, eademq́; in men-
ſa diuerſitatẽ, ac tãto quidẽ magis cõtrarie-
tatẽ, aduerſiſſimã hãc atq; inimiciſſimã ſa-
lubritati, quãquam ne illã quidẽ non ſanè
multo minùs incõmodam, diuerſitatẽ di-
co, & varietatẽ. Atq; ex calidis interdum &
frigidis, humidis & ſiccis, quæſitũ alicubi
temperamentũ fuerit non ineptè, neq; in-
congruè admodũ ad rẽ præſentẽ, quoties
eiuſcemodi, vt ſæpe fit, vſus aliquis vene-
rit, ſi in vnũ tandẽ cõueniant, faciẽdo tem-
peramẽto: ex varijs & diuerſis manentibus
non itidẽ. Non enim bubulæ, verbi gratia,
carnis vitium ouilla, aut caprina emẽdabi-
tur; nõ azymus panis, placentæ genere ali-
quo improbato: nõ condimentorũ, nõ in-
tinctuũ ſæpe varietates quædã, nõ illę qui-
dem cõtrariæ, aut inter ſe oppoſitæ, ſed ta-
men diuerſæ ac variæ, alia alij adiumento
fuerint, ne quid obſint, auxerint nocumẽ-
tum potiùs collata vitioſitate omni, atque
miſcellanea malitiarum multarũ tanquam
miſtura diſcordi quadam ad magis atque
efficaciùs nocendum.

Remedio erit, ſi quãdo tamen declinan-
dũ parũ de via in hoc fuerit, qui tanto eſſe
plerũq; alijs quoq; multis in rebus vſui ſo-
let, hîc quoq; ordo. Et quoniã varia inter-
dũ, ac diuerſa, & cõtraria ingeremus vel co-
acti, vel voluptatis quãdoq; blãditijs pelle-
cti, nonnunquam etiã ex vſu aliquo: ordo
ſaltẽ accedẽs aſſumendorũ noxã hanc abi-
gat. Etenim vel ſi voluptuoſum viſum id
alicui fuerit, quod faciendũ tamẽ non eſt:
ſed factũ ſi fuerit, vt varietatẽ ciborũ, atq;
epularũ, & cœnę, vt ita dicam, dubietatem
illã ſectetur aliquis: vel quũ in frugali licèt
mẽſa, varia tamẽ quædã apponũtur, & hoc
nõ inſalubriter, adeoq́; ex ſalubritatis etiã
legibus fit; vt quũ cibũ aliquis fortè nõ ca-
pit, & in nulla plerunq; abeuntis ex toto

appetentiæ adlubescẽtia, aut quum aliâs aluum emollientibus indiguerimus: seruandus semper ordo. nam in altero noxæ demetur multum, ciborum diuersitatem insequi solitæ: in altero vsus inerit nõ contemnendus retinendæ ex præcepto quoq; hoc sanitatis. Itaq; tam quum varia diuersarumq; facultatum inferentur mensæ cibaria, & dubia erit cœna, nos tamen haud dubiè corrumpi facilia quæque ac putrescere proponenda esse iubebimus, quàm quum simpliciori erimus cibo contenti. Vt elixis fortè carnibus tantùm si vesci voluerimus, horum ipsorum iusculis omnium primùm pro sorbitione, tum & elixa carne vtemur. Ac si olera, ex oleo præsertim aut garo, tum prætereà assi aliquid, & pomorum Cydoniorum, aut Punicorum nonnihil in eadem mensa, frugaliter tamen omnia, habebimus: vtique olera priùs, dein assaturam, postremò eius generis sumemus nobis poma, pyráque, & huiusmodi.

In vniuersum autem attendendum id diligenter semper erit, vt aluum aliqua ex parte emollientia, ac lubricitatis alicuius participia, tenuia item, & cùm concoctu tum descensu facilia, improbi ad hæc succi si qua erunt, ac corrumpi in ventriculo prompta, ea priorem semper locum ingesta occupent: succedant alia, aluum morantia, & diutiùs antequàm descendãt inhæsura, nec quæ facilè corrumpantur, & succi in totum melioris. Ne, si aliter fiat, ordóque is inuertatur, & præferantur in assumendo hæc, posthabeantur illa; vsus nobis pereat alimenti totius, & noxa prætereà sequatur: primùm nauseæ cuiusdam, qua sicuti fundum potiùs debuerat emollientibus faciléque descendentibus ad excernendum opportunè atque ex rei natura inuitari, præter naturam certúmque rerum ordinem ventriculi os iisdem illis emollientibus vomitionis incitamentum persentiat alicuius: tum verò corruptionis ciborum in ventriculo certæ, ex corrumpi in ventriculo facilibus, sensus sequatur, necessarióque fiat, vt, postposita quanuis, aliorum concoctionem anteuertant concoqui faciliora. Quod quidem factum quum fuerit, atque concoctionem iam adepta integram suam, vlteriorem caloris innati operam non expectent, & exitum tantummodo sibi quærant; sint verò priora illa impedimẽto, quo minùs transmitti possint, obstantibus his: verendum maximè erit, ne operato assiduè calore, quippe qui nũquam otiosus ferietur, formã omnino, præter conuenientẽ sibi iustæ solũmodo ac peractæ cõcoctionis illã, indipiscãtur aliquãdo aliã: & in modicè licèt temperato ventriculo, ac tãto quidem magis calidũ nacta, si paulò calidiora ipsa fuerint, in nidorulentiã abeant corrupta; aut acorem contrahant, si frigidiora: secumq; ita in corruptelas hasce reliqua omnia sæpenumero adducant, quibus incumbentia innatant. At nihil tale, si iusto præmissa ea à nobis ordine fuerint, timendum nobis erit. Nã aut incorrupta manebũt, neq; enim corrumpi semper necesse est corruptionibus in ventriculo obnoxia, si idoneum sibi ventriculum nacta fuerint, vt sorbilia ac tremula oua in multis, quædamq; prætereà eiusmodi alia: & corrupta fortè quum in nidorulentiam aut acorẽ fuerint; nec corrumpent facilè alia inferiùs posita, minimè verò insidentia; & exitũ sibi perquàm facilè inueniẽt, dum ad pylori ostiũ erumpent, nullo iam obstaculo. Maiori autem ex parte opportunè ingesta, rectéq; concocta, commodum de se corpori alimentum exhibebunt.

Quanuis enim misceri cuncta credamus, ac quadantenus inter cõcoquendum confundi: seruari tamen multum in eo adhuc ordinis nõ dubitamus, ac tantũ quidẽ, quãtum & emolliẽdæ aluo futurum satis sit, si antegressa emolliẽtia fuerint; & cohibẽdæ, si cohibẽtia; & vitandæ suæ reliquorumq; corruptioni, si corruptibilia, & concoctu facilia. atque ita de aliis. Etenim insurgens peracta cõcoctione, vel corruptionis quoque interdũ noxã sentiẽs, aut grauatẽ pondus fortè nimium ferẽs, seséq; ad expellendum inferiùs excitãs, vẽtriculus, transuersis ad id maximè, obliquisq; fortasse etiam fibris vsus, contractiore iam orbe, & capacitatis parte, qua paulò in fundũ extuberat, adducta iam collectáque magis, procul dubio proxima quæque pyloro protrudet, propellétque priùs. Mirum vt sit, inuentos esse, vt audio, qui non referre dixerint, quo quæque ordine assumantur alimenta: quum & referre inprimis quotidie videre sit, nec sanè aliud dictet ratio. Illud scimus, (vt intereà, quibus probari idem posset, sileantur alia: non enim necessum in re non admodum dubia) si quid quis olidi, allium nempe, aut rhaphanũ, aut eius generis aliquid, edendum sibi proponat, ante vini aut alterius potionis alicuius haustum, nihil id aut parum admodum oliturum; oliturum autem vel maximè, si hausto priùs potu id fiat. Quamnam aliam, quæso, ob causam, nisi inuersi, seruatique ordinis? vt ibi fœteat anima, hîc nõ fœteat. Atqui lõgè magis subire vini liquorem, aut alterius cuiuspiam, oportuit, quàm cibi solidiorem cõsistentiam aliquã, necessariò proptereà locum suũ, quo loco ingesta primùm fuerat, non omnino relicturam.

Num

Num duriora & craßiora præmitti tenerioribus & tenuioribus debeant. Nõ debere, ostensum argumentis. Atq; illud nobis aliud persuadere conantium rationibus responsum. Simul & Galeni locorum, quæ facere pro illis videbantur, aperta intelligentia.

CAPVT V.

ID mouere magis aliquem possit, quod & arbitratos nonnullos fuisse video Arabas, Latinosque, qui crassioris durioris q; substãtię alimenta, mollioris tenuioris q; alijs, præferenda esse in assumendo cõtendant: modò alimenta tantummodo sint hæc, nõ etiam medicati aliquid teneãt; aut ex his habeantur, quę corruptioni opportuna fuerint. Facilè enim libenter q; concedunt, præire præsumi q; debere hæc: alia illa negãt, quòd crassiora ac duriora sicuti concoctioni aduersantur magis, ita plusculũ etiam ad id temporis exigãt, hac q; de causa præcipienda sese offerant, vt tempestiuiùs sumatur: & quòd ventriculi imum, quò initio præcepta feruntur, plus ad conficiendos cibos virium, ob maiorem validiorem q; ibi calorificam vim, & carnosiores partes, retineat.

Quod verum ex parte ea est, (vt de hoc primùm dicamus) qua carnosas, & calidas magis seu per se, seu aliunde partes concoctionis maioris habẽdas esse affirmant. Nos totam illam partem, quæ à ventriculi ore, qui stomachus est, ad intestina tẽdit, multo priore illa ampliorem, & capacẽ magis, (oris enim ventriculi, cui tributa à natura appetẽdi cibi animalis facultas ea fuit, exigua valde habetur) eisdem pollere concoquendi cõficiendi q; egregiè alimenti viribus, ac præstare arbitramur. Totam quippe carnosam satis, totã vndi q; partibus multo semper natiuo calore donatis veluti circũseptam, vt exceptis, omniũ postrema quæ sumũtur, ventriculi oris partem iam attingentibus, existimari possint reliqua omnia capacitate ea cõtineri, cui cõcoquendi tributũ à natura munus sit peręquè: &, quod ad cõcoquendi facilitatẽ, aut difficultatem attinet, non sanè permagni relaturum sit, quæ priora, quæ ve posteriora sumantur: relaturum autem ad ciborũ putrescibilitatem, & corruptibilitatem, vt ita nunc loquar. Etenim stomacho (vẽtriculi semper hic os intelligo) occluso toto; aut, vt benè refertus, cibis q; infarctus ac distentus ventriculus totus sit, pauxillum omnino quid superna in parte innatantium ciborum accipiente; reliquę toti parti cõcoquendi incumbit munus eiusdẽ naturæ, temperamẽti, ac substantiæ per se quidem, ac insita sibi dote hoc ipsum præstãti, nec minùs tamen interea à circũfusis partibus adiutæ. Quin- imò, si rectè cõsiderata spectetur ventriculi totius figuræ species & conformatio, qua cucurbitini alicuius vẽtris in morem ad sinistram deuolutus partẽ excrescit in fundum, longe quàm ad dextrã magis: sinistrę, in qua lien & ventriculi fundi pars maior, longè minus quàm dextrę, in qua iecur, caloris naturalis penè totius focus ac domicilium, paulò supra fundum positæ, ventriculi parti virium ad concoquendũ adesse, censendum fore videretur. vt, si quidẽ hoc vnum spectaremus, ingerenda cõcoctu faciliora semper haberemus primò, vt fundũ peterent, vbi efficax minùs, si ratio ista valeret, cõcoctionis officina. Sed vniuersam nos vẽtriculi ab eius ore ad pylorum protensam capacitatem æqua vbi q; pollere, toti nimirum ac per totã ingenita connata q; concoquẽdi potestate, facilè nobis persuademus: vtpote carnosam etiam totã æqualiter, at q; quò per omnia pertingere circũfusi caloris vis queat, penetralia illa permeantis facilè, & particulis sese omnibus circunqua q; addentis, iecoreque sæpe ipso, in apto præsertim ad id corporis positu, ventriculum totum amplexante, caloris q; semper sui satis ad fundum vsque immittente. Nõ igitur hac de causa retulerit quicquam vtra pręmittantur, duriora' ne, an teneriora: sed aliæ causæ sunt, quæ nos ordinem in capiendis esculentis seruare cogant, quas diximus: tum quibus persuasi sicuti putrescibilia & liquida magis, ita tenuia libenter præmittimus: exitus q; inprimis facilior illorum, & paratior.

Morula aũt illa quantula, quæso, est? vt paulò antegressa, tam exigui tẽporis beneficio cõcoctũ iri faciliùs credamus mox subsequuturis? cõtinuato quidẽ esu, at q; intra iustũ, quod breue admodũ esse debet, temporis spatiũ absoluto. Nisi fortè, sicuti moris esse apud gentes quasdã videmus, absurda & detestanda maximè quadã cõsuetudine, tantũ interponatur inter missus multos moræ, expectari prioris cõcoctio vt possit, accedẽte postremo. Sed is erit vẽtri ac gulæ deditorũ, & prandia sæpe cœnis cõtinuantiũ, diem q; aliquãdo nocti ęquantiũ, nõ salubritati suæ cõsulentiũ hominũ mos. Decet aũt, cõmanso tamẽ priùs rectè, cõminuto q; in ore cibo, & accepta ex eo aliqua iã, vt Medici oẽs credimus, cõcoctionis inchoatione, expeditè prãdendi ac cœnãdi tẽpora transacta peragere, tãtum q; in eo ponere moræ, quantũ naturę necessitati satis, nec grauioribus, aut melioribꝰ negotijs futurũ impedimẽto sit. Quod fieri intra semihorę circiter curriculũ potest à nõ ignauo prorsus, ac torpente. Vltra id si extrahatur tempus, exaturamur nimio plus; nosque ipsos

cibis cõficimus, potiùs quàm alamus, q cõficere illos debuissemus, vt rectè aleremur.

Cætera, quę huc afferũtur ab his omnia, inania esse animaduertet, nec satis digna, quibus respondeatur, qui legere nõ grauabitur. Quemadmodum & id penè ridiculum, de ędificiorum fundamentis quod attulère: vt, quoniam ars semper imitari naturam solita sit, sic nobis iacienda priùs ex crassioribus esculentis fundamenta sint, exemplo ab ædificandi ratione ducto, vt congeries deinde ciborum reliqua, & strues maneat. Non (arbitror) naturam artificiosè sequemur in accipiendo cibo exemplo hoc vsi: sed artis opus aliud, in quo Architecti non tam naturæ ductum sequuti, quæ ingentes moles, & rerum multarum pondera, firmis solidisq; niti fundamẽtis voluit; quàm communi, atq; obuia fermè notione adducti quadam, superextruẽdis domorũ parietibus soliditatem priùs terrę quærũt, tum & firma quæq; subijciũt, ruituris statim, nisi ita fiat, quãdo tibicinibus nullis fulciantur alijs. Quid simile in congestione in ventriculum esculentorum ea, vbi iusta tantummodo repletio quæritur, atq; ea minimè per se substitura, sed vẽtriculi vndiq; membranis, ac densis tunicis accipienda, retinendaque, æquè ac vtri (nam huic potiùs rei similis res est) implendo, vt quidẽ subsistant tantùm quæ inijciuntur, nihil interfit, priùs aut posteriùs hæc aut illa inijcias. Sed nobis, ne nimis longam de hoc orationem protrahendo, ridiculi itidem fiamus, cauendum diligenter est.

Vnum tamen adhuc omittendum hoc loco an sit, nescio, quòd ijdem illi Galeni alicubi Authoris scriptum trahere in sententiam suam adnisi sunt, quasi qui crassioris alimenti cibos omnium capiendos esse primos mãdârit, (Thera. vij.) dum ficciore ventriculi intemperatura affecto cœnam proponẽs, panis priùs meminit in clibano cocti; tum pro obsonio pisces adhibet saxatiles, ex iure albo asellum; dein gallinaceorum quoq; lacte nutritorum alas, & testes commendat, quæ si non adsint, vtendum esse alijs consulit. atq; ita & perdicum, & montanarum auicularum, mollioris q; carnis vsus meminit, tenuis quidem, minimè verò crassioris alimenti, omnium, ac nullo propè discrimine. Et discrimẽ si quod est, saxatiles pisces, ius album, asellos, quorum priùs mentionem facit, insequentibus profectò alijs, perdicibus maximè, paulò tenuioris esse alimenti contendere aliquis non iniuria possit, vt ego quidem existimo. Ideoq; contrà potiùs ita recidat, quàm quomodo opinabantur illi: atque, si cuncta, prout in scriptura posita sunt, eo quoq; assumenda nobis ordine persuadere voluisse arbitrati fuerimus Galenũ, tenuioribus priùs vtendũ eadem ratione persuasisse credamus. Sed nulla ordinis prorsus hoc loco mentio, neq; rerum notari series accipiendarum vlla potest. Res sunt cõiectæ eodem tantùm, quarum cõmodus esse & congruus in illiusmodi affectu vsus debeat: nobis considerandus relictus ordo. Si desint ista, inquit, vtẽdum alijs. Quod esse quidem videtur non seriem tradentis, sed obsoniorũ copiã colligentis: nõ qua multiplici eadẽ in mensa vtamur, sed cuius beneficio obsonio tandem aliquo non destituamur. Iccirco, hoc aut illud, ait, obsonium, nõ cuncta simul. Qui porrò haberi ordo poterit, siquidẽ, vt valde verisimile est, in tali præsertim affectu, vno aliquo ac solo cum pane obsonio vescamur?

Nam panem quòd primum omnium adscriptum voluerit Galenus, non vt primo eo, ac solo; sed vt cum obsonio semper simul, atq; vnà vesceremur, factũ videri potest. In quo nullus ordo, quod ad panem quidem attinet: vtpote cuius vel in obsoniorũ multitudine ab initio ad mensę vsq; extremum cum his ipsis vsus semper idem, eodemq; ordine sit, cum intinctibus, cum condimentis. Obsoniorum ordo est assumendorum varius, ac dictis antea de causis multiplex: panis perpetuò idem, atq; etiam perpetuus. Sanè idẽ hoc obtinuit vsus iam: & vt faciamus, monemur vulgato versiculo, omnia cum pane sumenda, quibus salubritas cordi sit. Hæc quanquam tenuia, dicenda tamen necessariò fuerũt, ne rerum ad sanitatis conseruationem vtilium ordinem tractantes, ab instituto nobis ordine, vbi minimè opus, excideremus.

Quocirca statuendũ de his breuiter hũc in modum esse iudico: Seruandum esse in assumendis cibis ordinem, ratio monet, & experientia confirmat. Id aũt erit, vt primum semper lenietibus aluum cibis locum tribuamus, adstringentibus postremũ: putrefactioni item obnoxijs primum, & concoctu facilibus tenuibusque; (causam antea attulimus) quorum contraria non tam omnium postremũ desiderant, quàm satis habitura sunt, si modò prioribus illis succedãt. Et huius sanè rei causa est, quòd medicata hæc non intelligimus, sed alimenta tantùm accipimus. Quibus futurũ abundè sit ad cõcoquendũ, vt ventriculo contineantur: at non sic tamen, vt aut impedimento sint egerendis primò, aluumq; emollientibus; aut è diuerso cohibentium locũ occupent. Quorum vtrorunque, medicata ex parte quum fuerint, vsus sæpe venit, seu cohibere, seu laxare aluum velimus, supernè in fernéve: vt emollientia laxent, quæsita deiectione, infernas partes; aut supernas à vomitiõe adstringẽtia cohibeãt, sistãtq;: cõtrariaq; eodẽ modo opportunè fiãt, si v-

sus

ſus futur⁹ ſit alterutrius partis ſuppreſſiõis aut deiectionis. Itaq; ſua ſibi loca hęc vẽdicãt, vt vſus hos pręſtẽt, minimè pręſtitura alibi repoſita: cõtraq; ob futura potiùs, turbulentáque, & tumultuoſã ſępe cõcoctionem factura. Sicuti putreſcibilia quoq; inuerſo ordine eſculẽtis alijs impoſita rapere ſemper ea in corruptelã aliquam videmus, & concoctu facilia eodem modo nõnunquam, ſi quando corruptionem hæc etiam acceperint. Quæ planè vitabuntur, ſeruata rerum harũ, cuiuſmodi diximus, ſerie, incommoda, quoties futurus neceſſarius illarum vſus ſit. Quod ſæpe fuerit, ſicuti ſæpe aut adſtrictam lenire aluum in ſanitatis tutela, aut laxam adſtringere, aut ciere vomitum, aut hunc ipſum etiam ſedare interdũ cogimur. Quod libentiùs ſemper placidis quibuſque, cibisq; his (vt loquuntur) medicinalibus facturi eſſe videmur.

Ferè autem fit, vt in imbecilliore ventriculo qui ſunt, hoc ciborũ genere magnopere interdum egeamus. Quemadmodum proditũ nobis eſt à Galeno (De alim. facu. ij.) de Rhetore, cuius ventriculi os imbecillius quum eſſet, atq; ex minima quaq; cauſa ſubuerteretur illi, remedio erat adſtringẽtium vſus, quo cibariorũ aliorum aſſumptio finiretur omnis, roburq; ex eo ventriculi pars imbecillior illã quum ſenſiſſet, deijceretur aluus, maximè verò atq; inprimis priore loco ſumptis, quæ eãdem illã emollirent, vt tãquam in apertum ita protruſa eijcerentur de ventriculo, quæ eijci, ſuoq; egeri tempore deberẽt. Sed hoc in culpatis hac in parte tẽperaturis, hacq; fieri de cauſa debuerit. Quo etiam tempore admonemur à Galeno, certiorem vt habeamus alui deiectionẽ, ne poſt aſſumpta aluum leniẽtia, cibum quoq; ſumamus ſtatim. ὅτε συντελεῖ, inquit, (De alim. facul. ij.) γαστρὸς ὑπαγωγῇ μετὰ τὴν προσφορὰν αὐτῶν ἐπιπίνοντι γλυκέος οἴνου, καὶ διαλιπεῖν τινὰ χρόνον, οὐκ εὐθέως ἀριστᾶν ἐν αὐτοῖς. vt factura per ſe quoq; antegreſſa ſolũ quæ aluum emolliunt, videãtur: epoto autem vino ad hæc dulci, & interpoſito tempore aliquo, antequàm prandeatur, longè certiùs promotura. Cæterũ in inculpato vndique, cuius nũc Septennia tractamus, neceſſum nõ fuerit, niſi ex accidenti aliquando aliquo. Ex natura verò ſua quum ſe habuerit, ſponte illi ſua, ſuoq; inſuper tẽpore opportunè egeret aluus. Et corruptioni parata illa non magnopere ſanè appetet: & ſi quando tamen appetet, cùm hæc, tum tenuia, & concoqui facilia, quo narratum eſt modo, reponenda ventriculo habebit, & quibus dictum eſt, rationibus.

Qualis eſſe, quantusq; Vini potus debeat, attemperati hominis naturæ, medijq; in omnibus temperamenti conuenienter.

CAPVT VI.



Atq; hæ capiẽdi ritè cibi cõſiderationes ſunt, illæ potus: Qualis primùm, quantusq; eſſe is debeat: dein, Nũ totum ſimul, continenterque comedendum, comedi quod debeat; ac bibẽdum dein demum ſit, id quod innuere nobis Authorum loca quædam videntur; an interponendus potus ſit: tum, Si miſcẽdus cibo potus fuerit, quoties id feciſſe pręſtet; pluriésne, an rariùs bibiſſe oporteat. Omia quæ exigui in ſpeciem momẽti, aut nullius potiùs cogitationis, videri cupiã poſſint; reuera autem plurimum ſemper ſecum adferant cõmodi, & ad ſanitatem conſeruandam neceſſitatis, ſi rectè expendantur, ſtatuaturq; de his nõ minùs prudenter. Decet autem traditurum ſe ſanitatis retinẽdæ præcepta, ꝓfeſſum, tenuiſſima primo aſpectu quæ apparẽt, ſed factura tamẽ ad ſummã operis totius ſint, minimè neglecta prętermittere: & exiſtimationis potiùs alicuius iacturam in eo agi ſinere, ſi quis carpere Authorem velit, quòd tenuia nimis ſectetur; quàm vt officio ſuo deſit, aut labori parcens intacta omittat, non parui futura aliquando vſus. Non deſint exempla maximorum Principum vnius & alterius, qui in re in principio parua, paruiq; momenti viſa, ſumendi rectè atq; ex ordine cibi potusq; negligentiores, admoniti quãuis, magnum deinde ex hoc vitæ ſuæ intulerunt damnum, læſa priùs ſanitate; & ætatis ſuæ, vt videri intelligẽtibus haud dubiè potuit, anteuerterunt limites, & decurtârunt, magno ſucceſſorum, prouinciarumq; ſuarum omnium, dolore ac deſiderio. Sed hæc querela ſera iam ad præterita: futura fortaſſe vtilis venientibus poſt nos ſit, ſi fidẽ quandoque inuenerit credita.

Dicendũ priùs, vt de cibo quoq; fecimus, potũ qualem eſſe, ac quantũ opus ſit. nam bibendi tempus quod eſſe debeat, & ordo, hæc duo illis ipſis duobus cõtinentur, quæ paulò antè diſcutiẽda propoſuimus. Non dubium, tale eſſe Vinum oportere, quale temperamento, & ſubſtantia, conditionibusque cæteris omnibus omniũ in medio eſt: nimirum in medio quoq; conſtitutum hominem nutriturum, atq; ad huius ipſius vſum ſemper adhibẽdum. Quærendum igitur eiuſmodi, quod congruum, & conueniens temperamento tali futurum eſſe appareat. Quod quanquam mediocre, & temperatum hactenus quidẽ ſit, vt ſui generis, nempe vinoſi, mediũ habeatur, ideoque temperati itidem & mediocris longè alijs meliùs accõmodari vſibus queat: nondum

dum tamen ad iustum atq; exactum huius ipsius temperamẽtum accedens, ob insitam cum caliditate siccitatem, his ipsis aquæ adiectione cõtrariæ retusum qualitatibus castigari semper volet, ad iustumq́; temperamentũ deduci. Proinde siue hoc, seu aliud; non aliter, nisi dilutum, propinandum, vt maiore, aut minore dilutione, pro vinorũ diuersitate, aliqua tamen semper, hominis mediocris naturæ temperatæ conueniẽter, temperatius ipsum quoq; factum bibi, atq; vtiliter possit. Non attinet diluendi ita Vini modum afferre, causasq́; hîc, antea satis, qua operis in parte institutus nobis de Vini historia, reliquisq; eodẽ ad vsum medicũ pertinentibus, sermo fuit, explicatas.

Simplicior atq; expeditior potandi Vini quantitatis ratio, videlicet ne innatet, aut innatare in ventriculo cibum faciat, id vnum. Quod tamen quum assequuti fuerimus vnum: simul, atq; vnà, quæcunq; ex hoc expectari commoda possunt, assequemur omnia. Iam enim dicendum quoq; de eo fuerit, quod ad bibendi tempestiuitatẽ, atq; ordinem attinet, coniunctumq́; cum his est, quò, ductante nos sic orationis filo, ex rerum maxima inter se vicinitate affinium mistura contextæ, peruenimus.

Bibendi tempus idoneum temperato. Et de siti ex accidenti facta, & quam somnus, aut vigiliæ fecerint. Et intempestiuitas, aquam aut vinum bibendi, quàm noxia, & vtilis tempestiuitas. Et quibus casibus anteire cibum potus queat, rursusq́; nequeat.

CAPVT VII.

Sicuti capiendi cibi, ita bibendi ex eo tempora colligenda sunt: quũ, sicuti in cibo deperditę siccioris ac solidioris substãtię, ita in potu humidioris ac liquescẽtis instaurandæ vsus venit. Venit autem vtriusq; eodẽ tempore, sic quidem, vt priùs tamen sentiamus famescere nos, mox etiam potus desiderio teneamur, suscitantibus se simul siccioris, simul humidioris substantię reficiendę appetentijs: quoniam eodem penè tempore ingestæ, penè simul eodem deperdantur, & reparandarum, reponendarumq́; simul necessitas ingruat. Idque potissimùm in benè temperato, & secundùm naturã se suã habente vndiq; homine, cuiusmodi nũc tractandũ sumimus, animaduertetur faciliùs.

Nã in natura fortè siticulosis, (dicẽdum enim priùs hoc, anteq̃ ad reliqua de potu tractãda accedamus) aut calidioris & siccioris temperamẽti, multo citiùs sæpe videas potus quàm cibi desideria accedere. Et natura optima prȩditus aliquis possit ob causam extrinsecus accedentem aliquam, aut exercitatione nimia vsus, aut cursu defatigatus, aut adhibitis in cœna epulis paulò calidioribus, aut vino meraciore, è somno deinde surgens intantum vrgeri siti, vt remediũ petere cogatur ex frigidæ interdum aquæ potu; ante balnei ingressum, & ante cibi assumptionem non inutiliter, præsertim verò si frigidã aliàs potare cõsueuerit.

Alij quidam à somno etiam statim sitiunt, priusquàm famescãt. Sed his nullo sæpe remedio cessat sitis vigilantibus tãtùm, quibus videlicet in superficie solùm hæserit gulæ, aut partium alioqui earum, per quas cibus & potus defertur, membrana eadem vestitarum, calor aut siccitas leuior, ex vapore fortè aliquo è ventriculo, dum inibi ciborum in somno cõcoctio peragitur, calido eo exhalato, qui superficie tantummodo partiũ illarum occupata, iamq́; confecto concoquendi negotio, meritò ipse quoq; cessans, totus facilè vigilando discutiatur. Veluti è diuerso, quã fecerint vigilię sitim, paruam itidem & leuẽ, somnus sæpe sedârit, cõuersione tunc sanguinis ad profunda corporis, ex quo partiũ superficies summa tantùm paulò resiccatior vigilãdo facta haud difficulter humescat, in illũ planè modum, quemadmodũ aliquando scripsit Hippocrates, (Epidem. vj.) inquiens: ἐν τῷ ἐγρηγορέναι δίψει ἐπιπολαίῳ ὕπνος ἄκος. τῇ δ' ἐς ὕπνου ἐγρήγορσις, ἐνίοις. quibusdam, ait. non enim semper sitibũdos ex somno iuuerint vigilię solæ: sed quibus leuiusculè solummodo affectæ partes eæ fuerint.

At quibus altiùs adactus penetrauerit calor, siccitásve, quales priore loco narrauimus: hi maius quoque proinde remedium postulant, vt epotæ fortè frigidæ, quod diximus, alteriúsve alicuius eiusmodi. Sed hęc, atq; his omnia de causis, præter æquũ rectumq́; rerum modũ, & aut insigne, aut leue, sed aliquod tamen semper, in cibi ac potus ratione admissum erratum, sitis genera famẽ iusto naturę ordine priùs semper accessuram præoccupant, vt ante cibi etiam ob id assumptionẽ, in multis ita habentibus, potum sæpe præire permittamus ipsi, atq; adeò iubeamus, rectè atq; ordine facientes: vt quidem factũ non minùs fuisse à Galeno legimus (Therap. viij.) in eo, qui dũ ex albularũ vsu febre correptus diaria laboraret, post balnei vsum, & immersionẽ in frigidã, abstersumq́; corpus, aquam statim hausit iussus, ante cremorẽ ptisanæ, non temerè hoc, aut non impunè certè facturus, si fortè nulla præcedente frigidæ immersione, qua coercitus contineretur calor ne exhalet, post balneũ calidum aliud, aut cursu concitato, aut vehemẽti, celeriq; defatigatiõe fessus, lassusq́; totꝰ, atq; ęstuãs aquam

aquam auidè haurire festinâsset. id enim pro veneno sæpe hausto cesserit, offensis facilè veluti improuiso extraneę rei occursu visceribus calore suo nudis, & expanso, longiusque à foci sui sedibus migrante depauperatis, nec se satis tueri valentibus.

Sicuti insigne quoq; sępe nocumentum attulerit vini potus ieiuno, faméq; ex longa inedia, aut ventris, sanguinisque fluxione, talí ve aliqua inanitione collecta laborante, conuulsionibus quamprimùm inde, & delirijs corripiendo: quum famem interea, caninam quam dicunt, ingentem illam atque insatiabilem sæpe hoc ipsum vinum, & quidem meracius ac liberalius bibi cōcessum, sanet, authore Hippocrate. Sed sic tamen, vt hîc quoq; cibi præcedant pingues, aut oleaginei, multóque semper oleo qui constant; sequatur vinum. Ac quemadmodum frigidę potionem post exercitium, quo partes corporis incaluerint satis, valde esse nocuā diximus: ita sanè, vel non multo certè minùs, vinum eodem tempore bibitum noxium esse reperietur. Κεφαλῆς τε γὰρ ἅπτεται ὁ οἶνος, καὶ εἰ μετὰ τὸ βαλανεῖον εὐθέως πίνοιτο πρότερος τῶν ἄλλων, ἁπάντων τε, καὶ πομάτων. Si bibatur, inquit, (Comm. in lib. de salu. vic.) post balnei statim vsum vinū, ciborum & potionum reliquorum omnium primum, caput ferit.

Remedio vtrique erit, vt Author idem eodemque in loco ait, si, quod factitare solitos Athletas scribit, vini potum aquæ potus anteeat, & frigidæ potionē calidæ potio inchoet. οὐ μὴν, οὐδὲ τοῦ ψυχροῦ πόσις ἐπὶ τοῖς γυμνασίοις ἄνευ τοῦ προπιεῖν θερμὸν ἀβλαβής ἐστι. Atq; in his, fortéque alijs etiam huiusmodi casibus, liceat non ineptè, neque præter rationem facturis, anteuertisse potione cibum aquæ, viníve aliquando: & rursus aliquando non liceat, ob rationum & cōditionum diuersitatem enarratarum. Quorum nos locorū meminisse voluimus hoc loco, vt, quo intelligenda modo, quóve accipienda essent sensu, haberet lector: ansaque eriperetur cauillatoribus, si qui contenderent loca alicubi reperiri Authorum maximorum, quibus probari ostendique possit, conuenire absque cibo potum, vel etiam priorem meritò cōcedendum esse, in alimentorum assumptione, potui locum.

Refutantur argumenta, quibus probari posse videbatur, bibendum priùs quàm edendum esse. Et quomodo, sicci quanuis appetitus esse dicatur fames, humidi tamen quadantenus quoque sit. Dictaq; rationes ciborum quadam, ac potionum, quod ad illorum humorositatem, & succositatem attinet. Potus, præter sitis sedationem, vsus alij relati.

CAPVT VIII.



QVod argumento insuper adstruere conati sunt nōnulli illo. Par est, aiūt, vt, quæ citiùs exhalata diflatur, (cuius quidem instaurati-one egeamus noua) eius quoque omnium prima restituatur nobis substantia. Hanc porrò esse humidiorē & liquidiorem potionis illam, nemo negauerit: quę, quàm cibi altera, crassioris quippe ac solidioris, lōgè magis euaporationi opportuna, & absumi paratior, reponi eadem quoq; ratione prior postulet. Ferè autem ita fieri videmus, neque id esse vlli dubiū potest, quin, tantùm nō quotidie obuijs vbique rerum harum exemplis, liquida magis quæq; in auras facilè dissipata abeant, ac longè, quàm terrestria ac solida magis, faciliùs: vt subuenire reficiēdorum propterea ea ex parte corporū necessitati priùs iure habeamus, quæ prior operam hanc exposcere non iniuria videatur. Verùm enimuerò (dicemus sanè nos argutatoribus his) quî fit, multo vt secus euenire notemus? Nam si, vt dictare ratio hæc videri possit, prior ea recurrit potandi necessitas: diflata priùs humiditate, priùs quoque vrgeri nos siti oportuit. Nūc contrà fieri videmus, maiorique semper ex parte, præsertim verò quum iustis naturæ legibus proceditur, famis suboritur nobis quàm sitis vllius sensus priùs, eu estigio tamen subsequente bibēdi desiderio aliquo. Num factum hoc quum ita se habeat, ratione tantummodo persuasi, aliterque ac res est credentes, famescētes priùs bibemus tamen priùs, an quærenda potiùs vera ratio? quoniam prioris rationis contrarij nobis effectus prodeant quotidie visentibus. Ea fuerit, si appetendi cibi ac potus ratio repetita tractetur, huiusmodi. Causæ effectuum horum, quæ in corporis totius mole habituq; versantur toto, naturalibus tantùm facultatibus inhærent, & animalem oris ventriculi appetendi vim, qua ad capiendum cibum excitatur, antecedunt omnes. Priùs nanque extimarum partium in circunfusum nobis aërem diflationem, aut ex diflatione alimenti vacuitatem, & ex vacuitate suggerendæ nouæ alimoniæ necessitatem percipiūt proximæ quæque, ac percipientes ex proximis alijs rapiunt partes, illęque rursus ex alijs itidem vicinis, atque ex alijs aliæ, donec successione quadam deuentum ad ventriculum, huiusque ipsius os, fuerit. Hactenus naturaliū facultatum opera hæc habentur, qualia plantarum radicibus alimētum ad se trahentium de terra, liquidū, vt opinor, & liquidi specie,

cie,ac tenuis etiam,vt & in corpore alimentum tenue,ac liquidum. Siquidem sanguis liquidus,ac tenuis, atque etiam per riuulos venarũ suos fluidus, naturaliter se habens.

Sentit deinde mox hanc ipsam alimenti huius ipsius indigentiã, facultatis iam animalis ope, ventriculi os, cui insitum id & tributum à natura fuit, vt ob neruorũ eodem contendentium copiã sentiẽtiumque subueniendi noua alimenti suggestione animantibus necessitatem primùm persentisceret, ex vellicationis cuiusdam exuctu. Quam planè molestiam quum ferre non possit, remediũ quærit ex nutrimenti subministratione cuiuspiam,in quod conuersæ emulgentes se molestè, exugentesq; antea venæ, id iam facere, proinde infestæ quoque esse, desinant. Id porrò nutrimenti tale esse oportere, quale naturalis partiũ facultas expetebat', valde probabile, vt in tempore commoda & congruentia ad explendum defectum & penuriam illam subministrentur, & animalis in hoc facultatis munia à naturali non discordent. Expetebat porrò naturalis facultas humorosum, succosumque. Et huiusmodi igitur quoq; animalis appetendi vis corporibus suppeditet alimentum, necesse est. Ac suppeditat quidem minimè ex toto sicca atque exucca vlla, in quibus nullum prorsus, vt in amaris, nutrimentum: in speciem verò sicca omnino quædam, reuera autem quibus succi semper insit bona sanè pars. non immeritò. Etenim quemadmodũ elixatio rectè peragi nulla potest in re, quæ humore vacet, vlla:(neque enim lignum, inquiebat Aristoteles, elixari idoneũ) ita ne ventriculi quidem concoctio, quæ elixationi simillima est, in re eiusmodi perficietur ritè, siccior iusto quę fuerit, humoréque suo caruerit. Quomodo enim cõficietur ex his massa, quã esse ptisanarij cremoris instar oporteat, chylosa illa sanguificationi deinde necessaria? aut vbi materia in re eiusmodi sanguinis gignendi manifesta, laténsve aliqua?

Ergo succosum, humorosumque sit, oportet, quod nutriturum est. Et quod dicitur, Famem sicci esse appetitum: potionis comparatione dicitur, liquescentis humentisque semper magis. Quando & sapiat idem, necessum est. Sapor autem ex humore. Ciborum igitur quoque appetentia humorem omnino habitura est, quem appetat, nonnullum, qui & sapiat, & nutriendo sit; adeoque etiam humefaciat corpora, quæ quiete & cibo humefieri maximè solita sint, vt ex cibo non minùs humescere ea intelligamus.

Iam igitur nõ in sola potione humor, sed in cibo insuper necessariò aliquis. Et verò in esculentorum quibusdam tantus, vt sufficere non minùs potioni possit; & vtrunque sæpe ex eisdem mitigetur, sedeturque interdum: vt ex arboreis fructibus penè omnibus, pomisque, ac pyris inprimis, atque vuis, & similibus: quibus comestis multi sępenumero nullũ vlteriùs potum requirant, nimirum sedata ex eo, cum fame vnà, siti. Quin & vina habentur densa, crassaque ac nigra quędã, succo suo non minùs propè nutritura interdum, quàm potandi vsum exhibitura. quorũ vtrunq; quum omnia præstent, vt cum potu vnà quoq; alant: præstant tamen alia alijs, hoc illúd ve, pro substantię ac coloris diuersitate, plùs minúsve semper. Atque is si non inerit in cibo aliquo eousque, vt esse satis possit rei vtrique, succus: iam tum quęrenda ex potione aliqua humectatio. Simul & permiscendi ita meliùs duriorum cibariorum commoditas, & eliciendi inde eo pacto succi vtilitas, non facilè, nisi humecta priùs quoquo modo facta fuerint, succulentum humorem suum remittentiũ. Qui duo in bibendo spectandi potissimùm vsus sunt, præter sitis mitigationem: vt & permistio fiat ciborum melior natura sua solidiorum cum humore; & prolectam ita alimoniæ inde copiam eadem illa cibaria vberiùs remittant. Hinc planè iurulenta liquidorũ specie pro cibo tamen habemus, minimè quidem sedatura sitim ex toto illa: at mitigatura ex parte, eadẽ & famem parte ex alia compressura aliqua, & quos modò diximus vsus præstitura. Non autem nescimus, vt tollatur prorsus sitis, frigiditatis prætereà requiri aliquid: sicuti, vt fames, caloris, aut temperamẽti: seu actu, seu potestate, vtriusque. Sed nos (huc enim tetenderunt quæ hactenus de hoc attulimus omnia, paulò fortasse verbosiùs: sed necessariò faciendum fuit rem apertiùs explanaturo) ostendere voluimus, quum partem quoque suam cibus humoris obtineat, & compescatur fames non aliter, quàm humore quoque non minùs aliquo, ac succo: periculum non esse, quod illi verebantur, ne euaporata priùs humiditate, tanquam quæ euaporari facilior sit, prior etiã accedat indigentiæ huius sensatio; cóque famem sitis præoccupet, cui priùs quoq; eam ob causam indulgendum sit. Quasi verò non & humoris alicuius fames sit? qui quo minor in hac requiritur, eo exhalare etiam celeriùs, ac celeriùs ideo famem quoque exhalatus arcessere queat. Aut quasi, humescentibus ex ciborũ primùm assumptione partibus, tum deinde etiam ex potione magis magisque, formidandum restet, ne sitis, quã ex maiore siccitate oriri necessum est, famẽ, quam ex multo minore, anteuertat.

Etenim

Etenim absumpto paruo illo, paucoq; cibi humore, in quo alendi vis ineſt, quod longè facilius factu eſt, quàm vt potionis multo maior humoris copia reſiccetur tota: neceſſariò cibi deſiderium in ſecũdùm naturam ſe habẽte adueniet primùm, poſterior accedet etiam potus: contrà omninò, atq; illi opinabantur. Cæterùm exiguo admodum interſtitio, quaſiq; eodem tempore, quinimò eodem prorſus, (vt quidẽ eodem tempore facere nos multa dicimus, priùs tamen ac poſteriùs illorum quædam) benè ac naturæ legibus conſtituti, & fame & ſiti affici quodammodo nos perſentiſcimus, & cibum capimus, & potum: cibum tamen priùs, mox potum. quoniã eadem vtrunq; hora occurrit, fames ſitiſque. Quod & Galenus admonuit his aliquando (De cauſ. ſymp. j.) verbis: ἔδωκε δὲ καὶ τῆς ἐνδείας αἴσθησιν, ἵν᾽ ἐξορμῶντα τὰ ζῶα πρὸς τε τὴν ἐδωδὴν, καὶ τὴν πόσιν, ἑνὶ χρόνῳ πληρῶνται, καὶ καλεῖται ἡ τῆς τοιαύτης πληρώσεως ἔφεσις ὄρεξις. id eſt, Largita autem eſt, nimirum natura, indigentiæ ſenſum, vt cupidè ad eſum potumq; delata animalia vno tempore implerentur, vocaturque repletionis deſiderium huiuſcemodi appetitus. ἑνὶ, inquit, χρόνῳ, vno videlicet eodemque tempore. Quo ſimul atque vnà, ab extimis habitus totius particulis omnibus ducto initio, ad ventriculum vſq; peruenit vicinarum ſemper partium exuctio, atque emulſio, ac ventriculi demũ in ore ſentitur penuriæ cuiuſdam ſeu defectio, ſiue alimẽti inopiæ tanquam nuntius, quo nouo inſtaurari aliquè animal percupiat, ac deperditum atque amiſſum reſtitui ſibi poſtulet, minùs humidum: at humidum tamen etiamnum ex cibo, multo magis autem ex potione, alimenti tamen nomine vtrunque comprehenſum, ad quod appetendum iiſdem temporum momentis feramur, nec diuerſa tamen penitus ratione excitati: fame, vt alimoniæ deperditionem ſiccioris quidem, ſed cui ſuccus tamẽ ſemper conſtaret ſuus, inſtauraremus: ſiti, vt humentioris, ac liqueſcentis magis; ſimul etiã, vt, quod paulò ſuprà narràſſe meminimus, commiſcerentur ita cibaria meliùs duriora, ac ſicciora quæque, præbereturq; hoc modo materia maſſæ abituræ mox in chylum commodior, & ſanguificationi aptior. Simul hęc fierent, ſimul illud ſequeretur, vt paulò magis ſicca liquidioribus impermixta, quadamque ceu maceratione disfracta, pluſculum ſemper reponerẽt, inter concoquendum conficiendæ inde maſſæ, ſucci.

Partibus bibendum eſſe, non affatim, demonſtratur. Item fluctuatio ventriculi ex potu quomodo caueatur, ſiſtatúrque ſubuerſio, & ſubuertatur rurſus.

CAPVT IX.



QVos quidem quo meliùs aſſequamur vſus, partiri potum cõuenit. Nam & partibus conferruminabitur meliùs omnibus humor, & prolectus extrahetur copioſior ſuccus de ſiccis vndique remiſſus. Nec minor abolẽdæ ſitis inerit commoditas ex eo, ſi ſenſim paulatimque, quàm ſi confertim & copioſè nimis humorem ventriculus accipiat. Cùm enim ſubibit altiùs in particulas omnes, nõ præterfluet; irrigabitur, non obruet: tum diutiùs etiam ob id manẽs humefacere poterit. vt quidem ſitientem ſępe terram videmus promptiùs humorem imbibere, gremióque veluti ſuo accipere, & humeſcere demum ex placidè demiſſa pluuia, quàm ex ingruente affatim imbre.

Hæc nobis dictabit ratio, vt ſæpiuſculè inter edendum bibamus: ſic tamẽ, nulla vt inde innatatio ſequatur, ſentiatúrve. Id quod promptiùs, multoq; ſuccedet cõmodiùs, ſi, quod diximus, factis partibus aliquot, potio ſumatur, quæ epotari debet tota; quàm ſi eadem ſemel tantùm, aut bis, vniuerſa exhauſta ingurgitetur. vnde planè parata ſæpe fluctuatio, maximum contentricis facultatis impedimẽtum, ne complecti cibum, munuſq; implere rectè ſuum poſſit. Porrò autem dicebat Galenus, (De cau. ſymp. iij.) πρόδηλον δὲ ὡς οὐκ ἄνευ πόματος κλύδων γίγνεται τῇ γαστρί. Quòd ſi manifeſtũ hoc eſt: cauẽdum diligenter erit, ne aut nimio id potu vnquam fiat, aut non quo decebat ordine modóque epoto. Nam & iuſto maior potionis quantitas, & quæ futura aliàs iuſta fuerat, inordinatè atq; immodicè, nempe hauſtu largo, copioſoque nimis, ſemel prouoluta, innatationem hanc & fluctuationem fecerit.

Quæ ſi vitare incommoda cuiq; in animo ſit pręſentia, vel etiam futura timeat: nihil præſtabilius habeatur, quàm, vt aliquando ex Hippocrate cõſuluiſſe videtur Galenus, paucum, multoq; interpoſito tempore, idq; meracius, exhibere. ἀκρατέστερον, ait, καὶ καθ᾽ ὀλίγον, καὶ διὰ πολλοῦ. vt fluctuans ſtomachus ſiſtat. Sicuti, quũ ad vomẽdum prouocare ſtudebimus, contraria omnia faciemus. ὑδαρέστερον πίνειν τὸν οἶνον, καὶ θᾶσσον, καὶ κατὰ πολλὸν iubentes: dilutius quippe, & multum, & citiùs. Sed hæc in præternaturaliter affectis omnia, quoties ſcilicet aut laxiorem factum fortè ventriculum coercere, aut contrà coercitum laxare ad faciliùs vomendum, voluerimus. Illud in naturaliter conſtituto, atque, vt reliquis corporis

poris membris omnibus, ita vẽtriculo quoque optimo prædito, quod monuimus, & quibus de causis monuimus, seruandum: vt expensa atque examinata coniecturis iustis potus, quanta corporis statui huic illi ve futura satis sit, mensura, partibus eã, ac paulatim potãdam demus, per interualla in capiendo cibo. Ad quod magis adhuc faciendum inuitamur ab Aristotele, seu quis Problematici illius operis fuerit Author, qui bellaria, secundasque mensas, in eum nobis vsum proponat, vt plus semper potemus, minimè prioris mensæ potione contenti, quę sitis tunc solius causa instituta fuisse videatur. At in secunda postmodum hausisse etiam aliquid iuuat, inquit. vti iam non modò extinguendæ sitis gratia, quod dicebamus, bibẽdum hoc authore sit: sed etiam indulgẽdum nobis potui aliquem aliũ ob vsum fuerit. Qui porrò hi sint, dictum. At id nihilominùs eatenus tantùm facere liceat, quatenus leges ferent, & conseruandæ sanitatis modus: scilicet, vt iusta potus totius quantitate partitè distributa, secundæ quoque mensæ reseruetur pars miscẽdis meliùs cibis, eliciendóque de illis succo, præter sedandæ sitis vsum. is enim rerum harum demum omnium finis esto, ac scopus, quem spectantes semper agendo intueamur. Atque hoc loco conuenire in vnum optimè possint omnia, vt ex eadem omnino potus mensura & tollatur sitis; & permiscendo insuper cibo, succosoque inde alimento eliciendo satis fiat; neque propterea neglectas parte ex vlla sanitatis regulas transilire necessum sit, præuaricatione aliqua.

Non satis rectè rem, vt habet, expendisse, qui nullum, nisi in distribuendo alimento, potus vsum habendum esse constituunt. Neque id sensisse Galenum, vt illi autumant, docetur: & argumentis respondetur, quæ inaniter afferunt.

CAPVT X.

SEquetur hunc ita bibendi modum ac tempus id insuper cõmodi, quòd benè satis, at modicè tamen, nec supra modũ quicquam, (id nanque immodicum si esset, iam innatatio ac fluctuatio quædam immodicæ potionis signum extemplo sentiretur, quod minimè factum hîc volumus) humescente eo pacto ventriculo, non sanè magnopere habituri simus opus noua aliqua, post horas aliquot peracta videlicet vẽtriculi concoctione, distribuendo per corporis particulas omnes alimento, potione, ipso per se fluido ac labente satis. Cuius planè rei incidunt aliquando tempora, vt vsus ac bibendi necessitas veniat: veluti in conualescentibus. Quorum quum imbecilliores ex præterito morbo vires sint, cùm aliorum membrorum, tum ventriculi inprimis, quem tamen inprimis validum & robustum esse oportebat conficiendis subministrandisque corpori toti alimentis: periculum est, ne, si vel exiguus futurus potus sit in his, paulò magis inualida contentrix facultas non & amplexetur satis & retineat cibum, fluctuetque is in medio semper. Præstat igitur eo casu nihil bibisse inter edendum, nec potionis immiscuisse cibo quicquam, & in, post aliquot horas, tempus distulisse. Eo etiam magis, quo magis in reficientibus se à morbo benè humectum haberi cibum oportet, vnde futura facilior illis abstinentia à potu ea sit. Et videmus ferè, experimurque quotidie, conualescentes fame magis teneri, adeóque vrgeri etiam, quàm siti semper: vt fieri id perquàm bellè in hac hominum conditione & possit, & debeat, quando quosdam etiam videre sit, qui prandium sæpe ac cœnam finiant vllo absque potu omnino, quos esse humido admodum stomacho opus est. At in alijs, modicè se ac temperatè per omnia habentibus, & in sanitatis omni ex parte laudatæ bonitate constitutis, benéque habitis, nec sequi tale quicquã possit, ac multo sanè minùs debeat. longè enim secus se habent res tunc, propter dictas suprà causas, quibus bibendi in comedendo vsus, commoditas, necessitas ostensa, & in bibendo ordo, ac tempus.

Vti iam mirari subeat hoc loco, inuentos esse, qui Galenicis verbis persuasi, quod ille de reficientibus se tantùm à morbo disertè scriptum reliquerat, neque his tamen omnibus, (vt mox ostẽdam) id ad vniuersum hominum genus, nullo nec discrimine, nec interstitio, transferre; imò rapere potiùs, & trahere conati sint: vt persuaderent nobis siccitatem cibi illam vnam, & expectandum iuberent tempus expletæ in ventriculo concoctionis, tumque demum vt potus beneficio digestum in corpus ferretur alimentum, potandum. Adscribam autem verba, (Therap. vij.) quo meliùs appareat vera esse, quæ dicuntur. Καὶ μέντοι, καὶ ὅπερ ἐκεῖνοι πράττουσι, οὐδὲν χεῖρον ἐστὶ καὶ τοὺς ἀναληπτικῶς ἀγομένους ποιεῖν, καὶ μὴ πίνειν ἐπὶ τῷ δείπνῳ παραυτίκα, πρὶν πεφθῆναι τὴν τροφήν. ἐμπλέει γὰρ τὰ σιτία πινόντων, ὡς μὴ ψαύειν αὐτῶν τὸ τῆς γαστρὸς σῶμα, μέσης ἱσαμένης τῆς ὑγρότητος. εἰ δὲ διψώδεις εἶεν, ἀπέχειν μὲν αὐτοὺς τὸ πάμπαν, ἀνιαρόν τε ἅμα, καὶ ἀλυσιτελές, ὀλίγον δὲ δοτέον,

δοτέον, ὡσ παραμυθήσασθαι τὴν ἀνίαν, καὶ πραῢναι τὸ δίψος. ἐπειδὰν δὲ πέψωσι τὴν τροφὴν, ἐπιτρέπειν αὐτάρκως πιεῖν. ἀναδίδοται γὰρ οὕτω πραξάντων τάχιστα. Quod est: Et verò, quod illi (nimirum Athletæ) faciunt, vt hi quoque faciant, qui victus se ratione à morbo reficiant, nihil in eo mali, neque post cœnam statim vt bibant, priusquàm concoctum alimentum fuerit. Etenim fluctuat cibus, si biberint, vt eum ventriculi corpus non tangat, mediam ingerente se humiditate. Quòd si premantur siti, vt abstineat à potu in totum, & molestum sanè est, nec planè cõfert quicquam. dandum porrò paucum, vt & molestia minuatur, & leniatur sitis. Postquàm verò cibũ cõcoxerint, permittendum illis, vt satis bibant. sic enim si fiat, celerrimè distribuitur. Reficiẽtes se ex morbo, audis. Quid porrò simile his cum in optima omni ex parte sanitate constitutis iam? aut quam ob causam interdictum potu conualescentibus audimus? non aliam, opinor, nisi ne innatent fluctuantes in ventriculo cibi. Ne nos quidem sanis, cuiusmodi sanos hoc loco accipimus, concedemus, si fluctuationem, aut innatationem verebimur vllam. Quam in conualescentibus meritò veremur, ob insignem adhuc in aliquibus eorum imbecillitatem: non veremur in sanis, ob firmum iam partium earum robur. Aliquibus, dixi: nam non omnes conualescentes eiusmodi, sed qui solidum fortè nondum conficere cibum queant; & liquidiore propterea, & tenuiore vti coguntur. atque adeò hanc etiam ob rem nõ minimũ, denegandus his potus sit: innataturus haud dubiè liquido liquidus additus. Proinde qui sitibundi ex his fuerint, qui ferè sunt solidiore aliquo cibo vtentes, his potionis tamen aliquid concedit. vt non tam denegâsse potum in his videri possit, quàm concessisse, quia non omnibus denegat. Quin quia de exhibendo hîc post cœnam potu mentio tantùm fit, vel non exhibendo: non exclusisse dici queat, potum inter cœnandum, & prandendum sumi semper solitum. Et quoniam moris fortè tunc esset, hoc & illo potu vti, in cœna dico, ac post cœnam statim; hunc solum damnandum sibi sumpsisse, alium illum reliquisse nobis, in quo persisteremus. Quis enim, nisi dictarum iam conditionum, ac status aliquis, tam siccè agere vnquam valeat, vt non potationis semper aliquid associare cibationi, idque certo quodam naturæ instituto atque instinctu, cogatur? Quasi igitur, quæ hoc ipsum sonent, sic accipienda fuerint Authoris huius verba: Qui reficiuntur à morbo, hos præstat, postquàm cœnati, ac pro more poti fuerint, nihil ampliùs post cœnam confestim potare, ac tantisper expectare, dum concoxerit ventriculus. tum demum largè atque abundè bibisse conueniet, distribuendo ita meliùs per corpus vniuersum cibo. Nulla hîc verborum aut sententiæ inter se vllius repugnantia, dissensio nulla. οὐδὲν χεῖρον, ait. nihil illis peius, nihil deterius continget, qui post cœnam statim non biberint, quàm qui biberint. Necessariò enim sensus is ex verborum illorum intellectu existit, emergitque, præferentis quidem abstinentiam à potu, neque interdicentis tamen prorsus illo. Et, αὐτάρκως, inquit, πιεῖν, largè atque abundè. ad meliùs quippe digerendum in corpus, & adiuuandam, qua maximè reficientes se à morbo opus habent, alimenti distributionem: vt aliam haberi intelligeremus bibendi in cœnando & prandendo causam ac rationem, qua sicuti digestioni copiosiore illa, ita minùs abundanti hac concoctioni, naturalique siti, atque etiam ciborum permistioni, seruiretur. Hæc pluribus egimus, quòd viderem deprauatum verborum sensum sequutos vno velut agmine Arabas, quosdamque prætereà ex alijs, existimâsse, idemque nobis persuadere voluisse, potionem omnem in omnibus ad digerendi distribuendique per corpus alimenti tempus vsque differendam esse.

Nam rationes aut nullas afferunt, aiunt tantùm: aut, quas afferunt, eiusmodi sunt, vt, si quo nos priùs ostendimus modo ac mensura accipiantur omnia, extemplo corruant. Neque enim fluctuationis incommodum eo pacto formidandũ nobis erit vllum, quod hi formidant: neque metuendum, ne crudus rapiatur etiamnum cibus de ventriculo, si facta ex potione modica permistio fuerit bona, & tanquam conferruminatio solidior, minimè difluens. Neque verò (quod, propè dixerim, ridiculè atque ineptè allegant) frigiditas atque humiditas potionis impedimento concoctrici facultati vlla ex parte erit. quippe ex quibus temperamẽtum potiùs quæsitum acquiratur nimio fortè calori & siccitati: tantum abest, vt intemperamentum accedat.

Vnum est Auicennæ Authoris testimonium, in quo disertè scriptum legatur, nihil, quum edimus, bibendum, his verbis: Ad summum verò oportet vt post comestionem bibat quis, & non in hora comedendi quantitatem aliquam, quæ cibo conferat. Quam nos planè Authoris talis licèt tantique authoritatem non magnopere morabimur, adeoq; ne nos moretur studebimus, in litura ponendam potiùs, quàm ita legendam. Quid enim? Author nobis

erit aliquis Medici dignandus nomine, qui quantum cibo conferat bibendum non esse suadeat? Quid? vt obsit potiùs, quantitatem aliquam, ait. Quæ si non quæ conferat fuerit, quæ noceat certè sit oportet. Quod si stultitiæ plenum est cõsulere, rursus conferat quantitas ea necessum omnino fuerit. Inducẽdum igitur totum illud, [quæ cibo conferat] & quod in exemplari docti cuiusdam Iudæi Medici diligentia castigato scriptum legi reponendum, [qua cibus inundet] vel ex Bellunẽsi castigatione, nulla nunc mihi his locis quæ sit ad manus, videndum: vel addenda negatio, vt [quæ cibo non conferat] sit, vt noxiã tantùm vetantis potionem verba sint. Omnino autem solicitos habere nos ista non debent, apertè mendosa: neque verò authoritatis aliás tantæ, vt recedẽdum propterea nobis sit à consuetudine omnium propè iam gentium ac nationum receptissima, quam dictârit priùs ratio, tum obseruatus diutissimè successus inuexerit, comprobârit confirmâritque vsus, atq; ad extremum communis omnium consensus retinuerit semper, hodieque etiamnum constantissimè retineat. Atque hęc sint potandi rectè obseruata tempora, is ordo, modusque.

Nihil prohibere, quo minùs post fructuum esum vini statim sequatur potus: aquæ autem eodem tempore minimè conuenire. Et contrariorum exemplorum reiecta obiectio.

CAPVT XI.



Existit ea hoc quoque loco quęstio, qua quęri solet, An post esum fructuum (herbaceorum intelligo, atq; arboreorum, non frugum) bibisse liceat. Licere, conuenire imò, dicemus. Nam si ex minùs noxijs fuerint, neque mali vsque adeò succi: quæ nobis reliquis esculẽtis omnibus potus quod conueniens iustumque ac modicum futurum est admiscẽdum omnino esse ostenderunt rationes, eædem eodem hîc quoque nõ minùs faciendum esse modo ostendent. Sin ex paulò magis suspectis, corrumpique ac putrescere facilibus: iam tum superiorum præceptorum rationes sequuti, omnium primos ingerendos habebimus; de potu, quod quidem ad bibẽdi ordinem, aut tempus, aut mẽsuram attinet, immutaturi nihil. neq; enim, quæ nos ad immutandũ impellere ratio possit, erit vlla. Eo tamen excepto vno, minùs vt dum dilutum multo, adeóque meracum etiam interdum in frigidiore natura ventriculo, (sed nobis de temperato hoc loco sermo est) propinandum esse iubeamus, idque ex priore potissimùm haustu, cætera non admodum soliciti. Etenim vel non corrumpentur, ventriculi præsertim temperatioris bonitate, vinique diluti minùs, aut etiam meracioris beneficio adiuti: vel, si corrupti putrescẽt, paratus illis exitus quamprimùm per pylori ostium emittendis erit, ne turbas cieant, adductis in corruptelam reliquis cibis. Atque hoc, si more semper modóque, cuiusmodi diximus, cibus sumatur, potusque simul, benè succedet. nam de differendo ad exactam vsque ventriculi concoctionẽ bibendi tempore, diximus paulò antè, in benè instituto à natura, temperatóque ac sano, nõ futurum esse opus vt id fiat. Quod nanque sumptum fuerit potionis in tempore, cum cibo vnà modicum, atque ex lege medica conueniens: id planè, & ad concoquendum, & ad permiscendum, tum verò ad distribuendum etiam digerendumque per corpus alimentum, satis omnino faciet, vt non futurum opus sit priuatim distributione ad hoc maiore aliqua. Sed & concoctum iri fructus quoscunque tandem, malitia iam sua, vini ciborumq; meliorum bonitate, magna ex parte exutos; & distributum simul quoque iri tempore inde suo alimentum in corpus, ob id innoxium iam, satisque antea per se liquentis ad hoc humoris retinens, nec nouæ vllius humiditatis egens, manifestum. Qua tamen si qua tandem ratione indiguerimus, & succi malitiam aliquam ex hoc verebimur, ne in corporis partes varias delata nocumentum his inferat: tum (quod retrò quoque dixisse meminimus) non modò vt meracius, sed vt benè multum sit vinum, curabimus, vincendæ ita malitiæ prauitatique illi meliùs, non vt vincatur ipsum.

Aqua autem vt propinetur his haurienda, aut hîc, aut ibi, hoc est, aut quũ cum esu vnà fructuum potandum aliquid damus; aut quum concoctis iam his distributionem quærimus: non satis ad id rationis esse video.

Aqua, aiunt, bibita, periculum non erit ne digestio in corpus fiat alimenti vitiosi, & subibit aluum faciliùs. Sed ne in vino quidem modicè, & quali diximus, assumpto periculi quicquam, vt ante concoctionem diducatur cibus. concoquet enim potiùs id vini, & malitiam reprimet, non digeret in corpus. Vt in aluum verò descendant, non est necessum, ante peractam ventriculi concoctionem, nisi in corruptionem priùs abierint fructus. quod factum quum fuerit, vt corrumpantur, exitum sibi quærent ad pylorum iam positi, propellente

lente eos facilè expultrice facultate, vt noxios iam, ac præternaturaliter habentes.

At calidior, inquiunt, ventriculus meracum non admittet, vtiliter quidẽ. Quid? ingesti calidiori ventriculo fructus frigidiores illi, nónne ceu remedio erunt, & temperamenti illi conciliabunt aliquid? vt ferre vini possit, & quidem commodè atque vtiliter, aquæ meritò reijcere potionem debeat. Sed si suspicio tamen caliditatis paulò maior fuerit aliqua, non statim tamen opus habituri sumus aqua, quid enim? nisi vt accessio fortè fiat frigiditatis maior, sed paulò potiùs dilutiore vti conueniet vino. Quod idem de calidioris quoque naturæ dictum accipi debet fructibus, qui & benè numerabiles quidam sunt, & nulla insigni caliditate constant, vt aquam propterea postulent, ad salubritatem, respuant vinum, tam emendandæ succi prauitati visum omnibus semper accommodum.

Cæterùm si quibus fortè noxæ alicui inuentum est fuisse bibitum post fructus quosdam, vt ficus, vinum: illorum aut priuatum quoddam temperamentum extitisse putandum est, propter quod eorũ nonnulli ita læderentur, vt mortem obirent: aut ex errato insigni aliquo factum idem. Nos regulas potiùs faciendorum hoc loco tradimus ratione nixas, erroribus, quantum fieri potest, abactis, idque in reliquorum omnium ceu norma quadam futuro, nimirum temperatissimo vndique homine. Deflectentes ab hoc corporum constitutiones, & intemperaturæ quomodo tractandę per omnia, vel dirigendę etiã nonnunquam in viam sint, insequenti operis totius parti differendum seruabimus.

Somni tempora diuersis diuersa ætatibus competunt. Nec conuenit, vti à cœna statim inchoetur somnus: nec nouem vltra, aut septem infra protrahi, aut contrahi debet: octo circiter horarum commodissimus.

CAPVT XII.

SOmni tempora (de somno enim dicendum iam, postquàm de cibo, & potu dictum satis) alijs alia. Quis enim nescit, pueris alia conuenire; adultis, senibusque alia: & alia hyeme, alia æstate, medijs etiã interdum temporibus alia. De pueris dictũ priùs. Quorum nuper natorum, necdum fari quicquam potentium, longissimi temporis, & quidem cibo sæpissimè continuatus, somnus est: insequentiũ ætatum minor semper minorque, pueris minore quàm infantili ætati, & adolescentibus iam quàm pueris, conueniente semper somno, atque etiam in benè attemperatis, ex iustis naturæ legibus, per se sponteque sua eiusmodi accedente. Quo quidem magis indies magisque siccescente temperamento, minus semper somni minusque satisfacturum necessarijs naturæ opportunitatibus est, donec eò veniatur, vt sistente se aliquandiu temperamento, & corporatura, visentibus quidem nobis, (cuncta licèt fluere perpetuò sciamus) somni quoque tempora eadem per annorum aliquot spatium maneant. Labente enim deinde ætate, & vergentibus in senium annis paulatim, sicciores facti, etiam insomnes subinde magis magisque reddimur. de quibus posteà dicetur.

Nunc iuuentæ, consistentisque ætatis annis, idque in optimo temperamento, optimaque habitudinis cõstitutione prædito homine, somni tempora quæ cõgrua esse reperiantur, dicendum, quando inchoari, aut finiri debeat, quis modus, quis corporis in eo positus seruandus sit. Tametsi horum quædam suprà, quum de Somni natura in vniuersum, plenumque, (quod quidem ad sanitatis tuendæ rationes pertinet) tractaretur à nobis, exposita sint: at nunc, hacque iam operis in parte, dũ particulariter magis accedimus ad rem, quasique in opere ipso versamur, & in rerum, circa conditionis huiusce hominem in præsentibus faciendarum, actu sumus, priuatim magis explicanda quædam restant.

Ac primùm, ne somno sic à cœna statim indulgeamus, aut morantem acersamus, quin vt citò nimis venienti occurramus, repellamusque accedentem, monemur ratione non vna. Nam & properatus post cibum somnus mirum quãtum in caput vaporum emittat, amplexante tum primùm cibum ventriculo, commotóque adhuc, ac commouente vnà veluti innatãtem etiamnum cibum; & incumbens præproperè ex somno visceribus naturalis calor, seseque ad intima vndique contrahens, fluctuationem illam ipsam magis magisque excitat, ac perturbans auget, plusq; semper ac plus exhalatę materiæ resilire in partes superiores facit, multorum magnorumq; sæpe malorum causam præbituræ. Expectandum igitur, donec perturbatio ea cesset, ac se impermixta priùs benè in ventriculo esculenta collocent: nec, antequàm duæ minimùm horæ abierint, committere se cœnatus aliquis somno debuerit. Quo tempore intermedio iucundis confabulationibus est vacandum, & miscendi conferendique

simul sermones gratissimi; aut paulisper, inprimisque molliter deambulandum: vt tum demum, vitatis incommodis omnibus, vsus sequatur ex somno absolutæ cōmodè concoctionis integer. Quod vt fiat, minutiora quanuis visa quædam, non negligenda tamen: vt ex dextri primùm lateris positu inchoet, primáq; ea illius pars habeatur, tum & sinistrum occupet, reditioneque demum ad dextrum perficiatur somnus. Quorum omnium causæ superiore operis in parte explicatæ habentur.

Surrecto præterea modicè corpore vt cubetur, inter præcepta est; munitoque integumentis, pro temporum anni diuersitate, aptè ac commodè, ea semper ratione, vt plusculum in hoc tribuatur nocturnis horis, propter circunfusi aëris frigiditatem haud dubiè maiorem atque humiditatem, præcipuè verò destituente tunc ex somno connato nobis calore extrinsecus habitudinis totius partes. Quibus autem collocandi in dormiendo corporis situs aliqui alij, quàm quos nunc diximus, conueniētes magis esse videantur: de his, quoniam eorum alia quędam ratio est, posteriùs meminerimus. Sicuti & de illis, quorum assidua sæpe inter dormiendum corporis iactatio est, eorum, quos Græci ἀσσώδεις vocant, proprium.

Cæterùm nos ad temperatissimi, qui ab huiusmodi alijs longè abest, hominis rationes exigimus omnia nunc, vt & somni tempus quàm diu protrahi debeat. Quod visus est Galenus, huiusce quidem conditionis alicui, horarum statuisse nouem, quantum Romæ breuissimarum noctium ferè tempus est, pauxillū quid si dematur, æquinoctialibus nimirum horis acceptis. αὐταρκες, inquit, ὁ τοσοῦτος χρόνος αὐτοῖς ὕπνου τ[illegible]εῖν. Abunde satis id temporis esse inquiens, vt tribuatur somno ab his, qui negotio aliquo, aut ministerio impediti priùs, curare demum corpora, & somnum capere possunt| αὐταρκες. vt etiam si paulò hoc minus futurum temporis sit, satis tamē adhuc inde capi somni ad explendum naturale desiderium, & concoquendum possit.

Neque vero exigi ad libellam hæc debent, sicuti nec vlla alia huiusmodi, non cibus, non potio, non exercitatio, nō aliud quicquam eorum, quæ rebus sex non naturalibus continentur: vt fieri necessariò oportere existimemus, nec progredi aliter in sanitatis conseruatione liceat, quin exactissimis veluti lineis circunscripta, adstrictáque obseruētur hæc, & ceu punctis ad vnguem resectis vincta arctissimè teneantur: quum nec fieri id possit, nec futurum vtile semper sit, si fiat. quando ad insueta quoque aliquando transeundum esse moneamur Hippocratis & Cornelij Celsi pręcepto. Quod fieri, nisi victus rationis interdum mutatione aliqua, nequit. Victus rationē accipio, fuso magis quodam nunc significato, retinendæ ritè sanitatis materiam omnem.

Itaque eodem modo de somno cogitandum, quem esse octo circiter horarum par est, plus minus. Atque id fermè temporis quieti huic dari à non intemperatis admodum hominibus videmus. Nam frigidiore atque humidiore temperamento qui fuerint, hi longissimi ferè somni sunt: vt paucissimi, qui calidiore ac ficciore. In medio attemperatior, ductante sic illum natura sua, quod temperamentum est.

Qui nihilominùs ipse quoque, vidēdum diligenter est, ne septimam infra, vel multo octauam supra, dormiendi tempora extendat. Hactenus enim intra horas hasce variari somnus paulò breuior longiórve factus possit, non variata natura, neque vllo natiui temperamenti intertrimento, quod effatu dignum sit. Vltra, citráve si protrahatur, aut contrahatur somnus, suspicio non immeritò suborietur cōfestim non ex natura prorsus sua se habentis attemperati hominis.

Ac ferè fit, si tertia hæc diei totius pars, quę horæ octo sunt, somno tribuatur: valde vt vitæ humanæ vtiliter, & ad vsus omnes congruenter, reliquas sexdecim in duas illas quoque, octo itidem vtranque horarum, partes distribuamus. Quod narrare solitum parentem meum memini adolescenti olim mihi, vt, tribus factis diei partibus, exercitationibus vna, ciboque ac potu, atque etiam honestis solatijs, & sodalitatibus, corporisque curandi necessitatibus alijs daretur: altera esset studiorum, legendique, ac scribendi; aut, qui studia hęc non persequũtur, tractandorū transigendorumque negotiorum omnium, suorum cuiusque: tertia capiendæ ex somno quieti reseruaretur. atque ita & sustentari corpus, & exhilarari animum posse, satisque vel negotioso cuiq; superesse ad conficienda negotia temporis.

Venereis exercendis congruum magis tempus quod habendum sit. Et quo corporis in statu faciendum id. Errata, quæ in opere hoc contingunt, quemodo emendentur. Tum addita præcepta, de retinendo hac in re corporis statu.

CAP. XIII.

INcidunt ferè in somni tempus celebrandæ quoque Veneris tempora. Neque peragi meliùs, aut cōmodiùs, addo etiam salubriùs, illius festa, quàm nocte

nocte concubia, possunt: vt coire tunc, & concumbere liceat experrectis à somno, quum nec pręgrauante ventriculum cibo, corruptelam, cruditatémve Veneris sacris operati metuemus; nec resolutionem virium nimiam ex imbecillitate, aut membrorum corporis relaxationem, ieiuni nimis. quippe plenis etiamnum tunc venis ex secunda concoctione, & corporis vniuersi habitu ex tertia, ideóque viribus abundè satis ad coeundum suffecturis ex alimēto; & non parum præbituris seminarijs vasis, operi huic nauiter ac fortiter perficiundo, materiæ, his potissimùm ætatibus, quas nunc versamus. ac vere magis, quàm hyeme; hyeme, quàm æstate; minusque adhuc autumno. Eademque obseruanda in reliquis omnibus ratio, ambientis nos aëris constitutionibus, locorum regionibus, temperaturis adhæc, ætatibus quoque, & quicquid circunstantiarum talium est: vt, quæcunq; hæc ipsa anni tempora temperamento suo retulerint, pro eo ac retulerint, magis etiā minúsve cōuenire in his Venerea arbitremur. Optimū coeūdi desiderium, quod sponte sua accedit, minimè inusitatis stimulis irritatū, & prouocatū incitamentis insanis quibusdam, ac prorsus ἀνοήτοις. vt expleantur tantùm naturæ desideria, hisque hac in parte satisfiat: non etiam coacta veniat & accersita Venus blandimentis nimijs & illecebris, corpusque ita demum totum defatigatum, viribusque suis resolutum, ac fatiscens, iamque vltra sanitatis conseruandæ terminos prolapsum, iaceat. Quibus necessaria, hac quoque ex parte, salubritati tuendæ, seminarię superfluitatis tempestiua atque opportuna excretio continetur. Vlteriùs in eo si procedatur, noxæ omnia ac malo futura sint: vsque adeò, vt, etiam si liberis tantùm operam dare voluerimus, quod hoc in negotio honestissimum tamen est, nisi in tempore id, ac legibus suis fiat, nocumenti quamprimùm allaturum aliquid id quoque sit. Et quod Authores quidam sunt pertinere ad conceptionem faciliorem, vt noctis initio coituri cōgrediantur, lectum tum primùm ingressi, quòd vterus certiùs ita retenturus semen esse videatur: id ad sanitatis vtique rationes non pertinet. Itaque cùm hoc, dictum modò de conceptione, tum quicquid aliunde ad rem hanc petitur, vel acrioribus stimulis incitandam, vel blanditijs maioribus deliniendam: totum, tanquam à proposito nostro alienum, & rationibus fortasse quibusdam alijs accommodum, ad nostras non facturum, maximeque ineptum, reijciemus.

Nos nostris erimus contenti, vt per interualla temporum quædam, quum proijci excrementi id genus postulabit, accedamus ad vsum hunc. Si factum id in tempore fuerit, neque resolutionis quicquam inde sensuri, & ceu deposito onere leuiores futuri, tum meliùs etiam respiraturi. Quæ si peractum concubitum sequentur, indicio erunt, tempestiuum fuisse, rectéque ac opportunè initum. idemque seruari deinde interualli debebit, vt eodem redeatur. Sin aberunt, vel etiam resolutionis aliquid persentietur: peccatum omnino aliquid in eo fuerit, aut non iusti satis interstitij mora expectata, aut repleto, calefactóve immodicè, vel humefacto nimis corpore. in quo tamen minus mali, quàm si è diuerso euacuato, aut refrigerato, aut sicco opus id ineatur: prorsus vt in medio esse oporteat horum omnium corpus tunc; aut, si tenere medium nequeamus (perquàm enim difficile in omnibus id semper habitum, potissimùm verò in hoc, vbi voluptatis ingentis illecebris delibuti transuersi rapimur) in illam potiùs quàm in hanc peccandum esse nobis partem existimemus, propterea quod, quò iam sponte sua tendit frigefactum antea, siccatumque, atque inanitum corpus, eodem faciliùs ex Venereorum vsu impellitur, ac multo, quàm in contraria, magis.

Quod tamen quum euenerit, vt peccetur, dico, in eo: corrigi quamprimùm poterit, atque etiam debebit, præsertim si paulò maior factus excessus fuerit, contrariæ qualitatis rebus inuectis. Illud adhibendum semper post Venerea, eo quòd necessariò semper in opere hoc, quantumlibet modicè attemperatus, fortisque, ac iuuenis, corpore tamen suo atque habitudine tota rarescat, siccescatque, ac refrigescat, præparatorium exercitium, quod huiusmodi esset, dictum antea. Quo & habitudo adstringatur tota, & excitetur calor cùm motionum celeritate, ac robore; tum verò illa ipsa constrictione, quæ diflari calorem non sinit, eóque maiorem factum suscitat. Siccitas porrò cibo emendabitur, minore quidē quàm priùs, quo promptiùs concoquatur: humidiore autem, & calorifico, vel mediocri, minimè certè facultate sua frigido. Simul & virium robur, parte omnino ex aliqua collapsum, restituetur ita. Nam quanuis longè quàm senes minùs, aut natura alioqui imbecilles, debilitentur hi, quos nunc tractamus, eo & temperamento & habitudine prædíti, & ætate ea: debilitantur tamen aliquantum. Exhilarantur illi quidem statim, veluti deposita animi molestia, & illustratis spiritibus; ac ceu abiecta sarcina, qua priùs grauabantur, agiles magis recedere sibi

ab opere videntur: at intereà excrementi tam nobilis effusione, spirituosiq́ue; ac corporis totius lucta, in qua partes omnes laborent, potissimùm verò potissimæ; accedente etiam voluptate, & ex voluptate corpus relaxante virium dissolutione aliqua; simul attenuari quoque aliquantum roboris aliquid necesse est. cui planè incommodo subueniri possit eadem, quam modò diximus, victus rationis eiusdem opera, atque auxilio.

Et de his quidem hoc loco satis. Neque enim operæpretium futurum esse vllum videtur, si huc, quæ dici de rebus his possent, conferantur omnia: quando vnica consultatione, ac præcepto transigi totum hoc, de temperamenti huius & ætatis homine, negotium possit. Quibus præcipientes admoneamus, vt, sicuti in rerum omnium meditullio positus optimè & saluberrimè degit, ita cauendum sibi semper esse existimet, ne quò extra temperatæ mediocritatis suæ terminos pedem efferat: & quæ multa circunsistunt, prouideat, repellatq́ue, ac venientibus sæpe occurrat, vt reiecta abigat, facilè, si admittantur, de statu illum suo deturbatura. Itaque, quum media, & temperamenti sui circunquaque occurrent omnia; nihil aliud, quàm commodo eorum atque opportuno vsu retinendam sanitatem sibi suam, ac diligenter illæsam tenendam habebit: sin eiusmodi erunt, quæ parte ex aliqua aduersari posse videbuntur; continuò ex ea parte cauebit sibi, ne detrimentum aliquod accipiatur, & acceptum fortè extemplo resarciet. eadem vtrunque ratione, maioris tantùm minorisq́ue discrimine. Nam si qua imminere visa fuerint temperamentum fortè resiccatura, ea vitata primùm declinabit: aduersus autem necessarium (vt sæpe fit) illorũmet occursum muniet se, ac, si quid illatum inde fuerit incommodi, instaurandum curabit, humefacientiũ vtrobique vsu, paulò tamen plus, quum hoc, quàm quum illud faciet.

In hunc modum de Venereis quoque statuendum esse narrauimus, quod ad anni tempora attinet, vt omnium maximè in Autumno cessandum ab his esse iudicaremus, propter frigiditatem & siccitatem temporis, quò sponte quoque sua præterea feratur coiens, vt propterea refrigeratum resiccatúmque maximè tunc iri corpus totum, verendum inprimis sit: Aestate verò, ob siccitatem tantùm: Hyeme, ob frigiditatem. Ver autem, contrariarum qualitatum ratione, nempe caloris atque humoris, accõmodatissimum vsibus semper his futurum sit. Quo nec noceri magnopere corporibus ex Veneris vsu, nisi fortè immodicæ atque intemperantis, soleat: & si nocetur tamen, facilis futura semper restitutio sit, qua priùs dictum ratione, non difficulter reddito corporibus humore ambientis beneficio, victusq́ue eiusdemmodi vsu. Atque idem de reliquis obseruandum omnibus fuerit, quæcunque temperamenti sui diuersitate, vel conferre exercendis Venereis, vel maximè obesse consueuerint. Iccirco & in circunfusi nobis aëris constitutionibus valitura eadem sunt diuersis, & in defatigationibus aut requietibus corporis, in cibi potúsve repletione, aut inanitione nimia. ne multa, seruandum vbique medium coeunti: sed vitanda tamen siccitas inprimis, ac virium lapsus. Proinde extra animi quoque affectus omnes, potissimùm verò mœrorem ac tristitiam, curasq́ue quacunque de causa in animo subortas, constitutus sit, oportet, qui prælia ea ineũda sibi aliquando esse statuerit.

Præcepta traduntur in vniuersum, rerum, quæ ad circumambientis nos aëris rationes attinent, in conseruanda per anni tempora attemperati hominis sanitate.

CAPVT XIIII.

AC transferenda omnino in alia eadem quoque ratio fuerit, vt, quicquid quocunque in tempore egerit is, non modò quum coiturus est, cuncta semper ad hãc veluti normam reuocet, mediocritatem vt tueatur suam: & eorum, quæ aduersatura huic esse videbuntur, vsum semper fugiat; vtilium autem conseruandæ futurorum libenter recipiat. Par est enim, vt vndique impetentes noxas repellat, ne de statu suo deijciatur, qui medium occupauit, vtpote quod vndequaq; innumera propè circunsistant, ac circunquaque semper vertantur, clanculùm & propalam ad noxam semper inferendam parata, adeoq́ue etiam sæpe necopinatò ingruentia.

Quapropter, vt omissa suprà de Aëre hoc loco repetantur paucula quædam, & ambientis se aëris rationem semper ducet maximam. Quippe quem non solùm circunfusum corpori vndique sensurus dies noctesq́ue sit, sed etiam intrò inspiratum accepturus, bonoq́ue proinde aut malo futurum, ritè aut secus captatum. Qui quoniam Vere, inq́ue regione temperata, temperatus ipse quoque, mitisq; inprimis habetur: immutatum illum nollet, eiusdem temperamenti, ætatumq́ue, quas diximus, illarum homo.

Aestate,

Aestate, ęstiuisque constitutionibus, sibi consulet, aut frigidioris mutatione, vt montana petat, vel perflata aquilonaribus ventis loca, & alsiosa quædam; vel domi ipse sibi suæ artificiosè parandum curet, quæsitis terrenis maximè cubiculis, atque à Sole auersis, irrigatisque frigida, aut aspersis, latis, magnisque, vt quorum non tam citò incalescat aër refrigeratus semel.

Idem vt vestitu vtatur eodem tempore tenuiore multo, quod omnes sponte sua faciunt, non valde admonendus. Aduertendus tamen est, ne fidem adhibeat Polybio, consulenti æstate oleosis, vel quæ oleum imbiberint, vt vestibus vtamur. sic enim scribit: (De salu. vic.) ἠμφίεσθαι δὲ χρὴ τοῦ μὲν χειμῶνος καθαρὰ ἱμάτια, τοῦ δὲ θέρους ἐλαιοπινέα. Quo nil sordidius, simul & conueniens minùs, impedita quippe inde cutis transpiratione, auctóque potiùs cùm ob hoc ipsum, haud multo pòst, calore: tum verò concalfacto mox olei liquore, ac conceptum calorem diu seruante, initio quanuis, dum corpori occurrunt, ex vncto vestium refrigeratio sentiatur insignis. Quis autem ambigat puras semper magis ac benè mundas, sed tenues, tritasq; esse induendas eo tempore, vt vilis plebecula lacernas suas solet, sericeas ditiores, benè & perspirabiles, nec oneri vlli corporibus futuras, non facilè per æstum ponderis quicquam, nisi grauatè admodum, laturis, si se paulò commouerint. In eo non malè ab Authore eodem admonemur, qui nobis æstate conquiescendum esse iubeat, vitandósque Soles. ἢ μὴ δι' ἡλίου ὁδιπορέειν, ait. iter facere sub Sole vetamur. Quo ferè exemplo monemur, calores ac siccitates omnes vt tunc fugiamus. Itaque vel quum adeunda erit exercitatio curando corpori debita æstate, minore tamen in ea contentione vtemur; & tempus nobis locúmque minùs æstuans, minúsque calidum, quæremus ad id: nisi si tamen exercendi ratio maior aliqua contrarium exposcere videatur, vt quum frigidæ fortè balneo vtendum fuerit. Sed & cibus eodem tempore alimento destinandus paulò magis refrigerans, & solito dilutior potus: & similiter versanda, tractandáque cuncta, huc spectantibus, moderandis nimirum ęstatis feruoribus, & siccitatibus, refrigerantium modicè, atque humidum facientium vsu.

Hyeme contraria omnia, sed eadem tamen ratione, apponemus: vt & hybernos Soles quæramus libenter, & luculentos maximè caminos, & obuersa in Meridiem domicilia, & pellibus holosericóve suffulta, densáque, ac trilici veste induamus nos: concitatiùs euntes feramur, iustasque exercitationum leges, ac numeros omnes impleamus: alimentum paulò calorificum magis, & siccans apponamus, vt & meracam magis potionem propinemus.

Autumni siccitas præteritæ proximæ æstatis siccitatibus aucta, humefacientibus omnino corrigenda. Et est anni tunc tempus rerum harũ ferax satis, venationis, aucupij, autumnaliũ fructuum multorum. Ex quibus deligi omnibus, quod ad rem facturum sit, poterit: vt inter fructus illius temporis ficus maximè, atque vuæ. Ex quibus multo minore, quàm ex horarijs fructibus alijs, succi vitiosi suspicione humescere corpora possint: simul &, quantum quidem anni tempus id postulare videatur, calorifici aliquid sentire ex alimento: præsertim venationis, & aucupij, & eiusmodi aliorum, quum neque in ficubus tamen benè maturis, vuisque potissimùm dulcibus, caloris facultas desit, temporis illius qualitati contrariæ factura satis. Matutinis tantùm, ac vespertinis horis, paulò iusto frigidiori, vt indumentorum potiùs auxilio illa diei hora egeamus ad contemperandum: cibus autem, si nec magnopere calidus potentia, vel temperatior etiam aliquis fuerit, idoneus satis futurus sit.

Ex somno non minùs petendum auxilij aliquid, ne siccescat plùs iusto corpus Aestate temperati hominis, vigilijs, saltem ne de debito somni tẽpore dematur quicquam: vt Hyeme, etiam si plusculum addatur, non inconueniet, concoquendæ meliùs ita pituitæ, & in sanguinem vertendæ, quæ plurima illo anni tempore gigni solet: modò non ad elixandum vsque corpus protrahatur somnus, quod de nimio dici solet.

Animorum perturbationes, curæque, ac solicitudines tempore quidem omni abigendæ omnes, ac semper: hoc tamen, quàm illo, magis quandoque. Atque vt attemperatus aliquis naturæ suæ beneficio meliùs his & resistere, ne inuehantur; & inuectas expellere possit. Expellendas autem omnino esse, quoniam inemperantiam humorum faciant.

CAPVT XV.

IAm si retinendum in omnibus, vt docuimus, temperato homini medium fuerit, aut ab excessu reuocandus statim: in eo quoque fuerit, vt, quibus maximè

mè deijcimur de mediocritate, animi affectibus moderetur. Nam quanuis eo temperamento aliquis non facilè neque iræ neque effuso nimis gaudio indulgebit, aut mœroribus se dedet vnquam, vt tristissimus sit, aut perturbationibus alijs veluti habenas laxabit, aut temerè succumbet illis : fugiendæ tamen occasiones, ne, si crebrò nimis occurrerint, irritetur tandem animus, quantumuis in altissima pace positus, & seditione aliqua inuecta damnum accipiat tranquillitas illius illa, quæ εὐθυμία est. Et quoniam non omnes Philosophi sumus, neque habitum eum induimus, vt erigere nos statim aduersus ingruentes has noxas possimus, postquàm impressionem fecerunt ; & multa talia contingunt vel temperatissimo homini, quæ necopinata dum extrinsecus multis modis incumbunt, de bonitatis statu benè alioqui constitutum dimoueant : prouidendum diligenter, vt ingressa in summi consilij arcem, reijciantur quamprimùm, & in transcursu tantùm quodam perstringant, non hospitentur ; aggrediantur, non occupent ; impetum aliquando faciant, & adoriantur, non expugnent. Sic fiet, vt vel nunquam tentemur ab hoste hoc, si occasiones quascunque cum diligentia effugerimus : vel tentati fortiter repugnaturi simus, atque aduersus voluptates, quæ corpus animúmque sæpe corrumpunt, nonnunquam etiam effœminant, non continentes minùs, quàm temperantes futuri. Id fiet, si causis semper venientibus subtraxerimus aliquid, ne vires quoquo modo auctæ sumant.

Adeóque valere id in omnibus animaduertemus, si dictorum suprà meminerimus. Nam hoc consilio & circumambientis nos aëris habendam esse rationem monuimus temperato homini, & ineundæ exercitationis, & ciborum ac potionum, aliarumque vnà rerum huiusmodi omnium, semper quidem, ne quam in partem horum nimietate aut intempestiuitate aliqua abactus à mediocritate sua recedat ; potissimùm verò atque inprimis, quum causarum aliarum accessione prolabi eum faciliùs posse credendum erit. vt, quoniam ex Venereorum vsu refrigeratio illi corporis totius, & siccitas cum debilitate aliqua parata : modus ei ante omnia sit rerum harum adhibendus autumno, propter easdem met temporis eiusdem discedentes à medio qualitates.

Et hoc igitur quoque loco, atque ad eandem prorsus consilij formulam, monemus, eijciat perpetuò quidem à se, quanta maximè potest diligentia, curas temperamento illo præditus, ac perturbationes animi omnes, quippe membrorum omnium consumptrices : minùs tamen eas sibi nocituras arbitretur anni tempore hoc, quàm illo : vt Aestate, quoniam ob siccitates ingẽtes simul ac feruores plus sem per bilis, atq; ea longè accendi facilior gignitur, resistendum illi magis quoq; tunc modis omnibus sit, iramq; inprimis cohibendo. ne videlicet irascibili animæ parte commotiore facta, bilis feruori addatur excandescentia aliqua vehementiore, ac veluti frigida illi, quod dici solet, suffundatur. Itaq; hâc ob rem multo frequentiùs incurrere in ephemerã febrem iratos æstate, quàm anni tempore vllo alio, videmus.

Atque idem de reliquis simul animi affectionibus dictum accipi velim. Quæ, quoniam siccandi corpora potentiæ propiores sunt, eo magis, quum aliæ sese offerent virium earundem causæ, ablegandæ ingenio omni procul : ne coniunctis inter se causis eiusdem generis pluribus, effectus sæpe, quem nollemus, prodeat maior. Proinde metus quoque, & tristitia, ac animi mœror omnis, his ijsdem de causis, ne qua ex parte Autumno, at nec alio quidem vnquam tempore, sed hoc omnium minimè, obrepant cauebitur ; siccando, refrigerandoq; corpori nimis opportuna, temporisque ad hæc qualitate adiuta, & generando, augendoq; maximè atrabilario tunc humori ob idem idonea.

Id porrò vt præstet is, eo, quod sæpe iam diximus, à natura temperamento donatus, haud ita difficile factu futurum illi sit : quando natura antè quoque sua pacatus per se, sedatique satis animi, non facilè excursurus in turbulẽta sit : & vt excurrat, locumq; suum interdum relinquat; at non temerè turbulentissimus aliquis futurus, qin reditio illi parata semper ad medium, vnde priùs discesserat, futura facilis sit. nõ quemadmodum in iram proni, quos iracundia sæpe percitos furere videmus, excandescentes nimiùm : quos quæ spes tandem sit redire ad se posse citò, tam extra rationis limites omnes actos? Idem de in alias animorum affectiones natura pronis intelligi debet : meticulosis, qui trepidi ad quæcunque, & pauidi nimiùm perterrentur, percelluntur que, vt reuocari nõ possint : temerariè audacibus, qui præcipites in omnia feruntur : gulæ ac libidini deditis, quibus, frugi vt sint, persuaderi nõ potest, & de huiusmodi alijs eadem. Nostrũ hunc, & admonuisse satis erit, ne qua aberrans ex parte labatur, manebitque in natura volens sæpe optima sua ; & prolapsus fortè erigetur à nobis facilè, surrigens se ipse quoque, & attollentes iuuans:

iuuans: non vt alij iam dicti, libenter assiduè in luto suo volutati, manus etiam adiutrices qui porrigant, auersantes.

Id adeò in alijs illis, vt meliores sint, naturæ bonitate quadam fit, quam contemperantia inprimis humorum faciat. Hancque ideo seruatam custoditámque omni ex parte cupimus; vt reiectam intemperantiam. Cæterùm custodita retineri cùm alijs, quæ memorauimus, multis, aëre, motu, cibo, & id genus, diligenter obseruatis: tum animi quoque affectionibus non minimùm, ne quod inde nocumentum accipiatur, animaduersis, solet. Etenim, sicuti iram bilis sæpe facit aucta; ita versa vice hanc ipsam bilem ira auxerit ipsa, atque incenderit. Et vt socordes pituita quosdam, ac desides; atra bilis tristes, ac formidolosos reddit: itidem pituitam socordia, ac desidia; atram bilem sine dubio succrescere in corpore magis magisque tristitia, ac formido faciet. Sanguinem æquabiliter temperatum, & rata humorum parte quadam sua constantem, boni mores comitantur, prorsusque illi ipsi, quos temperatum vndique hominem insequi debere diximus, nullam in partem vitiosè procliues, vt ne quid notari in his nimis possit. At ijdem hi mores, animique tranquillitas, & alta quædam pax, scimus quantopere conseruando sanguinis, atque habitudinis vniuersæ temperamento, adeoque etiam in maius promouendo, conferat, atque ita tamen, ne modus hîc quoque excedatur, & Plethora succedat. Retinenda igitur animi sedatio omnis his de caussis, naturæ sanitatisque suæ bonitatem custodituro rectè, ne quando hanc quoque ob causam superante in corpore humore aliquo reliquos, ac veluti partibus illius maioribus factis, seditiones ibi moueat, pacéque corporis conturbata deteriorem statum aliquem inuehat: pro sanitate integra firmáque, infirmam, mancamque vnam quandam; pro bona constitutione, malam, iámque morbis sæpe varijs, multisque tentandam, mox etiam, nisi primo quoque tempore occurratur, corripiendam.

Vitandæ Plenitudinis omnis, & succorum malitiæ necessitas dicta. Simúlque explicata ratio Excrementorum de corpore eijciendorum, aluique inprimis. Et quando incipiat Senectus, in attemperato, mediæq; constitutionis homine.

CAPVT XVI.



Atque ideo facienda omnia priùs, ne quid tale fiat, & vt temperato homini, ætatibusque his, viuere tandem sano atq; incolumi omni ex parte liceat. Id assequetur, si prouisa diligenter omnia fuerint, quæ diximus: & nec qualitate sua exuperans redundet in corpore vitiosus succus aliquis, ac nimius; nec æquabilis tamen horum ipsorum inter se seruata proportio ea quantitate succrescens in corpore augeatur, quæ Plenitudinem vasa ipsa nimietate sua distendentem creet. Cùm hæc igitur fugienda semper, quæ Plethora est, id vnum prouidentibus, ne laudatarum rerum, ex quibus alimur, vsus æquo plus congestus corpus totum infartum reddat, coacto sæpe appetitu, nimirum ἐξ ἀνάγκης, ideóque nulla sæpe voluptate assumpto cibo, quod Athletæ faciebant ad sustentandam molem.

Maioris operæ ac negotij fuerit, succi malitiam effugisse, quam κακοχυμίαν dicimus, multo maxima alimentorum propè omnium in parte delitescentem, & gustu palatum sæpe prouocantem melioribus alijs plus, adlubescentémque magis. Quo planè magis quoque cauendum, ne nobis imponat. Eo præsertim, quòd nihil est, ex quo non augescere illa, ac vires sumere in corpore, possit: ex ambiente hoc illóve, hæc illáve; ex corporis commotionibus, aut quiete, diuersis diuersa. Iam ex alimentis tam varijs, quàm colligi varia eadem possit, quis est qui ignoret? Ex somno & vigilia item diuersè captis: ex animi pathematis, nunc primùm dicere destitimus, quàm humorum vitiosorum accessio fiat. Ergo omnis adhibenda in eo diligentia, studium omne, ne qua, parte ex aliqua administrandarum rerum omnium, quas modò narrauimus, erroribus colligatur.

Cui sanè rei non minimo erit adiumento, si, quod vltimum in his erat adaperti Excrementorum omnium in corpore canales ac meatus seruentur. Quo videlicet patente omnibus exitu, ac reclusis vijs, intus forisque omnibus, minus minusque semper colligendæ succorum in corpore prauitati causæ præbeatur; immiscentibus se sæpe corporis excrementis alijs, succis quoque vitiosis, cumque his vnà facilè semper extra corpus delatis. Conuenientissimum ideo optimis quibusque tuendę sanitatis magistris visum semper fuit, necubi in corpore elaborati

borati

borati alimenti excrementa morarentur, expedirentúrque per omnia viæ omnibus: fellea vt vesicula nullo impedimento acciperet, darétque suum intestinis, suum item lien: cutanei eodem modo meatus benè diflabiles vt perpetuò manerent. Ante omnia, ne quando clauderetur aluus, suppressis illius excrementis. non immeritò: vt in quam non solùm fæculenta excrementa secedant, per intestina prolapsa; sed etiam deriuata eodem reponantur à iecoris vesica, ac liene sua, foras simul de corpore eijcienda. Magnum vt propterea ad sanitatis tutelam in eo positum momentum iure videatur, excrementa expeditè si reddiderit aluus suo semper tempore cum vesicæ vnà felleæ, & lienis illis, sua. Idem quod ex Hippocrate ipso aliquando relatum nobis legimus à Galeno. ἥκιστα, ait, πλευρίτισι τε, καὶ τοῖς ἄλλοις νοσήμασιν ἁλίσκεσθαι τοὺς ὑγρὰν ἔχοντας τὴν γαστέρα. Humidā aluum qui habuerint, minimè pleuritide, morbis've alijs corripi. Emollitam ac laxam intelligo. Educendæ autem de corpore, quæ paulò altiùs insederit, modus, partim dictus suprà, partim dicendus reseruatur infrà suo loco.

Nunc nihil aliud, quàm conseruatam volumus integram, illęsamque, &, in quantum maximè fieri his rationibus potest, nullis tentatam morbis temperato homini incolumitatem suā, his ætatis suæ Septennijs, post adolescentiæ annos, quatuor in totum; primis duobus iuuentę, consistentis verò ætatis tertio, quartique parte; mox inclinante iam se ætate, & in senium vergente. παρακμαστικῆς, inquit Galenus, ἡλικίας, ἧς τὸ τελευταῖον μέρος ἰδίως ὀνομάζεται γῆρας. inclinantis ætatis, cuius extrema pars propriè senium vocatur. quadragesimum octauum nimirum, vel quadragesimum nonum circiter annum, in confinio Senij positum, quod tum primùm quinquagesimo incipiat. Hactenus igitur inclinans iam ætas, quanquam pręteritę consistentis, & ingredientis deinde senij, vt omnia in medio rerum duarum posita solent, naturam ex parte retineat: Septennij tamen sui, cuius vltima pars habetur, magis retinet, vt propterea tractari quoque eodem modo postulet, atque vt præteritæ omnes in statu suo custoditæ conseruari, infantiæ dico, pueritiæ, adolescentiæ, iuuentæ, consistentisque ætatis; non, vt senectus, qua potest ex parte, corrigi. Quocirca erit nobis id semper in his propositum, ad quinquagesimum vsque annum, vt temperatus omni ex parte, ac benè constitutus aliquis, eūdem semper, quoad eius fieri poterit, & vniuscuiusque ætatis ratio patietur, status, conditionisque suæ tenorem seruet, his, quas per totum memorauimus suprà, rationibus, modisque, obseruandæ semper rerum, quæ huc pertinent omnium, quantitatis, qualitatisque, ac facultatum mediocritatis, & moderationis. id quod in votis semper esse debebit cuicunque, tuendę alicuius benè ita constituti sanitatis, Præfecto.

In conseruanda ætatum omnium sanitate errata, quæ necessariò aliquando contingunt, corrigenda extemplo esse, posterioris diei animaduersione diligenti, vt in tempore occurratur, antequàm inualescant.

CAPVT XVII.

QVòd si tamen aberrare quandoque à scopo contingat: corrigendum statim, quicquid quacunque in parte admissum erroris fuerit, animaduersa diligenter priùs erroris, eque notis signisq; suis conquisita, causa. Idque reseruatum fuit à nobis ad extremum, hoc loco dicendum, quòd commune conueniénsque ætatibus omnibus esse videatur, magnúmque perpetuò vsum adferat ad sanitatis rectè retinendæ custodiam: vt errata diligenter castigentur, quæ necessariò interdum artificium quodcunque, vel artificum potiùs actiones, more quodam humano insequūtur. Et quoniam excessu semper id aliquo committitur, (quod in vniuersum dicendum sit) contrariæ statim excessui qualitatis ratione emendandum erit. Vt si fortè excalfactum plùs iusto corpus ex ambiente senserimus: ex ambiente eodem, atque alijs, sed oppositæ qualitatis, nempe frigidioris, æqualitati suæ restituatur. Si frigidum, si humidum, si siccum, eodē modo. Quæ manifesta sensuum animaduersione deprehenduntur facilè cuncta. In humido tantùm attendendum diligenter, quòd dupliciter id sensui offeratur: alterum molle; alterum, hoc ipsum quod dicitur, humidum: & tangendo tamen discernitur vtrunque, madoris cuiusdam sensum præbens humidum; nihil tale, molle. Quod signi sit, corporis affectum humidum, humorum censendum esse, qui in eo contenti versantur: mollem autem, corporum ipsorum, combibito per totum humore humidorum. humida nanque sunt hæc quoque: discriminis licèt gratia mollia, hæc; illa, appellare humida possimus. Sed siue hæc, siue illa, humidiora æquo facta fuerint ratione corpora, seu sicca, seu calida, seu frigida

gida magis: spectanda semper causa, qua ignorata reddi corporibus æqualitas sua, in qua priùs constiterat, nequeat, vel non tam benè certè queat.

De ambiente nos aëre diximus. Idem de exercitatione dicendum, motúque corporis, cuius & nimij incalescere ac siccari corpora; negligentiùs, aut segniùs adhibiti vsu refrigerari atque humescere, possint. Cibi item potionisque mensura iusta, conuenientique qualitate, non seruata, contingent eadem: nec minùs ex vigilia, somnóque, & Venere: ex animi affectionibus, ex excrementorum rationibus, aut suppressorum, aut citatorum nimis.

Quæ quum corporibus, ex memoratarum modò rerum excessu, aut defectu etiam, contigerint, cúmque his eiusmodi alia: vt quum gracilius inde aut obesius, mollius aut durius, (quæ reduci tamen ad superiora possunt) rarius aut densius, decoloratius've redditum corpus fuerit: inspecta statim causa, contrariæ causæ introductione amouebitur inæqualitas, & æqualitas restituetur: si modò & diligenter affectus notos habuerimus; & eorum, quæ pridie acta fuerint, meminerimus. Etenim si cum studio inspicientibus, visum fortè gracilius iusto, &, quàm expectâssemus, tenuius corpus fuerit: id, quoniam & à nimio inter exercendum se labore prouenire, & concitatioris in eo motus vehementia solet; aut adhibita supra modum frictione, aut balneo, circumambientisque aëris calore nimio, vigilijs, Venere, cogitationibus, mœrore, cibi paucitate potúsque, regestis adhæc per aluum plus satis excrementis; recordati ipsi nobiscum, vel quæsito etiam, in quæ potissimùm horum conferamus culpam, vnum, aut plura; immutabimus postridie, & contrarium inuehemus. Si obesius: opposita supradictorum omnia in memoriam reuocabuntur, eorum quæ peracta pridie fuerint. Vt, in quo, quibúsve peccatum, ac inquantum maximè peccatum sit, postquàm sciuerimus; collatis inter se omnibus, quantum à prioris diei statu discesserit corpus, tantum eodem in contrarium ac per contraria actum redeat. vt si minor iusto exercitatio, (exempli hæc causa afferuntur tantùm) aut segnior id fecerit, aut productus nimiùm somnus, altera ex his causa, ambæ've: minore dein somno, ac maiore exercitio, & citatiore, altero horum, ambobus've, (si ambo in causa fuerint, somnus atque exercitium) subuenientes, retrò, vnde discesserat, ad iustam habitudinem suam abire corpus cogamus.

Illud tamen de frictione hoc in negotio non obliuiscendum: obesitatem non, vt in alijs, à contraria frictione fieri, eius, quæ gracilitatem priùs fecerit: nisi, quo modo media, extremorum alteri, contraria quandoque habenda esse pronuntiamus. Nec quemadmodum gracilitatem frictio supra modum, hoc est, multa faciebat; ita obesitatem infra modum, hoc est, pauca adhibita, quæ nihil in hoc effatu dignum præstat, faciet: sed mediocris potius, quæ carne demum aliqua corpus implere ostensa est superiùs, quum de Frictione in vniuersum ex Hippocrate tractaremus.

Ad eundem modum color quoque suus restituetur corpori, qui priùs abierat, alijs quidem multis contrarijs his, quorum excessus decoloratum reddiderit, aut etiam defectus; somno, vigilia, exercitatione, animi pathematis, & cæteris eiusdem generis: sed frictionibus tamen inprimis. Quarum nimiæ, vt exercitationes nimiæ, sicuti corpus attenuant, ita colore quoque suo priuant: paucæ, quum non satis moueant, nihil etiam quicquam promouent. Solę sunt mediocres, quibus rectè adhibitis, commotóque ita sanguine, & spiritibus euocatis, floridus quidam confestim per vniuersum corpus color visatur.

Eadē frictio maximè, atque ante omnia, reddere corpus dura durum, vt molle mollior quædam, potest. Mox ab hac exercitatio robustior, præsertim si in puluere duro, frigidóque, concertatorem nacta fuerit durioris itidem corporis, cuius prehensationibus multis, & complexibus crebris validisque, ex aduerso certantis effici haud difficulter durius corpus potest. Si nec adhibita postremò Recuratoria exercitationis pars fuerit, durum reddiderit. Remissior contrà, segniórque, ac breuior, molle, cum aduersario quoque molli. Circunfusus item aër frigidus, & frigidæ lauatio, vel admodum etiam calidæ, quanquam contraria, quàm ex frigida, ratione, sed durabunt tamen corpora, tam hîc quàm ibi siccata: sicciorisque naturæ cibi, iustæ've potionis defectus aut meracioris, vigiliæ, curæ nimiæ, durum omnia: molle, ex aduersum posita his ipsis, effecerint, quæ referre non attinet.

Nec diuersissimæ habendę sunt, mollis, ac humidi facti, duri, ac sicci corporis, causæ. Quippe & siccum durum, præsertim benè siccum; & molle humidum, humore intra proprias suijpsius partes recepto. Quia vero (adhibenda nanque omnino

distinctio) humidum quoddam est, vt paulò antè quoque docuimus, quod circunfluit partes excrementitium, & circunsistit: esse caro durior aliqua poterit, ideoque etiam sicca, atque eadem illa humore quoque hoc humida, qualis esse senum ipsorum dicitur. Huius rei gratia, vt discrimen appareat, humidum alterum, molle alterú appellamus: vt alterum molle, humidum simul intelligatur necessariò humore in se recepto: alterum humidum, non necessariò molle, circunfuso tantùm humore humidum si accipiatur.

Suntque diuersæ etiam vtriusque sæpe causæ. Nam humiditatis, quæ circunpositi solummodo humoris est, nec diu antè collectæ, & ex qua de corpore, cuius durior tamen facta sit caro, mador aut sudor prodit; virium sæpenumero imbecillitas causa, Venereorum fortè vsu intempestiuo, aut ob rem aliquam aliam contracta, propter quam collectus ex imbecillitate humor, pari modo ex imbecillitate per sudorem aut madorem remittatur: raritas ad hæc corporis, quàm vel immodicè molles frictiones, vel nimius balneorum vsus, vel aër iusto calidior, effecerint: tum præterea potionis exuberantia, somniq; multo supra naturam, ambiensque aër totus repentè in calidum & humidum versus: atque inprimis cibi temperamento humidiores, vt bona pars fructuum, quorum esus nimius mirum quàm humiditatem, qualem diximus, in corporibus gignat semper.

Quę si nulla fuerit, ac mollis tantummodo habitus appareat: adeò non virium debilitatem coarguet id, vt etiam bonam alimenti concoctionem, & corporis nutritionem ostendat, distributo ritè per omnia, propriásque ac solidas membri vniuscuiusq; particulas, alimento: solam defuisse iustam exercitationem, indicio erit. Quæ vna si desit, vt reliquæ omnes adsint optimæ nutritionis causæ, nec in frictione etiam peccetur: mollis tamen etiamnum, ac tener apparebit corporis habitus, non resiccato satis, ob non expletam exercitationem, alimẽti humore nimio. Quod iustum exercendi se tempus præstat, vt resiccet, inquam, modicè, nec laxam fluere habitudinem sinat, mollem nimis factam. Sicuti planè vltra iustam exercitationem si extrahatur tempus, etiam plùs iusto siccârit habitum primò, præsertim si perfrictio multa accesserit, vigiliæque ac solicitudines, cibique ac potionis penuria, postremò etiam durauerit. magis autem, si duriter fricetur corpus, & duriter exerceatur, idque in puluere.

Quæ planè cuncta, aliáque præterea eiusdem generis, ac modi, diligenter ac sedulò obseruanda tuendæ sanitatis magistro sunt: vt animaduersa quotidie atque extemplo omni cum cura à corporibus amoueantur, & mediocritati suæ reddantur, priusquàm amoueri difficilia fiant, si semel inualuerint. Quod minimè certè omnium admittendum, vt contingat in eo, quem omnium maximè conseruatum in sua illa optima, omnique ex parte laudata habitudine, constitutioneque, ac sanitate à teneris tum primùm annis, ad senectæ vsq; inchoantis initium, cupimus, inprimisq; studere debemus.

IVLII

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER TRIGESI- MVSPRIMVS.

Peculiaris narratur tuendæ sanitatis ratio. Quantoq; vsui esse poßit Salubris Ars retardandæ huic, producendæq; vitæ, si ritè obseruetur. Simul contemptus reprehensus Artis, & negligentia: & ex contemptu ostensæ noxæ: & aduersus Artis huius magistros dictum, præceptorum suorum negligentes. Ex quibus inuri Arti nota ipsi vlla non debeat.

CAPVT I.



HVc progressi defensum morbisque omnib⁹ intentatū tutati sumus optimi & tēperamenti, & cōstitutiōis, hominem, vt neq; de statu vnquam sui bonitate decidere eundem permitteremus; qúmque casu aliquo decidisset, constitutioni confestim omni adhibita cura restitueretur suæ. Nunc alia ineunda via, ratio demonstranda alia. Hactenus enim, decursis ab ortu suo ad principia vsque senectæ ætatibus omnibus, in sua semper, quæ quidem ætati vnicuique congruens esse reperiretur, Temperamenti laudati conditione, sanum omni ex parte atque incolumem retinendum, conseruandúmque esse eodem perpetuò tenore, docuimus. Nunc autem incolumem illum quidem quoque eundem senem iam factum, neque morbis correptum vllis, quàm fieri poterit, procedere nobis volumus in tractatu hoc: sed immutandus tenor ex parte est, vt non eandem custoditam seruemus temperamenti rationem, in omnibus omnem, sed vt aliam potiùs factam aliquatenus velimus, quantum quidem incolumitatis ætate ea conseruandę ratio pati posse videbitur, ingrauescente iam, & in senium ingressa, quod ipsum morbus quidam esse censetur: vti iam ex hoc diuersitatis se ratio statim detecta manifestet.

Nam qui optimo semper temperamento eò vsque progressus fuerit, humorisque ac siccitatis discrimina quidem aliqua per ætates diuersas senserit, sed ætati tamen semper vnicuique conuenienter; caloris autem aut nulla, aut perquàm exigua, nec quæ in Salubris Artificis considerationem cadant, eóque conseruandus semper in eodem fuerit: idem ille nunc, manifestante iam se apertè satis frigiditate, nec apertè minùs associate se siccitate, (quę duę qualitates extinguendo sensim natiuo calori, & attenuandis viribus aptæ, rectà nos in mortem ducunt) meritò ab Arte nostra hac Salutari auxilij sibi aliquid exposcet, quo aduersarijs vitę humanæ duobus illis, & capitalibus hostibus, ac lethiferis qualitatibus, obuiàm Artis regulis studio omni & diligentia eatur, ac tanquam remora aliqua iniјciatur: vt, si non euitata, at, inquantum fieri potest, retardata accedat tempore suo mors. Quin ne senecta quidem ipsa festinata nimis properet, nosque ante tempus internicioni ac libitinæ obnoxios tradat: vt quosdam videmus ante expectatos iustæ senectutis, tempore demum suo aduentantis, terminos consenescere totos, probo aliâs laudatóque inprimis temperamento à natura donatos. Quos par fuerat, ac valde credibile, nisi ab Artis præceptis recessissent, rectéque consulentium admonitiones contemptui habuissent: & senectam inchoaturos, & finituros tardiùs suam fuisse, mortémque adeò ipsam in longissima quædam tempora submoturos. Qui licèt primarius defendendæ ab iniurijs multis sanitatis scopus haud sit: defensam tamen necessariò sequitur extemplo, imò cum ea vnà introducitur. Cuius sanè fiduciæ expromissores habemus magnos certósque ex Medicorum filijs præcipuos. Quorum fidei ac promissis non credere, aut nullam adhibere fidem, quam præsertim præstare semper soliti sint, stultissimū esset. Ipsa illa Aesculapij, cuius isti veluti fiduciarij quidam sunt, hoc ipsum nobis promittit Ars. magnum quidem, & admirandum: sed promittit tamen. Quod non minùs bona sæpe fide exhibuit, præcepta sua diligenter sequutis, vt non solùm, quod diximus, minimè accelerata ingruat nobis senectus,

& diutiùs extracta producantur moriendi tempora : sed etiam ætatum omnium decursu sani perpetuò atque incolumes degere, nullóque morborum tentamento, dolore nullo, ac sensibus omnibus integri transigere annos omnes possemus. ante senectam quidem maximè, atque inprimis : nec multo tamen minùs senes, quæ εὐγηρία demum est, & dicitur. Modò non infirmam maximè ab origine valetudinem, morbissimúmque natura corpus nacti, vt quos ne Aesculapius quidem ipse ad iustos senectutis annos perducere, aut morbis semper seruare illæsos vnquam possit, illorum ipsorum morborum ab ortu primo seminaria secum trahentes quædam. Præstaret hos, ex Græci Authoris sententia, libenter fato suo concedere. sic enim ait : ἁπλοῦν γὰρ ἦν τὸν μὴ δυνάμενον ζῆν, ἀλύπως ἀποθανεῖν.

Cæterùm nos hoc tempore optimè ab initio à natura constitutos, formatósque, ac attemperatos, iam in senij sui viridioris illius limine primo positos tractandos ex Artis nostræ monitis, ac præceptis sumimus. Quos turpe admodum futurum sit, quum aliter possent, factúque id illis non impossibile futurum fuerit, distortis ad senectam peruenire membris, confractísque spectari sæpe articulis propè omnibus, morbis antea correptos insanabilibus quibusdam. Qui si, sicuti optimum nacti à natura temperamentum, ac constitutionem laudatissimam ; ita liberum quoque viuendi genus sortiti, ipsi sui prorsus iuris, nec ministerio vlli addicti, deinde morbos hosce incurrunt, necessariò ad mortem vsque comitantes, hancque ipsam festinatam sæpe : excusationem nullam habent, nisi contemptus insignis cuiusdam, & negligentiæ, aut rerum etiam ignorantiæ, aut incontinentiæ. omnia eiusmodi, vt reprehensione maiore, acrique castigatione opus habeant : meritas autem illi intereà luant stultitiæ, atque erratorum suorum pœnas. Sin negotiorum occupationes, & impedimenta causam afferunt, habent illi quidem excusationem rei huiusce iustam : verùm hactenus tantùm, leuioribus quibusdam si corripiantur, vt diaria fortè febri ex labore, æstúve, aut frigore, aut leuiculo aliquo capitis dolore, & huiusmodi. maioribus correpti, & grauioribus illis, habituri nullam sint : quando nemo vnus, nisi egentissimus, aut miserrimus quisque, non, si non ad plenum, at quod satis futurum sit ne in morbos incidat, notatu dignum sanitati, exque hoc vitæ quoque ipsi, detrimentum allaturos, temporis sibi ad curandi corporis curam suffuraturus ex negotijs semper sit, tantùm Artis huius tradita ab alijs sibi atq; accepta monita ne spernat.

Nam qui non ipsi accipiunt ab aliquo, sed præcepta alijs dant Salutaria hæc ; & posteà incontinentia atque intemperantia victi, raptíque ; vel, si Platoni credimus, iusta rerum æstimatione carentes, ac sola ignoratione decepti, non sequuntur, feruntúrque longissimè ab his deuij : horum demum aut egregiè impudens, aut imperita nimis defensio sit oportet ; necessariò vel voluptatibus se victos impudenter fatentium, vel ignoranter nimis futurorum malorum, præ voluptatum præsentium blanditijs, magnitudine non æstimata. In hos optimè illud dictum conuenit nescio cuius Poetæ, ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. intemperantia præcipites actos, videntes scientésque præceptorum Salubrium, & tamen continentiæ nescientes, postquàm in præceps se dedêre, nec inhibere cursum, quem semel arripuêre, vlteriùs possunt. Atque intereà, quum tuendæ humanæ sanitatis Magistros se professos, in Arte maximè sua peccare vident, sequuntur exemplum alij, & vitæ se dedunt, legibus præceptisque viuendi ex ratione quadam omnibus solutæ : nec credunt facturos eos vnquam aliter, quàm dixissent, aut scripsissent priùs, fuisse, nisi inania illa omnia, & animi tantùm causa per otium contexta, pro nugis & anilibus fabellis secum ipsi deputarent, atque alijs venditâssent. Itaque multo maximam audimus sæpeà multis, Medicorum partem, minimè omnium seruatæ victus rationis crimine damnari, & contemptores ingentes dici regularum suarum ; minimè tales futuros, si vera se nobis ipsimet præcepta, ritéque, atque ex ordine Salubres viuendi leges tradidisse iudicâssent.

Longè secus autem se res habet. Nam neque omnes eiusmodi sunt : quique sunt, aut fuêre vnquam tales ; artem nobis indicâsse tuendæ sanitatis, normamque faciendorum exhibuisse ex intellectus habitu, quem recta ratio præierit, potuêre. Eosdem ipsos esse, qui, quæ mandâssent literis, præstarent, exemplumque in se statuerent, ac dicta factis comprobarent ; non fuit necesse. vt artificio pollentes suo videmus quosdam, in alijs non magnopere probatos, quæ ad mores pertinent. Dissident enim hæc inter se, & vtrunque quidem ex intellectus ipsius habitibus est recta cum ratione, sed faciendorum alterum, alterum agendorum : vt, si quid alterius

rius in alterum fortè cadat, opem quidem illi ita ferat, illius tamen rationis futurum non sit. Vt hîc, quoniam exequendis conseruandæ sanitatis præceptis ac legibus, quæ intellectus habitu rectè hoc in negotio faciendorum constant, inter alia inuenimus, Cauendum maximè esse, ne luxuriantis in cibo, potúque, atque alijs huiusmodi omnibus vitæ intemperantia labamur, quod domitarum inferiorum animæ facultatum, & parere rationi assuetarum, munus est: hoc quoque ipsum vt exequatur, si adsit scienti, benè atque in lucro erit, emolumentúmque semper exequenti præcepta afferet insigne, siue sua ipsiusmet quæ tradiderit peragat ipse, siue aliorum quis sequatur: Sin absit, vtique damno ac sanitatis detrimento futurum hoc illi semper est, quicunque tandem is fuerit, qui in eo peccârit: Arti inurere maculæ prorsus quicquam non debebit. Quocirca meritissimò audimus, Incontinens Medicus, intemperans Medicus: Intemperans, aut incõtinens Medicinæ ars, quis vnquam audiuit?

Et præstabat quidem, vt Artifices omnes, si fieri potuisset, ijdem viri quoque boni essent: sed in multis non est necesse, quòd separata habeantur officia hæc, vt diximus; & alia artium, alia morum sint. Quorum in alteris, quæ artium sunt, qui volens sciensque, quod faciendum non sit, admiserit, minùs peccaturus sit, quod quidem ad artificij rationem attinet: alteris, quæ morum, omnium maximè, si volens fecerit. Cæterùm in quibusdam artibus longè id optimum habendum, vt coniuncta cum artificio probitas sit: in nostra hac proximè ad necessitatem accedit. Nam & Curatori morborum Medico, nisi probus idem ac bonus sit, quæ via, quæ fenestræ ad perpetranda ingentia sæpe scelera paratæ, patefactæque erunt? & Tuendæ Sanitatis magister intemperans, si non aliud, fidem certè derogabit monitis, dictisque suis; concidétque illi ea apud omnes, apud quos constare maximè dictorum, factorumque suorum omnium fides debuerat. Atque ita, quod alij in Oratore suo fecerunt, non tam fortasse necessariò, vt Oratorem virum bonum statuerent dicendi peritum: Medicum statuere nobis tandem liceat, longè magis necessariò, virum bonum medendi peritum, morborum quidem Curatorem illum; sicuti sanè Salubrem Artificem seruandæ custodiendæque sanitatis bonum non solùm magistrum, sed etiam virum. Esse igitur in votis hoc semper debebit, quasique necessarium, nec simpliciter tamen, atque in vniuersum, vt probi bene que morati, ac temperantes sint, qui nobis præcepta tradunt, quæ sequamur, recta. Quæ quum ita se habeant, nolimus aliorum errata ac vitia imputare Arti: aut præcepta damnare Salutaria, tam certa & firma ratione nixa, quorum præsertim exempla non desint, & obseruatorum maximos semper ad sanitatis defensionem vsus quæ apportârint, ac præcipua commoda; & neglectorum, quæ detrimenta, & damna.

Hoc autem hæc potissimùm loco dicenda erant cuncta, vbi sedulò, studioque omni, ac diligentia attendenda omnia sunt, ne quid fiat, quod factum cauillatoribus reprehendendorum, damnandorumque Salutarium præceptorum occasionem, atque ansam præbere possit. Anteactæ nanque ætates omnes egent illæ quidem quoque Salubrium præceptorum obseruatione curiosa quadam: at nec tam facilè, propter insigne robur, & maximam caloris natiui aduersus offensionum quarumcunque ingruentes noxas repugnantiam, damna ex erratis accipient: & quum acceperint, veluti excutient sese, nisi maius aliquod erratum fuerit, illæ, & noxam deponent citiùs, propè vt inanimaduersa sæpe multa pertranseantur in his, ac pristinæ tamen constitutioni suæ optimæ restituantur, sponte interdum sua, quoties non insigniter peccatum fuerit, corpora. At in hac, quam nunc tractaturi sumus, senili ætate, errata quamprimùm detegunt se minima quæque, ob debilitatem insignem, natiuámque, & attenuatum virium omnium corporearum robur. Et neglecta, quum maiora semper fiunt, molestaque, ac infesta sunt, quibus contingunt; tum ignominiam afferunt Arti, non depulsa, hoc ipsum præstaturam se pollicitæ, non frustra, neque inaniter omnino, si, quæ fieri debent, fiant, nec aberratum à via, quam illa nobis monstrârit, magnopere fuerit.

Quo pacto Senectus dici morbus queat, quo rursus non morbus: & quàm necessariò subueniendum illi sit. Et de Climacterico vitæ totius anno.

CAPVT II.



QVO quidem maioris aliquanto operæ futurum est, quod restat, vt defensam tueamur Senij incolumitatem, vbicunque in causas multas incurrentem nocituras semper; & ipsam infirmam per se antea satis, vt quam ne

ne pro incolumitate quidem, aut ſanitate habeant, ſed morbum eſſe fateantur multi. Senectus, ait ille, ipſa morbus eſt. Et Ariſtoteles tantus Author inquit aliquando: (De gener. anim. v.) ὀρθῶσδ' ἔχει καὶ λέγειν τὴν μὲν νόσον γῆρας ἐπίκτητον, τό δὲ γῆρας νόσον φυσικὴν. Vice inter ſe verſa vtrunque, & pro morbo ſenium, & pro ſenio morbum nobis exhibet, vt in alterius alterum natura ineſſe ſemper intelligeremus: alteri, morbo, ſi ἐπίκτητον ſolùm addatur, vt aduentitium ſenium morbus; alteri, ſenio, φυσικὴν, vt naturalis morbus ſenectus eſſet. Quo ſanè pronuntiato nec verius, nec diffinitioni noſtræ, quam de morbo circunferimus Medici, ac Morbum eſſe dicimus affectum præter naturam, actionem impedientem: conuenientius dici quicquam potuit. Quanque impediuntur actiones in ſenectute, nec tam robuſtè, quàm in antegreſſis ætatibus, expeditéque, ac firmiter obibantur omnes, obeuntur nunc: hac ex parte morbus eſt. Qua verò ſecundùm naturam id euenit, hac rurſus ex parte non morbus. quoniam nihil vnquam quicquam naturale morbus Medicis quidem. Proinde aliquatenus tantummodo Senectus morbus erit, non ſimpliciter, non abſolutè: ſed totum potiùs hoc, naturalis morbus, de Ariſtotelis ſententia. At Medicis, qui ſanitatis, & morbi medium ponant, ſtatuere illam intra ſanitatis adhuc limites, ſed neutralitati adiunctam, licebit. Quo nomine corporum conditionem eam appellabamus quorundam, quæ neutrarum partium, vtrarumque imò participia, ſanitatiſque exquiſitæ, atque affectuum, qui in confeſſo iam morbi eſſent, in confinio poſita, tractanda tamen morbi ratione aliqua forent, quum liceret, infirma valetudine, & κατὰ σχέσιν in veros morbos procliuia, vel nuper etiam ſe ex morbis reficientia.

Eóque annitendum ſemper magis in hoc, & labenti, adeóque etiam labanti facilè ætati huic ſuccurrendum. Quæ niſi Artis noſtræ huius beneficio ſuſtentetur, caſura ad minimam quamque offenſionem ſit, vſque eò interdum, vt erigi vlteriùs deinde non poſſit. Ac quemadmodum infantili ætati libenter ſubuenimus, validæ tamen aliâs ſatis, ac proficienti in melius ſemper, ſed rerum omnium neſciæ, eóque opis maximè noſtræ indigæ: ita, ac magis fortè etiamnum, ſenili ſubueniendum, inualidæ nimis, iámque ad occaſum tendenti, vt Vitæ veſpera non iniuria dici poſſit iuxta Ariſtotelem: (De Poet. ex Alexidis verſu) nec ſanè minùs animorum quoque iam ſenſibus vacillanti, quãdo eidem Authori (De Rhetor. ij.) viſum fuerit, ſicut corpus à trigeſimo ad quintum vſque & trigeſimum, ita animam ad vndequinquageſimum vſque vigere. vti iam tum primùm bis eſſe pueri ſenes incipiant, animæ quoque, inter ſenectutis initia, qui quinquageſimus annus eſt, viribus labaſcentibus: referántque ideo pueros bis ſenes hac inſuper ratione, nempe corpore & animo, quum & puераſcere videre ſit eos animi ſenſibus, ac moribus multis; & oneri iam illi ſit corpus, vt pueris. Quorum quanuis naturalis vitaliſque facultas validæ inprimis, plurimarumque eſſe virium reperiantur: at animalis imbecilla valde eſt, nec attollere multùm corpus ſolet. ex quo quum erectus progredi non poſſit, humi ſerpit ſæpe puer, ac repit quadrupes. Et ſenex tertium non minùs ſæpe adhibere pedem cogitur ad ſe ſuſtentandum, tutóque progrediendum, incuruus pedo nitens. Verùm hoc ætatum omnium in occaſu ſeni contingit, quum iam Silicernium factus eſt: illud puero in exortu, quum mutare tantùm loca corpore, necdum tamen erigere id valet.

Eſt porrò primum iuſtæ Senectutis veluti limen, ſeptem expletis Septennijs, octaui initium: quippe inchoante Septennium octauum hoc quinquaegſimo nimirum, & ſexto ac quinquageſimo finiente anno. Sicuti inſequentis Septennij, quod à quinquageſimoſeptimo incipit, terminus totius ſexageſimuſtertius annus eſt, Scanſilis ille, tam pleriſque formidatus, magnique ſemper ad vitæ humanæ prorogandos, aut finiendos terminos momenti habitus. Eo quòd bifariam in ſe multiplicatus rediret, quum vtrinque ſepties nouem, & ſeptem nouies pariter ſexaginta tria faciant, multorumque extremum in eo vitæ eſſe animaduerterent. Tum verò quem incolumes ſi euaſiſſent, magno ſe defunctos periculo arbitrarentur, quod ad vitæ munia attinet: etiam non pauci (quod feciſſe Auguſtum quoque memoriæ proditum eſt) genio ſacrificarent ſuo, propè iam ſe extra multa, ac varia viuendi diſcrimina conſtitutos ita eſſe deputantes ſecum, qui tam periculoſa, ex Scalari annorum numero eo, tempora morbis intacti pertranſiſſent. Tranſigenda reſtaret quanuis ingraueſcens magis magiſque, atque inclinatior ſemper, ac mox ſubſequutura eſſet decrepita quoque ad extremum vſque vitæ actum ætas. Ad quem qua tandem ratione peruenire incolumibus illis liceat, quantum quidem

per

per ætates has conceditur, tractandi propositum nobis hoc loco est. Hanc Gerocomicen Salutaris Artis partem dixêre Medici Graij veteres, magnámque eius semper, eorumque, quorum salutem ex illius præceptis defendendam suscepissent, gesserunt curam, non quidem quàm puerorum minùs: propterea quòd vtraque illis ętas omnium maximè Artis auxilium exposcere, quasique opem efflagitare visa fuit, vt diximus, vtraque imbecilla, vtraque noxis omnibus ob idipsum exposita. Iccirco nomine etiam suo insignitam vtrâque peculiari quodam voluerunt, vt Gerocomice hæc, illa Pædotrophia appellaretur.

Diuisa in partes tres Senectus. Cuius quàm placida mors sit ostensum extremo in exitu. Tum quæ ratio conueniat fouendis maximè, tractandisq; rectè illius principijs.

CAPVT III.

Diuidimus autē de Galeni primò sententia in tres, Senectutis totius tempora, partes. Quarū prima erit eorum, quorum cruda adhuc ac viridis senecta quędam est, vt crudam esse deo viridemque senectam cecinit quandoque Poeta. Dicunturque eadem significatione vel Græcis ipsis ὠμογέροντες, Homero fortasse μεσοπόλιοι: vt eos intelligamus, nō modò qui ciuilia negotia, quod Galenus dixit, obire adhuc possint: verùm etiam, qui induere arma etiamnum, & bellare nō inepti prorsus haberentur, præsertim huius ipsius viridioris senectæ initijs, q̄ Septénij octaui, noniq; ex parte esse queat. Altera est senū propriè ita dictorum, τῶν γερόντων nimirum, à noni reliquo, quod primę illius parti superest, ad decimum vsque exactum. Medium senium hoc est, exquisitissimo temperamento & constitutione optima præditi hominis, in quo per vniuersum id tempus lauari cōueniet, cunctáque ea peragere, quę versu illo Homerico continentur: ἐπὴν, inquit, λούσαιτο φάγοιτε, εὑδέμεναι μαλακῶς. ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.

Exinde Πέμπελοι omnes sunt, tertia iam, atque extrema vitæ totius parte contenti. Quibus nec tam frequens balnei vsus congruat, & alius iam propè cibus, diuersaque multa competant, ad vltimos vsque dies, donec cōcedere iam naturæ cogatur vnusquisque, nullo ampliùs Septenniorum numero supputādos, postquàm semel ad decenarium eorum peruentum fuerit numerum, rursus decies septem iuxtà ac septies decem conficiendum annis, in totum septuaginta. Quos vltra nulla iam annorum meliorum aut deteriorum ratione habita, quoniam in deterius semper corporis omnia recidant, exitus indies vitæ expectandus sit: sic tamen, vt studio adhibito, atque Arte, tardata semper magis, sanaque pro ætatis ratione, ac sine dolore, senectus accedat, quousque vltimus claudatur vitæ dies, & is ipse sine dolore. Διὸ καὶ ἄλυπος ἐστὶν ὁ ἐν τῷ γήρᾳ θάνατος. οὐδενὸς γὰρ βιαίου πάθους αὐτοῖς συμβαίνοντος τελευτῶσιν, ἀλλ' ἀναίσθητος ἡ τῆς ψυχῆς ἀπόλυσις, inquit (De respir.) Aristoteles, quū de senibus loqueretur, Seniū mortem placidam esse & absque dolore, nullo nanque violento affectu accedente agere eos animam, & insēnsibiliter liberam eflare, atque emittere. hoc enim ἀπολύειν, nî fallor, est. Quis non commodam fateatur senectam, cuius sine morbo, & dolore omni, sensuque ad hæc carens exitus?

Cæterùm hoc vt perpetuum Senectuti quacunque in parte sit, dicique verè εὐγηρία queat, intentos maximè esse oportet tractandis rectè curáque omni ac diligentia illius ante omnia principijs. Sic enim fiet, vt optimè tractata prima omnium pars, quam crudam & viridem dicebamus, procedat lōgiùs, productáque terminos extendat suos: minimè certè hanc ipsam secunda anteuertat, neque secundam tertia, vt sępe videmus ex erratis recurrentes in se ætates has, ac primæ secundam interdum annos præoccupâsse, & secundæ tertiam ademptos suos fecisse, ante tempus. Commune illud erit præceptum, maximumque de omnibus: Vt, quoniam frigiditas associata sibi præterea siccitate quotidie magis ac magis sese effert, vitæque insidias tendit; tum primùm opponamus nos his, sensimq; rerum omnium vsu infringamus earū vires, vt repressę tam magnos in sanitatis nostræ campum hostiliter progressus ne faciant qualitates hæ duæ, ideoque vitæ secum arreptos annos auferant nobis. Antehac autem fecisse id nō iuuerit: quum temperatum vndique hominē in sua assiduè mediocritate studio omni ac cura conseruandū, retinendumq; esse docuimus. Nunc, quod in intemperaturis facturi deinceps sumus, vt emendatas, deductasque ad temperamentum velimus, faciendum hîc quoque erit nobis: atque etiam ob id magis, quòd corrigendis aliorum intemperaturis extra senium, non nisi quum vacabit, facereque id per otium licebit, diligenter studebimus. Senum nisi, quum primum ingressi senectutis linen fuerint, ac deinde semper, curiosè inprimis intēperaturæ cōsulatur, occasio nobis statim pereat omnis

faciendi rectè id, & cōmodum tempus abierit; non ferente moras senecta, nec tempus aliud expectatura, quod nullum illi superest, in quo meliorem temperaturam suam faciat, nisi præsens arripiat: præsertim intemperaturam eam, quæ tam morti affinis sit, ad quam citatis sæpe nimis passibus contendens procedit, nisi arte aliqua adiuta retrò, quantum fieri potest, inhibeatur.

Senibus aërem conuenire humidum supra mediocritatem quidem, sed modicè talem, nec putredinosum tamen. Eundem eadem esse caliditatis qualitate oportere, nostræq; eum habendum æcumenices magis. Quod exemplis monstratur. Tum, quæ anni tempora Senibus maximè conueniant: aliarúmque ætatum ostensa in transcursu cum anni temporibus conuenientia, & repugnantia. Et de aëris constitutionibus, locisq; senili ætati accommodis.

CAPVT IIII.

PRima erit consultatio de aëre. Quem, nō dubium esse potest, calidum potiùs omnino in ætate hac meritò expeti: minimè verò frigidum debere. Nanque frigidus nūquam non noxius, non solùm intemperaturam senij augens refrigeratione, sed corpus etiam dēsans. Calidus amicus semper, quippe intemperaturę aduersans: ac siquando iusto calidior nocumenti aliquid attulerit, id quum ex accidenti fit, idipsum accidens non alia quàm frigiditatis inuectæ, admissæ ve, ratione oberit: vt damnum hîc quoque ex contraria calori qualitate accipiatur. Nam & hyeme ex paulò calidiore ambiente quum factum senum rarius corpus fuerit, obnoxium id, atque expositum frigori reddetur: & æstate si fiat idē, exhalato ita natiuo calore frigiditatem demum sentiet, vnáque vires debilitabuntur.

Modicè igitur calidus vbique quærendus, qui senū corpora ambiat, aër, ac paulò etiam quàm in antegressis ætatibus calidior: neque is tamen, cuius calore nimio rarescat corpus, & aut frigus intromittat, aut natiuū calorem emittat. Deinde idem humidus sit oportet, ea, quam de calido diximus, temperantia, hoc est, paulò mediocritatem supra: sed humiditatis omnino innoxiæ, qua humescere solidiores corporis partes possint, non item putredinis inde aut corruptionis aliquid sentiant. Nam qui exquisito humiditatis temperamento constabat, hoc mediæ omnium ætates fouebantur rectè: at hoc ipso paulò humidior senibus congruet ad reuocandum potiùs ad temperamentum lapsos ab hoc in siccum, non vt in suo retineantur.

Nam non conuenire humidum aëra senili ætati dicere, vt docti autumâsse videntur nostri temporis quidam, quòd putredinis, grauedinis, hebetudinis mater humiditas sit: oblitorū est eorū, quæ de temperamentorum diuersitate in omnem partem à Medicis disputantur. Tāquam enim qui humidum aerem nullum, nisi noxium, esse arbitrentur, de his disputant hi, quos dixi, ac propè tragicè primò senij blennam dicunt, quæ amentes faciat, & væcordes senes, segnes, obliuiosos, edentulos, surdos, mucidos, lippos, cæcos, sputatores, tussiculosos. Quæ si senibus aliquibus ætatis vitio contingunt, nihil ad aerem id: sin ex aeris circunfusi corporibus senum humiditate eueniant, humiditatis nimiæ cuiusdam nobis aerē adferūt, palustrem, cœnosum, ventis nimiùm australibus expositum, cuiusmodi locorum multorum, & ciuitatū esse videmus. Quem quis vnquam Medicorum cōmendârit in ætate non modò senum dico, sed quauis alia? Deinde montanos Ligures allegāt, inter quos plurimi robustissimique senes numerentur, loca sicca incolentes. Doce hoc, loca sicca esse ea, nisi terrenum fortè siccum accipiunt. Sed ex terreno quamlibet sicco non totus semper siccus aer habebitur, quem inspiramus. esse nanque humidus (non ita multùm à mediocritate discedentem intelligo) quibusdam alijs, magnisque de causis poterit. Argumentum, vt hoc asseueremus, offert se nobis hîc non leue. Etenim si Diarhodos Parallelus (quod negaturos eos non credo) ferè ex temperatissimis est: humiditas cum alijs vnà etiam temperatior quædam sit ibi necessum erit. Vlteriora autem loca propter Solis propinquitatem sicuti calidiora & sicciora necessariò; eadem ratione itidem necessariò citeriora, frigidioris & humidioris cœli, aerisque habebuntur, plùs minùs, pro maiori minorique à temperatis locis discessione facta. Quod vt dictum in vniuersum est, ita verum in vniuersum quoq; acceptū esse debet. Particulatim enim siccitatem inuehere ambienti addita quędam possunt, si ventis perflētur natura siccioribus assiduè loca; si Septentriones spectent; auersa à Meridie, Soléque oriente sint; si montibus circunsepta Austrinos flatus excludant, recipiant Boreales. Neque tamen sic etiamnum sicca rectè veréque, & minùs tantùm, quàm quæ opposito modo se habent, humida dici, haberiq; meritò debebunt. Et certè loca

loca existimabuntur ſicca rectè ita dicta, nempe mediocritatem vltra, in quibus pluuiæ vel nullæ, vel perquàm raræ, Aethiopiæ, Arabiæ, Aegypti, partis etiam Hiſpaniarum alicuius. Noſtrum hoc cœlum dicere ſiccum quî poſſumus, in quo tam crebrò pluit? Verùm hi (vt arbitrari licet) ſicca accepiſſe loca videntur, vt vulgò ſæpe ſolemus, quæ humiditate vacant ſuperuacanea & redundanti, nec prorſus nebuloſa ſunt. Rauēnatis quidem pro exemplo meminêre cœli: ex aduerſo huius, & qui circa Maranum, & Paduſam eſt, aëris, vbique ab omnibus damnati.

Nos humiditatem in aëre ſeni temperato, vt quidem ſenex, commodam eam intelligimus, quæ non magno receſſu à mediocritate abſit, cuiuſmodi apud nos in noſtro hoc Orbe non nimis rarò reperiri queat. Et ſiccum dixêre hi, minimè quidem exquiſita locutione, aërem hunc. eſt enim verè humidus is quoque temperamentum citra in noſtro hoc cœlo, quando exactè temperatus in Diarhodos, vt diximus, Parallelo ſit: vt citerior regio neceſſariò propterea humidior ſit, quòd vlterior ſiccior. Non autem arbitror humiditatem aëri, quæ natiua illi eſt, facilè in noſtris his locis, niſi ſiccantiſſimis cauſis, quæ nullæ hîc ſunt, auferri poſſe. Illud potiùs videndum, ne graue humore nimio cœlum ſit, aliqua de cauſa, quod frequenter in parte, quam inhabitamus, Orbis hac contingat. Nec minùs tamen frequenter loca humiditate ea, qua diximus, prædita inuenire eſt, modicè humida. temperatam nō intelligo: humidam voco, ſed non immodicè talem.

Atque adeò ob modicam hanc humiditatem, aſſociante ſe præſertim calore, eo quoque nō vſque adeò intenſo vt humorem deſtruat, propterea quòd geminis his qualitatibus, ſi non ſupra modum fuerint, alita fotaque maximè ſenectus producatur: plures longéque magis longæuos, eoſdem & vegetiores, & minoribus ſenectutis incommodis affectos, videmus in noſtra hac œcumene, quàm aut Tropicum Cancri prope, aut ſub ipſo etiam Tropico, adeóque ſub Aequinoctiali, (quantum ex relatione audimus profectorū aliquando eò) videre liceat. vbi, præſertim verò ſub Tropico, exæſtuans ſemper cœlum, ingensque cum ſiccitate ingenti ambientis calor, natiuo calori ante tempus abſumptum humoris pabulum ſubtrahit, vnáque & vitam exhauſta humiditate citò omni aufert.

Itaque longiſſimæ vitæ exempla relata nobis ab Authoribus, (& fabuloſa excipio) non harum regionum, quas modò nominaui, habemus vllum: Aphricæ vnum Maſiniſſam, qua tamen parte longiùs etiamnum à Tropico abeſt Aphrica: Siciliæ item vnum Gorgiam, in qua cui dubium innumera potuiſſe contingere: ſed præclara tantùm traduntur, & illuſtrium. Romæ plura, inter quæ non pauca fœminarum, quod mirū magis ſit. Et memini Romanum cœlum calidum atque humidum exiſtimatum à Galeno, vt argumento hoc quoque noſtræ ſententiæ ſit. Inter Apenninum, Padumque, Italiæ regionum multa, idque vnum intra quadriennium, à Cęſaribus Veſpaſianis patre ac filio, peracto cenſu, numeratorum, ſupra cētum omnium circiter triginta annos, quorundam etiam quinquaginta qui attigiſſent. vt exempla hæc tantùm ſint. Quæ ſi paulò diligentiùs inquirere liberet noſtro quoque tempore, non defutura crederem, vel in viuendi luxu, prorſusque exlege ſenecta; ac, ſeruatis legibus, longè ſemper magis magisque numeroſa futura. Iam quos Venetijs conſpicimus ſenes? quàm vegetos, quàm decoros, & virium ſuarum omnium animæ æquè ac corporis pro ætate, ætatem imò ſupra, retinentes? Quos ad Benacum? alibique locis alijs nō ſanè paucis? calidis tamen atque humidis omnibus, caloris atque humoris temperie ea, quam paulò mediocritatem iuſtam vltra eſſe debere, ac modicè propoſuimus nobis. Vt, niſi paluſtris, aut cœnoſus, alióve aliquo multo, malóve humore infectus, grauisque aër ſit; ſi præterea humori calor paulò maior, ſed modicus tamen itidem modico, (vt modicum hîc intelligimus) acceſſerit: conuenientiſſimus is ſenibus futurus ſemper ſit.

Quærendus igitur ſenibus talis, Autumnoq; maximè extremo, propter vtranq; aduerſam tunc magis ætati ſenili qualitatem, frigiditatis ac ſiccitatis: Vere minùs, ſed quærendus tamen. quoniam veris tepor, & exquiſita caloris humorisque temperatura, quæ ætati puerili, & adoleſcentiæ, medijsque etiam ex parte congruebat, ſenio futura ſatis non ſit, quod paulò maiorem calorem expoſcat. Quocirca æſtatis calores expectāt, in quibus meliùs degant, adeóque etiam autumni aliquatenus, qua parte æſtatem attingit, & meridianos calores affert, ſæpe æſtatis caloribus non minores. τοῦ δὲ θέρεος, καὶ τοῦ φθινοπώρου, μέχρι μὲν τινὸς οἱ γέροντες. Senes, inquit Hippocrates, (Aphoriſ. iij.) æſtate, & quadantenus autūno optimè valēt, ſaniq; inprimis ſūt: hyeme verò minimè. Nā tametſi humiditatē amicā habeāt tūc: at multo plus ex frigiditate, inſito nobis calori inimiciſſima qualitate, incommodi accedet: potiſſimū verò ſeni-

ſenibus, in quibus idem ille calor interni-
cioni proximus extingui, non magnam
ſemper ob cauſam, periclitatur. vt ob id
ſemper quidem, ſed tunc, nempe hyeme,
vt quum maximè, fouendus ſenex ſit, quo
calorifica aëris qualitate vndique ambia-
tur. Minimè tamen quæ caput repleat,
vitandæ ſcilicet ſalſuginoſæ pituitæ ge-
nerationis cauſa. Quam ſicut modicũ fri-
gus dulcem, aut inſipidam, ita vehementi-
us acidam; replens autem caput calor, ſal-
ſam gignit. τοῦδ' ὑπὸ θερμασίας πληρούσης
τὴν κεφαλὴν ἁλυκὸν δηλονότι φλέγμα, inquit Ga-
lenus. Proinde præferendus perpetuus hy-
eme caminus hypocauſtis, aut vaporarijs
potiùs, quibus nullus magis calor implere
capitis partes vapore multo, mox futura
ſalſilaginoſæ pituitæ materia, ſolet. Cuius
ſanè humoris quum vel temperati homi-
nis ætatibus alijs maior ſemper hyeme co-
pia generetur: quid expectandũ in ſenibus
fuerit? natura ad id ſemper ſua pronis, vt
multum ac multum aſſiduè pituitæ colli-
gant. nónne, niſi caueatur, tantum illius
collectum iri per id tempus credendum,
quantum deinde interſtinguendo calori
ætate ea inualido futurum ſatis, nimium-
que ſit? Petendum igitur auxilium minu-
endæ in ſenibus pituitæ, cùm ex alijs po-
ſteriùs dicendis omnibus; tum non minùs
ex circumambiente aëre, idque vel maxi-
mè hyeme: ne videlicet auctus excreſcat
humor, illi maximè ætati, ſi nimius fuerit,
nocuus.

Quæ etiam cauſa faciat, verùm è diuer-
ſo petita, vti iuuenili, conſiſtentique in-
primis ætati, in qua bilioſi humoris domi-
nium viget, hyems non in poſtremo loco
conueniat, retũdendæ quippe bili cõtrarij
humoris facultate; alterius flauæ bilis cali-
ditati ac ſiccitati, alteri⁹ pituitę frigiditate
atq; humiditate. ὅδε λοιπὸν, inqt Hippocra-
tes, (Aphor. iij.) τοῦ χειμῶνος οἱ μέσοι τῇσιν ἡλι-
κίῃσιν. nõ aliã planè ob rem, niſi vt repreſſa
infringatur bilis acrimonia, ne acceſſione
ex ambiẽte facta exuperet, quod cauẽdum
ſemper, atque omnium maximè vnum in
ſanitatis conſeruatione eſt. Quum aliàs
temperatiſſimi hominis iuuentus, conſi-
ſtensque vnà ætas, omnium in medio loca-
tæ, non incommodè Veris beneficio vtan-
tur itidem temperatiſſimi, ad ſe quidẽ con-
ſeruandas: ſed hyems etiam aliud addit, re-
preſſionem bilis, ne efferueſcens in morbos
trahat. Nõ ſecus, ac pueri ipſi, temperatio-
res qui fuerint, toto quidem Vere benè ſa-
tis habent: at æſtatis initio, ob redundan-
tis pauxillũ quid humiditatis, paulò etiam-
num meliùs, vtpote quæ ſuperuenientis
æſtatis ſiccitatib⁹ inhibita, ne vlteriùs ten-
dat, coërceatur. Adoleſcentiæ autem annos
totius, optimæ omnium ac temperatiſſimę
ætatis, in qua ſicuti calorem inter ac frigus,
pariter humiditatem inter & ſiccitatem,
exactè in medio omnia eſſe reperiuntur:
Vere omnium optimè degere poſſe, nõ erit
dubium. ἄριστά τε διάγουσι, inquit, καὶ ὑγιαίνου-
σι μάλιστα. Optimè degunt, ac valent maxi-
mè, vt qui neque hyemis, vt iuuenes, bene-
ficium agnoſcant maius frænandæ bili vl-
lum, quam nullam, aut certè non exupe-
rantem tenent: neque, vt pueri, ex æſta-
te commodum accipiant contemperandæ
humiditati, ſatis antea temperatam modi-
camque quam per ſe ipſi obtineant.

Dicendumque de Conſtitutionibus
aëris idem omnino. Quæ quocunque mo-
do anni temporum qualitates retulerint,
in eandem cum his, quam modò diximus,
conſiderationem venient: & ſe vel nocu-
as, vel vtiles ſenibus prębebunt. vt ideo vel
deuitari, vel in vſum etiam trahi, queant.
Idque magis, quòd inter anni tempora, ca-
lidum & humidum tempus nullum eſt. Ver
enim tale quum eſſe dicatur, non eſt: ſed
temperatum eſt. Ex conſtitutionibus au-
tem calidam atque humidam ſæpe experi-
mur. Ex qua parata licèt incautis mala mul
ta, peſteſque ſint: profectura tamen ali-
quando ea eſt, in tẽpore ſi ſenibus accom-
modetur. Iam, ſi rationes hæ valere de-
bent, nemini dubium, fugiendas eſſe regi-
ones natura ſua frigidas ſenibus. Quæ ta-
men, qua ratione æſtate ſalubriores haben-
tur, propterea quòd intolerandus harum
æſtus nunquam ſit: eadem, eodemque an-
ni tempore commendabuntur, quàm cali-
dæ nimis, eidem illi ætati magis: minuſque
incommodabunt tunc, vt calidarum quo-
que hyemem meliùs feret ſenex, quàm a-
liarum tempus idem, vel temperatarum.

Quæ non fruſtra omnino ſcribuntur à
nobis hîc. Quanuis enim ætati huic, præ-
cipuè verò, ſi quis paulò longiùs progreſ-
ſus in ea fuerit, vt loca diuerſarum admo-
dum regionũ mutanda ſibi pro anni tem-
pore quærat, valde difficile futurum eſſe
non ignorem: ſunt tamen alicubi proxima
ſibi inuicem, vel non ita certè in longin-
quo poſita, quæ commodè adiri, quum o-
portuerit, poſſint loca: vt Tridenti ha-
bentur quatuor paſſuum millibus diſtan-
tia inter ſe ad Benacum commodiſſima ſe-
nibus futura oppida, vernum propè per
totam hyemem tempus referentia, vt in
quibus ipſe, propinquiſque circà locis, De-
cembri ac Ianuario menſibus violas non
ſemel collegerim. Tridenti medijs veris, &
autumni ferè tẽporibus, ſalubre ſatis ad ha
bitandum cœlũ. In montanis circùm locis
pluribus, nõ plus quàm millia paſſuũ duo,
tria alicubi, nõnuſquam & duobus minus,
abſunt

absunt pagi, ea æstiui caloris tẽperie, vt haberi senibus accommodatus inprimis queat: in quo nec difluãt æstu nimio corpora, viresq; inde deijciantur; nec tamẽ calorificam satis circunfusi aëris vim non sensura sint. vt, nisi conualles essent, quæ orientis, & occidẽtis Solis partem adimunt, ac insalubritatis propterea aliquid omnino inuehere posse videntur: intra non magnũ locorum spatium inter se, salubres satis toto anni tempore habituri fuerimus diuersas habitationes ad rem hanc, & cùm senibus hyeme non minùs, quàm æstate, medijsque insuper temporibus commodas prorsus; tum iuuenibus, cæterisque ætatibus omnibus non incommodas.

Explicatior modus, quæ quibus conueniant intemperaturis anni tempora, compositis, ac simplicibus. Et quæ temperati hominis in sanitate sua ab ambiente conseruãdi ratio, ex caloris ac frigoris, humoris & siccitatis temperamento. Dein recurrente in se anno, ex quatuor temporum vicißitudine temperamentum fieri. Ac quo pacto ex similium ratione, contrariorũ etiam vsu conseruetur sanitas.

CAPVT V.



Tenim hyemis ceu tepore quendã (vt hinc digressi referamus ad rem pertinentia quædã) iuuenes præsertim temperatiores, quem senes haud difficulter valde pro intemperaturæ suę contemperamento quodam tulerint, laturi faciliùs etiamnum sunt, à natura temperaturaque sua non magnopere abhorrentem, quam ob id conseruaturus potiùs sit: atq; in quo tamen ex qualicunq; hyeme, (hyems enim tãdem est) si quid iuuentutis tãtùm ratione biliosi humoris redundârit, (nam aliâs temperatos supponimus) mitigari is hyeme ea tepidiore quidẽ, sed tamẽ hyeme, valebit. Biliosi autem magis natura, etiam frigoris maioris hyemes feruidæ magis bili paulò commodiùs restinguendæ ferent: vt æstate ijdem earundem regionũ montana superiora loca petent alsiosa satis: inferiùs subsistent temperatiores, vbi frigidæ auræ placidè contra æstatis calores spirent.

Eandem ætatibus alijs accõmodare rationem, eodemq; modo poterunt, qui volent, illo in vniuersum inspecto semper, vt æquabili temperamento qui fuerint, temperamenti sui æquabilitatem per ætates omnes custodiendam sibi habeant, ad senectam vsque, ex ambiente. Quod fiet, si caloris eũdem perpetuò tenorẽ seruârint temperati. Qui quoniam ad anni tempora varius diuersusque est, ac veris tantummodo temperiem experimur: vnum hoc temperamento suo permittendum tempus erit, autumnusque ex parte. In alijs quærenda temperies, neque vsque eò tamen, vt non æstatis calores aliquos, & hyemis sensurus frigora aliquantum sit, temperatæ naturæ aliquis. Sed hactenus quærendã temperiem eam esse dicimus, ne tantum de status sui æquabilitate deiectus turbetur, aut in morbos etiam incurrat, nimijs aut hyemis frigoribus, aut caloribus æstatis abactus. Impressio autem, quam vtræque, hyems æstasque, in tẽperato corpore qualitatibus suis, repressę fecerint; nunquam ea fuerit, quæ, discedentibus illis, vnà ea quoque non discedat, & suo corpora ea temperamento relinquat.

Temperamenti verò excessu aliquo qui notabuntur caloris aut frigoris: his, pro naturæ diuersitate, ex diuersis anni temporibus vel auxilium expectandum, vel effugiendum nocumentum. Τῶν φυσίων αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸσ χειμῶνα ἐυ, ἢ κακῶς πεφύκασιν. Vt haud dubiè calidior ac siccior natura, hyeme meliùs, æstate deteriùs sit habitura: frigidior atque humidior contrà, hyeme deteriùs, æstate meliùs. Ex toto hæ: ex dimidio alię. Calida quidem & humida, qua calida, hyeme benè; qua humida, non benè valebit: æstate, quà calida, rursus non benè; meliùs, qua humida. Frigida & sicca, ęstate, qua frigida, cõmodè valitura est; qua sicca, incommodè: hyeme contrà: nam huius humiditatem vtilem experietur, frigiditatem noxiam sentiet. Veris temperies omnibus, his intemperatis dico, commoda quidem, nec commodissima tamen. hoc enim adolescẽtibus tantùm est. Autumnus ob inæqualitatem incommodus omnibus: minùs tamen calido atque humido temperamento præditis nociturus. Breuiter, ne, quæ percurri nimis multa possent, de his plura dicantur: Quod ad circuniecti nobis aëris qualitates attinet, suum naturæ vnicuique conseruandum ex hoc temperamentum erit, (nondum enim de mutandis naturarum quarundam temperamentis loquimur) siue ex anni temporibus, siue constitutionibus quibusdam, siue verò regionibus etiam circunfusi nobis aëris qualitates eæ constent. Quod fiet, si circumambientis, quem ferre naturaliter possint, & solita fuerint, sensus idem, quoad eius fieri potest, ętatũ omnium decursu, (excepta, vti dictum, senecta) perpetuò corporibus accidat: temperatis, calidis, frigidis, itemq; de alijs eodem modo, aliquousque tantùm tamẽ, donec videlicet nullum, ne extra naturæ suæ limites ferantur corpora, periculum

lum imminebit. Quod si instare videbitur, reuocanda contrariorum qualitatum adminiculo quamprimùm fuerint; & statim, ne exeant, cohibenda. Ea propter calida æstatis calores ferre aliquandiu possunt innocuè, & hyemis frigus frigida; statusq; illis hoc pacto & conditio, ac natura optimè cōseruatur sua: sed ita, si temperamenta ab ambientis temperamento nō superentur illorum, si proportione respondeant. Sin aliter sit, & vincat, vel vincere velle videatur ambiens: occurrendum extemplo, vocandaque in auxilium contraria qualitas. Hinc biliosis suppetiæ ferūtur ab hyeme, pituitosis ab æstate: minimè quidem vt temperamenta eorum destruantur, verùm ne temperamētum suum egrediantur potiùs. quod nihil aliud fuerit, quàm illorum naturam custoditā defendisse. Atq; ita perpetuò verissimum illud esse probatur, quod dicitur: Similia similibus cōseruari. Conseruantur enim quoque, tantisper dum similia sunt, nempe temperamenti eiusdem, æqueque intenti similitudine. Vltra id si intendantur, quæ cōseruare debuerant, dissimilia euadunt: & abducta corpus extra temperamentum suum sunt, si permittatur illis, & non contrariæ qualitates aduocentur, non quidem, vt retrò inhibeatur corpus à temperamenti sui ratione, sed ne vlteriùs, quàm par sit, progressum feratur, hoc est, in sui natura vt defensum maneat. Neque aliter temperatum hominem temperato itidem ambientis calore per ætates omnes deducemus. Eo quòd idē in omnibus, pręter senectā, caloris, diuersa quanuis in materia, modus sit: ac, quoties periclitabitur temperamētum id, ex ambientis temperamento ne pereat, vt æstate & hyeme; vtrobique appositis qualitatibus resistemus tempori, frigiditate hîc, ibi caliditate, aut naturalibus, aut artificio paratis.

Hæc temperati caloris per ætates, citra senectam tamen, ex circumambiente nos aëre, in sua temperie conseruandi ratio. Humoris illa, longè alia. Qui in recèns natis quantuuis temperatæ conditionis plurimus semper est: sed ætati tamen illi conueniens. Moxque ætatū deinceps omnium successu, quousque vltimus claudatur vitæ dies, siccescente semper temperamento, minor minórque fit. Proinde siccum magis magisque semper aëra postulant, vt naturalis cunctis cōseruatus maneat humor, vnicuique suus. Neque enim idem cōgruit pueritiæ, & adolescentiæ, & iuuentuti humoris modus: quippe illis ritè semper maior, his minor cōuenit. vt, si maiorem concedere iuuenibus, quàm pueris velimus, in eo sanè nō satis rectè à nobis fiat. Et tamen pueri, quibus, præter alia, ex circunfuso aëre sua sibi conseruanda humiditas est, donec natiuum ætatis illius temperamentum non excedat; quum primùm id facere velle videbitur, vt excedat, retinendi statim in natura sua, vel contrariæ qualitatis oppositione erunt. Vt iuuenes quoque, qui tamen siccius cœlum exigunt, ac benè ferre valent, tantisper quidem, dum affine, eiusdem imò intensionis fuerit, ferent: sin calores sibi iustos superārit, ne de temperamento suo exeant, reuocandi cōfestim refrigerandi vi aliqua erunt. Quapropter pueri benè quidem ver tolerabunt etiam paulò humidius: at æstas prima eximet illos periculo, ne humiditate fortè nimia de temperamento labantur suo, deinde etiam in morbos sæpenumero. Iuuenes modicis caloribus ac siccitatibus, quantum temperamento suo competat, cōtenti erunt: nec, si futurum perpetuum temperamētum illud sit, aliud requirant. At liberat eos discrimine futuri fortè fortuna nimij eius, aliunde accersita frigiditas, & humidas aëris. Eáque ratione hyems commendabilis his fit, magis, ne siccescāt plùs iusto, quàm ne incalescant: quoniam calor ætate illa temperatus satis quoque sit; nec, quàm in pueritia, aut adolescentia, maior: at maior proculdubio siccitas, temperata licèt etiamnum, sed tamen, quàm præteritarum ętatum, maior. Et in sequuta æstatis siccitates autumni siccitas necessariam magis faciet futuram mox hyemem, demendæ, vel prohibendæ potiùs, siccitati corporum nimiæ iuuenilium.

Alioqui quodcunq; temperatis corporibus additum fuerit ex anni temporum varietate, aut caloris, aut frigoris, aut humoris, aut siccitatis: nec ferè eiusmodi erit, vt de statu illa deijciat suo, nisi maior aliqua causa subsit: & superuenientibus anni temporibus alijs emendari sæpe solet, tanquam non altè, neque validè ac penitus infixum, & κατὰ σχέσιν solùm, imò hoc etiam minùs, vt nō difficulter relicta qualitatum illarum vestigia per se sæpe abeant, & longè adhuc faciliùs, si quæ remanserint, insequentium temporum beneficio tollantur. Quem fecerit æstas calor, autumni atq; hyemis frigoribus tolletur: quam æstas & autumnus siccitatē, hyemis humor benè multus, ac veris insuper temperatus, auferet. Cuius rursus tēperato itidē calore, nempe veris, & æstatis magno, conceptum hyemis frigus, si quod fortè remanet, abibit. itemque de alijs. Eadem, recurrente enim in se anno, semper temporum vicissitudine ea, redit rebus temperamentum cuiq; suum.

Propiùs tamen periculo erunt, quæ temperamētum egressa sunt corpora. Quibus,

pro

pro cuiusque excessu, nocentissimum futurum sit, vel æstatis, vel hyemis, vel autumni etiã tempus, natura quodq; sua. Nam ver, suapte hoc quoque natura, ac temperamento, his ipsis, intemperatis dico, sicuti non quidem optimum, ita ne pessimum quidem habendum est: ex accidenti quamuis, vt in quo mala sæpe plurima antea cõtracta detegantur, non parum plerunque inferre nocumẽti & discriminis solitũ sit.

Quæ ob id à nobis hîc tradita fuêre, vt noxę ex circumambiente nos aëre ac nocumenta manifestarentur meliùs; & vt verissimum appareret esse, quod circunfertur, Tuendæ sanitati quæ conseruanda sunt, similibus semper conseruari. Si qua verò (quod obijcere aliquis possit) ingruũt cõtraria necessariò quandoque facienda, ea nec temperamentum statim immutant; & nec altè impressa eorum vestigia superueniens contrariorum aliorum ratio facilè dimouet, vt adhuc statum, naturamq; suam retinere dici possint corpora: tum verò, ne in deterius recidant, adhibentur sæpe contraria ea. Atque hoc ipsum nihil aliud quàm continere est in temperamento illa ipsa suo, propterea quòd id non, vt retrò abeant à temperamento suo dilapsa, fit; multóque minùs, vt vltra illud idem temperamentum egressa ferantur: verùm vt naturæ suæ limitibus contenta tantummodo maneãt, donec eò deuentum fuerit, vt, quoties faciendum id dictârit ratio, ac temporis commoditas tulerit, atque otij satis sit, immutatæ aliæ fiant intemperaturæ multæ: vel (vnde digressi cõtinuo non modò orationis, sed rationis etiã, vt opinor, filio quodam deducti huc peruenimus) senectutis principia sese ostendant. Quo tempore inclinata iam ætate, frigiditatisque ac siccitatis multum secũ multúmque subinde afferente, obuiàm necessariò eundum repressis qualitatibus valde nociuis illis, retróque, in quantum fieri poterit, inhibenda senectus, ne citò nimis progressa, futuræ aliâs longioris vitæ annos properata abrumpat, atque ante tempus exterminet nos de vita. Quod, quo faciendum modo ex ambiente esset, explicatum iam: nunc reliquis quoq; accõmodanda ratio.

Cur matutina Senibus frictio omnium commodissima habenda sit: ac qualis, quantaq; ea esse debeat.

CAPVT VI.

IN tantum autẽ circunfusi semper aëris qualitates, hac maximè ætate, habendæ præ oculis sunt, & cuiusmodi fuerint considerandę: vt, quoties fricandi venient senes, (iam enim de exercitatione quoque & frictionibus agamus) ne in frigidiore id fortè, vel calidiore aëre fiat, cauendum maximè esse admoneamur. Eo quòd iusto frigidiore densetur facilè, ac refrigeretur senum corpus, frigidum antea per se satis: calidiore rarescat nimis, & aut occursanti deinde frigori opportunũ maximè reddatur, si hyems, vel hyemalis fortè fortuna cõstitutio fuerit; aut exhalatio nimia inde succedat, viriumque vnà deiectio sequatur, si æstas, aut constitutio calidior. Itaque hyeme, quum nudabitur corpus ad fricandum, accendendus focus luculentior aliquis, quo cubiculi aer, quod satis futurum sit, incalescat: Aestate domicilium quęsiuisse paulò tepentis aeris abundè erit, nec valde difficile id. Est porrò frictio cùm alijs etiam temporis senibus non incommoda; tum verò matutina commodissima, expergefactis à somno, ac penè necessaria, longè, quàm in his qui ætate florent, secus. Ea enim quoniam duplici inprimis proposito peragitur, (fit autem cum pinguitudine aliqua) vel ad discutiendum lassitudinis alicuius affectum, antequàm febris causa sit, maior factus; vel ad imbecilliori fortè alimenti per corpus distributioni addendas vires: neutrius sæpe iuuenes ætateque florentes egebũt, nimirum nec semper lassitudinem sensuri; ac, sani modò fuerint, ea semper ætate virium satis distribuendo alimento allaturi. at egent semper senes. Iuuenum enim fortasse aliquis ex morbo interdum aliquo, vt fit, alimentum non sentiat, per corpus cessante ex parte distributione: senum nullus vnquam, ætatis propriæ vitio, non cùm imbecilla distribuendi facultate fuerit, tum etiam nutriendi non sanè valida. neque enim frigidum illorum corpus vel attrahere ad se alimentum, quod satis sit; vel attractum conficere, vnde nutritio iusta existat, commodè potest. Perpetuò igitur quũ hoc vitij ætati adsit, perpetuò frictione ea, sed matutina, habitura opus est. Qua excitato vitali robore, concalfactóque modicè, & expeditior distributio peragatur, & prôptior nutritio. Sic quidem visi sunt hac ratione iuuenes nõ pauci, aliqua priùs de causa emaciati, corpus iterum sumpsisse. Eritque hoc sicuti iuuenibus interdum vtile, ita senibus futurum semper non necessarium minùs quàm vtile, nisi alimento iusto suo destituti, fraudandi in eo fuerint.

Neque tamen, vt facile dictũ, ita factũ quoque eodem modo facile existimãdum hoc est, vt rectè præstetur, si manè fricandum cum pinguedine senem esse tantùm proposuerimus: verùm præter ambientis temperiem, qua diximus, intẽdendum cu-

riosè hîc quoque inprimis frictionũ tum qualitati, tum quantitati etiam est: ne, si durior iusto fuerit, lassitudinem addat nimis asperè tractatis partibus; si mollior, mollitudinem eam superficies quidem sentiat, ex profundo nõ satis trahatur alimenti in habitudinem, idem quod exigua omnino facit. Opposito modo multa, non solùm alimentum trahet, verùm etiam attractum per halitum digeret: vt ne sic quidem promoueamus quicquam. Seruãdum ergo medium diligenter, quo & vis attrahendi alimenti partium excitata attrahat fortiùs; neque attractum difletur tamen, sed maneat, & nutriat. Vis autẽ attractrix partium illa peculiari quidẽ dote quadam attrahit alimentum: veruntamẽ addito ex frictionibus calore, suscitatoque ita natiuo, vehementiùs attrahet, vt alia quędam solent, quibus attrahendi facultas inest, si fricentur. Id porrò in senum potissimùm corpore faciendum, vbi frigida cuncta, vt excitetur inquã calor, adducendo ad membra meliùs alimento; & excarne repleatur carne meliùs senũ ita corpus, & rugosum erugetur. Quod benè quidem quoque enutritis, quantum sperari in senibus potest, membris continget, vt rugas eo pacto perdant: nec parum tamen faciet adhibita inter fricãdum pinguitudo leniendæ ęquandæque cuti efficax, si, benè quod maturuerit, oleum fuerit, nec salis quicquã acceperit, ac nullam prętereà adstringendi facultatem retineat. Hocque in senili hac ętate pro exercitatione aliqua habendum esse conueniet, nempe perfrictionem ex oleo manè factam. Et sua tamen exercitia habebunt etiam senes, de quibus nũc agendum.

Necessaria esse docetur Senibus exercitatio semper aliqua. Et quousque procedere ea, qualisq́, esse debeat, inq́, eo considerandam maximè consuetudinem esse, ostenditur, de qua demendum semper sit aliquid. Balnei vsus quibus potißimùm senibus conueniat, cuius aquæ, quoties, quo tempore.

CAPVT VII.

VT frictionis matutinæ vsum nulli non esse senum perquàm cõmodum diximus: idem de exercitationibus dicere non abs re licebit. Etenim vt frictio his alendo rectè eorum corpori non solùm commoda, sed etiam (si quidem iusti alimenti sentire vsum debeant) necessaria futura est: ita excitando calori exercitatio, qualiscunque tandem, perituro profectò, citóque extinguendo, nisi ea ætate, qua maximè restinctum iri periclitatur, quoquo modo commotior factus, ac veluti ventilatus suscitetur. Et iuuenum quidem multi, vt quos aliquando Hippocrates ἐλινύειν oportere dicebat, etiam si exercitatione nulla vtantur, degere tamen sani etiamnum & incolumes, suamque tueri valetudinem, queant. quod senum nullus omnino quit. Quorum exiguus calor, nisi aliqua tandem motus alicuius ratione ne extinguatur fiat, extinguetur quãprimùm penitus: Iuuenum multorum magnus antea per se, ac validus, non est necesse. vt flãmam maiorem aliquam quotidie experimur ipsam seipsam alere, & in materia, cui incumbit, vigere: exiguam contrà minui, ac minimo minus extingui, nisi aurula aliqua refocillata subinde ventiletur.

Neque tamen magnũ exercitium vllum exposcent senes, deambulationibus sæpe, & gestationibus cõtenti, sed quas nulla lassitudo insequatur. In quo ducenda semper coniectura rerum harum ex senis, qui in manibus tunc erit, viribus, hanc, an illam potiùs ferre exercitationẽ valeat: tum cuius eæ modi admittẽdæ. nam & equo gestari, & lectica possit; & nauigatio, gestatio quædam est, meliùs tamen vectioni applicanda, vt & curru si vehatur aliquis.

In vniuersum illud considerandum, quum de exercitio, quod profuturum, aut obfuturum senibus sit, proposita deliberatio fuerit: vt, quomodo toto corpore affectus sit, quẽ exerceri voluerimus, inquiramus primò: tum, qui mos illi exercendi se fuerit in anteacta vita: postremò, quibus infestari vitijs ille solitus sit. Quãquam postremum hoc, in proposito nobis sene, sicuti planè ne primum illud quidẽ, multum sibi vendicare loci possit: atque eatenus tantummodo, quatenus vno ætatis vitio laborat, cætera benè compositus, conformatusque, adeoque benè etiã, omni ex parte attemperatus sit, oportet, quem ad senectam per ętates omnes eiusdem semper constitutionis ac status deduximus: vt neque gracilibus, crassis've nimiùm, aut valgis, varisque cruribus; aut angusto, latóve nimis pectore; aut mala aliàs partium conformatione futurus is sit, senex quanuis, ac proptereà hoc illóve magis exercitationis genere vti necessum illi sit: ac longè minùs vitiosa partium aliquarum temperatura culpandus, longóque alicui, ac diuturno illarum malo obnoxius, vt ob id, si in superioribus corporis partibus fuerit malum, inferiores; si in inferioribus, superiores exercere magis habeat. Cæterùm in correctione prauarum Cõstitutionum meliùs de his.

Hic ergo nullum seni huiusmodi positum

tum erit in his discrimen, vt se exerceat, id vnum si adhibuerit, mediocritatem. Qui nanque iuuenis, quibusque corporis membris ferre vehementissimos motus potuit: senex idem, ijsdemque, non nisi mediocres poterit. Illud attendendū inprimis, mos, ac consuetudo: vt eodem exercendi se genere, quo vsus antea fuit, vtatur adhuc senex factus: quando hoc ille pacto, vt etiam paulò se in eo commoueat magis, minus tamen semper lassitudinis ac noxæ sensurus sit. ne non verum habendum esse Hippocraticū illud comprobemus, quo dicitur, Assuetos laboribus aliquos, etiam si imbecilles & senes fuerint, inassuetis fortibus ac iuuenibus, eos ferre faciliùs solere. οἱ εἰθισμένοι, inquit, (Aphoris. ij.) τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσι ἀσθενέες, ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶντε καὶ νέων ῥᾶον φέρουσι. Coniunctim hoc, fortibus ac iuuenibus: illud disiunctim, imbecilles, aut senes. vt, vtrumuis fuerint, natura'ne, sponteque sua imbecilles, sed iuuenes; an verò senes, quos esse ipsos quoque ab ætate imbecilles oporteat, fortibus simul ac iuuenibus alijs, sed qui tamē laboribus non assueuerint antea, labores quoscunque, minùs difficilè, minùs & nocuè laturos existimemus assuetos priùs. tantam enim habendam esse assuetudinis vim.

Atque idcirco, quo faciliùs hi deinde in senectute tolerentur labores, assuescēdum antea esse, nam senibus iam factis non licere. Quos par sit imbecilliores corporis partes quieti tum permittere debere, ac validiori firmaque magis se ex parte exercere, assueta nimirum id facere. Atque cum hac vnà imbecillior quoque pars, secundariò licèt, exercebitur tamen: vt qui se cursu exercent, si cursibus assueuerint, (quod pedum inprimis officium est, & labor) necessariò manus, brachia, ac reliquum corpus exercendo totum circunferunt. Simul accedens voluptas quædam (vnusquisque enim maiori cum hilaritate, ac nescio quo pacto alacriùs, consuetum semper sibi exercitium aggreditur) laborem minuit, vt & faciliùs feratur, multóque minus inde molestiæ accedat. Contrà autem fit, vt, ad insueta, quod inuitis ferè accidit, si quis trahatur, & pereat statim alacritas illa, vnáque lassitudinis sæpe aliquid incurratur. Seni ergo, (cuiusmodi tractandum hoc loco senem habemus, ætatis tantùm imbecillitate affectum, cætera benè constitutum, conformatumque non minùs probè à natura quàm attemperatum) qui æqualiter corporis partes omnes exercuerit antè, suo illius ipsius arbitrio permittemus vt hoc quoque tempore se exerceat. Sin vni magis alicui, quàm alteri, exercendæ assueuerit: hanc tunc quoque potissimùm, atque ante alia, vt commoueat, admonebimus, nihil hic veriti vel peculiarem partis alicuius affectum in sene quidem hoc, aut malam aliquam conformationem, (quarum rerum gratia aliam alij præferendam in exercendo corporis partem habeamus) atque vnius tantùm senij respectu vsitatis, consuetisque priùs, standum esse exercitationibus existimantes. Quas easdem quidem obeundas sibi esse velit, sed modicas, & mediocres semper. Nam vt nouis se & insolitis consuefaciat senex aliquis, consilium non erit. Quorsum enim? aut, quo demum vt tempore insequuto vtilitatis aliquid ad sanitatis tuitionem reportet? Proinde conscendere accliuia, aut in procliue decurrere, aut inæqualia loca pertransire, aut saltus peragrare, non antea venationibus assuetum, non cogemus senem: suæ illum solitæ fortè deambulationi, aut gestationi alicui, aut cuiusuis modi labori pro more semper suo relinquemus. Qui si ex mediocribus iam antea fuerint, non valde demendum de his. ferre enim eos senex quoque poterit perquàm facilè, quos iuuenis tulerit, paululùm modò infra consuetam mediocritatem illam si ineantur. Sin ex vehementioribus esse contigerit, reuocandus id ætatis ad mediocritatem semper labor, vt tolerare ætas possit citra lassitudinis, aut molestiæ vllius sensum, natura iam sua debilis, atque infirma valetudine, dubiáque, ac κατὰ σχέσιν, vt ex non magno quoque errato paratus sit illi lapsus in ægritudinem, facilisque, cui proxima semper est. non quemadmodum iuuentuti constitutionis naturæque optimæ, quam non facile deturbari de statu, & conditione sua sit, ab incursantibus vndique sæpe extrinsecus causis, multis licèt, magnisque: ac maxima quandoque in ea errata minimis quibusdam noxis finita terminentur, propter quæ necessariò in morbos deciderent senes, & vitæ discrimen subirent, ac morte ipsa sæpenumero luerent.

Quamobrem, vt vitentur semper hæc, & causa omnis peccandi tollatur, moderabimur laboribus vbique senilibus, assuetis quanuis antea, vt citra lassitudinis, affectionisve alterius vllius sensum subsistere iubeamus: & vt, siue palæstræ priùs, seu luctæ, seu cursui assueuerint, nunc de omnibus remittant, minùs & vehementer, & frequenter illis ipsis vsi: aut in aliud exercitationis genus conuertant, tardioris ac vehementis minùs, vt pro lucta, aut pugna, manuum circuniactatio inanis quædam fit, & in auras corporis commotio sine colluctatore; pro cursu, iusta deambulatio, aut progressus minimè incitatus;

quique magna conficere viarum spatia soliti fuerint, in breuius contrahant ea, citiusque absoluant. Hic eorum quoque vsus quandoque veniet, quæ pro opere habentur quodam, & trahere tamen ad exercendi se vtilitatem nō incommodam possumus, si alijs destituamur: vt succedere in grauioris priùs exercitationis locum operis aliquid rustici, vel domestici etiam interdū queat, si opportunè fiat. Quæ multa occurrere solent, ad fallendum insuper tempus non minùs idonea aliqua; plura operi alicui faciundo vtilia, simul & commodæ ætati illi exercitationis vicem præstitura: vt si serram fortè (nam hæc exempli tantùm loco afferuntur, tenuia quidem: sed exercitatio hac inprimis ętate rectè inita magna res est.) ducat quis, aut ligna placidè scindat, palæstrita antea, aut pugil; aut cursor, viatorque maximus, loca domus perreptet omnia, seque ascensu & descensu scalaru m, (si nō aliud) quoad senili ætati liceat, exercuerit. Præsertim nondum tertiam atque vltimam Senij partem ingressus. Id enim in memoriam reuocandum semper, tametsi non dicatur semper: Quibus senio interdicitur rebus, quo maiores facti in eo progressus fuerint, magis semper magisque interdictum existimari oportere. vt, quoniam viridi etiamnum senectuti grauioribus ac vehementioribus exercitationibus interdiximus, & modicas tantùm adhibendas esse cōsuluimus; longè adhuc magis senio idem, medium quod vocant, consultum fore putemus, donec in tertia iam Senij parte constitutis, multo etiam mediocritatem infra motus tantummodo quosdam concedemus, quibus excitatus paulùm foueatur non magnus ætatis illius, non autem dissipatus restingui periclitetur, calor.

Quam etiam ob rem, viriumque inprimis imbecillitatem, paulatim cessandum à balnei vsu, vt non tam creber sit, postremæ huic ætati esse iubebimus. Quod prioribus nihilominus illis conceditur, tanquam commodum inprimis atque vtile, Homeriq; adeò testimonio ipsius comprobatum, Senibus, postquàm lauerint, atque ederint, molliter vt dormientes cubent, præcipientis.

Esse autem oportere in senibus, quibuscunque senibus balneum conducet, aquæ id dulcis, minimè dubitandū. Calore quippe atque humore hoc mitigandæ meliùs frigiditati ac siccitati senū natiuæ conducibile. Simul vt serosi humoris partes, quo maximè abundant senes, lauationis huius ope dissipatæ per halitum absumantur.

Vnde, præter virium debilitatem, natiuique tunc caloris exiguitatem, id quoque causæ accesserit nō parum vt minùs frequentandum balnei vsum vltima Senij in parte esse velimus, quòd, quum longè minus mordacium excremētorum colligat ætas ea ob habitus totius frigiditatem, minùs quoque futurus illi necessarius assiduus lauationis eius vsus sit, per quam per halitum digerantur. vt intereà tamen serosis magis superfluitatibus paratus exitus sit.

Cæterùm lauandi tempestiuitas, postquàm motus suos ediderint senes ætati illi congruentes, quos diximus, antequàm cibentur, erit. Idque in assuetis priùs ita facere, vel quotidie factum non inconueniet, crudo adhuc viridique in senio: sicuti in extremo, bis mense, si hyems fuerit, lauisse sufficiet; si æstas, etiam quater si lauerit, nihil mali. nō enim nullum tunc, extremo nempe in senio, fore balnei vsum, sed nec continuum, nec quotidianū intelligi volumus. Medio autem medijs temporibus agendum hac in re modo, quod erit, si ter tunc lauētur, plùs minùs semper, vt & ferre vires posse videbuntur, & consuetudo faciendum esse docuerit.

Quàm, Senibus præsertim, necessaria cibi potusq́, rectè capiendi obseruatio futura sit. Quantitas horum quæ illis ipsis competat. Atque vt imminuisse semper hanc, ac partiri oporteat. Et quo id faciendum modo.

CAP. VIII.

ANteuertit cibandorum rectè atque ex ordine senum consideratio vna, reliquas, quæ ad illorum diætam, quæ victus toti⁹ ratio est, pertinent, propè omnes. Non quòd eæ quoque, in negotio hoc Gerocomico, defendendæ retinendæque sanitatis partes non & egregiè quidem tueantur suas semper, & vsus maximos euidentesque præstent, si ritè obseruentur, tractenturque. præstant enim certè, & vtiles commodasque omnes haud dubiè experietur, qui diligentem in eo nauauerit operam, vt in tempore accersantur omnia, fiantque, nec aberretur quicquam in his. Verùm nescio quo pacto, quin certò dicam potiùs credere atq; arbitrari possumus, sicuti in alijs multis, ita hîc quoque euenisse, negligentia vt quadam & socordia, ac supina nimis, quum segniter prorsus faciendum aliquid aggredimur, oscitantia, plurimorum perierit nobis vsus vtilium inprimis futurorum vitæ humanæ; & interciderint ea, quorum veteribus ratio, & cum ratione vtilitas, omnium constabat. Quotus enim quisque hoc tempore, vt alia omittantur multa, tam commo dum

modum perfricandorum rectè seniliũ corporum modum tenet, aut rationem inire rectam aliquam curat? quotusquisq; exercendorũ, lauandorumque? Aut, vt omnia hæc sint, quis non vel faciẽdorum segnitie quadã tractus torpet statim? ac mox, quod minimè faciendũ esse consulo, tędio etiam victus desistit? Cibi capiendi vsus, ac necessitas semper ingens, hac maximè ętate, & insita nobis, nihil horum admittit, & obliuisci sui non patitur: sępe etiam ad faciendum cogit, non nescientes, nisi ita fiat, sustentari aliter corpora nõ posse, vt dierum multorum extrahere absq; hoc tempus cuiquam liceat, nedũ seni cibarij fomenti magis semper, minoriq; temporis vbiq; mora, indigo: quum interim esse sanis senibus ad tempus saltem aliquod liceat nulla nec fricatione, nec lauatione vsis; quãuis horum non minùs contemptus nocumẽtum sine dubio inferat, sed paulò seriùs, nec tã apertum. Quod in cibi potusq; ratione manifestum nimis intra breuissimi quoq; temporis sæpe spatia sese ostendit: vt non aduocâsse perpetuò duo ista ad alendi sustinendiq; corporis auxiliũ nemini vni futurum vnquam fas sit, in eo modò si studium applicetur & cura, vt tempestiuè, quanta debent, & qualia, quóve competat ordine, administrentur duo hæc. Et aëris quidem quoque inspiratione hauriendi necessitas non minor, multo imò maior, singulisque horarum omnium momentis incumbens omnibus necessitas: verùm differentię nec tam multæ, quas maiori aliqua cogitatione expendisse oporteat; nec tam inuentu aut acquisitu difficiles, vt non obuiæ nobis sępe habeantur ad manus, si non natura suapte, at arte saltem aliqua quæsitæ.

Ciborũ potionumq; longè alius modus hac ætate, vt neq; ea iam quæ priùs quantitas, nec seruanda qualitas sit: totq; non temerè rerum harum prætereunda discrimina, quę magnopere inanimaduersa obsint. Variandum tempus, mutandus ex parte ordo, alia facienda multa, nec sanè parui omnia ad sustentandas, tam imbecillis semper ætatis, tam fluxas, noxisq; obuijs omnibus, & quidem minimis sæpe, quibusq; opportunas, vires momenti.

Partiri primùm iubemur cibi quantitatem priorem meritissimò: nec partiri tantùm, sed etiam minorem totam facere. Defecta enim virium facultatumque suarum omnium parte ætas nec cõficere, quantum priùs cibi poterat, potest nunc: sed nec necessariũ planè id, vt conficiatur. neq; enim aut subministrandæ, vt inter adolescentiæ annos, corporũ incremento alimoniæ maiori; neque, vt in iuuenta, & consistenti ætate, alẽdo, vt validę semper actiones edantur, virium robori. Quas nõ necessariò obeundas habẽt senes, minimè iam negotiosi, quasiq; actionum omnium, maiorum quidem, & quibus tractãdis, versandisq; multum adesse corporearum virium opus sit, rude donati: minoribus autem sufficere minori quoq; corporis alimento valeant.

Atq; hæc minuendi hac ætate cibi ratio: illa diuidendi, meliùs vt etiamnum, quod detractum cibo fuerit, cõfici diuisum possit, si factum id per vices quasdã fuerit, ne congestum semel nimis prægrauet ventriculum; & incommoda sequantur ex victa, nimioq; ciborum onere superata, ac interdum etiam corrupta, ventriculi cõcoctione expectanda.

Attamẽ prima Senectutis tempora, præsertim validę, ferre adhuc haud incommodè pristinum cibãdi morem possint, quod quidẽ ad partes cibi faciẽdas attinet, quum tamen intereà demendũ de quãtitate semper sit vel primum senectæ limen ingressis statim: quod vel in duas tantùm, vt priùs, portiones partitum capiatur alimentum, si primum adhuc, vt diximus, seniũ maneat, aut secundi etiam bona pars abierit in valido, vt nostrum hũc esse volumus, sene: vel collabentibus iam manifestiùs viribus, tres ex eodem partes faciamus, inæquales. Quarum minores duæ præeãt; maior tertia, sed non duabus coniunctis, & vtraque tamen disiuncta maior, cœnandi tempori postposita reseruetur. Ex minoribus aute duabus prior, quam alterius esse paulò infra quantitatem conueniet, ac tantam vt concoqui intra trium circiter horarum, eoque minus etiam spatium possit, benè manè citoq; absoluatur: cui altera prãdij iusti iam, si cum priore ineatur ratio, loco ac tempore succedat: iustisque demum temporũ interuallis vespera sequatur cœna, iam pro ratione sua hac quoq; ætate maior futura rectè, & prandio, quod illam præcessit, per se; itemq; per se eo, quod capi omniũ primum debere diximus à senibus, ientaculo. duo quanuis hæc coniuncta portionibus suis superare, æquare certè, cœnę portionẽ possint. nõ iniuria. Redeuntibus enim hîc ijsdem, quæ idem alijs quoq; ætatibus faciendum esse persuadebãt, rationibus, vt esse cœna prandio abundantior deberet, facimus sanè quod monuerit ratio: rursusq; alia ex parte (hoc tamen ipso semper seruato) eiusdẽ illius rationis monitu, detracta in vniuersum ætati paulò iam magis inualidæ alimenti totius parte, factisque hanc ipsam ob causam (nempe viriũ in ea debilitatem) tribus ex toto partibus, vt distributum ita ferre, ac concoquere meliùs possit, minus laboris ventriculo conficiendæ minori iam tam cœnæ, quàm prandio relin-

quemus: & ratam tamen adhuc partẽ suam retinebit vtrunque.

Qualitas ciborum Senibus cõgruens narratur, & sumendorum ordo. Ac quàm quibusq; de causis fugiendæ in Senibus partium quarumcunque obstructiones sint. Quas fortè factas, aut mox ne fiant suspectas, quibus amouisse, vel anteuertisse conueniat medicamentis, traditur.

CAP. IX.



QVin vt, quoniã capiendi cibi tẽpora, & quantitatem exhibuimus, qualitatẽ etiã, atq; ordinẽ exhibeamus; maioris operæ in conficiendo ad cœnæ semper tempus differenda esse iubebimus obsonia. Nam panem tempora omnia accipere poterũt, manè cum melle, (vt veteres quidã solebant) ex laudatissimis aliquo, aut colymbadibus oliuis. Alij elixũ aqua chondrum prætulêre, admixto melle: atq; alijs aliud placuit magis: simplicioris tamen cuncta opsonij vt essent. Nos dulciarij operis plurima habemus ex saccharo, quę verti cõmodè tunc in vsum hunc possent, itemq; ex melle: sed ex saccharo inprimis plurimorum generum placentas, Martianũ panem, & ex pineis nuculis cum saccharo bolos, & huiusmodi.

Pani in prandio accedent pisces ex saxatilibus, pelagijs've cõmendatiores: vel mediterraneis senibus fluuiatiles non pauci minutiores illi ex optimo genere, quos diligẽter cõmemorauimus in tractatu de his, perquàm & concoctu faciles futuros senibus, & permeabilis per omnia alimenti, & ingenitum ætati illi ex siccitate squalorem attemperaturos humiditate sua. nam frigiditas multorum aliorum additione emendabitur facilè, sicuti & futuræ obstructionis alicuius suspicio tolletur eorũdem, vt mox dicemus, vsu. Neq; tamen non & auicularum aliquarum, & cortalium auium, cõmodus tunc futurus vsus sit, modicus si fuerit. Quæ pro rata tamen parte sua semper si accipiantur, cõuenient quoque cœnæ non minùs.

In omnibus diligenter obseruandũ, vt emollitura aluum quædam præsumantur: olera fortè hoc ipsum pręstantia, vt beta & malua sunt; & tempore suo decerptæ ficus ex arbore, donec recẽtes fuerint, ac pruna. Reliquo caricæ, ouorumque inprimis vsus sorbilium, ac tremulorum: taliaque, vnde expectari cõmoditas hæc queat, si cui ætati alij, senili inprimis, atq; ante omnia vtilis, ac necessaria, propter summã ætate ea, sicuti habitus totius, ita intestinorũ etiam ariditatem, ac propè squalorem: vt remissura fæces non facilè sint siccatas, nisi humiditatis alicuius adminiculo adiuta veluti innitentur ad id. Præcipienda ergo huiusmodi aliqua, quibus lenita senum respondeat muneri suo aluus. Simul & corrũpi faciliora præponenda semper erunt in assumẽdo, vt pisces auibus, si vtrunq; eadem in mensa sumpsisse cõueniet: sequiq; hæc, (corruptibilia dico, & putrescibilia) lenientia statim illa debebũt. is nanq; hîc quoque retinẽdus præ omnibus cibandi ordo, quo faciliùs noceri ab his debiliori iam ætati, si negligantur, consueuit.

Illud in vniuersum, & assiduè monendum, ne quid ætas ea, quod non aut boni probatiq; succi, aut cõcoctu facile satis sit, aut non excrementis multis vacet, miniméque hæsurũ in visceribus, paulóque angustioribus illorum venulis, alimentum afferat, sumendum temerè sibi putet; non potente calore, minimè quidẽ tum robusto, cibum glutino suo, aut duritie ac crassitie, interdum etiam omnibus his, incõmodum nec conficere satis, nec attenuare, nec pertranseundis corporis intus vijs ac meatibus omnibus expeditũ reddere; illis ipsis iam conniuentibus in se præ frigiditate, & concidentibus vijs, vtpote quas nõ iam vlteriùs magnus, vt antea, calor sufflãs extendat. Sic quidem, vt ab ciborum frequentiore vsu, in quibus infarciendorum meatuũ suspicionis aliquid inerit, senibus abstinendum omnino esse cõsulamus. Quod genus habetur chondrus per se. nam quòd chondrũ proximè diximus sumi innoxiè posse manè ab his: iurulentũ intelleximus, liquidumque, & cum melle. Sed neq; ex hoc ipso chondro qui paratur tragus conueniet, nisi aceto, vel tali aliquo addito: multóque minùs, durata ex coctura quauis oua, aut caseus, aut cochleæ, aut ostrea, aut brassica, aut lens, aut bubula, suillá've caro: nec ceruorum, nec caprarum cõmoda, quæ ne ætatibus quidẽ melioribus alijs ex vsu satis sunt: nec agnorũ, aut ouiũ, propter nimiã, pituitosamque, illorũ humiditatem, cum mucositate & glutino cõiunctam; harum verò, præter hæc, etiã insignẽ plerunq; succi malitiam, qua febribus corripi interdum quidam, & intestinorum difficultate soliti sint. Veruecũ melior, & hœdorũ. Has cõmẽdare in senibus possimus, sicuti & vitulos, & auiũ genera, quæ neq; ex paludibus, nec stagnis, aut fluminibus victũ capiunt. Sanè, præter paulò antè relatos marinos saxatiles, ac pelagios, & fluuiales, paucos optimi generis quosdã, longè ablegabimus pisces alios cetaceos, cartilagineosq; omnes, & testaceos: lõgiùs etiamnũ anguillas. Breuiter, quorum aut aquatilium, aut terrestrium, aut auium, aut quicquid tandem edule sit, dura, crassa, glutinosa, tenax re-

perta

perta substãtia fuerit: horum ne esto vnquam creber, aut nimius etiam semel, senibus esus: ac, si fuerit, occurrendum statim noxæ esse scito, certò (nisi occurratur) futuræ, vel fortè etiam tum incipienti.

Paratum habebitur ad id Diacalaminthes commodè medicamẽtum, aut Diatrionpipereon: alterum, quo primarum venarum, corporisq; regionis eius; alterum, quo etiam aliarum, corporisque totius obstructiones tollantur. Theriacen quoq; senibus tunc exhibuisse non inconueniet: tanto magis, si præcesserint illa. Sed hæc tamen extra cibationis tẽpus. Illud vel cum cibis sumi ipsis poterit, si piper quis albũ, & in pollinem contusum cibis immisceat, edatque, aut potionibus inspersum bibat. Cepas item, eodemque modo & allium, si quis non abhorreat, ad eundem adhibere vsum cum cibis vnà reliquis licebit, vitandæ, amouendæque obstructioni, ex suspecto ciborum, qualiũ diximus, vsu timẽdæ.

Quid causæ sit, cur salita Senibus cõcedãtur. Et quàm cautè tamen in eo agendum. Falsò existimatũ à veteribus, Senibus sicca conuenire: qui contrà calorificis potiùs, atq; humefaciẽtibus egeãt, cibo, potu, balneo, somno, temperato motu. Vitandæ pituitæ in Senibus, ex cibis quæ metuitur, ratio.

CAPVT X.

Salita ideo præferre visi sunt multi, in quibus, sicuti opinari licet, ob attenuatoriam vim salis, disiectamque ex eo salitarum rerum lentitiem simul & crassitiem, nec periculum immineret infarciendi magnopere vllum; &, si quod esset, ob coniunctam cum alendi vnà facultate deobstruendi quoque, facilè eo liberaremur. Quod verum est. Sed horum frequentem nimis vsum aliud rursus nõ minus sequetur incommodum, resiccãdi nimiùm senilis habitus, cuius vbiq; magnam nobis habendam esse rationẽ monemur, ne quid tale cõtingat; néve natiua senilis habitudinis siccitas prauo insuper resiccantium vsu augeatur: contráque, vt humescat potiùs, prouidendum semper.

Nisi fortè (quod falsò ex veteribus quidã opinati sunt) nos quoque plurimis assiduè pituitosi humoris excrementis, quorũ magna sanè in senũ corporibus affluentia est, & visitur, decepti opinemur, benè humidos hoc argumẽto habendos esse senes: eoq; magnũ fore rerũ, quibus sicciores reddantur, vsum credamus, per totam victus rationem ad plenum, nõ salitarum modò, cuiuscunq; generis, carniũ, sed salsamẽtorum in vniuersum cunctorũ, frugum, leguminum, olerum, fructuum, quæ siccantis haberi possint facultatis, omnium.

Verũtamen nos hoc loco pro certissimis alibi rationibus demõstrato accipiẽtes, Solidas senilis corporis partes, multis licèt circùm pituitę superfluitatibus redũdent, siccitate tamẽ maiore affectas haberi oẽs: (nam frigidas prætereà esse, id verò in confesso apud omnes est) retinendę senũ incolumitati, & ne in siccitatẽ nimiã nimisq; citò ꝓlabatur inhibendę, facultatibus semper suis humidorum cõmodum inprimis necessariumq; fore vsum arbitrabimur, eorundẽ tamen calorifica quoq; vi præditorum.

Quod inanimaduersum veteribus, quos dixi, in errorẽ illos nõ minùs adduxit. Nam quũ humidorũ vsu, sed quibus refrigerãdi prætereà vis inesset, multũ viderẽt pituitæ in vẽtriculo, venisq; primis gigni: qui nullã frigiditatis eorũ rationẽ ducerẽt, arbitrati sunt totũ ex humiditate tantùm fieri, ideoq; cõmendatiora, quæ resiccarẽt, ducẽda esse hoc in negotio cẽsuerunt. Nimis profectò falsò: quãdo neq; oleũ pituitã gignit, quãuis humidũ, quoniã calorificũ prætereà est attemperatè: neq; dulcis aquæ calida lauatio, nec vini potꝰ ritè diluti, nec quicquid tandẽ humectas reddere solidas senũ partes cum calore aliquo cõsueuerit. Quę planè omnia senibus prosunt humefaciẽdi inprimis viribus, attẽperatique vnà caloris ratione. Nõ secus ac somno iuuari eosdem quoque videmus, humiditatis benignioris cuiusdã per totũ sparsæ beneficio, motuq; prætereà tẽperato, quo caloris ratione hac excitati addatur corporibus aliquid.

Nos verò perpetuò premendum nobis propositum illud sumemus, in senili hoc negotio, vt humectante semper & calorifica victus ratione omni vtamur: sintque cuncta futura eiusmodi, inquantum fieri poterit. Et erit magnus rerum huiusmodi multarum paratus inquirere volenti ex superioribus delectus, alimentorumque vberior passim copia talium. Quæ si quandoque defuerit, at petendum auxilium ex commixtione, & quærendum temperamentum ab alijs erit, vt calorem aliquo pacto alimento conciliemus, si fortè is desit: quoniam minor vbique humoris penuria in re cibaria, & associata humori frigiditas pituitam maximè creet. Mellis igitur aliquid admiscebimus frigidioribus, & humidioribus cibis, tam absumendæ pituitæ idonei, & senibus egregiè quod confert; aut benè saccharata cibaria apponemus; & aromate multo, si opus esse videbitur, condiemus, piperis præsertim minutiùs contusi polline, aut diffracti etiam frustulis, & crassiusculis particulis, si venarum primarum, ventriculi've timebitur pituita.

Rerum in disijcienda ciborum glutinositate, ac crassitie, vsus multarum. Chondrus quo accipi significato hic debeat. Panis Senibus maximè conueniens dictus, & inconueniens notatus. Additum, liquidioris demum cibi, & sorbitionum futurum Senibus ad extremum, necessarium quandoque vsum.

CAPVT XI.



AD quę propè modum, quum obstructionis partium earundem alicuius incidet suspicio, ex vsu necessario interdum, nonnunquam etiam inconsiderato, rerum quæ facere id soleant, cùm his iam relatis commodè, tum non minùs vtiliter disijciendę glutinositati, & crassitiei, ex quibus obstructionum suspicio, aceto vtemur: hocque ipsum acetum referentibus alijs, vt expresso Citrij, aut Aurantij, Limonij'ue mali succo; aut (quod veteribus vsitatum in chondri præparatione legimus) præter mel, & acetum, œnomelite, nempe mulso, vini nimirum & mellis compositione, vel vino etiam solo, quale Falernum esset, addito. Sit autem positum in chondro alimentosi quidem, sed viscidi inprimis, ac glutinosi cibi exemplum.

Chondrum nobis his locis accipiendum esse visum exactiùs considerantibus fuit, non alicam, quæ ex zea fit: sed adoreum tritici genus, quod sic vocant, quoddam, ex quo far adoreũ exit pinsito. vtriq; esse etiam nomẽ tragus potest, quanquam & zeæ tragus alicubi (De rati. vic. acu. cõ. j.) Galeno sit: idque vt sua his maneat vox, alica pinsitæ zeæ relinquatur, minùs viscidæ. Nam adoreum, & far adoreum, quasi quæ paulò magis viscidiora haberentur, sic non semel ex melle præparari solitum fuisse legimus, vino, aceto, melle vinoque simul, hoc est, mulso. quod neque in alica ex zea opus futurum esse credam, neque verò in ptisana ex hordeo, cui parũ sępe piperis pollinis iniectũ satis sit, magis mehercle vt caloris inde aliquid accipiat, quàm vt glutinum, quod nullum, vel innoxium certè (sic quidem tradente nobis Hippocrate) obtinet, abijciat. Quod igitur in chondro fit, vt lentities auferatur: idem in alijs omnibus faciendum, quorum crassities, aut visciditas, aut coniuncta simul vtraque inuẽta fuerint, quam fortasse glutinositatem appelles. Quod postquàm præstiterimus, & obstructionum suspicionem resiccantium fortè inter alia nimiùm, vel nimio etiam vsu dimouerimus, vt salsamenta, salitaque omnia, & aromata multa sunt: recurrendum confestim ad humectandi rationes omnes fuerit. Idque eadem etiam die faciendum, nec differendum quicquam, quin, quibus humefaciendi vis aliqua insit, (quæ multa sunt) vel cum reficcantibus illis vnà, vel paulò pòst per se, adhibeantur.

Et præstat quidem (nisi aliter agendum esse docuerit ratio aliqua) humorum crassitiem simul ac lentitiem incidentibus, beneque dissecantibus attenuâsse, & abstergentibus detersisse, sed attemperatis, quàm nimio plùs siccantibus, ne humidorum vicissim ope indigeamus. At lõgè etiamnum præstabilius fuerit, calorificis perpetuò atque humidis, sed nulla nec crassitie, nec lentore, nec, in qua coniunctus cum crassitie lentor appareat, glutinositate, qui κολλώδης succus est, prędicis, vsos, eandem semper alendorum commodè, atque vtiliter, ac conuenienter inprimis senum rationem tenuisse; nec extenuantium vnquam, aut siccantium auxilio opus habuisse. Quod non perinde futurum arduum sit, in tanta alimentorum eiusmodi passim propè affluentia quadam, atque ex omni genere copia: frugum, olerum, fructuum, animalium, partim dictorum iam, partim ex superiori, operis totius Tractatui huic dicata in parte traditis, petendorum.

Inter quæ panis ante omnia, qui futurus Senibus commodus sit, ritè rectèque parandi conficiendique habenda ratio: vt & salis multum & fermenti retineat, & exquisitam subactionem coctur amque sortiatur. nisi eiusmodi fuerit, succum haud dubiè generaturus crassum, viscidumque, vnde iecori, lienique, ac renibus paratæ obstructiones, præsertim quibus angustiores natura venarum in visceribus meatus fuerint. Itaque, eandemque ob causam, neque purior aliquis, neque similagineus, cui nõ furfurosi aliquid omnino relictũ fuerit, tãtopere licèt in alijs laudatus, senibus cõmendabilis admodũ erit panis: neque ex similagine bellaria, eque eadẽ illa placentę, quæ butyrũ etiã accipiunt, vt hodie quoq; parari apud multos solere scimus. Quę, nisi mellis prætereà satis, aut sacchari, accipiat: praui omnia succi fiũt, cõcoctuq; difficilia euadunt, ac viscera obstruũt: nec ferè non solùm senibus, sed ætatibus alijs omnibus, nocentius reperias edule hoc genere aliud vllũ. Quãuis intereà, tanquam quæ valẽter inprimis nutriãt, tũ hęc, tũ eiusdẽ generis alia quædã, multis alijs futura accommoda sint, vtiliter alendis, validis itidẽ ac robustis: at senibus incommoda, nec vllius vnquam vsus, imbecillibus iam, & quibus abundè futurum sit, si faciliora etiam concoctu quædam conficere valeant, minùs licèt, neque tam fortè diuturnè nutri-

nutritura, sed pro senilis corpusculi alimonia satis.

Id quod procedente magis semper magisque senio verius indies esse reperietur, donec ad id tandem deueniatur, vt iusculis magna ex parte, dilutoq; ex iusculis pane, ac sorbitiunculis, concisaque minutim ac contusa, & in ius soluta elixa ante, assatáve optimi generis alicuius carne, opus habituri sint, ad se alendum multi: semiconcoctis antea penè ac semiconfectis ita omnibus, minimúmque negotij in concoquendo exhibituris ventriculo. quippe quæ magno aliquo labore contriuisse necessum futurum illi non sit, si modò attritione concoctionem eam perfici opinati fuerimus, vt Galenum scripsisse aliquando (De placi. Hippo. & Plat. vj.) memini de succosis, id genus, cibus. Quod non facimus, neq; Galenum in ea tum fuisse sententia credimus, cui tam reclamet (De poten. nat. iij.) alibi. Sed hoc volumus: siue attritu, vt Erasistratus opinari visus est; siue, vt Hippocrates, & Hippocratē sequuti omnes, ingeniti nobis caloris facultate ac viribus concoctio peragatur, vt quidem peragitur: idonea magis, paratioraque futura esse, & confici à calore faciliora, in liquorem succosumque cremorem dissoluta, ac diluta quæcunque.

Lactis vsu quàm commodè extremum sæpè Senium alatur. Eodem quàm incommodè nutriantur interdum aliqui. & quamnam id ob causam fiat. Caprini, aut asinini quando potior vsus. In ciborum delectu consulendam suam sibi cuique naturam diligenter esse, vt, quid fugiendum, quid ve retinendum sit, sciat.

CAPVT XII.

Hviusmodi per se lactis quoq; liquor est, à natura in id institutus primò, vt infantuli inde alerentur de mammis sucto. Sed & senibus futurus aliquando non inidoneus, quo in extremis annorū suorum spatijs nutriri commodè possent: ac, quemadmodum vitæ humanæ principia ex lacte alimoniam, incrementumque sumerent, ita postrema eiusdem met pars iam inclinata, ac propè annorum multitudine confecta, eodem illo succo sustentata recrearetur sæpiùs sub vitæ exitum, quo vitam eandem ipsam multo antè auspicata esset: fierentque hîc quoque hoc pacto bis rursus, ac tertiò senes pueri, imò ad infantiæ penè primordia ipsa redirent. Sunt historiæ, quæ vltimum nonnullorum seniū alitum sustentatumq; humani lactis exuctione referāt. Galenicā habemus (De tuen. san. v.) Rustici centesimū annum excedentis lactis inprimis nutrimēto caprini, cui modò panis micas macerandas adderet, modò immisceret mel, coqueret modo thymi summa, & panē adijciens. Is hoc nutrimēti huius beneficio, & rationibus his vsus, illæsus euasit, annosque, quos diximus, superauit, nec nocumenti inde quicquam sensit.

Alij quidā sensēre, quocunq; modo præparatum sumeretur ab his, vel ventriculi grauitatem, ex inconcocto, corruptoque; vel hypochondrij dextri tensionē, ex flatulentia inde oborta; vel hypochondrij eiusdem ceu pondus, quo tanquam ab appenso lapide detrahi viderentur suprà positæ partes, & in iugulum vsq; extenderetur sensus, propter iecoris haud dubiè obstructionem; vel acidos ructus, ex in frigidum abeunte corruptela; vel nidorosos in calidum; vel ex diuturno vsu subortū renum calculum; vel dentium, quod cōtingere non paucis solitum sit, amissionē, obl̨esionémve omnium: & vel quædam etiam ex his, vel plura simul.

Quæ duplicem cūcta in vniuersum tantùm causam habeant: vel aduersantem sumentis naturæ ac temperamēto lactis qualitatem: vel angustos, atq; impeditos viscerum, & circumiectorum vasorum exitus, ac vias. Quorum si neutrum adsit, & tam temperamentum conueniat, quæ natura quædam est, quàm laudatā instrumētarię intus partes sortitæ conformationē figuramq; sint: his demū ipsis futurus lactis vsus idoneus vtilisq; sit. Alterū enim præstabit, vt probè semper concoctū in ventriculo lac symptomatum eorū, quæ vitiatā quoquo modo, aut diminutā ablatámve, sed vitiatam inprimis his casibus sequi concoctionem solita sunt, insequatur nullum, temperamenti, naturæque bonitas, & conuenientia: alterum, ne molestiæ, aut incommodi quicquam percipiant, ob flatum infarctúmve aliquem præcordia, expeditus per omnia, atque explicatus alimenti ex lacte transitus: optimique ita succi nutrimentum, quo maximè indigent, laturi inde sint senes, & commoditatem insuper accepturi ex laxata modicè aluo.

Hoc enim quoque ipsum præstat lactis vsus, si tantùm, cuius animantis lacte vtamur, curæ nobis fuerit, aut qua ea ætate sit, quę ve demū in pascua mittatur. Caprarū cōmendabilius ad alendū, ob maiorē quàm asinarum crassitudinem, sed mediocrem tamen in totum: vt, si alimento futurum opus sit maiore, præferendum habeamus caprinum lac. Securior Asinini vsus omnino esset, cuius tenuitas ea, vt & faci-

facilè ventrem ſubeat, vel cum pane ſolo ſumptum; nec facilè cogatur in caſeum in ventriculo, minusq́ue, ſi mellis ac ſalis aliquid acceperit; ac præterea minimum omnium flatus pariat: niſi auerſaretur id multorum, natura, dicã, an ineptus prorſus pudor quidam obſtaret illorum, qui dedecori ſibi ducent, ſi veſci aſinino lacte contingat; aut exugere (quod maximo tamen quandoque aliquibus vſui fuit) de hominis mamma debeant. Magnus tamen ſenectutis conſeruandæ, defendendæq́ue à malis reſpectus ducendus eſt, cui poſthabenda omnia ſint: atque aſinarum omnino quoque lacte vtendum, ſi obſtruendorum viſcerum, aut meatuum natura fortè anguſtiorum, timor aliquis ingruat.

Sed ſiue huius, ſiue alterius caprini futurus potior vſus ſit: id ſemper curandum, vt & ætate florens animal ſit, de quo emulgendum lac fuerit; & in optimo verſetur paſcuo idem, ne ex vitioſo fortè, in quo malarum herbarũ prouentus fuerit, acrimoniam nobis, aut auſteri, alieni've ſaporis, nonnunquã etiam medicati, aliquid referat lac, in ſumpturi ſemper detrimentũ.

Hæc erit Senes à primæ iam inde ſenectutis initio, ad extremæ vſque cum vita finiendæ calcem, recta cibandi ratio, per exempla quædam deducta: vt his inſtruerentur meliùs partis huius Medicinæ Studioſi, peterentur autem reliqua (non enim afferre in mediũ omnia neceſſe habuimus) ex dicatis rebus his, peracta iam operis in parte, Tractatibus. Illud præ oculis tamen ſi haberemus ſemper, quod de cibatu dicendum potiſſimùm ſit, neque enim dici idem, aut non peræquè certè, de reliquis huiuſmodi poteſt, aëre, exercitatione, ſomno, & id genus alijs, quæ diuerſis vtique non tam diuerſa tamen contingant: vt, quoniam tantam naturarum ac temperamentorum, non ſolùm notis ſigniſq́ue ſuis manifeſtiorum, ſed etiam occultiorum quorundam, gentium vbique experimur quotidie diuerſitatem; atque alijs alia congruere cibaria, repugnare alia videmus: in eo ſibi quiſque ipſe ſanitatis ſuæ tuendæ præſes atque author ſit, ſeq́ue ipſum conſulat obſeruatione diligenti ſemper adhibita, omnium, quæ prodeſſe, obeſſéve animaduerterit, vt, quid ſibi fugiendum, aut ſequendũ ſit, non ignoret: plurima comperturus, ſi obſeruata curioſè cuncta fuerint, à communibus, quas toto hoc opere tradidimus, regulis non diſcrepare; nonnulla verò, quæ priuatum ac peculiarem vſum omnino quendam expoſcant, à quibus minimè diſcedendum ſibi eſſe meritò exiſtimet. Nunc de potione quoque, quæ ſenibus conueniat, dicendum.

Potio Senibus conuenientiſſima vt ſit, oſtenditur. Lac qua ratione his, quáve infantulis conducat. Quæ, cuiúsve maximè coloris cõpetitura Vina hîc ſint. Craſſa, adſtringentiáque ſimul quàm Senibus deputanda noxia: craſſa item, & nigra, quanquam hæc minùs. Vitandam deinde ex Vinis obſtructionem (tolli quanuis non admodum difficilem) monemur.

CAPVT XIII.

PErquàm neceſſaria videri poteſt Senibus potio, poſtquàm & ſorbitio cibi alicuius, vt docuimus, neceſſaria edentulis iam factis, & aquilę ſenectam, quod dici ꝓuerbio quodam ſolet, hac in parte referẽtibus. Quæ, incuruo nimiùm ætate facto roſtro, quũ cibum rectè capere nequeat, ſorbillatim ſe accepto ſuſtẽtet: ſenes pariter ſorbere cibum, quẽ mãdere haud queãt, cogentur ſub extremũ: & quo magis in ætate proceſſerint, eo ſemper magis. nõ quemadmodũ exercitia, & lauationes, quibꝰ minùs ſemper, quã antea, futurũ opus ſit, quo ſeniores fient. Potionis perpetua ſenibus neceſſitas, atq;, vt diximus, in fine maior, Vini præſertim. Quo ætas ea tã citò, quàm benè, ſi cõueniẽs deligatur, nutrita refocillabitur: vt nõ immeritò, pro lacte habendum eſſe ſenum Vinum, dixerint multi, dictumq́ue etiamnum hodie ſæpe circunferatur.

Et de lacte quidẽ expoſitũ priùs, quod tã infantibus, quã ſenibus quibuſdã cõuenientiſſimũ alimentũ ſit. Infantibꝰ, vt, quo priùs, dũ vtero cõtinerẽtur, nutrimẽti genere vſi eſsẽt, nũc quoq; vterẽtur, dealbato nimirũ ſanguine, id enim lac eſt: ſimul & congruum ætatulæ illi temperamentum conſeruaretur ex eodem, vtique attemperati caloris atq; humoris quod eſſet. Senibus, vt duabus his qualitatibus, optimè atque omnium maximè competentibus, ætatis in illis vitia emendarẽtur, frigiditatis, ac ſiccitatis nimię, maximè verò ſiccitatis. Nã quod ad caliditatẽ attinet, paululũ licèt infra æquabilẽ iuſti tẽperamenti mediocritatẽ frigidiuſculum lac ſit, qui tepor tamẽ habẽdus potiùs quidã eſt: at ferre infantes ingenito natiuoq; calore benè calidi cõmodè ſatis poterũt, vt inde veluti attẽperentur: nec ſenibus incõueniet, mellis, aut ſacchari, aut ſalis, alteriúsve huiuſmodi alicuius, additione, pluſculo calore ſimul illos ipſos foturũ meliùs; ſimul minùs & viſcera infarcturum, & noxæ de ſe quicquam ita aut negotij exhibiturum.

Vinum itidem, minimè quidem hoc ætati vtrique, vt lac, commendabile, quippe puerilis nocentiſſimum, iuuantiſſimum ſenilis eſt, aquæ additamento (nam dilutum

tum plùs minùs semper, nisi quum fortè medicati ex meraco aliquid rebus nostris commodè quæremus, ætati omni bibendum esse ostendimus) temperamentum sortietur, quale voluerimus, vel quale potiùs senibus non incongruum futurum esse iudicârimus : modò ex optimo genere fuerit, & ætati illi conuenienti. Quod calidioris esse naturæ volunt, tenue, odorum, sapore optimo, vetustate mediocri, colore fuluo, flauóve. sed & pallescens interdum non abijciendum. Illud sciendum: Si colorem tãtùm spectârimus, calidissima habenda esse, flaua : minùs calida, alba : mediæ in hoc facultatis, quæ coloris vtriusque medium obtinẽt, quem nos pallescentem colorem diximus: Græci ὠχρὸν ; vel, si propiùs ad albedinem accedat, ὠχρόλευκον ; si ad flauitiem, ὠχρόξανθον dicunt. Verùm, quod ad Vinorum differentias spectat, relegabimus Lectorem ad de Vinis prolixè satis explicatũ retrò locis suis Tractatum. Id hoc loco repetendum inde : Albissima quædam haberi, ac tenuissima vina apud Germanos Rhætis maximè conterminos aquæ vtraque hac conditione æmula, eadem & fortissima tamen. Nec minùs Aqua Vitæ, quæ esse non perquàm calida non potest, quippe ardentem ex re vocãt multi, quòd ignem facilimè concipiat, alba est: propterea aquam dixêre, colorem spectantes, & substantiam, quanuis igneam eius vim esse scirent. Itaque de colore ea erit exceptio. Alibi locorum, atque in alijs, vera esse reperientur, quæ dicuntur. Flaua quidem, interdum & fulua, habemus hodie Pucinum, Creticumque, & Moschatulum, Falerinum, & Pannonicum Georgianum, itemque Syrmium, Tridentinaque aliquot nostratia : benè calida cuncta. Horum modicè inueteratorum commodissimus futurus senibus vsus, atque his similium. Non enim dubium, plurimarum quoque regionum aliarum inuentum iri, si quis diligenter inquirat, illiusmodi vina: quando & ad Rhenum, & ad Nechar fluuium in Germania non desint aliqua, quæ & ætatis multum ferant, & inferiora multo his naturæ suę caliditate non sint, quod & sapor ostendit illorũ, & odor. Tenuia præterea admodum, miniméque omnium excrementitia sentiuntur: tum quæ modica quadam dilutione satis etiamnum exhibere senili habitudini caloris de suo, præsertim paulò vetustiora, & (quod maximè optandum, quærendumque hîc) plurimum insuper elicere de toto habitu serosæ superfluitatis illius, qua tam affluunt senes, valeant. Cui planè vsui insistendum hac in re maximè semper, atq; ante omnia, vt quauis etiam ratione alia, non modò Vini, quod præstare hoc ipsum possit, beneficio, plurimum assiduè detractum sanguini serosi humoris velimus. præstant porrò tenuia inprimis & calidioris naturæ. Nam quæ tenuia quidem per se habentur, multo tamen minùs calida fuerint, quasique aquosa : ea, quoniam plurimum secum antea illiusmet serosi, aqueique excrementi adferunt, epota non tam demere sanguini humorem eum, quàm ipsa de suo procreare, existimari non immeritò debent. Cæterùm & Cæsiolum, siue à cerasi colore Cerasiolum quibusdam dictũ, idem & Heluum nonnullis, bona licèt ex parte non ex generosis admodum illis naturæq; calidioris vinis habeatur : at habebitur tamen aliquando ex his aliquod locorum alicubi, senibus non incommodum futurum, quod gustu simul & odore benè satis calidum existimari possit, simul substãtiæ tenuitate, vt in eiusmodi colore, egregiè responsurum sit: nec multo minus ideo serositatis illius venis omnibus detracturũ, abducturumq; secũ. Quin, si quando euenerit, vt euenire interdum solet, vt minus fortè cõtineri in venis serosi humoris credi debeat, atq; alimenti paulò plus exigere videatur corpus: potiora etiã ducenda vina hæc erunt, vtpote quæ & alere cæteris pleniùs ob colorẽ, & elicere tamen serosæ humiditatis partem, paulò licèt alijs minùs, soleant.

Quo etiã tempore crassiuscula quæ fuerint, ex pallescẽtibus, aut fuluis, easdẽ illas ob causas senibus deligẽda, tanq̃ sanguinẽ auctura meliùs, & liberaliùs nutritura, nec vias tamẽ magnopere obstructura. Nã crassa æquè ac nigra, ea verò, quoniã haud dubia expectanda inde visceribus obstructio erit, reijciẽda senibus prorsus. Quòd si adstringẽdi prętereà vis accesserit, diutiùs insuper morã in vẽtriculo trahẽt, inq; eo fluctuationes pariẽt: nec quisquã omnino in eis educendæ humiditatis serosæ vsus fuerit, sicuti nec in alterius quidẽ coloris quopiã alio, cui adstringẽdi facultas addita sit. Itaq; nullũ horũ vnquã senibus idoneum visum, quippe qui maximopere serosæ humiditatis, qua abundant, eductione opus habeant, cui admodũ adstrictoria facultas aduersetur. Ac si quãdo tamẽ, vt diximus, habituri opus nõ sint, & ali magis postulẽt: crassa etiamnũ tũc adstringẽtibus præferẽda, minùs & in ventriculo morãtia, descensuq; in inferiorẽ ventrẽ, perq; vias venasq; transitu faciliora, tum verò & alendo potiora : &, siquidem crassa tantùm fuerint, non etiam nigra, modò non impensè nimis crassa ; non omnino aquosi humoris per vrinas excretionem interceptura, aut non, quàm adstringentia, æquè.

Sed

Sed in crassis quoque quidem,& nigris,(modò adstringendi vis vna absit) vsus omnino aliquando tamen aliquis. Nam vt hæc quoque vrinam non cieant, in ventre non tam manent,& subeunt aluum citiùs. Qua gratia prębibi ante cibi assumptionem solent,ad faciliùs deijciendum. Neque tamen hæc ipsa quoque in senibus commendari valde debebunt,quasi vtilia: quando nihil senibus vtile, quod crassi succi sit: nec vinum igitur cuiusuis quidem coloris,ac tanto magis nigrum,longè faciliùs lienem,renes,iecur ipsum obstruens; & aut calculosos facturum copiosiùs vtentes eo, affectis renibus; aut aqua intercute suffusurum,vitiato iecore, vel per se,vel ex liene. Præstiterit ergo semper perquàm rarenter his vti: aut,quum fortè senum aliquis subducendæ alui vsum ex vinis huiusmodi, quæ ferè esse dulcia consueuerunt,quæsierit; pallida, aut alterius coloris,reiectis nigris,adhibuisse.

Quanuis facta à Vino cuiuscuiusmodi tandem obstructio, tolli semper facilior sit,quàm quæ ex glutinosi, crassi ve succi esculentis fuerit: sed vitanda tamen semper cùm hæc, tum alia, quęcunque expositam morborum plurimis ætatem adducere promptiùs in consuetos illi possunt, podagricos, articularesque morbos, raucedines, grauedines, distillationesque omnes, renum ac vesicæ calculum, anhelandi meiendique difficultatem,vrinæ stillicidia,& huiusmodi alios. De quibus instituendus nobis hoc loco sermo haud fuerit, quo loco optimi temperamenti, ac conditionis seni,qua senex, vitioque tantùm ætatis laboranti, necdum tamen extra sanitatis suæ,id vnum modò,annorum numero affectæ, limites delato, subuenire Salubris, hac quoque in parte, ex Artis præceptis studemus.

De somno, quantum in senili ætate conciliatus vtilitatis afferat. Et quo conciliari pacto innoxiè posit. Qua in re vitanda esse plùs iusto soporifera, ac tuta tantùm adhibenda esse,præcipitur: próque somno, si accipi is nequeat, iniungendam saltem fore quietem.

CAPVT XIIII.

Somnus,si quicquam aliud, ac placidus quidam artus omnes demulcens, fouensque sopor, senibus maximè conueniens: vt aduersæ vigiliç,in quas tamen ob siccitatem nimiam faciliùs semper labuntur,vt auertãtur à somno.Quo magis retinendus is, reuocandusque arte omni, ac ratione, fugiens erit.

Retinetur autem ijsdem ferè,quos modò narrantes omisimus, ciborum, potionumque, ac balneorum, humectæque per omnia habitudinis faciendæ modis; emendata nempe ita siccitate, quæ vigilias introducit. Tum, si qua prætereà fuerint, vt certè sunt quædam, quorum priuata ac particularis dos ea somni conciliandi: lactucæ maxima, atque etiam anethi. Quorum alterum,lactuca,frigiditate sua corrigi alicuius,vt sacchari multi,additione debebit:alterum,anethum,calidum antea per se, atque humidum etiam temperamento suo iuuerit, præter innatam soporiferam qualitatem.

Sumere autem lactucam in feruefactam ex aqua priùs,& finire sępe cœnam ea conueniet: anethum ex iusculo aliquo. Eadem, cumque his alia ad rem eandem facientia quædam, per interualla temporum, præsertim verò, quum vrgere nimiùm vigiliæ videbũtur, nymphææ flores,& papauerum capita, vitiúmque, ac salicum folia incoquentur, quandoque vtiliter in vsus hosce,aquæ, eaque manus & pedes tepida abluentur ingressuro iam lectum. Tum alia fient eiusmodi, quæ somnum blandè prouocent, potiùs quàm violenter coactum accersant, vt quidem fieri his casibus par est.

Nam maiora tentâsse tum demum licuerit,quum morbosis, ætatique illi præternaturalibus vigilijs resistendum maioris alicuius remedij ope fuerit,quod nunc propositum nobis minimè esse volumus. Somni tantùm dicimus tempora concedenda fore ætati huic longiora, vt, quacunq; id, intra tamen tuendæ sanitatis limites, fieri ratione possit,fiat. Aut si non hoc,quoniam ingenita senectuti siccitas sæpe prohibeat: diuturnior saltem ac mollior quidam in lecto decubitus quæratur, hocque pacto iustæ demum somni horæ expleantur. Id enim quoque ipsum opitulabitur: quiete nanque etiam humescere maximè solemus.

Renuntiandum affectionibus animi omnibus in Senecta esse, quarum nullus ætate ea vsus,ac certum paratum semper nocumentum sit. Et à quibus potissimùm perturbationibus arcendi Senes, Venereisq; inprimis, longè ab ætate hac alienis.

CAPVT XV.

Fvgiendæ tamen interea semper causæ, quæ siccitatem augeant, auctaque ea vigilias vnà statim inuehant, rursus siccitatem facturas assiduè maiorem, seque hoc pacto

pacto ipſas aucturas magis ſemper magiſque. Quod genus affectus inprimis animi, & perturbationes multę ſunt.

Sed quorſum perturbationes in hac ætate animorum? in qua negotijs, actioniq́; propè omni paulò magis actuoſæ, vnde exoriri, aut pullulantes emergere affectus hi poſſint, remittendus nuntius. Moroſitas tantùm ætatis deponenda, & ſuſcipienda alacritas, quantum quidem aut illa deponi, aut ſuſcipi hæc poteſt: & exuendę curæ omnes, in id vnum intentis, vt in maxima animi tranquillitate extremus vitæ noſtræ, tanquam fabulæ alicuius, abſolutus peragatur à nobis actus. Reuocandumq́ue in memoriam ſemper Platonicum illud (De Rep. j.) ex Sophocle petitum, in quo ſenibus, niſi incompoſiti prorſus mores quidam fuerint, à quàm multis & inſanientibus dominis liberari conceſſum ſit, expoſitum nobis videmus.

Vt hoc quoque ætati, ex qua tot alioqui expectanda nobis incommoda ſunt, referamus acceptum beneficium, cupiditatum multo maximarũ, perturbationumq́; multarum ceſſationem, quæ iam tam eſſe intentæ deſinant, ac paulatim contentionem remittant, laxentque omnino, donec ex toto victæ ceſſent, vt quarum nullus penitus ætate hac, niſi naturalium prorſus, ac neceſſariarum, vſus ſit: quum in alijs accipi inde aliquis nonnunquam tamẽ queat, vt torpori fortè excitando ex commotiore ira; vel contrà frænandæ iræ, ex deſide ſegniq́ue magis facto animo; hocque ipſo exhilarando in mœſtitia fortè inſigni aliqua, ab effuſo gaudio; vel è diuerſo in exultanti hac effuſaque nimis lætitia cohibenda, iniecto improuiſo mœrore, & huiuſmodi. Quorum quicquid factum in ſenio fuerit, peſſimè ſemper ceſſerit, non ferente ſenecta animi affectus, perturbationeſq́ue, præſertim paulò magis inſignes, ob inſignem virium ſemper imbecillitatem.

Potiſſimùm verò atque inprimis ab his remouendi affectibus ſenes ſunt, in quos ætatis maximè vitio facilè delabuntur, & contrarij introducendi. Timidi, triſteſque ex frigiditate fiunt: hilaritas mediocris aliqua vndique conquirenda ad hoc. Mortem metuunt in proximo. Et quoniam parum iam ſupereſſe ſibi vitæ animaduertũt, quod maximè illis deeſt, id optare maximè videntur; & ne ſibi morte auferatur, in formidine perpetua verſantur. Solabitur illos melioris vitæ ſpes, ne angantur: & breuiſſimi temporis ſpatia, quod ſuperuixiſſe optare poſſent, facilè cum æternitate compenſabunt, ſi prudenter agere voluerint, & ſapienter. Neque verò adamantinis naturæ legibus voluntate ſua ſe opponent fruſtra, quibus mortales reliquos omnes teneri videant. Et

Cur non vt vitæ plenus conuiua recedat

hinc ſenex, iuxta Lucretium, lubẽs volenſq́ue? quum ex opiparo inſtructiſſimarum ſæpe epularum apparatu ſurgendum tandem ſit, & à iucundiſſimo conuiuio diſcedendum ſatiatis demum. Ad rem itidem auidiores, quàm oporteat, docendi ſunt, quo minus illis ſupereſt vię iam, & nauigationis in portum, eo minore inſtructos eos eſſe viatico decere maximos natu: & rerum huiuſmodi relinquẽdam curã omnium ſucceſſoribus potiùs, quorum id longè magis intereſt. Ab iræ affectu, quoniam acutam quidem in ſenibus illam, ſed infirmam eſſe ſcripſit (Ar. Rhetor. ij.) Ariſtoteles, quales ferè ſunt, qui Græcis ἀκρόχολοι dicuntur, ne timendum quidem nocumenti multum fuerit, per ſe, vt in non magno calore ſuccenſæ, quieturæ.

Iam Veneris munia quis in hac ætate commendârit rectè vnquam ad ſalubritatem? Cùm ob hoc ipſum, ne vires inde debilitentur, debiles per ſe antea ſatis, vnde in robuſtis, robuſtáque magis ætate intempeſtiuo vſu debilitari quandoque conſueuerint. Tum verò, quòd incaſſum iam obibitur id muneris in fœcundis: aut, vt prolifica tamen ſint prima illa aliquatenus etiam producta ſenectutis tempora, imbecilles certè, & parentum ſemper ſenij vitia aliqua ex parte teſtantes, fœtus procreaturis. vt, niſi libidine quadã coacti faciant, nunquam nec ſibi ſalubriter, nec ſuſcipiendæ meliori proli commodè, aggreſſuri opus hoc ſint ſenes. Sed nos valetudinem horum inprimis, & ſalubritatem ſpectamus, hacq́ue gratia interdicendum his Venereis putamus, vt, quum primùm ſenectutis limen attigerint ipſum, poſthabenda ſibi omnia hæc eſſe exiſtiment, deſiſtendumq́; paulatim ab his, ac paulò magis vlteriùs in ea prouectis ceſſandum prorſus; ex animo iam lætis, quòd, iuxta Sophoclis reſponſum iterum, Veneris ſacra, tanquam rabioſum agreſtemq́ue dominum, effugiſſe conceſſum illis ſit. ἀσμωγέστατα μέντοι αὐτὸ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττῶντα τινὰ, καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγών. Cùm huic igitur operi renuntiandum, tum animi pathemata, veluti circunlatrantes caniculas quaſdam, quibus minimè omnium ætatem eam impeti deceat, abijciendum. Et accerſenda ſenilis quædam, ac quàm fieri poterit alacris, corporis atque animi quies, negotiorumq́ue & actionum maiorum omnium pax: vt ſedato tandem pacatoque omni ex parte animo emigrare hinc, & diſcedere ex viuis liceat.

Adstrictioris alui difficultas in Senibus magna mitigari debebit, nonnullis placidioribus primò, ac quotidianis: deinde & paulò efficacibus magis, neque vehementibus tamen. Idem tentabitur & glande aliquando, & clysteri non inutiliter. Secundæ item, ac tertiæ concoctionis detrahentur ætati huic excrementa alijs quibusdam commodè.

CAPVT XVI.



EXcrementorum quoque de corpore egerendorum omnium nõ parua semper habenda in senibus cura: & quòd pluribus assiduè, ac plurium generum superfluitatibus redundant hi; & quòd cum reliquis propè facultatibus omnibus expultrix nõ sanè minùs debilior iam facta, fungi munere, officioque suo tam benè, quàm antea, nequit vlteriùs. adiuuanda ergo est. γέρουσι, inquit Galenus, πρὸς ἁπάσας σχεδόν τι τὰς ἐνεργείας κακῶς διάκειται τὸ σῶμα. Malè affectum ad omnia penè munia senibus corpus esse ait, vtpote quod longè illi, quàm ætate vigentes, siccius obtineant: frigidum autem soli. sola enim atque vna inter ætates omnes senectus frigida. Quid mirũ igitur in caloris penuria, si neque concoquũt rectè; neq; ob siccitatem, & alteratricis facultatis imbecillitatem, nutrimentum sentiunt; & illius ipsius nutrimenti distributio, veluti torpentibus iam præ frigiditate instrumentis, attrahendo nutrimento delegatis, & tarda, & imbecilla peragitur? διτ' ἀποκρίσεις, ὅσαι μὲν ὀλιγοχρόνιοι τὴν ἀῤῥωστίαν οὐκ ἐξελέγχουσι τῆς δυνάμεως: ὅσαι δὲ πολυχρονιώτεραι κακῶς ἐπιτελοῦνται. Excretiones, quæ paruo explentur tempore, facultatis imbecillitatẽ non manifestãt, nõ aperiunt, non coarguũt: at paulò longiore tempore quę fiunt, eæ malè peractæ absoluũtur. Etenim non hic solùm, sed alibi quoque sępe, temporis longitudo animaduertendis, cognoscendisque, ac detegendis meliùs rebus breuitate ipsa commodior semper: vt vnius aut alterius fortè diei suppressionẽ alui, si præter consuetum fiat quandoque, nõ animaduersuri admodum simus, dierum pluriũ, & crebrò factã animaduersuri. Quum igitur excernendorum alui recremẽtorum segniùs à natura in senibus obitur munus: expultricis id facultatis vitio fieri, scire par est, siccitate nimia, eoq; & duritie instrumentorum nimia, præstare functionẽ suam nequeũtis. εἰ δὲ τὰς ἀναδόσεις τε, καὶ τὰς ἀποκρίσεις τὰ λίαν σκληρὰ σώματα μοχθηρά. καὶ γὰρ καὶ διαστέλλεται, καὶ συστέλλεται χαλεπώτερον. ὧν τὸ μὲν ὁλκὴν ἐργάζεται, τὸ δὲ ἔκκρισιν. Neq; distributio igitur alimenti in corpus perfici rectè poterit, non dilatatis ob duritiem instrumentis; neque excretio, non constrictis, & contractis ob eandem illam. Quo quũ vitio senes laborent, vtraque facilè commoditate destituuntur.

Sed nunc de reijciendis tantùm excrementis dicendum. Proprium hoc senibus, vti diximus, ob siccitatem, & ex siccitate maiore duritiem, vt adstricta in illis cohibeatur aluus sæpe. Remedio erunt humefacientia. ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσιν αἱ κοιλίαι δηλονότι, vt humectari postulent. Aestate igitur humescere aluus fructuum interdũ quorundam esu, ficuum præsertim recentium, & benè maturarum vuarum Autumno poterit: prunis itidem, & si quod aliud fructuũ per id temporis genus eundẽ vsum exhibuerit, quod vel Persica aliquando præsumpta facient, præsertim ventriculum nacta, in quo non facilè corrũpantur, & ariditate tantũmodo castigata; emollitisq; ita, ac lubricis factis vijs, faciliorem descensum, atq; exitum alui recrementis præbeãt. hoc æstate, & autumno. Hyeme caricæ conuenient, & Damascena, vel alterius generis, sed dulcioris tamen saporis, qualia nonnulla antè suo loco retulimus, pruna: eaq; vel elixa, & priore semper loco sumpta; vel mulso, ex optimo ac plurimo melle parato, macerata. Nec deuorãda pruna modò, sed sorbendum vnà iusculũ, cui incocta fuerint, addita sacchari, quod ferre sumentis gustus queat, quantitate. Quo etiam modo olera, oleraceaq; omnia, ex oleo & garo, aut aceto & sale pro garo, brassicæq; inprimis ijsdem additis ius cibis alijs pręmisisse in vsum hunc, optimum fuerit. Nonnunquam & oleum per se absorptum benè maturum, dulceque, commodũ, & rhodomeli: & oliuarũ ex muria sua ad rẽ hanc eandẽ, eodẽq; tẽpore, idoneus esus habebitur.

Esseque rerum harum omniũ, quas modò attulimus, vel quotidianus vsus possit: neq; earundem semper, atque omnium simul, sed alicuius, aliquarũq; ex his. Respõderit enim omnino officio suo aluus, si non quotidie, at alternis certè diebus: vt nihil propterea adhibuisse medicamentosum operæpretium futurum sit.

Quòd si ne tum quidem succedat, & tertium iam diẽ adstrictior aluus durauerit; paulò magis efficacioris alicuius vsus tum veniet: Mercurialis inprimis herbę, quę factura sæpe ad rẽ hãc satis sit, si elixa ex iure suo, aut carnis etiã aliquo edatur, quomodo & beta: magis aũt, si salis, olei ve aliquid, vel vtrunq; etiã adijciatur. Tũ verò & cnici semen iurulẽto alicui inspersum cõtulerit: &

rit: &,quã non aluus tantùm placidè soluatur, sed etiã viscera, iecur, renes, liẽ, pulmo abstergãtur omnia, Terebinthina resina: vel, si hæc ad manus non sit, laricea etiam nõ pessima. abluisse tamẽ hanc præstiterit stillatitia betonicæ fortè, aut hyssopi, violacéa ve, aut aliqua alia, quæ conuenire magis videbitur, aqua: vt & abiegnã, si huius quoq; rei aliquãdo huic futurus nõ ineptus vsus esse videbitur. Vehementiorum medicamẽtorũ rumq; magis rerũ damnandus penitus, nisi maiore aliqua necessitate coactis, atq; id per temporũ interualla, minimè verò crebrò. Vt nec magnopere probanda hoc in negotio Aloe, ἐκκοπρωτικόν quãuis maximũ, ꝓbatissimumque: sed quia siccãtissima eadẽ, rei, cienda, ne videlicet ad senilis ventriculi siccitatẽ hoc etiã. Admittenda tamen aliquãdo senescẽdi initio, & temporum interstitijs iustis, si præsertim ventriculũ occupauerit humor aliquis pituitosus, quẽ Aloe, ex aromatũ, quę Hierã totã conficiũt, additamẽto, detrahat. Cnicũ parauerat nobis Galenus, cũ pari caricarum põdere ad rẽ hanc. Sed & rhodomeli, quod rosaceũ nũc mel habemus, diligẽter suo tempore paratũ multũ in hoc præstabit, accepta ex rosis, si curiosè id fiat, subducendæ alui facultate, & ex melle insuper abstersoria. Nec deerunt hoc ipsum quæ præstẽt, ac blandè & leniter aluũ moueant, Electaria quędã, ex re ita vocata. Lenientia dicunt. Tũ vero detracta etiã siliquis suis cassiæ pulpa, qua cùm leniatur aluus, tum emundentur renes addita glycyrrhiza.

Veniet & in compositionem eadem cum manna, rerumq; additione vtiliũ quarundam ad vsus hosçe, Diacassia cũ mãna vocant, & alia huiusmodi nonnulla, etiã superiori operis totius in parte locis suis recitatorum quędam, quę huc accersiuisse in tempore conueniet. Eo vtendorum moderamine, vt vni tantùm insistendũ nobis semper esse ne credamus: quãdo, cuius natura vni alicui assiduè assumendo consuefecerit se, negligere deinde id facilè, & victam facultatẽ eius contemnere soleat: pręsertim nõ magnã illam, neq; vehementem emolliendi aluum, cuiusmodi oportere esse diximus, quæ ætate ea, atq; ad vsus illos, exhibentur. Variare igitur cõueniet hac de causa, vt modò huius, modò illius vsus sit.

Simul illud attendendum studiosè, vt seipsum quisq; cõsulat, cuius potissimùm, quantiq; medicamenti cuiusq; vsus naturę suæ congruat. Nec difficilis erit obseruatio, vt medium teneat, coniectanti, quàm multo prius sumpto quoties aluus excreuerit, vt plus dein minusve sumat, & legitimum tandem modum seruet. Simul hoc, simul illud videndũ, ne quis vllo vnquam pacto, nimio plus de medicamentis his sumendum sibi esse arbitretur. Et lætantur quidem nonnulli, dum ex liberaliùs sumptis copiosiùs deijci ac vehementiùs aluum cernunt: nec vidẽt, ex hoc ipso insequentibus postmodum diebus adstrictum eandem iri magis, quo vacuati antea magis fuerint. Atque hæc superiùs per os, his seruatis modis, administranda.

Potest & per inferiora commodè senibus, præsertim si qui antedictam rationem detrectabunt, duci aliquãdo aluus glande, & iniecto clystere commodiùs, sed ex oleo tantùm, eoque maturo, & minimè adstringenti. Quo nimirũ duratæ fæces emollescant, simul & instar siccatę pellis arescens senum corpus, proinde & intestina madescant, lubricusque iis emollitis iam fæcibus paretur exitus. Acrioribus vti ad rẽ hanc, nullum operæpretium. tametsi enim multo, haud dubiè, plura egeret ita aluus: at supprimi mox deinde solet magis, eodem, quo proximè dictum fuit de medicamentis, modo, ac ratione. Resiccant quippe acria, ac vehementia nimis tam hic, quàm ibi: at blanda, & mollia viam sternunt, & fluidum faciunt corpus, atq; humectum. Sed nec paulò magis vehementis medicamenti genus latura vllum videtur ætas ea ob imbecillitatem.

Itaq; non solùm quũ emollire aluũ, sed etiam quum vrinam ciere propositum hîc fuerit, placidioribus semper vtendũ, quibus tamen pituitosum, ac serosum excrementum, tam semper in senum corporibus colligi aptum, quotidie eliciatur. Vina qualia ad vsum hunc bibi senibus debeant, traditũ satis priùs. Nunc & apij decoctum cum melle, præsertim radicis, optimè congruere dicimus, & huiuscemodi probamus alia placida. Atque ita primæ, ac secundæ concoctionis blandè tractata vacuabuntur in senibus excrementa.

Tertiæ porrò, quorum partim diflatio quædam est, partim sorditiei cuiusdam cuti hæsuræ excretio; dulcis aquæ balneo, qua ætatis huius parte conueniens balneum est, tollentur, & frictionibus iustis, solisque his; vel modica etiam deambulatione, quum iam ferre vlteriùs balnearum vsum haud poterunt, extrema seni; in parte: vt cutanei semper meatus aperti exhalationibus reseruentur, & detersæ abscedant de corpore sordes, molliter, vt antea docuimus, perfricto.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER TRIGESI-MVSSECVNDVS.

Num mutasse Intemperaturas à natura contractas liceat. Quãquam non facile, licere nihilominus ostenditur: in similarium partium natura omni quidem, neque semper tamen: in instrumentariarum nec omni, nec semper.

CAPVT I.



AETERVM, quemadmodum attemperatũ omni ex parte hominem, constitutionisq; ac conditionis p omnia optimæ, ab incunabulis ipsis, imò, quàm fieri commode potuit, intra maternam etiam tum primùm aluum inchoatum, per ætatum deinceps omnium decursum, ad supremum vsque diem integrum atque illæsum, noxisque morborum, Artis Salubris adminiculo, exemptum omnibus conseruandum esse docuimus: atque vna excepta (nam hanc immutandam ex parte semper esse ostendimus) senecta, in reliquis suum sibi perpetuò retinendum esse laudatissimæ naturæ temperamentum, manifestum satis fecimus: idem'ne, atque ad eundem modum, ijsdemque rationibus faciendum nobis in alijs fuerit? vt, quam quisque conditionis suæ sortem ab initio nascens tulerit, in ea maneat, & seruatum suum cuique temperamentum velimus, etiam ab æqualitatis iustæ temperantia declinans, calidum, frigidum, humidum, siccum, seorsu m uncta hæc ita, vel coniunctim etiam quum complexa inter se fuerint, quæ complecti possunt, calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum. An potiùs (vt quidem par esse in omnibus videtur, quæcunque à recta via deflectunt, vt in viam redeant) reducenda hæc quoque in viam sunt, & commodior illis, atque optatior status conciliandus ad temperamentum melius deductis, modò fieri id aliquo pacto posse spes sit? Nam non posse, vel non facilè certè posse, argumenta sunt.

Naturam expellas furca licèt, vsque recurrit, ait ille. Et Aristoteles, Consuetudinem, quàm naturam, immutari facilius esse, (Ethic. vij.) scripsit: nec aliam ob causam consuetudinem immutatu difficilem esse, quàm quòd naturæ consuetudo simillima, illam ipsam temporis processu referat natura iam facta. Atqui pro temperamento naturam habent Medici: vt, si Temperamentum immutare se posse confidant, & naturam possint: sin fieri non posse appareat vt hæc ipsa mutetur, neque illud sanè possibile sit.

Et variare tamen, atque alia omnino fieri Temperamenta videmus, non ætatum modò ratione, quod naturæ necessitate quadam contingit, vt exiccentur indies corpora magis magisque, exque humido temperamentum tandem induant siccum, ac demum etiam pro calido frigidum, proinde naturam quoque parte ex hac mutent: verùm etiam assuetudine longa ac diuturna, rerumque applicatione plurimarum aliarum, idem fit. Et si quis victus ratione vniuersam diligenter ad hoc adhibuerit, in omnia verti transmutariq; corpora, obseruare possumus, calida, frigida, sicca, humida, ex cõtrarijs priùs facta. vt nõ fieri id non posse, sed non facilè posse, tã argumenta ostendant, quàm Authorum de re hac scripta, ritè quidem ac cum ratione expensa, testentur. Quin difficultatis etiam notæ manent sæpe quædam & prætergressæ naturæ, ac temperamenti vestigia restant, non leuiter interdũ impressa. Nam & tenuium antea corporum non pauca, quietioris vitæ otiositate, & longo affluentique victu, crassa tandem facta videre est, eoque ex siccis humida. Quorum tamen amplæ, lataeque venæ visantur prioris naturæ, temperamentique immutati tandem signum siccioris sine dubio, & calidioris. Rursus crassa, quæ antea fuerant multa, tenuia demum redduntur corpora, tenue facientibus causis cõuenientibus in vnum sæpe, victusque inprimis ratione omni diuersa: præsertim verò, quum hæc ipsa ratio in eo variabitur, vt ex otioso & sedentario vitæ genere in negotiosum actuosumque, ac anxium transitus fiat, curæque ad hæc accedant, & solicitudines, aliaque, quibus pro humiditate inuehatur siccitas. Sed & in his præteritæ naturæ ac temperamenti humidioris cum frigiditate remanebunt

bunt ſigna, anguſtiores venæ, quæ niſi in tenera admodum ætate, atq; id tamen non facilè, reddi ampliores nequeāt. Vt, ſi naturam pro temperamento accipiamus, quod facere Medici debemus, immutari eā omnē quidem poſſe fatendum nobis ſit: neque ſemper tamen, nec facilè, ac non niſi quum vacat. Non enim factu facilis res eſt: ſed & otio indiget, longiorisque temporis diuturnitate, in quo ſtudium ſemper ac cura adhibeatur. Sin inſtrumentariarum etiam partium conſtitutionem, (quæ ipſa quoq; natura quædam eſt) naturam intellexerimus, conformationem, numerum, magnitudinem, poſitum: neque omnem, neque ſemper immutari eam poſſe ſperare debeamus. Multoque minùs, ſi Naturæ prætereà apud Philoſophos ſignificata quædam admiſerimus, quarum rerum ſtultiſſimum eſſet ſi quis immutationem tentans aggrederetur. Cęterùm nos medicè hoc in negotio accipienda nobis omnia, medicè agenda, tractandaque eſſe ſcimus.

Argumenta recitantur, locáque Authorum citantur, quibus perſuaderi poßit, Contrarijs intemperaturas conſeruari. Et ex aduerſo rationes adducuntur. Corporum verò oſtenſione explicatiore, Inſalubrium, Salubrium, Neutrorum, multo magis clareſcit res.

CAPVT II.

ILlud proximè cōſiderandū reſtat, quærendumq; diligēter, quoniam non dubium eſſe poteſt, quin omnium optimum, maximeque exquiſitū, & in medio poſitum humanū temperamentum, reliquaq; eiuſdē cōditionis corporis cōſtitutio, ijſdem omnino omni ex parte attemperatis, atq; extra exceſſum omnem poſitis, conſeruari cuſtodirique rebus debeat: num in temperaturam optimam, quamcunq; velimus in partem, egreſſis valiturū idem ſit, vt, quum conſeruata ſuo in ſtatu voluerimus calida, frigida, humida, ſicca corpora, intra tamen ſanitatis adhuc limites cōtenta, (id enim intelligendum ſemper eſt) ſimilium itidē, vt in optimo ſtatu, vſu faciendum nobis id ſit, calida nimirum calidis, frigida frigidis, ſiccis ſicca, atq; humidis humida, vt conſeruentur? an contrà potiùs agendum, vt calida frigidis, & calidis frigida, ſicca humidis, humidaque ſiccis in ſanitate ſua cuſtodita retineātur tēperamenta? neq; enim parum intereſt, hoc illúdve faciamus. Optimè quidē attēperatum niſi rerum omniū temperamento eodē modo tractes, periculum certè ſit, ne æquo plùs excalfactus, aut refrigeratus, humectus, aut ſiccatus, ꝓ optimo deteriorē aliquē neceſſariò ſemper ſtatum ſubeat. Non ita de calido antea iā plùs iuſto, frigido, ſicco, humido: quorū quemcunq; ſui generis, ordinisq; qualitate præditis rebus foueas, calidū calidis, aut frigidum frigidis, atq; ita de alijs, videri poſſis qualitatis eiuſdem acceſſione plùs aſſiduè plusque dubiam illi, morboq; ſemper propinquam affinemq; magis, ſanitatem feciſſe. quippe quam, in exceſſum antea iam per ſe atq; intemperamentum vergentem, hoc pacto veluti vrgeamus, vt magis etiānum eodem inclinet, & in morbum tandem incurrat. quid porrò aliud morbus, quàm exceſſus, & intemperies quædam eſt? Quamobrem, ſi rationem hāc ſequuti fuerimus, contrariorū potiùs adminiſtratione ſubueniendum eſſe in exceſſu aliquo poſitis, fateri cogemur, vt ſanitatem ſuam cuſtoditam retineant, névein morboſum affectum aliquem labantur.

Suntq; Authorum loca, quæ id nobis faciendum eſſe perſuadeant, Galeniq; inprimis ipſius. Is ſiquidem ſcriptum nobis aliquando ita reliquit: Caliditate, aut frigiditate, humiditate, aut ſiccitate egreſſis tēperamentū corporibus minimè medij temperamenti alimēta deberi: eaq; potiùs conuenire, quæ ex aduerſo corporum qualitati poſita conficere cōtrarietate illa temperamentū queant. vt, ſi numeris fortè tribus in caliditatē vergens à media conſtitutione receſſerit corpus, ijſdem tandem numeris frigidorum vſu ad mediū deducatur. itemq; de alijs eodem modo. Μεταβάλλεσθαι γὰρ, inquit, (De alim. facul. j.) χρὴ τῶν τοιούτων σωμάτων ἐπὶ τοὐναντίου, εἰς ὅσον ὑπεχώρησε τῆς ἀκριβῶς μέσης καταστάσεως. Mutata trāsferre opus eſt eiuſmodi corpora in contrarium, quantū ab exquiſitè media cōſtitutione diſceſſerint. Et eiuſdem in operis calce ſententiā eandē penitus repetitam adfert (De ali. facul. iij.) his verbis: ἐπιτήδεια δ᾽ ἐσθίεσθαι τοῖς μὲν ἄμεμπτον φυλάττουσι τὴν φυσικὴν κρᾶσιν ζώοις, ὅσα ταῖς φύσεσιν αὐτῶν ἐστὶν ὅμοια. τοῖς δὲ μοχθηρὰν, ἢ ἐξ ἀρχῆς ἔχουσιν, ἢ ὕστερον ἐπικτησαμένοις οὐχ᾽ ἡ τῶν ὁμοίων ἑαυτοῖς, ἀλλ᾽ ἡ τῶν ἐναντίων ἐδωδὴ χρήσιμος. Edi idonea naturale quidem tēperamentū inculpatū cōſeruātibus animalibus, quæcunq; illorum naturis ſimilia ſunt. Quæ verò vel prauū ab initio ſortita fuêre, vel poſteriùs acquiſiuêre ſibi temperamentū, his nō ſibijpſis ſimiliū, ſed cōtrariorū eſus vtilis. Quin rationem inſuper addit. Etenim ſimilibus, inquit, quod ſecundū naturā inculpatè degit, cōſeruatur: cōtrarijs verò ad propriū temperamentum malè attēperata deducūtur. Idq; de ſanorū ſemper alimēto loquutus, vitioſisq; tēperaturis, ſed ſanitatis tamē adhuc cāpo contentis, contrariorū temperaturæ ſuæ vſum perſuadere voluiſſe viſus. Quumq; de oculis ſermo illi inſtitutus eſſet, alibi (In ar.

med.) Author idẽ in hũc modum ſcribit: καὶ βλάπτονται μὲν ὑπὸ τῶν ὁμοίων αἰτίων τῇ κράσει ῥαδίως, ὠφελοῦνται δὲ ὑπὸ τῶν ἐναντίων τῇ ἐμμέτρῳ χρήσει. Nocumentũ ſentiunt ex ſimilibus tẽperamento cauſis facilè, vt iuuamentũ moderato contrariorum vſu. Ferriq́; videntur eodem animalia ſæpe nõ pauca, vt contraria naturæ tẽperaturæq́; ſuæ appetant, vel Ariſtotelis ipſius (Probl. ſec. x.) teſtimonio. Qui, quæ ſicca conſtant natura, humidum potiùs capere cibũ animalia, ſcribat, quippe quo indigeant magis: contrà ſiccũ appetere, quæ humida ſint natura, nimirũ qualitatis eius inopia maiore. Sed & pulmones frigidiores natura qui fuerint, frigida proculdubio inſpiratione læduntur euidentiùs, vt calidiores calida: contrarijs iuuabuntur. Et cuiuſmodicunq; temperamẽti fuerint corpora, frigidioris perpetuò aëris inſpiratione egebunt, vel calidiora natura: eoq́; diſſimilibus potiùs conſeruari hæc appareat. Sicuti ſanè benè calidi natura ſua ſpiritus noſtri circũambiẽte corporis molẽ aëre eguerint frigidiuſculo ſemp, proinde minimè ſimili ſibi temperamẽto.

Hæc hoc ita oſtendunt, quod diximus, contrarium prorſus, atq; alibi deciſum, determinatumq́ue, ac ſtatutum à Galeno authore eſt, ſimul & ab inſequutis ætatũ aliarum ſcriptoribus receptum legimus: Similia ſimilibus rectè, atq; appoſitè cõſeruari, intra ingentem quidem illam, ac ſpatioſiſſimam ſanitatis latitudinem quę includantur corpora: extra verò delata, contrariorum ſemper vſu ad ſanitatem adducenda fore. Qua in re quum liquidè inprimis, ac disertè non vna operum ſuorum in parte tradiderit de hoc Galenus, aperteq́; verum vtrunq; habendum eſſe demonſtrãrit; ac partim ſana corpora, ſed intemperie natiua affecta, eodem in ſtatu conſeruanda, retinendaque; partim corrigenda, ducendaque ad melius eſſe oſtenderit: non fuerat, ſicubi ab Authore eodẽ alterutrũ horum proferretur, reuocandum in dubium alterum, (quod Latinorum quidã fecerunt) & falſum id eſſe contendendũ. Non enim, qui corpora ſuo in tẽperamento ſeruanda alia ſimilibus, alia cõtrarijs inde dimouẽda fore ſenſit, ſcripſitq́; priùs; deinde hoc ipſum alibi protulit, contrariorũ nempe vſu egere, nulla quanuis alterius mentione: non & alterũ tamen id recipiendũ eſſe conceſſerit, nempe ſimilia quoque interdum conuenire. Quærendum tantummodo, quo hoc illúdve conueniens futurum ſit tempore, vt commodè fiat: tum verò, quibus ad id faciendum rationibus adducamur.

Ac magnum quidẽ latumq́; haberi corporum ſanorum omnium ceu campum, magnos latóſque, quibus concluſa teneantur, limites conſtat; horumque in medio ſimpliciter ſana, optimi ſcilicet ſtatus & conditionis, collocari, quæ nimirum conſeruata ſemper in eodẽ, nec vnquã, quantum fieri poteſt, immutata velle debemus, non enim quò, niſi in deterius, recidant, habebunt: proxima his, ſana plurimùm quæ dicimus: ſicuti remotiſſima, inſalubria ſimpliciter, cumq́; his quæ plurimùm talia habentur: neutra, in medio. Minimè autem dubium eſſe poteſt, quin, quemadmodũ optimæ cõditionis corpora omnium medium ſortita, nũquam de ſtatu ſuo dimouenda habebimus: ad eundem modum inſalubria vt nunc, quorum peſſima omnium, tanquam morbo iam correptorum, ſanitatémque omnem egreſſorum, conditio; ea nunquam non emendanda; neque verò in ſtatu eo, in quem præter naturam incurrerunt, relinquenda vnquam habituri ſimus. Reliqua autem cuncta, horum ipſorum in medio conſtituta, quo quæque proxima magis huic, illi've conditioni ac ſtatui inuenta fuerint corpora, ſic magis ſemper minúsve immutanda eſſe oſtendet ratio: immutanda tamen, quando, quæcunque extra optimum illum & laudatiſſimum repoſita ſtatum ſunt, meritò illũ ipſum, nempe potiorem, exoptare his quandoque futurum fas ſit: & vt indipiſcantur, conari Arte noſtra adiuta debemus, magis tamen ſemper, quæ bonitatis, ac laudatiſſimę conditionis illius indiga, deſiderare magis, ac requirere illã ipſam videri poterũt, quãuis difficiliùs aſſequutura ſint: vt inſalubria ſimpliciter ſunt, tã morbo iã affectis correptiſque, nẽpe inſalubribus nũc atq; in præſenti, propinqua. Quæ quoniã ſemper nullaq́; tẽporis vllius exceptione contrariorũ vſum expoſcũt, vt ſanitati ſuæ reſtituãtur: ita proxima hiſipſis inſalubria, quæ modò attulimus, ſimpliciter, propemodũ ſæpiùs meritò expoſcent, quum ſcilicet ſui generis paulò maioribus cauſis acta vrgebũtur in morbos proximitate quadã facilè lapſura, niſi occurratur: paulò minùs his, inſalubria plurimùm; minuſq́; etiamnũ, neutra; multoq́; minùs, plurimùm ſana. Hæc enim quoniã parũ à conſtitutione optima abſunt, plurimumq́; illius participiant; minùs & egebunt, & poſtulabunt minùs, facilis licèt hiſipſis, vel non admodum certè, vt alijs, difficilis futurus tranſitus in optimum ſtatum illum ſit, tanquam in propinquo, & ad affinia, quoties facere id conabuntur.

Priuatim magis, quorũ corporum Intemperaturæ immutari non admodũ poſtulent: & quorum maximè. Quamobrem tempus immutandis, & otium requiratur. In quibus faciendum id fuerit, quàm paulatim ſenſimq́, feciſſe præſtet. Et quouſque progrediendum hoc in negotio fuerit. Et cur id facere ægrotantibus haud liceat.

CAPVT

CAPVT III.



Hinc planè, atq; hac rerũ ratione fit, vt proxima quæq; alijs, pro eisdem sæpe ducamus. Itaq; sanum vt plurimùm corpus pro simpliciter quãdoq; sano habẽtes, suis sibi illum viuere legibus, dictatis naturæ suis permittemus, nõ pessimè in eo facturi, nec nocumẽti multum sanitati illius allaturi: ac paruum tamen illud intemperaturæ erratum lapsumq; emendaturi aliquãdo, quum rei huius faciẽdæ sese offeret occasio. Et Hippocrates ipse è diuerso, ἐνθέρμῳ, dixit, φύσει ψύξις, ποτὸν ὕδωρ, ἐλλινύειν. Calidã nimio plùs naturam (id enim significãter ἐνθέρμῳ verbo intelligendũ dedit) refrigeratione iubens, aquæq; potione, ac quiete ad temperamentum quoddã adducere. Eamq; cum morbũ iam ingressis deputans, morbosam ipsam quoq; haud dubiè, atq; in cõfinio morborum, vt reliqua insalubria simpliciter cuncta corpora, positã, ex morborũ ipsorum rationib⁹ ac legibus minimo minùs tractãda, versandaque: neq; semper tamẽ, scilicet hoc morbis solis competit; aut perpetuò, hoc enim minimo minùs est: ac tũ demum, quum perficere id nos posse sperârimus, vt temperamentum his concilietur melius. In quo festinandũ nihilominùs, & quærenda faciendorũ cõmoditas atq; opportunitas: ne, si extrahatur tẽpus, morbos, quibus tam proxima sunt, incurrant. Quod periculi in vt plurimùm sanis metuẽdum nobis æquè non erit, longiùs positis.

Atq; quemadmodũ tam prope morbi naturam constituta ex intemperamento suo corpora, vt paulò vlteriore progressu in morbũ ipsũ incidant: id quod in morbis iã ipsis constitutorũ propriũ est, cõtrariorũ interdũ desiderio tenentur; neq; permittẽdus tamen semper eorũ illis vsus, in eã quidem gratiã, vt mutatũ inde curemus tẽperamentum, quod nisi per otium faciẽdum exequendumque fuerit: ita constitutioni optimæ proxima, illius ipsius constitutionis de more, perquàm raro, aut nunquam potiùs, (modò naturæ tantùm suæ impetũ sequendũ sibi esse statuerint) cõtraria vehementer appetunt: & si quando appetũt tamen, libentiùs multo vsum illorũ his concesserimus, minùs & nocuum futurũ, & ex quo paratior illis in temperamentũ æquale, à quo non ita longè absunt, discessus sit. quod idem de maiore aliquo intemperamento naturaliter affectis polliceri sibi quisquam non ita facilè queat.

Eapropter non temerè, neq; quocunq; tempore, ac tunc solùm, quum satis ad hoc nacti fuerimus otij, vt peragere, quę necessaria negotio huic visa fuerint, ex ordine cuncta possimus: intẽperaturas omnes quidem, potissimùm verò, atq; inprimis, longiùs à temperamento iusto atq; æquali semotas, adducẽdas ad id temperamẽti, quod positum æqualiter in medio sit, non sine ratione desumemus nobis. Arduum nanq; semper, ac difficile existimatum est, excessum quemcunq; tãdem ad mediocritatem reuocâsse: minùs arduum tamen, vbi non magna facta ab ea discessio, ac parum tantummodo declinatum inde fuerit, vt reditione propterea non futurum magna sanè opus sit, ac vt pes tantùm, vt ita dicam, retrò referatur. At vbi processum longiùs fuerit, & plurimũ interualli factum: meritò maiore semper negotio, atq; etiam labore, reuocandus gradus, & conficienda via non solùm multorum dierum, sed & hebdomadum sæpe plurium, interdum etiam mensium: vt præstet nonnunquam, quum absolutum peragere totum non licuerit, ne inchoâsse quidem negotium hoc, quàm inchoatũ omisisse, & imperfectũ reliquisse.

Ac nisi summa extremaq; imposita operi manus, proque deteriore inuectũ, quod vnum quærimus, melius temperamentum, obfirmatumque id, & constitutum fuerit, aliaque hac in parte introducta natura: minimè subsistere commodè, resq; suas rectè peragere corpus possit. Cuius quoniam nõdum exædificata natura, & tẽperamentum, constitutio imò tota sit, (quod enim de temperamento diximus, idem perpetuò de instrumentarijs quoq; partibus intellectum volumus) nutet semper id, & vacillet intereà, necessum est. Simul quia naturam minimè ferre solitã scimus subitarias mutationes, nisi sensim eæ fiant, & paulatim prouectæ sistant tandem se alicubi. Quod fieri, nisi temporis iusti alicuius mora interposita, non solet. αἱ μεταβολαὶ φυλακτέαι, dixit aliquando (Epidem. vj.) Hippocrates, id videlicet innuens, paulatim vt hæ & minutatim fierent, tutò si fieri deberent. In quo naturam ipsam imitaremur, quæ tantam ætatum tam multarum varietatem, tam sæpe diuerso inter se temperamento, nonnunquam etiam contrario, (siquidem cõtraria penitus pueritiæ senectus, frigida ac sicca ipsa, calidæ & humidæ illi) non repentinam, neque improuisam edat: sed alicuius semper tẽporis spatijs intercurrentibus innoxiã. Neq; enim ex puero senẽ statim factũ quemquã vidimus vnquam, & ex pueritia in adolescẽtiam migrare, exq; hac in ętatum reliquarũ tempora non nisi temporis tractu, moraq; aliqua manifesta, conspicimus omnes, ideoq; innocua hæc contingere corporibus cuncta experimur. Eadem vt hîc quoq; ratione faciendum nobis idem hîc quoq; omnino sit, nec disceden-

dum nobis ab Hippocratico præcepto esse existimemus, tum superiore, quod attulimus; tum alio, quod alibi non disertis minùs verbis testatum nobis reliquerit hisce: τὸ κατὰ πολὺ, καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁποσοῦν τὸ σῶμα κινέειν, σφαλερὸν, καὶ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον.

Quamobrem, nisi quum benè vacauerit, & rerum multarum cōmoditas non defuerit, aliâs intemperaturarū tentanda immutatio non erit, rationes has sequutis, minùs semper minusque. Ea tamen lege, vt in omnium maximis illarum quidem, quę sanitatis campo continentur, & simpliciter insalubrium corporum sunt, vel etiā morbis iam iam corripi periculosæ valde habētur, neutralitatis iā ingressu illius, quę decidentiæ est, cuiuscunq; tandem cōditionis corpora ea priùs fuerint: liceat aliquādo, quoties imminere iam malū videbitur, quo ferè tempore etiam desiderio intēperaturę suæ oppositorum capiūtur, & his ipsis moderatè vti, euitando, quod mox incursuri videri possint, periculo; & maiorum, eiusdemque cum intemperatura sua qualitatis, causarū declinatione discrimen id effugisse. Permittendum autem hoc calidis ante omnia, tum & frigidis intemperaturis est, quo efficacioris qualitatis sunt, & ex similium causarū occursu ꝓnæ magis in lapsum habentur: humidæ ac siccæ nō item. Quod quum primùm assequuti fuerint, ac periculū iam euaserint: tum cōtineri eos intra naturæ suæ confinia, conuenientium atq; eiusdem qualitatis rerū vsu, decebit, donec otiosis tandē, nec negotiorū multitudine impeditis, q̄ à ꝓposito distrahāt, immutationē tēperaturæ inchoare, ac tātisper persistere in eo liceat, quousq; immutatis, & ad temperamentū iustum deductis, sistendum demum ibi sit. ne quis fortè existimet, etiam vt illis per otium facere semper cōueniens sit, semper quoq; faciendū esse. Licebit quidem, donec temperamentum acquisierint: indeptis autē id, quiescendum à contrariorum vsu, & fouēdum similibus temperamentū, hoc est, æqualibus temperatisque.

Tanta aūt habenda est rei huius ratio, vt in morbo quoq; correptis, aut tentatis, qui sibijpsis iam displicēt in tantū, vti iam extra sanorū cœtū ponēdi sint; hanc vnam, vel nō dissimilē certè ob causam, quoniam alijs tunc impedimur, circa curationē solliciti; nec ferre tūc ægrotus morbi vnà amolitionē, & intemperaturæ correctionē suæ possit: vni vacandū curationi sit, & omittenda correctio, retinēdaq; similibus tēperatura, & consuetis. Idem nanq; est cōsuetudinis suffragium in his, quod naturæ, & temperaturę, vt similibus tūc cōseruentur. Victus, inquit (Aphoris. j.) Hippocrates, humidus febricitantibus omnibus cōpetit, pueris præsertim, & his, qui tali victu vti consueuerunt. Et in morbo, quū cōtraria omnia quęrēda sunt ad depulsionē morbi, suffragium suū tamen adhuc retinebūt natura, & consuetudo, similiū vsum poscentes, hacq; vna in parte morbi sæpe cōtraria iudicatio pugnat. nō immeritò. Introducitur enim natura cōsuetudine, ac natura tādem ipsa existit paulatim inuecta cōsuetudo. quod quum factū fuerit, vt in naturam iam abierit, seruari eisdē, ac similibus, quibus antea, volet. Vt, quoniā temperamentū nos pro natura ducimus, naturæ proinde & cōsuetudinis eodē ad iudicandū calculo vtamur: ac siquidem seruanda cōsuetudo est, vt certè seruāda; & natura sit, proinde & temperamētum, cùm aliâs, quum immutâsse nō licebit, occupatis; tum inter ęgrotandum. Vsq; adeo quidē, vt si quem contrario naturæ tēperaturæq; suæ morbo affici cōtigerit, calidioris, vtputa, & siccioris temperamenti aliquē, frigido atq; humido morbo, quo tēpore ęquabili temperamēto propior, quàm si calido & sicco correptus esset, est: nondum tamen immutare ex toto temperamentū liceat, vt in æquabile prorsus abeat, & quod superest illi ad hoc acquirendum qualitatis cōficiat. Non alia de causa, quàm ꝙ cum morbo negotium tunc est: nec fas sit eodē tempore & huic ipsi auferendo, quod necessariò tamen faciēdum sit, quoniā præter naturam est; & meliori temperamento inuehendo vacare. quippe in diuersa agentur hoc casu: & alterum, vt morbus tollatur frigidus natura & humidus, calidioribus ac siccioribꝰ assequemur; alterum, vt calidæ & siccæ intemperaturæ natura & tēperatura concilietur melior, ęquabilisq; illa, frigidis proculdubio & humidis faciendum. Redeūdum igitur priùs in naturā priorē à morbo, vt sensim inde, paulatimque, ac per otiū discessione facta, temperamenti æquabilitas introducatur.

Confirmantur superiora explicatione rerum dilucidiore. Atq; vt morbo correptos immutâsse quāprimum ad sanitatem necessum sit: optimè constitutos eosdem perpetuò conseruâsse conducat: in medio positos alios modò immutâsse, conseruâsse modò, deceat. Tum aduersus Empedoclem cum Aristotele quædā.

CAPVT IIII.

NEc sanè aliud vel ratione colligi posse, vel vsu comprobari solere experimur, quàm quod hactenus tractauimus. Primùm, vt naturalia similibus, ac sui generis affinibus conseruentur: pręternaturalia contrariorum semper vsu tollātur. Deinde, vt suo omnia tempore, opportuneq; ac tempestiuè fiant.

Ac pręternaturalia quidem auferri contrarijs

trarijs debere, fatetur omnes. Sed neque de eo quisquã ambigat, vt opinor, faciendum id primo quoq; tempore esse, in quibus fieri possit. Moram enim non fert, quod prӕter naturam est, quin, quum semel naturalitatem hostiliter iuuasit, nullo obsistente misceat perturbetque omnia, ac rerũ tandem substantiã destruat. Quàm multi morbi sunt, (vt in prouincia nostra versemur) nisi statim occurras, ægros cõfestim interimentes? quàm multi mitiores quidem, sed tamen ægros tempore tandem confecturi, nisi in tempore adhibeantur remedia? Intemperaturarũ certè nulla est, (de his enim nunc agimus) quæ ex morbi natura censeatur, quam nõ, vt primùm in morbum discessit, ablatam sanatamque contrariorum vsu velle debeamus, nulla tẽporis intercapedine, quoniam esse præternaturalem videmus. In naturali lõgè aliter euenit. Longa enim ibi sæpe expectatio, & interponi tempus potest, soletque, absque detrimento, nulloque properatæ nimis mortis periculo. Quis enim vel manifestissimis intemperaturæ alicuius notis insignitum videns aliquem, immutatum extemplo velit, correctumq; in melius, præsens periculum timens? Hortetur tamen, vt quæsito otio, negotijsque omnibus explicitus, hoc agat. Intereà autem, si ex impensè intemperatis vnus aliquis fuerit, hisque, quos valde propinquos morborum naturæ esse diximus, sed sanitate tamẽ sua sanos, atque incolumes: ne causarum intemperaturæ suæ affinium, generisque eiusdem, sed maiorũ, & intẽperaturæ propriæ excessum superantium accessione, in morbum incidat, monebit. Et quum fortè occurrerint, intemperaturamq; reddiderint maiorem, sed κατὰ σχέσιν tantùm quandam, & superficiariam, vt desiderio tamen iam contrariæ qualitatis teneantur, priusquàm in morbũ labantur, & καθ' ἕξιν fiat intemperatura: concedet illorum vsum, vt retrò inhibita compescatur. Ac si vacauerit, & otij satis suppeditetur, tũc temporis perget vlteriùs, insistetque, ac opus premens absoluet, deducto ad temperamẽtum æquabile, intemperato antea: sin negotia instabũt eiusmodi, quæ prohibeant; differet in aliud tempus, vt, quum possit, quod semel destinauerit, exequatur: aut suæ illum potiùs incolumitati relinquet, quum impedimento aliqua erunt, ne perfectè expleri quicquã possit.

Hæc sunt temporis in his multipliciter obseruandi commoda, & εὐκαιρία. Quæ in optima corporũ constitutione nulla sunt, vbi perpetuò, eodemq; semper tenore, sua illis similium vsu seruanda probata omnibus conditio, & laudatum inprimis temperamentum est, ne qua ex parte alienorum, atq; naturæ suæ extraneorum vsu de statu suo deturbetur.

Proximæ naturæ & conditionis sunt sana ac salubria plurimùm, quæ dicũtur, corpora, longè à morborũ periculis remotiora, quàm insalubria simpliciter, atq; vt plurimum, sint. Proinde naturæ ea iussis suæ obtemperantia secũda sæpe frui valetudine videmus, nec facilè à morbificis causis affici, ritu optimè cõstitutorum, à quibus non multùm aliena sunt: vt esse plerunq; temperaturæ incolumitatisq; suæ fortè nõ omnino illaudata possint, nec magnopere hæc naturæ suæ cõtraria desiderent, ideoq; in statu illa permanere suo, & quidem salubriter satis ac diutissimè, possint. Quòd si quando tamẽ immutari temperamẽtum suum sibi cupiuerint, facere id illis quoq; nõ nisi actionũ paulò negotiosiorũ omnium genere vacuis, & otiosis ꝓrsus, licebit.

Neutra sicuti in medio posita vtrorũq; naturam participant, ita conditionẽ quoque eam retinebũt, vt nec, quàm insalubria simpliciter & vt plurimùm, ægritudini obnoxia habeantur; nec, quàm simpliciter & vt plurimùm sana, secura. Omnia tamẽ hæc quoque, neutra intelligo, qua parte vitiosa habentur, & temperamentum sortita sunt culpatũ, aut damnatam etiam aliquando structuram: ea corrigi in parte, emendariq; in melius, quo fieri id poterit tempore, debebunt. Nisi fortè in instantem iam morbum casura, decidentiæ nimirum neutra Medicorum Scholis dicta, fuerint, quibus, non expectato vlteriori tempore, succurrẽdum quamprimùm sit. Etenim, vt in summa dicatur, vno excepto, omniũ maximè attemperato, perq; omnia exquisitè constituto corpore, cui suus semper ex similibus conseruandus laudatissimus omniũ status sit, reliqua omnia sanitatis totius, ac multimodæ limitibus cõtenta, salubria, insalubria, neutra diuersarũ rationũ; qua parte à summa illa optimè constituti bonitate degenerant, quoniã omnia degenerant, plùs minùs alia alijs corrigi, atq; ad meliorẽ omnino cõstitutionẽ deduci dissimilium vsu debebunt. sed illud suis tantùm tẽpore, locoq; faciendũ, qbus diximus de causis. Quod quũ facere non licebit, nec tẽpus, aut locus, aut necessariarũ ad hoc rerũ cõmoditas feret: similiũ vsu retinẽda sanitas qualiscunq; sua cuiq;, potiùs q̃ introducendã aliã, meliorẽ quãuis, intempestiuè aggressi, nec perficere tẽporis rerũq; aliarũ penuria valẽtes, medio plerũq; in opere desistere ab incepto, vel cũ prioris sanitatis detrimento ac iactura, cogamur. Sic fiet, vt dissimilibus tẽpore suo emendentur, quæ emendari postulant: alioq; rursus tempore similibus conseruentur, quæ conseruari.

Qua in re Empedodi non assentiemur, Rerum multarum naturam contrarijs ad conseruationẽ sui egere, persuadere nobis conanti. Nam nec Aristoteles assensus est ipse, qui ita (De respira.) scribit: τῶν μὲν γὰρ ἕξεων τὰς ὑπερβολὰς ἔχοντας οἱ ἐναντίοι τόποι, καὶ ὧραι σώζουσιν. ἡ δὲ φύσις ἐν τοῖς οἰκείοις μάλιστα σώζεται τόποις. id est, In habitudinum excessu positos cõtraria cõseruant loca, & anni tẽpora. Natura autem in proprijs maximè locis conseruatur. Vt & naturam cuiq; tueri suam sciamus proprijs atq; affinibus, & excessus castigare contrarijs nouerimus. Qui nihilominùs excessus quum naturales fuerint, vt multi certè sunt, qua naturales, similibus retineri volent; rursus, qua excessus, opportunè cõtrarijs aliquando tolli. Idem fermè, quod in Problematum opere (Sec.x.) scripserat priùs, excremẽti humidi plus egerere hominem affirmans, equum & asinum sicci: quòd humido magis vescatur alimento homo, sicco animalium genera illa. Humidior autẽ dubio procul hominis natura, illorum sicca: vt ali similibus debeant. Deinde & humidum potiùs expetere, quæ sicciora natura sunt, cibum addit, vt-po e quo indigeant magis; & humidiora, siccum, eiusdem inopia. Excessusq; ita hic corrigatur naturæ, ibi eadẽ prorsus seruetur similitudine rerũ non solùm affinium, sed eiusdem etiam in affinitate ordinis.

Atque, sicuti optimè attemperatũ optimè itidem attemperatis defensum in optimo sanitatis suæ statu tuemur, ita calidioris aut cuiuscunq; tãdem naturæ intemperatos, in propriæ sibi incolumitatis conditione, minimè diuersi ordinis, eiusdemq; prorsus, vt loquũtur, gradus intemperatis custodiamus, non modò homines, verùm etiam animalium cũctorum naturas, quorum fortè salubritatem tuendam, custodiendamq; susceperimus: adeoq; etiam plantarum interdum, quarum videmus bonam partem calidiorũ locis itidem calidioribus conuenire, vt frigidiorum frigidioribus; inq; his melius semper, ac cõuenientiùs defensas custodiri, meritissimò. Quomodo nanq; aut nutrietur meliùs calidum, quàm calido eodem modo nutrimento, corpus; frigidorum, quàm frigido; ac quàm humido, humidum; & sicco, siccum? quãdo nutriendo assimilari nutrimentum maximè oporteat: porrò autem similia similibus assimilari ante omnia alia, citiusque, ac commodiùs posse, verisimile valde sit. Scitum quidem illud est Aristotelis Authoris, (De genera. & cor. ij.) receptumq; iam ab omnibus: ὅσα μὲν γὰρ ἔχει σύμβολα πρὸς ἄλληλα, ταχεῖα τούτων ἡ μετάβασις. Quæ cõuenientiam inter se retinent, eorum facilis est transitus. Aut rerum natura omnium qua ratione alia, quàm similiũ, meliùs conseruabitur? quum contrariorũ intẽpestiuo cõmercio pereat.

Responsiones ad argumenta afferuntur priùs allata: &, Authorum de rebus hiis dicta quomodo intelligenda sint, exponitur. Correctrix demum Tuendæ sanitatis Artis pars, quæ Curatrici videri propinquior possit, qui fiat, vt Tutrici potiùs assignetur.

CAPVT V.

NEc aliter sanè (vt iã respõsionem accipiãt, si qua obstare sententiæ huic vidẽtur) indicat nobis Galeni (De alim. fac. iij. in fi. li.) scriptura, quam suprà citauimus; quàm in naturali, inculpatoq; temperamẽto, similia naturis adhibẽda ad conseruationem: in prauo autem, & vitioso, vel ab origine cõtracto, vel dein acquisititio, contrariorum esum probans, nempe excessum hic corrigẽs, naturale ibi temperamentũ seruans: nec nos planè aliter dicimus, aut faciendũ esse consulimus. Adijcit deinde: τοιγαροῦν, inquit, ἴδιον ἑκάστου φύσει ζώου γενήσεται τὸ μέσον, οἷον ἀνθρώπῳ μὲν τοιόνδε, κυνὶ δὲ τοιόνδε, καὶ τῶν ἄλλων δὲ ἑκάστῳ Suum, propriumq; animantis naturæ vniuscuiusq; mediũ fiet, homini hoc, illud cani, & aliorũ cuicunq; aliqd. Imò homini eidem particulatim ætatibus alijs alia, & secundùm differentia vitæ instituta, moresque, & in quib⁹ diu vixerint, regiones, alia: vt diuersa diuersis cõuenire, ac varia varijs, temperamẽti tamen proportione respondentia omnia, animo concipiamus. Quod ille ἴδιον μέσον appellauit, nõ æqualis semper, & in medio omnium locati temperamenti: sed diuersissimi sæpe, & corpori tamen, quod ritè nutriturũ est, competentis medij ad conseruandum. Nam corrigendus quo modo esset excessus, cùm hic proximè, tum eodem in opere multo antè dixerat: videlicet, per otium id tantùm faciendũ esse intelligi debere existimans, atq; in magnis excessibus maximè, periculosisque. Quod quum alibi diserte satis monuisset, nõ erat illi inaniter hic repetendum.

Nec verebimur intemperatè calidum, frigidúmve, aut huiusmodi, sed sanum tamen adhuc, hominem eiusdem prorsus ordinis temperamenti alimento, rebusque id genus alijs, in sanitate sua custoditũ retinuisse: scilicet ne (quod primum obijciebatur) frequenti nimis, ac quotidiano hoc vsu accumulatũ crescat intemperamẽtum, & maius fiat. Non enim, vnius atq; eiusdem prorsus si qualitatis fuerint, quibus ad hoc vtemur, hoc est, eadem ab æquali temperamento distantia si recesserint, actionis quicquam habebunt, in eo quidem, vt intemperamentum mutent similimum sibi,

atque idem, & quod Galenus dicebat, proprium ac medium. Nutriet ergo tantummodo, quod similitudinis potiùs cuiusdā alentis alitique inuicem ratione, non naturæ ex temperamento contrarietate fit, quæ nulla ibi est, nisi potentię & actus, quā dicunt, conficiendi cibi, conuertendique in alimentum actioni ac passioni factura satis. At certè immutandi temperamenti, naturæque actionem habebunt, & haud difficulter immutabunt, si calidiora, aut frigidiora etiā, vel quid tale fuerint. Nam non cōtrariæ tantùm qualitatis quę erunt, quanquam hæc maximè; sed etiam eiusdem, at excessu exuperantia, temperamentum prius immutârint: vt frigido, nō modò calida, verùm etiam frigidiora illo, immutationē allatura omnino aliquam sint. Hoc ipsum, vt existimo, volens dixit aliquando (Topic.iij.) Aristoteles: Simile simili additū magis id tale reddere. Eodemque accipienda modo aliorum quoque de re hac dicta erunt. Vt & illud de oculis quod dicebamus. Vtique enim læduntur ab eiusdem qualitatis rebus hi, sed si vltra temperamenti illius, cuius oculi fuerint, ordinem & gradum tetenderint res: sicuti modico temperatóque contrariorum vsu iuuantur. Quod pro temperamēti solummodo nota, signóque ponitur, non oculorum tantùm, sed partium aliarum omnium: vt frigidas habendas esse significetur nobis, quæcunque seipsis frigidiorum occursum non ferunt, vel non innocuè ferunt: & calidas, quæ calidiorum. itemque de alijs idem. Neque propterea non eodem qualitatis suæ ordine, & à temperamento conseruandas recessu esse indicetur, contrariorumque itidem ijsdem ordinibus ad temperamentum reuocādas, quum otium dabitur, magis. quinimò ex hac ipsa ratione cuncta affirmare hæc liceat.

Idem, eodemque dicendum de pulmonum reliquarumque partium temperatura modo. Et quòd lædi inde dicuntur partes à contrario, immutatio ea non est temperamenti in totum: læsio tantùm & offensio est, tolli facilis. Ideoque etiam si in sanitate oblæsio interdum, & offensiuncula incidat aliqua corpori, quę altiùs tamen non penetrârit, neque confirmata sit: sanum tamen adhuc dici id possit, nec extra sanitatis suæ limites actum, in quam recursus illi tam facilis paratusque sit, nec desistere propterea à similiū vsu necessum habeat.

Inspiratione autem & respiratione, qua cor refrigeretur; circumambienteque se aër, quo arteriæ omnes, contentique spiritus calidiores, frigidiore refocillentur, (quippe frigidior haud dubiè semper circuniectus corporibus aër contentis intus spiritibus) opus perpetuò est; vt dissimili potiùs opus esse appareat, non simili. Fatemur ita esse: sed non vt inde cor primò, solidæ've corporis partes aliæ refrigerentur, quarum inprimis temperamentum sanitas corporibus est: verùm vt spiritus inde recreentur, exarsuri, nisi id fiat, secumque veluti in incendium adducturi corpus totum, vel suffocatum statim extinctumque ex hoc ituri seipsos ipsi. Tria enim quum habeātur ex Hippocratis documento illa, τὰ ἴσχοντα, καὶ τὰ ἐνισχόμενα, καὶ τὰ ἐνορμῶντα, quæ solidæ corporis partes sunt, & humores, & spiritus: solidarum partium ex temperamento, aut secus, sanitas inprimis corporibus cōstat sua, morbusque: reliqua duo causæ sunt, vt iccirco inspirati aëris necessitas attemperandis spiritibus à natura inuenta, recta in partes solidas quū non feratur, frigiditate sua ne calidū quidem illarum temperamentum aliquod dissimilitudine hac cōseruatura dici iure possit; sed suo sibi potiùs temperamento illas relinquere, refrenatis spiritibus caloreque innato, fatenda sit, ne exæstuantibus his, temperamentum demum proprium amittant eæ. Non igitur in id parata extrinsecus incumbentis corporibus aëris frigiditas, vt solidæ inde partes, sed vt spiritus, & calor attēperaretur, minimè verò ad solidas perueniret. Atque hæc communis quædam corporibus omnibus ambiētis aëris necessitas. Illa particularis magis cōmoditas, quoties illas ipsas toties iam dictas solidiores partes hoc ipso ambiēte aëre, quò quidē ptingere is valeat, aut cōseruatas, aut immutatas volum⁹: vt pulmonis, orisque, ac gutturis sunt, nariumque, atq; anteriorū cerebri ventriculorum, cutaneæque, ac subcutaneæ partes. Tunc enim si seruatas volemus, qua temperamenti prædítæ qualitate illæ fuerint, eadem studebimus prorsus vt aër non minùs ipse, adeoq; recessu etiam vt eodem sit, vel attemperatus quidem ex toto vt attemperatis occurrat. In quo manifestissima planè deprehēdatur differentia, vsusq; recepti per os, qua priùs diximus gratia, perq; cutaneos meatus omnes, aëris; atq; eius, quem nunc memorauimus, quo partes corporis tangente seruentur, afficiantúrve solidæ. Et alioqui, antequàm ad cor inspiratus perueniat, infractus peruenit, aër, valde vti integram perferre eò frigiditatem suam nequeat. Et quā perfert tamen, ea vel contemperādis tantùm spiritibus ac calori accommoda erit, vltra non tendet, nec cordis, aut partium illarū temperamentum attinget: vel, si attinget, eos præstabit vsus, quos modò diximus, qualitatū suarū facultatibus diuersis seruandę similibus, dissimilibus corrigēdę tempera-

turæ,

turæ, ſi fortè cor huiuſmodi, aut illiuſmodi, his illiſve habiturum opus ſit: id quoque vt ſimilibus conſeruetur, diſſimilibus corrigatur: non autem, quemadmodum argutabantur, vt diſſimilibus conſeruaretur. Eritque hæc ita examinata iuſtiſſima, ſimilium iuxtà ac diſſimilium vſu, retinendæ, quibus diximus modis, ſanitatis ratio.

Quòd ſi cui mirum videatur, partem eam, qua intemperaturæ ad melius deductę corriguntur, Curatrici & Alteratrici ſimilem magis, Tutrici tamen ſanitatis & Conſeruatrici aſſignari debere: ad hoc reſponſum ille accipiet (In art. medic.) à Galeno, id propterea fieri, quòd vniuerſi ſanitatis generis reſpectu, nulla differentiarum, quæ priuatim in ea reperiuntur, conſideratione, quæcunque ſanum conſeruant, ſiue in melius temperamētum adducant, ſiue verò inuētum antea cuſtodiant, ea conſeruantium nomine nuncupamus: ſicuti, quæ deteriorem conſtitutionem reddunt, morbifica. ἐάντε πρὸς τὸ φυλάττειν τὴν ὑγείαν, ἐπὶ τὸ βέλτιον ἄγει τὴν ὅλην κρᾶσιν, ἄντε φυλάττει τὴν ἐξ ἀρχῆς. Procul enim dubio, quæ non ſolùm cuſtoditam tuetur, ne in deterius labatur, ſanitatē, pars, ſed etiam ad melius ſæpe reuocat; non iniuria hoc quoque ſibi nomen vſurpauerit, vt Tutatrix ſanitatis dicatur, quam quidem meliorem etiam faciat, non ſolùm tueatur.

Intemperaturarum aliæ æquales, inæquales aliæ. Et inæqualium infinitæ penè inter ſe connexiones, quæ infinitudo vitanda, & deligendæ ad doctrinam potiſſimæ, quarum & vſus maior eſſe, & traduci in alias formula non incommodè poſſit.

CAPVT VI.

PRiùs conſeruandorum cum temperamēto ſuo corporum intemperatorum, quoniam alia ipſa facere tūc propter impedimēta multa nō liceat, tradenda fuerat ratio: tum & tempore ſuo per otium corrigēdorum. Verùm quia fruſtra repetenda, replicandaque forent hoc pacto multa, ſæpiuſque de eodem dicendum: maius futurū eſſe operępretium arbitror, ſi vtrunq; ſimul tradatur. ſiquidem coniuncta quoque vtriuſque habetur ratio. Eſt autem non vna Intemperaturarum omnium natura, verùm varia, diuerſaque inprimis, atq; vſque adeò multiplex, vt, ſi quis recenſendas ſibi ſingillatim cunctas, aut illarū inter ſe complexiones, coniugationesque, quot conuenire coniungique modis poſſunt, conferendas in vnum eſſe propoſuerit; cumulū is rerum harum extructurus ingentiſſimum ſit, atque eum non magni admodum vſus, vt perplexitas inde potiùs exiſtat inextricabilis, ſæpe & Soriticus quidā Labyrinthus ſine vllo exitu. Præſtat igitur ad capita quædam reuocâſſe omnia, & ſummas connexionibus ſtatuiſſe Intemperaturarum, principalium magis inter ſe partium, haſque ipſas in eas redegiſſe, quæ frequentiùs euenire ſolitæ ſint.

Prima illa ac præcipua Intemperaturarum differentia: quòd aliæ æquales, inæquales aliæ habeantur. Aequales dicuntur, æqualiter per corpus totum diffuſæ, próque partis vniuſcuiuſque ratione, exceſſu qualitatis à debito ſibi temperamento alicuius, idipſum afficientes. Vt ſi cor, exempli cauſa, quod eſſe in temperatiſſimo, exceſſuumque omnium in medio poſito, homine hoc ipſo æquato temperamento calidius, ex iuſta, ſibique ita à natura tributa, conſtitutáque temperatura debeat; repertum hac ipſa aut frigidius, aut calidius etiam, aut huiuſmodi fuerit: & cerebrum, quod natura ſua æquabili temperamento frigidius eſſe par ſit, hoc ipſo frigidius etiamnum, aut calidius notis ſuis offeratur: itemq; de alijs ita partibus corporis omnibus, vt æqualiter tributam ſibi certis naturæ legibus quibuſdam temperaturam excedant, eodem qualitatis alterius, ambarúmve ordinibus omnes, dicique ideo corpus totum, collatis inuicem partibus vniuerſis, calidum, frigidum, ſiccum, humidum; vel etiam ſi copulentur ſimul hæc, calidum & humidum, calidum & ſiccum, frigidum & humidum, frigidum & ſiccum, per totum queat: hæ ęquales ex toto erunt Intemperaturæ.

Inæquales porrò dicentur, quum diuerſis, pugnantibúsve inter ſe temperaturis affectæ partes non concordabunt. Hoc autem vel vna à temperamento ſuo recedens corporis totius particula faciet, dici vt haberiq; meritò inæqualis temperamenti corpus poſſit. Etenim calidius iuſto iecur, aut minùs nobile hoc ipſo viſcus lien, quin liene ignobilior corporis minorque multo pars quæuis alia, totam ſtatim deſtruxerit intemperaturæ æqualitatem, ſi frigidior fortè in alijs omnibus inuenta hæc fuerit, aut etiam ſi calida, ſed quàm iecoris aliúſve alicuius mēbri minùs. Quin partis quoque interdum eiuſdem vniuſque fieri poſſe putandum, vt temperamento alia alio, diuerſoque, atque contrario pars ſit; & iecoris ſima gibbis fortè calidiora, calidius æquo totū quum ſit: vel etiam repugnantis ſibi inuicem temperamenti calidi frigidique

diique esse inuenientur, ventriculique os diuersi, contrarijq; aliquando, quàm fundum; cerebrũ anterius, quàm cerebellum, vel cerebri quoq; postrema. Quod, quum tam multæ variæque numerentur molis totius corporeæ partes, eæque secum ipsæ quandoque, multo autem sæpiùs diuersę cum alijs ex intemperaturarum inæqualitate pugnantes: quot, quæso, existere posse rerum harũ compositiones inter se, connexionesque, si connectere & componere cunctas velimus, necessum erit?

Abstinendũ igitur ab his, ne in Soriten illũ, quod diximus, incurramus: & deligendum potissimas, partiũ nimirum illarum, quarum facultates in vniuersam habitudinem, veluti per riuulos quosdam deriuatę, mittuntur, arterias, venas, neruos; venasq; inprimis, & arterias. Ex quibus habitudini toti conciliari sæpe temperamentũ suum videmus, vt Viscerũ propterea, vnde originem suam ducũt, potissima ac præcipua habenda semper cura sit, probo laudatóque vt constent temperamento: tum Cerebri, vnde motus, sensusq; corpori omnis: tum Ventriculi, alimentũ corporibus suppeditantis, excoquentisque: tum Lienis, repurgaturi sanguinem, dempturique illi fæcem. nam Vesicæ felleæ cum Iecinoris vnà temperamento consultum erit. Tum genitalium ad hæc partium, in posteritatis spem, si non aliud.

His nanque inter se comparatis, deque earum intemperatura seruanda, aut emendanda; aut, ne magno sæpe sanitatis totius detrimẽto inter se tantopere aduersentur, leuanda, minuendáve, ratione tandem aliqua, illarum repugnantia soliciti, cùm functi satis munere nostro fuerimus conseruandæ sanitatis, minutioribus, minorisq; multo momenti neglectis; tum horum examinatio deduci similiter, atque ex eadem prorsus formula, in reliquas omnes partium quarumcunque Intemperaturas, ijsdemque accommodari vsibus, poterit. nihil vt hac quoque in parte, quod si desit, Tractationis summam mancam reddat, defuturum sit. Sed priùs, quod tradere inceperamus, de inæquali per omnia Intemperamento dicendum.

Calidarum Intemperaturarum æqualium corrigendarum, aut conseruandarum ratio. Calidáque ac siccaprimùm per ætatẽs omnes quo tractandæ modo, siue aliam eam facere, siue eandem retinere, propositum sit. Atque huic quomodo permitti vini vsus debeat, quo tempore, qua ætate: quæ ambientis competat conditio

CAPVT VII.



QVO in negotio ne temerè repetendum sæpiùs idẽ veniat, si mẽbratim nimis tradantur, adducendæ in vnũ simul eiusdẽ qualitatis omnes, simplices, cõpositæque, quæ diligenter expensæ considerentur, Intemperaturæ æquales. Omnium igitur primas sumemus in manus calidas. Quæ, plurimũ sanè semper refert, parum'ne an multùm calidę sint, ad id quidẽ, quod tractaturi nunc sumus. Parum nanque tales, aut mediocriter, (quod idem tamẽ de frigidis, siccis, humidis dictũ accipi debet) ferre diutiùs longiorem temporis moram poterunt nõ correctæ, vel paulò etiam negligentiùs habitæ. At in summo positæ, inque eo, vt minimo quoq; lapsu, aut excessu, transituræ quamprimùm in aliena castra sint, morborũ nimirum, extra sanitatem suam; custodiendę diligentiùs semper sunt, retroque inhibendæ, ne calidiorum vsu, aut præuaricatione potiùs labantur. Magis autem, quæ cõiunctam cum caliditate siccitatem habeãt, qua tanquam exacuitur calor, maiorq; semper fit, donec inclinante iam ętate in pessimam exeat frigidam siccamque, quàm ex calidis alia vlla, citiùs. Nam quæ calida tantùm, non etiam sicca fuerit, & siccitatis atq; humiditatis medium teneat: quo siccitatis minus sortita ab initio fuit, eo plus proferre tẽporis, priusquàm siccescat, siccescensque senium secũ statim, & sociam frigiditatem trahat, poterit. Quod magis etiamnum in calida & humida animaduertere licebit. Quæ licèt aliquo tempore inter pueritiæ, partimque adolescentiæ etiam annos, plethoræ, fluxionumque, ac putredinis etiam morbis obnoxia sit: humoris tamen beneficio minùs & senescet citò, quippe tardiùs siccescens; & insequentibus priores illas ætates temporibus salubriùs omnino deget. Quarum omnium ac singularum quum explicata satis antea indicia notæque sint, quærenda ex superioribus illa, de locis suis petita quæque.

Calidioris ac siccioris naturæ puellus (nam de hac, inter calidas, intemperatura agendum primùm) recèns natus, is fuerit, cui densandæ solidandæque, & ad rerum deinde multarum occursum durandæ meliùs cuti, non, vt optimè attemperato, futura satis sit salis inspersio; sed myrti præterea siccis ad hoc folijs, aliquóve tali, cui paulò maior adstringendi vis insit, habituri opus simus: & temperamentum illi conseruaturi suum, aut proprio enixæ ad nutriendum lacte, aut huic ipsi simili: immutaturi autem, frigidiore, atque humi-

diore egeamus, nempe temperaméti illiusmodi muliere, quæ lac præbeat. Quod per ætates deinceps omnes, quum solidiore iam cibo vtetur, studiosè obseruandum: vt ex similibus partim, partim ex contrarijs constet, pro temporis scilicet diuersitate, vel conseruandæ, vt dictum iam sæpiùs fuit, vel immutandæ intemperaturæ.

Mentem tamen semper vt considerationi illi adhibeamus, quibus maximè ætatibus imminere periculum videbitur, ne ex- t.. naturę suæ, & naturæ conuenientis sanitatis limites feratur intemperatura hæc, rerum similium vsu acta: eo potissimùm atque inprimis tempore, ne quid tale contingat, prouideamus diligenter. Itaque quoniam plurimũ semper hi ab ortus sui initio, ad vergentem vsque in senium iam ætatem, caloris retinent; acrem autem maximè, & inprimis mordacem, fumidaque excrementa procreantem illum in iuuenta, consistentiq́ue ætate; siccitatem verò post adolescentiæ statim annos maiorem semper ac maiorem indies sortiuntur: studium nobis omne in eo ponetur & cura reliquo quidem quoque tempore omni, sed in hoc potissimùm, ne immodico calidiorum ac sicciorum vsu accessio quædam fiat intemperaturæ, vnde morbus quamprimùm existat. Vitabuntur à nobis edulia hoc casu, quęcunque intemperaturam id genus qualitatibus suis exuperare posse videbuntur; vel paulò etiam minùs his, & calidorum, & siccorum frequens nimis vsus. Quis enim allij huic, aut ceparum, sinapis, aut nasturtij esum concesserit? vel salis, aromatisve multi, & huiusmodi aliorum vsum permittere se posse innocuè credat? Aut quũ de adducenda ad temperamentum æquale intemperatura hac deliberatio inciderit, & suberit otium: quis non modò abstinendum esse ab his omnibus in totum censuerit, sed etiam benè frigidis, & humidis maximè vtendum esse non consulat?

Eodem modo potus, hoc immutandæ videlicet temperaturæ tempore, vini in vniuersum ablegãdus: aduocandus aquæ; vel refrigerans, humefaciensq́ue aliquis, cuiusmodi inter alia ceruisiæ, albam quam Bohemia vocat, est, ex qua pinguescere non parum corpora videmus. De cætero, vel quum immutãdi propositum nullum erit, si quibus alijs pueris denegandus vini vsus, his maximè denegandus, perq́ue ætates deinceps omnes ad senectã vsque, nempe persistentibus eatenus semper calore, siccitateq́ue intemperaturæ insigni. Ingruente autem senecta, vsus quidem esse poterit vini non incommodus prorsus huic naturæ, iam frigefactæ ex ætate satis: sed diluti etiamnum tamen non minimùm, nisi mutatum antea temperamentum fuerit. nam si mutatum, & ex calido & sicco temperatius redditũ, senibus iam factis, his minùs dilutum conueniet.

Quòd si iuuenes, sed suæ adhuc naturæ, nimirum calidi benè tunc & sicci, nihilq́ue immutati, operis aliquid facere cogentur aliquando solito vehementioris, quo vires debilitatæ soluantur, quod facilimè his contingit ob solutilẽ & diflatilem maximè habitudinem: non omnino auferetur his vinum, sed dilutissimum, tenuissimumq́ue, & aquosum per se antea concedendum, quo non exarescat magis siccitas, contráque potiùs labefactatæ instaurentur extemplo vires, & humescens frigescensq́ue habitudo aridum illum ex insueto labore squalorem deponat. Quo planè fiat, vt huiusmodi vinum, modò huiusmodi fuerit, tenue inquam, & aquosum, prorsusq́ue ὀλιγοφόρος ac egregiè dilutum, temperamentis his, admodũ quanuis calidis siccisq́ue, nõ inconuenire prorsus autumem, reclamante quidem alicubi Hippocrate: sed quem par sit existimare, non solùm de immensè talibus naturis, quod Galenus censuit; verùm etiam de & generosi vini genere, & minore huius ipsius dilutione, intellexisse.

Aduersa naturis his æstas, æstiualisq́; vnà cõstitutio: aduersa regio eiusdem quidem generis, sed paulò calidior, sicciorq́ue, non quum immutandæ illorum temperaturæ fuerint dico nunc, nam tunc nocentissima potiùs dicenda, habendáque hæc fuerint: sed quum conseruandæ. Et cõseruantur quidem similia similibus, vt sæpe iam dictum. At similia hęc nõ sunt, qualia nos volumus, eiusdem nimirum ordinis, eiusdemq́ue à temperamento æquali recessus vt sint, non modò generis vnius, hoc est, non modò calida: sed intãtum calida, eiusdemq́ue ordinis, ac gradus esse oportet, similia vt sint. Corpus excessu à mediocritate secundo calidum, eodem itidem excessu calida, secundo nempe, similia conseruabunt vtique. nanq; ordinem eum egressa, atque vltra tendentia, dissimilia redduntur. Nam si non tendunt, nec dissimilia vllo pacto sunt: cur æstiuos calores, atque eiusmodi constitutiones, præsertim verò regionum paulò natura calidiorum, sentiunt facilè, ac percipiunt inde noxam intemperamento suo calida admodũ quoq̃ue corpora? non sensura profectò, nec perceptura similis penitus sibi ordinis, & ab æquali temperamento recessus. Infringendus ergo circunfusi corporibus calidis ac siccis aëris excedens semper calor ac siccitas, siue æstatis, siue constitutionis, seu regionis: & temperamentum quęrendum

dum proportione respondens illis, seu naturalis, seu artificio acquisiti aëris, si conseruata hac quoque ex parte in temperamento suo corpora ea voluerimus. Frigidioris æstate, qui, caloris extrinsecus circuniecti vehementia ne extra temperaturæ sanitatisque suæ terminos excurrant, prohibeat, hoc tantùm, non etiam refrigeret. Hyeme cõtrà paulò calidioris, quo itidem rata caloris illis sui & temperaturæ pars eodem tenore seruetur. nam ad mutandum hyemalis frigiditatis etiam beneficio vtemur, non accersito tunc calore multo, tantùm ne algeant cauẽtes. Quapropter conuertendis his ad temperamentum melius, commodissimum anni tempus fuerit totius hyems ipsa, in qua & peragi longo satis spatio reliqua possint omnia proposito huic conferentia, hyemis perpetuò qualitatibus eodem contendentibus adiuta: ac ver deinde habitura sint succedens in tempore, acquisitum iam bona ex parte temperamentum temperie ipsum sua confirmaturum.

Quies cuiusmodi iniungatur his ab Hippocrate. Frictio, aut lauatio quæ conueniat: qui somnus, quis Venereorum vsus. Quàm his aduersæ animorum affectiones. Et vt depellendus de corpore biliosus in his, nimiúsque humor, Intemperaturis omnibus. Quum primùm immutatæ ad temperamentum æquabile peruenerint, quiescẽdum in eo esse. Documentum dein intemperaturis omnibus commune.

CAPVT VIII.



Viescere hos mandat (Epide. vj.) Hippocrates, ἐλλινύειν videlicet, grauiores, vt interpretamur, motus, iustamque exercitationem illam prohibens: leuiores, & deambulationem, molliorem que etiam fortè vectationem, concedens. Quod necessarium est tam conseruandis, quàm immutandis. Cõseruandis, ne non magnus sanè in his natiuus calor magno nimis motu, quod in debili & imbecilli euenire sæpe videmus, discussus pereat, sed paruo tanquam flabello ventilatus, modiceque excitatus maneat. Immutandis, ne nimia iustæ alicuius, & concitatioris quàm ferre ipsi valeant, exercitationis commotione, is ipse, quem paruum paucumque haberi in his diximus, in præternaturalem conuersus, acrior multo ac mordacior reddatur calor: tum verò etiam labore vehementiore siccentur membra fatiscentia, nedum non humescant, quod in immutãdis quærimus. Vtrobique igitur his de causis quies necessaria, cuiusmodi quidem quietem intelligimus, modici ac temperati motus. Nam quietem ex toto, ac desidum penitus, sellisque aut lecto affixorum vitam, quod ferre diutiùs sine noxa corpus possit, non facilè inuenias: quando vel carceribus inclusi, & compedibus vincti, qui se commouere nequeunt; vt aliquandiu incolumes degant, nocumenti tandem inde & affectionis omnino aliquid accipient.

Eodem tempore & frictio adhibita leniter mollis per totum proderit: & ex aqua dulci lauatio, humefaciendis corporibus, simul etiam refrigerandis. Dempta enim squaloris ariditate, fuliginosorumque excrementorum acrimonia, balnei vsu repressa, partimque exhalata; simul ex accidenti ita frigiditas habitudini toti inuehetur, abeunte, quæ calidum faciebat, causa; simul per se quoque succedet. quoniam aqua per se, dotéque propria sua, amisso mox tepore, refrigeratura habitum omnino sit: vt propterea vel si bis, & à cibo in die fiat, præsertim æstate, futurum id nimium non fuerit. Tantùm ne obstruendi iocineris, aut mesaraicarum venarum, suspicio subsit, quoties quidem trãsferre ad melius habitum, & temperamentum animus erit, nempe bis id in die vt fiat. Nam in conseruatione (quod in omnibus alijs huiusmodi causis retinendum memoria semper est) satis præstiterimus, si, quum primùm egredi de sanitate, atque intemperatura sua in proximos morbos, causarum ad id impellentium accessione, velle corpora videbuntur: tum & balnei huiuscemodi beneficio, & aliorum multorum, sed balneo tamen inprimis, quasi in Præcautrice Artis parte versati, restiterimus. vt quidem sæpenumero videre est sub æstiuis Solibus ac caloribus, si prætereà aliquid aliud causæ addatur, vt commotio fortè quamcunque ob rem nimia, exarescentes multos, sitibundosque, eo ipso remedio & ariditatem illam deponentes, & sitim quamprimùm: subeunte nimirum per cutis meatus, & insinuante se in omnes partes humiditate vnà & frigiditate aquæ. Quibus non nouum aliquod factum, sed restitutum temperamentum suum dicemus, excalfactum plùs iusto, arefactumque: sed κατὰ σχέσιν tamen tantùm, atque in neutralitate ea, quæ decidentiæ dicitur, positum. ne quis fortè pro morbo id habeat iusto.

Ad eundem modum, quoniam vigilantissimi suapte natura sunt hi, si fortè

plus solito vigiliarum aliqua de causa accesserit, & periculum fuerit ne temperamentum ex eo labatur: tantum aduocandum erit somni, quantum, ne labatur, futurum satis sit, vt in statu retineantur suo. Nam quum de mutando statuerimus, vniuersas tunc ad hoc vires accersemus paulatim sensimque, vt vtilitas inde capiatur, non sequatur noxa, ex nimio, affatimque præter cõsuetum inuecto diuersorum vsu.

Iam rerum Venerearum ea adhibenda in rebus his moderatio: vt, quoniam aduersissimam sibi Venerem experiuntur, incitati tamen rapiuntur eò sæpe, aguntur que in furias desiderio maiore, quàm efficacia, & nocumento semper, si explere desideria contenderint, certo; quàm poterunt, reprimant se in eo, neque semper cupiditatibus satisfaciendum esse existiment. atque vsque eò tamen, vt, quod futurum noxium excrementum est seminarium, si manserit, expellatur: supra id nunquam quicquam tentent, nec commodum illi ad sanitatem tuendam suam, eoque nec temperamentum quidem, sed nec immutandum etiam, futurum, quum immutandum esse visum fuerit. quippe reficcabitur inde magis magisque, sponte antea per se sua siccum satis, temperamentum: non conseruabitur, multóque adhuc minùs humescet ex eo, vt quidem par fuerat, in potioris naturæ acquisitione. Et refrigerabitur quidẽ habitudo ita tota, vt hactenus conferre id posse videri possit: sed ea refrigeratio damnosa, quæ coniunctam siccitatem habuerit tantam, vt lethalis sit, & viam morti præstruat, viriumque vnà robur omnium maximè extenuet. In iuuenta tamen, consistentisque ætatis vigore, vt liberior, ac tutior dari rebus his opera potest: ita minus inde nocumenti accedet. Sicut plurimum certè maximumque semper expectandum in senecta, si quis per id ætatis ea quoque munia exercere instriterit, quæ ne omnium quidem optimę constitutionis totius senex obire, tractareque impunè queat: nedum siccioris intemperaturæ aliquis antea, nunc verò ex ætate etiam frigidior multo factus, possit.

Eadem ducenda ratio animi affectionum in his. Reficcant enim eæ quoque, & frigefaciunt fermè omnes, vt nulli futuræ his casibus vsui omnino sint, neque ad retinendum, quoniam plus iusto, exiccant, & membra exedunt: neque ad immutandum, quoniam contrarium, quàm quod volumus officium, quod humectum faciendi est, siccandi quippe, faciunt ipsæ. Nec, quatenus refrigerant, laudandæ hac quidem in natura, propterea quòd vnà quoque exiccent, quo tempore ac casu maximè irroratam cupimus humiditate miti dulcique habitudinem totam. Nec, vt de Venere dictum, quam huius quoque intemperaturæ iuuenibus, tanquam non omnino incommodam, probandam habuimus: dici idem de animi solicitudine, & curis potest, illa inprimis ætate nocuis. vtpote quibus cùm solis sæpe, tum vel maximè, si quid sese his aliarum eiusmodi causarum, vt paulò longior sub Sole mora, labórve addiderit, in calidos siccosque morbos, facilimè verò in ephemeras, interdum & acutas febres agantur, potissimùm atque inprimis intemperaturæ illius iuuenes.

Et exest membra cura affectusque omnis, nihil aliud, additque feruorem bilis bili succensæ ira. In Venere exercẽda si nullum aliud commodum, at illud tamen nõ nullum est, quòd excrementum molestum, virosumque, nisi proijciatur, futurum eijcitur: & simul alacritas quędam sequitur exhilarati ex modico eius vsu animi. Atqui affectio hæc quoque est animi, dicat hîc fortasse aliquis. Est vtique: sed non qualis cura, & solicitudo, & anxietas, verissimæ artuum membrorumque omniũ consumptrices. Atque affectio hæc ex parte tantùm est, quum animus fortè angitur inde: ex parte non est, quum concumbitur.

Præclarè cum his agetur, si, quoniam plurimum hos colligere biliosi humoris necessum est, præcipuè verò æstatis tempore, per inferiora alui protrusus viam sibi inuenerit ille. Sin in superiorem ventrem sponte sua feratur, per vomitum reiectandus, præmisso tepidioris aquæ potu ad reiectionem adiutus: vel, si difficilior vomitio succedat, vino etiam dulci concesso, idque post aquæ, qualem diximus, potum, quo discissum, & detersum ita meliùs bilis excrementum propellatur foras. ne videlicet in corpore diutiùs moram trahens, calidò per se antea & sicco, calidius etiamnum & siccius id præsentia semper sua reddat, & nocumenta adferat morborum ex biliosi humoris natura vehementissimorum, periculosorumque.

Atque is fuerit tractandæ calidæ siccæque, sed intra tamen sanitatis adhuc suæ terminos positæ, intemperaturæ modus, hæc ratio; siue conseruatam illi stationem suam in amplissimo illo sanitatis campo, siue etiam traductam ad meliorem voluerimus, quæ exquisitè attemperati vndique, & exactè constituti corporis est. Quò quum per mutationes multas, sensimque factas, delata peruenerit: mansionem inibi suam, quasique statiua habitura

per-

perpetua sit, iam non ampliùs immutanda: sed ijsdem, quibus attemperata prorsus, quoniam attemperata iam facta, optimæque constitutionis conditioni atque ordini veluti adscripta est, legibus; victusque per omnia, qui senario illo rerum, quas non naturales vocant, numero peragitur, rationibus, diligenter atque assiduè custodienda. Quod de omnibus in vniuersum dictum accipiatur velim, intemperaturis, quæcunque tandem Artis huius Salubris beneficio ac lege temperamentum sibi vendicauerint, & constitutionem bonam, libenter deinde in ea permansuræ.

Proposuimus autem benè calidæ & siccæ nobis naturæ, atque in extremo ita constitutæ intemperaturæ, exemplum, quo maior videlicet sperari possit successus in minùs tali. Ne tamen intereà ignoraretur illud, Proportione semper respondere iure debere, & quæ conseruandæ, & quæ dimouendæ in aliamque vertendæ intemperaturæ adhibenda fuerint. Non enim dubitandum, quin, si duobus fortè ab exquisito temperamento ordinibus discesserit intemperatura calida & sicca hæc: duabus itidem, siquidem permanendum illi in eodem fore iudicârimus, eiusdem intemperaturæ rerum aliarum ordinibus faciendum id sit. sin aliam faciendam, atque immutandam statuerimus, quod per otium commodè fiat: duobus rursus, sed contrariæ classis, frigidæ nempe atque humidæ, reuocanda ad exactum temperamentū ordinibus fuerit. Itemque de alijs eodem modo omnibus.

Calida natura, humoris autem & siccitatis in medio posita, ex dimidio hoc commodissimè conseruabitur in eodem semper: ex altero partim immutabitur, conseruabitur partim diuersis temporibus. Qua ætate, quo anni tempore, qua ambientis constitutione cauendum maximè huic à morbis sit.

Tum accelerata sæpe in hac senectutis causa.

CAPVT IX.



HAc ratione caliditate tantùmodo excedentem temperamentum nimia intemperaturam aliam, siccitatis autem & humiditatis medium obtinentem, hac ex parte in statu perpetuò suo conseruâsse, quantum per ætatum decursum licebit, nec inuertisse quicquam, operæpretium erit: caliditatem verò vel eisdem retinuisse, vel contrarijs, quum faciendi occasio aderit, & negotijs alijs omnibus soluto, immutasse cōueniet, seruata semper vtrobique rerum omnium, sicuti monuimus, proportione. At, quoniam temperata ex altero pari siccitatis & humoris, ex altero caliditate exuperans non tantum concipere, quàm sicca præterea admodum si esset, caloris solet: paulò minùs in hac calidis ad conseruandum, & ad immutandū frigidis rectè vsuri simus.

Non degrauata ab initio humore nimio hæc, cuius mediocritatem à natura nacta est, salubrior, quàm ex vtraque coniugatione intemperata, apparet. Iccirco nullo maioris alicuius humiditatis impedimento hi, & dentire tempestiuiùs incipiunt pueri; & dearticulata, expeditaque locutione delectant, minùs hærente, aut balbutiente lingua; & progrediuntur citiùs, promouentque semper in melius, pro rata annorum parte, ad adolescentiæ vsque annos. Quos quum compleuerint, exinde ad declinantis iam vsque ætatis tempus, absumente mediocrem humorem illum caliditate maiore, siccius omnino reddetur corpus: ideoque manifestè calidius, acuente semper calorem siccitate, vt bilis non parum proinde generetur tunc, biliosisque expositi maximè habeantur morbis.

Ergo toto eo cauendum id illis maximè erit tempore, ne in hos incidant, quod iuuentæ, & consistentis ætatis est. Inter anni autem tempora æstas periculosa his, & suspecta admodum, ac similis æstate constitutio, calidiorque ac siccior regio, tanquam calidioribus iam & siccioribus per ætates eas factis, eoque de temperamenti huius ratione, quæ tradita suprà tota est, tunc temporis tractandis: reliquo autem ætatum aliarum, quæ has ipsas præcesserunt, sic habendis, vt temperamētum illis siccitatem inter & humorem medium conseruatum semper quibuscunque rationibus velle debeamus: caliditatem verò, qua sola excedunt, modò demptam eis & introductam æquabilem temperaturam, quum facere id licebit; modò conseruatam, quum non licebit. Nam in senio constituti nō dubium quin senum itidem alendi victu, & ratione tractandi illiusmodi omni ex parte sint.

Atque eo fortasse citiùs faciendum in his id, quo tempestiuiùs, vel non multo minùs certè quàm calidi & sicci ab origine, citò senescere hi soliti sint, ꝓptereà quòd eodem illi, perpetuoque ab ortu, ad remittentis se vsque ætatis primordia, caloris tenore progressi, minorem licèt humiditatem sortiti, non valde citiùs tamen siccitatem, quæ senium faciat, sensuri videri possint; quàm hi, qui plusculum humoris nacti, temperatum quippe, nec exceden-

cedentem vsquam, superueniente, qua paulò antè diximus ratione, per iuuentutis, consistentisque ætatis tempora calore maiore, huius ipsius accessione breui admodum siccescant, ac mox frigiditas quoque sequatur necessum est. quod quum sit, vt consociatam habeat siccitas frigiditatem, iam senectus in foribus. Non paucos sanè certis temperaturæ huiusmodi notis præditos ocyùs canescere animaduertas: eoque conuenienti ætati illi victus in omnibus ratione necessariò tractandos de more habeas.

Calidæ atque humidæ intemperaturæ correctio qua parte iniri maximè debeat. Et quàm id faciendum cautè. Rationes dictæ, quibus probari poßit, Calidam atque humidam intemperaturam omnium temperatißimæ non admodum de bonitate cedere, si vna dematur, ex humiditate nimia quæ timeri potest, noxa.

CAPVT X.



Restat ex calidis intẽperaturis, quæ supergressam temperamentum caliditatem habet cum humiditate, cõditionis partim laudatissimę, partim quam non sine ratione damnes. Etenim plurimum sanè repositum in ea lucri ex eo est, quòd multo plus humoris, quàm aliæ, calidique vnà innati quum obtineat, in quibus vita, producendæ huic ipsi longè omnibus alijs commodior futura esse appareat. Non enim tam citò resiccatum hic humorem eum iri par est credamus, quàm alibi, vbi minor ille inuentus disperdi quoque facilior, ac celerior est. Itaque qui conseruatam retinere diutissimè humiditatem hanc valuerit, vt absque noxis vllis conseruandæ modum calleat: is profectò longissimæ, valdéque multos in annos protrahendæ vitæ certissimus corporibus author extiterit. Quod non perquàm factu facile tamen est. Quia quo magis natiuam humiditatem illam retinere studuerimus, cum periculo id maiore semper fiet, ne simul excrementorum quoque inde copia redundet in corpore, humidiorum vsum libenter sæpe comitari solita. At excrementorum vis redundans aduersissima semper incolumitatis tutelæ habita est, & morborum (quod inprimis intemperaturam hanc improbandam, vituperandámque reddit) nuntia multorum, mortisque adeò, minimè longæuitatis iustæ alicuius terminos moraturæ. Ea igitur moderatio adhibenda, diligensque inprimis cautio, sua vt, quàm fieri potest, solidis partibus intacta conseruetur humiditas, nisi quam temporis edacitas necessariò quotidie delibat: & item, quàm fieri potest, ne excrementorum, humorúmque superuacaneorum redundantia morbi nobis alicuius periculum creet vehementioris, cum vitæ discrimine, certáque ac manifesta iactura oppugnata sanitate, si crebrò fortasse nimis recurrant morbi. Ita sanè fiet, siquidem hoc assequuti fuerimus, vt neque morbis corripiamur; neque citiùs tamen, quàm in tanta humiditatis natiuæ præsentia par sit, consenescamus. Porrò autem assequemur, si humidiore victus ratione omni vsi, quali quantáque custoditum conseruari præsentem humorem verisimile sit posse, sedulò curabimus, vt excrementis generis tandẽ cuiuscunq; pateat per corporis partes omnes exitus, per aluũ, vesicámque, percutim quæ occultè diflantur euaporata, nonnunquam etiam manifestis sudoribus defluunt: vt exercitationibus inprimis omnia consumantur, balneorúmque vsu ante cibum initorum, quibus, si eo tempore ineantur, euacuari potissimùm contentę tota habitudine superfluitates solitæ sint, simul & solidæ partes minimè excrementitiè humescere, quod hic factum cupimus, dum quidem temperamentum eiusmodi conseruare studium fuerit.

Quod nihilominùs (quantum ego dispicere hac in re possum) faciendum nobis perpetuò esset, vt conseruare semper vellemus, immutare nunquam. Quum enim vna inter alias omnes visa non immeritò secundùm naturam se habere sit intemperatura hæc, calorisque atque humoris ad vitæ diuturnitatem plurimum retinere: meritò custodiri in eodem quoque volet, ne, si immutetur, detracta necessariò præter naturalem, quam ab insito calore fieri docuimus, resiccationem illam hac quoq; ratione humiditatis portione, accelerato ita senio maturetur mors.

In quo haud scio an melioris hæc etiamnum, quàm exquisitè attemperata illa, habenda conditionis sit, quòd, si rectè tractetur, nec auferatur illi, quam initio naturæ beneficio sortita fuit, humiditas, plus promittere nobis vitæ possit: nimirum humoris abundantia, multo quoque plus tẽporis exactura, antequàm siccescat.

Et coniuncta quidem quoque frigiditati humiditas idem polliceri nobis posse videbitur, de permansione: sed naturæ inimicum maximè frigus additum bonitatem

omnem demit, & deteriore loco cõstituit desidem, atque ignauam, oppressóque humiditate nimia innato calore, vitæ vegetioris muneribus, ac facultatum omnium functionibus, quas expeditè obire, compleréque non nisi calor iustus possit, destitutam. In hac caloris edendis actionibus futuri satis abundè est : & humoris habet alimentum, tanquam ex promptuario, paratum, suggerendumque ad multum multúmque temporis semper: quum siccæ naturæ, siue illæ calidæ præterea, seu frigidæ, seu mediæ harum fuerint, vt siccescant omnes antè multo, quàm hæc, perquàm necessum futurum sit. Nec alio vincitur à temperata, & omnium media, quàm quòd minùs multo, toto vitæ suo tempore, morbis illa obnoxia esse reperietur, à quibus æqualiter omnibus, inque omnem partem distat, in medio collocata: hæc, vt cæteræ intemperamento notatæ omnes suo quæque, qualitatum suarum affinibus maximè morbis, in quos proximus illi excursus, exposita est, sed ætatum tantummodo tamen primarum spatio, pueritiæ atque adolescentiæ: vt, si hosce modò annos intactos morbis superârint, de reliquo salubriùs indies magis victuri sint, & vitam diutiùs alijs producturi hac ipsa prędit.

Non igitur, quod dicere inceperamus, immutandam vnquam sumemus nobis, vt alias, quæ in deterius semper labuntur, intemperaturam hanc, quæ si naturæ suæ relinquatur, progressus semper maiores, adeóque etiam meliores, factura sit. Nam quum nullum vnquam temperamentum inueniatur, quod in eodē maneat, ac exiccando cuncta procedant, demum refrigeratio etiam subsequatur, quæ duo naturæ vitæque insidiantur nostræ, & inimica maximè habentur: in quibus vtrunque ab initio, aut alterutrum horum repertum fuerit, in his immutatio fiat aliqua, quum fieri id poterit, conueniet maximè, vt meliora succedant, calor humórque, amica nobis, & conuenientissima, atque hæc vel temperatissima, quod optandum maximè sit; vel, vt temperamentum excedant, eiusmodi tamen, vt non magnopere properanda sit exiccatio, quò sponte sua feruntur, temperamentum tandem etiam ingressura in iuuenta, consistentiǫ; demum ætate, ac vigente. Quin inclinantibus iam se annis, & remittentibus, humoris adhuc plus ad vitæ prouectioris productionem longiorem habitura, quàm omnium attemperatissima, quæ in Septennij septimi fine, aut octaui primordijs, quo ferè tempore senectus inchoat, iam manifestò siccitatem sentire cum frigiditate simul inuectam incipiat : quum caliditate & humiditate exuperans alia, ex humoris abundantia plusculum omnino adhuc illius cum calore vnà retineat, libenter humorem semper illum depascente, vt, nisi is adsit, ne adfuturus quidem ille sit, aut tenuis imbecillisque valde futurus, in pauco humore. Quorsum igitur attinuerit, cuius conseruatum nobis thesaurum ad extremum vsque, quãtum fieri potest, viribus omnibus contendimus, eius intempestiuè dissipâsse multo antè copiam, introducta siccitate maiore?

Hac inprimis de causa videbatur nobis, non, vt de alijs faciendum esse consuluimus, ita in hac quoque vt fieret, consuleremus ; vel minùs certè solicitè, minúsque vehementer in hac agendum esse ostenderemus, id modò si præstare possemus : at ne quid caloris atque humoris addatur aliud priori, quod nimium faciat, ac tantum solummodo, quo qualitas iuxtà ac quantitas rerum harum seruari in eo, quo priùs fuerant statu, valeant. Quòd si causæ alterius alicuius, quàm corporis temperamentum repertum fuerit, maioris accessione adauctum id iri qualitatibus suis his posse videbitur : dimouenda extemplo ea, atque abigenda. Hactenus resiccare corpora hæc licebit, non vt humoris prioris resiccatione nostra quicquam deperdatur, nisi quam innatus calor assiduè operatus fecerit : verùm ne noui alicuius, atque eius, qui qualitate ea excedat, additamento succrescens cum calore humor exturbet de conditione sua in morbos corpus, quorum antea meminimus, putredinosósque inprimis, quibus opportuna ante omnia puerorum, atque adolescentium intemperaturæ huius corpora esse videntur, & quos fluxio, & quos plethora facit. Quapropter defendendæ à morbis his, & huiuscemodi alijs, horum sanitati præfectus, cogitationes eò tendere omnes debebit, vt præcaueatur semper, ne quid tale parte ex vlla eueniat, vnde timenda hæc sint.

Quem vitâsse hi aëra debuerint. Cuius exercitationis his vsus commodus : qui cibus, potúsque, viniq; præsertim vsus. Quæ somni, aut vigiliarum tempora. Animi affectiones, Venus. Excrementorum, humorúmque educendorum ratio, misso sanguine, aut repurgato opportunè corpore, vel vtroque etiam facto.

CAPVT XI.

PRimùm omnium fugiendus ambientis aëris calor humorq; nimius, præsertim minimè perflati. Qui locorum erit quorundam, Soli, meridianisque, & austrinis flatibus expositorum, conualliúmque inprimis, aut aliàs si montes habeant à tergo Septentrionales arcentes, & obuersa in Meridiem loca facilè contrarios admittant ventos, palustria ipsa, aut stagnantium aquarum, vnde malæ sæpe exhalationes mephiti interdum pessima infectæ occurrant. Constitutiones pariter illiusmodi, quales sæpenumero experimur, calentes humentesque supra modum, his potissimùm vitandæ. Nam anni tempus, quod eiusmodi habendum sit, nullum. ver nanque temperatum est, quod calidum & humidum dicimus. Corrigendus ergo ambiens tunc aër, si vitari in totum nequiuerit, siccantibus & refrigerantibus. Quod facile erit suffimentis quibusdam assequi, quorum materia vbique, vt corporibus repurgatior occurrat, nec caloris atque humoris nimiā iam, ac proinde morbosam, abundantiam inuehat.

Exercitationem ferent hæc, longè quàm sicca, maiorem corpora, quæ tamen præter ea, quæ paulò antè de exercitationibus, & balneorum vsu super re hac tradidimus, eousque procedere debebit, vt superfluitates humidæ absumantur: minimè verò, vt solidarum partium humiditas tacta siccetur, néve exercitatione vehemēti fortè nimis, ac valida, supra quàm par sit, excitatus inualescat calor. Qua in re diligenter præterea aduertendum, ne fluxionibus morbosis corripiantur, qui se exercuerint. Contingere id solet, quoties, quod concretū fuerat in corpore humoris, crassumque, vel modicè etiam frigidum, ex desidis otiosæq; fortè vitæ ratione collectum; exercitationis calore commotum in spiritum vertitur, funditurque extemplo: vt necessarium iccirco sit corpus antea vacuâsse, ne id cōtingat. Poterit & frictionibus pluribus, iisq; paulò durioribus, eoque siccantibus magis, redūdaturæ fortè nimiùm in corpore humiditatis suspicio tolli, & sua tamen illi intereà relinqui: & cibo potuq; eiusdem rationis, quibus paulò resiccantior alendi facultas contineatur, & modicè, vel infra modum potiùs, calefaciendi insit vis, tunc tantùm, quum remouendus timor, nisi ita fiat, exituræ in morbi naturam intemperaturæ ex calore humoréque nimio.

Quod factum quum fuerit, potus cibusque conueniens erit, qui omni ex parte ęquet, non aut superet, aut infra intemperaturam subsistat. Dicique atq; intelligi idem de cæteris omnibus hoc idem facientibus debuerit. Delectus autem alimenti ex tanta retrò suis in locis explicata copia non difficilis, & æquaturi temperamentum, vt conseruari in eodem possit; & superaturi, vt illius vsus vitetur; & paulo magis resiccaturi, vt humor, qui iam malum minetur, præsensque, præcauendo anteuertatur: diligentique inprimis semper consideratione adhibita, vt exacta cibi in ventriculo concoctio sequatur, ne, si corruptio eius fiat, putredinosis, quibus maximè obnoxia intemperatura hæc sit, morbis aliquid inde causæ exoriendis præbeatur.

Eadem ratione neque vini sanè, in puerili ætate constitutis his, adolescentibúsve largiemur vsum: ne calori calor additus inflammet, & humori humor humectum magis reddat; simul ne vaporibus caput repleat, quod in calidis humidisque temperaturis vini potu contingit; & ne repleto capite perturbetur vnà inde mens. Porrò ad id iam caloris atque humoris processit puerilis ætas, vt si vel parum auctum vtrumuis fuerit, iam excessus fiat, ait (De tuen. sanit. j.) Galenus: εἰς τοσοῦτον γὰρ ἥκουσιν ὑγρότητόσ τε, καὶ θερμότητος, ὡς εἰ καὶ βραχὺ παραυξήσειε τὶσ ὁπότερον αὐτῶν, εἰς ἀμετρίαν καθίσαται. de ab ortu suo optimo temperamento præditis pueris agens, tanto magis de calidioris & humidioris intemperaturæ idem dicturus: vt, si in excessu illi positi dici queant, iam hi in proximo omnino futuri sint, vt in morbos erumpant, si quid præterea causæ accedat, ad præter ætatis puerilis consuetam cum caliditate humiditatem, natiuum adhæc qualitatum earundem intemperamentum. Proinde non sine causa plurimum in eo ponendum esse studij ac diligentiæ admonuisse videri possimus, ne eiusmodi excessus fiat, & ex excessu morbus. Iuuenibus tamen factis, quoniam proximè iam ad temperamentum iustum accedent resiccata humiditate nimia, sicuti alijs eiusdem ætatis vinum potandum permittebamus, ita permittemus his, egregiè tamen dilutum, modicumque: ne ex nimio ac meraciore proni in iram, & contumeliosi, ingenióque etiam reddantur interdum obtuso, turbidoque: quum aliàs, si ritè tractetur, vini hac ætate vsus futurus non parum commodus sit, mitigandæ non solùm bili, quæ pluri-

plurima per id ætatis gigni solet; sed per vrinas, & sudores eliciendæ; simul & siccitati, per corpus aliqua de causa obortæ, humoris remedium afferens præclarè nutrientis. Quo planè nomine vel natura siccioribus non inconueniet ea ætate, alijsque deinceps, vt docuimus, omnibus, naturarumque omnium: quandoquidem senibus in vniuersum, corrigendæ eorum siccitati ac frigiditati, nutriendæque vnà habitudini, nihil inueniri præsentius aut commodius posse, ostensum iam sit.

Somni ac vigiliarum eadem ratio: modus nimirum vt in omnibus seruetur, retinendæ naturæ, quam diximus, & qua diximus ratione, quanuis intemperatæ: neque augendæ tamen, contráque potiùs minuendæ; vel, vt veriùs dicatur, ne vltra temperamentum suum feratur naturale prohibendæ, quum in foribus fortè iam esse videbitur malum. non vt alia fiat, aut ad temperamenti æqualitatem transferatur, quod fieri frigidorum ac siccorum vsu deberet, eodem, quo calida ea atque humida reperta esset, ordine, contrariorum: sed vt nullo tunc paulò magis calidorum atque humidorum, & aliquo tamen, paulò minùs, quàm intemperatura ipsa sit, talium vsu retrò inhibita coerceatur. Et somni quidem tempora hîc videri possint, minimè, vt in attemperato prorsus, naturæ ipsi ex toto permittenda primore ætate, vt in qua dormiturus plùs iusto sit infantulus temperamenti humiditate nimia coactus. Verùm tanta est somni cum ętate illa affinitas, tot tantíq; percipiuntur ex eo tunc fructus, vt magnopere denegandus non sit, nec valde futurus esse præternaturalis videatur: ideoque nec admodum nocuus, etiam paulò quàm par sit productior, propter naturæ, quam diximus, conuenientiam eam. Et procedente simul ætate, siccescentéq; indies magis temperamento, non dubium erit, quin minus semper futurum sit somni, minúsque ideo timendum inde noxæ ex modico iam satis, donec surrepente iam senecta, & instantibus sæpe vigilijs, etiam de reuocando cogitandum fuerit.

Animi affectiones exiccant illę quidem quoque, vt hac gratia collaturæ negotio huic videantur, si quando excrescenti nimiùm humiditati in corpore resistendum fuerit: sed quum animæ simul nocumentum inferant insigne, illamque proculdubio (Platoni enim in hoc credendum, imò verò rationi hoc ipsum dictanti adhibenda fides) corpori applicent, & ceu clauo ingenti affixam semper teneant, hinc ablegantor aliò.

Venus è diuerso huic maximè intéperaturæ, si cui alij, amica, atq; inprimis cõueniens; sed cõueniẽti itidẽ ætate, quæ iuuẽtutis, vigẽtisque, ac viriũ suarũ robur retinentis corporis est: vt sæpe, nisi aduocetur, accedat ipsa, ac desiderium sui apportet ingens, plerunque somnijs vrgens, & nocturnis interdum pollutionibus deturpans. Quod ne fiat, grauatumque inde corpus veluti ponderi cuidam succumbat, & mœror prætereà, animique tristitia quædam, quam quid sibi tandem velit nescias, ac virosi tantummodo excrementi huius retentionem causam habet, torporque insolitus quidam accedat; accersenda ea in tempore, ablatura noxam statim molestiamque omnem de corpore, dempturáque illi humiditatis nimiæ suspicionem, & excrementum depositura non minimè sanè noxium, si diutiùs contentum retineatur.

Quod quanquam excrementis omnibus alijs commune sit, vt de corpore primo quoque tempore, sed suo tamen atque opportuno, eijciantur: hîc tamen, ob insignem quandam ac peculiarem naturã, quæ mira atque inusitata vtroq; in sexu, nisi expellatur, symptomata adfert, potissimùm valet. Eijcienda igitur omnia, in hac potissimùm natura, in qua nõ aliunde, quàm ab excrementis, superuacuoq; humore maius periculum imminet.

Quibus aluus moueatur, quib⁹ vrina cieatur, sudores eliciãtur, diflatiles fiãt humores, attenuatiq; in sensum latẽtem transpirationem illam euaporent; tradita antea non pauca simpliciora, compositioraque. Quorum omnium commodissimus futurus hoc loco vsus sit, retentis fortè excrementis, & abundantibus in corpore humoribus eijciendis, qui mox introducturi morbos esse videantur, non eiecti ipsi. Nec alia est intemperatura, quæ tam absque naturæ suæ intertrimento, quacunque ex parte, purgationes in sanitate ferat, propter humiditatem, quæ tam facilè consumi non periclitatur vsu horum in hac, quàm alijs: vt, etiam si apophlegmatisimis vti velis, etiam si repurgante bilem flauam medicamento, aut pituitam, aut serosa excrementa, aut aliquo, quod trahere cuncta hæc natum sit, vario, commodè facere id liceat. Quanquam præstabilius fuerit, venam secuisse; aut, quod proximum incisæ venæ est, & sæpe missi ex vena sanguinis vicem implet, scarificâsse malleolos. nisi fortè vtrunque fecisse conueniat, vt & mittatur hoc illóve modo sanguis, & repurgetur, qua diximus ratione, corpus.

Quicquid autem faciendum esse deliberatum fuerit, anteuertisse Veris statim initio necessarium erit. Adulto nanque, quum

quum iam inualescere inceperint calores paulò magis, tanquam liquati fundentur extemplo in corpore humores, atque ex plenitudine morbos, genus omne, gignẽt; destillationes, hæmorrhoidas, sanguinis profluuia. Febres insuper synochas, & phlegmonas creabunt, factis anginis, quas synanchas, quasq; cynanchas vocant. Atque ophthalmijs, pleuritide, peripneumonia, articulari morbo, alijsque generis huiusce, prout pars quæque in corpore natura, aut quam aliam ob causam, imbecillior, suscipiendis noxis opportuna inuenta magis fuerit, partes afficient. Dictum de calidis.

Frigida & sicca intemperies, quum primum licuerit, infantiæ maximè & pueritiæ temporibus, emendabitur, aëris, frictionum, exercitij, cibique ac potionis beneficio. Frigida & humida, ex frigiditate inprimis corrigi volet per omnia. Eadem in muliere intemperatura considerationem aliam admittet. Siccæ tantùm, humidæ que, eadem accommodabuntur, diuersè ex ijsdem rationibus petita.

CAPVT XII.



Reuior ineūdus erit de frigidis intẽperaturis tractatus. Quippe eadem traduci ab illis in has formula, idem adhiberi modus potest: sed contraria tamen quadam ratione ex parte, vt excalfactas hasce velimus, sicuti priores refrigeratas, quum variandę fuerint, atque aliæ faciendæ; ac partim resiccandas, si humidæ; partim humectandas, si siccæ repertæ sint; partim duorum, quæ postremò diximus, horum neutrum faciendum, si in medio constiterint. tot nanque numerantur frigidarum intemperaturarum differentiæ per totum: frigida & sicca, frigida & humida, frigida siccitatis autem & humiditatis in medio. Quarum deterrima, culpandaque maximè, frigida & sicca, senectutis specimẽ ab initio quoddam temperamento suo proprióque, veram autem certámque multo ante annos iustos, multóque maioribus cum incommodis, referens. In qua, si origini suæ permittatur, nec iuuetur quicquam; nec pueritia, nec adolescentia, nec iuuenta, nec vigens, roboréque suo firma, ac consistens ætas validas functiones edat vllas: eáque præditi minimè vnquam robusti, valetudinarij autem semper degant. Quos ideo non esse felices oporteat iudicio Aristotelis, (Rhetor. j.) quanuis nonnulli vitæ longioris esse possint, ex his studio adhibito, & diligentia; sed sine robore, & sanitate integra, eodem iudice. Nobis cura esse debebit, idipsum nimirum toto hoc opere ꝓfessis, sua vt corporibus omnibus, quoad eius fieri potest, integra, atq; illęsa constet sanitas, suumque hanc quoque, si non athleticum, at commodum vitæ humanæ abundè satis sequatur robur. Minimè igitur hæc tanquam deposita naturę suæ permittenda intemperatura: sed auxiliares huic inprimis, quo quidem egena opis magis esse nostræ videtur, admouendæ, & salubres adijciendæ ab Arte manus: magis quidem, vt alia fiat, conuersáque in melius temperamẽtum ingrediatur æquale, quàm vt in eadem persistat. Quanquam & hoc quidem faciendum quoque aliquando fuerit, vt, quum non vacabit, nec otij satis suppetet ad immutandum, similibus illam quibusdam conseruemus: nullam tamen intereà prætermittamus occasionem faciendi rectè id: quæramus imò vndique sedulò, tempus vt nobis & commoditas peragendi detur tempestiua. Et quemadmodum calidam & humidam non facilè, nec temerè, quasique coactis tantùm aliam faciendam, ac retinẽdam potiùs esse demonstrauimus: ad eundem, sed è contrario tamen petita ratione, modum frigidam & siccam hanc nunquam retinendam, nisi quum facere aliter non licebit; & immutandam semper, atque ad melius deducendam per otium & occasionem esse existimemus. Quod contrariorum semper vsu fiet, vt ad temperamenti æqualitatem adducatur, assiduo calidiorum atque humidiorum auxilio.

Inchoandum igitur ab incunabulis statim ipsis, & tractandum diligenter tunc negotium. Sin minùs: at, quacunque id ætate fiat, rectè atq; ex ordine factum defendi semper poterit. Nemo aũt ambigat, in teneriore ętate perfici lõgè hoc melius posse, in qua plusculum tamen humoris est, innatique vnà cum humore eo calidi: vt facilior ideo multo inde ad contemperamentum æquum, à quo natura licèt intemperatior non ita longè tunc ætatis vnius beneficio abest, futurus transitus sit. Simul quia corporales in pueris actiones vigent maximè, validæque inprimis sunt: non solùm concoctrix ventriculi, sed iocineris etiam, reliquarumq; partium omnium, ac totius corporeæ molis, vbi nutritio per habitudinem vniuersam absoluitur, facultas celebratior in his, & commodior multo euadet; nec sanè minùs cõfecti iam conuersiq; ad nutriendum alimenti nutriendæ parti applicatio, adhæsio, assimilatio; maximi omnia semper ad immutãdam intemperaturã hanc momenti, atque vsus. Faciet quidem ambientis quæsita quoque

commodè ad rem hanc qualitas: faciet frictio, qualitate mollior, quantitate mediocris: faciet exercitatio, excitando tantùm, corroborandóque ita calori, ne torpeat, factura, non quo ſiccetur habitudo, aut citiſſimè ſeneſcat corpus defatigatum, quod facilè intemperaturæ huic contingere ſolet, ſi paulùm modò plùs ſe exercuerit: omnium verò maximè diligens obſeruatáque faciet cibi ac potionis in hoc ratio, excalfacientis, humectantisque. Ab his proxima dos tribuetur balneo aquæ dulcis, tum & ſomno. Itaque quoniam hoc inprimis inchoari perficique negotium in infantili, puerilique ætate poſſe diximus; hisque maximè ætatibus conuenientia quadrant tria hæc, lactatio, balneum, ſomnus: & perquirenda erit Nutrix calidioris atque humidioris temperamenti, quæ lac diu, multumque præbeat; & frequentanda lauatio; & conciliandus ſomnus, vt longiſſimus ſit; cæteráque exequenda, quæ huc tendant, cuncta. Neque deſiſtendum tamen ſubſequentibus etiam ætatibus, ſi perfeciſſe id primis his haud licuerit: agendáque ſedulò omnia tunc, quęcunque in Gerocomica Artis parte expoſita traditáque à nobis fuêre, quæ fruſtra hoc loco repetere neceſſe non habemus.

Neque hoc ſolum: verùm ſciant, qui legent hæc, & Analeptice, qua reficiuntur à morbo corpora, ſatis factum ex eo tractatu fuiſſe, vt replicandum de ea vlteriùs non ſit. Peti enim ex eadem prorſus formula tractandorum ex omni victus ratione rectè ſenum ratio, & corrigendæ frigidæ ac ſiccæ intemperaturæ, & reſumendi poſt morbum corporis, cumque hoc recolligendarum virium modus non ſolùm poteſt, ſed debet. Tria hæc, vt, qui vnum nôrit, omnia nôrit, maioris tantùm ac minoris inter ſe ratione diuerſa. Quam planè differentiam actioni, quum agendum aliquid erit in præſenti, rebus ſuis accommodare bonus Artifex, non cum magna difficultate, poſſit.

In frigida & humida intemperatura frigiditas corrigenda potiùs, quàm conſeruanda: & conſeruanda tamen, quum, vt corrigi ritè queat, non dabitur otium. Humiditas contrà conſeruanda potiùs, quàm corrigenda: & corrigenda tamen, quum eouſque excreuerit ad ſummum, vt malum mox futurum minetur, potiſſimùm verò coniuncta cum frigiditate, vt à qua minimè repreſſa maiores ſemper vires ſumat humiditas, oppreſſura etiam innatum calorem magna ex parte, niſi reſiſtatur, ob natiuam corporis frigiditatem non ſanè magnum, aut validum. Præſtat igitur caliditatem potiùs auxiſſe hîc calidis, quàm humiditatem imminuiſſe ſiccis. Simul nanque amota frigiditate, & introducto calore, caſtigabitur humiditas; & repreſſa periculoſa minùs fiet: & aut temperamentum inde exiſtet calidum & humidum, cuiuſmodi non omnino improbandum eſſe oſtendimus; aut temperamentum erit æquabile, omnium laudatiſſimum. Quamobrem & ambientis calor expoſcendus ad hoc, & exercitatio acceſſenda mediocris, qua calor paulatim commotior factus ſuſcitetur, atque humori iam dominari incipiat ſenſim. Abſtinendum tamen à balneo, ne videlicet colliquatus ex eo, fuſúsque humor fortè nimius fluxionum morbos faciat, quibus expoſiti maximè hi ſunt: ac pro eo vnguenta adhibenda modicè calida, qualia ferè deſcripta ad laſſitudines habentur ſuprà.

Victus paulò magis attenuans inſtituendus, ſomnus modicus. Neque aduerſa Venus, vtpote qua, ſi rectè ab his ineatur, ſimul humiditas decreſcat redundans, & excreſcat calor. Et quia abundat humiditas ab origine in his multa, quam natiua itidem frigiditas fouet, vnde excrementorum quoque multorum ſæpe prouentus in corpore: prouidendum, vt excernendorum magna ſemper habeatur ratio, in frigida quidem & ſicca quoque natura, ob frigiditatem, quæ excrementa edere ſolita ſit non pauca: in frigida verò & humida maximè, atque inprimis, vbi multo ſemper maior ob geminam cauſam excrementorum copia. Cæterùm quibus euocentur excrementa de corpore, & trahantur interdum humores, dictum antea dicata medicamentorum materiæ huic operis in parte ſatis.

Eſt hæc muliebris naturæ intemperatura tota, ſic quidem, vt frigiditas ea atque humiditas, quæ viro pro intemperamento cedit, eſſe mulieri pro temperamento maximo queat. Atque hæc ſexui illi conueniens intemperatura habetur, vt immutanda magnopere non ſit, pro ſexus quidem ſui ratione medium nacta. Quod egreſſa quum fuerit, quamcunque in partem, frigida & humida mulier, hoc totum, frigida & ſicca, aut frigida, calidáve tantùm, atque huiuſmodi: iam immutari hæc quoque ipſa poſtulet, & alia fieri, vt de viris traditum fuit, poſſit: interdum & debeat, ſi ex immutatione hac expectâda meliora fuerint. Id quod de attemperata, & ſexui illi accommoda natura, frigida quanuis & humida, ſi cum attemperato viro comparetur, faciendum non erit. Vt non immeritò Author libri de ſanorum victu reprehen-

ſio-

sionem meruerit à Galeno, quòd ita in vniuersum pronuntiârit : τὰς δὲ γυναῖκας χρὴ διαιτᾶσθαι τῷ ξηροτέρῳ τρόπῳ. Etiam'ne, quæ secundùm naturam se habuerint humiditatis suam, eæ vt resiccentur? minimè arbitror. At præternaturalis sexui humiditas vt auferatur? verissimum hoc. Verùm id in viris quoque obseruandum, vt virilis sexus modum excedens, & temperamentum iustum, castigetur, quoties fieri id potuerit, & debuerit: non solùm humiditas, sed & siccitas, & frigiditas, & quicquid, quod modum mensurámque egressum æquam, corrigendum est, ac, ne vltrà contendat, inhibendum.

Duæ supersunt ex Intẽperaturis octo. tot enim tantummodo numerantur, compositæ quatuor, & item quatuor simplices: quarum duæ iam traditæ, calida tantùm, & frigida tantùm, ex tractatu de calida tantùm hæc quoque intelligenda, vt cui ex eadem formula accommodari cuncta facilè possint, id vnum modò, si contraria omnia fiant, eadem semper ratione: simul vt mediam altera ex parte ingressi in hac viam, neutrò deflectamus, nec siccum, nec humidum facientes quicquam. Reliquæ sunt duæ, humida, & sicca. solæ quippe ita: ex altero autem coniugationis pari, quod caloris ac frigoris erat, temperatæ. Harum humida, quoniam temperamentum caloris sortita est placidioris, proinde nec tantopere siccantis, esse castigatior debebit. Etenim in calida & humida, non esse magnopere solicitos de humiditate oportere diximus, quòd ea, caloris vi siccantioris, siccatum per se iri properaret. Hic in humida tantùm non æquè sperandum nobis idem fuerit. Itaque adhibendum artificium, ne fortè, supergressa mediocritatem humiditas, nimietate sua nos fallat, & morbos inuehat. Quæ verò id facere possint, dictum. Sicca autem tantùm, minùs quidem nos, quàm si calida insuper esset, vrserit ad humectationem sui: & quia sicca tamen, non admodum amica nobis scilicet qualitate, persuadebit facilè, ne quid elabi nobis opportuni ad id faciendum temporis sinamus. Quamobrem quum primùm per negotia licebit, corrigendam curabimus: idq; cibo ante omnia, & potione, quibus inprimis iecoris cordisque, vnde & habitus totius, immutari temperamentum solitum sit. Humefacientibus igitur vtemur, inter calidúm autem & frigidum temperatis, ex Tractatu superiore petendis. Sic tamen, vt non parua habeatur circunfusi quoq; nobis aëris ratio, quem ad immutandum contrariæ hoc loco fore qualitatis necessum sit, nempe humidioris. Cuiusmodi est hyemis, vel hyemi similis constitutionis : si modò caloris temperamentum, quod conseruandum hîc sit, arte aliqua parati quæratur : non, quemadmodum in calida & sicca, cui immutandæ naturale, vllo absque artificio hyemis temperamentum quadrabat ex toto. Tunc alimentorum & temporis beneficio hoc vsi, reliqua admouebimus de frictionibus, balneis, exercitationibus, alijsque id genus petita auxilia, quibus seruato temperato calore iam præsenti, humor, qui deest, insuper introducatur etiam temperatus.

Inæqualium intemperaturarum per corpus animaduertenda multiplicitas. Ex Cordis, Iecorisq; temperaturis nulla magnopere statui in corpore intemperaturarum inæqualitas potest. Castigandis intemperaturis inæqualibus omnibus communis ratio attendenda.

CAPVT XIII.

MVltiplex inprimis, ac multijuga inæqualium, per corpus totũ, intemperaturarũ ratio, de quibus vt tractetur, locus nunc hic exposcere videtur. Nã non solùm diuersa partium duarum, vel plurium, aut contraria etiam inter se multimodè coniugata intemperamenta inæqualitatem fecerint: sed etiam vnius alicuius, præsertim nobilioris, in corpore discordans à reliqui totius corporis intemperamento partis intemperatura, illam ipsam induxerit inęqualitatem. Vt si caput fortè, aut ventriculus, aut cor, aut iecur, seorsum quodq; per se, proprio, alioque quàm reliquum corpus vniuersum, præditum intemperamento fuerit: iam æqualitas intemperamenti totius perierit absque dubio. Quippe frigido & sicco, exempli causa, existente corpore reliquo, calidum atque humidum caput, cerebrúmve si inueniatur solummodo : inæqualitatem inuehet, & noxæ erit. Longè autem magis, si duæ, plurésve partes, ac quo plures magis oppositis inuicẽ intemperaturis pugnârint. Deligendæ potissimæ, quarum exemplum deduci in alia omnia possit, inæquales intemperaturæ: tum, quæ omissæ plurimum detrahere de summa Salutaris Artis huius queant.

Ac de Iecoris quidem, & Cordis intemperaturis diuersis, tametsi viscerum principalium, quia totius ex his habitudinis, & corporaturæ temperatura, aut intemperatura, de quibus iam tractatum, pendet: non admodum tractandum hoc quoque loco esse

esse existimamus. Etenim erunt duo hæc viscera vel proprio conuenientique sibi temperamento prædita, & attemperatum corporis habitum reddent. Vel sibi inuicem consentient, vt calidum vtrũque, aut fortè frigidum, aut humidum, aut siccum, aut cõiunctum ex his vnum aliquod sint, & non discors inter se, quò quidem venæ & arteriæ perueniant: intemperatura de his, veluti de fonte deriuata, prodibit. Vel aduersabuntur, vt calidum, frigidum, siccum, humidum seorsim, aut coniunctim iecur sit, cor contrario modo affectũ. Quo casu rursus temperamentum quoddam existet æquabile, non quidem quale paulò antè diximus, in quo ex conuenienti congruóque visceris vtriusque naturæ temperamento æqualitas temperamenti, siue æqualis potiùs intemperatura resilit: sed temperamentum tamen quoq; hoc, & quidem æquabile, quippe attemperatum sæpe fuerit. Nam & iecoris frigiditas, cordis caliditate vinci, & frigiditate caliditas, humiditas siccitate, & siccitas humiditate, quanquam ægrè, vinci tandem tamẽ quum soleat, non in contrarium prorsus vt abeat aliquando, atque ex siccitate humiditas reddatur, sed vt temperamentum inde fiat. Idem expectari in reliquis quoque poterit, si modicæ fuerint, nec magnopere cordis qualitates, quæ iocineris sunt, excesserint. quo facto temperamentum dubio procul existet, & quidem æquabile, temperatumque. Aut insigniter exuperantes cordis qualitates iecoris alias illas obscuratas euincent. quod factum quum fuerit, suum propriumque habitus totius intemperamentum faciet cor, sed æquale per totum: vti iam inter de inæqualibus intemperaturis tractationem disputãdum de his haud valde sit. quod probatum volebamus. Fit porrò maximo inter se venarum vbique, & arteriarum commercio, ac cõtactu, materiæque eiusdem communicatione, vt consensu mutuo in consortium earundem sæpe qualitatum trahãtur, victo, vincentéve alterutro viscere, vt temperamentum modò, vt diximus, intemperamentum modò fiat, sed æquale: nec esse intemperamenti ideo inæqualitas inter hęc duo, vel non, quæ peculiarem Artis opem flagitet, possit.

Illas potiùs, atque ex vsu maiore fuerit studiosè expendisse, quæ tuendæ sanitatis Artifici plurimum sæpe negotij exhibeant: vt quum de capite propter Cerebri intemperaturam huiusmodi defluunt in subiectas partes excrementa, & aut grauedinem in nares, aut raucedinem in os faucesque delata faciunt. nõnunquam, si paulò acrior defluxio fuerit, exulcerabuntur tactæ ea partes, vel dentes sæpe ipsi erodentur, & pulmoni tabes continget eroso, quæ φθόη Græcis est. Iam si impetum ceperint in ventriculum, ventrémve, tenuia, crassáve intestina, aut mesenterij vasa: quos non ibi morbos edent excrementa, alios frigida, alios calida, corrupta alios? Quos Medicorum pars maior, nihil prouisa causa quæ faciat, ac facessito partibus tantùm affectis, medicamentorum vsu diuersorum, negotio, sanare se posse credũt. Quãto meliùs facturi, si abscissa hos ipsos faciente causa, dum per otium & incolumitatem licet, priusquàm mala hęc euenerant, multo antè consuluissent, addito capiti robore, ac firmato. Addetur porrò, ac firmabitur non aliter meliùs, quàm si, quoniam partis vniuscuiusque imbecillitas intemperaturam causam habet, quæsito diligenter priùs intemperaturæ genere, atque ex deductione ad temperamentum emendato, defluentium humorum quasi fons quidam tollatur, quæ Salutaris Artificis partes sunt, ad Tractatum hunc pertinentes emendandarum Intemperaturarum. Quòd si præ magnitudine fortè intemperaturæ assequi tantum non dabitur: tunc proximum erit subsidium petendũ à Præcautrice Artis parte, qua colligi iã cœptus humor præcauebitur, aut auersione, aut deriuatione, aut resiccatione, aut repurgatione, aut omnibus simul his, ne quã, prę-cipuè verò nobiliorem, in partem incumbens, periculum illi inferat. Conandum priùs id, si fortè conuerti in melius intemperatura queat. Nam eiusmodi reliquisse, vel etiam, quod similium vsu fit, cõseruâsse, ex qua morbi tot immineãt: nisi, quum aliter facere nobis non licet, & negotijs impedimur, haud sanè consultum admodum fore existimandũ est. Cæterùm cõtrarijs castigatior facta attẽperabitur vnaquæque.

Corrigendæ Capitis, Cerebriq; intemperaturæ modus ab aëre, frictionibus, Thermis maximè, in frigidiore intemperatura & humidiore, sulfurosis, & aluminosis; in contraria, dulcioris aquæ; vel vtrobique ex arte paratæ alicuius. Alijs item tentabitur idem commodè quibusdam.

CAPVT XIIII.

Nec dubium, quin, quum expositũ semper circunfuso maximè aëri caput sit, sæpe etiam apertũ; totum sensurũ maximè qualitates illius sit quatuor illas, caliditatis, frigiditatis, siccitatis, humiditatis. Indicio sunt ex insolatu ardor, & repentinæ ex refrigeratione grauedines. Ideóque ex his affectum, affici non minùs ad contemperan-

dum, quum rei huius vsus venerit, posse videbitur: & calidioris iusto cerebri intemperies circumambientis frigiditate ad temperamentum æquale deduci, frigidior caliditate, humiditate siccior, siccitate humidior. Quærendus igitur, qui hæc maximè præstet, aër, pro intemperaturarum ratione, quoties opus fuerit.

Exercitatio, qua priuatim exerceri possit caput, per se, solumque, non commouente se corpore reliquo; & aut excitando cerebri calore, si fortè frigidius iusto fuerit; aut siccando, si humidius; non ferè vlla. Succedet in locum eius conuenienter, vt sæpe aliàs, frictio. Fricandum igitur ob id, & pectendum caput, idque suo tempore, matutino quippe maximè, & euacuato ventriculo, & tractatis priùs inferioribus membris. Tum & capitis lotio, ex herbis, rebúsque ad intemperaturæ correctionem, quam factam volumus, facturis, quarum copiosus haberi delectus ex materia medica semper poterit: & puluisculorum post hanc inspersio, ad rem eandem optimè conueniet, indidem accipiendorum. Nobis veluti digito monstrâsse viam, sat sit.

Illud maximum in emendandis frigidioribus atque humidioribus cerebri intemperaturis, ac certum propè remedium, naturalium balneorum quorundam vsus, sulphuratorum inprimis, si quid prætereà aluminis retineant. Nam & collectitij per cerebrum humores dissipabûtur haud magno negotio ita, siccabuntúrque; ac toti addetur parti robur, conciliato ex caliditatis & siccitatis qualitate temperamento, partim quod sulphuris vis faciat, partim ex adstringenti facultate, quod aluminis. Adstrictiores enim paulò, proinde in vnum veluti coacta facultate, partes roborantur eo pacto semper, vel quæ caliditate & siccitate ad temperamẽtum indiguerint: vt post calidorum & siccorum vsum, si adstringentia admoueantur, vel si miscella etiam facultatum harum fuerit; minimè difluentium ita partium vis meliùs consistat, nec laxatæ ingruentibus nocumentis pateant, & quasi in vnum conspirantes fortiùs sese opponant. Itaq; scimus non sanè paucos magnum, ex Thermarum illiuscemodi vsu, affusa per siphones capitis vertici de more, aut instillata aqua, fructum reportâsse, in quibus manifestò frigida atque humida intemperatura laboraret cerebrum.

Quæ si calidior fortè fuerit, abstinendum ab his, quæ sulfurosa, & ex parte aluminosa vt essent, conuenire diximus: proque his, si quod spontè nascentium aquarum dulciũ inueniri genus possit, in quibus medicamentosa vis nulla calidior insit nisi actu, harum fortè non inconueniens futurus vsus sit. Nam & caliditatis vi, in actu quam possident, intrò ferentur facile; & frigiditate natiua mox recuperata, discedente ex accidenti quam habebant caliditate, emendare cerebri caliditatem poterunt. Enimuerò reperiri tales spontè alicubi erumpentes aquas, cognitum multis est. Nam tametsi magna ex parte fiat, vti, quæ spontè calidæ scaturiunt, eædem medicamentosi semper secum aliquid trahant: at id perquàm necessum tamen non est, quando loca subterranea natura sua calida, sicuti materiam inueniunt ibi plurima illorum, ex qua sulfur, aut alumen, aut nitrum, aut salem, aut tale aliquid faciant: horum tamẽ ipsorum aliqua non inuenient, & caloris tantummodo vim, quam ex loci natura ducunt, præ se ferent, nulla medicamentosæ potestatis alicuius vi relatæ. Hinc sanè consideratè admodum scriptum de his à Galeno (De tuen. sani. vj.) legimus in hunc modum: οὐ γὰρ ἦν ἴσως θερμὰ μὴ μετέχοντα τινὸς δυνάμεως φαρμακώδους. ἴσως, inquit, fortasse: ambiguæ sententiæ significatum, mox addens, inuentu raras haberi, fassus ex hoc ac planum faciens, quanquam rarò, inueniri tamen, & quarundam meminit in Allianis & in Prusa talium.

Nos & harum, ea qua diximus ratione, aquarum, & si quæ prætereà ferreæ tantùm sint, non obfuturum calidis cerebri intemperaturis vsum crediderimus. Tum si quo artificio frigiditatis facultas ex rebus, quarum magna vbique copia, aquæ alicui concinnetur incoctis, quæ in capitis verticem ad suturam maximè coronalem, quam vocant, stilletur.

At inter calidioris intemperaturæ Capita, quæ vehementer calida sunt, quasique exæstuant, hæc præstat æstate, quo maximè tempore, nisi cauerint, morbis corripiuntur naturæ suæ affinibus, vnxisse rosaceo: sed simpliciore illo ex solis rosis parato, oleoque, quod omphacinum vocãt, immaturo, salisque experte. Eodem tempore, inque eundem vsum, & corollæ ex rosis gestatæ, quibus confertis admodum cingatur caput; & suffulti ex eisdem rosis, vel si quid aliud eiusmodi sit, pilei benè facient. Accommodanda cibi tunc quoque potissimùm refrigerans qualitas; ac, vnde omnium minimè in caput vapores calidi resiliant, potio. Captandus somnus, si siccitas prætereà calorem comitetur, vt ferè fit, quem humectãtia facient, humecto cerebro, rursusq; cerebrũ humectabit factus: vt vigiliæ siccabunt, quas eodem modo siccantia faciunt, siccato itidem cerebro, causa vtrunq;

ia vtrunque & effectus humiditatis siccitatisq; factum. Vitandæ pariter curæ, quibus sicci nimis cerebri cura erit contemperandi. Eæ nanque vigilias faciunt, vigiliæ siccitatem: auersa quippe à somno mente per cogitationem assiduam, quæ venientem sæpe excludat. Siccitati verò introducendæ, vel attemperandæ potiùs humiditati nimiæ, quoties faciendum id fuerit, quum vigiliæ non inconueniant: at vigilias facientes curæ non conuenient tamen, plus allaturæ corpori reliquo toti nocumenti, quàm emolumenti cerebro. Quamobrem quærenda tunc alia, quæ id præstent. Et offerent se multa, partim iam paulò antè allata, partim ex descripta suprà ad hæc materia excipienda, passim iam obuia. Tunc emissaria quoq; aperta conseruanda diligenter, per quæ excrementis exeundi de cerebro potestas sit: vt, cuiuscunque modi intemperaturæ introducere temperamẽtum destinauerimus, in minore semper id excrementorum copia perfectum reddere commodiùs liceat: tanto magis, si humentior per se, & excrementosa intemperies fuerit.

Corrigendarum Pulmonum intemperaturarum formula, Ventriculiq́, omnium, quarũ magna esse consideratio debet: frigidæq́, inprimis ac siccæ, contrariæq́, huic calidæ & humidæ: tum frigidæ & humidæ, & calidæ ac siccæ. Atque harum de maiore, minoréque, aut æquali à temperamento recessu cogitandum.

CAPVT XV.

NON cuiusuis partis corrigendæ intemperaturæ anxiè ac scrupulosè adhibẽda semper cura & solicitudo: sed principum, atque earum inprimis accuratè agenda, vnde deriuata in reliquum corpus emanat vis, ac facultas quædam. Quanuis paucæ admodum superfuturæ sint, si hoc fiat, quæ non intemperaturæ suæ emendationem subeant, corporis totius partes. Nam & Cordis Iecorisq; temperamentum, habitudinis sequetur totius temperamẽtum, extremorumq́ue ipsorum, quò quidem venæ atque arteriæ attingunt; & Cerebri, neruorum; & Ventriculo consentient intestina, magna ex parte; & Renum vesica trahetur in consortium, perpaucis, vti dicebamus, reliquis factis partibus. Nã Pulmones, quoniam illorum inprimis ex carnis substantia vsus, quam mollem, raram, leuem, spongiosam esse oporteat, ac fungosam, recipiendo meliùs per omnia spiritu, præparandoq; ad refrigerationem cordis ex ventilatione; quo futuri sint temperamento, minimè quidẽ, vt arbitror, esse solicitos oporteat. In quo nihilominùs si quid ponendum diligentiæ fuerit, totũ propè confici negotium ex circumambientis aëris qualitatibus appositè ad intemperaturæ castigationem quæsitis debebit, non multum sanè conferentibus ad vsum quidem hunc causis alijs. Quare & in frigida calidus intẽperatura perquirendus aër, si correctã attẽperare statuerimus, & in calida frigidus: deq; humore, & siccitate idem. Etenim acceptus facilè inspiratione per pulmonum carnem laxam, ac penè cauernulosam, perquàm tenuis ipse, nec vlla, quàm quæ conueniens nobis fore videatur, qualitate alia infectus aër; facilè simul eandem illam qualitatem contactis partibus addet, & temperamentum faciet.

Maius in eo operæpretium fiet, si studiosè Ventriculi intemperaturæ, vitiosaque illius omnia tractentur, cùm ob partis nobilitatem hoc ipsum expostcentis; tũ, quòd aliæ consentiant sæpe huic, neq; ipsæ quidem ignobiles, caputq; inprimis. Sicca, vt cordis quoque, ac iecoris, atq; habitudinis totius, improbanda maximè: præsertim si coniunctã frigiditatẽ habuerit. Siccitatem hoc loco nõ accipimus morbosam penitus illã, imò morbũ iam factã, solidioris similariũ partiũ substantiæ, sanationẽ omnem quę respuat, vt senectus etiã ipsa: neq; aliã, quæ absumptæ omnino humiditatis propriæ sit, qua nutriri partes solent, roris in morem per animantis partes omnes dispersæ, contentæque, neq; vnquam ratione vlla particulis inserẽdæ, nisi ex nutrimento. Harũ vtranque, alterã insanabilẽ prorsus, sanabilẽ alterã, sed maximo negotio, quippe quam curiosè admodũ in Therapeuticis curandã tradat (Therap. vij.) Galenus, tanquã propositæ nobis artis limites egressam, minimè officij nostri esse deputabimus: mirabimur potiùs, maximos Authores hãc Salubri Artis parti operum suorum inseruisse. Reliquarũ siccitatum duarum, quæ liquatorũ eorũ, quorũ substantia ex concreto humore constiterat, fuerit, si in febribus ea eliquãtibus, vt sæpe fit, contingat, ne tũ quidẽ partibus illa adnumerabitur nostris: sin in paulatim macrescente ante manifestã actionis alicuius oblæsionẽ eueniat, muneris nostri huius fiet, qua parte aut pinguefaciẽda, aut emacrãda corpora sumit. At quæ particularũ venis atq; arterijs exarescẽtibus ob sanguinis penuriam consistit, ea quoniã reficientiũ se ex morbis ferè est, tota propositæ nobis nunc Arti delegabitur. Et quæ temperata ficciorem, sed intra tamen sanitatis terminos, partium substantiam reddit, tota Salutaris Artis erit. Ergo nos frigidam & siccam Ven-

triculi intemperiem, quæ corrigi debeat, eam habebimus, cui sua adhuc constat solidarum partium omnium humiditas; sed pauca, nec quanta in attemperato esse homine debeat: & itẽ per corporis particulas ceu ros circunquaque fusa, sparsaque alia, itidem eodémq; modo pauca, quam augescere in iustam attemperatę constitutionis quantitatem velimus, sicuti supra temperamentum æquum auctam minuere. hoc enim nihil aliud est, quàm sicciorem iusto, aut humidiorem Ventriculi intemperaturam, in temperamentum æquale deducere. Déque calida & frigida ad eundem modum. Quæ omnia, sicuti modò de Pulmone memorauimus, cuius intemperaturæ conuenienter aëris ad rem accommodati inspiratione emendentur inprimis, ita cibis hîc & potionibus peragentur maximè. Est autem magna vbique qualitatum harum, in ciborum censu omni, copia omnium, quacunq; futurum fuerit opus, seu simplicium, seu componendorum: vt si fortè in frigida & sicca intemperatura, qui caloris & humoris ad contemperandum non satis habeat, ad manus nobis non sit cibus, ex compositione quæramus: & omnibus tamen alendi quoque facultas insit, quos medicabiles, & medicinales cibos nuncupamus. Ne expectetur autem à nobis, dum exempla rerum harum tradamus, quibus propositum tantùm sit viam ac rationem inueniendorum ostendere, vt his cognitis penè in numerato futura dein sint omnia. Simplicioris tamen cibi exemplum, buglossum vtrunque, & cyrsion, inter olera: inter animalia quadrupedia, aprugna, vitulina, vel iuuencorum, iunicúmve, vel domestici etiã suis caro, ceruorumque ac capreolorum inprimis. non enim verebimur, ne conficere ista queat, si ritè parentur, noster is, qualem supposuimus, non deiecta admodum concoctrice facultate. Tum verò & marinorũ aliquot, & fluuialium piscium nonnulli, ex iure aliquo, condimentóve, aut intinctu, calorificæ quoquo modo facultatis, qualia descripta priùs à nobis habentur quædam, non incommodè concedentur. humectationem enim pisces per se fecerint: condimenta calorem addent. Compositioris, Iuscula multa, ex oleribus, fœniculo, petroselino, smyrnio. Ex frugibus, tritico, oriza, iusque ipsum veterum album. iurulentum enim quod inerit, humorem; incocta calorem conferent. Ac dilutio præterea vinorum diuersorum diuersa, & ex melle & saccharo multa. Neque necessarius erit cibi vsus hîc tam tenuis, ac penè iam concocti: sicuti in maxima illa siccitate, in qua propter imbecillitatem solidarũ partium nutriendarum, tenuissimo, & confici facilimo nutrimẽto opus est. nulla enim iam tunc humiditas inter particulas sparsa, quæ nutriat: hîc nonnulla, plusque ideo ad nutriendum facultatis, atque humoris, vt concoquere valentiùs queant vel solidiorem cibum, quàm superiore, nimirum intemperatura morbosa vtraque affecti, atq; eum etiamnum benè satis actu calidum si sumpserint, inprimis proderit. Foris adhibitum dulcis aquę balneum conducet, & vnguenti aliquid, cuius eadem sit facultas: vt ex nardino, aut masticino, cum chamæmelino vnà oleo, & puluisculis parati: Cerátumve ex ladano, palmulisque, ac dulcioribus passis. Pro exercitatione ventriculo frictio erit, partem eam corroboratura, & excitatura calorem, si modica adhibeatur; & humectatura, si mollis: & post frictionẽ picatio, & bonæ habitudinis puellus, qui vẽtriculi partem eã cum abdomine vnà vsque cubans tangat. verùm & catelli eodem modo admoti multis idem præstabunt. Sitq; hoc frigidæ ac siccæ Ventriculi intemperaturæ corrigendæ exemplum, ad alias traducendum.

Ac si contraria huic esse notis suis apparebit, calida nempe & humida: eodem quidem exemplo tractabitur, quia corrigendam accepimus; sed diuersa tamen ratione quadam, ac modo, quia contraria. Et cibis igitur quoque ac potionibus id moliemur: sed refrigerantibus, atque exiccantibus. Quorum copiosa vbique ceu sylua: vt non attineat recẽsere, quum progredi per eadẽ omnino liceat, præeunte tãtùm semper contrarij consideratione, frigefaciendi quippe, & resiccandi. Iam igitur piscium hoc loco magis congruet esus: potus verò aquæ, vel aquosi certè vini, & eius diluti: lac, & lactaria omnia, qua quidem intemperaturæ corrigẽda offertur caliditas. nam qua humida, potus maximè paucitas conueniet, & additione insuper aliqua castiganda fuerit eadem, esus, qualem diximus, ac potus humiditas; & retinendus calor. Id scilicet maximè assequemur condimentorum vsu aliquorum, atque intinctuum, & huiusmodi aliorum. Quanquam non defutura sint adstringentia multa, quæ coniunctam vtranq; facultatem obtineant, refrigerandi & siccandi. nam hæc vt frigidæ & siccæ intemperaturæ inimicantur maximè, exugit enim humorem creber illorum vsus totum denique: ita calidæ & humidæ commodant maximè, non secus ac frigidæ atque humidæ, adstringentium quæcunque, vt aromata quædam sunt, calorificam insuper sortita potestatem sunt. Cui acria quoque conuenient non minùs, si præterea adstringentis admixtum aliquid habuerint,

rint, absque manifesto frigoris sensu. Foris applicanda, pro qualitatum ratione, quæ factura esse videbuntur. Humiditati nimiæ conferet inprimis frictio multa, ac paulò durior: frigiditati eadem quidem quoque, sed & picatio, alijs alia.

In omnibus illud attendendum, quoniam Ventriculi intemperaturas potētia iam quadam omnes memorantes percurrimus, quas quidem propositæ huic Arti conuenire, &, quum vacauerit, immutandas esse arbitrati sumus: vt expendantur cunctæ simplices, compositæque diligenter, non modò cuius rationis, ac modi sint, verùm etiam quantum in eo processerint. processisse autem eousq; haud poterunt, (si quidem intra Salutaris Artis huius contineri limites debebunt) vt euidenter ac manifestò actiones inde præter naturam alicuius lædantur. quo videlicet magis minúsve progressas, magis etiam minúsve corrigendas habeamus.

De compositis itidem considerabitur rectè, vtra alteram superet, an æqualiter potiùs à temperamento distet vtraque: vt hîc pariter suum cuique, pro maiore minoréque excessu, vel æquali etiam, tribuatur temperamentum. Fuerit primò exempli gratia, de qua dicendum restat, calida & sicca simul, recessu à temperamento, quantus contingere intra sanitatis campū contentis potest: minimè verò tanto, vt proportione ventriculi febris sit, & haberi possit; neque caliditate ea, quæ in consortium rapiat cor, & febrem accendat; neque siccitate, quæ sparsam per particulas rorulentam alimoniæ humiditatem absumpserit omnem. hæc enim cuncta morbi iam sunt, aliter tractandi. Nos hanc ventriculi intemperaturam in sanis adhuc vini egregiè diluti, nec veteris, aut generosi, vel aquæ etiam potu, mellisque in totum abdicatione emendabimus: cibisque ad hæc frigidis, & humidis, non solùm potentia, sed actu. Vt potus quidem frigidiusculus sit, æstate præsertim: cibus teporem quendam seruet, eodem tempore. Hyeme paulò magis calens mandatur, vt paulò quoque frigidus minùs esse tum potus debuerit. Tum foris prætereà admouebuntur à nobis, quæ idem præstent. Sin minor caliditate erit siccitas, minùs de humectando soliciti refrigerationem quæremus, qualem suprà. Sin remissior caliditas, contrà humectabimus magis, minùs refrigerantes. Itaque minùs iam dilutum vinum concedemus, & mellis iam aliquid, aut sacchari. Aquā verò ex toto ablegabimus, puræ inquam, ac solius potum: nec in actu tanta erit frigiditas potionum. Atque huiusmodi afferentur, cùm in hanc, tum in reliquas, non solùm vētriculi, sed reliquarum partium intemperaturas complexas præsertim immutādas, rationes. In quibus omnibus nihil erit periculi, ne, sicuti in his, quæ morbi iam naturam induerunt, & in summo sunt, ambabus fortè qualitatibus, quæcunque illæ fuerint, partem aliquam occupantibus, actio eius pereat omnis; aut frigidorum occursum reformident, si fortè opus his fuerit, solidæ partes; aut tale aliquid eueniat, quod timendum magnopere sit. non enim ea imbecillitas partium ad temperamentum ex intemperatura sua adducendarum. Simpliciores itidem Ventriculi intemperaturas, quoniam sumi facilè correctio earum ex compositarū correctione potest, iam pro expositis habebimus, calidam, frigidam, humidam, siccam tantùm.

Exemplo narratarum Intemperaturarum, corrigentur aliæ. Omnium autem expendetur sedulò temperamentum proprium in corrigendo, vt rectè id fiat, figura item, positus, actio, sensibilitas. Quæ quàm necessaria emendandæ, retinendæq; debitæ partium temperaturæ sint, manifestum.

CAPVT XVI.

DIctum ferè de Intemperaturis suo tempore, nempe quum per otium facere id licet, immutādis satis. idem quippe accommodatus aptari reliquis omnibus partibus modus potest. Et quod nunc de Vētriculi intemperaturis dictum, de alijs quoque dictum priùs fuit, ac dicendum de reliquis restaret etiam nunc, Liene, Renibus, Vesica vtraque, Testib9, & in fœminis Vtero. necessaria quidem cuncta, vt sciantur: sed adhibendus modus, & parcendum legentium labori, ne tædium ex prolixitate suboriatur, præcipuè verò, quia deduci per omnia, ne omissis quidem vtilibus, ratio eadem possit, partium tantùm diuersitate inspecta, ac peti multa ex Curationum libris, ob partium harum inter se affinitatem, possunt.

Enimuerò inspiciendū illud, quo quæque prædita à natura temperamento esse pars debeat, quod iustitiæ vocāt, tanquam debitum illi muneri suo exercendo rectè: vt, quum temperamentum partis naturæ iustum id atque æquum quæremus, lapsæ fortè in de eodem reducamus, neque citra subsistere, neque vltra progredi permittamus. Ac si calidior fortè, aut siccior, aut vtrunque, natura sua, propriaq;, pars fuerit: in eiusdem qualitatis intemperaturam

prolapsam, calidam quippe, aut siccã, contrarijs quidem, verùm non magnopere talibus, in temperamento suo sibique proprio, quod supra tamen æquabile omnium medium positũ in caliditate erat, collocare eam liceat: ne, si nimis refrigerantibus vrgeamus, depulsa de natura sua feratur. Sin in frigidam & humidam conuersa ab origine, quam calidã & siccam natura sua esse oportebat, fuerit pars, cuiusmodi inprimis cor est: calidis & siccis, sed multo supra temperamẽtum omniũ medium, talibus, quàm frigida illa & humida erant, quibus hãc ipsam calidiorem & sicciorem seipsa factam partem emẽdabamus, agendum tunc erit. Ac communis hæc fuerit partibus omnibus, quæcunq; natura sua, sibiq; iustè debito tẽperamento, extra qualitatum omnium medium constituto priuantur, immutandis, corrigendisq; ratio: nõ secus, atq; in curatione ipsa fieri oportere scimus.

Quin earundem hîc, quàm ibi, indicationum penè omnium plùs minùs tamen vtiliter adhibebitur respectus, figuræ, situs, actionũ, sensibilitatis, huius ipsius, quam modò diximus, temperaturæ: præterquàm quòd non tanta nobis hîc deijciendarum, si quo maiore opus fuerit remedio, virium formido, neq; tantus ingruet, vt in morbis vndiq; correptis, metus. Itaq; & temperaturam in considerationem vocabimus, quod ostendimus: & positurae habebitur à nobis diligens ratio, vt, quæ in proximo positæ sunt partes, quò peruenire, quæ volumus, integra sua facultate possunt, in his, (quod genus Vẽtriculus inprimis est) quãtum, qualeq; corrigendæ intemperaturæ conuenire videbitur, tantum ac tale exhibeatur: vlteriùs si deferri id necesse sit, quãtum amissum iri suspicio erit de facultate, antequàm eò ad partem attingat, tantum supra, quàm intemperatura exigat, donabitur velut auctarium exhibendis. Simul quoniam cognita nobis loca in corpore sunt, quæ quodque occupet membrum, & quàm profundè: eadem consideratione plusculũ facultatis profundiùs sitis, quàm in superficie, aut non multo infra, largiamur. Ventriculi ori retrò ad metaphrenum, imo eius antè admoueamus, quæ foris admouenda esse decreuerimus, alijs alibi partibus. Tum veluti vehicula quædam addamus rebus intrò sumendis, quorũ ductu in partes proprias tractæ ferantur. Figura, quum euacuandum aliquid erit de parte, vtilis inprimis fuerit examinata: actiones verò semper, & sensibilitas, quoniam hæc temperaturam maximè sequuntur, cuius tanta vbique ac semper ducenda sit ratio.

Hæc, nisi accuratè obseruentur omnia, vel in his, quæ non perinde magni referre videri possint, membris, magnum sæpenumero inferre sanitati nocumentum posse videbuntur. Etenim neque Lien atrabilarium de sanguine humorem defæcato trahet, aut ad Ventriculi rursus os, nisi pro natura sua attemperatus, euomet rectè, aut serosam humiditatem Renes elicient, & per vrinarios meatus depulsam in vesicam proijcient, nec fellea Vesicula flauam bilem. Quibus quantum sanitas sæpe lædatur, si non ritè, atque expeditè excrementorum ratio omnis processerit: manifestum satis est. At hoc ipsum, vt procedant, temperamento nitetur partium natiuo totum. In quo tanquam in officio continendæ suo semper sunt, vt, muneris sui quod est, præstent. Testes verò in maribus, & in fœmina cùm hi, tum Vterus, vt vitam non valde tangant, cuius sunt: at sanitatem sępe certè tangunt, adeoque etiam tentant, temperamenti, succorumque ex temperamento eo genitorum, vitio. de quibus pòst dicendum. De Cordis autem, & Iecoris intemperaturis, dictum existimari debet, quo loco tractatum priùs de totius intemperaturis fuit, quas duo illa inprimis faciant.

Instrumentariarum partium vitia æqualiter per omnia accepta, quæ corrigi ratione debeant, paruitas, magnitudo: quæ ferè gracilitas, & obesitas nimia sunt. Exemplàque horum alia.

CAPVT XVII.

QVod in similaribus partibus visitur, vt æquabiliter aliæ à temperamento iusto discedant simul, aliæ inæquabiliter: spectari idem in instrumẽtarijs potest. Nam quum optima corporis constitutio ea sit, quæ non instrumentarias minùs, quàm similares partes peræquè optimè constitutas omnes habet: vitium accipere vtræque pro natura & conditione sua non dissimiliter posse videntur. Ac figura quidem partium à consueta naturalique hominis figura vt euariet æqualiter cum conformatione ab ortu intus forisque omnium, aut positus, aut numerus, nisi per morbos aliquos, vix credibile. Monstrum enim hominis id potiùs sit, longissimè in alienas terras deportandum, nec cui succurri correctione, aut immutatione in melius

lius vlla queat. Magnitudo possit, si corporaturæ staturæque humanæ, quæ naturam hanc deceat, comparatione, gigantas, aut pumiliones quosdam pro his habuerimus. hos quidem communi humanæ staturæ mensura maiores, illos dicere minores liceat: atque vtrunque æqualiter, si membra inter se omnia in hoc magnitudinis, vel paruitatis vitio proportionibus æquis responderint: verùm in quibus frustra insumatur labor omnis corrigendis. Ridiculum enim sit, si quis gigantea statura aliquem minorem facere velit, iam grandem atq; adultum; vt pusillũ, maiorem. Infantes fortasse liceat, puerosque adhuc: alterum alimẽto suo iusto defraudatum, alterum vbertim atq; affatim enutritum, talíve argumento aliquo maiores, minorésve reddidisse: sed neq; ad sanitatis rationes vtiliter, neq; ex Artis nostræ rationibus cõmodè, aut appositè valde. Quare omittantur ista, tractenturq; ea, quę ex vsu futura sint aliquo, minimè ambiguo: vt quum corporis magnitudo naturæ vitio, vel erroribus etiã, à iusta desciscit habitudine, maior minórve facta. Non quidem quo significato accepisse (Aphoris.ij.) visus est Hippocrates, Magnitudinẽ corporis inquiens iuuentæ decoram, senectuti inutilem, ac grauem. Ea nanq; longitudo potiùs accipitur. Sed corporis molem totius in latum extẽsam, profundamq; accipimus, quoties vel eò corpulentiæ accedere velle videtur, vt mox, impeditis liquidò ac manifestè actionib⁹, nec facilis futurus ingressus sit, nec anhelitus liber satis, & obstante plerunq; vẽtris mole nec sedem tangere sibi suam fas sit: vel contrà ad id vsque extenuationis tendit, qua macie deinde & tabe corporis affecti laborant. Hosce, priusquàm ista contingant, deduxisse ad mediocritatem habitudinis conueniet, attenuatos, vel refectos, quod Correctricis partis officium sit, simul tamen Præcautrice etiã in eo vsis, vetito scilicet, ne in morbos, quos diximus, incurrant. Quanuis Pręcautio, exquisitè admodũ si quis accipiat, tunc tantùm esset, si quis id vnum, ne morbis corriperentur, prouideret in statu suo conseruati: non etiam ad mediocritatem reuocaret, quod Correctricis tantũ habendum munus partis sit. Verùm hæc ἀκριβολογούντων potiùs sunto, & obiter dicta accipiantur, necessariò plerunque incurrentibus inter se, ob vicinitatem nimiam, partibus Artis hisce.

Tenuiorem iusto habitudinem, non quam frigiditas & siccitas, nam hæc ad de æqualibus per omnia intemperaturis iam tradita pertinet, sed distribuendi, nutriendíve imbecillior facultas altera, ambæ've fecerint, dropace maximè, & picatione emẽdabitur. Est porrò & picatio ipsa dropax, sed simplicissimus, quũ modico oleo admixta pix arida liquatur, & illinitur cuti calidæ, (prærasisse autem loca oportet) & ante refrigerationem auellitur, rursusque calefacta ad ignem aliquoties eodem modo repetitur. Hoc remedij genere maximè iuuantur graciles, & obesi fiunt: præcipuè verò, quibus digerendi per corpus alimenti facultas nutriente infirmior est, imò nutriens firma satis, ac benè nutritura fuerit, nî alimentum defuerit, quod hac picandi corporis ratione abundè illi suggeretur.

Quòd si sordidum hoc alicui visum fuerit, (quanuis tuendæ sanitatis securitas obscurare omnia alia debeat) idem, nec efficaciter adeò licèt, & maiore præthereà omnino cum negotio, pręstabunt quædam, quibus simul in carnosum genus probus trahatur sanguis, simul nutriens facultas roborata firmetur: eo etiam prouiso, vt attractus ad partes sanguis maneat ad nutriendum, minimè exhalatus. Iuuerit igitur ante balneum perfrixisse corpus manibus, molles inter & asperas, donec rubore quodam perfundatur totum: eique rursus, quum factum hoc fuerit, frictionem duram quidem, qua cutis densetur; non multam autem, ne exhalatio alimenti sequatur, adhibuisse. Cogaturque ita, ac duretur cutis. Tum exercitationibus mediocribus vsum lauare non diu, vt euocetur balneo alimentum ad partes, non euaporet, abstersumque oleo inungere modico, conueniet. Dandus post hæc cibus, ex benè alentibus, bonique succi, & crassioris tamen, nec concoqui peruicacibus admodum, quantum quidem conuenire hæc simul possunt in vnum. Calorificis hîc, frictionibusque & trahetur nutrimentum in ambitum, solidasque partes omnes, & nutricans vis robur sumet. Oleum autem emplastica vi sua impedimento erit, quo minùs exhalatum dissipetur alimentum.

Commotiorem his animum aliqua de causa factum, & inductam aliquando iracundiam, non aduersatura credendum, tanquam quibus excitatus calor vigeat, viresque ad diducendum per corpus alimentum accipiat, concoquendumque meliùs. Id quidem etiam decoloribus conferre solet, nimium modò ne fit vtrobique, vel crebrò nimis fiat.

Atq; hoc gracilitas: illo obesitas nimia corrigenda veniet modo. Neq; huius sanè, vt ex qua calidæ atque humidæ, vel frigidę etiã atq; humidæ, timẽdus intemperaturæ excessus in morbũ sit, de quibus iam actum:

ſed vnde actionum impedimenta conſuetarum præ corporis mole magna nimis & corpulenta formidentur, ex diſtributione in corpus alimenti nimia, & nutritione. Quæ ipſæ in contrarium agendæ hîc: vt & cõtinuatis alui ſubductionibus, ſubductáque ita ſanguificationi materia, minuatur diſtributio; & celeri aliqua exercitatione, quod genus & curſus ipſe eſt, augeatur exhalatio: minusq; hac ratione nutrimenti & ſuppeditetur membris, & ſuppeditatum diffletur magis, eoq; dematur de corpulentia neceſſariò nõ parum. Aſſuefaciendus igitur vẽtriculus, inteſtinaque, emollientibus ac lenientibus, vt veluti his delibuta remittant facilè quæ continent. Poſt curſum, vel huiuſcemodi exercitationẽ aliam, deterſo priùs ſudore, idq; linteis, vel mollibus admodũ, quod euaporabile alimentũ reddat, emollitum; vel aſperis, quod iam euaporet, ſiccatum: frictio adhibenda ex pinguedine aliqua mollis, laxãsque, ac plurima, cum digerentibus per halitũ vnguentis vnà. Mox balneo vtendum, poſt quod non ſtatim cibandi: verùm interpoſita mora iterandum balneum, ac tum demum cibi exhibendi, qui multi parum tamen alant, quo videlicet & ventriculo ſatisfiat exaturando, & alimentum tamen ita ſubtrahatur corpori. Quorum ſumi copia ex ſuperioribus debebit, vt & vnguentorum euaporantium, quo loco ἄκοπα deſcribuntur.

Hac lege præpingues, ac carnoſi nimis, facilè bonum habitum induent: vt ſuperiore implebũtur carne graciles iuſta, quod propoſitæ huic parti ſatis ſit. Quæcunq; verò efficaciùs duo hæc præſtare poſſunt, vt certè multa ſunt, quæ poſſunt: ea morboſis iam, ſolitasq; euidẽter actiones lędentibus, corpulentiæ & gracilitati conuenientiùs applicabuntur. Alterius nobis harum, minuendæ in ſanis quippe corpulentiæ, tradiderat diu antea Hippocrates (Epidẽ. vj.) modũ, his verbis: καθαίρεσις δρόμοισι, πάλησιν ἠσιχίῃσι πολλῆσι, περιπάτοισι ταχέσι, οἷσι ἐφθὴ μάζα, τὸ πλεῖσον, ἄρτος ὀλίγος. Curſui luctã addidit, & deambulationẽ celerẽ, &, quod mirum videatur, quietem multam. Sed & ob hanc animaduerſum, extenuatũ aliquando fuiſſe corpus totum, parteſq; ſæpe exercitio ſuo deſtitutas, torpente tunc calore innato, nec munia ſua ritè obeunte. ὅτι χρῆσις, inqt (κατ᾽ ἰητρ. iij.) Hippocrates, κρατύνει, ἀργίη δὲ τήκει. marceſcere, ac concidere ſolitas viſum, obſeruatumque. Faciũt quidem id & aliæ cauſæ, vt in fracturarum deligaturis contingit, ex faſciatione, quæ alimentum repellat: verùm id iam extra ſanitatis terminos. Nos potiſſimùm quidem, ab ortu ipſo malè cõſtitutum parte aliqua, formandum in melius hoc loco ſumimus, & ſi qua tamẽ alia de cauſa id deinde quoque accidat: nõ eos admittemus huc, quos vitioſa partis corporis figuræ, aut magnitudinis, aut huiuſmodi ad morbum vſque conſtitutio, conſuetis ſibi actionibus impeditos, vexat.

Traducetur à toto in partes, extenuandi ita, aut craſſum faciendi, ratio commodè, quum fortè crura, alterum, ambóve, eodémque modo brachia, vitioſa in eo eſſe videbuntur.

CAP. XVIII.



Q Vare in implendis carne iuſta partibus ſeorſũ, præcipuè verò extremis, illa faciem᷒ eadem, quę priùs in toto facienda eſſe conſulebamus: præcipuè verò, vt frictio, balneũ, aquæ affuſio ea ſint, quibus alimentum in partem attrahatur, minimè verò euaporet. Vt autem deligetur compar alterum benè conſtitutum, aut brachium, aut crus, extenuati alterius, quum fortè id contigerit, vt tenuius alterutrum ſit: quoniam id in prę ter naturam valde ex morbo iam emaciatis faciendum eſſe iubent partibus: nos planè non faciemus. Simul quia æquum eſſe non videtur in hac, quam nunc verſamus Arte, ereptum parti vni, benè ſe ac ſecundùm naturam habenti, nutrimẽtum repoſuiſſe alteri: ſcilicet vt, quod emendatum in altera cupimus extenuationis vitium, inferamus alteri debito ſibi alimẽto deſtitutæ. Quanuis id iuſſerit Hippocrates: τὰ δὲ μινυθήματα, ait, (κατ᾽ ἰητρ.) πολὺ προσλαμβάνοντα τοῦ ὑγιέος ἐπιδεῖν. Sed in morbis, vbi inſigniter affectæ partis vitium cõſiderationem eam anteuertit damni, cuius præſertim reſarciendi, poſtquàm reſtituta ſanitati ſuæ ægra pars fuerit, futura mox cõmoditas ſit, nobis neceſſe nõ erit, qui quidem integra manente corporis conſtitutione reliqua, pręſtare alteri ſuam, quibus priùs oſtendimus rationibus, queamus.

Neq; igitur diuerſus ab hoc erit modus, quum crus fortè vtrunque, aut brachium, quæ extrema corporis ſunt, aut extenuanda, aut implenda carne erũt, de picatione, de frictione, de exercitatione. Quam eſſe, in gracilibus cruribus reſtituendis, curſus genus aliquod oportebit, neq; celeris, neq; multi primò: ſubſequentibus diebus extendendus paulatim curſus, ſic tamen, non vt citatior, ſed paulò longior ſit. Et antecedet curſum frictio, mollis ac duræ media, neque multi temporis, & cum


cum pingui aliquo. Cursum sequetur recuperatoria frictio alia. Tum iniungenda erit quotidiana deambulatio modica priùs, quæ in pleniorem excrescens contendat. Conducet non minùs equitatio, qua crassescere crura inprimis solita sint, quod de Tito legimus. In omnibus curiosè attendendum, adhibendusq; modus: ne fortè, dum bonam habitudinem cõciliare parti studemus, attractione sanguinis nimia tumidioribus factis venis, opportuna fluxionibus pars fiat, aut iusto calidior, aut lassitudinis sensum accipiat. Quorũ quum vnum aliquod se ostenderit, minuenda omnia, frictio, cursus, equitatio, deambulatio: & collocanda in lecto crura sursum, vt in pronum & decliue vitetur situs, fluxionis sæpe partibus causa extremis: quãdo & de itinere fessi multi, longaq; aliqua diei totius deambulatione defatigati, vt crura noctu toto corpore altiora reponãtur, diligenter inprimis curant. Frictio verò infernè superiùs agenda tunc, interpositis quandoq; etiam in rotundum actis, & cum puluere pinguiore, donec cessantibus fluxionibus his, ac recepto priore habitu, rediri ad remediorum vsum dictorum iam possit.

Si cui verò brachia gracilia & cubiti fuerint, quærẽdę exercitationes manuum, quę multæ inuenientur rebus his commodæ: de frictionibus, & alijs nihil mutandum. Picatio tamen, quacunq; corporis inparte peragatur, tertia quaque die repetita satis.

In detrahenda partibus his corpulentia, eadem omnino inibitur ratio, è diuerso ducta.

Præstat tenerioribus adhuc annis instrumentariarum partium omnium, quàm fieri potest, vitia emendasse. Non exercẽtur senes rectè, nisi validis partibus suis. Et de Thorace in pueritia augendo. Quæ in quibus corrigi partes possint, aut debeant, intus, forisve: quæ minimè.

CAPVT XIX.



Atque hæc intra pueritiæ adolescentiæq; tẽpus commodissimè fient omnia, crescentibus adhuc annis, quũ faciliora cuncta factu sunt, & vt augescant partes adolescente etiamnum toto corpore, & decrescant rursus mollitie diflabiles, iustumq; ita demum magnitudinis suæ ac figuræ, formationisque totius, decentem modum recipiant, magnis deinde futurũ toto vitæ curriculo vsibus, obeundis pręsertim rectè atq; ex ordine exercitationibus omnibus, multisq; sæpe necessarijs actionibus alijs, quas obire nõ nisi validis ac benè habitis partibus fas sit.

Nam neq; gracilioribus iusto cruribus aliquis deambulatione, sine noxa, vtetur: longè minùs cursum conficere iustum, aut iter poterit: neq; brachijs rectè apprehẽdet, aut discum iaciet, aut necessaria magis alia ritè aggredietur aliquo modo vitiosis: neq; vocalis iustè erit, aut vocis differentias exactè formabit: sed neq; respirabit cõmodè, non benè formato pectore. Ergo sua reddenda parti cuiq; habitudo, & constitutio proba, quo robustiores inde fiant: capiti, collo, humeris, lumbis, coxis, spinæ toti, extremis ipsis: idq; suo, vti diximus, tẽpore dum licet, & plurimi deinde in tota vita temporis vsum expectamus, inter adolescẽtiæ nimirum annos. Sumpto nanq; iam corpus incremẽto iusto, duratumque, non facile erit vt vitiosæ formationis, aut figuræ emendationem suscipiat: ac minus semper minusque supererit ad vtendum temporis, quo diutiùs extrahetur emendatio.

In senibus verò etiam ridiculum, si quis id experiendo tentet. Atq; in his omnium minimè tentãda per partes, quas fortè fortuna imbecilliores sortiti fuerint, exercitatio: sed validioribus ac robustis natura cõmittenda actio omnis. Vt igitur fungi his partibus omnibus suis valeant senes facti, consulendum illis initio ac tempestiuè.

Hac ratione in pueris licebit Thoracem, debitam pro rata parte sua mensuram ab origine non adeptum, multóq; infra positum, auxisse in hũc ferè modum: Cingendus Thorax ad coxas vsq; per totũ modicè lato cingulo, sic apposite, vt nec laxum nimis, nec arctum sit. Tum exercendæ manus, & brachia, & repetendæ vociferationes magnæ acutæque, ac intentæ: cumq; his simul iniungenda spiritus cohibitio. Quę quomodo fieret, traditũ antea. Quo autem plus in hoc acceptum fuerit ex inspiratione aëris, meliùs succedet, quod intẽdimus: cohibitus quippe anhelitus, multumque aëris comprimens, faciliùs dilatatum ita extendit Thoracem.

Hæc, atque huiusmodi in partibus corporis alijs alia, si in senibus faciẽda quis aggrediatur, successu frustrabitur omni: in adultis non prorsus quidem irritus conatus erit, at perquàm difficilis tamen: augescentibus tãtummodo adhuc corporibus ritè conuenient. Quo tempore, quanuis maximè à pueritia etiã consueta, nocua deprehensa, immutanda tamen in melius, dum ferre immutationem ætas potest, atq; immutari tamen ea possint. nam superuacua curãtes potiùs abscindimus, quàm corrigamus: & intrinsecus multa nec corrigere fas est.

Neq; enim, vt in teneriori ætate multorum,

rum, quæ ad instrumentariarum partium vitia attinẽt, perficere emendationem liceat, licebit omniũ. Nec partiũ plurimarum posituram intrinsecarum, nec numerum, magnitudinemque, ac figurã, quod in extrinsecis multis, quæ attrectamꝰ, possumus, corrigere semper possimus, quippe quorũ vel cognitio ipsa aspectui se nostro subtrahat: non subtrahentium autem, in ipso statim ortu, recensq; admodum nato puello, quod ad formationẽ, figuramq; inprimis partium attinet, possint earum multæ oculis nostris visendæ, opera maximè obstetricũ, nutricumque, reformari, sola sæpe manuum contrectatione blandiore effictæ in melius: caput, capitisq; partes oẽs, manus, brachia, crura, corpusq; reliquũ totum penè, quod aspectui patet. Ac Thoracis quidem cauitatem, quo narrauimus modo, maiorem reddimus, materiæ inspirandæ, ac respirandæ, vllo absq; nocumento, secura facilitate, ac copia. Idem si peragere in Ventriculo, iusto fortè minore, ex ciborũ distentione conemur: stultè nimis, ac cum discrimine semper agamus perturbandę semper aliqua ex parte sanitatis. Cauitates tamen Venarum intus multæ, meatusque, & oscula, eadem spiritus retẽtione distẽdi fortasse queant: vẽtriculus minimè.

Atq; illarum prætereà, quarũ cùm notis quibusdam, tum cõiecturis tãtùm vitia assequimur, partium quasdam nulla sæpe ratione corrigere liceat: vt cuius Vesica deprehensa fuit artificiosa coniectura minor iusto; aut alterius paruum Iecur, & meatibus angustis; aut qui in pituitosa habitudine multum quotidie vomitione bilis reijciũt; aut cui magnitudine, formatione, positione vitiatus Ventriculus erat, quidamq; huiusmodi alij. Quorum partes hasce, aliásve eiusmodi, in melius arte vlla reconcinnare nequeas, qd Correctricis partis sit: ne morbis inde corripiantur, prouidisse queas, quod Pręcautricis, de qua iã nũc agendum.

IVLII ALEXANDRINI, SALVBRIVM LIBER TRIGESIMVSTERTIVS.

Præcautricis ac Curatricis artium affinitas, diuersaq; alterius significata, ac modi. Quibus maximè Præcautricis Artis futurum adminiculo opus sit, & quibus minimè.

CAP. I.



EST Præcautrix Salubris propositęq; nobis hoc loco artis pars, alterius Curatricis in cõfinio posita: contingũtque in ea dicendo ac faciẽdo multa sæpe, quorum cõmixta inter se, cõuenientiaq; in vnum, officia esse appareat. Et verò maxima ex parte inter curãdum, si quid in corpore causæ subest morbum facturæ, vel hunc ipsum etiã aucturæ, rectè agentes præcauemus, amotione nempe causæ eius semper, quod facere iubemur: & pręcauentes curantium modo facimus, instrumentisq; ijsdem, atq; etiam eadem ferè ratione, vtimur. Quo penè modo scriptũ, ab Hippocrate (Epidem. vj.) reperimus: σκῆψις ἐφ' οἷσι γενόμενα ῥύεται, τούτων προγενόμενα κωλύει. Videmus morbos superueniente exinanitione sponte sua facta tolli multos: eadem si pcedat, quos futuros fortè timebamus, non sequi. Minùs tamẽ multis, nec tam efficacibus, nec quantitate tanta, opus habebimus præcauentes: vt, si vncia fortè ad curandum futura esse necessaria iudicetur, dimidium eius ad præcauendũ abundè satis sit. Iam si carne implendum, aut glutinandum vlcus assumat aliquis: hoc tãtùm, nihil aliud, sataget, rectè in hoc agẽs, quàm ne qd se naturæ operibus opponat, vtrũq; per se facturæ, vt impleat, aut glutinet, nisi impediatur. quod haud dubiè præcauentis est, & curatio nihilominùs ab omnibus dicitur. Rursus, si in humorum vitio exulceratis, horũ repurgatione auferantur, quę naturæ motibus impedimento esse solent, sanabuntur ea, quod sæpenumero fieri videmus, naturæ vnius opera: vt præcautio tantùm sit hæc exquisita voce, atqui nemo omnino fuerit, qui non curata hæc & persanata nominet.

Hanc tam Curationi immixtã Prophylacticẽ, vt ab illa in naturã suã trahatur, nõ accipimus hìc. Solã quippe volumus, extra Curatricem, inter tuendæ Sanitatis partes numerandam: vt quum, nulla dum in corpore phlegmone existente, nec dum quic-

quam

quam inchoata, & facere tamen ſolitæ cauſæ aliquid ſit, hâc ipſam auferimus cauſam præcauētes. Quod quum faciemus, in propinqua licèt admodum phlegmones generatione, nullo tamē adhuc eius initio, præcauerimus ſemper: ac quò magis anteuerterimus, vt cauſas detrahamus corporibus morbos allaturas, eo ſemper magis. At in quibus nulla adhuc in corpore cauſa ſuboritur morboſa, his quoq; vt conſulatur, Salubris partis officiū erit, nimirum ne ſuboriatur, proprium, quam hoc loco intelligimus: Præcautricis non erit, niſi fuſa valde ſignificatione, qua Correctricem quoque ipſam pro Præcautrice habere non ineptè nobis liceat partem, omnium maximè prouidentem, ne quid tale ab initio alatur in corpore mali. Nam quæ optimum partibus omnibus temperamentum conciliat, & inſtrumētarias omnes in natura ſua collocat, ac, breuiter, cōſtitutionem corpori laudatiſſimam introducit: hęc profectò morborum omnium cauſas de corpore veluti ſuccīſas abſciderit.

Enimuerò quicunq; inculpatam à natura, ortuq; ſuo, corporis totius conſtitutionem ſortitus fuerit, vel etiam Correctricis Artis beneficio atq; auxilio adeptus: is integra ſanitate fruetur, nec dolebit, & functiones actionesq; ſuas edet expeditè, quod ſani hominis eſt; & neq; ab externis, neque ab internis facilè cauſis ægrotabit, illæſa conſtitutione præditus. vtiq; ſi nec laxa nimis corporis habitudine fuerit, quod externis cauſis obnoxios reddit; neque adſtricta, quod internis: & in laxam tamen raramq; vergat potiùs, quod ſecuritatem pollicetur maiorē ab internis cauſis, vnde plus ſemper diſcriminis, & periculoſorum magis morborum. ἀραιότης, inquit Hippocrates, σώματος εἰς διαπνοὴν, ὅσῳ πλείω φέρεται ὑγιεινότεροι: ὅσοις δὲ ἐλάσσω, νοσερώτεροι. Hoſce igitur, tam egregiè natura aut arte conſtitutos, morbis intactos degere licebit: vt nec magnopere ſanè propoſitæ nobis Artis parte habituri opus ſint hac, in qua nunc verſamur, niſi ipſi ſibi aliquid cōſciſcant mali ſua culpa, vict⁹ inprimis ratione praua, aut vitę ignauia, vel defatigationibus etiam nimijs, nec quali quantoq; decebat cibo, nec tempore nec ordine ſuo ſumpto, ſtudijs've inhærētes nociuis, ac vitæ inſtituto inſiſtentes alicui ad ſalubritatē damnoſo, neq; opportunè quæſito ſomno, nec Venereis rectè vſi, animique ſe mœroribus, curiſque, ac ſolicitudinibus macerantes non neceſſarijs.

His, atq; huius erroribus alijs, optimę cōſtitutionis, aut optimæ ꝓximi aliqui, corporum nempe ſalubrium ſimpliciter, vel plurimùm, de ſtatu deturbari ſuo acti poſſunt. Non quemadmodum alij, qui nulla plerunq; culpa ſua, aut errato, morbis tamen tentantur ſæpiùs: quidam etiā aſſiduè in eoſdē incidunt, νοσεροὶ à Gręcis & νοσώδεις ex argumento dicti, inſalubres ſimpliciter, opinor, ac plurimùm, ſeu dicere morboſos malis, perquàm facilè de natura ſua in neutralitatis regionē egreſſuri, vnde mox prolapſus in morbos ſit paratiſſimos, & in foribus, niſi inhibeātur. Hiſce igitur inprimis noſtra hæc ſcripta ſit, quam nunc tractaturi ſumus, Præcauendi Ars: ad quam nihilo tamen ſeciùs venire hi quoque poſſint, qui aliqua tādem de cauſa, benè quanuis conſtituti, rectā in morbos pergunt, vt illis etiam eadem hac ratione cōſultum eſſe velimus, priuſquàm eò decidant.

Tollendæ, minuendæ'que, antequàm morbos gignat, Plethoræ ratio, maioris, minoris've, & quæ habitū totum, quæ'que partem aliquam occupet, priuatimq; in partibus affici ſolitis, vnde mittendus ſanguis ſit.

CAP. II.



Ergo quocunq; imminere ſanitati videbūtur morbi modo, depellēdi extemplo, antequàm ꝓuinciā eam ingreſſi turbas moueant. Imminent autem inter corporales cauſas, ex plenitudine maximè, quę Plethoram faciat, & ſuccorum prauitate. Tendit demendæ Plethorę ſcopus in id, vt, quoniam redundātia hæc humorum conſtat, detracta ea iuſtus corpori illorum modus & mediocritas introducatur, ex ſalubri conuenientiq; rei huic victus ratione: ſuccorum prauitas, vt probi, atq; optimi fiant. Alterū porrò, Plethoram, colligūt libentiùs erroribus meliore temperamento præditi: alterum, ſuccorū prauitatem, intemperaturis ſuis diuerſam diuerſis, pituitoſam, atrabilariā, biliosam, pituitoſi, atrabilarij, biliosi.

Priùs de Plethora. Hæc non vna ſanè. Quanuis enim omnis fiat, quoties plus recipit alimenti corpus, quàm quod exhalet: quia tamen magis idipſum alibi, minùs alibi euenit; maiorem quoq; ex eo, minoremque exoriri plenitudinē neceſſe eſt: vt minori etiam negotio minor, maiori maior tollenda meritò ſit.

Maiori, eoq; periculoſiori, (expoſitę aūt horum omnium habentur notæ priùs, & cauſæ) reſiſtendum ſtatim, ac veluti omnis adhibenda machina minuendæ. Mittetur cōmodè ſanguis omnium primùm, cōſentientibus alijs, æquo redūdantior. Ea nanq; expeditiſſima via eſt, eadē & tutiſſima. niſi ſubitò Eraſiſtratij fiamus αἱμοφόβοι quidā, aut remedium ſtultè petamus ab inedia, aut exercitatione, aut purgatione, aut balneo,

aut tenuiore vict⁹ ratione, tardioris omnibus operæ in re præsentaneum poscente & ad manus remedium. Mittẽdus igitur sanguis pro redũdantiæ plethoricæ magnitudine multus, in minore paucior: adeoque etiam nullus interdũ, si qua de causa venæ sectio nõ placuerit, & incipientis tum primùm Plenitudinis manifestẽtur signa, vnde nec tãtum, nec tam improuisum formidandum periculum vrgeat: possitque tunc vtiliter pro sanguinis missione scarificatio succedere, & victus ratio parcior ac attenuans, frictio, balneum, vnguentum per halitum discutientium aliquod.

Nõ secus ac in Plenitudine alia, ad vires quam dicimus. In qua licèt pro virium debilitate paucus quidã mitti sanguis possit, quoniã in sano adhuc esse ea tãta nequeat debilitas, vt non hoc considerate factũ admittat, quo leuata onere quãtulocunq; facultas regere meliùs, quod reliquum est, valeat: hæc tamẽ ipsa cõmemorata quoq; modò, non incommodè, vel pręterita venę sectione, fiet, præsertim si & circumambiens aër paulò calidior habeatur, cuius calore diflari de corpore redundantiæ aliqd posse sperandum sit; & facilè sibijpsi imperet aliquis, vt & de ciborum quãtitate demat, & qualitatem mutet, exigui alimẽti cibarijs vsus, & paulò magis se exerceat, & vigilantior fiat, nec curis quidẽ omnibus vacuus: consulto nihilominùs in omnibus virium suarum robore, ne quid supra illas. Medicamento ad hæc peræquè humores omnes trahente, atram flauamq́; bilem, pituitam, serumq́ue, minui non incõmodè Plethoræ sępe non parum possit. Aggregatiuas compositiones vocant Officinæ, vt & Catapotia eiusmodi. μὴ βουλομένων δ' οὕτως κενοῦσθαι, καθαρτέον ἐστὶ φαρμάκῳ ποικίλῳ δυναμένῳ, καὶ ξανθῆς χολῆς ἕλκειν τὶ, καὶ φλέγματος, καὶ τῶν ὀῤῥωδῶν περιττωμάτων, inquit Galenus aliquando, (De tuẽ. sani. v.) de corripi ex plenitudine morbis solitis. Si sanguinem, ait, mittere noluerint, repurgandum non abs re. Hoc enim ipsum quoq; proculdubio venas exinanierit aliquantum, ac carnibus etiam detraxerit, manifesta Plethoræ vtrobiq; immutione, in quod intentos esse primò oporteat.

Cæterùm in extensa per totum, venasq́; ac habitudinem omnem occupante, Plenitudine tollẽda, minuendáve, aut etiam ne sequatur prohibenda, valuerint rectè cuncta hęc, priuatim in affici cõsuetis seorsum partibus aliquibus: nisi quatenus dempta totius plenitudine, simul ne ipsæ morbis corripiantur cauetur, non valebunt. Præstat enim ea in re id remedij genus moliri, quo simul totius minuatur Plethora, ac plenitudo omnis; simul auertantur, labi ferrique assueti in partes illas, humores retrò, veluti via ea præcisa, quã dediscere cogantur. Nihil autem accõmodari vtilius rebus tũc Venę sectione potest. Quæ, si inferiorũ affici solita fuerit partiũ aliqua, superioribus adigatur: si superiorum, inferioribus: media ambigunt, vt superne modò, modò infernè, pro eo ac ferri hinc illinc ve videri humores poterunt, mittatur semper sanguis. At in suspectis vniuersalibus magis morbis, vt febres, & articulares affect⁹ sunt, qui articulos omnes inuadant, nõ perinde relaturum sit, qua corporis ex parte auferatur sanguis: quanquam hic quoque alia de causa ex cubito, veluti de fonte propiùs, hausisse par sit. Qua de re quoniam cùm alibi, tum antea quoque in parte operis huius traditum satis est: vlteriùs contendendum in eo non erit.

Vt Plethora repurgatione quandoque, ita Venæ sectione iuuari nonnunquam Cacochymia possit, cui tamen per medicamenta euacuatio magis semper competit. idq́, in flaua potissimum bile euenit. Nam in reliquis humoribus non temerè id agendum, nisi certis conditionibus.

CAPVT III.


SIcuti nec de succorum quidem vitio dicenda hic, nisi necessaria, fuerint: cui repurgatio magis conuenit, neque ea vna tantùm, quando aliam biliosus ater flauúsve, pituitosus aliã, atq; aliam serosus etiã humor poscat. Possit tamen, quemadmodum Plethoram, plenitudinesq́; alias, non modò venæ incisione, sed purgatione etiam iuuari quandoq; solere ostẽdimus; in eundem modum humorum quoq; prauitati nõ solùm purgationibus, (quanquam his maximè, atq; inprimis) verùm etiam incisa interdum vena occurri, sed in venis cõtentæ, sic vt purgationẽ pręcedat incisio. quantumuis nanq; modico detracto, cũ sanguine, humorum vitio, modò vires id ferant, minore planè negotio demptum trahetur ex purgatione reliquum factum quod fuerit. Magisque etiamnum faciendum id esse opinabimur, si factũ in bile vitium sit flaua, calido nempe humore, quem ceu ventilatum refrigerare scissa vena queat manentem, præter emissum iam, à quo nullus iam metus.

Atq; eam planè ob causam cautiùs cum reliquis agendum, vt, nisi in maioribus venis, vnde secta cubiti vena proximus sanguini exitus, contineãtur atra bilis, aut pituita, ac superet semper sanguis, quem propriè sanguinem dicimus: nõ incisuri temerè venam simus, nempe ne frigefacti inde magis humores concoctioni magis quoq; aduersentur, pituita inprimis. Ex quo genere

nere crudus qui vocatur humor ille prodit, nomen ita sortitus ex re, impensè frigidus, ac concoqui rebellis. Hunc igitur, si nimius, aut nimiùm talis visus fuerit, aut alibi in corpore repositus; concoxisse partim præstiterit studio omni, partim cōcoctum deiecisse de corpore, per quæ cōmodius visum fuerit loca, aluum, vesicam, cutim. Atra bilis flauaq; suis promptè ducētur medicaminibus: flaua inprimis, ductu facilis, neq; admodum præparatione maiore aliqua egens. Quum, inquit Galenus, biliosi redundârint humores, διακρῖναι μὲν αὐτοὺς, εἶτ' ἐκκρῖναι, discreti priùs excernendi dein sunt. paulò difficilior atra. Serosæ parti patebit exitus ducendæ per renes in vesicam, perque hanc extra. Sed nec, quę in ventrem deductam trahāt, forasq; propellant, deerunt multa: omnium tradita priùs ratio, modus, copia parandorum, atque eijciendorum.

Quo maximè tempore Venam incidi, aut purgans exhiberi medicamentum conueniat. Vere alij inchoante, adultóve, aut æstatis initio; autumno alij, finientéve hyeme, meliùs purgabuntur humores. Et mittendi in præcauendo sanguinis scopi alij. Repurgandiq; corporis, ac demendæ Plethoræ, modi.

CAP. IIII.



Atque hæc diligēter facieda, nō minùs, quum metu vrgebimur ingruentium malorum, præsente iam causa aliqua, præuenientibus nobis cura omni mala semper omnia; quàm quum multo antè, (vt certè facere sæpe debemus) ne quid omnino subalatur in corpore causæ talis, vnde timenda vel Plethoræ, vel plenitudinis tandem cuiuscunque, vel succorum prauitatis suspicio omnino aliqua sit, curā & diligentiā susceperimus.

Id fiet commodissimè Vere, sic quidem præcipiēte nobis (Aphoris. vj.) Hippocrate, ac subscribente eidem Galeno. ὁκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη συμφέρει, τούτους τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν χρή. Quibuscunque venam secare, vel purgās exhibere medicamentum expedit: Vere hos vel mittere sanguinem, vel purgari conueniet. Vt non in omnibus faciendum id esse intelligamus, neq; enim expediens id omnibus est: sed vt, in quibus expedit, in his fiat. Qui optimo temperamento constitutioneq; in totum optima, aut huic proxima sunt; hi, accuratè victus in omnib⁹ ratione obseruata, nec vllo in seipsos errore admisso, aut culpa, ne egebunt quidem his. οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες, aiebat (Aphor. ij.) Hippocrates. Egebunt admissis, maximè verò intemperatam initio naturam nacti, aut acquisititiā eiusmodi postmodum induentes, quos necessum sit vitiosis (neq; enim aliter euenit, ob intemperiem) collectis in corpore succis ægrotare. Nam qui Plethoram coaceruant, aut æquabilē aliàs humorū inter se cūctorum plenitudinem maiorem, minorémve: hi potiore ferè donati à natura tēperatura fuère, aut sibijpsis fecère, & ex erratis tantùm aceruant. Quæ si relinquātur, atq; in laudata victus ratione perstent, ne habituri quidem opus his sint: quum vitiosę constitutionis, aut temperamenti alij, vel in nullis plerunq; erroribus, naturæ solùm vitio labantur, hactenus tamen, vt succorum magis semper malitia laborent, sicuti Plethora illi: ideoq; alteris bibendum medicamentum sit, mittendus alteris sanguis.

Hac ratione podagricos, articularesque affectus plurimos, cruenta sputa, comitialem, attonitum, melancholicum morbum, tertianam febrem, multaq; huiusmodi, anteuertemus. Eo discrimine, vt, sicuti bilē, nempe flauam, sub Veris extremum, aut ineunte etiam æstate, quoniā primi illi tunc fermè in corpore exuperantiæ ortus, purgamus libenter: ita pituitosos, & atrabilarios, crassosq; humores omnes, finita hyeme, in qua potissimùm congesti accumulantur, detrahendos curemus. Multū quidem pituitæ hyeme, ex ambientis intemperie genitū, frigidiore atq; humidiore: plurimum tamē collectum visitur ex eo, quòd per id temporis minimum euaporetur genitorum in corpore humorum, quin aliorum etiam temporum partem retineat hyems, autumni maximè. Vt non immeritò cùm hyemis proprius pituita humor, tum autumno peculiaris atra bilis, multoq; maxima serosæ humiditatis pars, veris initio educendi de corpore esse videantur, aperiente se tūc cœlo, mouenteq; loco humores, segnes antea atq; immotos, nunc verò eductu faciles. Tum benigno inprimis aspectu contuente nos, ac Solem deferente, felicissimo anni totius sydere, cœlique signo, ac conspirātibus reliquis omnibus, irradiandæ, instillandæq; in circunfusum vndique aëra clementi maximè temperiei, cœlitus demissæ, atque infusæ. ideoque tutò maximè tunc agere liceat.

Et Autumno quoq; trahere humorē liceat atrabilariū: sed quod factū reliquum fuerit illius, vti diximus, & propter quam rationem diximus, ineunte repurgabitur meliùs Vere. Quo etiā tempore vno, quoties quidē multo antè, ne quid morborum causæ in corporib⁹ suboriatur, subortúmve gliscat, studium fuerit; Venę incisio rectè peragetur, detrahēdi sanguinis ea quātitate, quam vires tulerint, cōsentientibus

non minùs alijs, inprimisq́; ætate puerili si nō sit. Quæ vna obstare potest, quo minùs fiat, si reliqua faciendæ suffragia adsint omnia. nam alia viriū tantummodo deijciendarū metu obstiterint. At id nobis his casibus minimè reformidandum, in quibus firma adhuc atq; integra sanitate sua fruentibus (vt, nisi stultissimè quis agat, ne cui virium ex eo robur concidat, timendū non sit) mittendum esse sanguinem cōsulimus.

Porrò mittimus, nihil quidem inpræsentiarū metuentes, (nihil enim cogit) sed futuris occurrentes morbis, quoru quasi prę̄sentem vehemētiam, ac magnitudinē prospicimus, ac prospectam formidamus: eoq́; tanquam præsentem tractamus, prouidentia vsi, boniq́; gubernatoris officio functi, vt non quæ in oculis tantùm sit, tempestati se opponat, sed multo magis lōgissimè venientē vt declinet, ac repulsam abigat. Admonemur quidem, Timeri qui possit magnus tandem ne fiat morbus, eum nō secus, ac magnus iam si esset, deputandum. εἰ γὰρ ἔσεσθαι φαίνοιτο μέγα, φλεβοτομήσομεν πάντως, κ᾽ἂν μηδὲν ᾖ τῶν τοῦ πλήθους γνωρισμάτων. Vel si nulla, ait (De cura. per ve. sec.) Galenus, plenitudinis indicia visantur, secabis tamē venam, modò futurus esse magnus timeatur morbus.

Sic & detrahēdi de corpore, suo tempore, vnde periculi aliquid impendeat in futurum ex morbis, noxij ac impuri humores erunt, & aperta semper seruanda aluus, excrementorumq́; omniū habenda ratio egerendorum. Simul demēdum ciborū quantitati aliquid, quū cauere ista voluerimus; & accumulari consuetam plenitudinē, vitiosamq́; succorum impuritatem, ne acervus sequatur, vetare. Ac, si ferre, cui ista cōsuluerimus, natura posse videbitur; vel prandium intermittere, vel cœnam quandoq; debebit, sæpe etiam vtrunque. Dieiq́; ita vnius inedia multū intereà absumetur humorum superfluitatis, vt quos suo tempore scripsit (In de salu. vic. comm.) Galenus, diei vnius mensibus singulis abstinentia à cibo, aut vomitionibus alios, sanitatē tueri solitos suam. Ac cōsilium communicat nobis, statim per interualla id temporis quædam vt fiat, admonens: non autē duobus deinceps cōtinenter dieb⁹, vt Author, in quem commentatur, suaserat. κωλύει δ᾽ οὐδὲν, ait, ἀμφότερα ἐκ διαλείμματος αὐτὰ ποιεῖν, οὐχ᾽ ἐφεξῆς ἡμέρας δύο. Vomitione quidem (quod alibi quoq; (De vsu par.) proditum à Galeno est) pituitæ ventriculi collectitiæ reijci multum poterit, inedia absumi. Vtraq; aliquid etiam omnino humorum aliorum in corpore redundantiū tolletur. Inedia quidem Aurelianus Imperator (vt exemplum ꝓferatur insigne) sibi sæpe cōsuluisse dicitur, vitatis morbis, ac vomitu Cæsar. Quod sic accipiēdum est, vt si potiora alia ad rem hanc non pote futurū sit vt fiant, hoc saltem vt fiat.

Nec sanè minor ducenda anni tēporum in hoc ratio, ac constitutionum, breuiter, circumambientis aërts totius qualitatum omnium. Quod antea quoq; monuisse meminimus alio cōsilio, nunc vetandæ nimiæ tantùm humorū in corpore generationis ergò repetimus: non autem, quum conseruandæ nobis in statu naturę suo quæq; fuerint. Caueatur maximè frigidiorū vsu ciborum æstate bilis, calidiorū hyeme pituitæ generatio superuacaneæ. Atrabilarij inprimis metuenda humoris congestio autumno, cui calidiorum atq; humidiorum esu, atq; eiusmodi potionibus resistetur, ne nimio plus gignatur. Ver timoris nobis adferet non parum glíscentis in corpore sensim magis magisq́; Plethoræ, plenitudinisq́; æquabilium inter se humorū aliæ vires degrauans, vasa licèt non distendat. Nam & ipsum per se Ver humores ęquabiliter temperie sua augescentes habet, qui temperatus sanguis est, quantitate solùm exuperās; & materię ad id multæ ab hyeme acceptum retinet pituitosæ, gignēdo sanguini aptissimæ: vt repletis ita venis, extentisque, vel ceu pondere quodam oneratis viribus, nisi ante æstatis initia detrahatur sanguis, fusior ille factus superuenientibus caloribus, efferuescensque, quum minimè potis sit vlteriùs locis suis contineri, erumpat necessariò aliqua, fractis magno semper discrimine, aut erosis venis: partiūq́; vni alicui imbecilliorū imminens, ingens illi periculum inferet, phlegmones, aut erysipelatis, aut huiusmodi: vel intus manens, interclusa vasorum perspirabilitate, attonitos faciet, aut synochas, febres putredinosas, aut carentes putredine, sed æstuosas, & in ardentissimas degeneraturas, cōuersa tandem in bilē sanguinis parte tenuiore. Quæ, cumq́; his alia, quibuscunq; incolumitas cordi fuerit sua, fugienda maxima semper cum diligentia erunt.

Insequutæ exercitationē, nimiúmve laborem aliquem, quomodo tollantur, summatim dictum, ac capitulatim, Vlcerosa, Tensiua, Phlegmonosa, Siccitasq́; ad hæc. Quæ eadem illa interdum comitatur & spissata cutis, & virium post Venereorum vsum debilitas.

CAP. V.

NEc dissimilis Lassitudinū spontanearum ratio. Etenim morborum hæ quoq; prænuntiæ, vt Hippocrates inquit. κόποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους. Nec diuersas admodum causas sortitæ

titæ sunt, vitiosos prauosque humores, & plenitudinẽ, Vlcerosa, Tensiua, Phlegmonosa. Harum omnium superioribus libris, qua parte operis de excremẽtis tractabatur, quorũ rationi coniunctissima harũ quoq; ipsarum ratio esse videbatur, tradita natura omnis, causæque, ac notæ explicatæ. Simul, quia de insequi solitis exercitationem iusto maiorẽ lassitudinibus necessariò dicendum tũc fuerat, eodem adductæ rerum affinitate euidenti quadam hę quoq; sunt: &, insequutæ exercitia lassitudines quo tollerentur modo tractatui, additus spontanearũ etiam tollendarum tractatus ante morborum inuasionem, summam propter rerum inter se harum vicinitatem, ac conuenientiam, ne discerperẽtur ista. Alioqui valde proprius futurus erat dicendi de his locus, hac in parte operis totius Præcautrice. Quod quoniam, quibus diximus de causis, fecisse iam præuertimus: in transcursu agendum nunc de his, in id vnum semper intentis hoc loco, vt non modò, (quod in superioribus tractatibus expositum) factæ iam lassitudines quomodo auferantur, sed ne initio quidem fiant, solicitè agamus: vt hoc additum, nouum tractatum hunc reddat, ἀνακεφαλαιώσει quadam percurrẽdum. Quod eisdem illis rationibus fiet, quas proximè commemorauimus, prohibendæ, ne generetur, Plethoræ, & succorum vitiositatis in spontaneis lassitudinibus. In alijs non aliunde meliùs succedet, quàm si curiosè exercendi se in omnibus ad vnguem leges omnes seruentur.

Factæ autem, (quanquam, vt diximus, traditum de his antea satis in vniuersum, quum methodus quædam rerum harum ostenderetur, incurrente in hæc oratione) vt summatim ac breuissimè nunc dicatur, ac ne intercisus tractatus euadat, hoc pacto auferentur. Vlcerosa ob exercitationem, aut ex itinere, laboréve alio contracta; multa, mollique frictione, copiosioreque ac minimè adstringente oleo. Tensiua, quam nihil aliud, quàm rectæ musculorum fibræ contentæ faciant, aliud pariter, quàm illarum laxationẽ, poscet nihil. Frictione id assequemur molli quidẽ quoque, vt in vlcerosa, sed modica, ex dulci tepentique oleo: otio ad hæc, temperatisque balneis, & diuturniore in aqua calida mora. Phlegmonosa, siue phlegmones similitudinem referens, vt superflua euacuentur, requiret, distenta relaxẽtur, inflammata refrigerẽtur. Multum id ac dulce oleum præstabit, & tepidum, quo partes molliter fricentur: si prætereà dulcis ac temperatissimæ aquæ balneum accesserit, cui diutissimè insistatur.

Siccitas, in qua corpus concidit ex labore nimio, & gracile fit, nec lassitudinis tamen quicquam, aut horroris, aut doloris sentitur, quoniam euaporationem immodicam euacuatio sequuta est rarefacta cute ingens: huius ipsius cutis adstrictione, & contractione iuuabitur. sed non à frigida, (quoniã & frigida, & feruens præstare hoc aqua soleat) ne frigiditatis incursu lædãtur apertæ, atque expositæ nocumento partes: feruens (cuius perferri calor possit intelligo) præferenda, de qua in frigidam statim insiliant, non longa ibi futura mora, ne vsus, propter quem benè calida hîc expetitur, frigiditate victus amittatur: qui adstringendæ modicè cutis, ne euaporationi pateret plùs iusto, erat.

Idem spectandum, faciendumq; in his, qui virium debilitatem sentiunt ex immodico Veneris vsu, vt, cùm lauationibus his, tum alijs insuper, cõstrictior densetur cutis, ne alimẽti nimio plus transmittat. Tum quies, ac somnus multus accedat, & humidiorum ac modicè calidorum esus, infra tamen mediocritatem, quo confici meliùs queant, humescantque inde partes siccio- res factæ.

Spissatæ autem nimis cuti calidioribus balneis succurrendum: post quæ temperatè admodum frigidæ minimè diu innatandum; & tenue, dulceque oleum adhibendum, satisq; plerunque fuerit anethinum, quod viride prȩsertim anethum acceperit, cutis densitati laxandæ.

Spontaneæ lassitudines diligẽtia maiore tollendæ, quò morbo propiores sunt. Vlcerosæ expendetur quis humor causa: & an crudus ille sit. Tensiuæ contentarum maximè partium relaxatione: Phlegmonen referenti venæ sectione inprimis, tum & alijs quibusdam, succurretur.

CAP. VI.



Roprius magis parti huic fuerit de spontaneis tractat⁹, quo quidem proximæ magis morbis eæ sunt. Nam paulò antè relatę quieti sępe, atq; otio, succique boni & lassitunis affectui idoneis cibis cesserint: hæ morbos quidẽ certos minantur, nisi cauerimus, imminentes iam sanitati. Quamobrem, tradita quãuis priùs harum quoque ipsarum in commune ratio fuerit: nunc tamen particulatim, ac breui repetenda, idque amouendarum solùm. nam signa, causasque abundè antea tradidimus: & euitandarum ratio cõmunis, quam sæpe iam attulimus, succorum malitiæ, & plenitudinis fugiendæ, est.

In Vlcerosa lassitudine, ac spontanea, id primùm animaduertendum: Num tenues,

acresque, ac calidi humores, qui illam gignunt, cutim, carnemque solam occupent, hasque in superficie, an altiùs immersi sint; & num in venis etiã contineantur immixti sanguini, notis vtrunque suis cognoscendum; & an pauci, multi ve sint. Paucos nanque, cuteque sola ac carne, neque altiùs tamen, contentos, Recuratoria exercitatio, & frictiones discusserint. Paulò magis in profundo latitantes, ac copiosos, calidæ aquæ balneum vesperi post diei totius abstinẽtiam à cibo, somnumque, ac quietem, dissipabit; & pinguius vnguentũ aliquod, cibusque demum exiguus, & sorbilis; vinique potus, si quicquam aliud, hîc semicrudorum humorum concoctionem iuuantis, & sudores elicientis ac lotium, nec minùs conciliantis somnum. His si malum remiserit in totum, benè erit, reduceturq; ad pristinam consuetudinem suam, qui laborârit. Sin vlcerosi adhuc sensus in posterum etiam diem remanserit aliquid, vel vires quoq; maiores sumere videatur: moliẽdum aliquid maius, in maiore metu. Atque hîc, num cõmixti sanguini multo vagentur humores, videndum: vt, siquidem robustæ præterea fuerint vires, secetur vena, vel hæmorrhoides prouocentur, si cui consuetæ priùs excretiones eæ suppressæ fortè tum fuerint; & in mulieribus cieãtur menses. Sin habitudini potiùs, corporiq; hærebunt: repurgatio fiat illorum iusta, modò virium robur adsit: sin desint vires, modica omnino, pro redundantis tamen semper humoris qualitate, ac natura. Nam aliâs humores hi, ex quibus Vlcerosæ lassitudinis huius sensus oboritur in corpore, biliosi, quod plurimùm fit, erunt; atrabilarij aliâs, aliâs serosi, nonnũquam acida salsaque pituita: omnes, singillatimque per se quisque, indicijs notisq; suis iã antea traditis, vt nõ attineat nũc referre, dignoscẽdi.

Ex crude, quam peculiariter ita crudum ὠμὸν Græci humorem vocant, pituitæ genere, nisi in aliam vertatur naturam, vt vlcerosi sensus exoriatur lassitudo, nõ nimis verisimile videtur. Cuius nihilominùs maxima ipsius quoque ducẽda sit ratio, dicendaque hîc, vbi de succorum prauitate agimus. Paucus enim is quoque humor, si cum sanguine multo feratur, detrahi cum sanguine vnà non ineptè neque irrationabiliter prorsus possit. Sin cum sanguine multus ipse pauco fuerit, vel alibi quacunque corporis in parte paucus, multúsve: neque incisio conueniet venæ vnquam, neq; purgatio, neq; exercitatio, neque lauatio, motúsve omnino, quo exagitetur, vllus. Etenim venæ sectione, si in venis fuerit, commotior factus in habitum, molemque corporis rapietur facilè: purgatione tormina, morsionesque, ac animi deliquia multa, obsessis, obturatisque, per quas iter illi in vẽtrem vijs, ac progressu spiritũ impedito, efficiet. Suæ omnino quieti relinquendus, natura ipse sua piger, ac deses: vt scitum in hoc maximè humore Hippocraticũ illud retinendum sit, τὰ ὠμὰ μὴ κινέειν, scilicet ne moueamus non mouenda: fouendusque potiùs, vt concoctionem accipiat, cibo potuque modicè excalfaciente sit; attenuantiumque, ac crassitiem humorum dissecantium vsu: simul etiam egregiè concoquentium, præter incidendi, qua calori dissecta in partes paratior ad cõficiendum materia offertur, facultatem, caliditate etiam pollentiũ, sed moderata: ne, si immoderatior fuerit caloris vehemẽtia, tracti ferantur in corpus humores crudi adhuc. Ex hac lege, aqua, acetumq; mulsum conueniet, sic paratum ex aceti & mellis portionibus, vt gustantis, cui parabitur, palato respõdeat; cibus attenuans, paucusque, ferentibus his, ob crudiorum humorũ copiam alibilium si concoquantur, inediam maximè, & exiguitatem cibi. Itaque ptisana sufficiet sæpe primò, cui, quoniã & inflari potissimũ his solita sunt præcordia, piperis modicum, præcipuè verò longi, adijciendum: capparis ex oxymelite, quod acetum mulsum est, vel acetariorum nostrorum more, ex oleo & aceto. Atque id genus edulia, in quibus attenuandi vis, nec excalfaciendi tamẽ vehementior vlla. Mox vinum quoq; concedendum tenue albumque. In hunc modum paulatim, quum iam meliora omnia sese ostendent, ad moderatam quoq; exercitationem adducendi; & balnea, & vnctiones, quarũ mentio retrò à nobis facta est, inter ἄκοπα quæ dicuntur.

Tensiua commodissimè secta in cubito vena auferetur. cui proximo loco, idem vt sequatur, erũt malleolorum venæ, si secentur, scarificentúrve. Hoc facto, eadem illa exequemur rectè omnia, quæ priùs in Tensiua ab exercitijs peragenda esse lassitudine monebamus: vt distentæ remitterentur, laxarenturq; partes vnctionibus, frictionibus mollibus, temperatis balneis, otio, quiete, cibis absq; mordacitate vlla extersoriã vim referẽtibus, quod genus ptisana esset, & si quid aliud tale.

Phlegmones sensum mouens lassitudo, spõtè in corpore oborta, potissimùm atq; inprimis verenda. Quumque, si paulò negligentiùs in hac agatur, & tardiùs accedat remedium, vehementissimam sæpe febrem cum discrimine non paruo adferat: tollenda mora omnis, ac dilatio, mittendusque sine cũctatione sanguis iterum eadem die, priùs citra animi deliquium, posteriùs neque id planè formidandum si accesserit.

Delegisse

Delegisse ad id venam cubiti mediam conueniet, si totum æqualiter affectum corpus esse videbitur: internam, si thoracem, dorsum, & lũbos dolor magis vrgeat: sin collum, & caput, humeralem. Atq; ita periculum euadere licebit febris, ingentisque vitæ discriminis, nisi ita fiat, aut erũpat de corpore sanguis aliunde. Quorum neutrum si contingat, & periculum fortè fortuna effugerint: (nam maior pars periclitatur) sciant hi, fortunę se melioris beneficio atque ope seruatos.

Misso sanguine, si febris adhuc restet, nã plerique eorum ex calidissimo tum sanguine vel secta vena febriunt: quo febrientes modo tractandi, quod alterius negotij iam fuerit, nẽpe Therapeutici. Sin nulla manserit, prima & secunda à venæ sectione die tenuiter cibandi, & ptisanæ, aut alicæ cremor exhibẽdus: tertia die, emanente tamen etiam tum febre, lauandi, largiterque oleo inungẽdi: & modico semper victu nutriendi, eoque refrigerante, lactuca inprimis, si ad sit. in cuius penuria cucurbita, malua, beta, atriplice, vti licebit. Nec pisces denegandi saxatiles, & ex iure albo aselli: fluuialesque nonnulli, si procùl à mari agatur, nõ sanè minùs ex vsu futuri, vt in quibus, quod intendere hîc debemus, boni succi, minimeque calefacientis cibi facultas seruetur. De potu: Aqua primis diebus potanda calens, nam gelida hoc in negotio prorsus inutilis: post tertiam, pergente in melius affectu, vini omnino modicum adijciendum potui, tenue quod sit, & album, reficiendo meliùs habitui, digerendoq; per corpus alimento, cum aquæ vnà potestate, ad refrigerandum in partes omnes ex vino, ceu vehiculo deductæ.

Aduersus frigora qua quis se ratione muniat. Dein correpta iam eo, vel obsessæ etiam quo reducendæ modo partes sint. Et ratio reddita, cur gelascentia membra frigidæ immergenda, tum & modico sensim reuocanda esse calore Authores præcipiant quidam.

CAPVT VII.

Hvc pertinet, quoniam vniuersam sæpenumero habitudinem afficiũt, de frigiditate atque æstu disseruisse. Quæ duo, sicuti reliqua superiora, vitâsse primò; tũ, quod proximum est, facta emendâsse par semper fuerit. Vitabuntur nõdum facta eodem, quo abigentur facta, modo ex parte. Itaq; munire se oportebit aduersus frigus, qui versari in eo cogetur, aut iter facies, aut aliqua alia de causa. Nec crapula illi obrutũm, neque inane tamen, aut famescens, aut defatigatum haberi corpus conueniet. Nam crapula vel cruditatibus repletum quod inuenerit frigus, calori, qualitate sua, ne cõcoquẽdi rectè munus perficere possit, pondere nimio obruto aduersabitur vnà, & dissipationem superuacuorum in ambiẽtem ex sensum fugiente transpiratione factam impediet. Ex quo morbi necessariò, cõclusis intus excrementis: & inane, laxumq; delassatione, ac fame ingressum ad ossa vsque pertinget, quippe quod apposité inprimis penetrabile vocârit Poëta: ac neruosas parte in omni partes detectas, alimẽtiq; sui iusti munimento nudas, tam alioqui frigoribus opportunas, iuuadet, & offendet maximè. Pręstat corpus totum inunxisse nardino oleo, & plantas pedum laurino, aut irino, aut ex castoreo, aut amaracino. Perfricanda extrema frigori maximè exposita, donec concalescant benè, atq; ijsdem oleis, & vnguentis illinenda. Tuebũtur quidem hæc, & similia corporis partes à frigoris extrinseci iniuria, tegumentis præterea suis defensas. Verùm hoc communis iam omnibus notionis cuiusdã est, vt se quisq; conduplicatis vestiat, aut suffultis in frigore tegminibus. Illud artificij iam nostri, quod de fricãdis, inungendisq; extremis maximè partibus diximus; & quod ab Arabũ sũmo omniũ nationis eius Authore monemur, verissimumq; esse quotidie experimur re ipsa, quo se liberiùs cõmouere ad repellendum, ea insuper maximè ratione, frigus intra calceamẽta pedes valeant, laxiora ea esse pręcipiẽte, nõ ineptè prorsus. Arctiora enim, & adstricti nimis seu calcei, seu ocreę, pręter mouendi sese expeditiùs facultatem impeditam, simul sanguinem cum alimento eò contendentem, cumq; his calorẽ vnà ac calorificos spiritus, retrò inhibent: simul propiùs ad membrum circuniecti frigoris vim admittẽt, quo magis arctabũtur. Hoc præcauisse modo incumbens corpori paulò vehementius frigus decebit.

Obsessas autẽ iam eo partes, quod euitari non potuerit, partim ijsdem restituemus, partim rationibus quibusdam alijs. Nam quemadmodum ad repellendum, ne in corpus ingruens penetret frigoris vis, commotio semper, atq; etiã agitatio quædã necessaria: (Quietos enim, nec quicquã omnino se permouentes, clandestinum & internecinum statim adoritur frigus, ac superat) ita ad depellẽdum de corpore, partibusque, quas iam inuaserit, antequàm obsideat prorsus, ac morticinas reddat, commodissima eadẽ, neq; agitatior tamen initio. Deambulâsse sat erit primò in tepidiore aliquo loco, quo seipsum paulatim calor suscitet internus, & externo viã paret. Tutius, ac multo securius ita, quàm si ad

ignem confestim quis accedat, adstricta frigore nimio membra violēter, ideoq; dolorificè admodū, dissoluentē. Pręstat leuiter, motis priùs, ac confricatis, placidè aquā deinde affudisse calidā, incoctis aut anetho, aut chamęmelo, aut caulibus. cuius quoq; excepisse euaporantem fumidā materiam, optimum. Mox & ingrediendū balneum aquæ calidę, inq; eo diutiùs morandum: & à balneo eisdem, quibus priùs diximus, illinendum ad ignem demum tunc tutò. Mox cibus dādus, qui tam potestate, quàm actu calorificam vim prę se ferat: vinum potandū natura calidiorū aliquod, neutiquam acerbum, neq; ex vetustis tamen nimis.

Authores sunt, & propè translatitiū est, Immergenda frigidę mēbra, quę gelu periclitantur: fructuum exemplo glaciatorum, qui frigidæ iniecti regelentur, igni admoti corrumpantur: vt eodem modo gelascētes partes cēsendum sit noua aquæ frigiditate ambitas calorem suum, qui superest illis, retinere posse, superueniente cōtrario nimis calore extinguēdum fortasse. Quia dispersus in congelascētibus, necdum tamē mortificatis, exiguus licèt per particulas omnes calor nuper aduenientis frigoris accessu in vnum coiens, factusq; ita valentior, sensim deinde sese internè per omnia diffundat, ac blādè insertus suæ illas naturæ restituat: cōtrariam maximè, atq; ex toto repugnantem, efficacemque nimiùm ignis violentiam non sine internicione laturas.

Congelatarum prorsus, & moribundarum iam ex eo partiū remedia, aliò spectāt.

Sed neq; hæc, quę nunc tractamus, tā propositę nobis Artis nunc propria, ac peculiaria sunt, vt non incurrere aliquando in Therapeuticen ipsam cogantur; inhibitione quanuis diligenti retrahantur inde sępe: sed vicinia, & proximitate rerum adducta feruntur.

Vitandi æstiui ardoris modus. Tum in æstuantibus caloribus si quis bibendi desiderium largo nimis haustu expleat frigidioris aquæ, quantum hūc vitæ discrimen maneat. Et quo hi pacto gerere sese in eo debeant, ex victu ratione omni.

CAP. VIII.



QVi vitare ingētes æstus volet, æstate maximè sub Sole factos, quibus vniuersum plerunque corpus debilitatū atq; exęstuās squalet, caput verò potissimū, ac cerebrum noxam sentit: hūc antea vitâsse repletionē inprimis opus est. Eos enim, qui se cibo repleuerint, maximè ardor vrget: nec minùs cruditate laborātes, aut benè potos, & acrib⁹ edulijs vsos. Contrà potiùs cibi humefacientes quęrendi, refrigerantesque, & præmuniendū corpus dulcioris aquæ balneo aduersus ardores, accepta aquę per totū qualitate. Capitis autē tegimen leuissimum idem, ac refrigerandi secum viriū aliquid afferens esto, ex tenuissimo serico pileus, suppositis etiam, quod facere multos videmus, quę caput attingant, vitis, aut rosarum, polygoníve, & similibus refrigeratoriæ facultatis, folijs.

Premēte versantes adhuc sub Sole siti, ne affatim, largoq; nimis haustu ingeratur frigida, maxima cautio erit. Veneni, si id fiat, vim allatura corpori, & calorem interstinctura innatū totū. Quibusdam aquæ intercutis suffusionē fecisse eadē visa. Nōnullis, quum biberetur, ardentibus, ac sitientibus pulmonibus attracta in transcursu, tussiq; excitata, & grauedine ex eo orta, disruptaque forte importuni frigoris accessione vena, tabis causam attulisse. Colluendū priùs os sæpiùs, & ꝓluenda manibus tota effusè. Nec remittēte se quicquam siti, tum demū per interualla, neq; largè nimis id, bibendū: iniecto, si fortè id ad manus fuerit, aquæ saccharo, aut rosaceo, aut violaceo, quod securos à noxa reddat: vel Zulapio quoq; aliquo eiusdem modi. Quæ quidē circunferri à multis in vsus hosce solent idoneè.

Hæc in insolatione adhuc versantibus faciēda. A qua postquàm discesserint, domi iam quū tēperata priùs se lauerint, etiam frigidę innatare poterūt, præsertim assueti. Quod si incōmodè accidat, nec soliū in prōptu diuersantibus fortè sit: aqua etiam perfudisse corpus vtile, tēperata primū, deinde & frigida, operis hoc quoq; pacto editura ꝓprij, suiq; aliquid, frigefaciendi humefaciendique. Tū huius ipsius nō minùs sanè facultatis quærēda esculēta: Olerum, lactuca, cucurbita, cucumis, intyba domestica, ꝓcipuè oxalis, portulaca: Frugum, iurulentū hordeū, ptisanaq; ex eo: Pisciū, teneriores saxatiles, & fluuiatiles multi, potissimiq; ad hoc, nec quicquā in refrigerando marinis cessuri, nec illaudati insuper succi, lucioli, tymali, renchi, amnici percæ, cindali, minoresq; his funduli, & mordipetrę, & similes alij. Auium, plurimę, ex iure aliquo cōdimentóve refrigerāte. Vinū perquàm benè dilutū esse oportebit. Et quiescendum, dandumq; se somno. Verissimè nanq; hīc lassitudinē quies auferet insolatione contractā, nō solū; sed ardorē quoq; demet, & squalorē corpori cōciliatu, post cibū potumq; somnus, humefacto inde toto haud dubiè habitu, & frigefacto. Multi, quū priùs exaruisēt penè toti, ac siccissimè expuerent, tanquam qui apud Poëtam

-sicco terram spuit ore viator:

his ipsis recreati fuēre.

Quòd si perstiterit adhuc ardoris, Caput

fortè

fortè offendens, aliqd: rosaceo illiuisse, vel expresso rosarū, pampinorúmve vitis, aut intybi, aut polygoni, cū oleo vnà omphacino, succo irrigâsse cōueniet. Stomacho, si persentiatur in eo ardor, rosaceū ceratū, cū absinthio, & portulaca, aut ex oleo omphacino, vinoq; frigidioris naturæ, molle linteolum imponendum, partibusque alijs alia facultatis eiusdem, quibus fortè maior ęstus ardorisque impressio facta ex insolatione contigerit.

Quorū vsuū habendæ sint matutina, vespertinaq; frictio. Siccitas, densitas, laxitas tolletur cutis: & humiditas nimia quædā ex matutina rectè adhibita. Vespertina laßitudinem demet, siccitati medebitur, corpus nutriet legitimè facta.

CAPVT IX.



Pertinet ad vniuersi corporis habitudinē frictio matutina, vespertinaque. Nā quæ manè fit post somnū expergefactis, quanuis, si nihil fuerit de quo queri possit, in præsenti superuacanea omnino cū hæc, tū etiā vnctio sit: pręcauēdo tamen adhibebitur nō incōmodè tūc quoque. Vt si fortè vehemētiori frigori occurrendum necessariò alicui fuerit, possit is eo diei tēpore frictione paulò duriore, cętera mediocri, densare cutim, corpusque, atq; indurare munimento futuro aduersus frigus. Quo ferè modo, qui lauandum frigida proponūt, præparant ad id se, vt tutò facere queant.

Quòd si lassitudinis sensus aliquis fuerit, molliter potiùs fricandum, vngendumque corpus. Iusto aūt hoc ipsum siccius, oleo quidē dulci illinendū, quo habitudinis siccitas humectetur: at frictio tūc adhibenda quàm parcissima, eaq; nec dura, nec mollis. Dura, quia, quū denset hęc, duretq; cutim, quorū neutrū hoc loco volumus, omittēda sanè esse videtur: mollis, quia molle licèt corpus faciat, quod vtile hîc futurū videri alicui possit, facit & laxū, neutiquā optandū, tanquā digestioni per halitū nimię obnoxiū, priuandumq; ideo alimento suo citiùs, atq; ex eo siccandū, cōtrà ac primò ꝓpositū fuerat, vt emolliretur. Quod quoniam dulcis olei illitu cōsequi satis liceat, nō erit quęrendū aliud, in quo hæc ipsa vtilitas quęsita, damno nō minori cōiuncta, inutilis prorsus redditur. Abundè nobis erit hîc digestionē per corpus iuuâsse alimēti, quo cōmodissimè corpus humescat totū, nihil aut mutata cute, corporisve habitu; aut, quę his continentur, euaporatis. Quæ planè ex dura, molliq; frictione expectanda semper erunt.

Si qua verò in cute densitas, hesternis fortè vel superiorū etiā dierū diuersis contracta causis, remanserit: tolli ea matutinis simul frictionibus poterit. Quā durior frictio, vehemēsq; exercitiū, ac multus puluis fecerit, mollioribus, cū oleo copioso, pinguique: quā frigiditas, duris vnà, ac celeribus primò, deinde cū oleo quoq; excalfacientibus. Laxitas eodē modo ex frequētiore balneo, mollibusq; frictionibus, ac Venereis orta, vt in qua nihil aliud quàm dēsare cutim, non aūt habitudinem aliquo pacto inuertere totā, propositū sit: eisdem eiusdem temporis, nempe matutinis frictionibus paucis quibusdā, omnino duriusculis, mox & cū oleo adstringentiū aliquo item paucis factis auferetur. Tūc humiditati prætereà ex largiore potatione manēti solis frictionibus medebimur siccis cū linteo, aut manica: nonnunquam & sola manuum inductione, nullo omnino pingui, vel exiguo eo admodū, tum cui nulla penitus insit adstringēdi facultas. Eo pacto, vel sicciore frictione absumetur superflua humiditas resiccata; vel manuum attrectatione per se mollium; aut ex pauculo licèt, per halitū tamen digerente, eiusmodi oleo exitus parabitur humiditati, faciliùs ita euaporabili. Ac quæ manè administrari debebit frictio, horum vsuum erit.

Vesperi illorū, vt aut lassitudini insigni, aut siccitati, aut non ritè nutrito corpori medicemur, quę ἀτροφία est. Quibus antea quomodo subueniendū esset quoniā traditū iam fuit, nā & gracilitatis in qua corpus alimentū non sentit, & siccitatis corrigendæ ratio dicta, & lassitudinū explicata omnis: hîc, quod vespertinā tantū frictionem hanc, temporis videlicet ratione eius, tangat, dicendū. Ergo quoties horū aliquod cōtigerit, quod emēdandū ex vesperi administrādis frictionibus sit: pręcipuū, primumq; id fuerit, parcius vt prandiū omnino sumatur, plurimūq; interponatur ab hoc ad cœnā vsq; tēporis, cuius maior pars quiescendo cōsumatur, partē exiguā aliquā inambulationibus etiā dando, quibus ferè agitatus cibus inferiùs descendit. Cuius si excremēta insuper egerantur, priusquàm frictionis quicquam adhibeatur: optimū id factu fuerit, & securos reddet, siquidē, quæ diximus, illa quoq; præcesserint, vt oleo demū adhibito dulci perfricetur corpus, sic tamē, ne qua prorsus in parte vēter cōtrectetur. Quod nisi caueatur, periculū erit, ne & deteriùs cōcoquatur cibus exagitatior frictionibꝰ factus; & semicōcocti succi de eo aliqd violētia eadem & calore attractū feratur, subuertaturq; vētriculus, & ex subuersione hac resiliētibus sursum exhalationibꝰ perturbetur caput. Hæc persuaserint facilè, minimè attingendum esse ventrem: ac blandè tātùm, & suspensa

pensa non nisi manu vnguento illinendū aliquo, cuiusmodi esset nardinum, si quis in regionis eius musculis, aut lassitudinis sensus percipiatur, aut paulò maior siccitas detegat sese.

Quod in vniuersum de habitudinis totius plenitudinibus, & vitiosis succis traditum, cur particulatim repetēdum id per singulas corporis partes sit. In quo actum non agitur, sed nouis id rationibus fit.

CAPVT X.

Plura fortasse nō erant tradenda particulatim de singularū partium plenitudine, succique malitia, postquàm traditum antea satis hac operis præcauēdorum in parte fuit, quomodo vtrisq; vniuersum corporis habitū occupātibus obsisteretur, priusquàm morbos gignerent: vt simul partibus quoq; singillatim omnibus cōsultum videri possit, quū cōsultum priùs toti, cui quidem partes insint semper suæ, esset. Tum verò suprà in Correctrice Artis parte, dum Intēperaturæ emendarentur singularum, ne fieri quidem facilè posse sperandum erat, emēdatis his, & temperamento iusto, sibiq; proprio restitutis, plenitudinis vt quicquam, aut succorum vitiosorū aliquid aggeratur. Quod verissimum esse reperiretur, siquidem conciliatum parti alicui temperamentum, vel natiuum quoq; illius, bonitatem eodē perpetuo tenore retineret suam. Qua integra cōseruata, firmataq; egregiè, nec superflua generarētur actionem partis insigniter oblæsura vlla, hoc est, factura morbū: & illato sibi, impendentiq; ab alijs sępe nocumento validè resisteret pars illa eadem. Nihil enim æquè vtrunq; hoc pręstat, ac idipsum hoc, partium quippe temperamentum inculpatum plurimum semper virium roborisque ad actiones illis suas elargiens, quādo è diuerso illarum ipsarum debilitas non aliunde magis quàm ex intemperatura inuecta suboriens pendeat.

Verùm enimuerò quoniam hanc multæ sæpe causæ destruunt, lædúntve, etiā optimè à natura cōstitutam, vel Arte quæsitam quoque; partim ineuitabiles, si quis alieni iuris sit, addictusq; ministerio alicui, rectè atq; ex ordine vacare conseruandæ sanitatisuę nullo pacto queat; (quibus tamē qua ratione quoquo modo consuli possit, tractandum pòst) partim quas neglectus & intemperantia, incontinentiaque, ac huiusmodi alia inuehāt: & partes sunt in corpore plurimorum multæ (quæ multo maxima certè mortaliū pars est) natura suapte imbecilles, atq; intemperatæ, quæ anteq̄ emēdationem accipiāt, & temperamentū melius recuperent, necessariò in id declinēt, vt vel plenitudinis, vel succorū malitiæ nōnihil omnino colligant, quod collectum, neglectumq; morbos extemplo gignat: his omnibus de causis partis, quam hoc loco versamus, Præcautricis Salubris Artis totius dignitate quadā non postremæ, futuræ quodāmodo esse videntur partes, vt ita dicam, suum quoq; his omnibus consilium lubēti maximè animo vt impertiat.

Caput elicientibus per os, naréſque, pituitam medicamentis euacuandum: præmissa tamen priùs repurgatione aliqua, varij humoris varia, venáve incisa. Interdum auertentur, deriuabunturq; humores remedijs alijs: sed & inustionibus, quibusdámque rationibus alijs.

CAP. XI.

Initiū ducetur à Capite, cuius priùs quomodo corrigerētur intemperaturæ explicatū, vt diximus, quū sit: nunc inde pariter retexenda omnia, ac quibus rationib⁹ morbi ex eo, eiusq; collectitia fortè materia, exorituri præcaueantur, docendum. Ante omnia reseranda emissaria, & aperta seruanda, per quæ fluat: tum etiā adiuuanda educentibus per os pituitam de capite, humoresq; alios ἀποφλεγματισμοῖς Græcæ Scholæ dictis: & quæ ἐρρινὰ eadem nuncupat, detrahentia per nares humorem: leuioribus tamen omnibus, pro Artis hæc ipsa tractantis ratione, morbos ipsos anteuertentis minore multo negotio, minusq; vehemētibus remedijs, quā si factos sanandos susciperet. Quare satis erit, humores tunc pipere cū mastiche temperato, commansáve anemonæ, vel capparis radice, per os elicuisse: betæ succo, per nares, aut cyclamini, & porri, si lacte misceantur, infundanturq; naribus, aut illitum his ceu linamentū iniJciatur narium alteri, vel mali aurantij coriū eiusdem linamenti instar, ac similia perquàm leuia.

Antè nihilominùs euacuásse conueniet caput leuissimis itidē, vt Catapotijs ex mastiche cū aloe, & agarico, addito interdum, quū ex vsu id fore videbitur, rhabarbaro, aut alephanginis. sic enim vocant. Commodè anticipabunt cœnam hęc duarū circiter horarum spatio. Nonnulli malunt, à cœna, eodē temporis interuallo, ingressuris lectū vt deuorentur, certiùs arbitrantes repurgatū iri caput hoc pacto. Mihi verisimile nō fit, nec credere par est, non meliùs præsumpta & distribui in venas, nullo iam impediēte; & trahere ꝑpptereà de capite cōmodiùs posse, quàm cum cibo vnà accepta. Qui cum aut descendent inferiùs, egerenturque detractis tantummodo fæculentis,

quæq;

quæq; in intestinis continentur; aut semicrudum ducet, perturbatumq; agitatione, in corporis ambitum cibum, & euaporationes exhalationesq; ciebunt semper maiores, in caput tandem cõcitatas ipsum, vnde maximè ac longissimè amotas oportuerat.

Eapropter præstiterit semper tantum in eo temporis anticipâsse cœnãdi horam, vt peracta prima iam ac secunda cõcoctione expeditiùs permeent venas, & officio suo liberè fungâtur Catapotia. Sic praui in capite succi vitia auferentur collectitij, pro eo ac alius atque alius collectus magis fuisse videbitur, diuersa semper repurgatione.

Quarum rerum ex superioribus petenda indicia. Et ostendentibus se notis Plethoræ, mittetur rectè sanguis (si non paucam coaceruatam hanc, morbosque non multo pòst facturam, aut sanitati iam imminere ipsi existimârimus) ex dextri brachij humerali: nisi fortè sinisterior capitis pars molestiæ leuioris alicuius sensu tentabitur potiùs quàm correpta laboret. eo nanq; casu sinistri arripienda ad secandum vena cubiti. Sin ante collectam, ne paulatim aggesta colligatur, multo antè prçcauerimus: sectis meliùs tunc in malleolo venis venientibus longissimè morbis multis occurremus. Verùm hæc iam antea quoq; memorata omittantur.

Possit insuper coaceruatæ in Capite materiæ ante morborum inde exortum portiuncula demi auersionibus, aut deriuationibus quibusdam: multo autem maximè, ne maior subinde accumuletur, prohiberi: atque adeò, ne initio colligi vlla incipiat, longè antè consuli.

Hac ratione receptum apud multos, loca in corpore inussisse quædam ad hosce vsus: vt brachiorum infra humeri summitatem exteriore in parte candenti ferro excauetur, vel sub genu, eadem prorsus, qua de venæ sectione proximè dictum est, ratione fossula, in quam deriuentur humores superioribus ex partib⁹ in subiectas defluxuri, ne coalescat, pilula aurea argenteáve iniecta prohibitã. Ita futuri suspicionem morbi, prçsente morbo alio, soluta quippe continuitate, præuertunt, tolluntque: sed maioris, periculosiq; admodum sæpe, minore multo, nec quicquam metuendo.

Iuuêre ista multos illorum, qui aut vertiginoso corripi affectu soliti essent, aut comitiali, aut capitis dolore totius, vel dimidij, ex leui qualibet causa laborare: quibus ophthalmiæ, oculorumq; dolores alij, aut aurium; quibus tonsillæ, aut antiades, aut anginç contingunt; decumbentésve ex capite facilè in columellam, dentes, gingiuas, collum, fauces, partesq; circum omnes illas, fluxiones multimodos morbos excitant: si prætereà non negligenter omnino in alijs agatur. Deriuatur enim eo pacto, & auertitur aliò ab affici consuetis particulis, factura morbum materia, adeò vt chiragræ quoque, & podagræ, articularique morbo obnoxios hoc ipso remedio sibijpsis præcauendo adiutos meminerim: atq; pro reliquorum continentia, ac temperantia, maiore minoréve, vel liberatos in totum, quo primùm tempore affici morbis his incepissent, adhibito; vel multo minùs grauiter, maioraque multo per temporum interualla, infestatos.

Cæterũ quod ad Capitis plenitudinem, succorumq; malitiã attinet, vnde plerunq; enumerati iam, cumq; his alij quidam originem trahunt affectus, priusquàm inde gignantur, minuendam ex parte: non parum cõtulerit, inferiorum etiam partium adhibitum exercitium, vt & pedes in hoc exerceantur. τὰς δὲ τῆς κεφαλῆς πληρώσεις διὰ περιπάτων δηλονότι θεραπευτέον, inquit (De tuẽ. sani. vj.) Galenus. Capitis plenitudini deambulationibus medebimur, maximè quidem ante cibum, sed & post tamen. Verùm has impensè tardas, lentasque esse oportet: celeres magis ante, neque adeò tamen concitatas, vt quum festinatò properantes aliquò contendimus.

Deambulationes autem his non solùm, verùm etiam exercitia imperare possumus, nondum ægrotantibus, & morbis tantùm tentatis, vel futurorũ solùm causas in corpore fouentibus. Quo tempore iniungendus, sicuti ostẽsum modò, pedibus maximè labor: vt deambulando, vel modico etiam cursu exerceantur, & fricentur sçpe. Minimè quidem hîc exercitationes cõuenerint, quas inclinato capite antrorsũ, aut retrorsum inflexo dorso, aut volutati in terra obeunt, vt quædam huiusmodi habentur.

Contrà, quæ humi desidẽtibus ineuntur, brachijs, manibusq; cõmotis, halterum fortè, discíve, vel cuiuspiã talis quod hçc ipsa referat, vsu: hç offensionem aliquam sentire solitis cruribus, pedibusq; vtiles. Sic quũ tentabuntur iam morbo aliquo partes illius quandoque iniuriæ opportunæ, exercitatione vtendum.

Nam offensionib⁹ huiusmodi obnoxiæ, necdum tamen tentatæ, & infirmæ tamen aliâs, pauloq; imbecilles, modò nõ in senio cõstitutorum, (nam senum validiores tantùm exercẽdas esse partes docuimus) eæ exercitationib⁹ roborari cõfirmariq; ritè adhibitis debebunt ipsæ: nec sanè minùs perfrictionib⁹ rectè itidẽ, atq; ex ordine initis, præcipuè verò siccis, idq; vel ex linteo, vel solis etiã manib⁹ diu multũq; fricãdo: eo sçpenumero successu, vt ꝑ interualla tẽporũ certa quçdã infestari doloribus solitç partes,

tes, quo non infestantur tempore, diligenter perfrictæ, potissimùm si duabus aut tribus id horis suspecti doloris accessionem præuerterit, nō minimum ex eo iuuamenti percipiant doloris prohibitione, roboratisque ita partibus multo minùs decumbere consuetas fluxiones suscepturis.

Auribus, Oculisque ab iniuria morborum multorum vindicandis, quæ, quóve accommodata modo idonea habeantur. Et de partibus nobilibus, ignobilibúsve, suscipiēdis aliunde noxis opportunis reddendis, aut aduersus eas roborandis, firmandisque. Et Dentium defensio.

CAPVT XII.



Atque eædem illæ eademque opera inferiùs adhibitæ frictiones, & exercitationes, reliquaque paulò antè dicta de tuēdo à morborum iniurijs capite, Aures & Oculos tuebuntur. Priuatim verò Aures eluendæ auriculario clysterio aliquo, præsertim si paulò grauior auditus timeatur ex repletione, expurgādis faciliùs ita sordibus. Sumendū ad id generosum vinū ex albis aliquod, cui betonicæ, origaníve, ac hyssopi, & rosarū folia aliquot incoquātur. cōmodè eodē, collyrióve ex rosis, aut croco, aut glaucio, intingetur & linteū linamēti more, multoq; imbibito vtiliter immittetur auri, expressūq; demum retrahetur, & amygdalini olei amari, nardiníve, aut anserinæ pinguedinis instillabitur aliquid, addita fellis bubuli portiuncula, in maiore auditorij meatus ab decumbentibus eò humoribus lædendi metu: capite tamen priùs, vt monuimus, repurgato toto. Circunfertur nō idoneè minùs ad hoc gossipium, quod Moschum exceperit, obturaturque ex eo auris: simulque & defenditur ab extrinseco aëre frigidiore fortè, & siccata roboratur. Quod in omnibus, quæ labentibus de capite humoribus suscipiendis obnoxiæ sunt, diligenter semper attendendum est, magni alicuius vsus partibus, vt robore sumpto ingruentes repellere à se tantùm noxas valeant, cuiusmodi aures, atq; oculi sunt: non autem in cerebrum caputque roborata & ipsa retrusas agere, si modicè solùm roborentur.

Tunc quidem, quum tale aliquid fortè verebimur, ne validæ robustęque factæ, retrò in cerebrum nō minùs nobilē & ipsum partem, maiorumque etiam ad vitam vsuum, pulsi ferātur humores, deriuandi potiùs in propinqua, maxime quidē ad nares per ἔρρινα, & quæ sternutamenta mouent multa, viasque illas aperiunt: sin minùs, at per apophlegmatismos in os, & palatum.

Ignobilioribus non valde addendum robur, persistente plenitudine, vel succorū vitio, vt exonerare sese nobiliores magisque necessariæ, & alijs superfluos reponere humores, possint, quos fortè protrudere aliunde foras nequeant: atq; ita potiorum saltem partium sanitas, si totius non possit, in tutò sit. Depleto corpore, repurgatóve, ac ne impleatur rursus nimiùm, humorumque prauitate redundet, prouiso, roborabuntur hæ quoque. Iterum fortasse debilitandæ, excipiendisque excrementis opportunæ reddendæ, laxis aliquo pacto fluxisque factis, ac mollibus, quum in corpore superuacui humores exuperārint, quos nō adeò facilè exturbare aliter de corpore, aut aliò deriuāsse liceat: vt quidem facere in morbis iubemur, quos nobilium ac principalium partiū collectus humor aliquis fouet, vt excitato tunc podagrico, aut articulari affectu, in morbo huic obnoxijs, ægrotos liberemus. Hæc, obiter quanuis hîc dicta, in vniuersum accipiantur, ad reliquarum partium omnium rationem dicendarum trahenda. Verùm de his paulò etiam pôst dicendum.

Firmati roborabuntur Oculi sicci, ex Phrygio lapide, collyrij vsu Galenicę pręparationis, ita illito ex eo specillo, ac palpebris inducto, ne quid oculi membranæ intus tangatur. Cætera oculorū & aurium morborum sunt medicamenta potiùs illarum partium, non tentatarum morbis medelæ. Sicuti id quoque ante morborū accessionem, ne facilè his corripiantur, robur adferet, si oculis instilletur quotidie ad exactum vsque mensem, ac per interualla deinde quædā, succi verbenæ, & eius quam euphragiam vocant herbæ, depuratissimi gutta: si puluis, & fumus vitetur, frigus, & supinus decubitus: cibi amoueantur diutiùs in ventriculo moram trahentes, concoctuque difficiles, atque acres, quorum acrimonia sursum facilè euaporabilis, inque caput delata oculos feriat. Immersisse eosdē sæpe frigidæ apertos, inter iuuantissima habetur. Specilla certè Crystallina sūt, aut ex purissimo vitro pellucida, iuxtáque hoc aquea, quibus subtiliorum operum artifices, & in librorum lectione studiosi, illæsam ad plurimum ætatis oculorum aciem seruant. Conducibile tamen, quum iam assidua rerum visorios spiritus distrahentium inspectione defatigari incipient, habere, in quæ obtutus defigatur recreandis illis, cærulea, aut viridia aliqua.

Dentibus quoq; inimicum esse frigidum protulit (Aphoris. v.) Hippocrates, cui credendum.

dendum. Inimica & crebra nimis vomitio, & stupefaciētia, & glutinosa omnia, & ciborum in vētriculo corruptio: vt fugienda esse cuncta hęc sciatur. Noxius ciborum etiam vsus quorundam, vt caricarū, & eorum quæ confiunt ex melle multorū. Duriora autem qui dentibus cōfringenda aggrediuntur, vt Persicorum nucleos multi, & amygdala, & palmulas; frangant licèt, & conterant sæpe: quo sæpiùs factum ab his id fuerit, commouebuntur paulatim loco suo dētes, ac sensim sedibus suis veluti crebrò concussi, citiùs deinde accedente ætate conuellētur. vacillabunt certè, & mobiles reddentur. Itaq; ne duriore aliquo dentiscalpio post cibum purgētur, etiam cautio est. Proderit colluisse manè crebriùs buccini, ceruini cornu ramentorum, lentisci, aut ligustri, foliorū iridis, & aristolochię radicum, corallij, & paucæ masticħes decocto, dilutóve. Ex quibus cōfici dentifricia non minùs rei huic idonea possint.

Pectori, ac Pulmoni, ne morbis lædātur, exemplo quodam allato, subueniendum in tempore esse ostenditur. Traditur intereà repetita communis, vtilisque partibus corporis omnibus, suscipiendæ, aut abigendæ à se humorum malitiæ, redundantiæ'que ratio.

CAPVT XIII.

PEctoris morbi totius & Thoracis nulla alia ratione pręcauebūtur meliùs, quam præcautis decumbentibus eò fluxionibus, ac fluxionum causis priùs. Nam partes eas validas aduersus ingruentes supernè tam facilè ac promptè defluxus reddidisse, nec factu sanè id facile, ob pulmonum laxitatem, fungosamq́ue substantiam: nec admodum tutum. Moliri enim id adstringētibus oportebit. at hæc ne respirandi officio aliqua ex parte obsint sanè verēdum: simul ne, quas apertas expeditasq́ue educendis inde contētis fortè humoribus, haberi vias opus est, horum vsu eæ foris intusq́ue adhibitorum quasi intercludantur non leui discrimine. Alia igitur his omnino ratione consulendum.

Vitriarium artificem noueramus Tridenti multos ante annos pleuritide corripi quotannis solitum, ac affectionis huius propè certum, finiente semper hyeme, aut Veris principio redeuntis. Consultū huic fuit primò, salubri vt victus ratione caueret semper sibi, ex qua nec plenitudo colligi, neq; accumulari humorum prauitas posset. Tum suspectum anni tempus venę sectione anteuerteret interioris dextri malleoli, qua parte laterali semper dolore affligebatur. Intereà Catapotijs ex agarico in Mesuem authorē relatis vteretur, sub idem tempus repetitis bis, térve. Ante omnia, ne qua se tunc, appropinquāte mali suspicione, vehementiore corporis, vel animi etiam, commotione agitaret, quibus fluxilis sanguis factus, fususq́ue, prōptè inferiores simul & imbecilles impetere partes posset: ac ne quicquā artificij tunc sui perageret, proculq́ue ab eo absisteret, quod erat assidendi fornacibus, quibus fusum liquescit vitrum, effingendis generum inde diuersorum ex ea materia vasis. Eodē tempore imperata cibi parcitas, potusq́ue, subtrahendæ ita quoque humorū redundantiæ, & sanguinis.

Etenim, quod dicendū hîc in plenum sit, si neutrum horū fuerit, plenitudo inquā vlla, aut vitiosi humoris alicuius cum malitia exuperantia: ne metuendum quidem morbi quicquam partibus quamlibet imbecillib⁹ fuerit. Nam debiles satis vt sint, & suscipiendæ noxæ opportunæ: si nulla hæc reperta in corpore fuerit, vnde nocebitur illis, quæso? Quapropter omnium illud primum, maximumq́ue habebitur, vt ne quid tale in corporibus, quæ conseruata in sanitate sua cupimus, suboriatur, subalatúrve, quod præbere causam morbis queat. Proximum erit, vt quacunque tandem de causa subortis pateat alicunde de corpore exitus. In quem vsum, præter alia, inuentas fuisse extremarum partium inustiones, & καυστήρια quædam, diximus. Vltimo loco habebitur, manentibus intus superuacuis, vt ignobiliores, minusq; ad vitam necessarias, partes occupent, persistentibus in sanitate sua principalibus ac potissimis, quarum functio totius simul functionibus commodet, facultatemq́ue in alias deferat naturæ, animæ, vitæ; cuiusmodi Iecur, Cerebrum, Cor est: aut necessarium sustentādo toti munus obeant, vt Ventriculus. Tunc demum adhibenda consideratio est diligēs, ac solicita, ne aduersus hasce robur sumāt ignobiliores reliquæ, noxamq́ue à se in eas depellant. Demendæ igitur his vires, & addendæ principalibus magis, vt habeant hæ quò se exonerent, quū fortè humorum redundantia grauabūtur. Quæ si cui inhæserit parti principi quidem, sed natura imbecilliori, adiuuanda ea roborantibus excutiendæ meliùs noxæ; ac debilitandæ aliæ, vt excipiant. Ergo curiosè inquirendum, per semetipsum laboret'ne membrum, an mittente alio priùs affecto; & nobiliori'ne, an ignobiliori: vt, reijcienda, an recipienda potiùs sit noxa

ea,

ea, sciri possit. Quamcunq; autem in partem recepta fuerit, sedulò in eo semper ponenda cura, vt absumatur, postquàm euacuari ratione alia nequiuit, hæc sura diutiùs, nisi id fiat, & morbi tandem aliquid conciliatura. Cùm igitur facienda alia, vt absumpta euanescat; tũ tenuior iniungendus statim victus, cum consuetis priùs exercitijs, ac cõuenientibus. Eiusmodi nanq; victus, intermisso exercendi se more, nihil profecerit: nempe quãtum victus tenuitas de redundantia illa abstulerit, tãtum, interdum & plus, suggerente otiositate insueta.

Idẽ faciendũ, si cui fortè parti principi quidem, sed natura, vt diximus, imbecillæ, incubuerit noxa, quã abigere in alias, aut extrudere non licuerit, vt victu tenui succurramus. Qui si ferri posse videbitur, vt nec tenue valde reddatur inde corpus, nec imbecilla pars vexetur: benè erit, persistendumq; in eo. Sin mẽbris omnibus attenuabitur corpus, & intereà vitiosa pars nihil ex eo adiuta malè afficiatur: desistendum, ac rarioribus purgationibus vtendum quibusdam, Vere in nonnullis tantummodo, qui esse purgatione ea contenti possint, repurgãdo humori, pro illius diuersitate accommodata. Nam alijs quibusdam, ob natiuam partis principis alicuius imbecillitatem plus simul redundantiæ coaceruantibus, altera quotannis autumno quoq; administranda necessaria purgatio fuerit: at redundante sanguinis plenitudine secandam fore venã, idq; Vere potissimùm, nemini dubium. Quòd si imbecilla pars ea, princepsq; aliqua, ex victus exiguitate vtilitatem quidẽ capiat, leueturque, membra verò gracilia inde euadant: non immutandus victus, principi parti vtilis: mẽbrorum tamen gracilitati subueniẽdum picatione, cuiusmodi priùs diximus, ac frictionibus opportunis. Hæc, in vniuersum hîc dicta, communia partibus huiusmodi omnibus accipiantur.

Quanta adhibenda Ventriculo incolumi conseruando cura sit. Cruditas, crapula, ciborum repletio, corruptela, ebrietas, qua ratione corrigẽda. Lentus, tenáxque, ac crassus humor, vt vomitu reijciendus, præparandúsque ad id. Multa, quibus blandè emollita aluo in sanitate detrahi ventriculo humor possit.

CAPVT XIIII.



Entriculo repletionem ademisse qualemcunq; non ita difficile fortasse sit, duo veluti emissaria suprà infraq; sortito, per quæ educere cõtenta liceat vomitione, aluiq; subductione: & quòd, quæcunq; in vsum hunc ingesta sumentur, integris facultatib⁹ suis, quũ rectà in illum ferantur, præstitura meliùs rectiusq; opus sint. At non parum in eo negotij operæq; positũ est, quòd rudia is, & inchoata tantùm, ac minima, nescio qua, præparatione ex oris cõmansu accepta excipiens domanda habeat, quasiq; dedolanda, plurimum sæpe excremẽti, atq; eius crassi, glutinosique exhibitura, si quod fortè iustam ventriculi concoctionem subterfugerit. Hinc pituitæ copia, ingensq; interdũ humoris huius in eo vis, tanquam in receptaculo suo. sic enim existimatur, diciturque à multis ventriculus. Simul eodem confluunt vndiq; ex alijs partibus, adeoq; de toto sæpe ambitu, humores, depellente à se tunc noxã habitudine vniuersa, quos transmittere delatos necesse habeat, foras demum de corpore extrudendos: magno quidem totius vsu, at nõ leui sæpe ventriculi offensione, dum qualitate interdum illorũ mala ac vitio perstringitur in transcursu; nonnunquam hærentibus etiam ibi, ac se colligentibus. Iam ex vesicula fellea, iecoreqùe frequens sæpe bilis in hũc eructatio, quantum sæpe molestiæ adferat, nõ ignoratur.

Ex liene rursus atrabilarius huc eodẽ humor transfusus, si nimius fuerit, vt vsu venire quãdoq; solet, sanè offenderit is quoque multùm. Quæ omnia diligẽti semper studio cauenda sunt ne contingant, fiantque: facta verò extemplo emendanda, priusquã in morbos necessariò incurrat pars ea, vnde corpori toti, membrisq; omnibus victus atq; alimenta, non secus ac ab optimo promo cõdo, petuntur. Quamobrem sua huic inprimis, atq; ante omnia conseruanda incolumitas: prospiciendumq; accuratè, vt benè valẽs, robustusq; optimam rursus ceu coquus quidam cibariorum coctũram peragat, partibus corporis vniuersis distribuẽdam, ritè peractam, ac perfectè expletam vtiliter semper, magnoq; alendarum partium commodo, vtpote quæ optimum inde, quantum in eo est, alimentum sentiant: vitio verò aliquo, aut corruptelæ, aut cruditatis, aut huiusmodi notatam, non planè magno nutriẽdis inde membris vsui futuram, quippe quã initio vitiosam emendare subiens posterior iecinoris, vel tertia etiam post hanc, concoctio ægrè admodum ex toto, vel nunquam potiùs, valeat. Fugiendæ itaq; cruditates semper, ex quibus corruptelæ nidorulentæ atq; acidę si perstiterint, morborum sæpe multorum causæ habebuntur: & intendenda concoctio, ne quid in ea erretur, studiosè semper animaduerso, vt quantitas iustam corporis status cuiusque, naturæque, ac ætatis cibi mensurã ne excedat, néve in qualitate peccetur.

cetur. Quam temperamento quidẽ respondere sumpturi, nec minùs tamen calorificã ex parte esse oporteat, iuuandę cõcoctioni meliùs, minimeq; crassę, aut glutinosę substantiæ, incidentisq; potiùs, qua dissectus cibus concoctilis magis reddatur: non inuersus ordo, non intempestiuum cibandi tempus sit. Simul extrinsecus accedentes deuitentur offensiones, refrigeratio, compressióve à cibo vẽtriculi aliqua, vt quum operi alicui faciendo incumbitur; & importunus motus: semperq; auferatur causa fluxionis ea humorum, siue ea in toto ex plenitudine qualicũque, vitiosóve succo, siue in parte aliqua sit, qua priùs explicatũ fuit ratione amouenda, roboreq; vno addito ventriculo, ne opportunus amãdantium noxios à se humores partium iniurię fiat. Præstat autem in his, quod in cõmune monendum rursus sit, (& verò non inconuenire arbitramur, vt interdum replicentur vtilia) partibus quidem corporis omnibus cõsuluisse, si fieri id possit: sin minùs, at pręcipuis, & principibus magis, quod fiet conciliato cuiq; bono habitu. Simul apertas atque expeditè procedentes à natura institutas excretiones de corpore omnes seruâsse conueniet. Ita enim nec habebũt, vnde mutuam illam offensionẽ incurrant, partes potissimæ, ac præcipuæ, quas dicimus; & validæ, robustæque factæ noxam à se, si quam fortè conceperint, facilè depellent in ignobiliores. Quod maximum semper ad sanitatis defensionẽ momentum allaturum sit, in principum partium temperamento bono, bonoque habitu, maximè positæ.

At satius nihilominùs fuerit, vt noxæ eximantur ignobiliores quoq; illæ, quum primùm plenitudinis se alicuius quacunq; in parte, præcipuè verò præcipuis, prauíve succi, indicia detegent: extemplo amouisse, rationéve aliqua cõsumpsisse. futurum quippe id nobilibus iuxtà atq; ignobilibus magno semper vsui. Vt in Ventriculo, de quo nunc sermo, si quid collectitij pręter naturam fuerit, quod nec inedia, victúve tenui atq; exiguo, aut melioris alius temperamento cibi, quæ σύγκρασις est; nec exercitatione, alitérve tolli potuerit; nec retrudi in nobiliores partes debeat, nec in ignobiliores possit: euacuãdum id primo quoq; tempore sit. Quin sæpe, ne expectatis quidẽ alijs, quæ modò diximus, illis, accedendum ad id statim: vt in ciborum repletione nimia, quam cruditas sequitur; in crapula, quam cùm hęc, tum ebrietas; in cibi corruptione. Omnibus enim vomitus statim factus confert, sed in corruptione ante cibum ex vino aliquo dulci. Tametsi hîc magnum futurum ad sanitatem compendium sit, si corrupta aluum per se subeant: sin minùs, deijcienda leuiter eliciente aluum medicamẽto aliquo erunt, accepto cibo boni prorsus succi, & reiecto nidorulento, maleq; olenti, ac corruptibili cibatu omni. In crapula, ciborumq; repletione alia, sine cunctatione vomendum, ex aqua tepida, mulsáve, aut ptisanæ cremore: vel emolliẽda omnino ratione aliqua, soluendaq; aluus, vt ventriculus & præcordia liberentur. manente nanq; corruptela, necessariò pessimi inde morbi expectãdi. Ex repletione aũt si reliqua fiat cruditas, non morborum minus pertimescendum: & vt concoctio sequatur, venæ certè replebuntur nimio sanguine, vnde plenitudinis demũ mala exoriantur multa. Iccirco suprà infráve viam aperuisse conducibile, vt subtrahatur redũdantia: & quod restat concoquatur somno longiore, qui erecto decubitu ineatur, persistaturque diutiùs in eodem, ne ex conuersionibus nimijs suborti flatus, (ferè enim ita euenit) sursumque acti caput feriant. Deambulandum à somno tardiùs, ne itidem ex citatiore motu partem eandem impetant vapores. Lauacrumq; ac fomenta cõducent. Cibo deinde vtendum modico, & concoqui facili, exiguoq; admodum; ac benè diluto vino, veteri tamẽ aliquo, & calidiore. Assueto frigidæ potu, præsertim verò in temulentia, nõ inconueniet duos aut tres ex interuallis frigidioris cyathos hausisse: tũ & concoctionem iuuantis ex cydonijs & aromate præparati medicamenti, aut concoctorij pulueris suo loco descripti, partẽ accepisse. Hæc, contenta ex ciborum repletione, cruditate, crapulaque, aut corruptela ventriculi sinu materia, facienda.

Quibus verò pituitosus humor, lentus, tenaxq; quidam ventriculo est infixus, aut crassus simul: his dissecandus priùs is, & incisione, attenuationeq; præparãdus, atque ita demũ vomitione reijciendus. Videas ex his quosdam cibos auersari, & impensè fastidire, & assumere interdum coactos nausea affici; sæpe acria tantùm quędam appetere, neque his iuuari tamen, sed ventris inde inflammationem sentire, & nauseabũdos fieri sputatores factos, nempe σιαλοχόυς quosdam, ructibusque leuari, acescentibus interim, quos acceperint, cibis. Hos ita affectos sanitati restitues, reiecta vomitu pituita, quem conciuerit radicula ex aceto mulso sumpta, & reiectu facilem materiam præparauerit. Ex cyceone item quodã euomuisse quandoq; contulerit, radiculæ, salsuræ veteris alicuius, origani, erucæ, cepæ, porriq; momento in præpinguium carnium iure: non solo aũt absorpto, sed & carnibus ipsis glutitis, atq;

his non admodum commansis. Hoc facere robusto ad egerendũ ventriculo, vomendique certos oportebit.

Tutò ac conuenienter cõmodis temporum interuallis quibusdam exhibebũtur, quæ modicè ventriculum & intestina repurgent, neq; vltrà tendant, vel mesenterij tantùm venas attingãt. Præcellit inter hæc Aloe, detrahendis etiam in ventriculi tunicis receptis humoribus vtilis: siue solam eam assumere libeat demendæ bili; siue additione rerũ, quæ Picram cõstituunt, acrimonia & caliditate sua pituitosorũ quoq; humorum crassitiem dissecantium, & abstergẽtium lentitiem. Illota vtemur ad hęc Aloe, valentiùs purgare, lota ventriculum magis roborare volentes. Nec deerunt, quę subducere aluum, & intestina repurgare possint, alia: Terebinthina, seu laricea resina, addita rhabarbari etiam interdum parte: Beta, hacq; efficacior mercurialis herba, cum sale elixa, & iurulenta comesta: Lactis serũ cum sale, aut melle paulò largiùs sorptum: Gallinacei veteris ius incocto cnici semine denariorum duorum pondere: clysteresq; ad hæc ex diuersis, tum ex oleo sæpe solo ad duratas fortè fæces, & glãdes. minùs crebro tamen omnium horum vsu, ne fortè intestinorũ expultrix vis id semper subsidij expectet, muneris intereà ipsa sui oblita.

Ne in vẽtriculum biliosus, atrabilariúsve humor nimius feratur, prouisio. Vitijs quibusdam natiuis quà subueniri ratione debeat. Defluentibus è capite in vẽtriculum humoribus, quomodo occurrendum, seu calidis, seu frigidis. Et corrigendæ intemperaturæ, ex cibo inprimis, per anni tempora diuersitas.

CAPVT XV.



Aeterùm ne de iecore in ventriculũ feratur biliosus humor, aut ex liene atrabilarius nimius; vel, si delati eò fuerint, vt excernãtur confestim, prouidendum. Ac quomodo euacuarentur, dictum; vomitionibus, & subductione alui. At ne initio quidem ferantur, biliosusq; inprimis humor, id verò maturè sumpto cibo assequemur: valido quippe facto ita ventriculo cibatione cita, quæ robur illi addat, ne recipiat, aliquod. Quod nisi fiat in paulò magis bilioso corporis totius temperamẽto, si prætereà partes circa vẽtriculum imbecilliores fuerint; confluant in eas necesse est prauæ humorũ saniositates, quas ἰχῶρας Græci nũcupant. Ex quarum vaporibus non solùm caput doleat, sed suffusorum quoq; symptomata, & comitiales aliquibus cõuulsiones cõtingant. Remedio erit, quod diximus, si, priusquàm bilẽ recipiat, roboretur stomachus cõuenienti quotidie cibatione: simul, ne bilis tam multa acrisve adeò gignatur, genitaq; vt reprimatur, conuersa ad frigidum atq; humidum ratione victus omni.

Temporis verò interuallis longioribus etiam medicamentis humoris eundem in sanitate repurgantibus detrahemus, adactum in ventriculi tunicas altiùs, amaro ex Aloe, quod paulò suprà retulimus: absinthij verò comæ diluto, hærentem tantùm tunicis, facultate quam obtinet, sorditiem illam detersuri: nec valde tamẽ adstringendi alteram, cuius absinthiũ simul particeps est, referente diluto, quòd abstersoriã tantùm absinthio auferat, ac reponat sibi, positam in superficie, adstrictoriã relinquat in profundo magis sitam. Ventri intereà extrinsecus admouẽda vnctionum roborantium vna aliqua, modica adstringendi vi prędita, ac pro anni temporis diuersitate diuersa. Quale æstate esset melinum vnguentum quod dicitur, nardinũ hyeme, medijs mastichinum temporibus.

Hæc tractandi ista hoc pacto ratio etiã illos parte aliqua, vt quoquo modo reprimatur bilis, iuuerit, quibus positura vitio maior bilem euomẽs è iecore in ventriculi fundum factus à natura meatus fortè fuerit: quum aut nullus is, aut multo minor altero haberi debuisset, qui prope pylorũ in intestinũ fertur. Quanquam naturam hanc sortiti, non aliter meliùs quàm bilis per vomitum reiectione ante cibum iuuabuntur: insigniter lædendi, nisi fecerint. neq; enim aliud his adferre auxiliũ maius fas est, Artis quidem huius beneficio. Sicuti ne, si cui quidem tributus à natura exiguus, ac quàm iustam capere alẽdæ reliquæ corporaturæ cibi quantitatem possit minor, ventriculus sit; succurrere aliter liceat meliùs, quàm si nutriturum, quod satis sit, corpus cibum partiri, partibusq; ita paulatim exiguum, concoctuque eundem ac descensu facilem, sumere iusserimus.

Eisdem legibus, si calidi fortè in calidiorem iusto ventriculũ ex capite itidem calido deferantur humores, & humorum saniositates, emittendi inde vel vomitionibus, vel leniter elicientibus aluum medicamentis, aut quoquo modo aliter educendi absumendique. Tũ verò cibo potuq; vtendum refrigerãte semper: quemadmodum è diuerso excalfaciente, si frigidi, qui delabuntur ex capite eodem modo frigido in natura frigidum ventriculum, humores, humorúmve saniositates fuerint. Eijciendi quidem inde omnino, quo iam dictum de calidis modo: verùm competet his sumptum inprimis manè ex tribus piperis generibus

neribus confectum medicamentum, vel ex tribus his vnũ aliquod solum, maximè vero album, tãquam stomacho amicum magis. Absinthij potio totius inimica, vtpote quo pituitosus humor ventri affixus hæreat vi illius adstrictoria. nam abstersoria eiusdem, quippe quæ insignis non sit, biliosum in superficie detergere humorẽ possit: pituitosum non æquè. Esum verò potumq; calidum natura in his esse cõueniet semper, vt in illis frigidum, humoribus ita nõ solùm qualitate sua exuperante infringendis, sed etiam ventriculi intemperaturæ, quam necessariò calidam ibi, frigidam hîc, ex paulò diuturniore humorum inibi mora concipiet ventriculus, emendandæ.

Semper autem id, ac quocunq; tandem anni tempore faciendũ, plùs minùs tamen: quòd semper intemperaturæ, in proximo positæ vt in morbos labãtur ex humorum inprimis præsentia, reuocandæ, ne labantur, contrariorum vsu erunt. Itaq; calidæ intemperaturæ aliquem vel media hyeme refrigerante cibo potuq; alemus, magis tamen æstate: frigidæ, vel in summis æstatis feruoribus excalfaciemus eisdem, at longè tamen magis hyeme. Quod de summè talibus, &, quod diximꝰ, nisi ita fiat, ne in morbos quamprimùm incurrant, suspectis, intelligendum est. Nõ quemadmodũ æquabilem vndiq; temperaturam, quam æstate frigidis, vt calidis hyeme, ne temperamentum suũ exeat, retinuisse par est. propterea quòd meritò, & quidem ex eadem ratione, contrario contraria tractanda esse modo, non ignoremus: & mediam atq; ęquabilem temperaturam in eodem conseruatã, extra hoc collocatas, quo discesserint inde magis, emendatas, immutatasque, dum licet, semper magis velle debeamus.

Intemperaturarum corporis partium inæqualiũ quarundam, nonnullarum etiam contrariarum inter se perquàm difficilis ad tractandum ratio: ventriculi cum capite calido frigidi, frigido calidi: aut vbi ventriculi os nauseat, pars reliqua sistit. Quibus omnibus subueniendi modus docetur.

CAPVT XVI.



Difficilis sanè est intẽperaturarũ cõplexio earũ in corpore, quotiès non modò qualitate altera ambabúsve discrepantã reliquis, vt inæquales sint, interdũ verò & sociam partem vnam aliquam habent; veluti si calidum & siccum caput, in alterius temperamẽti corpore reliquo, per se sit, vel conditionis eiusdem ac qualitatis socium forte ventriculum quoque vel partem aliam aliquam sortiatur: verùm etiam, ac longè quidẽ difficilis magis, magisq; intractabilis redditur, quum aduersantur inter se quædam, pugnantq; inuicem, hacq; demũ connexione defluunt de capite frigidæ pituitosæq; in ventriculum saniositates calidũ, aut è contrario in frigidum calidæ. Has non nullo quidem, sed non ita magno tamen, negotio postremas in melius dirigas. Etenim calidiores eò delapsos humores, horúmve ichoras, tollere atque absumere vel calidiorũ medicamẽtorum vsu queas, quæ facilè laturus frigidior vẽtriculus sit, quin temperamenti etiam melioris emolumentum inde accepturus. Non dubium est autem, calidis medicamentis longè quàm frigidis cõsumi meliùs humores quoscunque posse: tutoq; id prætereà fieri, vel si calidi extiterint, quoties quidem contemperamentum illorum nõ quærimus, ac consumptos tãtùm volumus; atq; in parte aliqua fuerint, quæ calidorũ cõmercium nõ solùm non auersetur, sed etiam requirat. Itaq; quos in calido capite genitos, cõtentosq; calidis tractare medicamentis nõ auderemus humores: eos in frigidum ventriculũ delapsos audemus, cum vsu imò ventriculi id facimus semper. Simul detrahere illos ventriculo, & auferre suprà infrave deiectas, quod ferè calidorum opera fit, optimè licebit. Non ita, quum è frigido capite in calidiorem ventriculum delati, ibidem continebuntur. neq; enim sine noxa tunc necessarium, seu attemperare, seu consumere, seu detrahere illiusmodi humorem proposuerimus, calidorum vsum tulerit eiusmodi vẽtriculus. Vna erit via reliqua dissecãdi pituitam, atq; abstergendi, sed cum temperatis: vt oxymelite, aut si quod aliud id genus inueniatur medicamentum, quod, vt acetum mulsum, (oxymeli quippe ipsum hoc) & incidendi vires obtineat, quod acetum in eo; & detergendi, quod mel pręstat: & ceu mutua quadam opera temperamentum vtriusque mistura existat, contemperante aceti frigiditatem melle, & mellis caliditatem aceto. Hac ratione succurretur his non pessimè, vt dissecta detersaq; pituita, & vomitu eijci, & deijci per aluum facilior reddatur. Quòd si neutrum adsit commodum, ac natura suapte homo nec solubilis ventris sit, nec ad vomẽdum facilis: deterrimũ id fiet. nam & diutiùs morati in vẽtriculo pituitosi humores corrumpentur necessariò, & corrupti morsionũ sensum illi inferent, & prauos interdum in caput vapores emittent.

Paulò commodiùs cum his agetur, quibus in attemperatum ventriculum, vel aliquantum in frigidum vergentem, minimè certè calidũ, pituitosus idem de capite humor decubuerit. Quippe agere ijsdem, qui-

bus in manifestò frigidum occupantibus humoribus his agebamus, poterimus, non valde veriti si attemperatior ventriculus paulò magis ex eo incalescat, cui lõgè prõptior ac facilior paratus in tẽperamentum suum reditus sit, quàm si antea quoq; calidus incaluisset etiamnũ magis, valde proximo ad perfectam expleti morbi naturam accessu. Cùm igitur Diatrionpiperea, vt priùs, alijsq; recentiorum multis ad pituitosum hunc humorem medicamentis vtemur: tum & præparatũ repurgare licebit, seu vomitu proiectum, seu per inferiora protrusum, Hiera picra quãdoque: nonnunquam medicamẽto aliquo, quo & pituita extenuetur, & flatulenta materia expellatur, quale veterũ Diospoliticon est, nostra esse Catapotia possunt Alephangina, si præterea rhabarbari aliquid acceperint, & agarici, quædamque huiusmodi alia.

Nihilo melior illorũ conditio, quorum ventriculi os imbecillum assiduè nauseat, ventriculus autem ipse adstrictior sistitur. Quem si fortè quis, vt par esse videretur, prouocandum medicamentis aliquibus esse censeat: eadem opera & nauseabundum magis reddiderit os, & subuerterit, vt fluctuatio ciborũ sequatur, eoq; iusta simul rectaq; concoctio pereat, si indiscriminatim fiat. Quòd si ventriculi os cõfirmantibus vtare, incommodum statim sequetur aliud, constipatæ mox deinde tridui, aut quatridui etiam interdum spatio, alui.

Vno subueniri his accipiendi cibi ordine poterit, eo discrimine, vt emollientia omnium prima aluum sumantur, olera, oleũ, oleosaq; alia, & quæ lubrico suo ventriculi imum intestinaque leniunt, multa. Quibus, quali quantoq; nutriendum rectè fore hominem visum fuerit, superimponendus deinde cibus sit: ac postremò claudendum ventriculi os roborãtibus, vt medium interponatur alimentum, collocatis in inferna parte lacessentibus, in superna retinentibus constringentibusq; medicatis. Atq; ita, quod cõiunctim mistum oberit, separatim discretum proderit.

Esto autem stomachũ roborans, pyrum, pomúmve aliquod Punicũ, cydoniúmve, ex his, quod cuiq; maximè iucundum sumenti, ac minimè repertum noxiũ fuerit: non multum verò, ex quo videlicet robur solum addatur stomacho, nihil præterea. Nam addito robore, stomachus, qui ventriculi os est, inferiùs protrudere, quæ supernè natant, solet, cumq; his toto ventriculo contenta reliqua, transmittente cuncta facilè eius fundo laxantibus iam emollito, simul protrudendi vi ea successione quadam continenter ad exitum vsque impellente omnia. Quod in quàm plurimis naturæ motibus fieri cõsuesse, expultrice facultate intrò forásque humores sæpe agente, obseruatum: nec minùs, quum flatulẽtus fortè spiritus, prope sedem ipsam retentus, impultricis facultatis eiusdem vi retrò actus, momento sępe temporis ad superiora recurrit, & quidem præter cõsuetum naturæ ordinem conuersis tunc vijs eò delatus: tanto magis, si quibus naturali progressu, ac instituto, cœptoq; vnde par est motus initio, expellendis excrementis humoribúsve insurgat facultas, eadẽ successionem expulsionis continuatam illam seruatura.

Iecinoris plenitudo, vitiosúsque succus remedijs suis tolletur. Venarum angustijs victus ratio tenuioris accommodabitur. Renum affectus vitabuntur in gracilibus alia quàm in obesis, aut mediæ habitudinis, ratione. Et erunt tamen omnibus his fugienda quædam.

CAP. XVII.

Iecinoris plenitudinẽ ex sanguine, cui⁹ fons est & origo, antequàm phlegmonẽ vllam faciat, tunc quum carentiam tantùm appetitus quandã inuehit, quòd in proximo ventriculus alimenti satis habens, eiusque optimi, vnde vescatur, non magnopere extrinsecum quærat; cõmodissimè misso sanguine detrahes. de fonte enim haustũ trahes. Vitiosum succum, qui simas illius partes obsederit, repurgantibus leniter aluũ medicamentis educes: qui gibbas, vrinam cientibus memoratis antea multis. Angustæ nimis natura illius viæ, & obstructionibus obnoxij meatus, quomodo iuuari debeãt, si iuuari modò possint, priusquàm ex pueris quis excesserit, traditũ. In adultis nulla emendatio alia, nisi, vt pro emendatione attenuans victus ratio succedat, ac partibus potiùs, paulatimque sumptus cibus, non affatim, ingeratur. quãdoquidem infarctus non ex crasso, viscidoque solùm, sed ex nimio quoque proueniant.

Nec diuersus seruãdus in liberandis futurorum morborum omnium suspicione Renibus modus: vt & venæ sectione, qua parte fieri id oportere docuim⁹, secta succurratur, ne quid omnino colligatur præcauendo, in malleolo: colligi verò iam cœpto, sub poplite magis quidem, verùm & in cubito non inconueniet, quòd in medio positi ambigant renes. Et repurgantibus abstergentibusq; expediti semper conseruabuntur meatus illi, quorum quidem descripta à nobis habeãtur exempla suprà,

de

de quibus sumi specimen possit aliquod semper.

Illud in his damnãdum inprimis, si duo hæc cõuenerint, corporis habitudo tenuis totius, & calculoso quomodocunque affectui opportuni renes: propterea quòd non admodum innocuè latura sit gracilitas eiusmodi attenuantiũ, vel medicamentorũ, vel victus, vsum, tam aliàs affectibus his idoneũ, quin plùs iusto extenuata siccetur, æquo antea per se siccior. Quod ne contingat, simul & rectè parti huic consulatur, victus ratio instituenda ea fuerit in vniuersum, quæ, si nõ attenuandi viribus præstet, at nec crassum quidem vlla ex parte faciat. Itaque & cibarius panis aptè conueniet hoc casu, quemque confusaneum vocant, furfurosa parte non omni detracta: & ptisana, & saxatiles, minutioresque pisciculi multi, & auiculæ montanæ plurimæ, & perdices, attagenes, turdi, merulæ, sturni: coturnices verò inutiles. Et, ne quid locorũ vsquam desit ad victum, cortalium quoque auium quædam (modò ne saginatarum) in vsum hunc commodè venient, gallinæ, capique, & degentes in turribus passerculi; ac columbæ, sed victitantes ex agris, gregatimque volantes illæ, non domi altiles, quas conclusas inpinguant. Et, qui totius reliqui victus omnis, nõ modò auium, hac in re prærogatiuam tulit, troglodytes passer: nec vt defensos tantùm tueatur à calculi generatione, sed vt genitum etiam conterat, & expellat. Estur autem vel crudus cum sale, tostúsve, vel conditus antè. Cremati etiam cùm huius, tum erinacei terrestris, marinique, cinis idem, priuata quadam carnis substantiæ proprietate, præstare creditur. at passerem vel cum pennis comburẽdum ad hoc præcipiunt. Authores sunt, qui cancris præterea fluuialibus vsum eundem cõcedant.

At qui tueri se à calculo volet obesior: huic prẹter attenuantem victus rationem, quæ iniungi habitudini illi tutissimò potest, non defutura sunt, quæ hoc ipsum præstent medicamenta, locis antea suis relata quædam; aliaque more, modoque horum facta, ex eringij, tribulique radicum decocto, ex pastinaca, carduo, sio, fœniculo, dictamno, trixagine, reliquisq; id genus: nec sanè minùs dictis priùs resinis proposito huic mirificè cõferentibus quibusdam.

Nec dubium, vitandas vbique ac semper vtrisque, gracilibus æquè ac obesis, satietates, cruditatesque omnes esse; repetita crebriùs legumina, frumentaceaque, crassique succi, ac glutinosi reliqua; duriores carnes, lac, lactariaq; omnia, (nisi fortè haberi asinini vsus lactis aliquis possit) caseum inprimis, certam sæpe calculi arenaceive sabuli materiam; vina nigra, crassaque; post cibum exercitia, & ex equitatione maximè quassationem. Contraria adhibenda omnia, curandumque inprimis, transitus vt per apertas renum vias materiæ calculosæ pateat. Etenim nón paucos sabulosa plurima quotidie, qui mingunt, hoc vno beneficio, meatuumq; illorum reclusione, ac dilatatione, præsertim qui amplos à natura sortiti fuerũt, euadere illæsos, & ne tentamẽto quidem calculosi affectus vllò perstare incolumes quotidie videmus. nõ abs re. Non enim, nisi hærens paulò diutiùs in renibus arenacea materia, coire in calculũ queat, subinde cogẽti in vnum coagmentantique illam causæ elabens.

Venereorum tractatio, inquantum parti Artis huic conueniat. De calidum nimis ac redundans genitale semen colligentibus, quo conseruandi incolumes modò sint, quibus iuuandi remedijs, quo victu alendi, quo à superueniente interdum molestia liberandi pacto, paulatim desuescendo, idq; ad omnia traducendum.

CAPVT XVIII.



Excitâsse ad libidinem fortiùs exercẽdam Virilia, Salutaris Artificis partes non sunt, & iacentia lacessiuisse ἀνόητον. Corporis quidem hæc, cuius tueri incolumitatem cõstituerimus, sanitatem nõ tangunt, voluptati tantummodo non necessariæ, imò verò ineptæ & dementi, quæsita, & subseruientia. Ac si quadantenus Medicinam tangũt, vt aliqua tamẽ interdum suscipiendorum liberorum, & extendendæ posteritatis ratio habeatur: nõ ex ea quidem parte attingunt, quæ officij nostri ducenda sit, retinendæ sanitatis; sed Therapeutices tantummodo erit, & Curationis. læsa quippe manifestò Virilium functione, non arrigendi, vel qua alia, nec satis expleto coeundi munere. Quamobrem propositi nostri quum non sint ista, omittantur.

Rursus femineæ materiæ redundantia quum fortè exuperat, cessâtve nimis: excrementorũ ratione cõtinebitur reliquorum, iam explicata. Et certò excrementum, vtile quanuis omnium maximè, ac cui primò natura intendisse videtur, vt vltimum absolutumque inprimis euaderet, genitale semen est. Quocirca nihil aliud de hoc dicendũ restare videtur, quàm quod dictum suprà in commune de Excrementis omnibus est, vt collecta opportunè suo tempore custoditis cõseruandæ sanitatis legibus euacuarentur, & extruderentur cessantia.

Nunc id vnum reliquum est vt tradatur, quum fortè supra quàm excremento huic conueniat calidũ, redundansque, genitale hoc semen excretionem quidem vrget: excretum verò imbecillũ prorsus corpus relinquit, resolutumque stomachum, ac deijci statim videntur vires, siccantur, attenuantur, pallent, oculorum cauitate notantur, quibus hoc accidit. Ijdem si coire paulò diutiùs cessent, & memorata modò incommoda veriti abstinendum sibi à coeundo proposuerint: inutilis penitus ea illis abstinentia eueniet. tentabuntur enim statim capite, & molestiam percipiet ventriculus, & cibum fastidient, & anxiam quandam corporis totius iactationem experientur, ac nocturnis subinde imaginibus tentati eadem incurrent incommoda.

Hos ita intra sanitatis adhuc suæ limites cõtentos hunc in modum tractabis. In sicciore paulò ambiente superiores corporis partes exercebis perfrictas priùs benè. Excogitari autem possunt exercendis manibus, brachijsque accõmoda, exercitatorij domesticique insuper operis aliqua. Post balneum, si balneo assueuerit; sin minùs, at per se tamẽ vngentur renes refrigeratoria vnctione aliqua, qualis Galenica: (hoc enim nomine venire solet in medicamentarijs apothecis) aut quæ Mesuæ attribuitur authori, rosacea, eiusmodi ve aliæ. oẽs autem in præsenti quoq; frigidæ applicandæ lumbis. Omphacinum item oleum, exq; hoc compositum melinum, & rosaceum vnguentum: herbarumq; refrigerantium succi multarũ, oleo eodem excepti, & quo diximus modo illiti: semperuiuæ, solani, psylij, equiseti, Veneris vmbilici, tribuli, portulacæ, lactucæ. Sed & plumbi lamina superposita lumbis nocturnas Venereorũ imagines arcet, & pollutionẽ cohibet: tum substratæ dormientibus dictarũ herbarum quædam, rutæque ad hæc, & rosarum folia, atque amerinę salicis frondes, plurimaque, quorũ ex materia medica copia semper in promptu. Cauendum intereà, ne nimio refrigerandi studio officiatur renibus. Quare nec mãdragoram, nec papauer, nec cicutam substernemus, quo maximè vigent herbæ eæ tempore: multóque minùs succum, vt illinamus, extrahemus harum, superioribus contenti, modicéque vsi. Porrò iuuandi victu quoque inprimis hi, eo, qui semen admodum genitale restinguat, minimè autem augeat: sumendáque quandoque viribus eisdem prædita medicamenta, aut medicati certè cibi; ruta, rutæque & viticis, siue amerinæ, ac cannabis semẽ, anethumq;, ac menta, & eiusmodi alia passim in Medicorum libris inuẽta. is erit his victus instituendus.

Aucta verò aliquando genitura, collectaq; multa, coeũdum quidem, ne incommoda sequantur, ex retẽta diu nimis contingere dicta: cæterùm diei vnius victus præmittendus modicus, bonique succi, & à cœna concumbendum mox dormituro.

Postridie manè ex somno surgenti, diu satis producto, linteis fricandum corpus, donec rubescat cutis, oleoq; aliquo inducendum: mox deambulandum, si tamẽ extra frigus deambulandi locus sit. Post deambulationem paulùm quiescẽti panis sumendus ex vino misto, benè fermentatus coctusque, ac purus; & corporis vires recolligentis obsonij aliquid: agendaq; ea, quibus collapsus habitus breui resumatur. Tantumq; rursus interponẽdum temporis, donec abstinentiam noxiam iterũ persentiscat. Quod longius subinde, ac lõgius futurum est, si extinguendo genitali semini per interualla ea recta adhibeatur victus ratio, quam modò attulimus, quousque liberum prorsus molestia se hac sentiat, inita paulatim desuetudine.

Quod in omnibus faciẽdum est, vt sensim desuescant, quasiq; dediscant molestæ esse noxæ multæ, ac semetipsum semper vnusquisq; consulat in eo: vt, quæ nocua sibi senserit, paulatim declinet, donec euitata penitus effugiat, & innocua recipiat, vertatque paulatim in vsum assuescendo. Electam nanq; semel vitam bonam, si quis insistere eam pergat, (quod scitum Eruditorum quorundam est) iucundam faciet consuetudo. Eodem modo cibum, potumque, ac reliquã victus rationẽ omnem, quam quisq; cõmodam sibi, atq; ex vsu esse experientia sępe comprobârit: persistere in ea debebit, quam pręsertim rationi accommodam, & à Salutaris Artis, quam nũc tradimus, pręceptis non valde abhorrentẽ viderit: vt tamen perpetuò priuatę temperamenti ac naturæ cuiusq; dotis, peculiarisq; cuiusdã proprietatis, ratio habeatur. Non secus ac in podagrico, atq; articulari affectu omni vitando (vt hac veluti coronide Præcautrix pars hęc terminetur: &, quoniam de reliquarũ corporis partium fugiendis morbis dictũ fuit, particulariter de extremis quoque dicatur) fieri conspicimus, vbi pręter cõmunem minuendæ Plethoræ, detrahendæq; cacochymiæ, aut ne initio fiant prohibendarũ, regulam, vtilẽ omnibus, ac necessariam, priuatim penè cuique quæ prosint, quæque obsint, inuenientur quædam, quæ prudens curiosè semper obseruata custodiat, conuertatq; in vsum cõmodũ suum, aut remoueat. Illud insuper cõmune: attenuans, atq; abstergens victus ratio omnis, calidiorq; paulò ac siccior, in quo podagricæ antidoti renibus dicatas

supe-

superant, quarũ nullam calidam esse ac siccam cõuenit. Itaq; longè magis de calculosorũ habitudine obesa, gracilive, dictum antea illud, attendendum hîc erit, ne gracilior fortè habitus vsu illorum offendatur. Quocirca si quis huiusmodi fuerit articularibus morbis obnoxius, vel alterius etiã habitudinis cuiuslibet, sed gracilis tamen inprimis: quoniam huic aliorum medicamentorũ noxius vsus, quem ferre tamẽ habitudines aliæ poterunt, calidorũ nempe, ac siccorum: huic, inquã, aquæ potus (tantùm ne subuersionẽ ex eo naturæ proprietate sentiat ventriculus) vtilis maximè, atq; idoneus esse reperietur. impediẽte nimirũ aquæ frigiditate, diuturnioreq; in visceribus mora, cursum ad articulos humorũ, & fluxionis impetum intercipiente: simul & vini carentia, quo maximè concitati deferuntur, non parum conferente, causæ tantùm facientis priuatione, atq; absentia. vt, quoniã, & quæ obesse posset, abest causa, & quæ prodest, adest: mirum videri alicui non debeat, si quidem nõ rarò effectus visitur, quarundam sæpe causarum aliarum concursu non expectandus.

Seruitutem seruientium aliquam, & ministerijs diuersis addictorum, succisiuis sæpe horis, ac furtim interdum arrepta temporis opportunitate defendetur incolumitas, seu bonæ, seu prauæ tẽperaturæ fuerint, ac constitutionis. Plurimũ his, maioriq; ex parte, corporis habitudinisq; totius transpirabilitas conducet, ex minore licèt obsit.

CAPVT XIX.

HVcusq; tradita, explicataq; à nobis, fidem non fallent eorũ, quæ polliciti sumus, si diligentẽ obseruatorem inuenerint, atq; eum, qui posthabitis omnibus, quæcunq; impeditura tuendæ sanitatis negotium esse videbuntur, curæ huic vacet, ne quid in ea negligenter, aut ignoranter omissum prætereatur. Hunc esse oporteat addictum nemini, ministerijq; nullius, quod arbitrij illum sui, quum libuerit, esse non sinat; liberum, sibi viuentem, negotia tractantem, quum volet, & quæ volet. Eundem, vt nemini seruiat, nec negotiorum mole interpelletur illius sanitas, nec reliqua omnia desint: non angi tamen curis, solicitisq; inprimis animi affectionibus, necessarium, qua non minore sæpe seruitute premũtur multi, mancipia propè perturbationum animorum plurimarũ facti. Is, qualẽ nobis finximus, & reperiri tamen potest non rarus admodum, si laudatam ab initio corporis cõstitutionem nactus præterea fuerit, quo minùs integra semper sanitate fruatur sua, per illum vnũ steterit. Neq; enim aliter, quàm pręceptorũ Salubriũ pręuaricatione omnino aliqua ægrotabit vnquã, negligẽtior illorum factus. Seruatis autem indubitanter valetudinẽ quoque inoffensam suam conseruabit assiduè.

At intemperaturæ constitutionisq; illaudatæ aliquis idẽ & vitæ liberioris, possit ille quidẽ, quibus ostensum iam fuit rationibus, ad meliorem statum transferri, & potiorem constitutionis naturæq; laudatioris locũ capere, vt eiusdem conditionis fiat. Vacabit enim semper, & exequẽdi otium non defuerit, soluto quippe ac libero: vt, nisi faciat, in nullo alio culpa resideat, quàm in ipso. Et naturæ tamen suæ vitia, quum nondum peractum id fuerit, vt in meliorem transcriptus conditionem dici possit, nemini seruiens commodiùs feret: ac sese à morborum iniuria faciliùs semper vindicabit, libertate vsus, si diligenter Salubris Artis iussa absoluendi nancisci tempus poterit. poterit autem semper, liberioris nempe vitæ, quod diximus.

Verùm multo semper deteriùs agetur cũ his, quorum curandi corporis, ob varia multaq; impedimenta, & inseruiendi alijs necessitatem, esse succisiuas tantùm horas quasdam oporteat, & suffurari temporum momenta sæpe quædam opus sit ad agẽdas res: vt nec in tempore agi, nec ad sanitatem cõmodè, nec quomodo, nec qualiter, quóve deceat ordine, aut inquantum agi conueniat, singula possint; siue naturæ, ac cõstitutionis optimæ quis sit, siue improbatæ. Necessariò igitur iactura semper fiet sanitatis aliqua, quo magis discessum à norma rectè atq; ordine cõseruãdę illi⁹ fuerit.

Iccirco studio semper omni annitẽdum, minore id vbiq; malo vt eueniat. Quumq; exequi, quod ratio recta mõstrârit, impediemur, & quò sanitatis nos via tuẽdę ducet, rectà pergere nõ licebit: subsistam⁹ in proximo, ac pro virili ab offensionibus retrahamus optimi temperamenti & inculpatæ cõstitutionis quoscũq; faciliùs; paulò difficiliùs, quorum offensa iam antea ex parte sanitas est, aut intẽperaturę excessu, aut instrumentariarũ partiũ vitio aliquo notata, prõpto semper ac proximo in morbos excursu, ni caueatur diligẽter. Attendendum igitur, quibus id facere licebit, & studium erit, sanitatis lubricum hoc vt ratione omni sustentetur, ne collapsa concidat, negotiosam vitam agentium, seruitutem seruientium, & ministerio addictorũ alicui, vnde subductio non sit facilis, quũ sanitatis id vsus poscet: artes exercentium sedentarias, hacq; in parte otiosorum, laboriosorum, militum, mercatorum, nauigantium, iter pedibus aut equo ingredientium,

tium, operariorum omnium, & similium, laboriosam omnium vitam atq; operosam tolerantium. Qui si bonæ ac laudatę constitutionis ex toto fuerint, minùs periclitaturi sint, si qua fortè illis ingruat aberrandi ab his necessitas, aut inscitia traducat, aut imponat voluptas. Maioreq; in periculo amittendæ sanitatis futuri semper sint qualitate aliqua intemperati, aut malè aliâs constituti habitique, coactiq; sæpe alienis iussis ex ministerij sui officio obtemperare, causisq; occurrere, ac sese crebrò nolentes exponere. quarum accessione in lubrica, ac periculosa sanitate cõstituti, facilè de statu suo deiecti exturbentur in morbos, calidi calidos, & frigidos frigidi, eundemque in modum de alijs, seu simplicibus, seu connexis inter se qualitatibus. Quæ si quacunque de causa, aut ex ambiente, aut ex cibo, potuque, laboribúsve, aut otio nimio, animi perturbationibus, & huiusmodi, ad intemperaturæ qualitatem accedant: perquàm facilè natiuam illam additæ intenderint, præterque naturam omnino cõstituerint, hoc est, morbos fecerint. Vnde planè longè esse in retinẽda sanitate sua cautiores hosce necesse sit, vt ꝓ virili, ac quantum officij seruitutisque suę ratio patietur, præcepta Salubria iam tradita sequuti, aduersa hęc obfuturaque sibi studiosè declinent.

Plurimum tamẽ in eo lucri facturi sunt alieni iuris quicunq; temperati, intemperati: si præterea corporaturæ totius raritatẽ sortiti fuerint, & laxiores cutaneos meatus teneant: præsertim verò resides, & qui pensum absoluere suum, opusq; perficere sedentes, atq; otiosi cogũtur. Etenim non sanè paruum his ad sanitatis tutelam suæ repositum haberi in hoc compẽdium censendum est, si multum collectitiæ necessariò ex operibus suis, inseruiendiq; incommoditatibus, seu plethoricæ, seu cacochymicæ materiæ, vnde morborum plurimorum semper eorundem & periculosorum fomes, exhalatũ, perq; effugientẽ sensum transpirationẽ illam discussum, transmissumque abierit de corpore, quod euenire in eiusmodi constitutione perpetua quadam habitudinis vniuersæ euaporatione solet. Nam quòd ijdẽ expositi deinde forinsecus aduenientibus causis sint, calori, frigorique: in eo verò & minus multo discriminis inerit, & tolli facilior noxa inde, si qua corpori obuenerit, adeoq; etiã initio ne fiat, prohiberi explicatis antea rationibus poterit. Simul consuetudo quędam vel paucorum dierum ferendi hæc tolerabilia cuncta, sæpiusq; absq; noxa omnino vlla reddet. Quocirca retinenda habitudinis constitutio ista seruientibus omnibus erit, opusq; aliquod necessarium facientibus, quam præsertim cõmodam sibi ad sanitatem intacti morbis, inoffensiq; experiantur.

Plenitudinis in hac hominum cõditione demendæ ratio, multipliciter quod fieri potest, faciendo. Eadem detrahendæ, castigandæq; succorum malitiæ adhibebitur qualiscunq; commoditas. Rursus huic rei perspirabilitas corporis illa optimè conferet, & egerendorũ excrementorum prouisio necessaria.

CAP. XX.



Quibus si quãdo tamen corripiantur, vt quidẽ necessum interdũ fuerit in errata sæpe incurrere, sortis iniquitate suæ, ideoq; plurimorũ, quæ factura ad sanitatẽ tuendã erant, omissione coactos: eo saltem tũc animaduerso, vtilitateque hac inde relata, vt quid causæ morbus habuerit, plenitudinem'ne, an vitiosum succũ, perquisito, (& est non difficile id) in posterum etiam, ne quid tale sequatur, anticipare liceat. Ac si causam morbo dedisse Plethora, plenitudóve alia visa fuerit, captato furtim tempore, vel non opportuno aliquo, si maximè tempestiuo non licuerit, minuendæ eius, discutiendæ've ratio tandem aliqua quęratur, si nõ aliter, at ciborum imminutione, quod nemini nõ fecisse licitum semper futurum sit; cibíve eius vsu (sicuti antea quoq; narrâsse meminimus) cui in quantitate maiore exigua tamen insit alimoniæ vis, vt vnà & saturetur ventriculus, & parum tamen nutriatur corpus, eoq; dematur de Plethora. Verũ & exercitatione operis, cui quisque perficiundo addictus fuerit, maiore idẽ fiet; &, quæ rursus in potestate cuiusq; erunt, vigilijs; aut minore certè multo somno; si nõ venam in tempore secuisse, aut scarificâsse, aut æquabiliter humores omẽs trahentibus medicamentis Plethoram minorem fecisse dabitur, neq; verò tantũ alicui vacet, vt ad rem eandem balnei, ante cibi assumptionem, vsum adhibeat, quo per halitum meliùs plenitudinis ita exuperantia auferatur. Quod tamen, si nõ quotidie, neque stata semper diei hora aliqua, propter negotia facere licebit: at vsurpare aliquãdo arrepto, finitis fortè negotijs, tempore licebit: vesperiq; idem fiet, si manè nõ possit, præmisso simplicissimo cibo, eoque exiguo, quantum optimè concoctum iri, ante futuri deinde balnei tempus, sperari debeat.

Eodem modo qui peragere exercitationem nõ valuerit ad sanitatis suæ tutelam satis vicariam huius accerset frictionem, quam

quam minori multo in tempore peregisse queat. Breuiter, discutiendæ plenitudini, imò verò omnibus alijs exequendis, quæcunque curãdo ritè ad sanitatem corpori vtilia, ac necessaria fore ostensa sunt, si tempus defuerit, & faciendi commoditas, quod maximè vellemus, deberemusq́;, quum non poterimus: quod possimus tamen, quódque proximum semper erit, faciemus: ne non aliquid tandem, quod vicem melioris illius gerat, fieri præcipiatur. potissimùm verò, si quis potioribus priùs assuetus, quibus perficiũdis tẽporis in anteacta vita, & commoditatum satis habuerit; nunc in negotiosum fortè vitę genus delatus, cessare ab his cogatur. Qui, nisi, quod diximus, aliquod prioris consuetudinis instar arreptũ introducat, ac seruet; non impunè id, quod ad incolumitatis rationes attinet, laturus sit. Maximè autem attendendum id in exercitatione, quæ improuisò fortè intermissa quantopere sanitati officiat, qualiaque, ac quanta inferat illi nocumenta, tantùm non quotidie, passimque videmus: vt aut Plethora nõ multo pòst succrescat in corpore, aut vitiosus coaceruetur humor, discuti priùs solitus exercitationibus. Quæ duo quum eueniunt, quàm multa iam impendeãt mala valetudini bonæ inde, commemorare nõ est operæpretium. Esto igitur diligens semper in eo, atq; accuratũ etiam studium, vt consuetudo perpetuò, quàm fieri poterit, seruetur melior. Sin minùs: at non longissimè tamen ab ea vt discedatur, succedatq́; in illius assiduè locum, quod eam viribus suis referat, ꝓ exercitatione iusta, frictio; pro balneo, calidæ frigidæ'ue affusio; pro cibandi opportunitate exquisita, quæsita non omnino tamẽ intempestiua commoditas alia; proq; alijs alia, vt quisque commodum sibi quærere aut tempus, aut locum in negotioso vitæ genere quiuerit: &, quæ minuendæ plenitudini paulò antè vtrunque factura bona ex parte diximus, si potissima adhiberi ob actionũ aliarum impedimentum nequiuerint, adhibeantur.

Quæ eadem in detrahenda de corpore succorum prauitate tenenda erit ratio: vt, si, quo maximè tempore, quaque diei hora debuerat, detracta nõ fuerit, nec q̃bus inprimis opus fuerat rationibus id præstitisse vacauerit: at, quũ primùm poterit, fiat, & cum quibus poterit. Ac vel ministerio suo addictissimus, seruilisque prorsus sortis aliquis, possit festis fortè dieb⁹, vel post præstitum diurnum officium suum, quoquo modo corpus tandem quoque, quasi furtiuo quodã tempore curare, succíque, de qua nunc agimus, malitiæ aliquo pacto obstare, subductæ per aluum, repurgatæque leuiorum medicamentorum vsu; aut melioris cibi temperamento castigatæ; vel vomitu eiectę, si euomi facilis, paratusque succus prauus fuerit; vel concoctæ, si concoqui. cuncta eiusmodi, quæ breuissimi temporis curriculo perfici rectè queant, quod futurum satis sit. Nam maioris cuiusdam operę illa moliri in hoc hominum genere, haud ita fortasse facile: vt aduersus vitiosum succum non minùs quàm plenitudinẽ exercitationis iustæ legibus omnibus pugnemus; præparatorias, recuratoriasq́; ante & post exercitationem frictiones adhibeamus; balnea, fomenta, inspersiones, vnguenta, temporibus cuncta ordinibusque suis, diligenter administremus; somni & vigiliarum tempora, ciborum qualitates (nam quantitas in potestate cuiusq; sit temperantis ac continentis) ordinem, tempestiuitatem, & huiusmodi alia accuratè custodita seruemus. Quæ fieri quidem præstabilissimum semper foret: sed facere non omnibus, neque quocunque tempore, aut loco licet.

Et hîc quoq; tamen, in demenda seruilium negotiosorumq; hominũ corporibus succorum vitiositate, valde cõducibilis futura cõstitutionis laxitas, cuius iam meminimus, illa sit, quicquid accumulatum fuerit vitij, per halitum digerendo accommodatissima. vsq; adeo quidem, vt sępe huius maximè atq; inprimis beneficio nõ pauci, multo negligentiùs in alijs habiti, qui neq; rectè exerceãtur, nec vt par esset perfricentur, multaq; alia omittant: sani tamen intereà diutissimè perstent. Quin nullos alios consuetudinis quoque mutationem ferre meliùs videas, seu ab otio in negotia, seu è diuerso à negotijs in otium, improuisus horum alicui transitus sit. quocunq; enim modo collectos, siue per otium, siue per intempestiua, vt vsu sæpe venit, negotia, longè alijs faciliùs discusserint humores, excrementaq; omnia hi. Qua etiam ratione circumambientis aëris euaporandis superfluitatibus idonea constitutio commendabilior semper: nec ineptè monemur à Salubris Artis magistris assiduè, ne quid neglectum prætereatur eorum, quæ transpirabilia omni ex parte reddant corpora, nempe nõ solùm vt attenuatiores facti diflabiles fiant succi ipsi, sed etiã vt per apertos cutis meatus pertranseuntibus pateat exitus.

Simul, atq; eandem tamen ob causam, ne qua, præter naturales illorum necessitates, diutiùs moram trahant in corpore excremẽta, aut humorum sanies vlla, negotium salubritati exhibitura, si mãserint, prouidendum prorsus. vt, si tãtum in hoc ad sanitatis

nitatis rationes omnes repositũ esse commoditatis cẽsemus, cuiuscunq; ordinis, ac conditionis hominibus, vel quibus, cum optimæ vndiq; constitutionis dono à natura, concessa quoq; à fortuna meliore faciendi, quęcunq; ad sanitatis tuitionẽ pertinent, libertas omnis fuerit: tãto id magis in ob vrgentes sępe causas aliorum multorum adminiculo destitutis credendũ, atq; arbitrandum veniat; temperatis quidem quoque, multo maximè aũt intemperatis, quo plus hi semper noxæ, ac morbosę materiæ in corporibus suis colligent. Atque ita, seu ministerio, seu officio, seu operi, negotijs´ve demum quibuscunque, addictorũ naturis ac incolumitati rationibus his consultũ fore speramus in commune.

Quod cuique hominum quomodocunque negotiosorum conditioni congruum sit, ad tuendam sanitatem, Iter pedibus, aut equo ingressuris, Nauigantibus, Militibus, in quo de aquarum bonitate, earumq; vitijs variè corrigendis quædam; Sedentarijs artificibus, & Institoribus, & Vrbanæ Rusticanæq; plebi; omnibus postremò in commune salutariter admonitis.

CAPVT XXI.

PRiuatim admonẽdum illud restat, vt pro vitæ, quæ diuersè in diuersa cõmunis seruilis sortis ac fortunę cõditione ducetur, suum cuiq; tribuatur ac proprium, peculiari quodam respectu, auxilij genus, aduersus ea, quibus genus quodq; maximè periclitabitur. Vt fortè ingressuri iter pedibus, quoniam lassitudines maximè timendæ tunc sunt ex itinere: præparatoria ad id frictione, atq; vnctione muniantur, fascijs laboraturæ inprimis partes religentur, baculo quasi tertio pede vtantur pro fulcimento corporis in planitie; per decliuia sustentamento, quo tanquam tibicine nitantur, ne in pręceps ruant; in accliui verò ascensuri corpus faciliùs sustollant, hoc ipso adiuti: cibo contenti sint modico manè, quem æstate refrigeratoriæ, excalfactoriæ hyeme facultatis accipiant. Equitaturi multo minùs cibo repleantur, pręsertim calculosis affectibus opportuni, exagitat enim dorsum, partesq; eas equitatio: plerunque etiam in noctem vsq; cibum capere differant, nisi biliosi admodum stomachi sint: vel modicum, maximiq; in exiguitate nutrimenti, sumant. Calor intereà ac frigus, quæ iter agentibus esse maximè infesta solent, quomodo euitari debeant, traditum antea, vt trãsferre illa huc possint, quibus id cordi erit. Peracto itinere quieturi, æquê ac exercitatione magna peracta, laborévé alio valido, vel in nullo lassitudinis vllius sensu, recuratoria tamen frictione, atque exercitio vtentur, futurę mox metu, nisi eo pacto præcaueatur.

Nauigãtes iubebimus vt vomitionibus, quibus initio maximè infestãtur, nihil resistãt primò: permissisq; vigere aliquantũ, non sine vtilitatis fructu alicuius, qua totum sæpe corpus exoneratũ leuatur, tunc demum, si vrgere diutiùs, ac vehementiùs videbuntur, reprimentur acidis inprimis, acerbisq; Cydonijs, Punicisque, & Aurantijs, Citrijsq; pomis, ac Limonijs recentibus, aut condititijs, siue bellarijs etiã ex his, aut aliter conseruatis: vt nauiganti ex Hispanijs in Belgium Principi maximo nihil magis sedandæ vomitioni, quàm siccata furno Persica, contulerit. Super omnia tamẽ faciet lens aceto incocta, & cum acerbæ vuæ succo comesta. Quòd si cui molestiã euomendi illam deuitâsse placuerit magis, aut noxam inde aliquam vereatur: vti eisdem licebit multo antea, ac ventriculum præoccupâsse reprimentibus, & panis mica, Punicorum aut Aurantiorum malorum succo diluta, firmatum roborâsse.

Milites sub dio sæpe, locisq; insalubribus acturi, ac ciborum sæpiùs prauorũ, aut malè præparatorũ, potionumq; experturi incõmoda, in eo prospectum sibi maximè esse studeant, vt castigato, quantum fieri poterit, aëre vtantur, ex igne, suffituq; vario, ne quid inde damni accipiatur. Cibus simplicior semper sit quidã, qualis veterũ militaris, aut heroũ Homericorũ, minimè corruptibilis: & corruptus, si quando corrumpetur, extrudẽdus quamprimùm, atq; aliâs aperta vt teneatur aluus. In quẽ vsum ex Glossocomijs suis, quę circunferũt, medicamenta proferre solent multi. Potu veterum quidã nõ vtebantur vini in castris, & sub signis, ac ne biberetur iusserũt, nunc gentes etiam faciunt quædã. Sed si futurus vsus eius sit, egregiè diluti certè sit oportet. Ergo de aquæ, qua diluatur, quæ´ve sola etiã bibatur à gregario milite, aut abstemio, esse inprimis solicitos opus fuerit. nam vinum mutâsse sæpe non licebit: sed, quod dabitur, accipiendum erit. Decoctam, nisi fons sese aliquis, aut puteus offerat innocuus, quorum nihil deprehẽdi in aqua vitij gustu, odore, visu possit, omnino potâsse cõueniet, vinumq; eadẽ diluisse. Ex fluuijs tamẽ multis, si subsiderit antea arenosi aut fæculenti quicquid inest, non inutiliter bibitur. Si excoxisse nõ dabitur, percolata diligenter priùs vtemur. Hoc securos reddet, ne qd praui, visumq; sæpe fallens minutius transmissum glutiatur. nam & hirudo interdũ possit inchoata tantùm, & in ortu tum primùm, exiguitate

tate sua latens glutiri. Sabulũ alij, aut glareosam materiam, hydrijs plenis inijciunt. ea malitiam omnẽ aquæ subsidere in fundo detractam secũ cogit. Idem faciet alumen, ex quo vina quoque clarescunt sæpe.

Nam cõpositis duobus simul vasis (quem clarandæ aquæ modum apud Authores quosdam inuenio) ex pleno in vacuũ, imposito eodem vtriq; linteo, aut cõtorta in ellychnij modum lana, deriuâsse repurgatam iam: id verò longum nimis, & incommodum, quũ presertim aliȩ non defuturæ sint purificandȩ faciliores, quas retulimus, ac longè magis comparabiles rationes. Plurimũ autem, etiam vt malitiæ suspicio aliqua restet, noxæ auferet additũ vinum ex dilutione, aut si cum aceto potetur. Nam & vinum facultate sua, quod facere sæpe solet, nocumentum facilè detraxerit, non magnum quod fuerit, correcta malitia; ac per corpus meliùs deuehet, si cuius fortè aquæ futurus paulò tardior transitus sit: & acetum præstiterit idẽ, peculiariter autem habitudinem in magnis caloribus refrigerârit meliùs, & sedârit sitim. Præstabit multo antè cõmistam diluisse, ac cirneæ immisisse, mistario nempe vasi. Zulapia ad hæc ex violis, rosisque, & ex aceto syrapia, epotis vitij non parum adiment aquis, simul & potui acceptiores facient. Turbidis, crassisque, si bibẽdi necessitas vrgeat, panis micas iniecisse priùs, aut allium, aut cepe, vel ab epotis comẽsse statim ista, magnorum Authorum inter præcepta est: quo veluti antidoto, & ceu Theriaca aliqua, malitiam tolli, & nocumentũ discuti posse promittunt. Assas alij secalini panis micas ad tollenda aquarum vitia, & ignitos carbones immittunt, facilè parabili remedio.

Sellularij artifices, & Institutorum multi, (nam qui mercaturam foris exercent, hi peregrinantium rectiùs numero, & conditionibus continebũtur) quoniam ab otio, desideq; inprimis vita periculum sanitati suæ imminere certum habere debent: vt sibi ex alijs, quum ab exercitatione iusta, frictionibusque, ac balneo non possint, prouisum sit, consilium erit: omnium autem maximè cibi potusq; simplicitate, ac parcitate, & competẽte qualitate: dein & excrementorum egestionibus omnium, & collectitiæ in corporibus redundantiæ ex interuallis quibusdã, per placidiora, domesticaque, ac familiaria magis medicamenta inanitionibus.

Vrbana, rusticanaq; plebs, messoresque, & id genus, quos humorũ maximè cruditas, faciendo grauiori intẽpestiuè semper, & inprimis laborioso operi, accumulatorum exercet; quoniã ne hos quidem Salubris, ac tam omnibus beneficæ destitui Artis auxilio par est: somno potissimũ, quẽ tam esse generi huic ad retinendã sanitatẽ accõmodum prodidit (De ali. facul. j.) Galenus, proficere poterunt, altè profundeq; inito, nec curis multis, aut cogitationibus excusso. Quod ipsum concoctionẽ quoq; iuuare nõ minimùm queat, propè vt cruditatem illam ex parte concoctione meliore rependat, si soluti aduersæ magis fortunæ metu, & casibus grauioribus exempti, neq; solicitudinibus vllis, quas nullas, vel non tam altè admittunt, implicati naturalium facultatum munia feliciùs perficiant.

Ita sanè, quum incommodum non paruum subire ex intempestiuè inito opere necessario (siquidem hoc illis ceu pensum constitutum est) cogatur, compensabunt producta id paulò longiùs somni quiete, & curis omnibus relegatis aliò: tum verò emẽdato etiam ex parte aliqua incommodo, dum, quanquam inibitur laboriosum illud à cibo statim opus, remissiùs tamen fiet initio, vix tum inchoata cibi coctione: mox acriùs, & tutiùs, magis magisq; intendetur, nullo iam, aut nõ magno, deuehendæ per habitum cruditatis periculo sub finem, & ante prandij, vel cœnȩ conueniens iam iustæ alioqui exercitationi tempus.

Eodemq; modo subsidio alij alia ex his vt sibi quærant, comparentque, monendi pro sua quiq; sorte, ac conditione erunt: vt, si fortè ex senario non naturalium rerum, quas ita vocamus, ordine illo incommodum vel damnũ etiam accidat aliquod, necessario ab instituto vitæ proficiscens: pensandũ extemplo id cõmodiore aliorũ, quæ superfuerint ex illis, vsu esse existiment. Quo scilicet modo exercitationis fortè omissione necessariæ, aut coactè alioqui factũ in his, erratum, admissumque, cibandi licebit meliore modo aliquo, aut alijs huiusmodi rationibus, non parum semper emendâsse. Atque idipsum ita moderatione quadam mitigãdum malumintereà, ac minus semper faciendum erit, diligentique, ac curiosa de omnibus inuestigatione procurandum: ne quid vsquam morbosarum causarum, quantum fieri potest, in corpore hæreat.

FINIS.

